THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS,

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN TERTIUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.




VENETIIS

MDCCXLV.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTHZ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



EMINENTISS.MO ET REVERENDISS.MO PRINCIPI

DOMINICO URSINO

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO

BLASIUS UGOLINUS

FELICITATEM.

A*Ntiquitates Sacræ*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *quamvis præstantiæ, & sanctitate sua satis commendarentur, tamen lætari magnopere mihi visæ sunt, quod Te Auspice in publicam lucem prodire sibi licuerit, ratæ,*

si

si sibi gratia, & autoritate tua, qua cæteros præstas, adesses, in posterum futuras ab omni injuria, & ab ea, quæ jampridem sibi facta est, invidia tutiores. Quis enim non videat, quantum iis ex tua dignitate & præsidio dignitatis, & præsidii comparetur? Nihil enim est tam præstabile, & excellens, quod Tibi non impertita sit vel natura, vel fortuna. Ampla, & præclara de Te prædicantur, & expectantur omnia; Egregia indoles, excellens ingenium, liberalitas, & munificentia plane regia, mira quædam ad omnia recte facta voluntas, & propensio, singularis, & incredibilis humanitas, qua complecteris omnes præsertim eos, qui non a majorum vel gloria vel fortuna sed ab una sua tantum virtute commendantur; Genus præterea opibus, imperio, regiis affinitatibus, rerum domi bellique gestarum magnitudine in omni ferme Europa nobilissimum; Majores omni virtutum genere, præsertim militari gloria clarissimi; Nullum in Italia per tot secula gestum est bellum, ubi Tui non præfuerint Imperatores, quibus semper Ecclesiæ defendendæ, tuendæque una, & præcipua cura fuit. Nulla in Europa regio est tam remota, & deserta, quæ non sit Tuorum victoriis, & hostium cladibus celebrata. Auctum perpetuo amplificatumque a Nepotibus posterisque domesticum gloriæ patrimonium, quibus nihil fuit antiquius, quam ut suis Avita, et Paterna decora cumularent. Tota Italia Tuorum monumentis referta, et ornata est; Exstant multa præclarissima etiam Venetiis; In primis NICOLAI URSINI, *qui cæteros suæ ætatis Imperatores excelluit, propter egregiam Reipublicæ navatam operam ex S.C.*

inau-

inaurata equestris Statua in loco Urbis celeberrimo conspicitur, cujus visendæ, spectandæque causa videmus quotidie D.D. *Joannis, & Pauli ædem magno civium, & peregrinorum studio frequentari. Multi mihi commemorandi essent, quorum alios clarissima Imperia, alios Sanctitas, & innocentia, alios in utraque fortuna animi magnitudo, & constantia, alios alia recte facta celebrarunt, si vel hujus epistolæ brevitas, vel tua modestia pateretur. Quinque vero, quibus a* Deo Optimo *Maximo Ecclesiæ universæ regendæ procurandæque cura commissa est tacitus nullo modo præterire possum.* S. STEPHANUS I. *maximum & immortale cum generis tui, tum totius Ecclesiæ decus atque ornamentum, Christi fidem, quam vivens adversus Episcopos Africanos doctrina & constantia defenderat, moriens præclarissimo Martyrio confirmavit:* STEPHANO II. *cujus consilio atque auspiciis Longobardorum, qui excidium Urbi, atque Italiæ minabantur, opes, Gallorum auxilio, fractæ profligatæque sunt, successit* S. PAULUS I. *frater, quod nulli unquam contigisse meminimus, qui* STEPHANO I. *non impar pietate atque innocentia, parem cum eo post mortem cultum atque gloriam assecutus est.* NICOLAUS III. *&* BENEDICTUS XIII. *pari cum laude commemorandi mihi sunt, quorum alter ab omni laude, præsertim pietate, & constantia commendatissimus, recepta Flaminia, adversus Gallos, & Germanos Italiæ libertatem, & Pontificia jura acerrime propugnavit; alter vero tanta fuit innocentia, & integritate, ut veterum omnium Pontificum, quorum gesta, Ecclesiasticos Annales perlegentes, tantopere admirabamur,*

vir-

virtutes omnes in se uno praeseferret. Quis unquam Ecclesiae dies pulchrior, & illustrior illuxit eo die, quo Patruus Tuus omnibus suffragiis Pontifex Maximus renuntiatus, statim tantam de sua sapientia, & probitate apud omnes existimationem excitavit, ut ab remotissimis Europae partibus omnes gentes excitae, ejus videndi, colendique studio Romam convenirent, sibique pollicerentur, fore, ut eos, qui a Romana Fide defecerant, tanti Viri sanctitate commotos erroris sui aliquando poeniteret? Verum nescio quo fato misero, & luctuoso Reipublicae Christianae factum sit, ut citius, quam bonorum omnium vota, & Ecclesiae tempora postularent, is, qui immortalitate dignissimus erat, immatura morte eriperetur. Magno Tibi Nepotibus posterisque tuis tanti Viri imago prae caeteris omnibus, quibus referta, & ornata Tua domus est, futura erit & exemplo, & ornamento. Domi habes multos quos imitere; omnes ex rebus gestis insignes, & noti sunt, alii alia gloria claruere; Verum ab hoc uno omnium virtutum exempla omnia petere potes; nullum autem novo vitae tuae instituto, ac dignitati, qua Te peradolescentem nihil tale non modo expetentem, sed ne cogitantem quidem, divino quodam consilio BENEDICTUS XIV. *Pontifex omnium quos vidimus, aut meminimus, Maximus, ac Sapientissimus, in Sacro Cardinalium Collegio, singulari, & honorificentissima laudum tuarum commemoratione omnibus ordinibus, praesertim bonis gratulantibus, honestavit, exemplar accomodatius esse potest. Recens etiam est tanti Viri memoria; exstant adhuc impressa vestigia; ampla ad immortalitatem, & gloriam Tibi patet via, qua si perrexeris, ut coepisti, eadem Te praemia consequentur. Vale.*

BLA-



BLASIUS UGOLINUS LECTORI.

QUantum ex his Opuſculis, quæ tertio hoc volumine continentur, *Sacræ Scripturæ lucis afferatur*, qui ea legent, facillime cognoſcent. Quamplurima cum Veteris tum Novi Teſtamenti loca, quæ reliquis Interpretibus δυσνόητα & ἄπορα viſa ſunt, incredibili quadam luce illuſtrantur. Quæ ſit eorum vel præſtantia, vel utilitas, ne actum agere videamur, clariſſime conſtabit ex præfationibus, quæ ſingulis Opuſculis præmittuntur. Quartum complectetur reliquos Scriptores, qui Antiquitates Sacras generaliter illuſtrarunt, quibus abſolutis in Quinto, ut Operis diſtributionis, quam in Prodromo propoſuimus, ratio habeatur, Geographiam Sacram edere aggrediemur; hanc octo vel novem Volumina conſequentur, quæ Templum, & ea, quæ in Templo vel continebantur, vel peragebantur, mirum in modum illuſtrabunt. Hæc reliquis omnibus rerum utilitate & dignitate præſtabunt. Præterea plæraque opuſcula, quæ hiſce Tomis comprehendentur, vel inedita ſunt (multa enim ex multis Europæ civitatibus tranſmiſſa nobis ſunt, plura etiam exſpectamus) vel nunc primum ex Hebraico latine reddita ſunt, & notis perpetuis philologicis illuſtrata. In quibus excellent præ cæteris, antiquiſſima Philologiæ ſacræ promtuaria *Mekiltha*, *Siphra*, *Siphri*, *Peſiktha*, duo & triginta *Additamentorum* tractatus, præter eos, qui in reliquis Tomis edentur; quibus accedent celeberrimi *Maimonidis* (ut prætercam hoc loco cæteros, quos in Prodromo commemoravi) duo & triginta tractatus, quorum duodecim una cum tribus *Abrahami ben David* de Templo, de veſtitu Sacerdotum, & de Muſica Hebræorum eruditiſſimis diſſertationibus, nunc primum latina civitate, & commentariis perpetuis adornati ſunt, viginti qui reliqui ſunt, perpetuis notis illuſtravimus. In primis vero maximum & incredibile decus & ornamen-

mentum hisce voluminibus comparabunt auspicia Summi Viri, qui non minus dignitate & autoritate, quam sapientia & sanctitate reliquos mortales omnes antecellit.

Ad calcem hujus Tomi, summorum Virorum studio, & consilio adducti, ut lectorum commodo, atque utilitati consuleretur, Opusculorum, quæ in illo continentur, Capitum catalogum tibi damus, rerum, & S. Scripturæ indicem in ultimo volumine amplissimum edituri, eo loci etiam errata, quæ Typographorum incuria in hæc opuscula irrepsere, emendata deprehendes.

INDEX

Operum, quæ in hoc tertio volumine continentur.





THOMÆ GOODWINI
MOSES ET AARON
CUM NOTIS
JOH. HENR. HOTTINGERI.

CULTORIBUS PHILOLOGIÆ

VERAM SAPIENTIAM AC PRUDENTEM LINGUARUM USUM APPRECATUR.

JOH. HENR. HOTTINGERUS.

ITeratam hanc rituum Hebraicorum, quos olim Thomas Goodwinus conſcripſerat, editionem publicans conſultum ac utile arbitrabar quædam de genuina Philologiæ natura ac uſu præfari.

Quemadmodum cuncta, quorum indoles ac uſus perſpectus non eſt, imprudentibus varia damna adferunt, ſic quoque cum linguarum cultura comparatum. Atque tum maxime, ſi Linguarum Magiſtri expertes veræ Sapientiæ ſed lucri & gloriæ cupidi diſcipulis ſuis, qui ea ætate, qua vulgo Philologiam tractant, judicio ad prudenter diſcernendum nondum pollent, Linguarum notitiam tanquam verum & ſolidum bonum commendant inculcantque, quæ tamen, quantacunque ſit, nonniſi ὄργανον ad ſapientiam eſt.

Exiſtimo igitur probe naturam veræ Sapientiæ cognoſcendam atque ſollicite diſtinguendam eſſe a mediis quæ prudenter adhibita ad illam confirmandam, augendam, exornandam faciunt. Conſiſtit autem vera Sapientia in cognitione ſui ipſius, DEI, proximi, ut & officiorum; quæ quis ſibi, DEO ac proximo debet. Qui vere ſapit, cognoſcit ſe nihil eſſe, ſe ex vitioſa natura ſua nonniſi diligere ac æſti-

æſtimare ſe ipſum, carnalia, voluptates, divitias, faſtum, quæ tamen ex innata vi hominem magis ac magis corrumpunt & in barathrum perpetuæ miſeriæ detrudunt : Colligit hinc officium ſuum eſſe hanc naturalem corruptionem curate obſervare, tollere, eradicare : Novit dein malum hoc tum innatum tum propriis actibus auctum longe gravius eſſe, quam ut vel propria diligentia vel cura cujuſdam creaturæ ſanari queat : Novit porro illum ſolum, cui vitam ſuam & omnia debet, & poſſe & velle gratioſum auxilium adferre, miſerum ſuum ſtatum in felicem, morbum in ſanitatem, mortem in vitam commutare. Nihil perinde itaque deſiderat quam in hujus cognitione, amore, ſervitio accreſcere. Id omne, quod impedit felicem hanc notitiam, amorem ac ſervitium, faſtidit ac deteſtatur : Novit denique creaturas alias, proximum maxime, opera DEI ſui eſſe : Intuetur illa tanquam ſpeculum perfectionum divinarum, amat, veneratur, aliaque exhibet officia, quæ a ſe jure poſci arbitratur. Hæc eſt ſapientia vera, cœleſtis, divina, caſta, pacifica, æqua, morigera, plena miſericordia & bonis fructibus, ſine diſceptatione ac hypocriſi, Sapientia, quæ ſola Sapientia dici meretur. Cum qua alia nulla collatione digna eſt. Alia omnis, ſtupenda licet, abſque hac, nonniſi infelix ſtultitia eſt.

Ais in confeſſo eſſe veram cognitionem memoratis partibus comprehendi : Non tamen obſtare, quo minus Sapientiæ ſtudioſi varias ſcientias ac artes tractent excolantque tum ob alios uſus tum & quam maxime, ut illa DEI notitia pleniori & ſolidiori ratione & diſcatur & etiam aliis tradatur. Recte : Idem tecum ſentio. Sed cavendum eſt, ne ore tantum veram Sapientiam in allatis conſiſtere aſſeramus : Ipſo vero opere declaremus mentem noſtram eam nec noſſe, nec æſtimare, nec cupere. Si integro corde fatemur nos pro ſummo felicitatis noſtræ ſcopo habere Sanctam DEI ac rerum divinarum notitiam, tum cogitata, deſideria, ac conatus noſtri ad iſtam collimabunt. Sin, patet quam clariſſime inania ac mendacia verba eſſe, quæ prætexi ſolent. Innatum nobis æque ac in rei natura fundatum illud eſt, ut, quod ſummo loco habemus, mente noſtra ſæpius volvamus, perpendamus, expetamus, atque ſi illud in poteſtate noſtra vel nondum eſt vel nonniſi ex parte impetremus aut impetratum cuſtodiamus eoque fruamur. Solemus quoque mediis ad præſtans bonum conſequendum, conſervandum, perficiendum uti. Sed nonniſi ſtultus aut omne aut maximum tempus in mediis cognoſcendis, dijudicandis, comparandis, cumulandis collocat, ſeque ipſo præſtanti bono privat : Quis non rideret artificem per plures annos inſtrumenta plurima, varia, artificioſa, pretioſa, imo inutilia, noxia, conquirentem?

Mediorum, quæ cultoribus cœleſtis Sapientiæ uſum præſtant, longe maximus numerus eſt. Qnando enim Gratioſiſſimo Numini nihil magis volupe, quam ut mentes noſtræ cœleſti lumine colluſtrarentur, media ordinavit plurima. Quo vero multi-

variæ

variæ Sapientiæ ac bonitatis luculentissima argumenta ederet ipse Sapientiæ fons, mire illa distinxit. Non ætas, non ordo hominum aut genus vitæ, cui non peculiariter prospexerit Numen. Gradu quoque differunt. Sunt necessaria alia, alia utilia & hæc rursum variant.

Ex utilibus non ultimum locum tenet Philologia. Duplex enim notatur Linguarum usus, unus ad investigandum, alter ad communicandum. Quibusdam Linguis uterque, aliis vel primus, vel secundus tantum usus competit. Qui enim peregrinas Linguas callent, illi monumenta, quæ Linguis illis conscripta prostant de rebus divinis, legere atque in proprium usum convertere queunt. Nequeunt rudes & ignari. In quacunque vero lingua potiora scripta nobis tradita sunt, ejus notitia tanto utilior est. Quæ vero Linguæ usu adhuc receptæ sunt, iis proximo voluntatem divinam manifestare valemus. Mortuarum vero, ut vocant, Linguarum nullus aut minus notabilis ad communicandum usus existit. Vel quis erit insignis Hebraicæ aut Græcæ concionis in informando usus?

Habent tamen memoratæ hæ Linguæ præ omnibus aliis, quod iis regulæ ac præcepta divinæ Sapientiæ exarata sint. Atque hæc est ratio, quod Linguarum Originalium notitia aliis quibusvis anteferenda atque rite exculta perutilis sit veræ & salutari cognitioni inculcandæ augendæque. Sunt quidem nobis versiones, nulla tamen fonti accomparanda. Aliæ magis, aliæ minus a textu Originali recedunt. Imo nec exspectanda, quæ vim & ἔμφασιν plene exprimat. Habet enim unaquæque Lingua ea, quæ in alias transfundi nequeunt aut ægre, Hebraica maxime ob frequentes allusiones, ellipses, tot alia, quæ illam difficilem reddunt. Hinc quam in diversa imo opposita aliquando Interpretes abeunt.

Usus ergo, quem Linguæ in Theologia præstant, concernit investigationem & communicationem veritatum divinarum, Christianarum. Qui igitur Linguas vel docent, vel discunt, hunc semper scopum præfixum tenere atque ad eum labores suos referre debent. Qui hunc scopum non habent neque ad eum contendunt, illi imprudenter tempus, quo nihil pretiosius, perdunt.

Tum vero veritates divinæ investigari queunt, si Linguæ, quibus illæ conscriptæ sunt, ita intelliguntur ut significatus, ἔμφασις, constructio verborum cognoscatur. His enim tanquam cortice veritas continetur.

Quare allaborandum est, ut primo constet verborum significatus; neutiquam hic sufficit nosse hanc vel illam notionem voci a *Buxtorfio*, *Leusdenio*, *Pasore* &c. tribui. Quamquam, qui ad ductum Lexici in vocibus transferendis exercitati sunt, & sibi & aliis videantur lingarum Magistri, qui tamen non multum differunt ab illis, qui nec literas no-

runt. Uti enim hi verba hebraica transferunt ex mente Translatoris, ita illi ex judicio Lexicographi. Uterque nullam rationem ſignificatus ſui novit. Unus provocat ad auctoritatem, veluti *Lutheri*, *Junii*, *Schmidii*. Alter pro ſe citat Lexicographum.

Fruſtra dices : Hic tamen hebraica legere, reſolvere novit. Quid tum? Quid ſi diſſentiunt *Buxtorfius*, *Coccejus* aliique uti haud ſemel diſſentiunt? Qua nunc ratione ſcit, uter vera dicat? Itaque ſolidior linguarum notitia poſcit fundamenta ſignificatus. Hæc v. communiter negliguntur. Reperies qui per plures annos Linguas excoluerunt quique excellere habentur, qui tamen rationem ſignificatus præter Auctoritatem, quæ tamen neutiquam ſufficit, reddere nequeunt.

Multum dein juvat ſignificatum primitivum a derivativis diſcernere, hos ex illo deducere atque naturali ordine inter ſe collocare. Quamquam plures ſignificatus tantopere a ſe invicem diſcrepent, ut nonniſi coacte unum ex altero derives.

Juvat porro emphaticas voces probe explicare : Quæ ſcilicet ſingularem vim in ſe continent reſpiciuntque ad naturam vel Typum vel actionem vel tale quid. Cognita enim hac ἐμφάσει res ipſa, quæ voce illa inſignitur, lucem accipit.

A conſtructionibus ſenſus quoque dependet : ſunt autem illæ ſubinde involutæ ſatis ac intellectu difficiles. Merentur igitur ſtudio notari, ut ſenſum fundant perſpicuum.

Significatus, ἐμφάσεις, conſtructiones, quas ad veritatem indagandum cognoſcendas eſſe diximus, prærequirere Grammaticæ notitiam, id quam evidentiſſimum eſt. Prudenter is & utiliter agit, qui neceſſarias Grammaticæ partes, quæ vero paucis includi poſſunt, expedite novit, ne alioquin frequentiori hæſitatione faſtidium excitet. Plurima alia, quæ ad Grammaticam referuntur, ex diligentiori librorum lectione rectius & abſque tanto temporis diſpendio diſcet, quam ſi peculiari labore ea ſibi nota reddere contendet.

Scopum veritatis cognoſcendæ fructuoſe aſſequetur is, qui non ſolum libros in Linguis, quas addiſcere conſtituit, legit ſed tales eligit, qui ſtylo claro, ſimplici atque efficaci, vera, ſancta tradiderunt. Dum enim unum laborem agit, duplicem fert fructum & diſcit Linguam ad veritatem inveniendum & veritatem ſimul invenit. Si vero etiam divini libri obſcuriori atque intricatiori ſtylo ſcripti ſunt, uti ſunt, ſapienter horum lectionem illorum poſtponit.

Quæ Linguæ ad inveſtigandum ſimul ac communicandum cum aliis tractantur, illæ majorem culturam poſcunt. Longe plus requiritur ad cogitata ſua ſive ore ſive ſcripto feliciter exprimendum quam quæ alius reliquit ſive effatur, intelligendum, ſicuti experientia abunde probat. Prout allata ſummatim & breviter docent ſtudium Linguarum rite tractatum & ad ſcopum ſuum accommodatum in Theologia addiſcenda ac tradenda commodum eſſe, ita adferenda docebunt abuſum Philologiæ & varium & magnum.

Et primo quidem abſque ratione in Linguis vera eruditio ac ſapien-

pientia quæritur. Brianus Waltonus de Linguis, ſi quis, optime meritus ſcribit: *Sciendum eſt Linguarum peritiam januam quidem eſſe ad rerum doctrinam adipiſcendum: at rerum ipſarum cognitionem illud eſſe, quod viros vere doctos reddit (Linguæ enim putamina ſunt, nucleus vero eſt ipſa rerum cognitio) nec linguas propter ſe ſed propter aliud addiſcimus. Qui vero in Linguis hærent, ſimiles ſunt illis, qui in porticu ſubſiſtunt, in domum non intrant neque ejus penetralia vident. Unde inter ſciolos Grammaticos Criticos numerari poſſunt, in doctorum albo poni vix merentur.* Hujus viri auctoritas tanto magis valet, eo quod magnus Philologiæ Patronus fuerit. Cujus hinc verba non pravo affectui aut inſcitiæ adſcribenda ſunt. Æquum non niſi pretium, quod viri ſapientis eſt, Linguis ponit, non vero inaniter extollit ſupra exiſtimationem, quæ iis debetur.

Et certe unuſquiſque ſive ad naturam Linguarum ſive etiam plures homines πολυγλώττυς curatius attendat, rem ita ſe habere clariſſime cognoſcet. Vel quid eſt Lingua? Conſtat plurimis iiſque variis ſignis ſive in aere formatis ſive in charta depictis ad aliquid ſignificandum. An ergo ſapiens habendus, qui certos ſonos, picturas formare novit? Qui novit, quo ſono Orientales vel Occidentales vel Septentrionales *Deum*, *hominem*, *terram*, *mundum &c.* indicant. Qui vel notam cœli, aeris, aquæ &c. in charta pingere vel ab alio pictam legere ſcit, ille nondum novit, quid *Deus*, *Chriſtus*, *Religio*, *Chriſtianus* ſit, qui vocabula hæc papyro inſcribit ac bene inter ſe componit. Si Linguarum notitia cum rerum cognitione neceſſario conjuncta eſſet, ſequeretur illum, qui Linguas calleret, eo ipſo ſapientem, imo quo quis plures Linguas novit, etiam ſapientiorem eſſe, quod vero experientiæ adverſatur. Invenies homines, qui vix vernaculam docte loquuntur, qui tamen viros laude variarum Linguarum inclytos vera ſapientia longe ſuperant: Hi quippe vivam Dei & legum Chriſtianarum notitiam in mente non tenent, invidi, contentioſi, crudeles vivunt, cum barbaris linguis barbaros mores didicerunt.

Atque hoc non minus valet de Linguis Orientalibus quam de cæteris. Illæ hac in parte ab his non differunt. Eadem Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ natura eſt, quæ Latinæ, Hiſpanicæ aut alius cujuſvis. Quot infideles, ſcelerati Judæi ac Gentiles, Hebraice ac Græce optime edocti erant? Si in linguis his ſapientia conſiſtit, Chriſtianis ſapientiores habendi. Nulli ex nobis aut pauciſſimi ad Judæorum, Gentilium notitiam in linguis memoratis accedunt. Opprobrium vero Chriſtianis cauſaretur maximum, qui ſtolidas gentes ſapienti præponeret.

Quod ſecundo notamus, in linguis non ſolum ſapientia ponenda non eſt ſed ne quidem neceſſariæ ſunt ad ſapientiam adipiſcendum: vel an nulli ſapientes niſi linguarum periti? Cœtuum Chriſtianorum maxima pars ex inſipientibus conſtaret. Si vero & alii ſapientes, linguarum notitia ad ſapientiam haud neceſſario requiritur.

tur. Quis ignorat plures primitivæ Eccleſiæ Patres, atque alios ſapientia Theologica inclytos viros, Scholarum & Eccleſiarum Rectores fontem Originalem Hebraicum vel prorſus non, vel tantum obiter intellexiſſe. Horum tamen ſcripta magnifacimus, admiramur atque illos fidei noſtræ ſtrenuos ac ſapientes propugnatores ducimus. Sapientia eſt lux mentis humanæ circa res divinas accenſa a Spiritu Sancto, qui quidem mentem mediantibus linguis colluſtrare ſubinde ſolet ſed & ſine illis.

Si qui linguas veritatum divinarum inveſtigandarum illuſtrandarumve cauſa colunt, uti ſtudioſi communiter hunc ſcopum præfixum habent, aut ſaltem ſibi præfixum eſſe affirmant, illi imprudenter diffuſis Grammaticæ præceptis aliiſque ad metam non ducentibus Criticis obſervationibus ac tricis detinentur. Quamquam enim hæc viros, qui linguas ex profeſſo, docent non dedeceant, non tamen horum & ſtudioſorum par ratio. Non enim hi conſtituerunt ſuccedente tempore linguas profiteri. Coſtituunt nonniſi ſcripturam ex fontibus exponere. Qui vero prudenter agunt, reſpiciunt finem: Et licet unum alterumve commodum ex prolixiori ejuſmodi tractatione forſan deduci queat, commodum tamen dicendum non eſt, ſi confertur cum detrimento, quod exinde oritur. Is enim tantum tempus prudentiori & ad ſcopum ſuum propius relatæ inſtitutioni dediſſet, longe plus utilitatis in illum redundaſſet. Is non lucratur qui poſt longum tempus ac moleſtam defatigationem unciam auri ex abditis montium latibulis effodit, qui interea duas aut plures libras faciliori ratione acquirere potuiſſet.

Quod ſtudium linguarum Originalium quibuſdam nauſeæ ſit, non miror. Multum quippe temporis illi inſumi ſolet, abſque tamen notabili uſu ad ſcripturam explicandum. Cœtibus præfecti reperiunt obſervationes illas & ſibi & populo ad res divinas cognoſcendum inutiles eſſe. At in eo errant, quod uſum linguarum in Grammatica talique κρίσει quærant, quem in vocum ſignificatione, ἐμφάσει, conſtructione quærere deberent. Sed illi ultra Grammaticam non aſſurrexerunt. Latinam aut Gallicam linguam non habetur noſſe is, qui ſemel ac iterum declinationes, conjugationes percurrit, aut etiam memoriæ impreſſit. Hi fructum nondum capient ex libris Latinis aut Gallicis. Par ratio Linguæ Hebraicæ aut Græcæ.

Fucus eſt, qui imperitis imponit, ac fruſtraneus labor ejuſmodi notitia linguarum Originalium, id quod plurium Candidatorum examina abunde comprobant. Tales non differunt ab illis, qui linguarum prorſus rudes ſunt. Nequeunt enim ipſi judicare de vocis notione. Fidem habere coguntur cœcam, quam qui literarum ductus diſtinguere haud ſciunt. Quare vel juvenes linguis eam operam collocent ut in ſenſum ſcripturæ cum ratione inquirere, eumque a falſo diſcernere valeant, vel tempus quod præceptis ad ſcopum non ducentibus ſubſecutura oblivione ſepeliendis dant, utiliter impendant alii ſcripturæ explicandæ medio cum tanto majori fructu adhibendo.

Præ-

Præſtat unum duove inſtrumenta docta ac promta manu ad opus perficiendum tractare quam decem aut viginti poſſidere nec illis ad ſcopum uti poſſe. Valet alias: *In omnibus* aut pluribus *aliquid*, *in toto nihil*. Eſſet itaque in juvenibus ad Philologiam ducendis ratio ingenii, occaſionis, temporis, aliarum circumſtantiarum habenda ut, quod incipiunt, etiam fructuoſe perficere queant. Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.

Quem linguarum diſcendarum abuſum ultimo notamus, ille non ſolum imprudens & inutilis ſed & ſumme noxius, impius eſt, legere ſc. & explicare Auctores obſcœnos, patronos nefandorum ſcelerum, illorum maxime, a quibus juventus natura ſua in voluptates proclivis omni ratione abſtrahenda eſſet. Supra diximus Philologiæ ſcopum eſſe tum veritates inveſtigare tum etiam aliis communicare, abſque ratione ergo ejuſmodi libri leguntur. Fruſtra quæris veritates in ſcriptis, quæ impuro mendaciorum ſpiritu conſcripta ſunt: Quæ etiam unice comparata ſunt ad regnum Satanæ adſtruendum, amplificandum, Chriſti vero deſtruendum. Inſtas. Attamen ejuſmodi libris vera inſunt: Etiam Diabolus mendaciorum fons vera interſpergit, ut falſa tanto magis filiis ſuis placeant. Anne ſumeres cibum venenatum, mixtum tamen cum pane? Pariter non reperis, quod aliis ad ædificationem communices. Imo pudor vetat coram honeſtis auribus ſpurcos ejuſmodi ſermones ſerere. Alius eorum non uſus quam in lupanaribus. Paulus ait: *Pravi ſermones corrumpunt bonos mores*, multo magis laſcivi libri cura lecti ac expoſiti, ut imum cordis inficiant perdantque. Salomo ſapientia cœleſti tinctus ſtudioſos ſapientiæ multoties a quibuſvis libidinum irritamentis dehortatur, ſi aliter caſtam & pudicam σοφίαν mente tenere cupiunt. Tu vero præ te fers ſtudium divinæ ſapientiæ & nihilominus oculos aureſque ad fallacem ſtultitiam convertis. Primi Chriſtiani qui juſtum rebus pretium poſuerunt & ingens diſcrimen vaniloquentiam inter & ſapientiam Evangelicam perſpexerunt, gentilium libris publicis in conciliis interdixerunt. Origenem non pudet publice fateri. Juventutem ἀποτρέπομεν διδασκάλων διδασκόντων τὰ ἄσεμνα τῆς κωμῳδίας καὶ τοὺς ἀκολάστους τῶν ἰάμβων καὶ ὅσα ἄλλα ἃ μήτε τὸν λέγοντα ἐπιστρέφει μήτε τοὺς ἀκούοντας ὠφελεῖ; *avertimus a docentibus turpes comœdias ac libidinoſos jambos & quæcunque alia, quæ nec doctorem meliorem reddunt nec auditoribus proſunt*. Orig. adv. Celſum l. III. p. 146. edit. Cantabr.

Si qui tractationi ejuſmodi librorum patrocinantur aut obſtetricantur, illi certiſſime profanæ ac libidinoſæ mentis argumenta honeſtis quibuſvis dant, impediuntque quominus caſta ſapientia eos informare queat. Et quid eſt quod aliquantillum tale ſtudium excuſet? An ſpes linguæ addiſcendæ? Annon illa aliunde addiſci poteſt? An nulli probati Auctores ſive Gentiles ſive Chriſtiani proſtant? Præſtaret ne vernaculam quidem noſſe quam linguam aut quædam ejus verba, quæ iram Dei provocant. *Nemo vos ſeducat vanis ſermonibus*, quales ſunt, acquiri hac ratione magnam linguæ noti-

notitiam, æſtimatum haberi, qui difficiliores illos Auctores perlegit &c. *Propter hæc venit ira Dei ſuper filios inobedientiæ* Eph. V. ỳ. 6. Conf. ỳ. 4. & C. IV. 29. Vel an ſcopus eſt vitiorum, quæ vivide depinguntur, enormitatem monſtrare? Quotuſquiſque eſt qui talem animum habet? Vanus nonniſi prætextus, excogitatus ut ſub ſpecie honeſti turpiſſimum ſtudium venditetur. Si mentem haberent vel leviter pudicitiæ ſtudioſam, ementitum hunc ſcopum prætexere erubeſcerent.

Habes hic, Benevole Lector, mea de linguis earumque uſu & abuſu cogitata. Si, quæ antecedunt æqua mente perpendiſti, polliceor mihi te quidem animum erga abuſum hoſtilem, de uſu vero recte judicantem deprehendiſſe. Prout vero is, qui viam pro meta nondum habet & devium iter devium vocat monetque viatores, neutiquam culpandus mihi videtur, ita quoniam nunc publice, antea ſæpius privatim, ſimile tentavi, me, quod officii ratio poſtulat, dixiſſe arbitror. Philologiam non habeo pro vera ſapientia, nec etiam pro medio ad ſapientiam neceſſario, ne ſapientum numero tot vere ſapientes, magna quoque Eccleſiæ lumina excludere cogar, habeo tamen pro utili, ſi alias recte & prudenter colitur; Ita vero colitur ſi ſignificatus eorumque fundamenta, ἐμφάσεις, conſtructiones, præmiſſa generali & fundamentali Grammatices notitia addiſcuntur atque ad ſcripturam explicandum transferuntur. Perdit vero futurus Eccleſiæ Miniſter tempus, quod inutilibus ac incertis Grammaticæ tricis, curioſis magis quam utilibus obſervationibus inſumit. Nullum habet verum uſum, ſi, quam tenet, linguarum cognitio ultra Grammaticam vel etiam lectionem, analyſin non aſſurgit & longe plus amittit is, qui in laſcivo ac vano Auctore verba laſciva vanaque diſcit, ſed & mentem laſcivam vanamque reddit. Infelices illi Magiſtri, qui teneram juventutem ſacris ſermonibus Deo conſecrandam in honorem Priapi educant, conſtituuntque obſcœna mancipia. Quod olim ſcandalum Bileamus filiis Iſrael poſuit, id ponunt libidinoſi linguarum Antiſtites infelicibus diſcipulis qui ינזרו לבשת *Naſiræi pudendi* Hoſ. IX. 10. fiunt quum deberent נזירים *Naſiræi* Sancti Dei eſſe ac meditari in ſancta lege. Finio cum verbis Pauli. *Si linguis hominum loquar ac Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æs reſonans aut Cymbalum tinniens:*

PRÆ-



PRÆFATIO

Primæ editioni præmissa.

NOVA facie prodeunt Doctissimi Angli Thomæ Goodwini ritus Hebræorum. In quibus quis labor noster fuerit & quare illum susceperimus, paucis perdocendus es, Benevole Lector.

Ante breve tempus nihil minus cogitabam, quam animadversiones meas in prænominatum Auctorem publicare. Sufficere putabam, si quæ circa hanc materiam notavi, in horis privatis monere atque hoc tanto magis, quanto accrescentibus publicis laboribus tempori parcendum noveram. Verum ex quo Domicus Van-Sanden, Bibliopola diligens, novam Editionem secum constituisse non tantum indicabat sed & ejus curam mihi sollicite committebat, petito honestissimo varias ob causas tandem cessi. Præcipuam solum memoro: Jam a tribus annis vix unum alterumve exemplar in usum Auditorum meorum venale exponebatur: Hæc vero penuria magnum laboribus meis & profectui amantissimorum Commilitonum detrimentum adferebat. Arbitrabar itaque, nec sine ratione, omnem molestiam publico commodo, cui inservire muneris ratio jubet, longe postponendam esse.

Postquam autem laborem meum huic Opusculo addixeram, tum proprio tum amicorum consilio loco notarum, quas prioribus Editionibus Doctissimus Reizius adjecit, meas adjiciendas putavi. Norunt illi, quorum institutioni alii committuntur, quanta utilitas sit Auditores suos secundum propria cogitata ducere atque erudire. Diversa quoque a me methodo usus est Vir Reverendus, nam, ut videtur, destitutus libris, in quibus fontes Antiquitatum pure fluunt, atque notitia Talmudica, Rabbinica, observationes alias dare non poterat, quam quas apud Coccejum, Seldenum, Wagenseilium &c. repererat atque ex iis collegerat. At meum propositum est Antiquitates ex antiquis monumentis protrahere, & eo, qui me audiunt, pro viribus manu ducere. Quem in finem fontes semper (si pauca exceperis loca) inspexi, ipsa verba Originalia (nisi testimonia paulo prolixiora fuerint) adposui: Hac enim ratione prodesse volui exercitatis atque etiam minus exercitatis; Illis, ut dicti veritatem ex testimonio certius cernerent; His vero, ut sensim ad Scripta Judaica legenda se assuefacerent. Sane fateor me non posse istud scribendi genus probare, quod his nostris diebus oppido pluribus in usu, conscribere scil. Systemata de iis rebus, quas quis nonnisi alienis oculis intelligere atque dijudicare valet. Prolixus dein subinde est idem Vir Doctus in sensu rituum spirituali ex Coccejo, Burmanno, Momma aliisque Celeberrimis Theologis docendo. Quod ejus institutum minime improbo: Imo δήλωσιν πνευματικὴν rituum Sacrorum quasi animam esse persuasissimus sum. Sed hujus laboris mei alius omnino scopus erat & eo unice observationes meas direxi, ut sensum literalem & historicum docerent atque argumentis probarent. Hoc enim vere cognito tutiori pede ad alterum progredi licet. At prorsus non cognito aut confuse vel falso, sensus Mysticus non potest non vitio aliquo laborare. Ritus sacri enim σκιά sunt. Qua autem ratione ex pictura personam dignoscam, si lineamenta illam non referant? Dabit aliquando DEUS, quod rogamus, otium & vires, ut finem legis, qui Christus est, his præmissis clarius & certius cognoscamus.

Noli putare, quisquis es Lector, hæc eum in finem a nobis dici ut Clarissimo Reizio aut ejus in Goodwinum annotationibus quidquam derogemus. Hisce nos non delectamur. Illo vel me, prout commodius tibi visum, utere, aut, si vacat, utrumque conjunge; Reperies quædam in illo, quæ in me præterita; Alia in mea editione, quæ ille omisit; Alibi libere, sed cum ratione, dissentio; Et ubi convenimus, deprehendes alium probandi modum, quam quem ille secutus est.

Quod vero in priori Editionis nostræ parte subinde prænominati Reizii verba dedimus, causa non alia, quam quod putaveramus librum, qui tamdiu frustra desiderabatur, de novo non ultra cusum iri. Quamprimum autem præter omnem spem de mustea Bremensi editione monebamur, ne verbo quidem illam attigimus. Imo non leviter adficiebamur, quandoquidem alii eique magis necessario labori manus nostras admovere potuissemus, sed telam, quæ ad medium ferme perducta erat, abrumpere non licuit.

Cæterum circa Auctorem nostrum ita versati sumus, ut quæ brevius aut obscurius dixit, prolixius deduxerimus aut illustraverimus. Ea, quæ Auctoritate Historica carebant, testimoniis fide dignis munire contendimus. Plura quoque emendavimus, non contradicendi studio, sed solo veritatis amore, quod argumenta, quæ pro nobis allegavimus, abunde testabuntur. Nec tamen omnia, quæ in Auctore displicent, mutavimus.

Quum vero multa eaque & egregia Antiquitatum Judaicarum themata in systemate Goodwiniano desint, nonnulla addidimus. Plura addidissemus, si libri crassescentis, temporis & concatenatorum laborum ratio permisisset. Quæ de sacrificiis, festis, precibus, jejuniis &c. affecta possidemus, ea alia occasione σὺν θεῷ perficiemus. Ex thematibus, quæ huic Editioni addidimus, primum Introductio ad studium Antiquitatum Judaicarum, ut ratio & modus hanc Litteraturam excolendi ὡς ἐν τύπῳ constaret. Alterum Theocratia Israelis a Mose præsertim usque ad Saulem: Minime conveniens enim esset de Judæorum Republica differere, illam autem regendi formam omittere, qua omnem aliam gentem, liberrimam quamque, Judaica longe excellebat. Tertium * Geographia Terræ Canaan: Nam plura in Antiquitatibus sacris, quæ sine Palæstinæ Geographia recte intelligi nequeunt. Ita præter Josephum etiam Bochartum, Ligtfootum, Cellarium secutus sum, ut salva illorum Auctoritate novam aliquando ingressus fuerim in terra Canaan viam. Quartum describit Tabernaculum ejusque atria & vasa. Quintum Hierosolymam & montes circumjacentes, loca ob frequentem apparitionem Dei & cultum sacrum celebratissima. Sextum init numerum, sed breviter, annorum a mundo condito ad obitum Salvatoris nostri: Multum enim ad Historiam Judaicam distincte intelligendam facit notitia temporis.

Quando non omnia ad gustum tuum, B. L. accommodata, scito hoc nemini aut paucissimis datum esse; Maxime in Antiquitatibus, quæ de rebus vulgo ignotis & ipsa vetustate varie involutis agunt. Labores publici, qui me huic Opusculo intentum ex improviso obruerunt, permultum temporis, quod alioquin castigatiori Editioni impendendum fuisset, sibi vindicarunt. Vale & fave.

* Hanc Dissertationem inter Tractatus Geographicos suo loco edendam curabimus.



PRÆ-



PRÆFATIO
HERMANI WITSII
EDITIONI BELGICÆ PRÆMISSA
Lectori Benevolo
S.

QUantum emolumenti Hebraicarum Antiquitatum *peritia ad intelligendas utriusque Testamenti tabulas adferat, ii soli ignorare possunt, qui neutris scrutandis suam unquam impenderunt diligentiam. Inter ingentia beneficia, quibus Divini Numinis benignitas seculum hoc nostrum auxit atque ornavit, infimo nequaquam loco censeri debet ea præstantissimorum virorum industria, quæ tot nobis antiqua, paucisque olim, etiam eruditissimis hominibus congita, eruderavit, & in publicam lucem protraxit. Indignos nos oppido tanta Dei beneficentia præberemus, nisi & ipsi laudatissimis illis insisteremus vestigiis, vel saltem ab aliis monstrata in nostrum sedulo converteremus usum. Non videtur, præsertim uti nunc sunt tempora, Theologi nomen sustinere posse, qui non Hebraice doctus, sacræ gentis terram, instituta, mores ritusque in explorato habeat: non eos solum, quos populo suo præscripsit Deus, sed & quos de suo ipsi addiderunt, sive prava vicinarum gentium æmulatione, sive genio superstitionis, sponte sua ad rerum inania vergentis. Ad quæ tamen sæpius alludi videas. Non lubet nobis eorum improbare diligentiam, qui veteres Græcorum ac Romanorum res magna accuratione exposuerunt. Indidem quoque aliquid hauriri potest, quod illustrandæ sacræ paginæ faciat. Cæterum id exiguum admodum est, si cum illo conferatur lumine, quod vetusta Hebræorum monumenta, etiam aliud agentia, attendentibus fœnerantur. Eorum enim Rempublicam quum formaverit ipse Deus, eorumque sermone utatur; & quum iis erudiendis principe loco destinatæ fuerint, Prophetarum, Christi, & Apostolorum conciones, in ipsorum quoque terra habitæ; mirum non est, si multa quandoque occurrant, quorum explicationem frustra alibi quam ex ipsorum scriptis petas.* Tot illud, *tamque luculentis exemplis a doctissimis hominibus demonstratum est, & quotidiana omnium experientia comprobatur, mera ut mora sit huic observationi prolixius insistere. Atque hæc me res movit, ut iis qui operam mihi dant Sacrarum litterarum studiosis, non perfunctorie* Hebraicarum Antiquitatum *scrutinium frequenter commendaverim. Neque officio me meo satisfacturum autumavi, nisi meam quoque ad eam rem manu ductionem offerrem, ipsoque facto præstarem. Multum enim vero pubes nostra Academica debet scriptis & vivæ institutioni Cl. Viri,* JOHANNIS LEUSDEN, *Collegæ mei conjunctissimi, & Philologi Celeberrimi: cui ipse quoque meæ in his literis eruditionis, si qua est, haud contemnendam partem ex antiqua formula lubens meritoque acceptam fero. Tantum mihi de cætero negotiorum domi est, ut de falce in alienam messem mittenda vix deliberandi tempus supersit. Sed adeo* Theologiæ *ac* Philologiæ *sacræ studia innexa sibi sunt, ut neque hoc sine illo, neque illud sine hoc, tractari commode possit. Sic altera alterius*

Poscit opem res, & conspirat amice,

Non

Non tam feliciter Philologum ageret Clarissimus Leusdenus, nisi Theologiæ scientia excultam haberet mentem. Nec ego Theologi numeros, ut par est, explerem, nisi Philologiæ face Auditoribus meis quandoque prægestata. Quod pro sua humanitate, eaque quæ inter nos viget amicitia, non invisurum mihi virum optimum, sat scio. Initio quidem liberiori spatio per hunc campum decurri; & in recitationibus tam publicis, quam privatis, ductum Evangeliorum sequens, ea ex Hebræorum commentariis protuli, quibus lux aliqua Historiæ Novi Testamenti adfulgeret. Deinde quum nonnulli ex Auditoribus meis, quibus plurimum indulgere soleo, instituto suo convenientius esse indicarent, si paullo adstrictiori ordine procederem, præsertim in Scholis domesticis, ut & ipsi privata lectione se ad materiam, quæ tractanda veniebat, præparare possent; religioni mihi fuit votis ipsorum non obsequi. Agi itaque cœptum est de Libro aliquo huic fini seligendo: multisque aliis, quorum laudibus nemo quidquam detrectare volebat, prælatus est THOMÆ GOODWINI MOSES & AARON. In quo rerum ubertas & dictionis brevitas de palma certant. Ubertas quidem tanta, ut haud jure queraris multa esse præterita: & brevitas tam concisa, ut & exiguo tempore multa expediri possunt, & amplificationi atque illustrationi non sit prærepta materies. Cæterum vix orsi eramus has exercitationes, quin deprehenderetur Exemplarium defectus; neque inveniebant studiosi in officinis nostris unde prospicere sibi quirent. Commodum itaque se obtulit Balthasar Lobe, Bibliopola industrius, ita rerum suarum satagens ut & publicæ litterarum utilitati inserviat: & in se novæ editionis curam suscepit. Pollicitus se daturum, quæ chartæ puritate, typorum elegantia, characterum varietate, mendorum paucitate, cæteras omnes longo post se intervallo relinqueret. quod & præstitisse eum confido: adhibito ad hanc rem non perito solum correctore, sed & erudito rerum arbitro. Denique ne quid pulchritudini editionis deesset, aut lectoris commoditatem moraretur, videbis capita in minores quasdam sectiones distincta esse; ex quibus quæ partitim & singulatim pertractantur facilius erit cognoscere. Illustris SALMASIUS, cujus

Uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, & major collectis viribus exit,

in Prolegomenis suis ad Solinum, prolixe ostendit, Veterum codices ad eum modum editos non fuisse; sed una serie, quam nulla sectio interrumperet, contextos ac continuatos: ante autem annos mille & citra, præcipue invaluisse hanc consuetudinem apud Græcos & Latinos Scriptores, ut libros in varia τμήματα partiantur. Neque impetrare ab animo suo potest, quin irascatur fatali illi desidiæ quæ hodie in litteris regnat, ut nullus probetur liber qui non sit per minutias capitum & titulorum fractus atque concisus. Sed, quod pace Viri Maximi dictum sit, ego non omnes, non plerasque Veterum consuetudines, Recentiorum inventis anteponendas esse existimo. Multa ex antiquitate rudia polivit sequens ætas; atque omnium, nisi fallor, experientia hodie comperitur, haud paullo minori molestia distingui materias de quibus agitur, reperiri etiam ea quæ quis quærit, si suis singula veluti areolis quibusdam discreta sint. Nunquid ad lectionis & facilitatem & accurationem plurimum confert ea quæ nunc obtinet periodorum per cola commataque distinctio; præterquam si uno tenore cuncta, sine id genus notis, uti antiquitus, scripta forent? Idem de majoribus his partitionibus judicium esto. Quarum institutum vix est ut displicere possit nisi iis quorum scribendi genus, per confusaneam indigestarum rerum copiam, ejusmodi partitiones non admittit. At hæc propter viam dicta sunto.

Ad Goodwinum nostrum redeo, quem notis suis illustrare, & quandoque castigare aggressus est vir doctissimus, Johannes Henricus Reizius, eas hic integras videbit Lector: cujus arbitrio per me quidem stabunt cadentve. Uti enim meo haud indigent elogio; ita nec est quod censuram meam metuant. Clarissimo Coccejo se pleraque debere, & ad ejus mentem omnia fere esse composita, ne ipse quidem Author abnuerit. Mibi in exponendo Goodwino modesta libertate uti placuit; ut quandoque sententiam ejus confirmarem, quandoque ea substituerem quæ certiora & firmiora esse rebar; aliquando etiam supplerem quæ deesse videbantur. Ubi illud quidem primo loco mirari animum meum subiit, quod, formam Reipublicæ Hebraicæ enarraturus, magnum illud caput de THEOCRATIA ISRAELITARUM prorsus omiserit. Cui defectui ut aliquo saltem modo subveniretur, non inconsultum duxi, præfigere sermonem Academicum, super divino isthoc regimine a me habitum, Anno MDCLXXXVII. die XVII. Mart. quando fasces Academicos tradebam Clarissimo Jurisconsulto & Antecessori, JOHANNI a MUIDEN. Deprehendi etiam libri primi caput octavum, inscriptione sua aliquid de RECHABITIS polliceri; de quibus tamen vix quidquam ibi invenitur. Hinc nata mihi de iis Dissertatio, quam hic quoque exhiberi, dividiæ, ut spero, Lectori non erit. Quæ fusius aliquando de selectis materiis commentatus sum, sine ulla ad Goodwinum relatione, ea, si vitam & valetudinem concesserit Deus, faxo ut brevi cum Studiosis nostris communicentur. Vale, mi Lector, & conatibus meis, ad nullius injuriam, ad juventutis nobis commissæ commodum unice spectantibus, favere perge. Scribebam Ultrajecti. Prid. Id. Aug. Anno Æræ Vulgaris MDCXC.

IN-

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

*Quæ asterisco * notata sunt, illa de novo huic Editioni ab Editore inserebantur.*

LIBER PRIMUS.

De Personis.

LIBER SECUNDUS.

De Locis.

LIBER TERTIUS.

De Diebus & Temporibus.

LIBER QUARTUS.

De Idololatria.

LIBER QUINTUS.

De Conſiſtoriis ſeu *Conſeſſibus.*

LIBER SEXTUS.

De Ritibus Mixtis.



ΕΙΣΑΓΩΓΗ
AD
STUDIUM ANTIQUITATUM JUDAICARUM.

Breviter exhibens varios usus, qui ex illis in Theologum ad Scripturam intelligendam redundant.

I.

Ea demum studia excolenda sunt, quæ utilia.

PRUDENTER solent illi, qui studium aliquod excolunt, finem respicere & mente sua secum trutinare, num tanto labori, qui impendendus est, merces respondeat. Aliter imprudenter ne pejus quid dicam, is agit, qui prodigus temporis totos dies noctesque consumit ea tractando, quæ nec sibi, nec proximo, proficua sunt. Igitur haud inconsultum puto statim ab initio breviter delineare commoda minime contemnenda, quæ studium Antiquitatum Sacrarum secum fert. Hac ratione illi, qui animum ad has literas applicant, facile cognoscent, quid ex iis sperandum, quo fine, quo quoque modo monumenta Judæorum in usum adhibenda sint. Discent forsan alii de iis benignius judicare, neque cuncta, nullo habito discrimine, ceu aniles Judæorum fabulas, traducere.

Talia Antiquitates judaicæ.

II. Late *Antiquitatum Judaicarum* nomine veniunt omnia Veterum Judæorum monumenta, quæ Gentis illius originem, progressum, linguam, libros, dogmata, mores, ritus tam Divinos quam humanos, loca, tempora, Magistratus & si quæ alia, fideliter tradunt, ad utrumque Codicem Veteris & N. Testamenti facilius & clarius assequendum.

Describuntur.

III. Præcipuus quum sit illarum usus ad intelligentiam Scripturæ, distincte nonnulla enarrabo, quæ primo Vetus, dein Novum Testamentum illustrant.

Illustrant Scripturam.

IV. Vetus Testamentum lucem accipit ab Antiquitatibus tum in genere, tum in specie.

V. Testamentum tum in genere.

V. Generatim: 1. Constat λόγια τοῦ Θεοῦ primum Judæis concredita esse Rom. III. 2. tanquam pretiosissimum פקדין *depositum*, a quibus Christiani, successores in bonis Ecclesiæ, acceperunt. Itaque ut sciamus, quodnam Ecclesiæ V. T. commissum verbum fuerit, Judæos adire & audire utile. Quare & olim & hodie in discernendis libris Canonicis ab Apocryphis * Judæorum testimonia merito magni habebantur. 2. Dein iidem plura de partibus, Paraschis, Haphtaroth; variis notis criticis circa textum, Auctoribus &c. quæ cognita expositionem Scripturæ plurimum juvant, nobis reliquerunt. 3. Insuper versus, voces, literas, minutissima quæque vel ad superstitionem usque annotarunt, ut genuinam lectionem integram ex iis disceremus. Quale est Masoretharum laudabile opus, encomio סיג לתורה *sepis circa legem*, recte insignitum.

VI.

* Judæorum veterum testimonia nullius sunt ponderis, nisi veteris Ecclesiæ, vel novæ accedat Divina fulcitum traditione judicium. De hac re egregie tractat Ricardus Simon in historia librorum N. T. ubi Ecclesiæ auctoritatem in dignoscendis libris Canonicis necessariam esse strenue demonstrat.

tum in specie. א quoad Linguam Hebræam.

VI. Speciatim. א. Primo quidem notum est Codicem V. T. Lingua Hebræa plurimum consignatum esse: Illam autem Linguam Veteribus Judæis vernaculam fuisse, recentioribus ob continuam Lectionem uti Scripturæ ita librorum a Majoribus collectorum familiarem, qui adeoquæ in significatione vocabulorum, præsertim ἅπαξ λεγομένων, rariorum constructionum, non sine insigni usu consuluntur. Exempla passim prostant. Æquissimum autem est, ut iis majorem Linguæ notitiam assignemus, plus in difficultatibus solvendis tribuamus, qui linguam traditione & usu callent. Absit tamen, ut quis putet illis sine prævio examine fidem simpliciter adhibendam esse: circumspectos Lectores requirunt.

ἐναντιοφανῆ.

VII. ב. Notum quoque plura δυσνόητα ἐναντιοφανῆ, quæ adversa fronte pugnare videntur, nobis ad ultimam hanc ætatem reservatis in antiquo illo codice apparere. In quibus intelligendis, quum consultum sit aliorum Judicia expiscari, ita præprimis Virorum antiquitate, peritita in ejusmodi scriptis venerandorum. Communiter res notiores solent esse iis, qui ætate propiores vixerunt, quique ex ea Gente; in qua aliquid contigit, ortum sumserunt. Agnovit hoc Linguæ Hebraïcæ præ omnibus Patribus primitivæ Ecclesiæ peritissimus Hieronymus. *In hoc loco*, ait, *nostrorum multi multa dixerunt & inter se dissonantia &c. Cogimur igitur ad Hebræos recurrere & scientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere; præsertim cum non prophetia aliqua de Christo, ubi tergiversari solent, & veritatem celare mendacio, sed Historia ex præcedentibus & sequentibus texatur*. ad Zach. VIII. 1. Satis feliciter ex Judæis lucem locis obscuris affudit Abarbanel.

contenta alia.

VIII. ג. Omnia quidem, quæ Codice memorato continentur, Interpretes Hebræi exponere aggressi sunt. Sed ut ex innumeris unum alterumve exemplum præbeam, solum memoro dogmata fidei & Ceremonias.

uti dogmata.

IX. Illa ex exegesi Veterum fidem Christianam clare nonnunquam confirmant atque recentiores Judæos, quod a φρονήσει δικαίων recesserint, confundunt. Abunde id ab illis monstratum, qui fœdos hodierni Judaismi errores detexerunt atque infelices posteros Majorum pugione confoderunt. Ex his præsertim δίστομος ille Raymundi Martini.

Ceremoniæ.

X. Hæ, nisi illustrentur ex Antiquitatibus, vix ac ne vix lectæ & relectæ clarum & firmum conceptum cuiquam ingenerabunt. Tum quod concisis verbis latæ, tum quod de actionibus, instrumentis, locis & similibus agant, quæ ad alium statum populi, quam qualem nos vivimus, accommodata sint. Accedit quod illæ generalibus verbis conceptæ, postea, quando in usum vocabantur, ulterius definiri, mutari, tolli &c. debuerint. Hinc tanta differentia inter Veteres & recentiores Commentarios in Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium: nam quoniam illis plurimum hæc lux deerat, pauca, ambigua, nonnulla ridicula & aperte falsa de ritibus Mosaicis tradiderunt. Nunc autem pro ineffabili Benignissimi Numinis gratia, quæ ætatem nostram felicitavit, Antiquitatibus in lucem protractis Mosis scripta facilius & certius intelligimus & quod maximum est, Christum ejusque officia & beneficia doctis penicillis depicta oculis nostris intuemur & sapientiam absconditam admiramur.

Insuper Paraphrases Chaldaicæ.

XI. ד. Addo insuper Paraphrases Chaldaicas, quæ antiquissimæ publice receptæ luculento testantur, aliam Veterum de vaticiniis, de Messia mentem fuisse, quam qua recentiores vulgo laborant. Phrases quoque Auctoribus interpretationum harum receptæ notatu dignissimæ sunt, qualis præprimis est, quando personam Divinam haud semel מימרא & מימרא דיי *verbum* & *verbum Adonai* appellant: Veluti dum Jonathan verba *Israel salvatus est* ביהוה Es. c. XLV. 17. convertit *Israel salvatus est* במימרא דיי *verbo Adonai*. Hinc enim illustratur Johannis λόγος, quo æternum Patris verbum, ejusdem divinæ essentiæ filius, sæpius venit.

Illustrant dein N.T. quoad verba & quoad rem. א Quoad verba. Rationes.

XII. Novum Testamentum varie quoque ex lectione scriptorum Hebræorum lucem accipit, quippe illa in subsidium vocata verba non minus ac rem quandoque feliciter exponunt.

XIII. Ad verba latius sumta refero singulas voces, vocum constructiones, phrases, sententias, proverbia, modum proponendi parabolicum: Nec id mirum cuiquam videri potest, Græca ex Hebræis exponi, modo attendere velit ad rem, ipsos scriptores, ipsum denique populum, cujus gratia veritates Evangelicæ primum conscriptæ erant. Res plurimum sacra, quæ a Mose & Prophetis Lingua Hebraica jam dudum conscripta erat, quæque illa in Lingua lectitabatur. Itaque ex Hebræa exscribentes & in Græcam convertentes multum de illa in versione retinuerunt. Atque hoc interpreti, illi præsertim, qui ex vernacula in peregrinam convertit, facillime contingere solet. Scriptores ad unum omnes ex Hebraica Gente ortum sumebant, adeoque jam a prima ætate tum Hebraicam lectione & auscultatione Legis, precibus, tum Syro-Chaldaicam in communi vita edocti erant; Græcam autem, quam postea didicerunt, ad indolem Lin-

Linguæ Hebrææ, Syro-Chaldaicæ ſæpe inflectebant. At notum Spiritum Sanctum ſe ad ingenium ſcriptoris accommodaſſe. Simillimum deprehendes in omnibus iis, qui præter vernaculam alias addiſcunt linguas, ſed eas non ſatis excolunt: Horum ſermones & ſcripta plures patriæ Linguæ Idiotiſmos retinebunt. Denique populus, ad quem veritates Evangelicæ primum conſcribebantur, Hebraicus erat, qui libros ad genium ſuum propius accedentes facilius intelligebat. Quia autem hic primarius ſcopus, ut doctrina cœleſtis cognoſcatur, nulla ratio movebat Auctorem Divinum ut illa nitidiori ſtylo traderetur. Non cogitabat de Lingua Græca docenda, res magis ardua agebatur.

Singulas voces.

XIV. Rem ſe habere, uti dixi, clare patebit, quando ex memoratis unumquodque exemplis illuſtravero. 1. Primo quod attinet ſingulas voces: Illæ ſunt vel quæ Originem Hebraicam aut Syriacam tenent veluti ἀλληλȣ̈ια Apoc. XIX. 1. 3. 4. quod eſt Hebræorum הללו יה *laudate Deum*. Πάσχα Matth. XXVI. 1. Chald. פסחא. Βηθεσδὰ Joh. V. 1. ut puto; quaſi בירת שיתא *locus ovium* quo aquatum ducebantur; vel quæ origine Græcæ ſunt, ſed tamen poteſtatem babent a vocabulo correſpondente Hebraico aut ſimili, veluti σάρξ, quæ uti Hebræorum בשר, tot ſignificatus admittit. Sic ἁμαρτία, 2. Cor. V. 21. περὶ ἁμαρτίας Rom. VIII. 3. *Sacrificium pro peccato eſt*, quemadmodum חטאת. Similiter αἰὼν more Rabbinorum עולם & mundum & durationem temporis indicat Hebr. I. 2. XI. 3. Matth. VI. 13. &c. vel quæ terminationem Græcam habent ſed a ſcriptoribus ſacris noviter inventæ, ex quibus σπλαγχνίζομαι Matth. XV. 32. exprimens Hebræorum רחם Pſ. CIII. 13.

Conſtructiones

XV. 2. Conſtructiones vocum: quando vocabula Græca eum ad modum conſtruuntur, ad quem Hebraica, aliter ac ordinarie apud Græcos conſtrui ſolent. Ex innumeris duo ſaltem dabo. א Hebræi neutra muliebriter ſive terminatione fœminina pronuntiant, ad quem modum Matth. XXI. 42. παρὰ κυρίȣ ἐγένετο αὕτη ϗ̀ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν Hæc enim verba deſumſit Evangeliſta ex Pſ. CXVIII. 23. ubi textus Hebreus מאת יהוה היתה זאת היא נפלאת בעינינו terminationem muliebrem habet eamque LXX. ſervarunt & ex illis Matthæus. ב. Hebræi ſæpiſſime ſolent verbis ejuſdem radicis nomina ſubſtantiva, adjectiva adjicere, quos ſubinde ſcriptores Græci in Novo Teſtamento imitantur, veluti Matth. II. 10. ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα. Confer cum gaudio, quod Hebræi teſtati ſunt propter Salomonem Regem creatum 1. Reg. I. 40. ושמחים שמחה גדולה *& lætantes lætitia magna*. Nec quidquam impedit, ſi objicis Græcos quoque & Latinos nomina affinia verbis conjungere, quandoquidem rariſſime, minimum ſi comparas cum Hebræis, id in uſu habent.

Phraſes

XVI. 3. Sequuntur phraſes: Dantur Phraſes in Novo Teſtamento, quæ receptæ in Synagoga atque ex ea commode explicantur, uti illa βασιλεία τῶν ȣ̓ρανῶν, *regnum cœlorum* Matth. III. 2. quod idem ac βασιλεία τȣ̃ θεȣ̃ *regnum Dei*. Marc. I. 15. Solent enim Doctores Judæi cœlum pro Deo ſumere, uti tritum illud נתחלל שם שמים *profanatur nomen cœlorum* DEI. Sic integra phraſi מלכות שמים *regnum cœlorum* notat obedientiam, quam ſubditi puro corde ſoli Deo, non homini cuipiam, exhibent. Hieroſ. Kidduſch f. 59. Conf. Ligtfoot. ad Matth. III. Tom. II. p. 264.

Sententiæ

XVII. His adduntur ſententiæ: Uti quæque Gens certas, eaſque plurimum breves, ſententias ore verſat, ita Judaica tales quoque habuit atque etiamnum habet, quibus Chriſtus, Judæus cum Judæis loquens ſæpius uſus eſt. Ex his ſequentes duæ ſunt. A. Matth. VII. 2. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται quod verbotenus eſt illud Miſchnicum במדה שאדם מודד מודדין לו *menſura, qua homo metitur, remetiuntur illi*. Sota cap. I. 7. Eadem in tr. Sanhedrin & alibi. Brevius alias מדה כנגד מדה *menſura juxta menſuram*. B. Matth. XVIII. 20. cum quo Chriſti, qui שכינה toties in ſcriptis Judæorum decantata eſt, dicto haud male convenit illud in *Pirke Abboth* c. III. 2. שנים שיושבין ויש ביניהם דברי תורה שכינה ביניהם *ubi duo conſident & una verba legis tractant, ibi* שכינה *eſt*, is qui ἐσκήνωσε typice habitavit in Tabernaculo, qui ſine dubio Chriſtus præfigurans inhabitationem in carne Joh. I. 14.

Proverbia

XVIII. Inſuper Proverbia ſive ſententiæ obſcuriores, quæ a vulgo ad certum aliquid ſignificandum adhibebantur. Exemplum exſtat Matth. XIX. 24. facilius eſt κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν *ut tranſeat camelus per foramen acus &c.* quo impoſſibilitas rei, de qua ſermo, indicatur: quomodo Talm. Babyl. tr. ברכות f. LV. c. II. f. תדע דלא מחוו ליה לאיניש לא דקלא דדהבא ולא פילה דעייל בקופא דמחטא *ſcito homini non oſtendi vel palmam auream vel Elephantem qui per foramen acus intrat*: hoc eſt rem impoſſibilem. Unde gloſſa habet דבר שלא הורגל לראות Intelligitur res, *quæ nunquam viſa eſt* ולא הרהר בו מעולם *vel in mentem hominis aſcendit*.

Similitudines.

XIV. Tandem ſimilitudines & Parabolæ. His referta eſt Hiſtoria Evangelica. Talis docendi modus nonnullis, qui aperta potius quam involuta locutione delectantur, mirus videtur, qui tamen, uti in genere Orientalibus, ita ſpeciatim Judæis frequentiſſi-

mus erat. Hos Prudentiſſimus Doctor noſter imitatus eſt, ita quidem ut in modo ſimilitudines atque Parabolas proponendi, in ipſis quoque ſimilitudinibus atque Parabolis haud obſcuram convenientiam deprehendamus. Quod modum proponendi attinet, Chriſtus nonnunquam quæſtionem præmittere ſolet, uti Matth. XI. 16. τίνι ὁμοιώσω *cui aſſimilabo generationem hanc?* Marc. IV. 30. τίνι ὁμοιώσωμεν *cui aſſimilabimus regnum Dei?* Conſimiliter Judæi, quibus hac in materia nihil uſitatius quam quærere למה למה vel למה הדבר דומה הוא דומה *cui res ſimilis? cui ille ſimilis*. Exemplum mox fidem faciet. Dein convenientia ex teſtimonio jam apponendo elucebit. Sic ſimilitudinem Matth. VII. 24. 28. confero cum illa in פרקי אבות c. III. 17. quam prolixam aliquantulum Latine tantum dabo. *R.Elieſer fil. Aſariæ ait: Cui ſimilis eſt, is, cujus ſapientia opera excedit? ſimilis eſt arbori ramoſæ, cui radix exigua, quod ſi ventus in illam irruit, eradicat atque ſubvertit eam. Cui vero ſimilis is eſt, cujus opera ſapientia plura ſunt? Hic quoque ſimilis arbori ſed radicoſæ & quæ ramos paucos habet. Quod ſi omnes venti, qui in mundo ſunt, hanc irruunt & fortiter inſtant, de loco tamen minime movent*. Habes utrobique eadem ſubjecta, eadem quoque fata, variata nonnihil ſimilitudine, propoſita. Confer, ſi vacat præfationem Seringhamii in tr. יומא.

ב Dein quoad rem

XX. Nunc quoque dicendum de rebus ſeu contentis, quæ cum Antiquitatibus Judaicis collatæ elucidantur. Quia enim Codex N. Teſtamenti tradit Hiſtoriam Chriſti & Apoſtolorum, prout illi collocuti ſunt cum Judæis, eorum Pontificibus, Sacerdotibus, Levitis, Scribis, Phariſæis, Sadducæis, Herodianis, errores Gentis memoratæ in doctrina, vitia in vita refutarunt, varia loca, ſacra, civilia, adiverunt, ceremonias vel divinas vel humanas, quæ prudenter & pie inſtitutæ erant, obſervarunt, evidentiſſimum eſt allegata optime ex vetuſtis atque probatis monumentis exponi. Quando illa conſcribebantur, omnia in vulgus nota erant, adeoque pleniore pertractatione perſonarum, doctrinarum, locorum, ceremoniarum minime indigebant. Sed aliter nobiſcum, qui poſt tot ſecula demum vivimus, aliam terram incolimus, alios mores tenemus, comparatum. Nobis genuina cognitio nonniſi ex Hiſtoria Veteri eſſe poteſt.

XXI. Quandoquidem autem hæc fuſius in ipſo libro exemplis probabuntur, minus neceſſarium nunc eſt, ut illa, quod factu eſſet facillimum, accumulemus. Pauca igitur illuſtrationis ergo adduxiſſe ſufficiet. *Primum* eſt de Pontificibus in Hiſtoria Evangelica recenſitis. Ex lege Divina unus aliquis ἀρχιερεὺς *Pontifex* conſtituebatur. Frequentiſſimum autem ſcriptoribus N. Teſtamenti plures ἀρχιερεῖς numero memorare Matth. II. 4. XXVI. 3. Marc. XIV. 1. Act. XIX. 4. & alibi. Unde hoc? Vel an plures uno tempore privilegiis Pontificatus gaudebant? Non: ſed nomen, quod uni proprium, latius accipiebatur. Etiam illi, qui proprie ſummi non erant, ἀρχιερεῖς *Principes Sacerdotum* audiebant, quoniam alios ſubjectos habebant, quales v. g. סגן *Suffraganeus Pontificis*. Dein ראש משמר ἄρχων ἐφημερίας *Princeps claſſis*: nam unicuique claſſi ſacerdotum (erant autem XXIV., Antiſtes præficiebatur. Maim. tr. כלי המקדש C. IV. Præterea ראש בית אב *princeps domus paternæ*. Unaquæque claſſis ſubdividebatur in certas domos ſive familias, quarum præfecti ראשים ἄρχοντες & ſic ἀρχιερεῖς dicebantur, quomodo LXX. per ἄρχοντες τῶν πατριῶν vertunt Hebr. ראשי אבות Joſ. XIV. 1. XIX. 51. Intelliguntur iidem, qui Hebraice רשי הכהנים appellantur, uti 2. Paralip. XXXVI. 14. Neh. XII. 7. & commode uno vocabulo vertuntur ἀρχιερεῖς. Accedit quod etiam Joſephus latiori ſenſu certiſſime ſumat veluti B. J. L. IV. c. 6. p. 996. edit. Col. Τοῖς ἀρχιερεῦσι ϛάσις πρὸς τοὺς ἱερεῖς *Præfectis ſacerdotum ſeditio erat adverſus ſacerdotes* gregarios & ſtatim infra. Τοσαύτη τοὺς ἀρχιερεῖς κατέλαβεν ἀναίδεια καὶ τόλμα ὡς τε καὶ πέμπειν δούλους ἐτόλμων ἐπὶ τὰς ἅλωνας τοὺς ληψομένους τὰς τοῖς ἱερεῦσιν ὀφειλομένας δεκάτας. *Tanta præfectos ſacerdotum impudentia cepit, ut auderent ſervos ſuos in areas mittere, qui auferrent debitas ſacerdotibus decimas*. His ſubjungo ex tr. יומא c. VI. X ubi mentio fit הכהנים גדולים *Sacerdotum Magnorum*, qui iidem forſan ſunt, ac noſtri ἀρχιερεῖς. Lectionem hanc, quæ obſervante Lippmanno *ibi* in nonnullis codicibus deſideratur, retinet Rambam.

Exemplũ 1. in nomine. ἀρχιερεῖς

2. In Doctrina

XXII. *Secundum* de doctrina: tum quatenus Evangelica ex libris Judæorum confirmatur; tum etiam quatenus error populi Judaici toties a Chriſto refutatus clarior cognoſcitur. Priori modo: Notum eſt ſummam doctrinæ Evangelicæ hanc eſſe, quod Meſſias tempore apud Prophetas deſignato apparuerit. Hanc veritatem confirmatam reperies ſive ad tempus, ſive ad regimen, ſive ad reliquum populi ſtatum attendis. Quoad tempus ita Sanhedrin fol. 97. vetuſtiſſima παράδοσις legitur. תנא דבי אליהו ששת אלפים שנה הוו עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח *Traditio domus Eliæ: ſex mille annis durat mundus. Bis mille annis inanitas & vaſtitas. Bis item mille annis Lex. Denique bis mille annis dies Chriſti*. Quoad regimen: Exſtat tr. c. c. §. 34. אמר רב אין בן דוד בא עד שתתפשט מלכות רשעה על ישראל תשעה חדשים *Dixit Raf. filius Davidis* (Hic Meſſias eſt.

conf.

conf. Matth. XX. 30. 31.) *non prius venturus quam extenderit ſe regnum improbitati ſuper Iſraelem novem menſibus*. Intelligit Imperium Romanum, cui, ſceptro a Juda ablato juxta Gen. XLIX. 10. Judæi ſubjiciendi erant, cui quoque ævo Chriſti ſubjecti vivebant. Denique quoad ſtatum populi reliquum: *Traditio*; *R. Jebuda ait: Qua ætate filius David venturus eſt, domus conventus lupanar erit; Galilæa vaſtabitur; Gabilene deſolabitur; homines limitum circuibunt; neque obtinget illis miſeratio; ſapientia ſcribarum putebit; qui metuunt peccare, ſpernentur, vultuſque ſeculi frontis inſtar caninæ erit & veritas* נעדרת *deficiet Eſ. LIX.* 15. *Ajunt familiares Raſ. gregatim quaſi abſcedet veritas* (alludunt ad עדר nomen *gregis*) *Quid? Et qui recedit a malo, inſanit. Familiares R. Silæ. Quicunque recedet a malo, apud reliquos omnes pro inſano erit*. tr. cit. §. 27. Compara ſtatum populi in ſacris & apud Joſephum deſcriptum nec ovum ovo ſimilius invenies.

XXIII. Poſteriori modo. Juſtiſimam cauſam atque etiam vim refutationis doctrinæ erroneæ Judæorum, cujus paſſim codex N. T. meminit, tum demum clariſſime intelligemus, quando ex iiſdem notitia erroris plenius nobis conſtabit. Frequens Salvatori noſtro cum Scribis & Phariſæis diſputatio erat * de traditionibus ſive Lege Orali Matth. cap. V. & XV. Ad illam autem intelligendam optime facimus, ſi ſcripta Judæorum legimus, viſuri judicia de traditionibus. Hæc autem ſunt; Legem oralem æque eſſe divinam ac ſcripta eſt. 2. Nullam inter utramque differentiam eſſe. 3 Legem Oralem fundamentum eſſe fidei Judaicæ. 4. Melius facere illos, qui Legi Orali cognoſcendæ incumbunt, quam qui ſcriptæ. 5. Gravius peccari circa verba ſcribarum quam circa verba Legis. Hæc & alia impia oſtendunt graviſſimam cauſſam Chriſto fuiſſe traditiones Patrum rejiciendi. Vide B. Avi Theſaur. Philol. lib. II. c. III. §. 3.

3. De vitiis in vita.

XXIV. Tertium de vitiis in vita. Vix ſcelus aliquod nominari poteſt, quod non ævo Chriſti in ſcelerata Gente graſſatum fuerit, Notamus nonniſi Hypocriſin, cujus toties a Salvatore integritatis & Doctore & Exemplo accuſabantur Matth. VI. 2. VII. 5. XV. 7. XVI. 3. XXII. 18. Omnis Judæorum vita tantum ſimulata erat. Hypocriſis conſpiciebatur in cultu ſacro, externa corporis munditie, geſtatione Phylacteriorum dilatatorum &c. uti hæc clareſcent ex l. I. c. de Phariſæis. Neque abnuunt ipſi Judæi, quando novem Hypocriſeos partes Hioroſolymitanis datas agnoſcunt, unam autem reliquo mundo. Teſtantur idem variæ appellationes Phariſæorum, uti Phariſæus Sichemita, impingens ad parietes, &c. qui plurimum Hypocritæ, ut neceſſe habuerit Rex Jannæus dicere ad uxorem ſuam: *Ne metuas a Phariſæis, neque ab iis qui non ſunt Phariſæi* אלא מן הצבועין שרמין לפרושין: *ſed a fucatis?* Hypocritis, *qui ſimiles ſunt Phariſæis, quorum facta ſunt facta Zimri & nihilominus exſpectant mercedem Pinchazi*. Sota f. XXII. 2. Notatu præſertim dignum eſt, quod ipſi Talmudici tradunt, *odium abſque cauſſa & ſecretam iniquitatem* Joma f. IX. 2. (externe enim ſancti videbantur) cauſſam exſtitiſſe everſionis Templi ſecundi.

4 De Geographia.

XXV. *Quartum* de locis: Quandoquidem toties legimus Salvatorem noſtrum cum Apoſtolis iter feciſſe in Galilæa, Samaria, Judæa, Urbe Hieroſolymitana, Templo, modo huc, modo illuc ſe contuliſſe, nemini dubium eſſe poteſt itinera illa & loca frequentata ex Geographia Canaan inſigniter exponi poſſe. Ne quoque hac in parte exemplum deſit, lubet apponere locum ob ejecta Dæmonia, quæ poſtea porcos in lacum præcipitabant, illuſtrem, ſed ſimul difficilem, qui apud Mathæum c. VIII. 28. regio γεργεσηνῶν *Gergeſenorum*, ſed apud Marcum c. V. 1. & Lucam VIII. 26. γαδαρηνῶν *Gadarenorum* appellatur. Varie hactenus conciliatio tentata eſt, ſed illa mihi præ alia aliqua placet, quæ judicat regiones vicinas fuiſſe, ut adeo dici queat contigiſſe in regione Gergeſenorum & Gadarenorum. Joſephus l. II. c. 19. B. J. p. 813. de Judæis ob crudelitatem Flori efferatis hæc quæ huc pertinent, habet. Judæi τὰς κώμας τῶν σύρων καὶ τὰς προσεχεῖς ἐπόρθουν πόλεις, φιλαδέλφειάν τε καὶ γεβωνίτιν καὶ γέρασσαν, καὶ πέλλαν καὶ σκυθόπολιν, ἔπειτα γαδάροις καὶ ἵππω προσπεσόντες, *Syrorum vicos ac finitimas urbes vaſtaverunt Philadelphiam, Gebonitin, Geraſan*, (quæ eadem ac Gergeſa vide Adrichom. p. 88) *& Pellam & Scythopolin: Deinceps irruerunt in Gadaram & Hippon*. Utraque ad latus Orientale maris Galilææ in dimidia tribu Manaſſis ſita erat. Inſpice tabulam Geographicam. Sed & hoc mirum videri poteſt atque quibuſdam etiam viſum, porcos tanto numero (Marcus c. V. 13. bis mille numerat) ibi paſci. Conſtat enim Judæis ex lege Divina porcos animalia impura eſſe. Imo conſtat ex legibus ſapientum neminem illos alendi licentiam habere. Itaque non putandum eſt illos ad Judæos per-

Exemplũ in regione Gergeſenorum & Gadarenorum.

* Chriſtus dum Phariſæos objurgat paternas prætexentes traditiones non omnes traditiones indiſcriminatim repellit, ſed eas dumtaxat quas homines ex proprio finxerant cerebro, & tanquam PP. traditiones venditabant. Quam hæc vera ſint optime demonſtrat Joſeph Voiſin in notis ad procemium Pugionis Fidei Raymundi Martini quod extat in 1. tomo noſtri Theſauri ubi egregie docet qua ratione dignoſcendæ ſunt Divinæ Traditiones ab humanis.

tinuisse, verum Ethnicos, qui his eo tempore permixti vivebant, quod clare ex Josepho exemplo Scythopoleos patet; B. J. III. c. 19. p. 814. Judæi *incurrentes in ſcythopoleos fines, etiam Judæos, qui illic habitabant, experti ſunt hoſtes*. Ταξάμενοι γὰρ μετὰ τῶν σκυθοπολιτῶν καὶ τῆς ἑαυτῶν ἀσφαλείας ἐν δευτέρῳ θέμενοι τὴν συγγένειαν ὁμόσε τοῖς ὁμοφύλοις ἐχώρουν. *Hi enim paciſcentes cum ſcythopolitanis conſanguinitatem propriæ ſecuritati poſtponebant*. Quod Gadaram attinet, de illa ſcriptor modo citatus Antiq. l. XVII. c. 13. p. 611. ἦσαν πόλεις αἱ ἀρχελάῳ ὑπετέλουν στράτωνός τε πύργος καὶ σεβαστὴ σὺν ἰόππῃ καὶ ἱεροσολύμοις· Γάζα γὰρ καὶ γάδαρα καὶ ἵππος ἑλληνίδες εἰσὶ πόλεις, *Archelao tributum perſolvebant Stratonis turris, Sebaſte, Joppe, Hieroſolyma. Ac Gazam, Gadaram & Hippon, quæ GRÆCÆ urbes*, Cæſar ſeparavit atque Syriæ adjecit. conf. B. J. l. II. c. XX. Quod ad Gergeſam aut Geraſam illa, uti originaliter Cananæa Gen. X. 16. eſt, ita etiam ævo Salvatoris infideles incolas procul dubio aluit, quod idem rerum Judaicarum diligentiſſimus Scriptor l. cit. innuit. Γερασηνοὶ οὔτε εἰς τοὺς ἐμμείναντας ἐπλημμέλησαν καὶ τοὺς ἐξελθεῖν ἐθελήσαντες προέπεμψαν μέχρι τῶν ὅρων, *Geraſeni illos, qui manere volebant, non male tractabant & egredi volentes ad fines ſuos deducebant*. Vide Seriem.

5. De Ceremoniis.

XXVI. *Quintum* de Ceremoniis. Habes loca N. Teſtamenti, quæ diſerte ritum ceu receptum in Gente Judaica memorant, cujus tamen certum veſtigium in V. non conſpicitur; ſunt dein alia, quæ ad Ceremonias Judaicas alludunt. Utriuſque ſpeciei ita comparata ut tum demum intelligantur, quando Ceremoniæ illæ e monumentis vetuſtis in lucem protractæ ſunt. א, Prioris ſpecimen cernitur Luc. I. 9. Κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι, *ſecundum conſuetudinem Sacerdotii ſorte adeptus eſt* (munus) *ſuffiendi*. Provocat hic Divinus Scriptor ad conſuetudinem, qua functio ſuffitus ſorte inter Sacerdotes diſtribuebatur. Illam autem in inſtitutis ſacris fruſtra quæris neque enim vetuſtiſſimis temporibus valebat, ſed demum poſterioribus. Igitur petenda e libris, qui Miniſterium Templi ſecundi nobis reliquerunt, qualis eſt Miſchna, quæ Materiam hanc abunde tradit, tum in tr. יומא tum in תמיד referens quatuor ſortes ſingulis diebus projectas, quarum tertia de ſuffitu tr. יומא c. II. 2. 3. facta in conclave Gazith Maim. *de ſacrificiis jugib.* c. 4. 1. porrectione digitorum §. 2. Conſtituebatur a Præfecto ſortilegii certus numerus atque inquiebat, is, in quo numerus deſinit, ad hanc functionem dignus habebitur. Incipitur igitur in ſacerdote, cujus cidarim prius tollebat & pergit, donec in aliquo numerus finitur. Qui vero ad hanc ſortem admittuntur, illi prius hoc munere nunquam functi ſunt: Dicebat enim Antiſtes חרשים לקטורת בואו והפיסו *novi ad ſuffitum accedant & ſortiantur*. Miſchn. tr. תמיד c. V. 2. Plenius Maim. tr. & c. cit. §. 7. הפייס השלישי אומר להן הממונה לכל אנשי בית אב של אותו יום מי שלא הקטיר קטורת מימיו יבא ויפייס יתקבצו אצל הממונה ויפיסו ומי שיצא בפייס זה ראשון הוא שיזכה להקטיר קטורת *ad ſortitionem tertiam quod attinet, denunciabat præfectus omni familiæ, quæ erat de die operatura, ut quiſquis eorum ſuffimentum nunquam incendiſſet, ad Sortitionem accederet: conveniebant ad præfectum & ducebatur ſors, qua qui primus exibat, ejus erat ſuffimentum adolere*. Hinc ergo clare cognoſces, quid ſit *juxta conſuetudinem Sacerdotii ſorte adeptus eſt* (*munus*) *ſuffiendi*. ב Poſterioris Apoc. III. 5. *qui vincit, ille veſtibus candidis amicietur & non delebo nomen ejus e libro vitæ & confitebor nomen ejus coram Patre meo & coram Angelis ejus.* Novi alios l. h. e more Romano explicare ſed puto rectius illos facere, qui alluſionem ad judaicum latere putant. Commate 4. egit de Sardenſibus numero paucis, qui veſtes non inquinarunt, quique digni, ut cum Pontifice N. Teſtamenti ἐν λευκοῖς *in albis* incedant. Nemo, ut puto, diffitebitur verba hæc ad legitimum Sacerdotum Aaronicorum veſtitum reſpicere. Ergo commode immediate ſequentia ad eundem referuntur, uti liquet ex traditione in tr. מדות c. V. 3. quam L'Empereur ita vertit: *conclavi cæſi lapidis conſeſſus Magnus Iſraelis ſedebat, ac etiam* דנה *judicabat Sacerdotes. Sacerdos, in quo inveniretur vitium, induebat ſibi atras ac atris involvebat ſe itaque egreſſus abibat: cui vero non inerat vitium,* לובש לבנים *induebat ſibi veſtes albas ac ſe albis involvebat & ingreſſus miniſtrabat cum Sacerdotibus fratribus ſuis. Atque feſtum celebrabant diem, cum non inveniretur vitium in ſemine Aaronis Sacerdotis; hœc locuti, laudibus efferatur Deus ille laudandus, quia non invenitur vitium in ſemine ſacerdotali Aaronis & laudetur is, qui elegit Aaronem ejuſque filios, ut aſtarent ad Miniſterium coram Deo in æde ſancta*. Revelator loquitur de illo, qui vincit: promittit ei veſtes albas: promittit quoque non deletionem e libro vitæ. Confer hæc cum Sacerdote, qui in Synedrio M. judicatur ac vincit, hoc eſt rationibus probat ſe & puro ſacerdotali ſanguine natum (nam & de hoc quæſtio inſtituebatur, vide Maim. tr. ביאת המקדש c. VI. 11.) & corpore integrum: Eſt enim νικᾶν phraſis forenſis quoque, uti Rom. III. 4. &c. Talis autem veſtitu candido decoratur ejuſque nomen e libro Sacerdotum probatorum non deletur. Hæc *Introductionis* loco ſufficiant.

Veluti ſorte, qua munus ſuffiendi diſtribuebatur.

Luc. I. 9.

Dein Apoc. III. 5. ubi evidens reſpectus ad modum explorandi Sacerdotes & exploratos albis veſtibus induendi.

DIS-



DISSERTATIO
DE
THEOCRATIA ISRAELITARUM (*)
A Mose præsertim usque ad Saulem.

I. QUONIAM Deus creavit cœlum & terram atque omnia, quæ in iis sunt: eadem creata potenter conservat & sapientissime ad fines ab æterno præstitutos gubernat, merito appellatur *κύριος τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ ϗ τῆς γῆς* Matth. XI. 27. conf. Jer. X. 11. ארון כל הארץ *Dominus totius terræ* Jos. III. 11. 13. atque ejus מלכות בכל משלה *regnum in omne dominium* Psal. CIII. 19. Sive universale.

Regnum Dei universale.

II. Habet idem particulare sive civile in gente Israelitica: quatenus, postquam eam sibi potenti manu juste acquisivit, inito solenni fœdere a subditis Rex declaratus est atque abhinc solus titulum, pompam & reliqua jura regia usurpavit.

Particulare sive civile in Israele.

III. Rex populi jure dicitur is, qui illum tyrranide injusti Domini forti brachio liberat: cui a populo liberato potestas regia solenniter confertur: quique dignitate & privilegiis Regiis fruitur: quique etiam passim titulis regiis ornatur: Nec alius quispiam summam ea in Gente potestatem sed a Deo tantum delegatam exercet. Atqui omnibus memoratis modis Deus Rex Israelis dici potest. Quod nunc eo ordine, quem hic indigitavi, probabo.

Deus Rex Israelis pleno jure dicitur.

IV. 1. Rex populi jure dicitur is, qui illum tyrranide injusti Domini forti brachio liberat. Atqui Deus Hebræos sub sævissimo & injustissimo Pharaonis jugo gementes atque liberationem anhelantes gratiose exaudivit, pluribus prodigiis perpetratis לעם נחלה *in populum hæreditarium* Deut. IV. 20. sibi acquisivit. Unde merito Moses laudes liberationis factæ decantans Deum ut regem sistit Exod. XV. 18. *Jehova* ימלך *regnabit in seculum & æternitatem*. Conf. 1. Sam. X. 18. 19.

I. Quia bello illi sibi acquisivit.

V. II. Insuper liberatus sentiens summam sub ejusmodi Rege felicitatem atque tutissimum adversus quosvis hostes auxilium יחד *unanimiter* legitimum Regem declarat. Ita enim ad Mosen nomine Dei Regnum ambientem populus ait כל אשר דבר יהוה נעשה *Omne, quod loquitur Jehova, faciemus* Exod. XIX. 8. conf. Deut. XXVI. 17.

II. Dein a subditis Rex agnoscebatur.

VI. III. Deus Rex declaratus talem quoque se variis modis conspiciendum & cognoscendum exhibet, partim se comparando ad morem Regum vicinorum, partim etiam demonstrando se illis longe potentiorem & sanctiorem esse, quod ex sequentibus patet.

III. Hinc talem se gessit.

VII. א. Nam mox suffragiis collectis præcipit vestium & corporis sanctificationem, alios longius a se arcet, alios vero propius ad se admittit, ut Ministros interioris admissionis atque internuncios se inter & populum: Ipse inaugurandus vehitur celsis nubibus, fulgura coruscabant, tonitrua audiebantur & buccinæ fortissimum edebant sonum (Conf. cum inauguratione Salomonis 1. Reg. I. 38. 39. 40.) voce majestatis plena

א. in inauguratione.

המלך

(*) Loco Eruditæ Cel. Witsii de Theocratia Israelitarum Orationis constitui dissertationem ejusdem Materiæ heic apponere ceu commodiorem expositioni regiminis Theocratici in Collegiis nostris.

משפט המלך *Jus regium*, quale hoc tempore publicandum eſt, vide 1. Sam. X. 25. eloquitur atque præter leges morales etiam ceremoniales & forenſes, quæ alioquin Regem terreſtrem auctorem habent, fert c. xx. xxi. xxii. xxiii.

& νομοθεσία.

ב. Fœdere.

VIII. ב. Ne vero quidquam ad mutuam Regis atque ſubditorum obligationem deeſſet, fœdus illud ſolenniter confirmandum cenſuit Deus. Secutus autem eſt morem illo tempore in fœderibus, ſpeciatim quæ fiebant inter Regem & ſubditos, receptum, juxta quem victimas mactabant, ſanguinem in fœderatos adſpergebant & oblatæ victimæ partem aliquam comedebant. Conf. Gen. XV. 18. II. Sam. V. 3. Uti plene recenſetur Exod. XXIV. 4. 12. *Scripſit Moſes omnia verba Jehovæ, & ſurrexit multo mane ædificavitque altare infra montem* (quod Deum repræſentabat, unde inferius ſanguinis pars illi inſpergenda dicitur) *& duodecim ſtatuas pro duadecim tribus Iſraelis. Miſitque juvenes filiorum Iſraelis, qui offerrent holocauſta & ſacrificarent ſacrificia pacifica, juvencos. Poſtea ſumſit Moſes dimidium ſanguinis, poſuitque in crateribus: dimidium autem ſanguinis ſparſit ſuper altare. Mox ſumſit librum fœderis, legitque in auribus populi, qui dixit, omne, quod locutus eſt Jehova, faciemus & audiemus. Tum ſumſit Moſes ſanguinem & ſparſit ſuper populum dixitque: Ecce ſanguis fœderis, quod pepigit Jehovah vobiſcum ſuper omnibus verbis illis. Dein aſcendit Moſes & Aaron, Nadab & Abihu & 70. Seniores Iſraelis*, qui poſtquam viderant Deum, *comederunt & biberunt*.

ג. Acceptione munerum.

IX. ג. Regi recens electo ſubditi ad lætitiam & reverentiam teſtandum animo ſpontaneo dona mittere quandoque ſoliti ſunt 1. Sam. X. 27. Pariter Regi Iſraelis aurum, argentum, cuprum, lanam hyacinthino, purpureo, coccineo colore tinctam, linum ſubtiliſſimum, lanam caprarum, pelles arietum ruforum ut & hircorum ætate provectiorum (ita probabiliter תחשים exponendum putamus) ligna Schittim, oleum, odoramentum, unguentum, tandem gemmas ſponte magna copia obtulerunt. Exod. xxv. 1. 8. Exod. xxxv. 24. xxxvi. 9.

ד. Habitatione in Palatio nitide exſtructo & pretioſis vaſis inſtructo.

X. ד. Reges quoque, ut ſubditis conſilio & auxilio facilius proſpicere valeant, inter eoſdem habitant. Quo ſe tamen diſcernant neque nimis familiares contemnantur, loca incolunt, quæ nemini niſi vocato aditum concedunt Eſth. IV. 11. Loca illa nitide extructa, dicta היכל 2. Reg. XX. 18. auro tota ſplendent aut ſi alia conſpicitur materia, non minus pretioſa atque artificio magnopere commendata eſt; Intuere Palatium Salomonis 1. Reg. VII. Vaſa quoque ſplendida & ad pompam regiam affabre facta in iis cernuntur, ea præprimis notabilia, in quibus dapes coquuntur & coctæ imponuntur, ubi incenſis odoramentis omnes tetri odores diſpelluntur, tenebræ fugantur, ſordes eluuntur. Adde ſolium, כסא nuncupatum, quod ad judicia ferenda, reſponſa danda Reges conſcendunt. 1. Reg. VII. 7. Non minus Rex Hebræorum locum in populo ſuo ſibi elegit Exod. xxv. 9. Sacrum tamen non ſolum plebi ſed & ſummis Miniſtris ſub pœna mortis a promiſcuo aditu excluſis Lev. x. 1. 2. xvi. 1. 2. qui non minus, ac aliud Regium Palatium היכל 1. Sam. l. 9. dicitur, nam æque auro rutilabat aut alia pretioſa materia mire picta oculos intuentium in ſtuporem trahebat: Parietes enim auro obducti & tegumentis varie coloratis tecti conſpiciebantur. Conſpiciebatur in eo ara ſacrificiis ſive cibo Dei parando deſtinata: Menſa aurea, quæ jugiter XII. panes egregie diſpoſitos ferebat: Alia ara, ab uſu ſuffitus vocata, in qua quotidie duabus vicibus fragrantiſſimi odores incendebantur. Præterea Lychnuchus ſeptem lucernis inſtructus. Labrum dein ex optimo metallo conflatum, ne quis pollutus rem ſacram faciat. Tandem thronus, ex quo oracula fundebat. Vide Exod. xxv. xxvi. xxvii.

ה. Variis Miniſtris qui varias functiones ad Regiam dignitatem pertinentes obibant.

XI. ה. Solent inſuper Reges varii ordinis Miniſtros ad Regiam pompam condecorandum alere, quorum quidam interioris admiſſionis proxime in conſpectu Regis ſtant. Dan. I. 5. Alii non item viliora obeunt munera, excubias agunt, canunt, inſtrumentis muſicis amœnum excitant ſonum. Omnes tamen labis vel minimæ expertes Dan. I. 4. pulchris veſtibus ornati, prout vices jubent, Regi ſerviunt atque e regiis redditibus victitant. Regi Iſraelis numeroſum non minus famulitium erat, ordine tamen diſtinctum. Omnes anteibat Pontifex: Hunc ſequebantur gregarii Sacerdotes כהנים (quo nomine alias veniunt miniſtri Politici 2. Sam. VIII. 18.) Tum Levitæ. Illi jugiter verſabantur לפני יהוה *in conſpectu Jehovæ* in ſancto atque atrio proximo. Hi remotiora occupabant loca, obſervabant, ne immundus quiſpiam Palatium ingrederetur Num. VIII. 26. Sacerdotes juxta ac Levitæ cantabant, buccinas inflabant Rege comedente & bibente, hoc eſt, quando ſacrificium, cibus Dei, igne devorabatur atque libamen ejus effundebatur. Num. X. 8. 10. Nullus e Sacerdotibus, cujus corpus macula aliqua notatum erat, miniſtrandi jure pollebat, Lev. XXI. 18. 24. vel veſtibus laceris aut conſpurcatis, quare Rex mox ac palatium ſuum exornandum præceperat ſacerdotes eorumque pro varietate ordinis elegantiſſimas artificioſiſſimas veſtes deſcripſit Exod. xxviii. iiſque non minus ac Levitis redditibus ad jus regale pertinentibus clementiſſime proſpexit ad honeſte vivendum,

XII.

ו. Penſione tributaria & ſolutione decimarum

XII. ו. Penſio tributaria Regalis erat vide 1. Reg. IX. 21. Exod. I. 11. Regi quoque ſolvebantur decimæ 1. Sam. VIII. 15. Deus tanquam Rex Iſraelis tributum annuum dimidii ſicli unicuique viro impoſuit Exod. xxx. 13. 14. 15. atque decimas proventuum agri arborumque jure a ſubditis ſuis poſtulavit, Num. XVIII. 28. Mal. III. 8. quas dein Levitis & Sacerdotibus ceu aulicis ſuis ad ſuſtentationem donavit.

ז. Reſponſione ad difficultates Juris.

XIII. ז. Rex, ſi difficultas aliqua Judicibus ab illo conſtitutis oritur, adeundus eſt. Neque enim Judices ea decidendi, quæ leges regiæ non deciderunt, poteſtate pollent. Ita Rex Iſraelis leges quidem tulit, ſed illæ breviores, quam ut inde omnes caſus definiri potuerint. Quare difficultas juris orta vel per Moſen vel per Urim & Tummim ad regis deciſionem immediate conſequendum deferebatur. Num. IX. 8. 9. XXXVI. 5.

ח. in caſtris exercitum præeundo bellum indicendo.

XIV. ח Clariſſime Θεοκρατεία Iſraelitica e caſtris, quibus Deus tanquam ſummus Imperator præfuit, inſuper cognoſcetur. *Primo* ſummi ducis eſt exercitum præire atque exemplo ſuo milites ad fortiter pugnandum incitare, vide 1. Sam. VIII. 20. bella indicere, hoſtem, qui aggrediendus eſt, deſignare, præcipere quoque, quo ordine adverſus illum pugnandum ſit. Subſtituere illos, qui operam vicariam ſubeunt. Talem ducem ſe geſſit Deus, qui in nube Iſraelitas anteibat, cujus ſolium humeris Levitarum in fronte exercitus geſtabatur. Num. X. 33. 34. Ille bella adverſus Gentes Cananæas gerenda imperabat. Illum Iſraelitæ interrogant: *Quis aſcendet è nobis ad Cananæum in principio ad pugnandum contra eum? Et dixit Jehovah* ſcil. per Urim: *Jehuda aſcendet* Jud. l. 1. 2. *Quis aſcendet e nobis in principio ad bellum cum filiis Beniaminis? Et dixit Jehova* ſcil. per Urim. *Jehudah in principio*. XX. 18. conſ. 23. 28. Ille quoque Joſuam, Otnielem, Gideonem & reliquos duces elegit. Hinc bella a Gente geſta מלחמות י"י *bella Jehovæ*. Num. XXI. 15. 1. Sam. XVIII. 7. quemadmodum 2. Chron. XII. 15. מלחמות רחבעם וירבעם *bella Rehabeami & Jerobeami* dicuntur, & ipſe נצח ישראל *triumphator Iſraelis* 1. Sam. XV. 29. nominatur.

Commorando ſub tentoriis in medio exercitus.

XV. *Secundo*: Imperatores militares ſub tentoriis degunt, quæ figere & refigere, prout neceſſitas poſcit, facile queunt. Vaſa quæ ſecum ferunt, ad geſtationem compoſita ſunt. Quieſcentes locum plurimum medium ad conſilium & auxilium omnibus æqualiter ſuppeditandum maxime commodum eligunt. Cuſtodes corporis proxime circa ducem caſtra metantur. Sed remotioribus in locis circumquaque reliquus exercitus bene diſpoſitus jacet. Imperator Iſraelis omni tempore, quo hoſtes ſuperandi reliqui erant, ſub tentoriis degebat 2. Sam. VII. 2. Vaſa, ut commode e loco in locum geſtari poſſent, vectibus inſtruebantur. Ex XXV. Tentorium in medio exercitus figebatur, quo alluditur Pſ. XLVI. 6. Circa illud Moſes, Aaron. Sacerdotes, Levitæ caſtra ponebant, Num. III. 23. 29. 35. 38. Verum reliquus populus ad omnes quatuor plagas, tres tribus ad unamquamque plagam, caſtra miro ordine extendebant, ut Bileamus iis conſpectis in laudem erumpere coactus fuerit: *Quam pulchra ſunt tabernacula tua, o Jacob! habitacula tua, o Iſrael!* Num. XXIV. 5.

IV. Competunt Deo tituli regii.

XVI. IV. Hactenus evicimus Deum ſe Regem Iſraelis conſtituiſſe, a populo declaratum fuiſſe atque variis modis ſe talem geſſiſſe. Supereſt ut demonſtremus ipſi quoque competere titulos Regios. Atque hoc ex antecedentibus ſequi neceſſe eſt. Igitur ea ſolum allegabimus teſtimonia, quæ non tantum illum Regem dicunt ſed alium quemvis excludunt, imo regnum ejus cum Rege ex hominibus deſumto ſtare haud poſſe aperte dicunt. 1. Sam. XII. 12. *quum vidiſtis quod Nachaſch Rex filiorum Ammon veniret contra vos, dixiſtis mihi; non* (vide c. VIII. 19.) *ſed* מלך ימלך *Rex regnabit ſuper nos:* ויהוה אלהיכם מלככם *quum tamen Adonai Deus Veſter Rex veſter eſſet*. E. Deus ante Saulem, primum Regem humanum, Rex exſtitit. Saule electo regnum Dei rejiciebatur. Niſi enim ſpeciali modo Deus rexiſſet Iſraelem, quo poſtea non rexit, verba Samuelis non valerent. Manſit enim poſtea Deus populi. Pariter c. VIII. 7. *Audi vocem populi juxta omne, quod ad te dicturus eſt, nam non te aſpernati ſunt* כי אתי מאסי ממלך עליהם *ſed me aſpernati ſunt, quo minus regnarem ſuper eos*. Quando pupulus ad Samuelem ætatis paulo provectæ dicebat: *Da nobis Regem, qui judicet nos*, id Judex pientiſſimus, tum Dei, tum ſuo nomine, ægre tulit: Illum autem Deus verbis cit. conſolatur q. v. d. *Samuel noli hanc populi petitionem ægre ferre ac ſi dignitati tuæ adverſaretur. Tu nonniſi Judex a me Rege conſtitutus es: Regem adeoque petentes non te ſed me aſpernati ſunt, meum regimen ſublatum cupiunt*. Quomodo jam Majores ἀνθρωποκρατίαν θεοκρατίᾳ ſubſtituiſſent, niſi Gideon memor officii a Rege ſibi demandati obſtitiſſet Jud. VIII. 23. *Non dominabor in vos ego: neque dominabitur filius meus in vos*. יהוה ימשל בכם *Jehovah in vos dominabitur*.

uti Rex. Dominus.

V. Teſtimonio tum Joſephi.

XVII. Theocraticam Regiminis formam pluribus argumentis hactenus adſtructam illuſtrabunt duo ſequentia teſtimonia. Primum Joſephi l. II. Contr. Appion. p. 1071. ed. Col. ἄπειροι μὲν αἱ κατὰ μέρος τῶν ἐθνῶν καὶ τῶν νόμων παρὰ τοῖς ἅπασιν ἀνθρώποις διαφοραὶ,

οἱ μὲν

ι μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ τῶν ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων, ὁ δ' ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μεν τούτων οὐδοπῶν ἀπεῖδεν, ὡς δ' ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον θεοκρατίαν ἀπέπεν τὸ πολίτευμα θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴς ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς. Gelenio Interprete. *Infinitæ quidem particulatim gentium atque legum apud cunctos homines differentiæ ſunt. Alii ſiquidem monarchis* (ſupple *alii paucorum imperio*) *alii Democratis Reipublicæ poteſtatem commiſere. Noſter vero legislator nihil horum intendens, veluti ſi quis hoc dicendo, menſuram tranſcendat verbi* (vel *veluti ſi quis ita diceret & vim faceret verbo, nam* θεοκρατεία vocabulum a Joſepho effictum eſt) *divinum imperium* (θεοκρατίαν *declaravit, Deo principaliter converſationem noſtram* (potius *principatum*) *atque poteſtatem excellenter aſſignans*. Alterum R. Schem Tobh ad *Maim. Doct. Perplex*. l. III. c. XLV. p. 174. c. 1. השם יתברך צוה לעשות בית כבית מלך ובבית מלך ימצא כל אלו הדברים אשר אמרנו אנשים שישמרו את היכליו ואנשים שיעבדוהו בעבדות המיוחדות למלך לתקן מאכליו ועשות כל שאר הדברים הצריכים למלך ויש אנשים אחרים שישוררו לפניו בכל יום תמיד בשירה נאה ובקול ומרה ויש בבית המלך מקום אחד מוכן לעשות המאכל ויש גם כן מקום להקטיר לפניו קטורת סמים ויש שלחן בביתו ויש גם כן מקום מוכן אשר בו יושב המלך אשר לא יכנס אדם שם כי אם המשנה לו ואהביו עד מאד וכן רצה השם שיהיה בביתו כל אלו הדברים אשר לא וחסר לו ממלך מלכי אדמה אף כי הוא מלך גדול ואינו צריך לכל זה ונמשך מזה מתנות כהונה ולויה כמו שהמלך נותן לאנשי משמרתו וזה כדי שיאמינו ההמון שהמלך י״י צבאות יושב בקרבנו והוא מלך גדול נורא על כל העמים כמו שאמר מקדש י״י כוננו ידיך י״י ימלוך לעולם ועד כו בזה הבית תפרסם מלכותו וגדולתו ולבן צוה בכל אלו הדברים *Deus* εὐλογητὸς *præcepit, ut extrueretur domus ſimilis domui regiæ, in qua omnia, quæ diximus, reperientur; ſcil. vigiles, qui palatium cuſtodiunt: Viri dein, qui ea faciunt officia, quæ ad Regem pertinent, qui ordinant cibos ejus atque alia Regi neceſſaria: Præterea alii, qui quotidie coram Rege cantant cantu amœno & inſtrumentis muſicis. In domo Regia ſolet reperiri locus parandis cibis; item locus ſuffitui aromatum incendendo. Eſt quoque menſa, conclave in quo Rex conſidet, & quo alius quiſquam intrare haud valet niſi qui ei ſecundus, aut quos maximo proſequitur amore. Ita placuit quoque Deo, ut hæc omnia in domo ſua eſſent, neque quopiam Regum terreſtrium inferior exiſteret. Quoniam ipſe Rex Magnus minime harum rerum indigus eſt, patet hæc Sacerdotibus & Levitis data eſſe, prorſus quemadmodum Rex cuſtodibus ſuis dare ſolet. Hoc omne autem eo pertinet ut plebs credat Regem Dominum Exercituum inter nos verſari, qui Rex Magnus eſt atque omnibus Gentibus timendus, quemadmodum dicitur Exod. XV. 17. 18. Sanctuarium Adonai præpararunt manus tuæ. Adonai regnabit in ſeculum & æternitatem. Hac enim domo publicabitur regnum & magnificentia ejus, quare hæc omnia inculcavit.*

Tum R. Schem Tobh.

Initium & finis regiminis Theocratici.

XVIII. Hoc autem divinum imperium proprie duravit ab eductione ex Ægypto uſque ad primum Regem ex hominibus electum. Oſtendimus enim Deum jure liberationis Ægyptiacæ jus ſibi in populum acquiſiviſſe: Ab eo tempore jura regia exercuiſſe. Deſiiſſe vero Regibus in Gente conſtitutis, quandoquidem l. cit. Deus diſerte ait *me aſpernati ſunt, quo minus regnarem ſuper illos*, atque ita teſtatur ſe antea regnaſſe. Ante & poſt memoratum tempus haud clara θεοκρατίας veſtigia cernuntur.

Difficultas ſolvitur.

XIX. Non obſtat Moſen, Joſuam, alios Judices, Synedria quoque præfuiſſe populo Iſraelitico. Nam omnis horum poteſtas ſubordinata tantum erat. Quæ judicabant, ad legem jam datam cognoſcere tenebantur. Difficilia, nova immediate abs Deo petebant. Qui plura hac de Divina Regiminis forma ſcire cupit, adeat Cl. Witſium, præprimis Eruditiſſ. Spencerum, qui primus hanc Materiam ex profeſſo pertractavit.

MOSES



MOSES ET AARON.

LIBER PRIMUS DE PERSONIS.

CAPUT PRIMUM.

De forma Reipublicæ Judaicæ, usque ad adventum Christi, & quando sceptrum de ea sublatum sit.



FORMA Regiminis mutationibus inter omnes populos obnoxia fuit; præprimis autem Judaica, quæ diversissimas facies induit: quarum sequentes nobiliores fuere. Primo *Patres familias* cum *Primogenitis* omnem regiminis speciem administrabant & tanquam ædium suarum Reges & Sacerdotes tum *Sacram* tum *Civilem rem* obibant. Ipsi clavum domestici imperii tenentes, benedicere, maledicere, domo & hæreditate eliminare, imo capite plectere poterant: ut liquet ab exemplis *Noachi* adversus *Chamum Gen. IX.* 25. *Abrahæ* adversus *Hagarem & Ismaelem Gen. XXI.* 14. *Jacobi* adversus *Simeonem* & *Levi Gen. XLIX.* 5. *Judæ* adversus *Thamaram Gen. XXXVIII.* 24. Tempore *Mosis* hoc primogenituræ jus penitus elisum est.[1]

Primo Patres familias cum primogenitis regimen administrabant.

II. Quemadmodum autem *Aaron* ipsiusque posteri jure & titulo sacerdotali gaudebant, ita *Moses* & ab ejus morte *Josua* totum populum specie quadam monarchici status flexit: ille enim [2] *Rex in Jeschurun* audiebat *Deut. XXXIII.* 5.

Dein Moses, Josua.

III. Secuti Josuam *Judices*, statim ab electione, absoluta & fere independenti potestate fruebantur, haud absimiles Regibus. Longissima autem interregna & intervalla, quæ plerumque intercessere inter denatum substitutumque Judicem, rem Judæorum gravissime affligebant, usque dum periculum in mora, armorumque metus ipsis Judicem extorqueret, licet strepitu [3] metuque sopito ad privatam rursus vitæ conditionem descensurum. Gideon enim excusso Midianitarum jugo, & restituto pristinæ libertati populo cum ipsi summa rerum sceptrumque deferrentur; *non ego, ait, neque filius meus, dominabimur vobis. Jud. VII.* 23. Extraordinarium erat, quod *Samuel Israelem judicavit omnibus diebus vitæ suæ.* 1. *Sam.VII.* 15. *Zepper lib.* 3. *leg. Mos. c.* 6. Hoc respectu horum Judicum dignitas non ablusit ab autoritate *Dictatorum Romanorum.*

Tum Judices

qui strepitu sopito ad privatam vitæ conditionem descenderunt.

IV. Hæc moderaminis facies juxta computationem *Augustini de Civ. D. lib.* 18. *cap.* 22. post trecentos & viginti novem annos [4] demum, inter Judæos collapsa est. Ubi res alicujus momenti sub interregnis eveniebant, deferebantur ad magnum consessum LXX. virorum, h. e. *Synedrium*, cujus intuitu Regiminis forma videbatur *Aristocratica* esse.

Judicum tempus.

Postea Reges

V. Judices insecuti *Reges*, rerumque potiti Judæis jura dixerunt a *Saule* usque ad captivitatem Babylonicam annis circiter quingentis & viginti, *Zepper leg. Mos. lib. III. cap. VI.*

Post captivitatem Babylonicam Præsides a Persis

vel Græcis dependentes.

VI. A captivitate Babylonica usqùe ad ἐπιδημίαν *adventum* Christi (qui apparuisse putatur anno quingentesimo trigesimo sexto: vid. *Chronol. Funcii*) Respublica Judæorum multiformi mutationi subjacuit. Interdum enim parebant *Legatis* & *Præsidibus*, qui non absoluto jure utebantur, sed a submissis Persarum Regum decretis mandatisque dependebant; hos appellabant ראשי גלות αἰχμαλωτάρχας, *Principes seu capita deportationis. Maim. in Jad. Lib. cit. tract. Sanhed. cap.* 4. §. 13. Talis erat Zorobabel & ipsius Successores, quos *Chronicon* Judæorum, *Seder olam minus*, dicit fuisse *Mesullamum*, *Hananiam*, *Berechiam & Hesadiam*. Hi omnes creduntur rem Judaicam administrasse sub Monarchia Persica, & descendisse ex stirpe Davidis, uti & cæteri succedentes decem Gubernatores post Alexandrum Magnum. In quorum decem ultimo subsidit gloria domus Davidicæ, sceptro translato in gentem Maccabæorum, qui ortum debebant tribui Levi.

Tandem Maccabæi.

VII. *Maccabæi* vocitabantut *de Juda Maccabæo*, qui condecoravit vexillum suum his literis initialibus, M.C.B.A.I. quas decerpserat ex מי כמכה באלים יהוה, *Quis sicut tu inter Deos, sive fortissimos, Jehovah? Chron. Carion. lib. I. p.* 144. 5

Ultimo Herodes.

VIII. Hæc Maccabæorum plena & absoluta potestas viguit, usque dum Herodis Ascalonitæ regnum ingrueret, sub quo Salvator noster σάρξ ἐγένετο *incarnatus est*, juxta vaticinium Jacobi *Gen. XLIX.* 10. *Non recedet Sceptrum a Juda, & Legislator, qui est ex eo, quod est inter pedes ejus, usque dum veniat Schilo* (h. e. *Messias:*) *Targum Uziel*; eadem pene verba recitat *Targ. Hieros.* 6

Loci hujus difficilis expositio.

IX. Ad enucleandum hujus vaticinii sensum duo observanda veniunt, I. Tempus, quo Sceptrum Judæ concessum: & II. tempus, quo rursus ereptum est.

Juxta quosdam Juda solam Judæ tribum.

Iuxta alios duas tribus

Rursum Juxta alios XII. tribus notat.

X. Prius autem expendenda est differentia, qua exponunt duo ista vocabula *Juda* & *Sceptrum*. A. Quidam capiunt vocem *Juda* pro *tribu sola* Judæ, ut *Origen. Hom.* 17. *in Gen. Epiph. contra Ebionæos*, & maxima Hebræorum pars. Verum S. Script. contrarium dicit, docendo, alias tribus quoque multos Judices suffecisse Reip. & ipsos Maccabæos ex tribu Levi oriundos ad gubernacula sedisse. B. Alii nomen Judæ hic volunt esse, *duas illas tribus*, quæ partibus Rehabeami studuerunt, quæque post defectionem cæterarum tribuum simul nomine Judæorum venere, quod factum non sit prius, quam decem tribus desciverint. *Cunæus de Rep. Hebr. lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 81. C. Alii sumunt hic Judam pro *toto corpore Israelis*, *vel duodacim tribubus*, quas omnes deinde singularis Dei providentia nomine isto Judæorum, de Juda accepto, insigniverit, quod asserunt *Euseb. demonst. Evang. lib.* 8. *cap.* 1. *Montacut in Analect. p.* 72. *Casaubonus contra Baron. p.* 10.

Ita sceptrū explicatur vel summa potestas vel forma regiminis.

XI. Quod ad vocabulum, *Sceptrum*, A. Quidam id interpretantur pro *Summa rerum & superema Potestate*, qua primario unus fungebatur. Huic sententiæ manus dant Patrum plerique. B. Alii tuentur, istud vocabulum, Sceptrum, positum esse pro *forma Regiminis* & *Reipublicæ*, αὐτονομίᾳ propriisque legibus ac ritibus suffultæ; eoque nomine tam depressiorum Magistratuum & Sacerdotum, quam Principum Regumque autoritatem denotari. *Casaub. adv. Baron. p.* 19. 23. *Just. Mart. in dial. cum Triph. Cunæus de Rep. Hebr. lib.* 1. *c.* 9. *p.* 82.

Hinc nonnulli dicunt αὐτονομίαν fuisse usque ad excidium penes duas tribus.

XII. Ex his diversis vocum expositionibus gignuntur variæ & diversæ ἑρμηνεῖαι *interpretationes* prophetiæ Jacobi. Quidam enim putant *Sceptrum* secundo significatu sumptum concreditum esse *Judæ*, h. e. duabus tribubus, quæ favebant partibus Rehabeam in defectione populi; & hoc Sceptrum ipsius Judæ manui extortum non esse usque ad desolationem Hierosolymorum, quoniam ab ipso Herodis tempore ad istam destructionem, Judæorum Leges Sacerdotium & Respublica etsi concussa fuerint, non tamen penitus corruerunt. *Cunæus de Rep. Hebr. lib.* 1. *cap.* 11. *p.* 96.

Alii penes XII. duplici modo.

1.

XIII. Aliorum sententia defendit, *sceptrum* secundo sensu captum *Judæ*, h. e. duodecim *tribubus* insinuatum esse tempore Mosis, illudque ipsis ablatum non esse usque ad dirutionem Hierosolymæ, neque regnum Judæ defecisse in ipso Herode, utpote Judæo adscititio seu Proselyto: ajunt enim *Judæum* esse nomen *Religionis*, non *nationis*. *Scalig.* & ex eo *Casaub. adv. Baron. p.* 19. & 39.

2.

XIV. Alii opinantur *sceptrum* secundo sensu intellectum *Judæ* porrectum fuisse, h. e. duodecim *tribubus* tempore Mosis, sed ab Herode ablatum, sic tamen ut eo imperium exercente Judæ gloria languescere modo cœperit, solo vero æquatis Hierosolymis penitus marcuerit. *Montacut. in Anal. pag.* 74.

Alii vero rerū summa Ju-

XV. Alii sustinent, *sceptro*, si prima sumatur significatione, *Judam*, h.e. duodecim *tribus* potitas fuisse Mosis tempore, sed istud rursus ipsarum manibus excussum, sævien-

te He-

te Herodis Imperio. *Auguſt. contr. Manich. lib.* 12. *cap.* 47. *Euſeb. demonſtr. lib.* 8. *Chron. Car. p.* 143. Priores ſententiæ tuentur Meſſiam anticipaſſe ſuo adventu ſceptri ablationem; poſteriores ſceptri ablationem conſtituunt ſignum & prodromum παρȣσίας Meſſiæ.

da per Herodem ablatam affirmant.

XVI. Quod ipſum eſſe puto, quod a prophetia iſta intenditur. Nam hæc opinio, quo latior patet, eo certioribus etiam firmioribuſque talis ſtare poſſe videtur. Tum enim defecerat Sceptrum ad proſelytum ſcil. Herodem, quod antea factum non erat; & tum etiam *ipſe Legislator diſceſſerat e medio pedum ejus*, quando Chriſtus ἐφανερώϑη ἐν σαρκὶ *apparuit in carne*, *Galatin. lib.* 4. *cap.* 6. *p.* 203. *ex Thalmud. Hieroſ.*

Poſterior ſententia probatur.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

Annot. [1] Auctor cum plurimis Hebræis ſentit, qui vulgo dicunt עד שלא הוקם המשכן היו הבמות מותרות ועבודה בבכורות *Tabernaculo nondum exſtructo excelſa licita erant: Miniſterium autem fiebat per primogenitos. Exſtructo vero Tabernaculo excelſa ilicita erant & functio ſacra a Sacerdotibus obibatur.* Ita in Bereſch. Rabb. §. 71. משפט הבכרה *Jus primogenituræ* aliquod in ſacris aliiſque ſcriptis fundatiſſimum eſt ſed quod præeuntibus Magiſtris Auctor noſter affirmat, primogenitos rem ſacram pro fratribus natu minoribus curaſſe, de eo altum ſilentium, etiam in iis locis, quæ prærogativas primogenituræ docent 1. Chron. V. 1. 2. Adverſantur exempla, veluti Caini & Abelis natu minoris, cujus tamen oblatio Deo gratior. Sacrificia quoad ſcopum offerentium conſiderata talia, quæ liberrimo illo tempore ab omnibus commode offerri poterant, & oblata erant. Nec deeſt ex Judæis, qui aliter ſentit, ut R. Schmuel fil. Eliſchæ עד שלא נבחר אהרון היו כל ישראל כשרים לכהונה *Ante Aharonem electum totus Iſrael ad ſacerdotio fungendum legitimus erat* in Mecilta f. l. l. Alias in ſacrificiis publicis, ſi tum quæ fiebant, potiores partes primogenitis fuiſſe ultro fatemur. Plura dabunt hac de Materia *Cl. Heideg. Hiſt. Patr.* T. 1. Ex. 1. §. 19. *Cel. Vitringa Obſerv. S. l. II. c.* 2. 3.

[2] Num Moſes Rex Iſraelis fuerit, de eo Judæi & Chriſtiani in explicatione Deut. XXXIII. 5. valde controvertunt. Si tamen ad ſeriem attendimus l. cit. & uſum vocabuli מלך *Rex* laxiorem, nihil obſtat. Alibi quoque Moſes ארון *Dominus* principum populi Num. XXXVI. 2. audit & populus nomine עברים *ſervorum* Num. XXXII. 31. venit. Moſes ex hominibus ſuperiorem neminem habuit, adeoque pro poteſtate vocis מלך *Rex* dici poteſt, quomodo *Maim. tr. de domo ſelecta* c. VI. 1. משה רבינו מלך הוא *Moſes Magiſter noſter Rex erat.* Licet idem alio reſpectu fuerit ϑεράπων Hebr. III. 5. Hæc enim non pugnant.

[3] Judices ſtrepitu ſopito ad privatam vitæ conditionem deſcendiſſe parum probabile videtur: Judicibus non tantum ad liberationem a Tyrannide, ſed ſecuritatem, conſtantem erga verum Numen pietatem indigebant. Hoc non obſcure indicatur Jud. II. 19. III. 11. 1. Sam. VII. 15. Conſentit Joſephus Antiquit. l. V. c. 4. p. 151. κενίαζος ὡς ἔργῳ πεῖραν αὐτοῦ λαμβάνει παρὰ τοῦ πλήϑους ἀρχὴν ὡς τε κρίνειν τὸν λαόν. καὶ ἄρξας ἐπ' ἔτη τεσσαράκοντα καταστρέφει τὸν βίον *Ceniazus* (qui Othniel filius Cenaz. Joſ. l. 16.) *egregie navatæ operæ præmium principatum a populo accepit, nomine Judicis, in quo poſtquam annos XL. exegit, vita defunctus eſt.* Quod vero Gideonis exemplum attinet, ille non dignitatem Judicialem ſed dominium, quod ſoli Deo ut Regi Iſraelis competebat, detrectavit Jud. VIII. 22. 23.

[4] Quæ auctor. §. 4. 5. 6. Chronologiam concernentia tradit, ex iis, quæ ab initio l. III. dicturus ſum, judicari queunt. Conſtitui 6. 9. brevem Chronologiam a mundo condito uſque ad obitum Chriſti apponere.

[5] Qui a noſtris vulgo Maccabæi dicuntur, ii a Judæis חשמנים *Chaſchmonæi*. Nam proprie *Maccabæus* ſolus Judas Mattathiæ filius dicendus eſt. Quæ vero nominis ratio ſit, in varias diſtrahuntur ſententias Viri Docti. Quamvis non diſpliceat, quod reperio apud Joſippon B. G. l. III. c. 9. יהודה בנו הנקרא מכבי על שם גבורתו *Jehudæ filius* (Mattathiæ)

Maccabeus ob fortitudinem ſuam ita vocatur. qs. a כבה *delere* qui hoſtes delevit. Genuinas tamen ignoro rationes, propter quas ea ab Auctore allata in re obſcura ſaltem ut probabilis tolerari nequeat. Dictum ſane illi, qui בשם יהוה דגל *in nomine Dei vexillum erigit* Pſ. XX. 6. convenientiſſimum, *Quis ſicut tu inter Deos?* Exod XV. 11. qualis cum Moſe fatetur ſe in Deo Iſraelis hoſtem vincere. Maxima videtur difficultas in eo, an compendia ſcribendi per literas initiales in Gente Hebraica tantæ vetuſtatis ſunt. Extra dubitationem omnino poſitum curtos Judæos hoc noſtro tempore curto ſcribendi genere plurimum delectari: Etiam a Veteribus non alienum fuiſſe probat Miſchna tr. מעשר שני c. IV. 11. & Gloſſa Bartenoriana. Qui plures Etymologias noſſe cupit, adeat B. Avi Theſ. Philol. l. II. cap. 2. §. 1. f.

[6] Commode hic locus adducitur ad probandum, qualis ſtatus regiminis tempore Meſſiæ futurus ſit, quamvis expoſitio Auctoris optima non videatur, Quia vero ex præcipuis eſt, pauca ad illuſtrationem ejus adferre conabimur. Primo quidem non dubitamus verba Jacobi proprie ſolum Judam concernere, uti enim ſermo ad Simeon, Levi &c. prolatus fata continent, quæ poſteritati Simeonis, Levi &c. eventura ſunt, ita ſe quoque habet cum Juda: Quando igitur Jacobus moribundus ad Judam inquit: *Sceptrum non recedet a Juda* fatum ita tribui Judæ proprium, ut eo modo ad reliquas non pertineat, eventurum affirmat. Hoc vero eſt, Judam habiturum ſceptrum, legislatorem atque hoc eouſque, donec advenerit שילה *Schiloh* ſive Judam ſceptro & legislatore non prius una privandum, quam ille manifeſtatus ſit, cui non Judæi tantum ſed עמים *populi* multi adhærebunt. שבט ita notabit poteſtatem & dignitatem hujus Judæ, quomodo Pſ. XLV. 7. Abarbaneli שבט מלכות *ſceptrum regium*. Confirmat ſubſequens tempus, præprimis a Davide uſque ad Captivitatem Babylonicam, quo temporis intervallo Reges ex Juda conſtituti erant. Rudera poteſtatis hujus etiam abſoluta captivitate videbantur. Inſuper מחקק, qui titulus Pſ. LX. 9. CVIII. 9. eidem Judæ aſſignatut & indicat illum, qui חקים δόγματα ſtatuta tradit, quomodo Moſes מחקק qui ex juſſu Dei ejuſmodi חקים *placita* populum docuit. Quia vero ex Juda plurimi oriundi erant, qui ſtatuta, Ceremonias Eccleſiaſticas a Deo datas populo inculcaturi, ob tranſgreſſiones in illum animadverſuri, pro temporum variatione priores immutaturi, novas addituri ſunt ideo ſpeciatim vates ait *non recedet* מחקק *e medio pedum ejus*. conf. Deut. XXXIII. 3. Conſtat autem plurimos ex Juda in Synedrium cooptatos fuiſſe, imo Synedrium, circiter uſque ad annum XXX. Salvatoris noſtri in conclavi Gazith, quod ad tribum Judam pertinebat, conſediſſe. Quo quoque R. Moſes Concionator reſpicit *Vid. Alting. Schilo* l. I. c. IX. Hæc dignitas regia & legislatoria una a Juda non recedet, *donec venerit* שילה Schiloh Meſſiam intelligendum eſſe Veteres Judæi, etiam nonnulli recentiores, cum Chriſtianis, qui Spiritum Prophetiæ teſtimonium Jeſu eſſe vere credunt, minime dubitant, licet in expoſitione vocis rariſſime convenire nequeant. Commode tamen vertitur *filius* aut *embryo ejus* in quem ſenſum Jonathan מזרעיה *e ſemine ejus*: Kimchius בנו *filius ejus ſub* שיל *in Lex*: donec in lucem editus fuerit *filius ejus*. quomodo Pater Judam certiorat ſemen promiſſum filium ſuum

fore,

fore, uti Gen. III: 15. זרעה *ſemen ejus* XXII. 18. זרעך *ſemen tuum* ita hic *embryo ejus*, quod cum fide Veterum optime convenit & major ratio, quare vaticinium ad Judam dirigatur, in eo latet quam in alia aliqua exegeſi. Dein ex lingua Arabica & Hebraica æque probabiliter hic ſignificatus adſtrui poteſt ac alius aliquis. Minime autem fides vaticinii labefactata eſt, quoniam filio Judæ prognato nulla ſupererat poteſtas regia. Supererat tamen poteſtas legislatoria, quæ plurimum a Judæ poſteris & in Juda ſive ejus portione uſquead annum XXX. Chriſti exercebatur.

CAPUT SECUNDUM.

De Publicanis. 1

Publicani qui?

I. **P**OSTQUAM delibavimus notatu digniſſimas Hebrææ Reipubl. mutationes, accingemus nos ad deſcriptionem *Perſonarum*, quæ partes iſtius Reip. conſtituerunt; & primo quidem *Publicanorum*, qui [2] ultimis diebus erant membra heterogenea iſtius Reipublicæ. Judææ itaque in Provinciam Romanam redactæ, adeoque cenſibus tributiſque preſſæ (quod Judæi ipſimet flagitarant a Pompejo ſexaginta annis ante φανέρωσιν *apparitionem* Jeſu Chriſti, teſte *Joſeph. lib.* 1. *de B.J. cap.* 5. *pag.* 720.) certi *Præſides* aſſignati erant a populo Rom. quibus adjuncti *Quæſtores*, tam in Judæa quam cæteris provinciis, colligendi tributi, quantum iis imperatum fuit, geſſere curam. Illi autem, quorum fuit colligere pecuniam publicam, *Publicani* vocabantur, populis tributariis plerumque ob rigidas exactiones exoſi.

Eorum ſpecies.

II. Hi ergo Publicani in cunctis provinciis in ſuas *Societates* fuerunt diſtributi [3] quibus rurſus Magiſtri præerant; quo ſenſu Zachæus dicitur fuiſſe ἀρχιτελώνης *Princeps Publicanorum Luc. XIX.* 2. Harum Societatum frequens mentio injecta apud *Cicer. in Orat pro Sex. Roſc.*, *Murena*, *Cn. Plancio &c. Quæſtores Provinciales* parebant inſuper ſummo cuidam *Præfecto*, qui Romæ agebat, & cui de tributis rationem dare tenebantur. *Sigon. de jure civium Rom. lib. II. cap. IV.*

Male audiebant apud Judæos. Rationes.

III. Publicanos iſtos omnes Provinciæ ſummo odio deteſtabantur [4] ob violentas ac iniquas extorſiones, quibus iſti portitores ſtipendiarios Rom. Imperii coercebant. Præſertim autem eos gens Judæorum [5] vehementiſſime faſtidivit: etſi enim Galilæi præ cæteris pro libertate ſtarent. Judæi tamen generatim tributa in ſua ditione pendi ægerrime tulerunt. Hujus odii luculentus teſtis eſt Regula illius Rabbi, quem citat *Caſaub. Exerc. III.* 37. quæ ſic habet; *ne ducite in matrimonium quandam ex domo publicani, omnes enim ejus domeſtici Publicani ſunt.* Eos ſane ſæpe provincias injuſtis tributis oneraſſe inde claret, quod *Sabino* ob bene geſtum iſtud munus ad immortalem nominis memoriam imago poſita ſit, ſub hoc titulo, καλῶς τελωνήσαντι, *Bene functo Publicani munere. Sueton. in Flav. Veſp. cap. I.* Propterea mirum non eſt *publicanos* & *peccatores* [6] in Evangelio jungi.

Judæi publicani quoque eſſe potuerunt.

IV. Hodie ab omnibus, tanquam invicta veritas receptum eſt, iſta munia non ſolos Gentiles, ſed & ipſos Judæos obiiſſe, etſi *Tertullianus* in contrarium abiret, *de pudic. cap.* 9. Verum poſtmodum *Hieronymus ep. ad Damaſ.* illius opinionem prorſus confecit. Et ratio ipſa dictat Judæis iſtud munus non penitus diſplicuiſſe. [7] Nam 1. Matthæus ipſe fuit τελώνης, Apoſtolico poſt munere inſignis; nec credi poteſt, ipſum e Paganiſmo ad iſtud munus vocatum. 2. Zachæi nomen purum putum Hebraicum eſt, nec ullo modo Latium ſapit. 3. Nervus argumentorum, quo *Tertullianus* nititur, fumus eſt; nam fraudi fuit acutiſſimo *Pœno* Hebraicæ linguæ ignoratio, nuſquam enim in fonte occurrit ſpurius ille textus, cui *Tertullianus* potiſſimum fidit; *non erit vectigal pendens, ex filiis Iſrael; Deut.* XXIV. 7. [8]

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

Annot. [1] Publicanos, qui æs publicum ærario inferunt, Hebraice dixeris נגשים vide 2. Reg. XXIII. 35. Magis tamen proprie מוכסים a Rabbinis vocantur, uti inferius exempla probabunt, quaſi a כסס *computare* Exod. XII. 14. vel potius ab Arabum مكس *tributum, decimas, vectigal collegit. Græci* τελῶναι Matt. V. 47. &c. qui vectigal emere ſolent.

[2] Non tantum ultimis diebus ſub Imperio Romano publicanos fuiſſe puto, ſed multo ante. Quando enim Judæi Perſis Græcis aliiſve populis ſubjecti vivebant, procul dubio publicanos aluerunt. Sic Eſræ c. IV. 13. 20. VII. 24. legimus populum ſub Imperio Perſico מנדה בלו והלך ſolviſſe. Sunt certæ tributorum ſpecies quæ non ſatis accurate intelliguntur. Ultima, quæ ab הלך *ire* deſcendit, probabiliter *portoria* notat. Conſimiliter ſub Græco, unde Jaddus ab Alexandro τὸ ἕβδομον ἔτος ἀνείσφορον εἶναι *ſeptimo anno tributorum immunitatem* nonniſi petit apud Joſephum in Antiq. l. XI. c. ult. p. 386.

[3] Recte Auctor exemplo Zachæi ordinem inter publicanos obtinuiſſe obſervat, quum reliqui in Scriptura ſimpliciter τελῶναι appellantur, Luc. XVIII. 13. Matt. IX. 5. vidit ἄνθρωπον καθήμενον ἐπὶ τὸ

τελώ-

τελώνιον scil in publica via. Hunc compara cum מוכס קטן publicano minore, qui distinguuntur a מוכס גדול majori, de quo Glossa ad Schabb. f. 78. *Aliquando est publicanus major, cui grave nimis est stare in ponte toto die, substituit ergo sibi publicanum inferiorem.*

4 Avarissimum plerumque erat hominum genus, quod vectigalia certa pecuniæ summa a Romanis emerat: non alium in finem, quam ut opes, per summum quoque nefas, corradere possent. Quare communiter publicanus idem ac גזלן qui bona proximi injuste rapit, συκοφάντης Luc. XIX. 8. qualis pessime audiebat. Ut itaque Johannes necesse habuerit ad illos dicere μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. Luc. III. 13. Et Ulpianus: *Cum nemo est, qui nesciat; quantæ audaciæ, quantæ temeritatis sint publicanorum factiones.*

5 Causa est summus libertatis amor. Hic credibiliter inde ortus aut saltem confirmatus, quod sæpenumero in Lege legerint Israelitas esse gentem a reliquis omnibus distinctam, quæque soli Regi cœlesti obedientiam & servitium debet. Quare putabant hominibus, exteris præsertim, servire maximo dedecori esse. Itaque ingenti publicanos prosecuti sunt odio, ceu qui vectigal, servitutis tesseram, nomine Imperii Romani exigebant. Præprimis ævo Christi & brevi post odium illud invalescebat, quo nonnulli libertatem adversus Romanos vi tueri conabantur. Judas Gaulonites censum nihil aliud quam manifestam servitutis professionem dictabat atque populum ad defectionem sollicitabat. Vid. Joseph. Ant. l. 18. c. 1. p. 616. Conf. Jud. VIII. 33.

6 Scil. Math. c. XVIII. 17. IX. 11. &c. V. 46. Coll. Luc. VI. 32. Luc. XIX. 7. & alibi, prorsus uti in profanis Judæorum scriptis, in quibus publicanis idem ac רשע *improbus*. Annumerantur furibus & pessimis quibusque hominibus; Maim de Rap. cap. V. Hinc in Bava Kama f. 94. 1. הרעים הגבאין והמוכסין תשובתן קשה *Pastorum, exactorum & publicanorum resipiscentia difficilis est*, quo alludere videtur Christus Matt. XXI. 31. Inidonei quoque ad testandum, uti in Sanh. fol. 24. אלו הן הפסולין הרועין והגבאין והמוכסין *Illi* (ad testandum) *reprobi, sc. pastores, exactores, telonarii*, ceu qui præsumuntur ultra statutum exigere. vide Aruch sub מוכס f. 90. 4. in. Non tamen sine ullla restrictione accipiendum, de qua consulendus Rambam l. cit. Conferendus Coccejus in Sanh. c. III. annot. II.

7 Plures circumstantiæ in Historia Zachæi illum Religione Judæum faciunt, illa præprimis quæ v. 9. αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν. Unicum addo, quod huc communiter referri solet, ex Sanh. Gem. c. III. סתם גבאי כשר אבוהו דרבי סירא עבד גביותא תליסר שנין Coccejus ita: *simpliciter publicanus* (ad dicendum jus & testimonium) *non prohibetur. Pater R. Siræ egit publicanum tredecim annis.* Nomen גבאי, quod in textu solet alias distingui a מוכס *publicano*, uti modo supra.

8 *Quæ Reizius ex Seldeno ad detegendum errorem Tertulliani notavit, hic appono.* לא יהיה קדש מבני ישראל ubi voce קדש, quæ notat cinædum, iste Pater abusus est. Is autem error manavit ex versione Hellenistica, qua τελεσφόρος & τελεσκόμενος usurpantur, sive pro eo, qui est scortum masculum, vel fæmineum, pretium pendens, vel accipiens, sive pro eo, qui est mysteriorum Gentilium præfectus seu initiatus, *Selden. de Jur. nat. & gent. lib. 2. cap. 5.*

CAPUT TERTIUM.

De Proselytis, seu Judæis adventitiis.

Qui Hebræi?

I. TOTAM Israelis Rempublicam constituebant duum generum homines, [1] *Hebræi* & *Proseliti*, h. e. qui religionem Judaicam amplectebantur. Is, qui vel patre Hebræo, vel matre Hebræa prognatus erat, *Hebræus* fuit; ast [2] qui utrisque Hebræis parentibus obediebat, *Hebræus* audiebat *ex Hebræis*. Talis erat Paulus *Phil. III.* 5. Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων. Is, qui ortus fuit vel patre proselyto, vel matre proselyta, vocabatur בן גר *ben ger*, *filius proselyti*, vel בן גרה *ben gerah*, *filius proselytæ*, qui autem editus erat utroque parente proselyto, appellabatur בגבג *beghag. Pirk. Aboth. cap.* 5. 22.

Qui Proselyti?

Judæi vel Hebræi vel Græcissantes.

II. Hebræi quoque specie differebant; quidam Palæstinam incolentes Hebraico utebantur textu, & hos vocabant *Hebræos*, seu Judæos; alii dispersi per Græcorum ditiones versionem Græcam tractabant, unde traxerunt nomen Ἑλληνιστῶν *Græcissantium*. *Scalig. Animad. Euseb.* 124. 1. *& in Can. Isag.* 278. Utrosque memorat Lucas Act. VI. 1. *ortum est murmur τῶν ἑλληνιστῶν adversus Hebræos* [3] ubi nota διαστολὴν differentiam inter Ἕλληνας & Ἑλληνιστὰς *Græcos* & *Græcissantes*: *Græci* sive Ἕλληνες Apostolo sunt illi, qui opponuntur *Hebræis* late sumtis, sive capias eos pro dispersis inter græcos sive pro Palestinæ incolis. Ἑλληνισταὶ sive *græcissantes* & natu & cultu Hebræi erant, in oppositione Hebræorum stricte sumptorum, h. e. eorum, qui Palæstinam incolebant.

Hebræorũ Catalogi Genealogici.

III. Totum Israelis corpus in XII. tribus erat distributum, & certi genealogiarum catalogi uniuscujusque familiam tribumque docebant. Has genealogias flamma delevit [4] Herodes, ut ab insequentibus ævis Israelitarum gente satus videretur, sublatis his publicis genealogiis. Hoc de ipso testatur *Eusebius Eccl. Hist. lib.* 1. *c.* 8. Mea est sententia, ipsum hoc ob alium quoque finem fecisse, ne scil. distinctio familiarum tribuumque appareret, sed velut confusum chaos genealogiarum, domum Davidis, cui jure competebat, raptum ab ipso Sceptrum, obnubilaret, adeoque ipse cum posteris tanto tutius regium fastigium occuparet.

Proselyti unde?

IV. *Proselyti* sive Judæi adventitii erant Pagani, qui abdicato Paganismo se in gremium Judaicæ Ecclesiæ rejiciebant. Proselyti vocabantur ἀπὸ τοῦ προσεληλυθέναι, ab *adventando*, & ad Judæos se conferendo. Quod ad hos Proselytos, tria hæc pondera-

rabimus 1. Peculiares proselytorum species: 2. Modum eos initiandi: 3. Quo pretio inter Judæos habiti fuerint.

Eorum species. a. Proselytus fœderis. b. Domicilii. Hujus ratio.

V. I. Species Proselytorum duæ erant גר ברית (a) *ger berith*, *proselytus fœderis*[1], qui præputio abscisso se totum pædagogiæ Mosis subdebat. Talem Rabbini nomine גר צדק *ger tsedek*, *proselytus justitiæ*, honestabant. *Rabbi Salomon Deut. XXIII.* 14. (b) Erat & גר שער *ger schagnar*, *proselytus portæ*. *Deut. XIV.* 21. de quo & legimus in decalogo. Ipsi licebat sedem figere inter Israelitas, ob quam causam etiam תושב *toschab*, *incola* dicebatur. Hic non circumcidebatur, nec ritus & δόγματα Mosis verebatur, adstrictus tantum observandis septem *Noachidarum* præceptis, [5] quæ Hebræorum Magistri hæc esse produnt. A. Pœnas & judicia de maleficis. B. Benedictionem nominis Divini, [6] sub qua comprehendebatur observatio Sabbathi. C. Detestationem omnis idololatriæ. D. Nuditatis obtectionem. E. Homicidium. F. Rapinam & G. membri vivi abstinentiam. *Schindler. in Pent. pag.* 1530. Ex his præceptorum

Exempla

istorum cultoribus erat *Naaman Syrus*, *Eunuchus*, *Cornelius*, [7] *& illi*, qui memorantur *Act. II.* 5. *Habitabant Hierosolymæ Judæi*, ἄνδρες εὐλαβεῖς, *viri pii ex omni gente sub cœlo*.

Initiatio proselyti fœderis. Ratione viri

VI. II. Ad *Proselytum fœderis* initiandum differunt ritus initiationis, respectu *tum generis*, *tum temporis*. Ad *virum* initiandum, Proselytum fœderis [8] tria requirebantur. *Moses Kots. fol.* 20. *col.* 2. A. *Circumcisio* [9] B. *ablutio* C. *Sanguis victimæ*. Hebr. במילה ובטבילה ובהוצאת דמים של קרבן *bemilah*, *ubbithbilah*, *ubbehozaath damim schel korban*. Hæc oblatio constabat plerumque duobus turturibus, vel domesticis columbis. [10] Ad initiationem *Proselytæ* solam *ablutionem & oblationem* adhibebant. *Drusius de trib. Sect.* 2. *p.* 102. Et quum Judæi nunc altari & victimis careant, dicunt sufficere, ut vir sola ablutione & circumcisione, fœmina sola ablutione initientur, *Moses Ægyptius in Issure biah*, *Perek.* 13. *fol.* 337. vide *Serar. Tribær. lib.* 2. *cap.* 2. Addunt tempore Davidis multis millibus proselytorum Ecclesiam, citra circumcisionem solo ablutionis ritu usurpato, auctam fuisse.

Fœminæ.

Baptismus ut ritus ante Christū obtinuit. Existimatio proselytorum.

VII. Hinc facile possumus colligere, ritum istum ablutionis diu multumque [11] inter Judæos ad initiationem præstandam viguisse, licet sacramentalis non fuerit usque dum Christus illum ritum in Sacramentum converteret. Imo non hallucinaremur, si diceremus, ob id in usu fuisse ritum istum abluendi vel immergendi, quoniam expectabant tale quippiam in adventu Messiæ. Ut patet exinde, quod Johannem convenientes, non tam de ipsius Baptismo, quam autoritate litem moveant, dicentes; *Quid igitur baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque ille propheta? Joh. I.* 25.

VIII. III. Pretium & honor, quo culti sunt proselyti a Judæis, amori junctus fuit; non exprobrabant ipsis quidpiam, nec dicebant, *memento præteritorum factorum*, *P. Fag. Exod. XXII.* 21. Nihilominus constitutum fuit, ne quis Proselytorum in consessum Sanhedrin admitteretur, [12] *Moses Ægypt. lib. cit. Jad. tract. Sanh. cap.* 2. imo in communi [13] vitæ commercio crepabant frequenter hoc proverbium, quod ipsis prudentiam & cautionem inculcabat; *vel ad decimam usque generationem a proselytis cave*. *Casaub. adv. Baron. p.* 27.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

Annot. [1] Huc frequens allusio est in Lege veluti Lev. XVI. 29. האזרח והגר *indigena* qui זרח oriundus est ex Israele *& peregrinus* qui posthabita propria terra & regione peregrinatur, conf. Num. XV. 30. Lev. XVII. 15. XXIV. 16. & alibi. Hinc in N. T. Act. II. 10. Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι.

[2] Noli tamen hinc colligere illum, qui sæpius simpliciter עברי *Hebræus* dicitur, talem nonnisi esse vel ex patre aut matre. Paulus se *Hebræum ex Hebræis* vocans indicare voluit sibi maxime de carne gloriandi materiam esse, si illa uti vellet aut liceret.

[3] Merito ἑλληνισταὶ origine & Religione Judæi habentur. Tales enim intelligendi, qui Christianismum professi sunt. Hoc autem nemo dicet de origine & professione Græcis, neque etiam de iis, qui ejurata Græca religione primum Judaismum & dein Christianismum amplexi sunt. Qui enim ex Gentibus ad Judæos transierunt προσήλυτοι nominantur, non ἑλληνισταί. Paucissimi quoque Proselyti illo tempore reperiebantur; Qua igitur ratione Act. VI. 1. ceu plures, qui se Hebræis opposuerunt, citantur? Imo si tot numero sacra Judæorum reliquerunt, ex illis alios in semel assumpta Religione perstitisse credibile est. Quod tamen cum statu Judæorum eo tempore minus convenit. Ergo alii intelligi nequeunt, quam Judæi Græca Lingua non tantum in communi vita sed & publica Scripturæ Lectione, precibus, utentes. Tales autem extitisse atque apud illos, qui Hebraice noverant, exosos fuisse cum plura alia documenta probant, tum quam maxime Novella CXLVI. Γογγυσμὸς ille apud Lucam monstrat animos nequidem satis professione Christi coaluisse.

[4] Herodem id quidem tentasse facile credo. Etenim a vulpino & ursino ejus animo alia exspectanda haud erant. Verum provida Dei manu scopum suum non magis assecutus est quam in infanticidio, quippe Catalogus Genealogicus Christi ex Davide secundum carnem integer apud Matthæum & Lucam prostat, ut Paulus jure dixerit πρόδηλον ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ κύριος ἡμῶν Hebr. VII. 14. Unde illa certitudo? Non aliunde quam ex Catalogo Genealogico. Quod si enim ortus Christi ex illa tribu, ex familia Davidica incertus dubiusve fuisset, dudum Judæi ipsi genuinum Messiæ κριτήριον competere negassent. Neque putandum est Herodis consilium aut conatum in aliorum Genealogiis flamma extinguendis successisse. Obstat, quod legimus Luc. II. 3. 4.

5 Sex

[5] Sex e memoratis præceptis jam Adamo data erant: Septimum vero tempore Noachi, ſc.de abſtinentia membri vivi Gen. IX. 4. addebatur. Maim. de Regib. c. IX. ab init. על ששה דברים נצטוה אדם הראשון על עבודה זרה ועל ברכת השם ועל שפיכות דמים ועל גילוי עריות ועל הגזל ועל הדינין אע״פ שכולו הן קבלה בידינו ממשה רבינו והדעת נוטה להן מכלל דברי תורה יראה שעל אלו נצטוה חוסיף לנח אבר מן החי שנ׳ אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו נמצ׳ ז׳ מצות וכן היה הדבר בכל העולם עד אברהם *Homini primo ſex injuncta ſunt præcepta: ſc. de ſugienda Idololatria, maledictione Numinis, homicidio, turpitudinis revelatione, rapina, judiciis. Quamvis omnia hæc ceu a Moſe Magiſtro noſtro in manus noſtras tradita, in quæ potius quam reliqua Lege contenta homines inclinare ſolent, videtur illis præceptum de abſtinentia membri vivi Noacho additum ſicuti exſtat Gen. IX. 4. Veruntamen carnem cum anima ſua, quæ ſanguis ejus, non comedetis. Quomodo ſeptem numero præcepta ſunt, quæ in toto mundo ad Abrahamum uſque obtinebant.*

[6] Quod auctor transfert *benedictionem Nominis divini* verterem *maledictionem*, quod cum mente Rabbinorum magis convenit. Significatus hujus exempla in ſacris quoque proſtant Job. II. 9. 1. Reg. XXI. 10. Conf. *Seld. de Jure N. & G. l. II. c. II. &c.* Quando Auctor noſter addit: *ſub qua comprehendebatur obſervatio Sabbati* valde dubito hanc ἐξήγησιν Magiſtros ei ſuggeſſiſſe, qui quidem Proſelytos ſub pœna mortis ad obſervationem ſeptem præceptorum Noachidicorum (Maim. de Idolol. c. X. f.) adſtringunt, minime tamen ad Sabbathum colendum, aut feſta. Ramban. in Leg. fol. 125. b. *Proſelytus ſeu advena portæ ſimpliciter ſumtus intelligitur de Proſelyto Domicilii, qui advenerat; ut peregrinaretur in portis civitatis alicujus & qui ſuſceperat in ſe obſervationem ſeptem præceptorum Noachidarum. Atque idem vocatur etiam proſelytus edens carnem morticinam, de quo loquitur Scriptura* (Deut. XIV. 21.) *Proſelyto, qui in portis tuis, dabis ut comedat. Et propterea non datur ei mandatum, quod imperet, ne in Sabbatho opus omnino faceret aut proſelytus aut indigena. Sed nobis datur mandatum in uſum ſeu commodum noſtrum, opus is non faciat, uti nec minores aut jumenta. Adeo ipſi proſelyto non datur mandatum hoc, quippe cui opus ſibi facere in Sabbatho licitum.* Inſp. Seld. Jur. N. & G. l. m. c. 12. ubi citatum teſtimonium aliaque, quæ ſententiam noſtram fortiter probant, reperies.

[7] Eunuchum, Cornelium proſelytis domicilii annumerari Canones Judæorum vix permittunt; veluti *Maim. de Idolol. c. X. f.* אין מקבלין גר-תושב אלא בזמן שהובל נוהג אבל שלא בזמן היובל אין מקלבין אלא גר צדק בלבד *Proſelyti domicilii non recipiuntur, niſi illo tempore, quo Jubilæa celebrantur. Quando autem non obſervari ſolent, non niſi proſelytos Juſtitiæ recipiunt.* Aſt ævo Chriſti Jubilæa exſpirabant.

[8] Quæ enim ratio Veterum Judæorum, qui ad radicem montis Sinai fædus cum Deo inierunt, eadem aut ſimilis illorum, qui ex Gentibus ejuſdem fœderis participes fieri cupiunt. Illi autem circumciſi eſſe debebant. Dein baptizati ſunt Exod. XIX. 10. 1. Cor. X. 2. Et tandem ſacrificia obtulerunt. Exod. XXIV. 5. conf. Maim tr. איסורי ביאה c. III. ab init. Hinc ita nominatus Magiſter colligit: כן לדורות כשירצה הגוי ליכנס לברית ולהסתופ תחת כנפי השכינה ויקבל עליו עול תורה צריך מילה וטבילה והרצאת קרבן ואם נקבה היא טבילה וקרבן שנ׳ ככם כגר מה אתם במילה וטבילה והרצאת קרבן אף הגר לדורות במילה וטבילה והרצאת קרבן *Ita perpetuo ſe habet, quando Gentilis fœderi accedere atque ſub alis Majeſtatis Divinæ (conf. phr. Matth. XXIII. 37.) colligi vult ac jugum legis ſubire, tenetur talis ad circumciſionem, immerſionem atque oblationem ſacrificii. Si vero fœmina, immergenda eſt & tenetur ſacrificium adducere, nam dictum:* ſicut vobis, ita Proſelyto. *Quomodo vos* (ſcil. fœderati facti eſtis) *Circumciſione, immerſione & ſacrificio, ita quoque perpetuo Proſelyti.*

[9] Huc facit Canon Maim. tract. מילה c. I. 7. גוי שנכנס לקהל ישראל חייב מילה תחלה וארת מל בשהיה גוי צריך להטיף ממנו דם ברית ביום השמיני שנתגייר *proſelytus, qui ſe cœtui Iſraelitico addit, tenetur ad circumciſionem primo: ſi vero in Gentiliſmo jam circumciſus fuerit, neceſſe eſt, ut eliciatur ſanguis ſœderis die octavo, ex quo Proſelytus factus eſt.*

[10] Plenius Sacrificium ex eodem Maimonide l. c. diſcimus מהו קרבן הגר עולה בהמה או שני תורים או שני בני יונה ושניהן עולה *Quodnam proſelyti ſacrificium eſt? Holocauſtum ex jumento aut duo turtures vel duo pulli columbini: Ambo autem in holocauſtum.*

[11] Conſtat Gentem Iſraeliticam ex præſcripto Dei varios βαπτισμοὺς habuiſſe Hebr. IX. 10. quid obſtat quominus dicamus obtinuiſſe etiam βαπτισμὸν in recipiendis Proſelytis, quandoquidem eodem ritu Patres in fœdus cooptati ſunt, Moſe & Paulo teſtantibus? Unanimis eſt Judæorum conſenſus. Ritus receptioni inſuper conveniens. An dignitati S. Cœnæ obſtat, quod Judæi cœnam Paſchalem comeſturi ſimul habuerint panem & vinum, quæ dein Sacramentum N. Teſtamenti conſtituere debebant? certe non. Ita conſimiliter ritus ablutionis in Gente uſitatiſſimus prudentiſſime alterum N. Teſtamenti Sacramentum a Chriſto inſtituebatur. Nam, quia nunc Eccleſia ex Gentibus colligenda erat, Salvatori placuit baptiſmum Proſelytorum in Sacramentum Eccleſiæ, quæ ex Gentibus plurimum conſtare debebat, convertere. Tranſeo plures inter utrumque baptiſmum convenientias.

[12] Quæ de promotionibus Proſelytorum ad dignitates ex Antiquitatibus cognoſcenda, de iis more ſuo præclare Maim. tr. *de Regibus* c. I. אין מעמידין מלך מקהל גרים אפילו אחר כמהדורות עד שתהיה אמו מישראל שנ׳ לא תוכל לתת עליך איש נכרי אשר לא אחיך הוא ולא למלכות בלבד אלא לכל שררות שבישראל לא שר צבא לא שר חמשים או שר עשרת אפילו ממונה על אמת המים שמחלק ממנה לשדות ואין צריך לומר דיין או נשיא שלא יהא אלא מישראל שנ׳ מקרב אחיך תשים עליך מלך כל משימות שאתה משים לא יהיו אלא מקרב אחיך *non conſtituitur Rex ex cœtu advenarum, ne quidem poſt plurimas ætates, niſi mater ejus ex Iſraele, quia ſcriptum eſt Deut. XVII.* 15. non poteris tibi virum alienigenam, qui non ſit frater tuus, præficere. *Neque hoc de regno ſolum valet ſed & omnibus aliis præfecturis, veluti* (*e Proſelytis*) *non conſtituitur dux, non præfectus quinquaginta, neque decem, ne quidem præfectus foſſæ, ex qua in agros aqua ducitur. Nec neceſſarium eſt dicere Judicem aut Principem* (ex iis non eligi) *qualis ex Iſraele, juxta legem* ex medio fratrum tuorum conſtitues Regem, *Omnes præfecturæ tuæ ex fratribus tuis erunt.*

[13] Ex *Reizio*: Mirum eſt; quod Phariſæi, tam anxie atque ſedulo proſelytos captaverint, juxta Matth. XXIII. 15. cum tamen iidem apud Talmudicos peſſime audiant. *Nidda fol.* 13. 2. exſtat; *tradunt Rabbini noſtri proſelytos & pæderaſtas impedire adventum Meſſiæ. Imo proſelytos Iſraeli eſſe ſicuti ſcabiem* גרים לישראל כספחת De proſelytis præ aliis conſuli poſſunt Jac. Altingius in Diſput. *de proſelytis*: Seldenus paſſim de J. N. & G.

CAPUT QUARTUM.

De ipsorum Regibus.

Tres species Regum.

DE triplici Regum specie legitur in V. Test. *Melchizedeck* erat & *Rex* & *Sacerdos*. David & *Rex* & *Propheta*; cæteri [1] solummodo Reges. Melchizedeck & Regio & Sacerdotali, David Regio & Prophetico munere clarus erat. Conjunctio συζυγία sacri ordinis & fastigii civilis [2] docebat, Antistites Rerumpublicarum oportere esse Curatores Religionis. Quo respectu Rex *Joas* unctus cum diademate *Testimonium* accepit, sive *librum legis*. 2. *Reg.* XI. 12. Inter ipsos Gentiles sæpe idem homo & Sacerdotio & Sceptro gaudebat. Hinc canit *Virg. Æneid. lib.* 3.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos. Trigemistus Τρισμέγιστος, *ter maximus* dictus est, quoniam fuit *Philosophus maximus*, *Sacerdos maximus*, *& Rex maximus*. *Alex. Neapol. lib.* 2. *cap.* 6.

Quinam Reges unguntur?

II. [3] Non omnes Reges uncti sunt, sed ii soli, in quibus defecit stirpis legitima successio & tum primus lineæ illius Regiæ pro omnibus posteris oleo unctus est, nisi lite orta cuidam sceptrum disputatum fuerit; tum enim ad firmandam stabiliendamque autoritatem, unctio iterabatur. Hæc ratio fuit, cur Salomon unctus æque fuerit ac pater David, ob simultatem scil. inter ipsum & Adoniam accensam.

Instrumentum unctionis.

III. Præterea Saul & Jeu uncti fuere בפך השמן *lenticula sive vase unguentario*, [4] quod portendebat brevitatem ipsorum imperii; David autem & Salomon perfusi fuere בקרן *cornu unguentario*, h.e. abundanti copia, quod præsagium erat regni ipsorum longius duraturi.

Vestitus Regius.

IV. Quemadmodum corona, sceptrum, thronus, &c. aliaque Regalia προτερήματα & prærogativæ Reges a Vulgo discriminabant, ita habitus corporis; [5] unde Achab in prælium descendens vestimenta sua mutat 1. Reg. XXII. 30. Etsi vero purpura albæque vestes non solis Regibus usurparentur *Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 6. attamen hi colores in summo pretio, & ab ipsis plerumque gestati erant; purpuram præsertim amabant Imperatores Equitesque Romani. *Alex. ab Alex. lib.* 1. *cap.* 20. Albas [6] vero vestes sibi deligebant Nobiles Hebræorum, unde ipsi, & cæteri præclaro stemmate insignes, vocabantur חורים *Chorim Albates*; illos autem, qui obscuro loco editi erant, חשוכים *Chaschuchim*, obfuscatos, obscuros dicebant. Hinc natum illud *Jacobi cap.* 11. *vers.* 2. *Si intret in cœtum vestrum vir cum annulo aureo, in veste splendida* ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, *intret vero etiam pauper* ἐν ἐσθῆτι ῥυπαρᾷ *in veste sordida*.

Hinc illustratur vestitus Christi illusorius.

V. Hæc forsan ratio fuit, cur milites Judæis Christum seditionis arguentibus coram Pilato, ipsi purpuram injecerint Matth. XXVII. 28. *Herodes autem* ὁ τετραρχῶν τῆς Γαλιλαίας ipsum alba veste texerit Luc. XXIII. 11. quo facto suum jus & morem non sine amara illusione in Christum transtulerunt, quando Christum Regio cultu amiciverunt.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

Annot. [1] Salomo non minus utraque dignitate, Regia & Prophetica, clarus erat. Moses Sacerdos Exod. XXIV. XXIX. Rex. Deut. XXXIII. 5. & Propheta Deut. XVIII. 15. hinc perfectissimus Christi typus l. cit.

[2] Postulat hoc Deus a Regibus populi sui ut exactam haberent Juris divini notitiam, quo subditos rite juxta illud regere possent. Hinc ex conditionibus Regis haud ultima illa est Deut. XVII. 18. *quando sederit in throno regni sui scribet sibi* את משנה התורה הזאת *exemplar legis hujus juxta librum, qui ante Sacerdotes, Levitas*, quam plenius ex mente Judæorum tradit Maim. tr. de Regibus c. III. 1. בעת שישב המלך על כסא מלכותו כותב לו ספר תורה לעצמו יתר על הספר שהניחו לו אבותיו ומגיהו מספר העזרה על פי בית דין של ע״א אם לא הניחו לו אבותיו או שנאבד כותב שני ספרי תורה אחד מניחו בבית גנזיו שהוא מצווה בו בכל אחד מישראל והשני לא יזוז מלפניו אלא בעת שיכנס לבית הכסא או לבית המרחץ או למקום שאין ראוי לקריאה יוצא למלחמה והוא עמו נכנס יושב בדין והוא עמו מסיב והוא כנגדו שנ׳ והיתה עמו וקרא בו כל ימי חייו *Quando Rex thronum suum conscendit, tenetur librum in usum proprium describere præter librum, quem ipsi Patres reliquerunt. Recenset illum e libro, qui in atrio asservatur juxta sententiam domus Judicii populi terræ. Si vero Parentes nullum reliquissent vel si periisset, tum obligatur duplum describere, unum, quem reponit in Gazophylacio suo, de quo omnibus Israelitis injunctum est, alterum, qui semper in conspectu suo, nisi secretum aut balneum vel alium locum ad legendum minus decorum petat. Si egreditur in bellum aut quando judicat, liber legis penes illum erit. Si discumbit, e regione ejus: Hoc omne, quia scriptum Deut. XVII.* 19. & erit cum ipso & in eo leget omnibus diebus vitæ suæ: quare eidem maxime solennis Legis lectio quovis septennio in festo Tabernaculorum incumbebat si Judæis credimus Deut. XXXI. 10.-- 14. Tr. סוטה c. VII. 8.

[3] Hac de re proferam Maim. tr. de Reg. c. 1. כיון שמושחין המלך הרי זה זוכה לו ולבניו עד עולם שהמלכות ירושה *postquam unxerunt Regem, ille pro se & pro filiis suis jus in perpetuum sibi acquisivit, quoniam regnum hæreditarium est*. Paulo post כל הקודם בנחלה קודם לירושת המלוכה והבן הגדול קודם לקטן ממנו *qui alterum in hæreditate præcedit, præcedit quoque in hæreditate regni: Filius natu major præcedit minorem* & in fine capitis אין מושחין מלך בן מלך

מלך אלא אם חיתה שם מחליקת או מלחמה מושחיך אותו כרי לסלק המחלוקת לפיכך משחו שלמה מפני ארוניה ויואש מפני עתליה ומשחו יהואחז מפני יהויקים אחיו *Rex, qui filius Regis, non ungitur, nisi aut dissidium aut bellum interveniat. Tum ungitur ad tollendum dissidium. Hac ex causa Salomo propter Adoniam, Joas propter Athaliam, Jehoachaz propter Jehoiakim fratrem suum ungebatur.* conf. quæ habet *Abarb. in Leg.* f. CCVII. 1. ubi plurima ad unctionem Regum pertinentia nobis tradit. Quia vero non tam ad ἐξήγησιν Auctoris faciunt, quam in genere præclaram hanc de Unctione Materiam jejune admodum a Goodvvino pertractatam, concernunt, nunc illa silentio prætereo.

[4] Est eadem observatio, cujus jam meminit Kimchius *in Comment.* 1. *Sam. X.* 1. Sed nescio an solida. Videntur præsupponere פך constitisse ex fragili materia, nullo tamen argumento. Credibiliter vas oleum continens, angusti orificii, intelligitur; vide Ezech. XLVII. 2. Quale, quoniam ad manus erat, Samuel Saulem uncturus sumebat, neque de brevitate imperii cogitabat.

[5] Vestitum peculiarem eumque pretiosissimum regibus fuisse indicat 1. Sam. XXVIII. 8. 2. Sam. I. 9. Math. VI. 29. Act. XII. 21. qui Josepho βασιλικὸν σχῆμα Antiq. l. VIII. c. 10. pag. 295. & Raschio בגרי מלכות *vestes regiæ* dicuntur.

[6] Vestes candidæ Hebræis præprimis placuerunt. Ratio varia dari potest. Illa tamen præprimis mihi placet, quæ petitur ab instituto Dei, juxta quod Sacerdotes ἐν λευκοῖς e lino Ægiptiaco perquam candido incedere debebant. Longe aliter ac כמרים *pullati Sacrificuli* Gentium. Hinc vestis alba ut ἔνδοξος ponitur Eccles. IX. 10. qualem gestabant Angeli ministratorii Matt. XXVIII. 3. Marc. XVI. 5. Spiritus consummati Apoc. III. 4. VI. 11. Christus glorificatus Matt. XVII. 2. insigne puritatis, sanctitatis, triumphi.

CAPUT QUINTUM.

De Pontificibus summis, Sacerdotibus, Levitis & Nethinæis.

I. TEMPLI curatoribus ordinibus ministrorum demandata fuit, *Sacerdotibus*, *Levitis*, *& Nethinæis*; qui comparari possunt *Episcopis*, *Diaconis & Subdiaconis* Ecclesiæ primitivæ. Horum caput erat *Summus Pontifex* sive *summus Sacerdos*. In Aaronis posteritate perstitit Sacerdotium; ejus prosapiæ autem primogenito [1] cedebat *Pontificatus*, cum cæteri posteri ἁπλῶς simpliciter *Sacerdotes* h. e. *Sacerdotes secundi ordinis* dicerentur 2. Reg. XXIII. 4. Sic præter Aaronem ipsiusque lumbis natos (quibus Sacerdotium datum erat) omnis reliqua Levi posteritas *Levitæ* vocabantur.

Varii Ministrorum Templi ordines Summus pontifex Dein Sacerdotes Levitæ

II. Et in *Summis* & in *Sacerdotibus* duo occurrunt observatu digna: 1. ipsorum *initiatio*. 2. ipsorum *functio*. In his duabus partibus differunt quadantenus, & conveniunt quadantenus.

III. Differunt in initiatione, nam 1. *Summus Sacerdos* ungebatur; materia [2] hujus χρίσματος describitur Exod. XXX. 23. Effundebatur in caput Aaronis Lev. VIII. 12. descendebat in barbam & vestimenta ejus Ps. CXXXIII. 2. *Secundani Sacerdotes* tantum [3] adspergebantur *oleo* isto *unctionis* admixto sanguine, qui erat super altari, Levit. VIII. 30. Hinc *Sacerdos Summus* in fonte legitur *Sacerdos unctus*. *Levit. IV.* 5. *Jonathan* habet; *Sacerdos magnus* vel *summus*. Diserte *Aben-Esra*; *Sacerdos magnus ipse est Sacerdos unctus*. *Lyranus* adhuc clarius; *Sacerdos unctus est Sacerdos magnus, quia inferiores Sacerdotes non ungebantur.*

1. Differentia Pontificis & Sacerdotum in unctione.

IV. Per hoc denotata fuit unctio nostri Salvatoris, *uncti oleo alacritatis supra consortes suos Ps. XLV.* 8. Unctus fuit supra consortes suos *extensive* & *intensive*. *Extensive*; nam etsi Aaron fuerit *Sacerdos* unctus, Saul *Rex* unctus, Elisa *propheta* unctus, Melchizedek & *Rex* & *Sacerdos*, Moses *Sacerdos* & *Propheta*; nemo tamen nisi solus *Christus* Χριστός, משיח simul & *Rex*, & *Sacerdos* & *Propheta* fuit. *Intensive*; Ipse est *unctus*, nos *adspersi*; ipse *plenus gratia & veritate*, *nos ex ipsius plenitudine accipimus gratiam pro gratia* χάριν ἀντὶ χάριτος *Joh.* 1. 14. 16. & omnes Christiani, præprimis *ministri*, sunt Χριστοῦ εὐωδία τῷ Θεῷ *fragrantia Christi Deo* 2. *Cor. II.* 15.

Mysterium unctionis. Ratione Christi & ratione Christianorum.

V. II. Differunt quoad *vestes*, quæ erant necessarium adjunctum & requisitum initiationis ipsorum. Summus Sacerdos tempore ordinariæ functionis in Sanctuario VIII. vestibus ornatus erat. Exod. XXVIII. quæ erant *I. Femoralia* [4] *linea ad tegendam carnem nuditatis*. *II. Toga ocellata*, sive tessellata, [5] ex bysso, sive Xylino, quæ obtegebat femoralia linea. III. *Baltheus* [6] *acupictus* opere phrygionico, ex bysso, hyacinthino, purpureo, & coccineo dibapho, quo tunica stringebatur. IV. *Tunica tota hyacinthina*, [7] ex cujus fimbriis dependebant LXXII. [8] aurea tintinnabula, internexis malogranatis hyacinthinis, purpureis & coccineis. Hæc toga operiebat tunicam ocellatam & baltheum acupictum. V. *Ephod.* אפור *amiculum* [9] ex auro, hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho, & Xylino seu bysso internexo, opere artificiosissimo; in hujus Ephod humeralibus erant duo *sardonyches*, in quorum unoquoque insculpta erant sex nomina tribuum Israel. Hoc amiculo seu אפור tegebatur ἀμέσως tunica מעיל. Istud amiculum ambibat etiam *cingulum* ejusdem operis, ex auro scil. hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho & bysso intertexto. IV. *Pectorale Judicii*, [10] operis artifi-

II. Differentia quoad vestitũ. Pontifex habeat VIII. vestes I. Femoralia. II. Togam ocellatam III. Baltheum IV. Tunicam hyacinthinam V. Ephod. IV. Pectorale.

ciosissimi, ex auro, hyacinthino, purpureo, coccineo & Xylino intexto; quod spithamam longitudine & spithamam latitudine extensum, & catenulis annulisque aureis extremitatibus amiculi connexum erat. Huic inserti fuerunt duodecim pretiosi lapilli quaternis ordinibus, quibus lapillis insculpta erant nomina duodecim tribuum. Insuper in hoc pectorali posita erant *Urim & Tummim* [11] VII. *Cidaris ex bysso* sedecim cubitorum [12] ipsius caput circumiit. VIII. *Bractea aurea*, [13] sive *corona Sanctitatis*, duos digitos lata, cui insculptum erat: *Sanctum* Domino קדש ליהוה, quæ ipsius cidaris parti anteriori affixa erat vitta hyacinthina.

VII. Cidarim. VIII. Bracteam.

vestes 8. Pontificis aureæ.

VI. His octo vestimentis usus est Summus Sacerdos in functione sua, vocanturque Rabbinis בגדי זהב *vestimenta aurea*, [14] ob pretiositatem ipsorum respectu vestium illarum, quas induit anno semel, nempe quando intravit *die expiationis* Sanctum Sanctorum Lev. XVI. 4. 23. Has vero posteriores vestes nominabant בגדי לבן *vestimenta alba*; quæ quatuor numero sunt 1. *Femoralia linea*. 2. *Tunica linea*. 3. *Baltheus lineus*. 4. *Cidaris linea*.

Aliæ 4. quæ albæ dicuntur.

Hinc sub Templo 2. Pontifex dicebatur Auctus vestibus.

VII. Tempore secundi templi, quum illud χρίσμα & sacrum oleum defecerat, non, sicut antea, dictus est Sacerdos Summus מתרבה משחה *Auctus unctione*, sed tantum ratione vestium servatarum, מתרבה בגדים *Auctus vestibus*. *Cunæus de Rep. Hebr. l.* 2. *cap.* 7. *p.* 222.

Locus vestium gerendarum.

VIII. Has 4. [15] posteriores vestes Sacerdoti Summo in publico urbis gestari minime licebat, nisi necessitatis telum ipsum eo adigeret; uti fecit Simeon justus, qui obviam processit Alexandro Magno in tali cultu. *Moses Kots. Præcept. affirm.* 173. *fol.* 2. 2. *Col.* 3.

Vestitus Pontificalis præfigurabat triplex Christi munus.

IX. Hoc στολισμῷ *vestitu* adumbratur *triplex Christi munus*: Corona sive bractea aurea *Regium*; τοῖς Urim & Thummim, ut & aureis nolis, ac malogranatis *Propheticum*; per tintinnabula denotabatur sonus doctrinæ Christi; per malogranata εὐωδία *fragrantia* Sanctitatis ejus. *Sacerdotale* munus exhibitum fuit duodecim nominibus tribuum Israeli, amiculo sive τῷ Ephod & pectorali insculptis, qua re præfiguratus fuit Christus Deo sistens partam Ecclesiam, proque suis ovibus intercedens, quas κατ' ὄνομα novit, Joh. X. 3.

vestes sacerdotum gregariorum.

X. Sacerdotes Secundani tantum 4. sacris vestibus amiciebantur in functione sua; 1. *Femoralibus lineis*, 2. *Tunica linea*, 3. *Baltheo lineo*, & 4. *Tiara linea*. *Exod. XXVIII.* 40. 42. *&c.*

II. differentia in matrimonio.

XI. III. Differunt etiam quoad *matrimonia* & conjugia; non integrum erat *Sacerdoti Summo* sibi copulare vel *viduam*, vel *dimissam*, vel *corruptam*, sed *virginem intactam* Levit. XXI. 14. Ex vidua non poterat frui *primo amore*; ex dimissa, nec *primo*, nec *sincero*; ex prostibulo, nec *primo*, nec *sincero*, nec *ullo*; quos tamen amores Christus, Summi Sacerdotis ἀντίτυπος, ab Ecclesia sua requirit, exigit, expectat. Reliquis Sacerdotibus lex viduas indulget. Lev. XXI. 7.

Convenientia in initiatione quintuplex

XII. Conveniunt in sua *INITIATIONE Sacerdotes Summi & Secundani*, quoad hos ritus. 1. Requirebatur, ut utrique *sine vitio corporis* [16] essent. Levit. XXI. 17. 2. *Ut sisterentur utrique Deo* ad portam tentorii conventus. Exod. XXIX. 4. 3. Utrique aqua mundari debebant. Exod. XXIX. 4. 4. Consecrabantur utrique ad offerenda Sacrificia, Exod. XXX. 1. 5. Utrorumque *auricula & pollex dexter* pedis ac manus alterius arietis sanguine tingebantur. Exod. XXIX. 20.

Impletio manuum Sacerdotum.

XIII. Tempore initiationis, Sacerdotis manus certis partibus rerum offerendarum implebantur, *Exod. XXIX.* 9. Ad hunc ritum collimat ceremonia, quæ obtinet in Ecclesia Christiana, ubi Episcopus ordinando Ministro Biblia tradit. Utrumque significare potest, nefas esse quempiam sibimet sumere τὴν τιμὴν *hunc honorem*, *nisi vocatus sit a Deo ut Aaron*, *Heb. V.* 4. Hinc initiatio juxta genium Hebrææ linguæ vocatur *Impletio manus*. Huic ordini contrariabantur Sacerdotes Jerobeami, qui pro lubitu *suas impleverant manus*, 1. *Reg. XIII.* 33. h. e. sacerdotium invaserant.

præfigurabat initiationem ejus.

III. Differentia in obitione muneris.

XIV. In OBITIONE MUNERIS *Sacerdos Summus differt* a reliquis Sacerdotibus. 1. Dum quotannis semel Sanctum Sanctorum intrabat, *Levit. XVI.* 34. 2. Dedecebat Sacerdotem Summum ob mortem cognati aut consanguinei se ad mœrorem abjicere, Levit. XXI. 10. 11. vel tristitiam suam testari [17] 1. *Denudatione capitis*. 2. *Scissione vestium*, de quibus luctus notis quidpiam dicendum erit cap. de *Sepultura*. Attamen non abs re erit annotare. quod Talmudicorum sententia sit, licuisse Summo Sacerdoti discindere extremam vestis suæ oram, sed nefas fuisse desuper a pectore lacerare vestes, quæ sententia si stat, non sequetur necessario, Cajapham contra Scripturam egisse lacerando vestes suas, Math. XXVI. 65.

XV. Sacerdotibus Secundanis permissum erat lugere hos sex. [18] Patrem, matrem, filium, filiam, fratrem, sororemque virginem, Levit. XXI. 2. 3.

XVI.

Ejuſdem Convenientia.

XVI. Conveniunt vero in functione ſua Sacerdotes Summi cum Secundanis his in rebus I. Utrique adolebant in altari ſuffitus & holocauſti, 1. Chron. VI. 49. 2. Utrique clangebant tubis, quarum duplex uſus erat; vel adhibebantur ad imperandam profectionem caſtrorum, ſive ad ducendum in hoſtes, vel ad convocandum populum eorumque principes, Num. X. III. Utrique mactabant victimas, 2. Chron. XXIX. 22. IV. Utrique erudiebant populum, Mal. II. 8. V. Utrique ſtatuebant de lepra. Levit. XIII. 2.

Pontifici erat ſuffraganeus.

XVII. Ad meliorem ordinem tenendum, erat Sacerdoti Summo ſuus *ſuffraganeus* [19] ſive vicarius, nomine סגן ſi quid vitii acciderat Summo Pontifici, vicem ejus obibat. *Elias Tisb.* Talis ſubſtitutus fuit *Zephania. Jer. LII.* 24. & talis cenſetur fuiſſe Annas, Pontificatum obtinente Cajapha. *Caſaub. adv. Baron. pag.* 242. *Joſ. Scal. in prol. ad Euſeb.* hoc ſenſu exponunt, quomodo Annas & Cajaphas eodem anno dicantur fuiſſe Ἀρχιερεῖς *Pontifices Summi Luc. III.* 2. Summus Pontifex ipſiuſque vicarius haud diſcrepant a noſtro *Epiſcopo* ipſiuſque *ſuffraganeo*, *Patriarcha* Conſtantinopolitano, ipſiuſque *Protoſyncello*, vel a Romanorum *Centurione*, ipſiuſque *Optione*, qui vicem Centurionis urgente neceſſitate gerebat.

Hinc in N. T. ἀρχιερεῖς

XXIV. Claſſes ſacerdotum gregarioru͂

XVIII. Et ut æqua functio ordoque inter Sacerdotes Secundanos vigeret, Rex David ipſos omnes in XXIV. claſſes & turmas, totidemque dierum vices, ſive ἐφημερίας diſtinxit. [20] Defunctis vita Nadab & Abihu ſuperſtites ſoli fuerunt ex filiis Aaronis *Eleazer* & *Ithamar*; ſicut ergo ſucceſſio Sacerdotum his duabus familiis & ramis propagata fuit, ita David ſuo tempore in utraque familia ratione numeri diſtributiones fecit. Familiam Eleazaris deſcripſit in XVI. claſſes, Ithamaris in VIII. ſortibus [21] diſtributione facta. Prodit ſors prima *Jehojaribo*, ſecunda *Jedajæ*, tertia *Chartmo*, &c. 1. Chron. XXIV. Quævis claſſis ſingulis [22] ſeptimanis ſuæ functioni in templo ſatisfaciebat, ſuſcepto nomine ab iis, qui tum temporis capita familiarum erant, quod nomen deinceps ſemper geſſit. Cujuſvis claſſis ſive ordinis caput dicebatur *Summus Sacerdos iſtius Claſſis;* unde eſt, quod ſacra pagina loquitur de pluribus ἀρχιερεῦσι *Summis Sacerdotibus* una coactis Matth. XXVI. 1. 3. Marc. XIV. 1.

Illarum officia

Capita.

Sorte functiones diſtribuebantur.

XIX. Reſtat ut annotemus, quod, quemadmodum hebdomadalis functio ſorte fuit definita, ita munus cujuſvis Sacerdotis in ſpecie [23] ſors deſcribebat; nimirum, cujus jam eſſet thymiamata adolere, cujus jumenta immolare, cujus lampadas parare &c. Zacharias Pater Johannis erat ἐξ ἐφημερίας, *ex vice ſeu claſſe Abiæ; Luc. I.* 5. h. e. octavo ordine, καὶ ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι *ſorte adeptus erat munus ſuffiendi, uſ.* 9.

Levitarum munera ſub Moſe

XX. LEVITARUM *munus* fuit, curam habere tabernaculi vaſorumque, ea ferre, erigere, componere. Levi erant tres filii, *Gerſchon Kahath*, & *Merari*, & juxta hæc tria nomina tres familiæ, Gerſchonitarum, Kahathitarum, & Meraritarum. Cuſtodia *Gerſchonitarum* verſabatur circa operimenta, tegumenta tentorii & tapetes ocellatos atrii. Cuſtodiæ *Kahathitarum* demandatæ fuerunt res ſanctuarii, ut arca, menſa, lychnuchus, altare &c. Cuſtodia *Meraritarum* aſſervabantur aſſeres tabernaculi, peſſuli, columnæ, ſtylobatæ & reliqua inſtrumenta. Num. III.

ſub Davide

XXI. Hoc erat officium Levitarum Moſis ævo, & cum in deſerto oberrarent; at occupata terra promiſſionis Rex David ipſorum munus immutavit, concredita quibuſdam γαζοφυλακῆ *theſaurorum cuſtodia*, 1. *Chron. XXVI.* 20. quoſdam vero conſtituit *Moderatores*, & *Judices;* quoſdam *Janitores*, *Cantantes* quoſdam, 1. Chron. XXIII. 3. 4. *Muſici* inter cantandum amicti erant byſſo, h. e. amiculo lineo ornati, 2. Chron. V. 12. Hi *cantores* in XXIV. claſſes ſive ordines redacti erant, 1. Chron. XXV. in totidem claſſes *Janitores* 1. Chron. XXVI. Ut munia ſua hebdomadatim, per ſortem indicata, Sacerdotum more obirent. Præterea Moſis tempore Levitæ initiabantur *ætatis* [24] *anno vigeſimo quinto*, Davidis ævo, ætatis *anno vigeſimo*, 1. *Chron. XXIII.* 24. *Eſr. III.* 8.

Ex hæc diverſitate patet libertas Eccleſiæ in commutandis Ceremoniis.

XXII. Hic notanda eſt libertas Eccleſiæ, quæ illi tum temporis in commutandis ceremoniis indulta fuit: munus ipſaque initiatio Levitarum, quæ facta Davidis tempore diſcrepat ab inſtitutis Moſis. Sic jacta ſors in electione *Matthæi*, non autem in vocatione vel *Pauli*, vel reliquorum Apoſtolorum. Sic nunc, quæ olim in primitiva Eccleſia obtinuerunt, obliterata ſunt, ἀσπασμὸς ἐν φιλήματι ἁγίῳ. *Salutatio oſculo ſancto*, in occurſionibus uſurpata, & ἀγάπαι *convivia amorem teſtantia* apud Sacram Cœnam.

IV. Levitarum gradus. I. II.

XXIII. Inſuper Levitarum *gradus* non prætermittendi ſunt. Scil. 1. *Initiatio* ipſorum, ubi nati unum menſem Deo ſiſtebantur, *Num. III.* 15. 2. *Conſecratio*, ubi ſuum munus annumque vigeſimum quintum ingredientes, conſecrabantur χειροθεσίᾳ, *manuum impoſitione*, *Num. VIII.* 24. Ex eo tempore uſque ad annum trigeſimum, quinque annis adſueſcebant paulatim obeundo muneri. Qui manus imponebant Levitis, tex-

tus ait fuisse *filios Israelis*, *Num. VIII.* 10. *Chazkuni* exponit hunc locum *per primogenitos Israelis*; hi erant *Ecclesia Repræsentativa* & per allusionem Ecclesia Christi vocatur ἐκκλησία πρωτοτόκων *Ecclesia primogenitorum*. Tum temporis separabantur Levitæ a Sacerdotibus, hoc est, ἀφωρίζοντο, uti legunt LXX. Num. VIII. 11. Ἀφοριεῖ Ἀαρὼν *separabit Aaron*, pro *agitabit*, *vel admovebit*, quod vocabulum adhibetur Ministris Jesu Christi, Act. XIII. 2. Ἀφορίσατέ μοι *separate mihi Barnabam & Saulum*. *III. Functio*, ubi tabernaculum huc illuc ferebant ab anno trigesimo usque ad quinquagesimum, Num. IV. 3. IV. Tandem *solutio* ipsorum a gravi isto ferendi tabernaculi onere. Nihilominus tamen tenebantur castra metari circa tentorium, cantare & arcere extraneos a tentorio, ut & erudire juniores Levitas, Episcoporum more. *Franc. Jun. Anal. expos. Num. VIII.*

III.

IV.

Allusio 1. Tim. III. 13.

XXIV. Ad hos gradus videtur Apostolus allusisse, 1. Tim. III. 13. *qui bene ministraverint, parant sibi καλὸν βαθμὸν bonum gradum*. Tales gradus in usu fuerunt inter virgines Vestales: Triginta annos necesse erat eas manere innuptas & castas; primis decem annis discebant suæ professionis mysteria, sequentibus decem sacra perficiebant, postremis decem alias edocebant, *Dionys. Halicarn. lib.* 2.

Ab impositione manuum in Levitis manavit similis mos in Ecclesia Christiana.

XXV. * Ab hoc manuum impositionis [25] ritu in Levitis manavit similis mos usitatus Apostolis in ordinum consecratione, Act. VI. 6. 1. Tim. V. 22. Notate διαστολὴν *differentiam* χειροθεσίας *manuum impositionis*; χειροτονίας *manuum elevationis*, in signum applausus vel suffragationis, Act. XIV. 23. & ἐκτάσεως χειρῶν *manuum extensionis*. Priores ritus adhibebantur *ordinationibus* vel *initiationibus* ordinum. Χειροθεσίαν mutuati erant ab Hebræis; χειροτονία signum erat Atheniensium, quibus duo magistratus erant, κληρωτοὶ *sorte electi*, & χειροτονητοὶ ἄρχαι *manuum elevatione designati magistratus*. *Æschin. con. Ctesiphont.* Χειρῶν ἔκτασις *manuum extensio* vocabatur interdum τῆς χειρὸς νεῦμα *nutus manus*, signum ut multitudo linguis faveret, *Herodian. pag.* 45. Ita Paulus se excusavit ἐκτείνας τὴν χεῖρα *extensa manu*. *Act. XXVI.* 1.

Virorum stationariorum Origo.

XXVI. Alia adhuc fuit sacrorum Ministrorum species, [26] teste *Mose Kots. fol.* 2. 11. *col.* 4. quos vocabant אנשי מעמד *viros stationis*, sive *stationarios*. Lex volebat offerentem aliquid, sive illud fuerit oblatio, sive victima, propria manu offerre Jehovæ, & *adstare* quoad oblatio vel victima consummata fuerit. Verum, quia totus Israel *adstare* non poterat, quum tantam multitudinem loci angustia excluderet, propterea, quando immolabatur pro toto populo, certi homines ad id lecti, vicem locumque populi implebant. Divisi erant, velut Sacerdotes & Levitæ, in XXIV. classes sive ordines, ut hebdomadatim ministerium suum in templo exercerent. Ista vero electio non soli tribui Levi alligata fuit, sed indiscriminatim sumptis e populo. Cuivis ordini suus præerat *Stationum princeps* ראש מעמד.

classes XXIV.

Capita

Nethinæorum officia.

XXVII. Officium NETHINÆORUM occupatum fuit circa ligna cædenda & aquam hauriendam pro domo Dei: non erant Levitæ, nec Israelitæ, sed *Gibeonitæ*, quos Josua ob subdolam captionem, qua Israelitarum arma eluserant, ad hocce munus damnavit, Jos. IX. 23. Postmodum dicti sunt נתינים Esr. II. 43. a rad. נתן *dedit*, quasi diceres *dedititios*, quod huic ἀγγαρείᾳ *functioni* in templo dati erant. Abjecta fuit ipsorum conditio, ut patet ex Deut. XXIX. 11. *a putatore lignorum tuorum usque ad haustorem aquarum tuarum*.

Conditio.

* Si manuum impositio ab Apostolis in Ordinum collatione usitata non sine consecratione juxta Goodwinum, nec sine potestatis traditione juxta Hottingerum: Cur quæso Ordinem inter Sacramenta non recensent adversarii?

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

Annot. [1] Primogenito Pontificatum ordinario cessisse credibile est, sed non semper, nec lege aliqua. Neque alias Eli ad hanc dignitatem evehi potuisset, quippe inter posteros Eleazaris non reperitur 1. Chron. VI. 3--9. sed ut habet Josephus Ant. l. V. c. ult. p. 167. Ἰθάμαρ τοῦ ἑτέρου τῶν Ἀαρῶνος υἱῶν οἰκίας *ex Ithamaris familia, qui fuit alter Aaronis filius*. Magistri quoque differentiam in successione Regni & Pontificatus atque diversa unctionis ratione quærunt, dicentes non obtinere דין ירושה *jus hæreditarium* in obtinenda dignitate Pontificiali atque ideo omnes Pontifices unguento perfundendos esse. Textus Gemaricus כ"ג בן כ"ג טעון משיחה ואין מושחין מלך בן מלך *Sacerdos summus, qui filius Sacerdotis summi, ungendus est: Non item Rex filius Regis* cit. ab Abarb. in Leg. f. CCVII. 1. c. f. nec alia, quam in jure successionis, ratio, quod Abarbanel clare nos docet. אמנם הכ"נ שלא יירש הכהונה גדולה מאביו כי אינה ירושה לבניו לרשת אותה הבן הבכור כמלכות אבל ממונה מיד אחיו הכהנים להיות כ"ג בעבור היותו יותר הגון לאותה מעלה מצד עצמו כמו שאמור והכהן הגדול מאחיו ואח"זל גדול בנוי גדול בעומר גדול בכוח היה ראוי שיהיה נמשח כדי שמתוך אותה המשיחה יודע שהוא הממונה לכ"ג מבין כל שאר אחיו *Veruntamen Pontifex sacerdotium summum non consequitur jure hæreditario a Patre suo, quippe non hæreditario obtingit filiis, ut illud primogenitus accipiat, quemadmodum se habet cum regno. Verum a fratribus Sacerdotibus is constituitur, qui magis ex se ad hanc dignitatem idoneus est; prout dicitur* Lev. XXI. 10. Sacerdos, qui maximus est e fratribus suis. *Sapientes p. m. dixerunt: Pulcherrimus, ditissimus fortissimus* (Pontifex constituendus,) *qui quoque ungendus, ut hoc ritu alii cognoscant ipsum e medio fratrum suorum præfectum fuisse.*

[2] Ex quinque componitur, myrrha scil. quæ extra

tra corticem libere fluit & præſtantiſſima habetur, Cinnamomo, calamo, caſia & oleo, vide quæ de his ſpeciebus Maim. tr. כלי המקדש c. I. unde compoſitionem nonniſi deſcribo. לקח מן המור והקנמון והקדה מכל אחד משלשתן חמש מאות שקל בשקל הקדש ומקנה הבושם חמשים ומאתים וזהו שנ' בתורת וקנמון בשם מחציתו חמשים ומאתים ששוקלין אותו בשני פעמים חמשים ומאתים בכל פעם ושוחק כל אחד ואחד לבדו וערב הכל ושרה אותן במים זכין ומתוקין עד שיצא כל כנחם במים ונתן על המים שמן זית הין והוא שנים עשר לוג כל לוג ד'רביעי' ובשל הכל על האש עד שאבדו המים ונשאר השמן והניחו בכלי לדורות Ex verſione Lud. de Comp. de Veil. *Moſes ſumſit de unaquaque ex his tribus, myrrha, cinnamomo, caſia quingentorum pondus ſiclorum, videlicet ſanctorum: de calamo autem odorato ducentorum & quinquaginta ſiclorum pondo. Quod autem in lege dicitur*. Et cinamomi aromatici dimidium ejus, id eſt, quinquaginta & ducentos. *Hujus ea cauſa & ratio eſt, quoniam illud duabus vicibus librabant, ducentorum & quinquaginta ſiclorum pondus unaquaque vice: contrivit deinde unumquodque ſeparatim; tum contuſa ſimul omnia in aqua pura & dulci diluit tamdiu, dum omnino vis eorum in aquam tranſiſſet omnis. Hinc aquæ addidit hinnem olivi: hin autem capit logos duodecim, logus autem quartarios capit quaternos. Poſtremo totum hoc igni ſubdito concoxit uſque dum omni aqua exhalata relinquebatur ſolum olivum, quod in vas ſepoſuit ac condidit in poſterum.*

[3] Obſtat Exod. XXVIII. 41. XL. 13. 30. præpr. 15. Differentia ponenda videtur in copia Lev. VIII. 12. Pſ. CXXXIII. 2.

[4] Femoralia מכנסים hinc Joſepho corrupte *μαναχασῆ* a colligendo dicuntur Jeſ. XXVIII. 29. Formam ita deſcribit Maim. tr. כלי המקדש c. VIII. c. f. המכנסים בין של כהן גדול בין של כהן הדיוט הם ממתנים עד ירכים שהוא למעלה מן הטיבור קרוב הלב עד סוף הירך שהוא הארכובה ושנצים יש להם ואין להם לא בית הנקב ולא בית הערוה אלא מוקפין כמין כיס *Femoralia tam Sacerdotum Magnorum quam gregariorum pendebant a lumbis ad genua uſque hoc eſt ſupra umbilicum paulo infra cor uſque ad extremum ſemoris id eſt ad genu. Habebant autem ligamenta, nec enim aperta erant vel ad nates vel αἰδοῖα. Sacci inſtar (Sacerdotes) circumdabant* ſcil. hoc modo putabant ſatisfacere intentioni Legislatoris Exod. XXVIII. 42. qui caſtos Miniſtros elegit, diſtinctos maxime a ſacrificulis impudicorum Deorum, præprimis Baal Peor: More Nev. c. XLV. l. III. conf. alia in exercit noſtris ad Lev. XVI. §. 29. 30.

[5] Hebraice כתנת unde Gr. *χιτὼν* & Latinorum *tunica* per *μετάθεσιν*. Auctor ocellatum ſive teſſellatum vertit, quod in textu originali eſt תשבץ vide Exod. XXVIII. 4. 39. Singulari texturæ artificio ejuſmodi ocellos ſive teſſellas intexebant tunicis. De hac veſte Maim. tr. &c. cit. הכותנת בין של כהן גדול בין של כהן הדיוט משבצות היתה שהיא בתים בתים באריגת' כמו בית הכוסות כדרך שעושין האורגין בבגדים הקשים ובית יד שלה נארג בפני עצמו ומחברין אותו עם גוף הכתונת בתפירה אורך הכתונת עד למעלה מן העקב. ואורך בית יד שלה עם פס ידו ורוחבו כרוחב היד *Tunicæ Sacerdotis M. & Sacerdotum gregariorum erant teſſellatæ hoc eſt textura earum tota conſtabat domunculis, quales in reticulo & quales textores in veſtibus craſſioribus intexere ſolent. Manicæ texebantur ſejunctim & poſtea aſſuebantur majori tunicæ parti. Conficiebantur talares: manicæ vero pertingebant uſque ad volam manus: Latitudo autem ſecundum latitudinem manus.*

[6] Notandum, quod hæc veſtis conſtiterit ex lino & lana, quum communiter & extra Miniſterium ſacrum talis veſtis lege prohibita fuerit Lev. XIX. 19. Quod linum attinet Exod. XXXIX. 29. *Balteus* שש משזר *ex lino contorto*. ſcil. שש *lini* ſpeciem notat, quæ ſex inter ſe contortis filis conſtat & ita diſtinguitur ab alia ſpecie בד dicta, unde conficiebantur femoralia Exod. XXVIII. 42. De hac differentia plenius in Exercit. noſtris ad Lev. XVI. §. 27. Lana quidem diſerte non exprimitur ſed intelligenda ſub coloribus Ex. XXXIX. 29. *hyacinthino* ex conchylii marini ſpecie, *purpureo* ex murice, *coccineo dibapho* ex cocco. Hoc vult conſtructio, quæ ſubinde occurrit. Paulus Hebr. IX. 19. collatus cum Lege Veteri. Joſephus Ant. l. III. c. 8. pag. 84. Maim. l. c. Conceſſum eſt Sacerdoti veſtibus ſacris uti חוץ מן האבנט מפני שהוא שעטנז אסור לכהן הדיוט ללובשו אלא בשעת עבודה *Si excipis baltheum, quoniam ille e mixta lino lana. Quare gregarius Sacerdos tum nonniſi illum induendi poteſtatem habet, quando miniſtrat*, & alii plurimi. Addo ex eodem longitudinem & latitudinem אבנט רוחבו כמו שלש אצבעות וארכו שנים ושלשים אמה *Latitudo Balthei trium circiter digitorum, ſed longitudo duorum & triginta cubitorum.*

[7] Veſtis, que Auctori *tunica*, a Moſe appellatur מעיל communiter *pallium*, alius longe formæ, quam noſtra eſſe ſolent. Solet tamen pallium dici, quia tunicam interiorem palliat ſive tegit. Joſephus Ant. Jud. l. III. c. 8. p. 85. ἐςι δὲ ὁ χιτὼν ἔτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων ὥς τε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι καὶ τῶν παρὰ πλευρὰν φάρσος δ' ἓν ἐπίμηκες ὑφασμένον σχιτὸν ἔχει βρογχωτῆρα πλάγιον, ἀλλὰ κατὰ μῆκος ἐρρωγότα πρός τε τὸ στέρνον καὶ μέσον τὸ μετάφρενον, πέζα δὲ αὐτῷ προσφέρεται, ὑπὲρ τοῦ μὴ διελέγχεσθαι τῆς τομῆς τὴν δυσπρέπειαν ὁμοίως δὲ καὶ ὅθεν αἱ χεῖρες διείργονται σχιτός ἐςιν. Gelenio Interprete: *Hæc tunica non conſtat e duobus ſegmentis, ut ſuturas habeat in humeris ac lateribus; ſed unica tela in longum contexta aperturam in ſummo habet, non tranſverſam, ſed in longum deſcendentem a tergo & ante uſque ad medium pectus: cui decoris cauſa aſſuta eſt fimbria, ne ſciſſura appareat: eodem modo, qua manus exeruntur, eſt ſciſſa.* Limbus non ſolum decoris ſed maxime firmitatis cauſa Exod. XXVIII. 31. texebatur. Cum Joſepho etiam Rabbini pallium manicatum eſſe negant. Maimon. tr. cit. c. IX. 3.

[8] Numerus tintinnabulorum & malogranatorum incertus, ferme nimius, quem Auctor tradit & cujus jam meminerunt Talmudici tr. זבחים c. X. atque ex iis Hieronymus. Quomodo enim 72. tintinnabula & totidem malogranata a fimbria pallii dependere potuerunt? Credat, qui velit. Formam quidem tintinnabulorum (num illa rotunda, num vero oblonga fuerit) ignoramus, ſed materiam e Moſe cognoſcimus פעמני זהב *tintinnabula aurea*; Malogranata vero e lana hyacinthini, purpurei, coccinei coloris. Exod. XXVIII. 33.

[9] Ephod e triplici Materia, auro, lana, lino Exod. XXVIII. 6. quam in ſequentem modum conjunctam refert Maim. tr. &c. cit. §. 5. הזהב שבארינת האפוד והחושן האמור בתור ככה הוא מעשהו לוקח חוט אחד זהב טהור ונתנו עם ו' חוטין של תכלת וכופל השבע' חוטין באחת וכן הוא עושה חוט זהב עם ששה של ארגמן וחוט אחד עם ששה של תולעת וחוט אחד עם ששה של פשתים נמצאו ארבע חוטין זהב ונמצאו כל החוטים כ"ח שנ' וירקעו את פחי הזהב וגו' לעשות בתוך התכלת ובתוך הארגמן ובתוך תולע' השני ובתוך השש מלמד שחוט הזהב בפול בתוכן *Aurum, quod juxta Legem Ephodo & pectorali intexendum, ita parabatur. Sumebatur unum auri puri filum atque addebatur ſex filis hyacinthinis, quæ ſeptem una conduplicabantur: ſimiliter filum aureum conjungebatur cum ſex purpureis & aliud cum ſex coccineis & rurſum unum cum ſex lineis. Quomodo erant auri fila IV. in univerſum XXVIII. Hoc eſt, quod legitur Exod. XXXIX.* 3. & extenderunt laminas auri &c. ut texerent in medio hyacinthi & in medio purpuræ & in medio cocci & in medio lini. *Docemur ita filum aureum reliquis implicandum eſſe*. Hæc autem apte ſibi jungere. ut ab utroque latere formæ conſpiciantur, magni ingenii eſt, ut merito artificium חשב ingenioſum dicatur Exod. XXVIII. 6. conf. quæ de hac veſte, ejus partibus, lapidibus idem paulo inferius §. 9. & Joſeph. l. III. c. 8.

[10] Nomen Hebræum חשן incertæ valde Originis. Probabilis nonnihil Etymologia illa mihi videtur, quæ veſtigia ſignificatus in Arabiſmo latere putat ſcil. [illegible] *circumdedit, præcinxit*, unde LXX. ſæpius περιζώδιον, ſed neque hæc in aſſenſum trahit. Majorem fidem meretur, quod Maimon. de hoc veſtimento more ſuo, hoc eſt præclare nos edocet tr. & c. c. §. 6. 7. 8. ארכו אמה ורחבה זרת וכופלו לשנים נמצ' זרת על זרת מרובע וקובע בו ארבעה טורים של אבן המפורשין בתורה כל אבן מהן מרובע ומשוקע בבית של זהב שמקיפו מלמטה ומו' רוחותיו ומפתח על האבנים שמות השבטים כתולדותם ונמצא כותב על האודם ראובן ועל ישפה בנימן וכותב בתחלה למעלה מראובן אברהם

אברהם יצחק ויעקב וכותב למטה מבנימין שבטי יה כדי שיהיו כל האותיות מצויות שם ועושה על ארבע זויות של חושן ארבע טבעות זהב ונותן בשתי הטבעות של מעלה שהחושן נתלה בהן שתי עבותות הזהב והם הנקראים שרשות ונותן בשתי טבעות של מטה שהן כנגר הדדים שני פתילי תכלת (quando contexebatur) *erat longitudo cubitalis , ſed latitudo unius ſpithamæ . Poſtea duplicabatur, qua ratione unius ſpithamæ quaquaverſum erat, figuræ quadratæ. Tum determinabat in eo quatuor gemmarum in Lege expreſſarum ordines. Lapides illi erant quadrati atque ſundis aureis ita infixi ut & inferius & quatuor latera illis fuerint circumdata . Inſculpebantur dein nomina tribuum , uti ordo generationis eſt . Primo lapidi , qui* ארם Odem *dicitur , inſcribebatur Ruben. Ultimo , qui* ישפה Jaſpis, *Benjamin . Supra Ruben ſcribebatur ABRAHAM , ISAAC , JACOB . Infra Benjamin TRIBUS JAH ſive Dei , quo omnes literæ Alphabethi in illo invenirentur . Conficiebantur quatuor annuli ex auro in quatuor angulis pectoralis : Duobus ſuperioribus , a quibus pectorale ſuſpenſum erat , indebantur duo vincula aurea , quæ catenæ dicuntur : Duobus autem inferioribus , qui mammis reſpondebant , duo funes hyacinthini .* Talis erat forma .

אברהם יצחק יעקב

לוי ברקת	שמעון פטרה	ראובן ארם
נפתלי יהלם	דן ספיר	יהודה נפך
יששכר אחלמה	אשר מבו	גד לשם
בנימן ישפה	יוסף שהם	זבולן תרשיש

שבטי יה

[11] Quid Urim & Tummim ſint , puto nos indigere deciſione per Urim & Tummim . Auctor diſtinctum quid a gemmis intelligendum judicat . Si aliquam, hanc certe, conjecturam defenderem, Urim & Tummim eſſe lapides pectorales . Num. 1. lapides illi a fulgore & perfectione commode ita dicuntur . 2. Vult phraſis Exod. XXVIII. 30. *& pones* אל חשן המשפט את האורים ואת התמים *ſuper* (על *pro* אל) *pectorale judicii illud Urim & illud Tummim*. Nihil autem præcedebat , ad quod ה demonſtrativum æque referri poteſt . 3. Collatio trium locorum Paralellorum Exod. XXXVIII. XXXIX. 8. &c. Lev. VIII. 8. 4. Moſes cuncta alia , unde deſumta ſint, nominavit. Nulla firma cauſa, quare non etiam, quæ ad naturam Urim & Tummim pertinent, nominaſſet. 5. Accedit auctoritas Virorum Eruditorum: ſufficiat mihi nominaſſe Joſephum Antiq. l.III. c.9. & Maimon. tr. cit. c. 10. §. 10. עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלים ממנה בגדים *Sub Templo ſecundo Urim & Tummim conficiebantur ad perficiendum octonarium veſtium numerum* . Omnia ferme , quæ de Urim & Tummim cognoſci poſſunt , nobis in lucem protraxit Celeberrimus Buxtorfius F. in Exercit. III. p. 268. -- 333.

[12] Pontificis מצנפת Exod. XXVIII. 4. Sacerdotum gregariorum מגבעות ℣. 40. audiunt : ſcil. hæ magis cuſpidatæ. Alias in materia & etiam in longitudine, uti Magiſtri tradunt, conveniebant. Maimon. tr. cit. c. VIII. 19. המצנפת של כהן גדול או הדיוט ארכה ששה עשר אמות *Cidaris Pontificis æque ac Sacerdotis privati ſedecim cubitos longa erat* .

[13] Bractea modo ציץ Exod. XXVIII. 36. modo נזר Exod. XXIX. 6. a forma & uſu dicitur: Illi reſpondet πέταλον quod Lxx. Huic Joſephi ςέφανος. Figuram bracteę plenius deſcribit idem Celeberrimus Magiſter c. IX. 1. כיצד מעשה הציץ עוש׳ טס של זהב רחב שתי אצבעות ומקיף מאוזן לאוזן כותב עליו שני שיטין קדש לה׳ קדש מלמטה לה׳ מלמעלה ואם כתבו בשיטה אחד כשר ופעמים כתבוהו בשיטה אחד והאותיות בולטות בפניו חופר את האותיות מאחוריו והוא מדובק על השעוה עד שבולט׳ והוא נקוב בשתי קצתיו ופתיל תכלת למט׳ ממנו נכנס מנקב לנקב כדי שיהיה נקשר בפתיל כנגד העורף *Quæ ratio operis bracteæ ? Fiebat lamina aurea duos digitos lata , quæ ab aure ad aurem attingebat . Illi inſcribebatur duabus lineis SANCTITAS JEHOVÆ ſcil. SANCTITAS inferius : ſuperius autem JEHOVÆ . Si vero in una linea ſcripſiſſet , nihilominus legitimum habebatur . Aliquando uni lineæ inſcripſerunt . Literæ protuberabant a parte faciei : Si literæ inſculpebantur a parte poſteriori , eæ ceræ adhærebant , donec protuberabant . Perforata inſuper erat ad duas extremitates & funiculus hyacinthinus inferius per utrumque foramen ducebatur , ut funiculo ad cervicem colligari poſſet .*

[14] *Aureæ* appellantur , quia partim aurum intextum, partim appenſum habebant . Lamina Pontificis tota ex puro auro conſtabat . Sed *albæ* ex lino candido nonniſi Lev. XVI. 4. contexebantur . Alia de his veſtibus non addimus, utpote de illis prolixe in exercit. noſtris ad Lev. XVI. §. 35. & ſeq.

[15] Facile aliquis hinc colligeret IV. priores in publico urbis geſtatas fuiſſe , quod æque falſum ac quoad IV. poſteriores. Omnium eadem ratio. Miniſterio ſacro conſecratæ nonniſi in loco ſacro geſtandæ Exod. XXVII. 3. conf. Maim. tr. כלי המקדש c. VIII. 10. כהן גדול מניח בגדי זהב בלשכה שלו בלילה או בעת שיצא מן המקדש *Sacerdos ſummus noctu , aut quando ſanctuario egreditur , veſtes aureas in conclavi ſuo reponit* . Pari ratione Sacerdotes gregarii , quibus hunc in finem ſex & nonaginta ciſtæ veſtiariæ pro numero veſtium & claſſium in templo deſtinatæ erant . Paulo ſupra §. 8. 9. Potius tamen Interpretem, qui, quum ritum minus recte intellexit , ad verba Originalia non ſatis attendit, quam Goodvvinum, erraſſe puto. Saltem ita credere ferme perſuadet Interpretatio Lingua Belgica facta , quæ hunc errorem non committit .

[16] Nonnulla l. cit. a Moſe nominatim exprimuntur, ſed hæc non ſola ſacerdotes temerabant . Species quædam, uti alibi ſæpius, nominatæ ſunt & intelliguntur omnes aliæ ſub eodem genere contentæ. Atque hoc innuere videntur verba generalia Lev. XXI. 17. *Omnis vir e ſemine Aharon , in quo fuerit* מום *vitium* . Quare, ne quiſpiam vitiatus functionem faceret, in vitiis deſcribendis , diſcernendis, numerandis magnam ſapientes adhibuerunt curam atque recens conſtituendos Sacerdotes in Synedrio M. accurate examinarunt . Dabo nonniſi ſummam vitiorum, quorum unicum Sacerdotem e miniſterio ſacro dimovebat . Maim. tr. ביאת המקדש c. VIII. §. ult. נמצאו כל המומין הפסולין בכהנים מאה וארבעים וזה כללם שמנה בראש ושנים בצואר ותשעה באזנים וחמשה בגבינים ושבע׳ בגים העין ותשעה עשר בעינים ותשעה בחוטם ותשעה בפה ושלש׳ בבטן ושלש בגב ושבעה בידים וששה עשר באיברי הזרע ועשרים ברגלים ושמנה בכל הגוף ושמנה בעור הבשר ושבעה בכוח הגוף וריחו ובבר נפרטו כולן אחד אחד ואלו פסולין מפני מראית העין מי שנשרו ריסי עיניו אף על פי שנשאר השיער בעיקרון ומי שניטלו שיניו *Centum quadraginta vitia ſunt , quæ polluunt Sacerdotes , quæ hæc : VIII. in capite : in collo II. In auribus IX. In ſuperciliis V. In palpebris oculorum VII. In oculis XIX. In naſo IX. In ore IX. in ventre III. In dorſo III. In manibus VII. In membro genitali XVI. In pedibus XX. In toto corpore VIII. In cute VIII. In robore & odore corporis VII. Hæc jam ſigillatim deſcripta ſunt . Sequentia vero propter aſpectum temerabant : cujus pili de palpebris exciderunt , quamvis reliquæ eſſent pilorum radices : cujus dentes deſunt* .

[17] Plures quidem cum Auctore verba Lev. XXI. 10. את ראשו לא יפרע *caput ſuum non denudabit* , vertunt . Habent quoque hujus verſionis præſidium Num. V. 18. Lev. XIII. 45. & alibi . Judæi tamen , qui a traditionibus ſtant, vertendum cenſent : *Capillitium ſuum non alet* ſive non nutriet comam promiſſam, uti & olim Ezech. IV. 20. vel V. 1. 2. & hodie lugentes Judæi facere ſolent . Eundem ſignificatum obtinere putant Lev. X. 6. Ægre quidem probabitur ex Lingua Hebraica : Attamen ex Arabica , annotante B. Avo in *Jure Hebr.* p. 212. in qua correſpondens radix *longo & humeris involitante capillitio eſſe* . Raſchius ad l. cit. לא יגדל פרע על אבל איזהו גדול פרע יותר משלשים יום *non alet comam propter luctum . Tum autem comam alit , quando ultra 30. dies illam nutrit* , nec detondet . Hæc lucem accipient ex tonſura Pontificis & Sacerdotum gregariorum legibus circumſcripta . De illa Maim. tr. כלי המקדש c. V. 6. אינו מרבה פרע לעולם שנ׳ את ראשו לא יפרע ואפילו בעת שלא יכנס למקדש אלא מספר מערב שבת לערב שבת *Pontifex promiſſam comam nunquam nutriet , nam dictum Lev. XXI.*

XXI. 10. comam ſuam non nutriet. *Etiam eo tempore, quo ſanctum non intrat, ſed ſingulis veſperis Sabbathi detondebit.* De hac tr. ביאת המקדש c. I. §. 11. כמה הוא גידול פרע שלשים יום כנזיר שנ׳ כו גודל פרע שער ראשו ואין נזירות פחותה משלשים יום לפיכך כהן הדיוט העובד מגלח משלשים יום לשלשים יום *Coma triginta diebus nutritur, uti coma Næziræi ſicuti ſcriptum Num. VI. 5. Sinendo creſcere comam capitis ſui. At nullus Naziræatus paucioribus quam 30. diebus conſtabat. Igitur Sacerdos privatus, qui miniſtrat, triceſima quoque die comam detondebit.*

[18] Mirum ſane omitti propriam uxorem, quæ memoratas perſonas vicinitate ſanguinis & amore longe excedit Gen. II. 24. Non dubito ejus quoque luctum permiſſum fuiſſe & quidem vi legis Lev. XXI. 2. *niſi pro carne ſua, quæ propinqua ſibi.* Plane ſubſcribo Raſchio שארו *Per* אין שארו אלא אשתו caro ejus, *intelligitur uxor ejus.* Maimonides tract. אבל c. II. 1. אשתו הנשואה *uxorem in domum ſuam ductam*, non tamen quæ ſolum deſponſata, lugendam dicit מדבריהם *ex ſententia ſapientum.* Negat adeoque vi Legis luctum illum licitum, ſed male. Verba Moſis citata haud commodius quam de uxore accipi poſſunt. *Conſ. Gouſſet. Lex. ſub rad.* שאר.

[19] Uti nomen כהנים a dignitate Politica ad Templum transferebatur, ita quoque סגן *Sagan* quo illi, qui maxima poſt Regem dignitate pollebant, veniunt Jer. LI. 23. 28. 57. Eſr. IX. 2. Hinc primus a Pontifice סגן appellabatur 2. Reg. XXV. 18. את שריה כהן הראש ואת צפניהו כהן משנה *Seraja Sacerdotem ſummum & Zephaniam Sacerdotem ſecundum*, quæ ita Jonathan ית שריה כהנא רבא וית צפניה סגן כהניא *Serajam Sacerdotem ſummum & Zephaniam Sagan Sacerdotum.* In ſcriptis Miſchnicis ſæpius ממונה tr. יומא c. III. 1. & alibi. Dignitatem hanc cum Sacerdotio incepiſſe, ſucceſſu autem temporis varie immutatam, novis functionibus auctam fuiſſe probabile eſt. Primi, qui illam obtinuerunt, non quidem dicebantur סגנים (nomen enim recens) ſed tales erant. Ex functionibus, quæ poſteriori tempore ex præſcripto obeundæ erant, eminent illæ die expiatioris, uti dextram Pontificis claudere in ſortitione tr. יומא c. IV. 1. *conſ. in exercit. noſtris* ad Lev. XVI. §. 76. librum legis in manus Pontificis tradere c. VII. 1. pro illo ſanctiſſimum ingredi, ſi pollutus fuerit c. I. 1. Quoniam autem de his ad ductum c. XVI. in Levitico partim egimus, partim *6.* 9. agemus, alia hic non addo. Plura de hoc Sagane *Ven. Vitringa obſerv. ſ. l. VI. c.* 23. & præprimis *Eruditiſſ. M. J. J. Quandt.*

[20] Etiam ante Davidem Sacerdotes in certos ordines diviſos fuiſſe Hebræi referunt Maim. tractat. כלי המקדש cap. IV. 3. משה רבינו חלק הכהנים לשמנה משמרות ארבעה מאלעזר וארבעה מאיתמר ובן היו עד שמואל הנביא *Moſes Magiſter noſter Sacerdotes in octo diviſit claſſes, quarum quatuor ex Eleaſare, quatuor ex Ithamare. Hæc autem partitio duravit ad Samuelem Prophetam.* Aliam adhuc memorat Raſchius, que huic repugnat in Comment ad 1. Annal. c. XXIV. 5. מתחילה במשכן שילה לא היו כי אם י״ו משמרות ח׳ מאלעזר וח׳ מאיתמר כמפורש במסכת תענית *Ab initio, quando Tabernaculum in Schilo erat, XVI. Sacerdotum ordines nonniſi erant, octo ſcil. ex poſteris Eleaſaris & octo ex Ithamaris, ſicuti explicatur in tract.* תענית *ſive de jejuniis.* Niſi forſan obtineat opinio Rabb. in tr. תענית de Jejun. f. 27. 1. אמר רב משה תקן להם לישראל שמונה משמרות ד׳ מאלעזר וד׳ מאיתמר בא שמואל והעמידן על שש עשרה בא דוד והעמידן על עשרים וארבע *Rabh dicebat: Iſraeli octo cuſtodias ordinavit, quatuor ex Eleaſare & quatuor ex Ithamare. Venit Samuel & conſtituit ſedecim: David vero quatuor & viginti.*

[21] Sortitione diſtributio facta, quo omnis inter ordines lis tollatur. Actui ſortitorio intererant Rex, Pontifex, Principes, aliique 1. Chron. XXIV. *6.* ne fraus aliqua committatur. His præſentibus ſortes urnæ injiciebantur atque probe commixtæ extrahebantur, unde phraſis *exivit ſors* uti l. cit. v. 7. quæ dein cuilibet claſſi certum aſſignabant locum & ſic ordinem functionum, quem conſtanter uſque ad captivitatem Babylonicam tenuerunt. Poſtea ex XXIV. claſſibus quatuor nonniſi recenſentur Eſr. II. 36. 37. 38. Jedaja, Immer, Paſchur, Charim. Nihilominus, ſi fides Talmudicis habenda, rurſus totidem numero & nominibus claſſes ex memoratis inſtitutæ fuerunt, Rem omnem pandit Talm. Hieroſ. ad tr. תענית f. 68. 1. Verba nonniſi Latine ex interpretatione Seldeni dabo l. 1. c. 1. de Succeſſ. in Pontif. *Quatuor claſſes aſcendebant e captivitate, Jedaiah, Harim, Paſchur & Immer. Pactum autem cum eis inierunt Prophetæ, qui inter eos* (viri inter eos præſtantiores) *ne quidem Jehojaribum, ſi e captivitate aſcenderet* (id primæ in diſtributione Davidica claſſis nomen eſt) *prærogativam habiturum præ claſſe* (jam ſorte) *ante eum conſtituta, ſed ei tantum fore adjungendum. Ex autoritate igitur Prophetarum, qui inter eos, fiebant ſortes viginti quatuor membranalis educendæ. Venit Jedajah & eduxit præter ſe ipſum quinque: ita fiebant etiam ſex. Et venit Charim & eduxit præter ſe ipſum quinque: ita fiebant etiam ſex. Venit ſimiliter Paſchur & eduxit præter ſe ipſum quinque, unde & ſex fiebant. Quod itidem fecit Immer.* Hinc explica Luc. I. 5. coll. 1. Chron. XXIV. 10.

[22] Hic enim diſtributionis finis erat, ut functiones ſacras inter ſe partirentur atque illas ſucceſſive obirent Maim. tract. כלי המקדש c. IV. 3. על כל משמר ומשמר ראש אחד ממונה ועולין לירושלים לעבוד משמר לכל שבת ומיום השבת ליום השבת הן מתחלפין משמר יוצא והאחר שהוא אחריו נכנס עד שיגמרו וחוזרין חלילה *Unicuique claſſi unus aliquis præfectus erat. Quolibet Sabbatho claſſis Hieroſolymam ad ſerviendum aſcendebat: Ab hoc ad ſequens Sabbathum vices immutabant: Tum una abibat & altera, quæ ordine priorem ſequitur, ſuccedebat, donec omnes functiones perſeciſſent, & tum per circulum redibant.* conf. 2. Chron. XXIII. 8. Excipienda tamen ſunt feſta. Præterea claſſes, prout magnæ aut parvæ, in certas בתי אבות *domos Paternas* dividebantur.

[23] Primitus munerum partitio per ſortes non valebat, ſed tum demum uſurpata, quando ſpontaneitas illa in Sacris operandi aliis damno eſſe incepit. Tum quatuor præſertim ſortes celebres inſtituebantur, quarum prima de altari expurgando. Secunda מי שוחט מי זורק מי מדשן מזבח הפנימי ומי מדשן את המנורה ומי מעלה אברים לכבש הראש והרגל ושתי הידים העוקץ והרגל החזה והגרה ושתי הדפנות והקרבים והסלת והחביתין והיין *quis debeat mactare, ſanguinem ſpargere, altare interius, lychnuchum decinerare, membra in clivum apportare veluti caput, pedem, duas manus, ſpinam dorſi; pedem, pectus, guttur, duas coſtas, inteſtina, ſimilam, frixa & vinum.* Tertia de ſuffitu faciendo. Et quarta de apportatione membrorum a clivo ad ipſum altare, vid. Tr. יומא c. II. 2. 5.

[24] Robuſtiores requirebantur eo tempore quo Tabernaculum hinc inde ab ipſis geſtandum erat. Itaque Templo Salomonis exſtructo non ultra neceſſarium, ut anno demum triceſimo functiones publicas aggrederentur, adeoque prudentiſſime illi, qui viginti annos nati, a Davide idonei ad Miniſterium agnoſcebantur 1. Chron. XXIII. 24. 27. conf. Eſr. III. 8. Nec obſtat ℣. 3. nam illa recentior conſtitutio. *R. Obad. de Barten.* ad tr. חולין c. I. 6. Poſtquam dixerat numerum annorum Levitam idoneum aut inidoneum reddere, monet שלא היה בשילה ובבית עולמים שם משא בכתף אין השנים פוסלים בלוים אלא הקול בלבד *obtinuiſſe non in Schilo aut Templo, quia tum humeris nihil geſtare debebant. Sola vox Levitas temerabat.*

[25] Χειροθεσία, quæ Levitis facta, Num. VIII. 10. 12. rectius confertur cum uſitata victimarum. Verum, quæ obtinet in ordinum conſecratione, magis convenit cum illa Num. XXVII. 18. Deut. XXXIV. 9. qua & poteſtatis & donorum collatio præfigurabatur. Conf. 1. Tim. V. 22. Act. XIII. 3. 2. Tim. I. 6.

[26] Quæ de Viris ſtationariis ex monumentis Judæorum cognoſcenda, jam in peculiari diſſertatione pertractavimus. Capita hæc ſunt: א Dici אנשי מעמד a ſtatione & precibus. ב Ortos ex Iſraele. ג Electos fuiſſe viros pios. ד diviſos in XXIV. claſſes, quarum unaquæque præfectum habebat. ה Illorum fuiſſe officium, adſtare ſacrificiis publicis, precari; legere ſcripturam, jejunare quater in ſeptimana. ו Atque hoc tum, quando ordo ad claſſem perveniebat. ז Sive in Hieroſolyma ſive extra eam. ח Omne hoc non a Divina, ſed humana tantum inſtitutione non multo ante, aut credibiliter poſt captivitatem Babylonicam facta, dependere.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Prophetis.

Tres periodi Prophetarum.

I. LEgis interpretes diversis nominibus insigniti sunt. Et licet annus & tempus, quo cujusvis nomen ortum est, antiquitate tectum sit, nec ullis monumentis pateat, concipere tamen possumus tres diversos temporis articulos & periodos, quibus nomina mutationi succubuerunt. Ab *Adamo* usque ad *Mosen*, II. A *Mose* usque ad *reditum* populi ex Babylone. III. Ab isto *reditu* usque ad dies *Salvatoris nostri* & deinceps.

Prophetæ I. periodi uti Adamus

qui etiam sacerdos

II. In prima temporis periodo, [1] sicut *Adamus & Propheta & Sacerdos* suæ familiæ fuit, ita postmodum quivis *primogenitus*, his duobus muniis præfuit, simulque regimen suæ domus gessit. Quod autem suas familias *Regum* instar moderati sint & tanquam *Prophetæ* condocefecerint, non nisi hospitem in Sacris Literis latere potest. Sed maximum de ipsorum *Sacerdotio* dubium est. Adami Sacerdotium exinde concluditur, quod Gen. IV. 3. 4. Abel & Cain dicantur tulisse munus suum, [2] scil. ad Adamum, qui ipsorum nomine illud Deo offerret. *Bertram Polit. Jud. c. 2. p. 17.* Sacerdotium primogenitorum inde conjicere licet, quod Levitæ addicebantur altari loco primogenitorum [3] tanquam ipsorum λύτρον *pretium redemptionis*, *Num. III. 41.*

Prophetæ II. Periodi.

III. In secunda temporis periodo, etiamsi κατήχησις Legis privata solius esset patrisfamilias, publica tamen debebatur Sacerdotibus & Prophetis.

Prophetæ III. Periodi.

IV. In tertia periodo, quando prophetiæ siluerunt, munus exponendi Sacras Literas vulgatiori usui cessit, & Prophetarum loco, aliorum interpretum insignis multitudo succrevit, quos generali voce notare & omnes διδασκάλους *Doctores* vocare possumus, Joh. III. 2. Distinguere eos licet I. in Σοφοὺς *Sapientes*, II. Γραμματεῖς *Scribas*, sive legisperitos, III. Συζητητὰς *Disquisitores*, 1. *Cor. I.* 20. Unusquisque horum, aut quicunque *Doctor* alios donis præstantibus antevertebat, titulo RABBI condecorabatur. *I. Prophetæ. II. Sapientes. III. Legisperiti, IV. Disquisitores. V. Rabbini*

Quinam prophetæ dicebantur.

V. I. *Prophetæ* in Sacra Scriptura variis veniunt nominibus. I. Dicuntur pro ipsis *Prophetarum libris. Habent Mosen & Prophetas, Luc. XVI. 29.* II. *Pro toto Scripturarum codice. Nulla Prophetia Scripturæ est propriæ interpretationis*, 2. *Petr. I. 26.* III. Illi, quibus Deus se familiari manifestatione aperuit, vocabantur *Prophetæ*. Abraham Propheta fuit, Gen. XX. 7. Miriam Prophetissa. Exod. XV. 20. IV. Ordinarii Verbi Divini interpretes dicebantur Prophetæ; *qui accipit Prophetam in nomine Prophetæ*, *Matth.* X. 41. V. Taudem sumuntur pro illis, qui χρηματισθέντες *divinitus docti*; occulta mysteria, quæ omnem humanam sapientiam explodunt, eruunt, [4] Hinc olim Prophetæ ראים *Videntes*, 1. *Sam. IX. V.* ipsorumque prophetia חזון *Visio*, vocantur, Esa. I. 1. quia Deus modo extraordinario mentem ipsorum cognitione horum mysteriorum illuminavit.

Tria prophetiæ nomina.

VI. Tres notatu dignæ appellationes dantur prophetiæ in S. Scriptura; vocatur I. *Verbum Domini. II. Visio. III. Onus.* Primum nomen infert Dominum loquentem, sive sua mysteria denudantem; Secundum Prophetæ attentionem sive contemplationem; Tertium judicia denotat, queis ille populus, adversus quem prophetia lata est, onerandus sit.

Scholæ prophetarum.

VII. Diversis in locis Auditoria & Scholæ, proseminandæ Prophetarum doctrinæ, exstructæ fuere; horum discipuli nominabantur *Filii Prophetarum*, 2. *Reg. VI.* 1. Ad quem loquendi modum alluditur *Matth. XI. 19. Sapientia justificata est a filiis suis.* Hoc intuitu Propheta fert interdum nomen *Patris*: Elisa clamavit, *pater mi*, *pater mi*, 2. *Reg. II.* 12. Eodem sensu Græci nuncupant artis medicæ candidatos ἰατρῶν παῖδας. *Erasm. Ep. Dedic. Hilario præfixa.* Targum locum 2. Reg. II. 12. ita exponit, ac si dictum esset, *Rabbi*, sive *magister mi*, *magister mi*. Et sane enixa ambitione Rabbini atripiebant istud nomen *Patris*, unde Christus dixit *Matth. XXIII. 9 Non vocabitis quempiam patrem vestrum in terra.*

Prophetæ modo jungitur nomen Patris. Modo non Modo nomen urbis: Modo non

VIII. S. Scriptura Prophetæ nomini sæpe jungit *nomen Patris ejus*, ut *Hos. I. 1. Hoseas filius Beeri.* Et talem Hebræi ajunt fuisse & Prophetam & filium Prophetæ. *Kimch. præf. ad Hos.* Interdum & S. Scriptura memorat nomen Prophetæ, *non vero Patris*; & talem tum dicunt fuisse Prophetam, sed non filium Prophetæ. Interdum suffigit nomini Prophetæ *nomen urbis*, in qua prophetavit & tum talis Propheta ipsis est *Propheta hujus urbis*; ubi autem supprimitur nomen urbis, tum talem Prophetam ex Hierosolymis deducunt. [5]

Quinam Sapientes?

IX. *Sapientes*. Licet hic titulus generalior ſit, omnibuſque Doctoribus & Paſtoribus communis, tamen multis annis ante *παρυσίων adventum* noſtri Salvatoris *Phariſæi* eum vel ſibi ipſis arrogaverant, vel aucupati erant a plebecula ignorante, quæ ſtupebat ipſorum ſapientiam in inculcandis traditionibus *πατροπαραδότοις* quas ſupra Legem extollebant. *Gorionid. lib.* 4. *cap.* 20. Inde fecerunt Phariſæis nomen, *Magiſtros Traditionum*. *Druſ. de trib. ſect. pag.* 86. Ejus farinæ fuit conſilium iſtud, quod dedit *Rabbi Eleezar* ſuis diſcipulis, ut reflecterent filios ſuos a S. Scriptura, ipſoſque ponerent *παρὰ τὰς πόδας* ad genua Sapientum, *Buxtorf. Recenſ. oper. Talmud. p.* 195. Inde etiam fluxit ipſorum tritum *οἱ σοφοὶ ἡμῶν δευτερῦσι*, *Sapientes noſtri traditiones docent*; quo utebantur, ſi quando Doctorum quis erudiebat. *Hieron. ad Algaſ. quæſt.* 10.

Appellatio ſimilis inter Græcos.

X. Æqualem ambitionem notare poſſumus inter Græcos, qui omnes inhiabant titulo *σοφῦ ſapientis*. Hinc factum, ut, ubi cujuſdam oratio fuerat ad palatum circumfuſæ multitudinis, applauderetur ipſi, *σοφῶς ſapienter dictum*; uſque dum Pythagoras tædio turgidi illius tituli ſe mallet appellare *φιλόσοφον ſapientiæ ſtudioſum*. Quam humilitatem poſtmodum imitati Hebræorum Magiſtri, ut ſuſpicionem ambitionis averruncarent, ſuperſederunt nomine חכמים *ſapientum*, contenti ſe nuncupare תלמידי חכמים *diſcipulos ſapientum*.

Quinam Scribæ?

XI. III. *Scribæ γραμματεῖς* ספרים. Hoc nomen tribuitur duobus hominum generibus, vel puris *Laicis*, vel *Eccleſiaſticis*.

Laicorum Scribarum officium. Tales Simeonitæ.

XII. Laici *γραμματεῖς* erant, quibus inſtituendi pueri minorennes mandabantur, præprimis ut ipſos literas pingere docerent; eos *ἁπλῶς* dicere poſſumus *γραμματεῖς Scribas*. Hoc officio fungebatur tribus *Simeon*. [6] Hoc quidem ſenſu nomen Scribarum non occurrit in Sacris Literis, etſi originem ſuam inde derivarent, verbiſque Divinis probarent, quæ Jacob dixit *Simeoni* & *Levi*, *Gen. XLIX.* 7. *Diſtribuam eos in Jacobo & diſpergam eos in Iſraele*: nam, quemadmodum tribus *Levi* nullam propriam hæreditatem & portionem accepit, ſed paſſim habitabat, ſparſaque inter reliquas tribus ex altari victitabat: ita tribus *Simeon* nullam propriam Rempublicam conſtituebat, ſed diſſipata per cæteras tribus alimoniam vitæque ſubſidia inſtituendis liberis parabat; *Salomon Jarchi*, *Gen. XLIX. Ambr. Tom.* 4. *cap.* 3. Num vero hocce officium ſcholaſticum ſoli tribui iſti deſtinatum fuerit, alii diſquirant. Certus ſum *Simeonitis* ſorte datam eſſe portionem & hæreditatem, Joſ. XIX. 1. Et prophetia de diſperſione ipſorum in hoc impleta eſſe creditur, quod *Simeoni* hæreditas ſua ceſſit ex hæreditate *Judæ*, *vſ.* 9. Cæterum conſtat, quod ſi non omnes *Scribæ*, tamen hi *publici Notarii*, quorum opera uſurpatur in litibus, contractibus &c. ex quacunque etiam orti fuerint tribu, nuncupati ſint *γραμματεῖς* ספרים, ad quod alludit *Pſ. XLV.* 2. *Lingua mea eſt ſtilus Scribæ velocis*.

Secretarii Regis. Populi.

XIII. Ex horum numero cenſeo viros perſpicaci mentis acie electos publico uſui; quoſdam, ut a manu conſiliiſque Regis eſſent, tanquam *Secretarii γραμματεῖς βασιλέως*, 2. Reg. XII. 10. Tales erant *Seja*, 2. *Sam. XX.* 25. & *Saphan*, 2. *Reg. XXII.* 3. Quoſdam vero ut operam ſuam ferrent publicis dicaſteriis & conſiſtoriis; hi ſimiles ſunt noſtris Secretariis Grammatophylacii & dicebantur *γραμματεῖς λαῦ Scribæ populi*, *Matth. II.* 4. 1. *Mach. V.* 42.

Scribæ populi ſunt Interpretes Legis. Munus. Ortus. Dignitas.

XIV. Hæc ſecunda Scribarum ſpecies pertinet ad *perſonas clericas*; erant enim interpretes Legis & hinc vocati *γραμματεῖς τῦ νόμυ*, *νομικοὶ*, *νομοδιδάσκαλοι*, *Legiſperiti*, *Eſr. VII.* 6. *Luc. VII.* 30. *Luc. V.* 17. Munus ipſorum fuit ſcribere, legere & populo Legem Moſis exponere. Nomen erat non ſectæ, ſed officii. [7] Talis fuit *Eſra*, *Eſr. VII.* 6. ex tribu *Levi*; tales alii ex tribu *Judæ*; nam nulla tribus ab hoc munere excludebatur. *Druſ. de Sect. lib.* 2. *cap.* 12. *Chald. Paraphraſt*. Huic nomini tantundem pretii deputatum fuit ab Hebræis, ac *Magis* a Chaldæis, *Quindecim-Viris* a Romanis, qui oracula Sibyllarum interpretabantur, Canoniſtis a cœtu Romano.

Maſorethæ ſunt סופרים

XV. Vox ספרים, quæ exponitur per *Scribas* & *Legiſperitos*, notat *calculatores*, numeratores daturque *Maſorethis*, qui computando & verſus & voces & literas cujuſvis libri in Sacra Scriptura cenſuerunt, [8] quod uti eſt inſigne monumentum ipſorum perſpicacitatis, ita divinæ providentiæ, quæ ita illæſas Literas Sacras cuſtodire voluit. *Auguſt. in Pſal. XL.*

Legiſperitorum profeſſio, & nomen.

XVI. Quemadmodum Sapientes in ſuis lectionibus *δευτερώσεις traditiones* urgebant, ita *νομικοὶ Legiſperiti* adhærebant verbo ſcripto, [9] unde nominabantur *Textuales*. *Scripturarii*, קראים *Druſ. de* 3. *ſect. lib.* 2. *cap.* 13. Huc facit, quod & Legiſperiti & Phariſæi ſua in innocentem Jeſum accuſationum tela una contorquerent, Matth. IX. Γραμματεῖς ipſum onerabant crimine *βλασφημίας* verſ. 3. Phariſæi ipſum damnabant, quod ederet cum publicanis & peccatoribus verſ. 11. Accuſatio *γραμματέων* erat de tranſgreſſione Legis, Phariſæorum de contemptu traditionis.

Quinam disquisitores?

XVII. IV. *Disquisitores*. Hic disquisitor nectit allegorias & anagogicis subtilibusque expositionibus textum excutit. [10] Propterea talis enucleator vocabatur דרשן h. e. *disputator*, *inquisitor*; ipsius homilia sive explanatio מדרש *allegoricus commentarius*; ipsorumque Schola בית מדרש. *Vid. Thisb. in* דרש. Hi disquisitores habebantur expositores acutissimi & profundissimæ perspicacitatis; unde illud Psalmistæ, *Eunt de turma ad turmam*, *sive de robore ad robur*, huc rapiunt & applicant suo gymnasio sic; q. d. *eunt ex templo ad scholam* לבית המדרש. Ex inferiori ad sublimiorem scholam. *Targum Psal. LXXVI.* 8.

Illustratur locus 1. Cor. 1. 20.

XVIII. Hinc videmus differentiam inter has tres Doctorum species apud Paulum. *Sapientes* sunt Doctores traditionum; *Legisperiti* νομικοὶ, Doctores textus scripti secundum expositionem literalem; *Disquisitores*, Doctores allegoriarum & subtilitatum abstrusarum; quas fabulosas & exsangues expositiones, quoniam ζητήσεις παρέχουσι *quæstiones & disputationes suggerunt*, Apostolus damnat, 1. Tim. I. 4. unde talis explanator vocatur συζητητὴς *disquisitor*, *disputator*, 1. *Cor. I.* 20. Hos tres Doctores, quorum citato loco S. Paulus meminit, Hebræi nuncupant חכם *sapientem*, סופר *computantem*, *seu scribam*, דרשן *subtilem inquisitorem*.

NOTÆ AD CAPUT SEXSTUM.

Annot. [1] Adamum laxe admodum Prophetam dixeris, præprimis post peccatum. Rectius Enoch Jud. ℣. 14. 15. Noachus Gen. IX. 25. -- 28. Abrahamus Gen. XX. 7. Isaacus Hebr. XI. 10. coll. Gen. XXVII. 28. 29. Jacobus Gen. XLIX. Prophetæ habentur. Omnem de Prophetis sub prima & reliquis periodis Historiam doctissime deductam reperies apud Cel. Gurtlerum *in Theol. Prophet.* a c. V. -- XIII.

[2] Adamum sacrificia obtulisse valde probabile est. Non tamen ob Gen. IV. 3. 4. quemadmodum inde prisci quidam Hebræorum Interpretes, probante Bertramo, colligunt. Etenim וביא *adduxit* de ipsis Sacerdotibus usurpatur Lev. IV. 4. 5. Adami autem nulla mentio. Pariter paulus Hebr. XI. 4.

[3] Levitæ quidem substituebantur primogenitis Num. III. 45. Sed Levitæ Sacerdotes non erant, verum ab istis ceu Dominis ut servi distinguebantur c. c. ℣. 6. 9. easdem functiones circa altare sub pœna mortis obire prohibebantur, 7. 8. 10. Unde sequitur Sacerdotium primogenitorum hinc probari non posse. Quare quando Levitarum munera Num. III. VIII. 1. Chron. XXIII. plene describuntur, nullibi functionis Sacerdotalis circa altare aut in Sanctuario mentio injicitur. Conf. §. 20. c. V.

[4] Addo Prophetas illos quoque dici, qui Spiritu Dei ducti laudes Divinas voce, instrumentis decantabant. Exemplum in Miriam Tympanistria Exod. XV. 20. caterva Prophetarum 1. Sam. X. 5. qui res Divinas in Scholis Propheticis pertractabant: De his: לפניהם נבל ותף וחליל וכנור והמה מתנבאים *ante illos nablium*, *Tympanum*, *tibia*, *cythara & prophetabant* Chald. ואנון משבחין *& illi laudabant*. Rursum 1. Sam. XIX. 23. וילך הלוך ויתנבא *progrediebatur & prophetabat* Chald. משבח *laudabat*. Clarissime 1. Chron. XXV. 1. *Filii Asaph Heman & Jeduthun* הנבאים בכנרות בנבלים ובמצלתים *prophetantes citharis*, *nabliis*, *cymbalis*. Ubi Raschius כשהיו מנגנין בכלי שירים הללו היו מתנבאים *quando instrumenta hæc Musica pulsabant*, *prophetabant*. Et ℣. 3. Jeduthun cum cythara הנבא על הודות והלל ליהוה *qui prophetabat confitens & laudans Dominum*. Haud parum valent instrumenta musica ad animum excitandum. Etiam in N. Testamento 1. Cor. XI. 5.

[5] Idem Kimchius l. cit. aliud, quod huc quoque pertinet, refert אמרו מי שנזכר אביו ואבי אביו הוא לגדולת אבותיו שהיו גדולים ממי שנזכר אביה' לבד *Dixerunt sapientes: Cujus pater & avus memorantur, fit propter honorem Majorum, qui honoratiores Majoribus ejus, cujus Pater tantum exprimitur*.

[6] Simeonitas habuisse curam puerorum instituendorum Vetusta in Gente Judaica παράδοσις vult, cujus jam memenit Targum Hierosolym. ad Gen. XLIX. 7. אפלינ ית שבטא דשמעון סבריך מלפי אוריתא בכנישתא דיעקב *Dividam tribum Simeon*, *peritos doctores legis*, *in Synagogis Jacobi*. Posteriori tempore Raschius ad h. l. אין לך עניים סופרים ומלמדי תינקות אלא משמעון *Pauperes scribæ & informatores puerorum e tribu Simeon*. Ex scriptura tamen probari nequit.

[7] Non necessario sectæ Pharisaicæ addicti esse debebant. Quamvis plurimum ex illa oriundi erant, saltem illi, quorum Historia Evangelica meminit. Hinc illis φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα Matth: XXIII. 4. coll. ℣. 2. tribuuntur, qui decimationi subjiciunt etiam olera, ℣. 23. Hæc & alia proveniunt ex lege Orali, quemadmodum ex c. X. *de Pharisæis* constabit. Hinc vulgatum illud דברי סופרים חביבים מדברי תורה *Verba scribarum sunt amabiliora verbis legis*. Tales Pharisæi doctiores, in lege magis exercitati Matth. II. 4. VII. 27. XVII. 10. Marc. XII. 35. hinc honoratiores Matth. XXIII. 2. & membra synedrii constituebantur Matth. XVI. 21. XXVI. 3. Attamen alii, quamvis pauciores, a partibus Sadducæorum stabant Act. XXIII. 9. Quod bene cum officio eorum in Scriptura legenda, numeranda stare potest, nam etiam Sadducæi legi scriptæ fidem habebant.

[8] Vocem commode exposuit Elias Levita in præfatione tertia libri sui Masoreth אך המעשה אשר עשו בעלי המסורת הוא שהשתדלו בכל מאמצו כחם ולא נחו ולא שקטו עד שמנו כל הפסוקי' והתיבות והאותיות מכל ספר וספר לפיכך קראו להם סופרים *Cæterum opera, quam Masorethæ fecerunt, ea fuit, ut omnibus viribus curarent neque quiescerent, donec numerarint omnes versus, voces & literas singulorum librorum: Hac ex causa vocarunt* סופרים *numerantes*. Exemplis illustrabo quoad versus, voces, literas. Quoad versus: veluti illos, ex quibus Genesis constat, סכום פסוקי' דספר בראשית אלף וחמש מאות ושלשים וארבע' ותימן א"ך ל"ד וחציו ועל חרבך תחיה *Numerus versuum Geneseos est* 1534. *Symbolum sunt literæ sequentes* א"ך ל"ד *Versus dimidius est cap. XXVII.* 40. *& super gladio tuo vives*. Consimiliter in reliquis scripturæ libris. Quoad voces: Exemplum esto locus vexatissimus Ps. XXII. 17. Ubi Masora ב' קמציץ בתרי לישני *Duo sunt cum Kametz in duplici significatu* sc. Jes. XXXVIII. 13. ubi *Leonis* notio obtinet. Alia itaque obtinere debet l. cit. Quoad literas: quas majusculas, minusculas, suspensas, inversas annotarunt, veluti Deut. VI. 4. שמע *Audi Israel Adonai Deus noster Adonai* אחד *unus*. Ubi Masora ע"ין רבתי *Ain magnum &* דל"ת רבתי *daleth magnum*. Volunt autem ita indicari Deum unum nonnisi esse in omnibus quatuor mundi plagis atque unitatis testimonium præberi ab Israelitis.

[9] Quantum ex Historia Evangelica liquet, νομικοὶ non tantum Legi scriptæ adhærebant, sed & orali Luc. XI. 46. 47. 52. conf. Matth. XXIII. 4. Iidem ferme cum scribis Matth. XXII. 25. Marc. XII. 28. Luc. XI. 43. 44. 45. non tamen prorsus iidem, quod tum ex quæstione Legisperiti ℣. 45. tum ex responsione Christi ℣. 46. elucet. Credibiliter gradualis differentia erat, juxta quam Scribæ honoratiores Legisperitis. Quando autem Auctor νομικὸς eosdem facit ac קראים uti pariter Celeberrimus Triglandius *in sua diatr. de secta Karræorum*, meum calculum iis addere nequeo.

[10] Abun-

[10] Abundant plerumque Judæorum libri ejusmodi Mysticis expositionibus, præprimis textus Gemaricus. Apponam specimen ex tr. חגיגה f. lll. c. 1. 2. quod paulo prolixius Latine tantum dabo, *Tradunt Rabbini Historiam de R. Jochanan fil. Beroka & R. Eleesar fil. Chasma, qui quum inviserent R. Joschuam Pekia, interrogabantur: Quid hac die novi* בבית המדרש *in schola sive domo disquisitionis? Responderunt: Nos sumus discipuli tui atque cupimus abs te edoceri* (*ad verbum* de aqua tua bibimus) *Ille vero dixit: Quamvis sim præceptor vester; Nequit tamen schola haberi, quin novi aliquid proferatur. Quem ordo Sabbathi tetigit* (in concionando ?) *R. Eleesarem fil. Asariæ. Quam ille materiam hodie mystice exposuit? Responderunt illi sectionem* הקהל *Rursum quæsivit* מה דרש בה *quid in illa explicuit? Verba* convoca populum, viros, fœminas, parvulos: *si veniunt viri ad discendum & fœminæ ad audiendum, parvuli quem in finem? Ut adducant præmium illis, a quibus adducuntur. Tum ille: Præstans margarita penes vos erat, qua me spoliare quæsivistis. Præterea* דרש *mystice exposuit verba Deut. XXVI.* 17. 18. Tu hodie Jehovam laudasti: Et Jehova rursum te hoc die laudabit: dixit Deus εὐλογητὸς ad Israelem, *Tu mihi in mundo laudem unam parasti: Ego quoque unam in mundo tibi parabo. Laudem illam mihi in mundo parasti, verbis* Deut. VI. 4. Audi Israel, Jehova, Deus noster, Jehova unus: *Et ego tibi unam in mundo parabo, juxta id, quod exstat.* Quis sicut populus tuus Israel: Gens una in terra 2. Sam. VII. 23. *Præterea* דרש *mystice exposuit verba* Eccles. XII. 11. Verba sapientum sunt sicut stimuli & clavi infixi: Domini congregationis dati sunt ab uno pastore: *Quæ ratio assimilationis verborum legis cum stimulo? Stimulo vaccæ ad sulcos rite ducendos impelluntur atque ita ad vitam mundo dandum. Ita verba Legis instruunt discentes recedere a via mortis ad viam, quæ ad vitam ducit. An quemadmodum stimulus transportatur, transportantur quoque verba legis. Non ideo textus addit, accompari clavis. Sed clavi imminuunt, non vero ampliant. Nec hoc: nam ideo additur* נטועים plantatos esse (l.c. *infixos* significat; sed דרשן alludit ad R. נטע quæ etiam *plantare* significat) *Quemadmodum hæc fructificat & multiplicat, ita verba Legis fructificant & multiplicant. Domini congregationis sunt discipuli sapientum, qui catervatim sedent & legi vacant. Illi impurum, purum alii pronuntiant: Hi prohibent, permittunt illi: Nonnulli temerant quidam rectificant. Forte aliquis dicet: qua ego ratione Legem addiscam* (ubi tam oppositæ obtinent sententiæ?) *Textus dicit: Omnes dati sunt a pastore uno.* Sed desino integram concionem describere: Ex allatis de aliis judicium ferri & Auctoris paragraphus clare intelligi potest.

CAPUT SEPTIMUM.

Tituli Rabbi ortus & variæ Scriptiones.

CItra nativitatem Christi nostri Redemptoris numerus titulorum valde crevit; [1] inter quos רב, רבי, רבי, & רבן, *Rab, Rabbi, Ribbi, & Rabban* usitatissimi, descendunt, a rad. רבב *multiplicatus fuit*; valentque tantum ac πολυμαθέςατοι *Magistri varia & multiplici rerum scientia instructi*, quod ad hos titulos, scribunt, רבי *Rabbi* esse præstantius nomen, quam רב *Rab*; רבן *Rabban*, quam רבי *Rabbi*; & *nudum nomen, ut Haggai, Zachariæ, Maleachi*, quam רבן. *Rabban. Aruch.* in voce אביי.

Discipulorum nomina.

II. Eadem tempestate utebantur certa quadam disciplinæ forma in suis scholis. Scholaris vocabatur תלמיד *discipulus*, ratione doctrinæ; קטן *parvus*, ratione minorennitatis; בחור *electus*, ratione electionis in numerum discipulorum.

Qui חבר

סמיכה

III. Dato profectuum suorum specimine, ubi dignus aliquo gradu inventus fuit, per χειροθεσίαν *manuum impositionem* factus est *Graduatus* חבר *consors* alicujus רבי. Hanc χειροθεσίαν dicebant סמיכה sive סמיכות, quam ceremoniam a Mose Num. XXVII. 18. hauserant: *Edixit Jehova Mosi, sume tecum Josuam, filium Nunis, virum, in quo est Spiritus,* וסמכת את ידך עליו *& impone manum tuam ipsi*. Quo tempore ipsi manus imponebat Rabbi, usus est his verbis, אני סומך אותך תהיה סמוך id est, *Scaligero* interprete, *Ego tibi impono manum, & manus tibi imposita est. Tribær. cap.* 5. 26. Vide etiam *Cunæum de Rep. Heb. lib.* 1. *cap.* 12. quod & ita sonare potest: *recipio te in societatem, & sis receptus.* Postmodum ubi aptus est alios docendi, vocatur tunc *Rabbi*.

Formula in promotione.

Variæ pro gradu doctrinæ appellationes

VI. In *minnorennitate* autem, quum ipsis nomen proprium rectum sit, patris nomen mutuatur, diciturque *Filius N.* Cum creatur *Graduatus* per χειροθεσίαν, tum venit proprio suo nomine, scil. *N. Filius N.* Deinde ubi dignus habitus est, qui doceat, ipsi confertur titulus Rabbi hoc modo: *Rabbi N. Filius N.* e. g. *Maimonides* primo nuncupatus est *Ben Maimon. Filius Maimonis*; Graduatus vocatus est proprio suo nomine *Moses Ben Maimon*; tandem permissus docere, dictus est רמבם *Rambam*, per abbreviationem, quæ conflatur ex literis Capitalibus, *Rabbi Moses Ben Maimon.* Ita *Rabbi Levi Ben Gerson*, in minorennitate solummodo appellatus est *Ben Gerson*; Deinde *Levi Ben Gerson*, tandem רלבג *Ralbag.*

unde discipuli, socii. Rabbini.

V. Hæc differentia discipulorum, sociorum & Rabbinorum patet ex dicto antiqui alicujus Rabbini; *multum didici ex Rabbinis meis sive magistris, plus ex sociis, plurimum ex discipulis meis. P. Fag. in scholiis suis ad cap.* 4. *Pirke Aboth.*

Discipuli Magistrū Rabbi nominabunt.

VI. Cuïvis Rabbi suos adhæsisse discipulos & ab his aliisque fautoribus datum esse titulum Rabbi diebus Salvatoris nostri extra controversiam est. Judas progressus ad Christum dixit, χαῖρε Ῥαββί, *Salve Rabbi, Matth. XXVI.* 49. Ita ipsum titulo Rabbi salutarunt Johannis discipuli, Joh. I. 39. & quoque *Johannem Joh. III.* 26. Sed dubito tum χειροθεσίαν usurpatam fuisse.

Modus consessus.

VII. Modus disputandi in Synagogis ipsorum ita se habuit; *Philo Jud. quod omnis probus pag. 679. Rabbini primarii* sedebant cathedris distinctis, & hæ erant πρωτοκαθεδρίαι *primi consessus*, quos Pharisæi & Legisperiti amabant, *Matth. XXIII. 6. Socii & Consortes* ipsorum considebant scamnis sive depressioribus subselliis; *Discipuli* plane ad [2] pedes suorum Præceptorum. Paulus educatus erat παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιήλ, *ad pedes Gamalielis. Act. XXII.* 3. & Maria considens παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ *audiebat ipsius verbum. Luc. X. 39.*

Hinc Rabbi ut sedens; socius ut inclinans. Discipulus ut in arena se extendens describitur. Quatuor discipulorum diversa ingenia.

VIII. Dispositio quoque corporum ipsorum pro gradibus variavit; *Scalig. Trib. cap. 5. &c. c. 1. Berachot. Rabbi* fuit יושב *sedens;* [3] *Socius* מוטה, quod notat *inclinationem* in lectum vel scamnum illius, qui caput reflectit in sinum alterius, juxta morem accumbendi Antiquis usitatum; eratque quies membrorum minor quam sessio. *Pirke Aboth. cap. 1. 4. Discipulus* dicebatur מתאבק, *qui in arena se extendebat*, [4] quod signum erat humilitatis discipulorum, qui se ita ad pedes suorum magistrorum abjiciebant. Hanc ceremoniam D. Paulus putatur voluisse introducere in Ecclesiam Christianam, 1. *Cor XIV. Ambros. l. cit.*

IX. Ipsorum discipuli non erant ejusdem capacitatis, [5] propterea inquiebant; quod quidam eorum haberent *conditionem spongiæ*, alii *conditionem clepsydræ*, alii *sacci fæcinacei*, alii *cribri*; qui spongiæ similes erant, omnia, quæ audierant, imbibebant sine judicio; qui clepsydræ, altera aure iis destillavit, quod altera hauserant; qui sacco fæcinaceo, illi effuso & emisso vino, quod captaverant, solam fæcem retinent; tandem quos cribro comparaverunt, illi sunt, qui excussis furfuribus, acere, & palea, probum frumentum servant.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

Annot. [1] Simplicioribus temporibus, qualia ævo Prophetarum, vix alii tituli, quam quos functiones imponebant, innotuerunt, uti *Reges*, *Sacerdotes*, *Prophetæ* additis Majorum nominibus. Si qui alii, liciti honoris & amoris testimonium præbebant uti 2. Reg. II. 12. minime animi superbi & vana doctrina elati; Neque statim ab excessu Prophetarum titulos affectabant. Nullus enim Doctorum Mischnicorum usque ad Hillelem sub Herode M. titulo Rabban aut Rabbi insignitus legitur. Lege c. 1. tr. פרקי אבו' Adde *Hist. Doct. Mischn. I. Henr. Otthonis* qui Jochanan Choronitam primo nomine Rabbi salutat. Præprimis huc pertinent verba *Maim. in præf. ad Mischnam*, quæ ex interpretatione Pocokii ita sonant, *Cum quis apud ipsos in magno honore fuerit, atque omnium supremus, illum nomine suo appellat* (Auctor Mischnæ) *ex. grat. Hillel. Schemajah, Abtalion, quod magnitudinis ipsorum* (indicium) *est, cum non potuerit reperiri epitethon aliquod, quo fama ipsorum illustrior redderetur uti neque Prophetæ epitheto aliquo celebrantur. At qui apud ipsum gradu his inferiori fuerint, illos appellat Rabban, ut cum dicit Rabban Gamaliel & Rabban Jochanan fil. Zachæi. Qui his denique gradu inferiores, audiunt apud ipsum Rabbi, ut cum dixit, R. Meir. R. Juda. Appellat etiam eos, qui hoc gradu sunt Aba, ut cum dicit, Aba Saul. Aliquando tamen ultro omittitur ipsorum titulus, veluti cum dicit: Simeon frater Azariæ & Eleazar vir Bartuta. Omnes autem illi, quos honoris gratia nominibus suis appellavit, hi sunt. Simeon Justus. Antigonus Vir Socho, Jose f. Joazeris, Jose f. Jochanan, Jochanan Sacerdos summ. Josua f. Perachiæ, Nathæus Arbelita, Honi Hammagel, Elihoini f. Hakkaphi, Chanameel Ægyptius, Juda fil. Tabbai, Simeon fil. Setahi Akabiah fil. Mahaleelis, Schemajah, Abtalion, Chanan, Admon, Hillel, Schammai, Nahum Hallablar, Hananiah fil. Hezekiæ, fil. Garonis, Baba fil. Butæ, si quos autem præter hos nominibus suis indigitatos reperies, epitheta a nominibus ipsorum ultro separata esse (scias.)* At tempore Christi nimium cupido honoris crevit, ut Christus necesse habuerit discipulos suos dehortari, ne more Doctorum Judaicorum titulis efferri desiderent Matth. XXIII. 7. 11. Hoc autem clarius intelligemus, quando noverimus Magistros non solum nomine *Rabbi*, *Abba* sive Patris appellatos fuisse ex civilitate aliqua, sed & lege. Hinc qui in salutationibus titulum omiserunt, perpetuum odium sibi conciliarunt. Impium est, quod R. Gedalia f. xxx. 11. e Talmude refert R. Honam Anathema denuntiasse ei, qui R. Ananum, non simpliciter appellaret Ananum, non alia ex causa, quam quod R. Ananus omisso titulo *Rabb* illum tantum appellaverit Honam. Lex est in libro שלחן ערוך tr. כבוד רבו ות"ח n. 15. אסור לתלמיד לקרות לרבו בשמו לא בחייו ולא במותו *Prohibitum est discipulo Magistrum suum vel vivum vel mortuum nomine suo* (simpliciter (*appellare* 11. 16. לא יתן שלום לרבו ולא יחזיר לו שלום כדרך שאר העם אלא שוחה לפניו ואומר לו ביראה ובכבוד שלום עליך מורי ורבי *non salutabit Magistrum neque resalutabit eo, quo vulgus modo sed meditate ipsum alloquetur atque cum reverentia & respectu dicet: Salve Domine mi Magister mi.* Nec mirum, quum majorem reverentiam sibi, quam parentibus, eandem, quam Deo exhibenda per summum nefas statuant. l. cit. n. 2. חייב אדם בכבוד רבו ויראתו יותר מבשל אביו: כל החולק על רבו כחולק על השכינה וכל העושה מריבה עם רבו כעושה עם השכינה *Quilibet Magistrum suum majori honore & reverentia excipere debet, quam proprium Parentem. Qui dissentit a Magistro, ille idem ac si dissentiret a Deo. Et qui contendit cum doctore suo, ille idem ac si contenderet cum Deo.* Hujus commatis plura alia l. cit. reperiuntur.

[2] Rectius stetisse discipulos ad pedes Magistrorum, quam consedisse temporibus priscis juxta monumenta Judæorum affirmare licet. Interpres, cujus annotata in Mischnam inscripsit תוספות יום טום ad tr. פרקי אבו' c. l. 1. מימות משה עד ימות רבן גמליאל היו לומדין בעמידה והרב יושב על הכסא *a diebus Mosis ad ætatem Rabban Gamaliel stantes discebant. At Magister solio insidiebat.* Conf. Cens. in maim. tr. תלמוד תורה c. IV. Neque hoc intelligendum exclusive, quasi jam sub celebri Magistro consessus inceperit: Etenim demum a morte ejus modus pristinus immutabatur, quod patet ex Megilla f. XXI. משמות רבן גמליאל בטל כבוד תורה *ex quo Rabban Gamaliel decessit, cessavit quoque honor legis* hactenus exhibitus. Quare Act. XXII. 3. ἀνατεθραμμένος παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιήλ neque eo accipi sensu, quo Auctor vult. Itaque mavult Sam. Petitus verba illa referre ad educationem Pauli in contubernio Gamalielis, quo cum quotidie cibum capiebat, eodem cum Gamaliele accumbens lecto & ita ad ejus pedes assidens *in observ. S. l. III. p.* 245. Magis tamen placet modum informationis in cit. verbis quærere, atque hoc commode: scil. Rabbini Cathedram sublimem, quæ hinc מגדל *turris* conf. Neh. VIII. 4. conscendebant atque ex ea ad Auditores verba faciebant: Hi igitur informabantur παρὰ τοὺς πόδας,

πόδας, quo forte alluditur 2. Reg. II. 5. Deut. XXXIII. 3. *Illi sunt in loco medio, ad pedes tuos accipiunt verba tua*, quemadmodum Deus in loco excelso verba faciebat, inferius, quasi ad pedes, illa ab auditoribus excipiebantur.

[3] Magistros docentes consedisse in aperto est, atque etiam ex modo dictis patet. Solum illustrabimus hinc morem ceu convenientem, quem Christus in informatione sua secutus est Mat. XXVI. 55. Luc. IV. 10. Math. XIII. 1. 3. V. 1. Unde considens est nonnumquam idem ac potestate docendi pollens 1. Cor. XIV. 30. conf. Act. XIII. 14. 15.

[4] Duo hic notanda erunt I. Situs discentium a morte Gamalielis, de quo Maimon. tractat. תלמוד תורה c. IV. כיצד מלמדים הרב יושב בראש והתלמידים מוקפם לפניו כעטרת כדי שיהו כולם רואים הרב ושומעין דבריו ולא ישב הרב על הכסא ותלמידיו על הקרקע אלא או הכל על הארץ או על הכסאות ובראשונה היה הרב יושב והתלמידים עומדים *Quomodo informant? Magister in fronte sedet, quem discipuli coronæ instar circumdant, quo illum omnes intueri & verba assequi queant. Non autem Magister solus solio insidet & discipuli pavimento; Verum aut omnes terræ aut omnes soliis insident. Antiquitus quidem Magister sedebat stantibus discipulis*. II. Parum opposite dictum e Pirke Avoth citatur: Auctor est, uti indicat l. cit. Jose fil. Joeser qui secundum *Tzemach David* vixit 3500. sed Rabban Gamaliel demum 3768. Illa adeoque nequit alludere ad ritum, qui nonnisi post elapsa duo integra secula & ultra dimidium ortus est. Memorari Doctoris verba hæc sunt יהי ביתך בית ועד לחכמים והוי מתאבק בעפר רגליהם והוי שותה בצמא את דבריהם *Esto domus tua Domus conventus sapientibus; Sinito te conspergi pulvere pedum eorum & bibito cum siti verba eorum*. Alterum membrum vult, ut discipuli Magistrorum vestigia premant atque eos ubivis locorum sequantur, etiam in via incedentes, quando pulvere pedibus eorum excitato consperguntur. Neque enim hoc insolitum Doctoribus Gentis Judaicæ, uti nec Christo.

[5] Hæc desumta ex utilissimo tractatu פרקי אבות c. V. 15. in quo plurima, quæ vitam nostram concernunt, prudentissima, & quæ legere neminem, ut puto, pœnitebit, reperiuntur. Non possum, quin aliud ex eod. l. c. c. §. 12. de diversa discipulorum indole describam ארבע מדות בתלמידים מהר לשמוע ומהר לאבד יצא שכרו בהפסדו קשה לשמוע וקשה לאבד יצא הפסדו בשכרו מהר לשמוע וקשה לאבד חכם קשה לשמוע ומהר לאבד זה חלק רע *Quatuor sunt discipulorum genera: Est qui cito intelligit & cito obliviscitur, quod hic ab una parte lucratur, ab altera perdit. Est alius, qui difficulter intelligit, sed etiam difficulter obliviscitur. Hic damnum suum alio resarcit lucro. Rursum alius, qui cito intelligit & difficulter obliviscitur, qualis sapiens: Et denique, qui difficulter intelligit & cito obliviscitur, cujus sors misera.*

CAPUT OCTAVUM.

De Naziræis & Rechabitis.

I. IN V. T. memorantur duæ species eorum, qui *voto* obstricti erant, רכבים *RECHABITÆ Jer. XXXV.* & נזירים *NAZIRÆI*, *Num. VI.* Vix rem certiorem invenio, quam quod S. Scriptura de his dicit *loc. cit.* Propterea quod attinet materiam ipsorum votorum, Lectorem ad dictos textus remitto. Hic tantum observabimus differentiam NAZIRÆORUM. Primi erant *Nuncupatores*, *Voventes*, dicti a נזר *separavit*, *secrevit*, *continuit;* quia se continebant & avertebant a tribus, 1. *a Vino*, [1] omnibusque vitis & vini γεννήμασι *progeniebus*. 2. *A novacula*, quoniam omnibus diebus Naziræatus vel separationis suæ novaculam capiti non immittebant, soventes capillos suos. 3. *A pollutione* super mortuo.

Naziræorum Nomen. Leges.

II. Hic Naziræatus rursus duplex fuit, [2] vel *Naziræatus dierum* certorum, vel *Naziræatus seculi*, hoc est totius vitæ. Illius sortis fuit Paulus [3] cum ipso quatuor illi, Act. XXI. 23. hujus sortis fuere Simson, Jud. XIII. & Johannes Baptista &c.

Naziræatus duplex.

III. Numerus dierum Naziræatus non expressus est a S. Scriptura, sed Hebræorum Magistri definiunt 30. dies, [4] quod dicantur *Num. VI.* 5. *Jehovæ sanctus erit* יהיה, quod vocabulum efficiens numerum 30. determinat numerum dierum, quos libera hæc separatio observare debebat. *Schindl. in pentagl.*

Tempus.

IV. Secunda Naziræorum species dicebatur a נצר unde & *Nazereth* sive *Nazareth*, pagus quidem Galilææ, ubi Christus conceptus & educatus est; & de quo pago Salvator noster denominatus est *Nazarænus* [5] Ναζωραῖος *Matth. II.* 23. & qui recipiebant ipsius doctrinam Ναζωραῖοι *Nazarəni*.

Nazirɶi qui Christi doctrinam amplectebantur.

V. Postmodum exorti Sectarii, qui, sicut Samaritani, Judaicis ceremoniis infarserunt Gentiles ritus, ita Christum & Mosen, Evangelium & Legem, Baptismum & Circumcisionem copularunt. *Hieron. in Esa. VIII.* Idem refert *Epiph. Lib.* 1. *T.* 2. *Hær.* 29. De horum prima eruptione legimus *Act. XV.* 1. *Quidam descendentes ex Judæa docebant fratres, dicentes: si non circumcidimini juxta ritum Mosis, non potestis salvari*. Hi Hæretici appellabantur *Nazaræi*, [6] sive ex malitia Judæorum, quo Religioni Christianæ istam labem adspergerent; sive ex eo, quod prius erant veri, etsi debiles & infirmi, Nazaræi, h. e. Christiani, abducti τῷ Ἰουδαΐζειν *Judaizatione* Petri Antiochiæ, impellentis Gentes, ut viverent Ἰουδαϊκῶς *Gal. II.* 14.

Transiit dein nomen ad Sectarios.

VI. Et propterea Ecclesia Antiochena putatur exuisse hoc nomen *Nazaræorum*, & assumpsisse nomen *Christianorum*, ut istam Sectam, quæ in ipsa ebulliverat, comprimerent *Act. XI. 26. Franc. Jun. parall. Lib.* 1. *Cap. VIII.*

Tum primi Nazaræi Christiani dicebantur.

VII. *Symmachus* celeber ille interpres V. T. acerrimus propugnator hujus hæreseos fuit;

Exemplū Nazaræi.

fuit; ita ut suis sociis tempore insequenti nomen *Symmachianorum* dederit. *August. lib. 19. contr. Faust. cap. 4.*

Nazaræorum & Judæorum odium.

VIII. Judæi, in ipsos novercali odio flagrantes, ut Samaritanos detestabantur, quare quotidie ter in precibus suis matutinis, meridianis, & vespertinis ipsos devovebant addita hac orationibus suis clausula: *maledic, Domine, Nazaræis, Epiph. Lib. 1. tom. 2. Hær. 29.* 7

Nazaræi insuper qui Pentateuchum rejiciebant.

IX. Tandem fuit adhuc alia *Nazaræorum species*, qui denominati sunt a נשר *dissecare*, quod rescinderent & rejicerent quinque libros Mosis velut Apocryphos, *Epiph. lib. 1. Tom. 1. Hær. 18.*

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

Annot. [1] Maimon. *tract.* נזירות *ab init.* ampliat legum numerum, quando decem Naziræis injunctas ait. Sed si ultimam, quæ de oblationibus finito Naziræatu vel interveniente pollutione agit, exceperis, easdem cum Auctore numerat, veluti quando Auctor hanc primam ponit, ut Naziræus se contineat a vino omnibusque vitis & vini *γεννήμασι*, ille distinctius: 1. ut abstineat vino aut potu vino mixto, vel etiam aceto. 2. Ne comedat uvas recentes. 3. Neque passas. 4. Non etiam acinorum nucleos: 5. aut corticem. Aliter tres generales Naziræorum leges quoque tradit tr. Misch. נזיר c. V. l. 1. שלשה מינין אסורין בנזיר הטומאה והתגלחת והיוצא מן הגפן *Tres species Naziræis prohibitæ sunt. Immundities, Tonsura & quod vite egreditur*. Quod attinet oblationes finito Naziræatu Deo sacras, de iis Moses Num. VI. 14. 15. quod plenius Maim. tract. cit. c. VIII. 1. מביא ג׳ בהמות כבש לעולה וכבשה לחטאת ואיל לשלמים : הביא שלשתן ולא פירש הראויה לחטאת תקרב חטאת והראויה לשלמים שלמים והראויה לעולה עולה ומביא עם איל השלמים ששה עשרונות ושני שלישי עשרון סולת אופה מהן עשרים חלות עשר חלות מצות ועשרה רקיקי מצות ומושח העשרים ברביעית שמן ושיעור זה הלכה למשה מסיני ומביא העשרים בכלי אחד *Adducit tres bestias, agnum in holocaustum, agnam in sacrificium pro peccato & arietem in pacifica: si tres illas ita adduxerit, ut non diserte expresserit, cui usui unaquæque, tum quæ ad sacrificium pro peccato conveniens, pro peccato offertur: & quæ ad pacificum, ceu pacificum: & quæ ad holocaustum, ceu holocaustum. Una cum ariete sacrificio pacali adfert sex decimas & duas tertias decimæ e simila: Coquit inde viginti placentas, decem placentas infermentatas & decem lagana (Lxx* רקיק *λάγανον vertunt) infermentata. Tum omnes illas placentas quartario olei inungit. Hæc mensura est constitutio Mosis e Sinai. Placentæ illæ viginti in uno adducuntur vase, &c.* Conf. Misch. tr. cit. c. VI.

[2] Prior נזיר לזמן קצוב *Naziræus certi temporis*, posterior נזיר עולם *Naziræus perpetuus* de quo tr. נזיר c. 1. 2. & Maim. נזירות c. VIII. Ejusmodi perpauci exstiterunt: Auctor nominat Simsonem & Johannem, de quibus nullum dubium. His addere possumus Samuelem 1. Sam. I. 11. Tr. cit. c. ult. §. ult. נזיר הוה שמואל כדברי רבי נהוריא *Samuel erat Naziræus secundum verba Neboraih*. Unde qui dixerat, הריני כשמואל *Ecce ego ut Samuel*, Narizæus agnoscebatur vid. *R. Ob. de Bart. ad l.* Absalomum eidem classi Talmudici Hierosolymitani annumerant אבשלום נזיר עולם הוה *Absalomus Naziræus perpetuus erat* f. LI. 2. quibus accedit Ligtfootus Hor. Hebr. in 1. ad Corinth. c. XI. 14. Hebræis Naziræus perpetuus non prorsus idem ac Simsonæus, quod patet ex tr. נזיר c. I. 11. הריני כשמשון כבן מנוח כבעל דלילה כמי שעקר דלתות עזה כמו שנקרו פלשתים את עיניו הרי זה נזיר שמשון מה בין נזיר עולם לנזיר שמשון נזיר עולם הכביד שערו מיקל בתער ומביא שלש בהמות ואם נטמא מביא קרבן טומאה נזיר שמשון הכביד שערו אינו מיקל ואם נטמא אינו מביא קרבן טומאה *Si quis dixerit; Ecce ego ut Simson: ut filius Manoah: ut maritus Delilæ: ut qui evulsit januas Gazæ: ut cujus oculos effoderunt Philistæi. Ecce talis est Naziræus Simson. Quænam est differentia inter Naziræum perpetuum & Simsonæum? Hæc: Naziræus perpetuus comam capitis aggravatam novacula allevat atque tum tres bestias offert. Si pollutus fuerit, offert sacrificium pro immunditie. At Simsonæus capillos capitis aggravatos novacula non allevat: Si pollutus fuerit, nullum pro immunditie offert sacrificium*. Ubi Glossa Bartenoriana notat Naziræo perpetuo licitum fuisse elapsis XII. mensibus comam detondere atque id probat ex 2. Sam. XIV. 26.

[3] Duo sunt in Actis Apostolicis loca scil. Act. XVIII. 18. XXI. 23. 24. 26. quæ ex quorundam opinione Paulum Naziræum faciunt. Sed, quod priorem attinet, ille nulla ratione de voto Naziræatus accipitur: Neque enim Cenchrea tonsuræ locus. Posterior quoque Paulum Naziræum non constituit. Nihil ultra indicat quam Apostolum cum quatuor viris, qui votum habebant, sanctificatum fuisse atque sumptus fecisse ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλὴν & ideo Templum intrasse ad percontandum τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ ἕως οὗ προσηνέχθη ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν ἡ προσφορά. Nihil hic de voto Naziræatus Paulini. Circumstantiæ aliud longe suadent. Quæ ergo Apostoli persona? Ejus, qui juxta statuta Judæorum vovere poterat solutionem sumtuum vel totalem, vel partialem in tonsura Naziræi faciendorum. Talis quidem sanctificabatur, non tamen Naziræus erat. Hoc autem facile e vetustioribus atque recentioribus Hebræorum monumentis patet. Mischna tr. נזיר c. II. 5. (si quis dixerit) הריני נזיר ועלי לגלח נזיר *Ecce ego Naziræus atque* (insuper) *suscipio ἵνα ξυρήσηται τὴν κεφαλὴν ναζωραῖος ut comam cædat Naziræus*. Ubi Glossa Bartenoriana קבל עליו נזירות ועוד קבל עליו להביא קרבנות על נזיר אחר *suscipit in se Naziræatum: Præterea suscipit oblationem sacrificiorum pro alio aliquo Naziræo*. Ita Paragrapho mox sequente הרי עלי לגלח חצי נזיר *Ecce promitto rasuram dimidii Naziræi*, hoc est dimidiam sumtuum partem in tonsura expendam. Ita inferius c. IV. 7. constitutio alia vult filium tonderi posse על נזירות אביו *pro Naziræatu Patris sui*. Hinc sua Maimon. tr. נזירות c. VIII. desumpsit, quæ ad illustrationem loci allegati doctissime *a Petito Var. Lect. lib. I. c. II.* applicata reperies. Hac explicatione admissa omnia se recte habent. Paulus sumptus vel omnes vel quosdam pro tonsura aliorum solvens simul sanctificabatur: Ejus erat nosse tempus, quo Naziræatus quatuor illorum virorum ad finem perducitur. Hac ratione se non omnem cultus Levitici curam abjecisse probabat, quod fratres ad evitandam malam suspicionem ipsi suadebant.

[4] Potius symbolum temporis, quod Naziræatui destinatum, quam argumentum aliquod. Neque memini me id pro ratione in Mischna aut Maimonide legisse. Solent nonnunquam recentiores caussam ritus fingere, de qua Veteres nunquam cogitarunt. De tempore Naziræatus, quod Rambam pluribus persequitur, hæc appono c. III. סתם נזירות שלשים יום כיצד מי שאמר הריני נזיר אין פחות משלשים יום ואפילו אמר הריני נזיר נזירות גדולה עד מאד הרבה הרי זה נזיר שלשים יום שהרי לא פירש זמן פירש זמן פחות משלשים כגון שאמר הריני נזיר יום אחד או י׳ ימים או כ׳ יום הרי זה נזיר שלשים יום שאין נזירות פחותה משלשים יום ודבר זה מפי הקבלה פירש זמן יותר משלשים יום כגון שאמר אחד ול׳ יום או ארבעים או מאה יום או מאה שנה הרי זה נזיר כזמן שפורש לא פחות ולא יתר האומר הריני נזיר שעה אחת הרי זה נזיר שלשים יום וכו׳ *Naziræatus simpliciter* (cujus tempus determinatum haud est) *triginta dies durat. Quomodo? si quis dixerit: Ego ero Naziræus: Tum talis infra 30. dies non erit: Quamvis aliquis dixerit: Ego Naziræatum magnum ad*

longum

longum admodum tempus suscipio, talis Naziræus per 30. dies, quoniam tempus diserte non nominavit. Si vero tempus aliquod infra 30. nominaverit, veluti si quis dixerit: Naziræus ero per diem aut 10. vel etiam 20. ejus Naziræatus tamen durabit per 30. dies scil. quia nullus infra hoc tempus suscipi potest. Hoc vero traditione ad nos pervenit, si quis expresserit ultra 30. dies veluti 31. aut 40. aut 100. vel etiam 100. annos, tunc talis tanto tempore Naziræus erit, quantum determinavit, non plus, nec minus. Qui dixerit: Ecce ero Naziræus per horæ spatium, nihilominus tenetur esse spatio 30. dierum &c.

5 *Ex Reiz.* Varie sententiæ etymologiam Ναζωραίου resolvunt, sed infeliciori eventu. Quidam putant Christum dictum Ναζαρενὸν sive Ναζαραῖον in illis libris quos Judæorum vel socordia vel malitia aboleverit, quod falsum; alii Christum ita dictum a נזיר & sic locum commorationis dedisse occasionem ejus cognomini, sed hanc derivationem, vel allusionem diversæ literæ Tzade & Sajin, respuunt. Vid. *Spanh. dub. Evang. part. 2. dub. 91–94.* Alii a נצר *surculus; Esa XI. 1. LX. 21.* Sed Christus ob commorationem in Nazareth. Ναζωραῖος dictus est, quomodo ergo in ista voce ratio nominis quærenda? Catholici cum quibusdam * Patribus malunt statuere, non quidem in Prophetis extare, Chistum vocandum Ναζωραῖον sed Matthæum accepisse traditione orali a Majoribus, quam sententiam suis patronis relinquimus. Restant duæ verisimiliores sententiæ, quarum prior putat Christum vocatum Ναζωραῖον modo mystico, ut per id nomen notaretur ipsum verum & bonum illum esse נצר *pastorem*, qui a Jobo dicatur נצר האדם *Custos hominis, cap. VII.* 20. Vid. & *Esa. XXVII. 3. XLIX, 6.* Quam sententiam tuetur *Witsius Oecon. lib. 4. cap. 3. §. 29.* ubi ait: *Mirum est, in tanta opinionum diversitate nemini, quod sciam, ex nostris, hujus loci memoriam in mentem venisse.* Tangit tamen istam sententiam *Momma tom. 2. cap. 4.* §. 321. Sed hæc sententia etiam in eo laborat, quod nomen Ναζωραίου non det occasionem habitationis in Nazareth. Posterior sententia, quæque omnium videtur verisimillima, est, quæ statuit prophetias esse, quæ dicant, Christum, ut veram lucem, Joh. I. 9. videndum a populis, sedentibus in tenebris, hoc est, Galilæa gentium, in qua fuit Gennesaret & juxta eam urbem Capernaum, ubi Christus tanta miracula & saluberrimas doctrinas edidit, *Esa VIII. 23. IX. 1. Gen. XLIX.* 21. ita ut dictus sit *Galilæus*; quando autem habitavit in Nazareth, tunc impleta est prophetia ipsum in Galilæa & in Zabulon & Nephtalim appariturum; non quidem αὐτολεξεὶ legitur in Scriptura ipsum vocitandum Nazarenum; sed dicitur in Galilæa versaturus; qui autem est *Nazarenus*, is etiam *Galilæus*, & qui in *Nazateth*, etiam in *Galilæa* est. Præterea hoc addo, sæpe in Scriptura verbum *vocare*, *vocari*, sumi pro τῷ *esse*, quod omnibus constat; quando ergo Evangelista ait Ναζωραῖος κληθήσεται, explicari potest per *Nazarenus erit*, h. e. in Galilæa educabitur, ambulabit, evangelizabit; quod impletum est. Sic occasione habitationis Christo hoc nomen impositum videmus & simul respectum ad prophetias citatas.

6 Hi Nazaræi plurimum ab excidio Urbis Hierosolymitanæ, quando Deus cœlitus testatus fuerat se priscum illum Ceremoniarum cultum sibi exhiberi nolle, ita appellabantur, a quibus Christiani libertatis per Christum partæ studiosi se se magis & magis separabant. Usi sunt Evangelio Mathæi Hebraice scripto, quod a Nazaræis in Beroea Syriæ urbe habitantibus Hieronymo monstratum ipse doctissimus Pater refert. Hinc haud paucis, qua Veteribus, qua recentioribus, asserere placuit Evangelium Mathæi originaliter Hebraice scriptum fuisse, quod negat & argumentis contrarium ostendit Heideggerus *Enchirid. Bibl. l. III. c. 2.*

7 Probabiliter eadem precatio, quam etiamnum infideles quotidie deblaterant. Sonat autem, uti exstat in libro precum Amstelodamensi, quo Lusitani vulgo utuntur, ita למלשינים אל תהי תקוה וכל הזדים כרגע יאבדו וכל איביך וכל שנאיך מהרה יכרתו ומלכות רשעה מהרה תעקר ותשבר ותכלם ותכניעם במהרה בימינו בא"י שובר איבים ומכניע זדים *Detrectatoribus nulla sit spes. Omnes superbi in momento pereant: Omnes quoque inimici & osores tui cito exscindantur. Tu regnum nequitiæ brevi eradica, confringe, consume, deprime. Benedictus sis Domine Deus, qui hostes confringis atque elatos animo deprimis.* Loco למלשינים *detrectatorum* vetusta exemplaria legebant למשומדים *Apostatæ a fide* sed metu Christianorum, ut verosimile est, substituerunt prius illud, quod in meliorem partem explicari posse sperant. Ad hæc clarius recognoscenda tenendum est Viros Synagogæ M. quibus Ezras præfuit, precationem aliquam quotidie a toto cœtu fundendam præscripsisse: Hæc, quæ constat XVIII. minoribus, & usitate שמנה עשרה appellatur, continuo usque ad tempora Rabban Gamalielis, Præceptoris Apostoli Pauli, eadem serie dicebatur. Tum quidam Samuel קטון *Juvenis*, (hic conjectura Ven. Alting. est νεανίας *Juvenis Saulus* Act. VII. 58. *in Schilo*) composuit ברכת המינים *precationem adversus Hæreticos*, quæ postea prioribus inserebatur, quo precibus Hæreticorum, quales iis videbantur, interim abs Deo expeterent. Nemo autem ad tempus, quo illa conscribebatur, attendens dubitari poterit bruto fulmine Christianos peti, illos qui sacra aut potius profana Judæorum relinquentes Christianismum amplexi sunt. Conf. *M. Buxtorf, in Lex. Talm. sub rad.* שמד & מין insuper *in Synag. Jud. c. X. p. 209.*

* Maldonatum quæso adeat studiosus Lector in c. 2. Matt. v. 33. ubi probe dignoscat quanti faciendi sunt SS. Patres, & Interpretes Catholici vetera sectantes; Et si Reizius hujus doctissimi viri commentaria in hunc locum legisset, SS. Ecclesiæ Patres suis congerronibus sane non postposuisset. Quæ vero addit de ipso nomine Nazareth inania prorsus videntur. Nam aliud est in Divinis Scripturis *vocari* aliquando haberi posse pro *esse*, aliud vero hic sumi debere pro *esse*. Probandum igitur restat Hottingero hic sumendum que *esse* quod numquam faciet nisi Patrum monumenta consulat.

Dissertatio De Rechabitis. (*)

I. Singularis vivendi ratio ex triplici causa est.

I. AB omni ævo, & in quavis propemodum gente, reperti fuerunt mortales, qui non contenti communibus virtutis pietatisque officiis, singularem quandam vivendi rationem sectati sunt; qua non a vulgo solum, sed & cæteris infucatæ honestatis cultoribus, secernerentur. Horum alii singularitatem aliquam affectarunt, ex ambitione, errore, superstitione; quæ neque in ratione recta, neque in aliqua Numinis revelatione fundata est. Alii ex Divino præscripto se ad extraordinariam vivendi rationem composuerunt. Alii denique prudentibus majorum suorum institutis morem gerentes, mentem suam a reliquis omnibus secretam isthoc modo conservare annisi sunt. Ad istos *Essæi*, *Pharisæi*, *Monachi* sive *Muhammedanorum*, sive

(*) Ordinis tenendi gratia placuit Cel. Witsii Dissertationem, qua nobis plenam de Rechabitis Historiam reliquit, debito suo loco inserere, quæ in aliis Exemplaribus ab initio cernitur.

sive *Gentilium*, sive *Christianorum*, referri possunt. Ad istos *Naziræi* pertinent. In his nomen sibi vindicant RECHABITÆ. Quorum Historiam brevi dissertatione illustrare animus nunc est.

II. Capita Dissertationis.

II. Duo autem potissimum de iis enucleanda sunt. I. GENS. II. VIVENDI INSTITUTUM.

III. Rechabitæ ex gente Kenæorum sunt.

III. GENTEM quod attinet, non fuerunt *Rechabitæ* ex *Populo Dei*, neque pertinuerunt ad aliquam tribuum *Israelis*; sed KENÆI origine. Id docemur 1. Chron. II. 55. *Hi sunt* KINÆI *advenæ*, *orti Chamato*, *Patre familiæ* RECHABI. Kenæi autem nomen habent ab aliquo *Kain*, Gentis illius Principe. Num. XXIV. 21. 22. Ex illa gente erat *Hobab*, sive *Jethro*, socer Mosis: qui idcirco *Kenæus* vocatur. Jud. I. 18. Is autem, quum fuerit כהן *sacerdos* aut *Præses Midianitarum*, Exod. II. 16. & *Midianita* dicatur Num. X. 29. hinc credibile est, *Kenæos* hosce gentem *Midianiticam* fuisse. *Midian* ipse erat filius *Abrahami* ex *Ketura*. Gen. XXV. 2. Unde palam est, *Kenæos*, ex quibus *Rechabitæ* oriundi, distinguendos esse ab iis, quorum Moses meminit Gen. XV. 15. Quique *Kenizzæis* & *Kadmonæis* aliisque populis *Cananæis* annumerantur, quorum tetram Abrahamo & posteritati ejus in hæreditariam possessionem pollicetur Deus.

IV. Qui se Israelitis associaverunt in deserto.

IV. Porro *Jethro Kenæus* cum familia sua, ad invitationem Mosis adjunxit se populo Dei, in desertis adhuc Arabum palanti. Primo quidem ad Mosen accessit, ut uxorem ejus liberosque adduceret; ubi reverenter pariter comiterque a genero acceptus & edoctus de prodigiis illis incredibilibus; quibus populum Israeliticum ex Ægyptiaca servitute asseruerat sibi Deus, Jehovam præ omnibus diis magnum esse agnovit, eique holocaustum & victimas obtulit; Aarone omnibusque senioribus Israelis cibum cum ipso in conspectu Dei capientibus. Et postquam præclari consilii auctor Mosi exstitisset, ab ipso deductus, in regionem suam rediit. Exod. XVIII. Rediti at reversurus cum familia. Nam uti Num. X. 29. narratur, dixerat Moses socero suo, *profecturi sumus ad locum, quem pollicitus nobis Jehova est; veni nobiscum & bene faciemus tibi, quia Jehova promisit bona Israeli*. Et sermonibus ultro citroque habitis eo tandem consensisse Jethro videtur, ut terra sua & cognatione salutata, reverteretur cum suis. Ita enim distinctæ hæ narrationes, ex libris Exodi & Numerorum, conjungendæ esse videntur, unicam ut absolvant historiam rei eodem tempore gestæ. Vel certe si ipse Jethro reversus non sit, posteri ipsius, paternis monitis excitati, Israelitis se adjunxerunt. Ab eo enim tempore *Kenitæ* associati fuerunt populo *Israelitico*: beneficiis quidem ejus fruentes, sic tamen ut distincta semper ab Israele gens fuerint.

V. Quo nomine laudantur a Bileamo.

V. Atque hanc eorum tam prudentiam quam felicitatem laudavit *Bileamus*. Cujus hoc de iis exstat oraculum: Num. XXIV. 21. *Quum vero adspiceret Kenæum, proferens sententiam suam dixit: Forte est habitaculum tuum, & posuisti in petra nidum tuum*. In eo nimirum fortitudo habitaculi ipsorum constabat, quod fœderati, socii atque amici essent populi Dei, & communia cum iis fata habituri. Et quandoquidem Jehovam pro vero Deo agnoscebant, illiusque cultum suscipiendo confugerant ad petram salutis; hinc merito dicuntur nidum suum in petra posuisse. Sed & calamitates iis prædicit, quas in communione Israelis subituri erant. Sic enim pergit: *Attamen erit quum depascetur Kain, tantisper dum Assyrius captivum tenebit te*.

VI. Deinceps partim tribui Judæ adhæserunt.

VI. Postquam Israelitæ promissam terram occupaverant, *Kænai* tribui *Judæ* maxime adhæserunt, fortasse præeminentia & felicitate tribus illius allecti, & *adscenderunt e civitate palmarum*, quæ est Jericho, *cum filiis Judæ in desertum Judæ, quod est ad australem plagam Haradi, atque habitarunt ibi cum populo*. Jud. I. 16. *Harad* autem idem fuisse creditur cum *Thamar* aut *Engedi*, civitas in extremis Judæ limitibus sita, in tractu qui nulli alteri fertilitate cederet. Hic *Kenæi* nostri habitabant, extendentes se ad confinia *Amalechitarum*. Quibus innexi erant tempore Saulis: qui priscæ societatis memor edixit, ut celeri profectione e medio *Amalechitarum*, internecioni devotorum, se eriperent, ne eorum involverentur exitio. 1. Sam. XV. 6.

VII. Partim habitarunt prope Kades.

VII. Alii Kenæorum profecti sunt *Kedeschum*, in tribu Nephtali, in extremo septentrione. Jud. IV. 11. *Cheber autem, Kenæus, separaverat se a Kenæa gente, de filiis Chobabi soceri Mosis; tetenderatque tentorium suum ad quercetum in Tzahanaimis, quod est prope Kedeschum*. Ex iis erat Jael, animosa illa, ac Deboræ laudata fœmina ib. vers. 17.

VIII. Ex utra domo Rechabitæ disquiritur.

VIII. Atque ex hac ipsa domo oriundos Rechabitas nostros esse, asserit Clarissimus *Burmannus ad Jud. I. 16*. Nescio tamen, quo argumento. Illi enim, quorum mentio est 1. Chron. II. 55. non in *Kades*, sed in *Jabes* habitasse narrantur, neque *Chebero* orti sed *Chamato*: atque a *Kadeschitis* illis, qui *Cheberitæ*, ea ratione videntur distingui.

Unde

Unde ipse sese corrigit *Burmanus ad* 1. *Chr. II.* 55. ubi *Rechabitarum* genealogiam arcessit ab iis, qui tribui *Juda* associati erant. Quod & probabilius est.

IX. Eorum apud Israelitas aestimatio.

IX. Hi autem loco mox laudato סופרים sive *Scribæ* dicuntur propter literarum peritiam: erantque doctores sive Politici, sive Ecclesiastici. Quia enim carebant possessione terræ, ab ingenio quæsiverunt ea, quæ ad vitam honeste tolerandam faciunt. Rabbinorum nonnulli eo usque ipsorum ingenium, eruditionem atque existimationem apud Israelitas celebrant, ut ferant eos assessores fuisse Synedrii Magni. Cujus tamen rei penes ipsos fides sit. Mihi enim non est verisimile, alienigenas, proselytos, cumprimis tales, qui discretam ab Israelitis gentem semper constituerunt, ad maximam illam Reipublicæ Israeliticæ dignitatem fuisse promotos. Ne dicam, quod demonstrandum erit alibi, fortassis ante captivitatem Babylonicam nullum tale Synedrium Magnum in Israelitarum Republica fuisse.

X. Rechabi ætas.

X. Inter *Kenæos* celebre fuit *Rechabi* nomen, qui quo tempore vixerit, non ita liquidum est. Id constat, *Jonadabum* filium *Rechabi*, virum magnæ existimationis fuisse tempore Jehu, trecentis fere annis ante captivitatem Babylonicam. 2. Reg. X. 15. 23. Cæterum an *Jonadab* proximus *Rechabi* filius fuerit, an Hebræorum more ita dicatur, quia pronepos aut progenitus Rechabi erat, disputat adversus *Serarium Scaliger. Elench. Trihæres. cap. XXIV.*

XI. Institutum Rechabitarũ.

XI. Hactenus de GENTE *Rechabitica:* nunc de INSTITUTO istius gentis agamus. Id ipsi his verbis exponunt. Jer. xxxv. 6. 7. *Jonadab filius Rechabi, Pater noster, interdixit nobis, dicendo:* NE BIBITOTE VINUM, VOS AUT FILII VESTRI UNQUAM. ET DOMUM NE ÆDIFICATOTE, ET SEMEN NE SERITOTE, VINEAMQUE NE CONSERITOTE, NEQUE ESTO VOBIS: SED IN TENTORIIS HABITETIS OMNIBUS DIEBUS VESTRIS UT VIVATIS DIEBUS MULTIS IN SUPERFICIE TERRÆ UBI INQUILINI ESTIS.

XII. Quæ in eo observanda.

XII. Observa hoc I. Instituti AUCTOREM, II. REGULAS. III. RATIONES. IV. OBLIGATIONEM.

XIII. Auctor Instituti Jonadab, an is qui occurrit Jehu? Negat. Scaliger.

XIII. AUCTOR est JONADAB, filius *Rechabi*, qui a plerisque interpretibus idem fuisse creditur, qui occurrit Regi Jehu, quando domum & idololatriam Achabi eversum ibat. Contra tamen contendit *Scaliger*, atque his potissimum pugnat argumentis. *Ille enim Jonadab*, inquit, *qui* 2. *Reg.* X. 15. *occurrit Regi, neque in tentoriis habitabat, quum obviam venerit Regi; neque homo quieti instituti fuisse videtur, quum Rex ab eo quærat; an ejus cor sit rectum ac pacificum erga se; ut homo militaris sine dubio fuerit, & ideo propter ejus dignitatem collocaverit eum in curru suo. Sane hæc non conveniunt* ἀσκητικῷ βίῳ. *Sed ita est: Ille Jonadab filius Rechab dicitur, tanquam pronepos, & ille cujus mentio est apud Jeremiam, auctor castimoniæ victus est ab eodem progenitore Rechab. Sed in eadem gente quis dubitat multos ejusdem nominis fuisse apud Hebræos, ut apud Græcos & Romanos? Igitur ille Jonadab Rechabita apud Jeremiam verus Pater erat illorum, quos vocavit ad se Jeremias. Temporibus ergo Jeremiæ illa severa regula instituta.*

XIV. Sed non satis firmis, rationibus.

XIV. Sic Scaliger; nescio an tam solide, quam dictatorie. Nihil enim obstat, quo minus homo quieti instituti, & in tentoriis plerumque vitam transigens, obviam venire Regi potuerit: neque a genio Jehu alienum est, quod homini Ascetæ, pietatis & zeli nomine incluto, suum pro Jehova zelum approbare annisus fuerit; &, ut zeli illius testis esset, currum suum conscendere jusserit. Quod profecto eum venerabiliorem faciebat piis veri Dei cultoribus, quorum tunc maxime captabat gratiam, quam si hominem aliquem militarem lateri suo admovisset. In cætera disputatione nihil est quod vel speciem argumenti tueri valeat. Non enim quia in eadem gente multi ejusdem nominis sunt, idcirco Jonadab memoratus 2. Reg. X. diversus est ab eo qui laudatur Jer. XXXV. Neque quia Rechabitæ apud Jeremiam eum *Patrem* suum vocant: ideo verus, id est proximus, ipsorum pater fuit. Quis Scaligero eam potestatem fecit, ut quum Jonadabum Rechabi *filium* dici audit, id de *pronepote* interpretetur? & quum eundem Jonadabum *patrem* Rechabitarum vocari legit, id de *proximo parente* intelligendum esse postulet? Quæ demum ratio suadet, temporibus Jeremiæ severam illam regulam esse institutam, *sic ut Rechabitæ eodem fere tempore cæperint & desierint?* Qui tam confidenter loquitur, eum oportet ab argumentis melius instructum esse.

XV. Ἐπίκρισις.

XV. Mea sic est ratio, quandoquidem *Jonadabum* aliquem *Rechabi* filium tempore *Jehu* zelo pro religione insignem exstitisse constat, plures ejusdem nominis exstitisse non constat: proclivis est in eam sententiam animus, ut, quando *Jonadabum Rechabi filium* laudari cernimus, de eo cogitemus quem fuisse certum est; non alium fingamus, quem in rerum natura fuisse probari non potest. Nisi fortassis aliquid narretur,

tur, quod cum persona, quam prior ille gessit, conciliari nequeat. Quale hic nihil est. Illis itaque Theologis lubens accedo, qui existimant institutum hoc circa initium regni Jehu cœptum & ad Jojachimi regnum continuatum, Jeremiæ ætate per tria fere secula substitisse.

XVI. Regula instituti.

XVI. In REGULIS instituti occurrit *I. Interdictum*. *II. Mandatum*. *III. Instituti Ratio*. *Interdictum* complectitur. *I. Enumerationem* eorum, quæ *vetantur*. A. NON BIBERE VINUM. B. NON ÆDIFICARE DOMUM. C. NON CONSERERE SEMEN ET VINEAM. D. Imo NE HABERE QUIDEM. II. *Personas obligatas*. VOS ET FILII VESTRI. III. *Tempus obligationis*. IN SECULUM. Quamdiu nimirum gens Rechabitica a cæteris distincta erit & Oeconomia temporum id patietur. *Mandatum* est de CONSTANTI HABITATIONE IN TENTORIIS, Nomandum instar; & uti Israelitæ per quadraginta annos fecerunt in deserto. *Ratio instituti* additur, UT VIVATIS DIEBUS MULTIS IN SUPERFICIE TERRÆ. Quod referri potest partim ad commodum & facilem victum, qui tam frugaliter viventibus vix deesse poterat, partim ad Divinam promissionem, quam lubuit Numini annectere præcepto de obedientia parentibus præstanda.

XVII. Jonadabum hoc instituto posteris suis de parabili victu prospicere voluisse. Hebræi putant.

XVII. Non indigna hæc sunt, quibus aliquantulum immoremur. Quum Jonadabus vir non minus pius quam prudens fuerit, cur posteritatem suam universam asceticis hisce regulis adstrictam voluit? Hebræi existimant, Jonadabum posteris suis consultum voluisse de commodo & parabili victu: quorum mentem *Petrus Martyr*, in commentariis suis in libros Regum, ex *Kimchio*, sic exponit: Qui possident vineas aut agros, & domos habent affixas certis locis, oportet ut subeant varias calamitates. Proventus enim annui, quum frugum tum vini, quandoque maligne proveniunt, aut interdum prorsus auferuntur. Unde coloni, fraudati sua spe, conficiuntur fame, & acriter egent. Vitiatur item quandoque aer, aut coloni rapinis vicinorum male afficiuntur. Hæc mala Nomades facile possunt evitare, discurrendo rhedis suis, quocumque libuerit. Nam sic fugiunt mala imminentia, & bona prosequuntur, ubi fuerint. Fuit ad hæc pastoritia ea ars Rechabitis patria, imo & avita. Nam Jethro, socer Mosis, greges habuit, & ad eos pascendos & custodiendos filias mittebat. Noluerunt itaque a suis majoribus degenerare. Nec præterea ignoramus, eos qui urbes incolunt fere deliciosos & molles evadere, qui vero ruri degunt plerumque robustos esse. Voluit igitur Jonadabus, inter suos vires & robur corporis integra conservari. Vetuit item ne biberent vinum; cujus nimius usus multis modis corpori & animo officit. Hactenus ex Hebræorum mente *Martyr*.

XVIII. Sed majora subfuerunt.

XVIII. At credibile est, subfuisse majora. Quandoquidem Rechabitæ inquilini erant apud Israelitas, prudentia Politica suadebat iis moribus vivere, quibus nemini essent graves, nihil expetentes eorum quæ alii possidebant, totoque vitæ suæ instituto edentes humilem professionem peregrinitatis. Unde judiciose observatum est a Clarissimo Viro *Jacobo Altingio*, Israelitis illicitum fuisse institutum illud vel præscribere, vel imitari. Quia terra illis in possessionem hæreditariam data, eoque colenda fuit, & domus ibidem ædificandæ, quas ad posteros transmitterent. Sic ergo se Rechabitæ ab Israelitis prudenter distinxerunt, ad vitandam invidiam; ne viderentur invadere possessiones non suas.

XIX.

XIX. Faciebant etiam hæc omnia ad fovendam pietatem. Ita enim Jonadabus corruptis illis temporibus suos a vitæ hujus commodis & deliciis avocare & avertere voluit. Vino interdixit, quod multorum criminum occasio & incentivum esse solet. Interdixit quoque structura ædium & cultura prædiorum, earumque rerum possessione: quia animus illis solet esse affixus & multi cœlum non affectare, saltem non impetrare, quoniam arctius, quam par est, glebæ suæ adhærent.

XX.

XX. Hac ratione fides adstruebatur Prophetarum oraculis, quæ imminentes Judæis calamitates repetitis carminibus canebant. Ideo in tempore suos ad exilii incommoda ferenda assuefaciebant. Nam Bileamus Kenitis etiam deportationem denunciaverat. Num. XXIV. 22.

XXI.

XXI. Denique hoc vitæ suæ instituto ostendebant, terram istam quam Judæi tam efflictim deperibant propter se tanti faciendam non esse. Ideo ne Hierosolymis quidem, quando eo vi bellica pellebantur, aliter quam in tentoriis habitare voluerunt. Et fortasse rectius fecissent, si non venissent Hierosolymas, neque tam prope accessissent ad communionem populi refractarii; modo alia ipsis via patuerit hostiles incursationes & deprædationes evadendi. Forsan & alia subfuerunt, nobis incognita.

XXII. Rectene fecerit Jonadab, poste-

XXII. Nunc de OBLIGATIONE ad hoc institutum videamus. Quæ considerari potest, vel respectu *Jonadabi*, qui obligationem *imposuit*; vel respectu *filiorum* qui eam *susceperunt*. Ac *Jonadabum* quidem quod attinet, merito quæritur, rectene fecerit posteri-

steritatem suam ad tam difficile institutum in perpetuum obligando? Non enim desunt rationes dubitandi. I. Vinum agri, vineta, domus, civitates, sunt res bonæ, a Deo ad usum generis humani conditæ; hominibusque a Dei bonitate clementer concessæ: cur interdicit iis quæ concessit Deus? II. Præceptum tale aliquando pro laqueo est, quo se conscientia misere constrictam deprehendit. Potest enim incidere tenuis valetudo, atque ea corporis infirmitas, ut vino sit utendum. III. Videtur his omnibus quædam inesse superstitio & ἐθελοπρισσοθρησκεία, qua Sanctitas & religio collocatur in iis rebus, in quibus eam non collocavit Deus.

ros suos his regulis obligando?

XXIII. Equidem, ut verum fatear, si ex rigore examinentur omnia forsan in humano ejusmodi instituto deprehendi posset aliquid quod non omnem culpam effugiat. Et sane nusquam legimus illud a Deo prorsus approbatum, laudatumve esse. Laudatur quidem obedientia posterorum, utpote respondens voluntati Dei, expresse præcepto quinto. Sed exinde non sequitur, quia obedientia laudabilis, laudabile idcirco fuisse mandatum. Rex Saul imprudenter interdixit populo cum execratione, ne quis gustaret quicquam donec plenam de hostibus victoriam reportasset: cui tamen interdicto pie a populo obtemperatum est.

XXIII. Mirum non foret si humanum ejusmodi institutum haud prorsus vacaret culpa.

XXIV. Attamen committendum non esse videtur, ut probum pii hominis institutum, nusquam etiam a Deo culpatum, atro carbone notetur. Nam, uti ostensum est, haud contemnendas facti sui rationes habuit. Et quæ modo in contrarium sunt allatæ, eæ nequaquam tales sunt, ut non commoda ad ipsas suppetat responsio.

XXIV. Attamen non difficulter exculpatur.

XXV. Nam I. Illicitum non est a rebus concessis licitisque certo quodam consilio abstinere. Imo est ubi prudentia & pietas exigunt, ut ab iis abstineamus. Apud Hebræos *Naziræi* voto sibi abstinentiam a similibus rebus indicebant, sive ad tempus, sive in perpetuum. In quo aliquid *Rechabitarum* instituto simile, aliquid etiam dissimile est. Similitudo consistit in abstinentia a rebus cœteroqui concessis. Dissimilitudo in eo est, quod Naziræi id facerent ex lege voti Divina; eoque ad cultum; Jonadab suo consilio, & prudentia, citra opinionem cultus. Nimirum afflictionis imminentis cogitatio merito quem movent, ut quæ hujus mundi commoda sunt, sibi tempestive neget, animumque ab iis avertat, inque ea aversione per consuetudinem confirmet.

XXV.

XXVI. II. Non est existimandum observantiam hanc tanta severitate præceptam esse, nulla ut intercedere potuerit exceptio. Etenim præcepta non tantum hominum, sed & ipsius Dei lege charitatis condienda sunt & temperanda, juxta regulam, *Misericordia delector, & non sacrificio*. Interpretanda igitur erant præcepta Jonadabi, ut non adstringerent liberos si qua forte ursisset necessitas, quæ extra legem est. Proinde si per valetudinem quispiam Rechabitarum opus habuisset vino, per Jonadabum uti licebat. Quemadmodum, quia compellebantur necessitate, Jeremiæ tempore ingressi sunt urbem Hierosolymorum, nec tamen accusantur violatæ obedientiæ. Imo vero Deus testimonium iis perhibet exactæ observantiæ. Jer. XXXV. 18. Vide sodes erudite de his disserentem *Petrum Martyrem*.

XXVI.

XXVII. III. Jonadabi institutum, non fuit religiosum, neque animus ei fuit, aut certe non debuit esse, religionis vinculo constringere posterorum suorum conscientias, quasi instituti illius observatione magis placituri essent Deo, aut aliquid apud ipsum merituri. Nulla Dei in mandato mentio, nihil ejus profitentur Rechabitæ, nihil tale de eo testatur aut Deus, aut Jeremias. Idcirco non videtur accensendum esse statutis sequentium Pharisæorum, qui Deum se colere postularunt, ex mandatis hominum.

XXVII.

XXVIII. *Posteris Jonadabi* obligatio ad instituti hujus observantiam incubuit, non ex aliquo religionis vinculo, sed propter reverentiam paterni mandati; quod quum suapte natura malum non esset, imo prudens, ac tempori apprime conveniens, bonum factum est, quod ei constantes paruerint. Eoque nomine ab ipso Deo laudati, Israelitis in exemplum proponuntur; quo præfractæ genti sua exprobratur rebellio. Jer. XXXV. 13. 14. 15. Habemus sane hic rarissimum filialis obedientiæ exemplum: obedientiæ, inquam, per tria secula continuatæ, a viris & fœminis, filiis & filiabus, succedentibus sibi generationibus: idque in iis rebus quæ carni ingratæ, & a communi hominum consuetudine valde remotæ sunt.

XXVIII. In posteris Jonadabi est rarissimum filialis obedientiæ exemplum.

XXIX. Difficultas aliqua nascitur ex Jeremiæ historia & quidem gemina. I. An non positum iis ex præscripto Numinis per Jeremiam offendiculum sit, quando contra mandatum parentis vinum bibere jubebantur? quod tam acriter insectatur Deus, quando ita cum Naziræis agebant Israelitæ. Amos II. 11. 12. An bene fecerint paterna jussa sermoni Prophetico anteponentes?

XXIX. Gemina difficultas.

XXX. Utramque hac ratione non incommode tolli arbitror. Non poterat male age-

XXX. Sublata.

agere Jeremias, ea agendo quæ a Deo juſſus erat. Deus non poſuit eis offendiculum, ſed ſanctiſſima ſua providentia occaſionem is objecit explorandæ conſtantiæ; quam præſciebat non aliter quam in ipſorum laudem evaſuram eſſe. Neque per hanc explorationem inſolubilibus vinculis conſtricta fuit ipſorum conſcientia, ut vel Deo, vel Parenti obſequium detrectare, coacti fuerint. Si enim ita ipſis res fuiſſet propoſita, ut Dei nomine vinum bibere juberentur, palam eſt, ipſos id faciendo non fuiſſe peccaturos. Quum omnia inſtituta humana Divinis mandatis cedere oporteat: & parentibus non debeantur obſequia, niſi uſque ad aras. Non ſane eo animo poſteros obligavit Jonadabus, ut mandatis ipſius inſiſterent, etiam contrarium jubente Deo. At non juſſit Deus: licet Jeremias juſſus, ad vinum bibendum eos invitaret. Qui non dixit; *ſic ait Jehova*, ſed ſimpliciter, *bibite vinum*. Et credibile eſt eos ex vultu Jeremiæ, ſermonis ſono aliiſve circumſtantiis, potuiſſe cognoſcere, non eſſe hanc præciſam Dei voluntatem, ut recederent ab inſtituto majorum. Facile ſaltem judicarunt, non poſſe ſe peccare, ſi, allegando Patris ſui juſſum, Divinæ voluntatis ampliorem clarioremque explicationem poſcerent.

XXXI. Cur in conclavi templi Rechabitarum conſtantiam explorare voluerit Deus.

XXXI. Certe accepta admodum Deo hæc Rechabitarum conſtantia fuit; quam quum huc evaſuram prænoſſet, voluit explorationem illam eo loci fieri, qui convincendis Iſraelitis apprime eſſet idoneus. Adduxit enim eos Jeremias *ad domum Jehovæ, in cubiculum filiorum Chananis filii Jigdaliæ viri Dei, quod eſt prope cubiculum principum, quod eſt ſupra cubiculum Mahaſejæ, obſervantis limen*. Nimirum ad eum modum conſtructa vaſta Templi moles erat, multa ut ei annexa eſſent ædificia, conclavia, thalami, aut quocunque demum appellentur nomine, ubi ſacerdotes & Levitæ, functionis ſuæ vices obeuntes, diverterent; nonnulli etiam ex principibus Ædis ſacræ miniſtris ordinariam commorationis ſuæ ſedem haberent. Non niſi conſulto conſilio factum eſt, ut in ejuſmodi aliquod conclave Rechabitas convocaverit Vates. Forſan ne coitio illa in ſuſpicionem ſeditionis aut tumultus veniret; quum cuſtodes conclavium templi, principeſque eorum, quæ gerebantur, teſtes eſſent, & fortaſſis petenti Jeremiæ, tam locum, quam inſtrumenta, quibus uteretur, ſuppeditarent. Sed maxime ut conſtantia Rechabitarum appareret illuſtrior, utque convictio hæc in loco ſanctiſſimo, tam ſolemniter facta, præſentibus primoribus populi, eo eſſet efficacior.

XXXII. Promiſſio Rechabitis facta.

XXXII. At non potuit Deus luculentiori teſtimonio comprobare Rechabitarum obedientiam, quam inſigni illa promiſſione: *Idcirco ſic ait Jehova exercituum, Deus Iſraelis*, NON EXSCINDETUR VIR JONADABO FILIO RECHABI QUI STAT CORAM ME OMNIBUS TEMPORIBUS.

XXXIII. Explicata ab Altingio.

XXXIII. In quæ verba lubet appingere ampliſſimum *Jacobi Altingii commentarium*. Sic ergo ille: *Non tantum longævitatem obedientibus promittit; ut in præcepto quinto, quam proſelyti juxta cum Iſraelitis habebant promiſſam: ſed ſingulatim, non perituram poſteritatem Jonadabi, & habituram locum in Eccleſia Dei, atque admiſſionem ad gratioſam fruitionem Dei, non ut Sacerdotes & Levitæ, ſed ut alii Iſraelitæ & peregrini. Jeſ. LVI. 4. 7. Adeoque debet adhuc ſupereſſe poſteritas Jonadabi, & illi ſpes reſtitutionis cum Iſraelitis manet. Ut Jer. XXXI. 36. 37. Sed eodem modo: ut pariter exſilii conſortes ſint, poſt longam interruptionem reſtituendi. Equidem non agnoſcitur hodie illa familia. Sed ab ignorantia hominum ad negationem non valet conſequentia. Familiæ confundi nequeunt; quum per patres deſcendant, matres ad eam non pertineant: & qualis pater, quoad tribum, talis quoque ſit filius & nepos, ac ſic deinceps. Poteſt ſeries genealogica perire ex notitia hominum: ſed non ex rerum natura & notitia Dei. Confundantur licet ſemina tritici, ſiliginis, hordei & quæcunque ſunt alia, ut homines nequeant diſcernere; non tamen perit illis diſtinctio, & Deus eam non novit ſolum, ſed prodit quoque, quando unum quodque ſemen ſuo corpore facit ſurgere, I. Cor. XV. 37. 38. Sic de familiis ſtatuendum eſt.* Hæc *Altingius*.

XXXIV. Et Scaligero.

XXXIV. Aliter inſtituit *Joſephus Scaliger, Elencho Tribæreſi cap. XXIV.* Cujus commentatio huc redit: Dicit Deus in ea ſtirpe ſemper aliquem fore, qui coram ſe miniſtrabit. Nam illud עומד לפני *ſtans coram me*, interpretatus eſt Chaldaicus Paraphraſtes משמש *miniſtrans*. Hoc non poteſt dici niſi περὶ τῶν ἐν τῷ ναῷ λειτουργούντων, Rabbi Juda apud Kimchium exponit, *ſedebunt in Synedrio*: alii, *filiæ ipſorum nubent Sacerdotibus & erunt ex nepotibus eorum offerentes ſuper altari*. Utraque expoſitio ridicula. Prior, quia *coram Deo*, quod de templo dictum eſſe manifeſtiſſimum eſt, non eſt *ſedere in Synedrio* & legem docere. Altera, quod tametſi poſteritas ex filiabus Rechabitarum & filiis Sacerdotum, ſint Sacerdotes, tamen hoc non pertinet ad Rechabitas: quia, ut teſtatur *Abraham Zachuth*, משפחת אם איננה קרויה משפחה *familia matris non vocatur familia*. Quid ergo? ceſſabit verbum Dei? Abſit ut putemus. Locus eſt inſignis. Significat ab eo tempore inſtituta fuiſſe primordia corpo-

ris

ris *Hasidæorum*, qui quotidie offerebant in templo & ab eo nunquam recedunt. Per se autem non offerebant (non enim erant Sacerdotes) sed Sacerdotes eorum nomine & quotidie victimam immolabant, quæ vocabatur אשם חסידים *victima Hasidæorum pro peccato;* Igitur *filii Jonadab* sunt ii, qui *Hasidæi* postea vocati, neque a templo recedebant: ut merito dictum sit: *Non deficiet vir de stirpe Jonadab stans coram me*. Hæc *Scaliger*. Utra vero expositio præferenda sit & an tertia excogitanda, quæ utraque sit melior, per me quidem peritus, ac nullo aliunde præjudicio occupatus. Lector judicet.

XXXV. Ego manum de tabula tollam, ubi adscripsero narrationem *Benjaminis Tudelensis de Regno Rechabitarum*, ad septentrionem *Babyloniæ*, in tractu *Themæ*, unde & ipsi alias *homines Themæ* dicuntur. *Thema autem est initium regni ipsorum, in qua magna civitate* Benjaminis tempore, si credere fas est, *imperabat Annas Princeps. Districtus vero ditionis illorum inter montes septentrionales sedecim dierum itinere terminatur, & magnas munitasque habet civitates: nulliusque gentis imperio premuntur incolæ; sed insuper, ut spolia prædamque auferant, remotas regiones adoriuntur. Omnes Judæorum vicini admodum sibi ab iis metuunt: ipsorum vero multi agriculturam & pecuariam exercent regionemque habent amplissimam*. Porro institutum ipsorum ita describit: *Hi Judæi*, inquit, (quasi Rechabitæ Judæi essent) *omnium bonorum decimas largiuntur sapientiæ studiosis, qui jugiter in Scholis resident, & Israelitis pauperibus & devotis, qui Zionem lugent & Hierosolymam: qui nec carnem edunt, nec vinum bibunt, quique atrati in speluncis vivunt aut casulis; & per totam vitam mœrent, Sabbathis & festis diebus exceptis, assidue divinam misericordiam pro Israelitarum exsulibus implorantes, ut eorum propter nomen suum maximum misereatur*. Cæterum hæc Rabbinica suaviludia sunt, & putida miseri nugatoris mendacia, merito castigata a *Constantino L'Empereur*. Atque hæc nobis de Rechabitis dicta sunto.

XXXV. Benjaminis de Regno Rechabitarum fabulæ Itin. p. 82.

CAPUT NONUM.

De Assidæis.

I. MULTUM disputatum est de ASSIDÆIS, utrum studuerint *Pharisæis*, an *Essæis*, vel alii parti. Si dignus sum meam sententiam in medium proferre, vel, ut habet Hebræorum proverbium, *caput meum sapientum capitibus addere;* hoc de Assidæis sentio.

II. Ante μετοικεσίαν Βαβυλῶνος, *transportationem Babylonicam*, reperimus vocem חסידים (quæ vertitur *Assidæi*) idem denotasse ac צדיקים *justos*, sive *bonos:* [1] Utrique sine ulla διαστολῇ *differentia* veniebant, opponebanturque רשעים *improbis*. Tum temporis tota Judæorum massa divisa fuit in duas partes, חסידים *bonos*, & רשעים *improbos*. Soluta captivitate discernebant חסידים *bonos*, *benignos*, *a* צדיקים *justis*.

Varius usus vocum חסידים צדיקים רשעים

III. *Tsaddikim justi* se meditationi Scripturæ dabant: *Chasidim benigni* autem in eo toti erant, ut Scripturæ aliquid assuerent. [2] *David Kimchi Ps. CIII. 17. Tsaddikim justi* omnibus Scripturæ mandatis se subjiciebant, volentes juxta ea se componere; *Chasidim boni* sua vitæ integritate non solum Scripturæ se satisfacere, sed plus, quam exigeret, præstare jactabant. *Pirke Aboth c.* 5. in conservando templo, jugulandis victimis, sustentandis egenis &c. ultra præcepta Legis evolare se non dubitabant. Illi erant חסידים *benigni*, qui crepabant; *quod meum est, tuum est & quod tuum est, tuum proprium est*. Illi erant רשעים *improbi*, qui eructabant: *quod tuum est, meum est & quod meum est, meum proprium est;* & est plausibile, eos, qui media via incedebant (Vid. loc. cit.) dicebantque: *quod meum est, meum est, quod tuum est, tuum proprium est*, fuisse τοὺς *Tsaddikim*.

Hi explicantur.

IV. Ratione sanctitatis Judæi tum temporis in tres partes distinguebantur. I. רשעים ἀσεβεῖς *Improbos*, II. צדיקים δικαίους *Justos* III. חסידים, quod vocabulum plerumque vertitur ὅσιοι *Sancti*, interdum etiam ἀγαθοὶ *Boni*. *Assidæi* de quibus agitur 1. *Macc. VII.* 13. vocantur *a Joseph. lib.* 12. *cap.* 16. ἀγαθοὶ καὶ ὅσιοι τοῦ ἔθνους. Hi supra omnes elati & dilecti a populo sunt.

V. Apostolus demonstraturus summum Jesu Christi amorem, mortui pro nobis, eum, per allusionem ad hanc populi differentiam, commendat *Rom. V.* 6. 7. *Christus* ὑπὲρ ἀσεβῶν *pro impiis mortuus est. Vix enim quis* ὑπὲρ δικαίου *pro justo moriatur: nam* ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ *pro bono forsitan etiam quis mori sustineat*. quæ commendatio fit

Hinc illustratur Rom. V. c. 7.

a ma.

a majori, ut ajunt: quidam forte morerentur pro aliquo ex τοῖς חסידים bonis, vix pro aliquo ex τοῖς צדיקים *justis*; nemo autem occumberet pro τοῖς רשעים *impiis*; & tamen Christus mortuus est pro nobis *impiis* רשעים, enormibus peccatoribus, hostibus. [3]

Ab Assidæis orti sunt Pharisæi & Essæi.

VI. Donec hæc opera supererogatoria fiebant libere & indifferenter, non tanquam necessaria, etsi eveherentur supra nudam legis observantiam, pestis schismatum ex partium illarum studiis ebullire nequivit; ast quum opera illa supererogatoria regulis & canonibus inculcarentur, & quidem velut summe necessaria, tum ex τοῖς חסידים *bonis* pullulavit γέννημα *progenies* Pharisæorum; & ab iis etiam manavit (uti verisimile esse putant; *Vid. Scalig. Trih. c.* 22.) hæresis *Essæorum*, qui utique δευτερώτεις πατροπαραδότες * *traditiones non scriptas* invehebant, tanquam necessarias & ipsa Scriptura perfectiores sanctitatis regulas.

Quinam קראים

VII. Hac tempestate צדיקים *justi* studio & æstu se opponendi abrepti, non solas traditiones, sed omnem Scripturam, excepto Pentateucho Mosis, respuerunt, unde & vocabantur קראים *Karaim*. [4] *Sunt, qui eos solas traditiones rejecisse existimant, retentis omnibus S. Scripturæ* libris. Cui sententiæ si adstipulamur, nomen suum קראים *Textuales*, *Scripturarios*, habebunt inde, quod a sola Scripturarum lectione penderent, omni vi traditiones debellantes.

Karræi in Sadducæos degenerarunt.

VIII. Et tum etiam eo tempore קראים isti alieni plane fuerunt ab hæresis crimine; lapsu vero temporis, cum ipsis *Sadok* & *Baithus* pestiferam illam doctrinam instillassent, quod nulla ἀπόδοσις retributio bonorum operum, aut pœna malorum, vel mortuorum resurrectio futura sit, [5] קראים illi penitus in Sadducæos degenerarunt, adeoque in insignes Hæreticos, qui nomen debent autori suo *Sadok*. Tempus, quo cujusvis hæresis primum ortum & incrementum sumsit, peculiaria capita docebunt.

* Pharisæorum, ac Essæorum traditiones quam impiæ, nugaces, pueriles, sophisticæ, ac Dei verbo divinitus in Scripturis, ac Traditione revelato sint contrariæ, legat quæso hunc ipsum Goodvvinum cap. 10. de Pharisæis, & 12. de Essænis qui scire cupit.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

Annot. [1] Non tamen discrimen agnoscit Scriptures חסיד inter & צדיק, quantum scriptores post Captivitatem Babylonicam. Attamen aliquod ponendum videtur, quod indicat Ps. CXLV. 17. צדיק *Justus est* Jehova *in omnibus viis suis* וחסיד *in omnibus operibus suis*. Usum חסיד scrutantes deprehendimus nomen competere Deo Psalm. CXVIII. 26. l. cap. speciatim Messiæ Ps. XVI. 10. Deut. XXXIII. 8. hominibus Ps. IV. 4. XII. 2. Ille ceu promptus exerendi gratiam suam convenienter objecto, circa quod versatur veluti Psalm. XVIII. 26. & Jer. III. 12. *revertere aversa Israel, dicit Jehovah, non irruere faciam faciem meam in vos* כי חסיד אני *nam ego benignus sum* sive promptus ad gratiam illi faciendum, qui eam decenter cupit. Iste ceu summe studiosus gloriæ Patris, quique pro illa animam deposuit Ps. XVI. 10. Hic pariter ceu cupiens sancte ad voluntatem Dei vivere Ps. XII. 12. Inest adeoque voci notio inclinationis ad benigne & decenter agendum in usum aut jussum alterius. צדיק est, qui facit justum, nec a jure suo recedit Eccles. VII. 20. Opponitur רשע Gen. XVIII. 28.

[2] חסיד a Barten. ad Pirk. Av. c. II. 8. ita describitur שעושה לפנים משורת הדין Pariter c. V. 10. Sic etiam alibi exstat: Varie verti solet: Buxtorfii Interpretatio hæc est: *qui facit antea extra lineam vel ordinem judicii*: qui sponte sua bene bene agit, antequam judex illud decernat, ipsique sic agere imponat. Aliis magis placet: *Qui facit opera supererogatoria*. Paucissimi hunc sanctitatis gradum attigisse videntur, quare R. Jose חסיד l. cit. appellatur ceu qui pares in pietate non habeat & tr. סוטה c. IX. 15. משמת ר׳ יוסי קטנותא פסקו חסידים ולמה נקרא שמו קטנותא שהיה קטנותן של חסידים *ex quo mortuus est R. Jose parvus, defecerunt Assidæi* (*Religiosi.*) *Quare autem parvus dictus est? quia religiosorum minimus erat*. Glossa supra citata החסידים הולכים ומתקטנין והוא היה מקטניהן וסופן *Religiosi sensim imminuebantur. Jose autem minimus & ultimus eorum*. Sed alii malunt illum ita quasi quintam eorum essentiam vocari atque id elucere ajunt ex Thalm. Jeruschalm. ubi תמציתן של צדיקים ושל חסידים *compressio justorum & religiosorum hominum dicitur*, Conf. Wagenseil. ad l. סוטה allegatum.

[3] Lucem quoque accipit dictum illud Christi Mat. X. 45. Deus solem suum oriri facit ἐπὶ πονηρὺς καὶ ἀγαθὺς & pluviam demittit ἐπὶ δικαίυς καὶ ἀδίκυς. Ubi quatuor hominum genera, in quæ beneficia Naturæ promiscue redundant, nominantur. Confer aliquatenus cum dicto *tr. Pirke Avoth.* c. V. 10. quod quia ex parte ab Auctore tantum allegatum, integrum describo ארבע מדות באדם האומר שלי שלך ושלך שלי עם הארץ האומר שלי שלי ושלך שלך זו מדה בינוניה ויש אומרים זו מדת סדום שלי שלך ושלך שלך חסיד שלך שלי ושלי שלי רשע *Quatuor hominum conditiones sunt: Qui dicit, quod meum, tuum est & quod tuum, meum est, ille e populo terræ. Qui vero dicit: quod meum, meum, & quod tuum, tuum esto, talis conditionis mediocris. Juxta alios conditionis Sodomiticæ. Sed qui dicit, meum tuum & tuum tuum, ille* Assidæus, *pius. Is vero, qui dixerit, quod tuum, illud meum, & quod meum, meum maneat, impius.*

[4] Auctor hoc suo asserto nullam prorsus meretur fidem: Neque enim probat aut probare valet צדיקים *Justos* post Captivitatem Babylonicam solum Pentateuchum Divinum habuisse aut rejecisse omnes traditiones. Tantum discrimen inter hæc duo nomina in nullo probato Auctore invenitur. Superius §. 3. provocat ad Kimchium, qui eo non procedit; Sic enim חסיד Religiosus is dicitur שעושה יותר על מה שנצטוה *qui ultra, quam præceptum est, præstat*. Verum צדיק *Justus* שעושה מה שנצטוה *qui facit ea, quæ sibi mandata sunt*. Atque hoc bene. Nemo Simeonem κατ᾽ ἐξοχὴν הצדיק *Justum* appellatum soli Pentateucho ceu integro Canoni credentem dixerit, aut alienum ab omnibus omnino traditionibus. *Vid. Henr. Ottho in Hist. D. M.*

[5] Haud majorem fidem merentur, quæ tum hoc, tum præcedente paragrapho de קראים *Karræis* Auctor tradit. Hi neque צדיקי *Justi* dici solent, neque etiam Sadducæi. Nam, ut jam dictum, צדיק non est nomen sectæ cujusdam. Karræi vix in alio cum Sadducæis conveniunt quam quod una adversus Rabbanistas Auctoritatem traditionum divinam omni-

no

no negent ceu quæ ἐνσάλματι ἀνθρώπων. Cæterum per invidiam & calumniam quandoque ab adversariis suis Sadducæos nominari in aperto est. At non sequitur: E. tales sunt. Audi enim, quid Karræi de Sadducæis judicent, & num se fidei socios profiteantur. R. Moses Beschizi *Et hoc merito miramur in doctoribus Kabbalæ, quod illi nos cognominent de nomine Zadok & Baithos, statimque non pudeat, verum exinde illorum invidia patescit*. Et rursum: אבל הצדוקים אינם כי אם מינים ואפיקורסים מכחשים הע"הב *At Sadducæi non sunt, nisi Hæretici & Epicuræi, qui negant seculum futurum*. Hæc & plura alia magna cum diligentia & eruditione nos docuit Celeberrimus Triglandius p. m. qui primus integram de Karræorum differentia a Sadducæis, antiquitate, dogmatibus, controversiis, quæ illis cum traditionariis intercedunt, moribus, satis historiam exhibuit in peculiari diatribe *de secta Karræorum*.

CAPUT DECIMUM.

De Pharisæis.

I. TRes sententiæ sunt de etymologia nominis *Pharisæi*. Quartam etymologiam, cujus fundus & autor putatur *Hieronymus Præf. in Amos.* scriptura Hebraica refellit; Si enim Pharisæus diceretur a פרץ *disrupit, divisit*, scriberentur Pharisæi פרוצים non פרושים.

Etymologia Pharisæi.

II. Prima ergo trium earum sententiarum deducit a פרש *expandere, explicare*, sive propter *extensionem & dilatationem* suorum *phylacteriorum*, sive propter *ostentationem bonorum operum* omnium oculis expositam; Pharisæi enim insana cupidine & siti honorem laudemque hominum venabantur.

1.

III. Secunda sententia derivat a פרש *exponere, explanare*, quoniam eximia apud populum autoritate & honore vigebant, credebanturque subtilissimi *Explanatores Legis*, ita ut vocitarentur פרושים, quia פורשים *expositores Legis erant. Gorionid. c.* 22.

2.

IV. Tertia sententia originem ex eadem radice petit, sed in conjugatione Pihel, ubi est dividere, separare. Hoc significatu Græcis dicebantur ἀφωρισμένοι *separati*, aut uti nunc loquimur, *Separatista, Suidas*.

V. Separatio ipsorum notabilis, ratione rei ad quam, & ratione rei a qua se separabant.

Ita dicti quia se separabant I. ad meditationem Legis. II. ad vitæ sanctimoniam.

VI. Separabant ergo se I. *Ad meditationem legis*, quo respectu possumus eos vocare ἀφωρισμένυς ἐς τὸν νόμον separatos ad legem. Ex hoc intuitu creditur Apostolus se nuncupasse *separatum ad Evangelium Rom. I.* 1. quum a Pharisaismo ad præconium Evangelii secerneretur. *Drus. de* 3. *sect. lib.* 2. *cap.* 2. II. Separabant se ipsos, *vel potius prætexebant separationem, ad exactissimam vitæ sanctimoniam, & ultra vulgarem hominum sortem ascendentem*; hinc ille Pharisæus: *o Deus! ago tibi gratias*, quod non sum ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων *sicut reliqui homines, rapaces, injusti, adulteri, &c. Luc. XVIII.* 11. *Suidas*.

VII. Res a qua se separabant, triplex est. Separabant se I. a *commercio reliqui* populi uti plenius patebit in ipsorum traditionibus, unde plebem ob inscitiam vocitabant עם הארץ *populum terræ. Joh. VII.* 49. dicitur ὄχλος *turba. Hæc turba, quæ Legem non novit*, ἐπικατάρατος *execrabilis est*. II. *ab habitu* & cultu aliorum hominum: [2] utebantur enim peculiaribus vestibus, quibus a vulgo dignosci volebant. *R. David Sophon.* 1. 8. Hinc natum tritum illud: *Vestes populi terræ conculcatio sunt Pharisæorum. III. A moribus & consuetudinibus hujus seculi. Thisbites*.

Dein se separabant a commercio plebis. 2. Ab habitu ejus. 3. A moribus seculi.

VIII. Hæc hæresis videtur ortum duxisse [3] ab *Antigono Sochæo*; qui, quum esset Pharisæus, sequebatur *Simeonem Justum* viventem circa tempora Alexandri Magni, trecentis annis ante nativitatem Christi. Pharisæi non una e tribu prodibant, vel familia, sed indiscriminatim ex quavis. *Chrysost. Matth. XV. Paulus* erat *Benjaminita*, *Hyrcanus Levita*. *Joseph. lib.* 13. *c.* 18.

Ortus.

IX. Cuivis Sectæ sua erant dogmata, aphorismi, constitutiones & canones, ita & Pharisæis. Meum propositum est, solos eos notare canones & aphorismos, qui hæresin redolent in hac & aliis Sectis, quique Sectarios ab invicem distinguunt.

X. *Primo* Pharisæi aliquas res *Fato* subjiciebant, aliquas *libero* hominis *arbitrio*. *Joseph. lib.* 13. *c.* 8. 9. *Secundo* confitentur esse *Angelos & Spiritus Act. XXIII.* 8. *Tertio* credunt mortuorum resurrectionem, docentque animas improborum denatorum extemplo migrare ad æternos cruciatus, animas autem piorum statim ab excessu Pythagorica μετεμψυχώσει in aliorum piorum corpora [4] transfundi. *Joseph. de bello Jud. lib.* 2. *cap.* 12. Hæc ratio putatur, cur tam diversam de Salvatore nostro opinionem foverint: quidam censebant ipsum esse *Johannem Baptistam*, alii *Eliam*, alii *Jeremiam*. [5] *Matth. XVI.* 14. quasi Christi corpori anima vel Joannis, vel Eliæ, vel Jeremiæ vitam

Dogmata Pharisæorum.

tam afflaſſet. *Scal. Tritbar. lib.* 2. *cap.* 3. item *Druſ. in Præter. Quarto* mordicus tenebant παραδόσεις *traditiones* Antiquorum.

Ex his præcipuum dari Legem Oralem.

XI. Ut melius intelligantur ipſorum dogmata, ſciendum eſt, Judæos dicere, quod Lex duplex ſit, ſcripta, quam appellant תורה שבכתב *Legem ſcriptam*; & πατροπαράδοτος *a patribus tradita*, quam vocant תורה שבעל פה; quam utramque Moſi datam in monte Sinai; legemque oralem fuiſſe κατήχησιν *inſtructionem* & commentarium legis ſcriptæ dicunt, quam Moſes poſtea ore tenus Joſuæ tradiderit, Joſua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ Viris magnæ Synagogæ, qui deinde ſequentibus ſeculis eandem propinarint. *Moſes Kotſens. in præf. lib. præcept.*

Quod plurimum Phariſæos a Sadducæis diſtinguebat.

XII. Hæc traditio una ex primariis differentiis fuit, de quibus Sadducæi & Phariſæi conflixerunt. *Gorionid. cap.* 29. *Phariſæi inquiebant; obſervemus legem, quam majores noſtri noſtris manibus inſinuarunt, explanatam ore Sapientum, qui eam per traditiones expoſuerunt. Sadducæi autem replicabant: ne fidem demus, nec aurem ullis traditionibus & κατηχήσεσι, ſed attendamus ad ſolam legem Moſis.*

Traditionum 1. Lotio manuum ante cibum.

Quæ facta πυγμῆ.

XIII. Traditiones autem, quas præprimis urgebant, hæ fuerunt. I. Non capiebant cibum χερσὶν ἀνίπτοις *illotis manibus*. [6] *Cur tranſgrediuntur diſcipuli tui* τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων *Seniorum traditionem? non enim abluunt manus ſuas, quando panem edunt. Matth. XV.* 2. Hæc lotio dicitur facta eſſe πυγμῇ [7] *crebro Marc. VIII.* 3. uti quidam hanc vocem transferunt, putantes eam idem ſignificare hic, quod πύκα apud *Homerum*, ſcil. *crebro frequenter*. Alii hanc vocem vertunt *accurrate, diligenter*, quod docet attentam diligentiam eorum in lavando; cum qua verſione Syrus facit, qui habet בטילאית μετὰ σπουδῆς *diligenter*. Alii putant hoc loquendi modo alludi ad ritum iſtum lavandi, quo utebantur Judæi, quemque appellabant נטילת ידים *elevationem manuum*; Græcum vocabulum πυγμῇ creditur exprimere hanc ceremoniam, *quoniam in iſta lotione ſummitates digitorum cum pollice conjungebant*, ita ut quævis manus ſpeciem τῆς πυγμῆς *pugni* referret *Scalig. Tribær. c.* 7. Hæc ceremonia ita habuit. I. Manus abluebant. II. Eas dicto modo complicabant. III. Eas elevabant, ita ut aqua ad cubitum delaberetur. Tandem remiſſis rurſus manibus, aqua humum defluebat. Et ut abundans liquor in brachiis aſcendendo & defluendo luderet, elevatis iis puram aquam affundebant, demiſſis autem bis aquam adſpergentes. *Munſter. in Deut. VIII.* Hanc lotionis ſpeciem nobis videtur *Theophylactus* depingere, *in Marc. VII.* 3. ubi inquit: *Phariſæos* ἕως τοῦ ἀγκῶνος, *cubitaliter lavare*. Tandem alii exponunt πυγμὴν per *pugnum, manum plicatam*, ita ut lotio fieret, pugno palmam alterius manus defricante. *Beza in Major. annot. ſuis ad Marc. VII.* In ſumma, notat accuratam & exactam lavandi curam.

Superſtitioſa eſt.

XIV. Ceremonialis illa lotio elatarum demiſſarumque manuum ſatis denudat ſuperſtitionem, quam ſolam vellicat reprehenſio dicta; etſi omnes iſtiuſmodi lotiones ſuperſtitione non carerent, quod eas non ponerent inter honeſtos civileſque mores; ſed ad religionem [8] pertinere crederent, βαπτίζεσθαι πρὸ τοῦ ἀρίστου *ſe lavare ante prandium*, aut ἐσθίειν τὸν ἄρτον χερσὶν ἀνίπτοις *ſumere cibum illotis manibus*; imo quod earum lotionum tantam aſſererent neceſſitatem ut ſi homo accepta aqua non ſimul manus abluere, ſitimque reſtinguere ob paucitatem poſſet, etſi contabeſceret ſiccitate, non tamen anhelanti gutturi ſed purgandis manibus eam affundere deberet. *Druſ. præter. Matth. XV. in addend. & Buxtorf. Synag. Jud. c.* 9. *p.* 93. *ex Talmude*. Et cibum capere ἀνίπτοις χερσὶ tantum crimen, ac ipſam fornicationem judicabant.

Triplices locutionũ ſpecies.

XV. Etſi autem hæc traditio lotionum acerrime a Phariſæis inculcaretur, attamen iſti ritui omnes Judæi obediebant, ut conſtat ex locis citatis. Poſſumus autem tres lotionum ſpecies uſitatas Judæis obſervare. 1. *Phariſaicam* & ſuperſtitioſam, quæ reprehenſa eſt. 2. *Ordinariam*, quam externa morum honeſtas admittit. 3. *Significativam*, [9] quæ nota erat innocentiæ, mandata Senioribus proximæ urbis, in cauſa ignoti homicidii. *Deut. XXI.* 6. Ita ſe lavit *Pilatus Matth.* 27. & ad eandem lotionem alluſit David *Pſ. XXVI.* 6. *Lavo in innocentia palmas meas & circa tuum altare verſor Jehova*.

II. Lotio manuum poſt reditum e foro.

XVI. II. *Cum redibant ex foro, manus lavabant. Marc. VII.* 4. Ratio fuit, quia, quum ibidem cum variis hominum generibus commercium habuiſſent, facile pollui potuerunt. Verbum, quo utitur *Marcus*, eſt βαπτίζειν, quod denotat *totius corporis* [10] καθαρμὸν *mundationem*. Videntur etiam Phariſæi, utpote quos major ſuperſtitionis zelus quam alios agitabat, ſic ſe laviſſe πρὸ τοῦ ἀρίστου *ante prandium*. *Phariſæus miratus eſt, quod Chriſtus non ante prandium* ἐβαπτίσθη *lotus eſſet*. *Luc. XI.* 38. Ad hanc ſuperſtitionem Petrus inclinaſſe creditur, dicens: *non ſolum pedes meos, ſed & manus & caput. Job. XIII.* 9. Is, cum civilem ſuam modeſtiam lædi crederet, ſi lavandos pedes Magiſtro ſuo permitteret, ad alterum extremum deinde relabitur; q. d. *non ſolos pedes, ſed totum corpus*. Hæc ſuperſtitio genuit Sectam *Hemerobaptiſtarum*, ſic dictorum,

rum, quod quotidie ita ſuas lotiones & baptiſmos iterarent. *Epiph. l.* 1. *Tom.* 1. *cap.*17.

III. Poculorum &c.

XVII. III. *Eluebant ſua pocula, ſextarios, æramenta & lectos. Marc. VII.* 4.

IV. Abſtinentia a comeſtione cum peccatoribus.

XVIII. IV. *Illicitum putabant edere cum peccatoribus. Matth. IX.* 11. [11] Imo cenſebant eſſe pollutionis ſpeciem, tangi ab iiſdem. *Luc. VII.* 39. *Hic ſi eſſet propheta, noſſet utique, quæ & qualis ſit iſta fœmina, quæ tangit ipſum; nam peccatrix eſt.* De iſtiuſmodi hominibus loquitur Propheta; *qui dicunt, accede ad te*, ſive recede, *ne appropinques mihi*, ſive אל תגש בי *ne tangas me; nam ſanctus tibi ſum, Eſ. LXV.* 5. Frigidus ille ſanctitatis fervor & Samaritanis fuit, qui obvianti peregrino ogganiebant; μὴ πρόσψαυσον, *ne attingas, ne me vel leviter ſtrigas; Scalig. de emend. temp. lib.* 7. *& Epiphan. Tom.* 1. *Lib.* 1. *c.* 13.

V. Jejunium geminum in ſeptimana.

XIX. V. *Jejunabant bis* [12] *in ſeptimana Luc. XVIII.* 12. nimirum die *Lunæ* & die *Jovis. Theophyl. in Luc. XVIII.* 12. *Epiph. hær.* 16. quia Moſes, uti ajunt, montem Sinai aſcendit die *Jovis*, deſcendit die *Lunæ. Druſ. in Luc. XVIII.* 12.

VI. Dilatatio phylacteriorũ & fimbriarum.

XX. VI. *Dilatabant* [13] *ſua phylacteria, & amplificabant ſuarum veſtium fimbrias. Matth. XXIII.* 5. Hic tria veniunt penſitanda; 1. Quid fuerint *phylacteria*. 2. Quid ipſis inſcriptum fuerit. 3. Cur ita dicta.

Epiphanio Phylacteria ſunt clavi purpurei. Sed male.

XXI. *Epiphanius lib.* 1. *Tom.* 1. *c.* 15. exponit hæc phylacteria fuiſſe πλατέα σήματα πορφύρας *clavos purpureos veſtibus intextos.* Quaſi Phariſæorum veſtes ſimiles fuiſſent tunicis iſtis, queis amiciebantur Romani Senatores, nempe *laticlaviis* (*vel latis clavis*) ita dictis, quoniam erant ſegmentis & latis bracteis vel clavis interpuncta. Sed quum hæc phylacteria tantum fuerint adjuncta ornamenta, quorum duo erant; alterum fronti, alterum ſiniſtræ affixum; tum claret, per phylacteria non poſſe intelligi totas veſtes, vel aliqua ſegmenta & clavos veſtibus inſutos. In genere putantur fuiſſe *ſchedulæ, tabellæ vel membranæ, quarum*, ut notavi, duæ fuerunt: *Phylacteria ſive tabellæ vel bracteæ*, fronti annexæ [14] & ab una ad alteram aurem pertingentes, ligulaque ab occipite adſtrictæ; & *phylacteria* alligata brachio [15] ſiniſtro ſupra cubitum, ea parte, quæ ſpectat cor, *ut eidem eo propiora eſſent. Moſes Kotſens. præc. affirm.* 22.

Potius membranę vel frontis.

vel brachii ſiniſtri.

Phylacteria alia Phariſæorum. Alia Sadducæorum

XXII. Utraque hæc phylacteria & Phariſæis & Sadducæis in uſu fuerunt. *Maim. in Tephillim. c.* 4. §. 8. Sed cum diſtinctione: Phariſæi ad majorem oſtentationem ſua phylacteria manuaria brachio ſupra cubitum affigunt, Sadducæi palmæ, imo omnes Judæi talia phylacteria geſtarunt non excepto noſtro Salvatore. [16] *Scalig. Tribær. p.* 258. Mandatum enim generale fuit *Exod. XIII.* 9. *Erit tibi in ſignum ſuper manu tua & in memoriale inter oculos tuos.* Sic ipſe ritus geſtandi phylacteria non fuit a Salvatore noſtro improbatus, ſed ea dilatandi, quo viderentur ſanctiores reliquis.

Pericopæ legis iis inſcriptæ.

XXIII. His ſchedulis vel membranis inſcribebant Decalogum ſolum, juxta ſententiam *Chryſoſtomi & Hieronymi in Matth. XXIII.* Sed firmior ratio perſuadet, eos in iis exaraſſe has quatuor pericopas. [17] 1. Prima pars inchoabat ita; *Conſecra mihi omne primogenitum, Exod. XIII.* 2. ad finem ℣. 10. 2. Secunda erat; *Et erit, quum introduxerit te Jehovah in terram Cananitarum. Exod. XIII.* 11. ad finem ℣. 16. 3. Tertia ita; *Audi Iſrael, Jehova Deus noſter, Jehovah unus. Deut. VI.* 4. uſque ad finem ℣. 9. 4. Quarta ſic incipiebat; *Erit itaque ſi ſerio auſcultaveritis præceptis meis, &c. Deut. XI.* 13. ad finem ℣. 21.

Aliter phylacterio capitis.

XXIV. Has 4. partes convolutis membranulis inſcriptas capiti annexuerunt & ſiniſtræ: eas ſententias, quas fronti præfixere, in quatuor diverſis membranulis exararunt. *Moſ. Kotſens. fol.* 104. *col.* 3. ubi vero uni membranulæ vel pelliculæ eas quatuor ſententias dabant, tum fiebat iſtud quamvis partem diſtinguente lineola; poſuerunt poſtea eas quatuor ſententias in pellicula, in qua erant quatuor ædiculæ, loculamenta, vel cellulæ; non autem in quatuor pelliculis; quævis cellula diſtincta erat ab aliis. Illæ vero partes, queis manum ornabant, inſcribebantur uni membranæ, diſtinguentibus eas quatuor regulis; ſin eas quatuor peculiaribus membranulis inſcriberent, deſcendenti ordine fiebat ponebantque in una pellicula, unam cellulam habente.

Aliter Phylacterio manus.

Subſtituebatur filũ rubrum.

XXV. Tempore perſecutionis, cum publice [18] phylacteria ſua geſtare non auderent, manus ſuas rubro filo cinxerunt, ut refricarent memoriam ſanguinis fœderalis. *Munſt. de præc. affirm.*

Nomina Phylacteriorum. טטפות תפלי Pittacia.

XXVI. Quod ad nomen, Moſes phylacteria vocavit טטפות; quod vocabulum tot ferme etymologias, quot expoſitores habet. Veriſimillimum mihi videtur, ea ſic dicta fuiſſe per ἀντίφρασιν *locutionem a contrario*, a טטף *incedere, movere*; quia erant immota; ob id vertunt LXX. ἀσάλευτα *ornamenta immobilia*. Rabbini ea vocant תפלים q. d. *precum monimenta*. Alii amant ea dicere, *Pittacia* & *Pittaciola*, a voce πιττάκιον quæ notat veſtis partem, vel modicum pannum. *Hieron. in Matth. XXIII.*

φυλακτήρια

XXVII. In Evangelio vocantur *φυλακτήρια* a *φυλάττω custodio*, *conservo*. 1. Quia eorum usu Lex servabatur, assiduaque recordatione ruminabatur. 2. Quia Pharisæis superstitio anilis persuaserat, quod iis velut pendentibus ex collo amuletis & *περιάμμασι*, vel antidotis, contra omne periculum muniti essent. Vocabulum *φυλακτήριον* notat amuletum &, teste *Hieronymo*, Pharisæi talem fidem his ornamentis fecerunt; quo loco comparat Pharisæos certis superstitiosis mulierculis, quæ eadem inani fide inductæ circumferebant tum temporis *parvula Evangelia*, *& crucis ligna*, hoc est, excerptas ex Evangelio sententias & crucis reliquias.

Hinc superstitiones.

XXVIII. * Eadem superstitio apud multos ultimis seculis invaluit, qui collo appendebant initium Evangelii Johannis. *Scalig. Tribær. c. 7.* Et circa annum Christi *692.* condemnati sunt quidam nigromantici incantatores, earumdem delusionum diabolicarum rei, unde a *φυλακτηρίῳ Phylacteriani* vocati sunt. *Concil. quin. sext. can.61.*

Nomina fimbriarum.

XXIX. Tantum de *phylacteriis*. Eodem versu scil. Matth. XXIII. 5. reprehenduntur *dilatatæ & diductæ fimbriæ*, seu oræ vestium. Vox, quæ in Evang. legitur *κράσπεδα fimbriæ vocatur Num. XV. 39.* ציצת *peniculatus filorum textus*, & גדילים *fila contorta*, *institæ* [19] *Deut. XXII. 12. Vid. D. Kimch. Rad.* Locis citatis fimbriarum peniculamenta mandantur ab ipso nostro Servatore non neglecta; [20] *ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ*, *tetigit fimbriam vestis ipsius. Luc. VIII. 44.* Ultimum Hebraicum vocabulum notat *institam* vel *fimbriam latam*: unde magis patescit superstitio Pharisæorum, qui, quum Lex latas institas permisisset, decoro & mandato latiores vestibus [21] assuebant. Hanc literalem expositionem optime convenire puto cum textu, etiamsi *amplificare*, *μεγαλύνειν* Latinis & Græcis sæpe sonet *gloriari*, *jactare*; qui sensus apprime tumidum Pharisæum delineat. Τὸ *μεγαλύνεσθαι* apud *Eurip. in Bacchis*, est *magnifice jactare*; *efferre*. *Magnificare* etiam apud *Varron. & Plin.* eadem significatione usurpatur. *Beza in Matth. XXIII.*

Ratio eorumdem.

XXX. Ratio præcepti de conficiendis peniculamentis fuit, ut videntes ea recordarentur mandatorum Jehovæ. Num. XV. 38. Ad majorem autem hujus debiti observationem suis institis sive fimbriis interserebant rigidas acutasque spinas, ut inter ambulandum vel sedendum iisdem ad recordationem legis stimularentur. *Hieron. in Matth. III.*

XXXI. Septem vero Pharisæorum genera fuere. [22] *Thalmud. tract. Sota cap. 3.*

1. *I. Pharisæus Sichemita*, qui pellem Pharisaicam vel induit vel exuit lucri gratia, instar Sichemitarum se circumcidentium.
2. *II. Pharisæus truncatus*, ita dictus, ac si pedibus destitutus fuisset, quum eos vix humo vellet levare, ut suæ profundæ meditationis admirationem relinqueret.
3. *III. Pharisæus impingens*, qui oculos suos clausit, ad evitandum adspectum mulierum, ita ut crebro caput muris impingeret & cruentaret.
4. *IV. Pharisæus quid debeam facere*, *& faciam illud*: [23] Ita dictus, quia istud sæpe crepabat. Ejusdem commatis videtur fuisse ille in Evangelio, qui Christum conveniens, *Bone Doctor*, *ait*, *quid faciam? &c.* tandemque subjungit; *hæc omnia observavi ab infantia mea. Luc. XVIII. 18. 21.*
5. *V. Pharisæus mortarius*, qui pileum gestabat instar profundi mortarii, in quo conterunt aromata, ne posset oculos attollere, nec in ullam partem flectere, sed tantum vel antrorsum conjicere, vel humi defigere.
6. VI. *Pharisæus ex amore*, qui morem gerebat Legi virtutis amore.
7. VII. *Pharisæus ex timore*, qui obsequebatur Legi formidine pœnæ. Qui se accommodavit illi ex timore, sola præcepta negativa, qui vero ex amore, præprimis positiva reverenter coluit.

* Falsa prorsus, ac inania sunt quæ hic Goodvvinus una cum Scaligero narrat; Nam morem gestandi Evangelium plicatæ schedulæ inscriptum postremis Ecclesiæ temporibus ortum esse refellitur ex Augustino tract. 7. in cap. 1. Joann. Ubi non reprobat eam consuetudinem quam vulgo receptam dicit quod infirmi ad caput Evangelium ponebant, ut morborum vis depelleretur. Hujus etiam consuetudinis meminit Chrisostomus hom. 73. in Matth. Quis, inquam, Chrisostomum, & Augustinum purioris, ac sanctioris disciplinæ vindices, & magistros vel minimum superstitionis criminis reos agere audeat.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

Annot. [1] Intolerandus erat Magistrorum, Pharisæorum, quo se nimium supra vulgus extollebant, fastus, cujus rei, quum luculenta satis vestigia in Historia Evangelica deprehendantur, confirmationem e scriptis Judæorum depromere haud erit inutile. Superbiæ huic testimonium perhibent nomenclationes plebejorum, frigida judicia de illorum vita & morte, negata officia, quæ alioquin proximus proximo vel adversario debet. Nuncupabant עם הארץ *populum terræ*, qualis ex descriptione Maimonidiana ad Pirke Avot. c. V. 7. שיש לו מעלות המדות אבל אין לו מעלות שכליות *in quo quidam morum gradus*, *sed non intellectus*, qui quædam ad terræ conservationem, unde *populus terræ*, pertinentia agere valet. Quandoque בור rudem, cujus, ex mente Judæorum, status priori longe deterior ceu destitutus non tantum intellectu verum quoque æquis moribus l. cit. Boni quidquam ab his provenire posse negant, unde dictum illud Pirke Avoth. c. II. 5. אין בור ירא חטא ולא עם הארץ חסיד *qui rudis*, *peccatum non timet*, *nec populus terræ* Assidæus

pius

pius est. Et ideo exsortes resurrectionis mortuorum declarant Cetubh. f. III. 2. אמר ר' אלעזר עמי ארצות אינם חיים *Dixit R. Eleasar: populum terræ non esse resurrecturum* levi admodum argumento ex Ex. XXVI. 14. Imo illos jugulare fas esse, vel in die expiationis incidente in diem sabbathi: Testimonium ei non esse perhibendum neque ab eo recipiendum &c. Indignos esse Eleemosyna, quare, quum aliquando R. Jehuda, הקדוש *sanctus ille* vulgo dictus (egregiam sanctitatis ejus rationem mox audies) plebejum cibasset, pœnitens in hæc erupit verba. אוי לי שנתתי פתי לעם הארץ *Væ mihi, qui panem meum plebejo dedi* Bava Bathra f. VIII. 2. Confer. Wagenseilii *Sotam* Exc. Gem. c. III. §. VIII. 2. ubi posteriora prolixius pertractata invenies. Contemtus hujus & odii vix alia ratio, quam quod vulgus ζητήσεις Magistrorum, externam munditiem parum curæ habuerit, neque sapientibus servilia præstare officia voluerit. Conf. quoque *Ligtfoot*. Op. T. II. p. 271.

[2] Etiam in habitu sanctitatem præ plebejis affectabant Math. XXIII. 5. Unde ad quæstionem: quisnam plebejus terræ dicendus? respondisse fertur R. Josua כל שאינו מניח תפילין *qui non aptat sibi Phylacteria*. Ben Assai vero: כל שאין לו ציצית בבגדו *qui filamina non gestat in veste sua*. Hine feminalia Sacerdotum accomparantur פמלניא של פרשים *feminalibus Pharisæorum* Vide *Cl. Braun. de Vestitu Sac. l. II. c.* 1. §. 14. Adde Kimch. ad Soph. 1. 8. cujus verba prostant in *B. Avi Thes. Philol. l.* 1. §. *V.* Tritum illud, ad quod Auctor provocat, desumtum e tract. חגיגה c. 11. §. ult. Quia autem sensus non adeo tritus, apponam glossam Bartenorianam. מדרס אב הטומאה לטמא אדם וכלים כמדרס הזב שמטמא אדם וכלים כדכתיב וכל אשר יגע במשכבו יכבס בגדיו Conculcatio hic notat *Patrem immunditiei, quo homo & vasa polluuntur, sicut conculcatio seminiflui polluit hominem & vasa, prout scriptum* Lev. XV. 5. quisquis tetigerit cubile ejus, abluet vestes suas, adeoque Pharisæi, qui vestes plebejorum contrectabant, habebantur ac si contrectassent calceum hominis seminiflui.

[3] Certum ortus Pharisæorum tempus designari nequit. Semina, quæ jam statim a Captivitate Babylonica jacta sunt, magis & magis creverunt, donec tandem ex iis religiosi, dicam superstitiosi, Pharisæi prognati sunt. Multum quidem dictum Antigoni Sochæi, quod ejus discipuli Zadok & Baithos in sinistram partem interpretabantur, ad utramque sectam Pharisæam & Sadducæam constituendam contribuit; sed an ejus ætate Pharisæi esse atque nuncupari incœperint, affirmari certo vix potest. Hoc ex Josepho certum, exstitisse jam tempore Jonathæ Pontificis Antiq. l. XIII. 9. Κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον τρεῖς αἱρέσεις τῶν ἰουδαίων ἦσαν, αἳ περὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων διαφόρως ὑπελάμβανον, ὧν ἡ μὲν φαρισαίων ἐλέγετο. *Hoc tempore tres Judæorum sectæ erant, quæ de rebus humanis inter se dissentiebant; una Pharisæorum secta &c.* Non ante, quantum novi, illorum diligentissimus scriptor meminit, nec etiam Josippon B. Gorion, sed sæpius post, veluti sub Johanne Hircano Vid. l. IV. c. *6.* 12.

[4] Frequens itaque hoc de dogmate inter Sadducæos & Pharisæos in Talmude contentio exstat. Quare Judæi moderni, Pharisæorum soboles, ut se ab illis distinguerent, dogma resurrectionis articulum fundamentalem posuerunt. Hinc in Cathechismo R. Abraham Jagel היסוד הי"ג הוא האמונה של זמן הקבוע והנודע לה' לבדו לא לזולתו יחיו המתים שכבר מתו ואיך דת ולא דבקות בדת יהודים למי שלא יאמין זה *Fundamentum decimum & tertium est fides, mortuos, qui jam mortui sunt, certo tempore, quod soli Deo notum nec alii cuiquam, ad vitam revocandos esse. Qui hoc non credit, ille neque Religionem, neque conjunctionem aliquam cum fide Judaica tenet*. Verum Pharisæi insuper docebant animam μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. Joseph. l. II. de B. l. c. VII. p. 788. Quo pertinet, quod quidam e Judæis dicunt אד"ם sive אדם, דוד, משיח *Adamo, Davidi, Messiæ*, per סוד הגלגול *mysterium revolutionis* eandem esse animam ab illo in istum & ultimo in hunc transiisse. Hanc tamen doctrinam non scripturæ, sed potius Philosophiæ Ægyptiorum, Pythagoræ debent, juxta quos

Morte carent animæ, semper priore relicta
Sede novis domibus vivunt.

Dogma resurrectionis mortuorum ex mente Judæorum prolixe & docte pertractavit Cel. Dassovius.

[5] Expositio Math. XVI. 14. ex μετεμψυχώσει depromi nequit. Non valet ratione Eliæ, nam nunquam mortuus: non ratione Jeremiæ, quem resurrexisse putabant Luc. IX. 19. non etiam ratione Johannis Baptistæ. Aliter credere debuissent Christum vel prius nullam animam habuisse, aut postea geminam.

[6] Hoc constat e Jure Judaico tr. חגיגה c. II. 5. נוטלים לידים לחולין *aqua manibus affundenda, quando cibus profanus comeditur*. Quia autem hæc generalia valde, factum ut variis lotionum obortis difficultatibus sequiori ætate constitutiones lotoriæ multiplicatæ fuerint, accurate vel si mavis, superstitiose aquam, ejus quantitatem, qualitatem, modum, vices, vasa, &c. describentes. Mirum sane Gentem sordibus animi adeo maculatam & sanguine conspersam tantam munditiei corporis curam habere, nullam animi non expetere מים טהרים *aquas puras* quæ a peccatis mundant Ezech. XXXVI. 25. Sed hæc in alio foro. Nunc ritus pertractans ea, quæ in *Schulchan Aruch ex Ord. Orach Chaiim const. de lot. man.* huc pertinent describo: כשיבא לאכול פת שמברכים עליו המוציא יטול ידיו אפילו אינו יודע להם שום טומאה ויברך על נטילת ידים אבל לפת שאין מברכים עליו המוציא כגון לחמניות דקות או פת הבאה בכסנין ואינו קובע סעודתו עליהם אין צריך נטילת ידים *Qui cibum comedere vult, cujus gratia dicenda est precatio* המוציא qui educis &c. *ille manibus aquam affundet, licet nullius immunditiei sibi conscius fuerit: simul benedictionem in aqua manibus affundenda solitam dicet. Hoc autem non necessarium, si propter cibum illum memorata precatio non recitanda est, veluti si fuerint crustulæ tenues aut placentulæ tostæ, quæ cœnam non costituunt*. Oratio, quam loturi dicunt, hæc est ברוך אתה יי' אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו על נטילת ידים *Benedictus sis Domine Deus noster, Rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis tuis atque aquam manibus nostris affundendam injunxisti*.

[7] Quanta sit Interpretum in voce πυγμῇ dissensio vel ea, quæ Auctor adfert, abunde docent. Provenit, illa partim ex ignorantia χειρολουσίας Judæorum. Satis luculento enim ex Marc. VII. 3. patet, intelligi ritum aliquem in lavandis manibus receptum. Credibiliter illum ipsum, quem *lib. cit.* paulo infra ita descriptum legimus, שיעור נטילת ידים כל היד עד קנה של זרוע ויש אומרים עד מקום חיבור האצבעות לכף היד וראוי לנהוג כדעה הראשונה *Integra manus usque ad calamum brachii aqua affunditur: Alii dicunt: nonnisi ad eam partem, in qua digiti cum vola manus conjunguntur. Ritus prioris sententiæ magis placet*. Tum aqua affusa manus convoluta alteram משפשפת *fricat*. Hac ratione πυγμῇ νίπτειν nihil aliud quam pugno alteram manum defricare. Favet significatus: πυγμὴ enim σύγκλεισις δακτύλων *pugnus* quomodo etiam LXX loco אגרוף adhibent Exod. XXI. 18. Es. LVIII. 14.

[8] Multoties de die, levissimis de causis ad χειρολουσίαν obligantur. Qui aqua destituti sunt, analogum quid illi substituere tenentur אם אין לו מים וקנח ידיו בצרור או בעפר ויברך על נקיות ידים *cui deest aqua, ille tenetur manus suas lapillis aut pulvere abstergere atque propter puritatem manuum preces fundere*; conf. insuper Schulch. Ar. p. 29. Vel qui annulos gestant, tempore lotionis illos deponere jubentur *Schulch. Tob. p.* 13. Nec quidquam interpositum aquam & carnem inter esse debet. Comedere χερσὶν ἀνίπτοις gravissimis accensent sceleribus atque præsentem adversus talem Numinis vindictam ajunt, quod ridiculo illo exemplo Judæi carnem suillam ex ignorantia comedentis, eo quod manuum lotionem intermiserit Chol c. 8. probare satagunt. De quo consule Buxtorfii Synag. Jud. c. XI. p. 239. edit. Basil. 1680.

[9] De hoc ritu accipe verba Maimon. tractat. רוצח ושמירת נפש c. IX. בית דין של אותה העיר עם כל זקניה אפילו הן מאה כולן רוחצין את ידיהן שם במקום עריפתה של עגלה ואומרים שם בתוך הנחל בלשון הקודש ידינו לא שפכו את הדם הזה ועינינו לא ראו *Consessus judicialis civitatis* (prope quam interfectus reperiebatur) *una cum omnibus senioribus, si vel centum fuerint, manus suas lavat illo in loco, ubi vitula decervicatur atque ibidem intra fluvium Lingua Hebraica confitetur in sequentem modum. Neque*

manus nostræ sanguinem hunc effuderunt, *neque etiam oculi viderunt*. Significativa quoque erat Sacerdotum rem sacram administrantium Exod. xxx. 21. ad quam David Pf. xxvi. 6. clare respicit.

[10] Male, quantum intelligo, Auctor *βαπτισμὸν* de mundatione totius corporis accipit Marc. vii. 4. Luc. xi. 38. Id neque vocabulum indicat: Nec additur *corpus* sive vox æquivalens. Potius ex nexu Marc. vii. 3. 4. patet manus Lotionis subjectum esse. Præprimis notatum volo Judæos non quavis de causa totum aquæ immersisse corpus, non redeuntes ex foro, nisi gravem aliquam contraxissent immunditiem. Et quæ ratio admirationis in Pharisæis Luc. xi. 38. quando ne ipsi quidem, traditionum Patroni, cibum sumturi integrum corpus aquæ immergere soliti sint? Est tamen discrimen inter *νίπτωνται* Marc. vii. 3. & *βαπτίζωνται* ℣. 4. Illud notat aquam manibus affundere: Hoc manus ingenti aquarum copiæ immergere. Illud vocant Magistri: נטילת ידים Hoc vero טבילה ידים. Quod discrimen clare reperitur tr. חגיגה. c. II. 5. נוטלין לידים לחולין ולמעשר ולתרומה ולקדש מטבילין *Quando cibum communem aut decimas vel Trumam comendunt*, *aquam manibus affundunt*: *sed pro re sancta immergunt*. Audi glossam Bartenorianam. לאכול שלמים וחטאת ואשם יש מעלה יתירה שצריך להטביל את הידים בארבעים סאה Immergunt scit. *quando comedunt de sacrificiis pacalibus aut pro peccato vel pro reatu. Est gradus major* (immersio quam affusio) *nam manus intingendæ copiæ aquarum*, *quæ XL. satorum est*. Unum autem satum continet tantum, quantum 144. ova. Minor longe mensura ad affusionem, de qua *Schulch. Ar.* ex Ord. Orach Chajim צריך שיהא במים רביעית *necesse est ut peragatur in quartario aquæ*, qui unius ovi & dimidii.

[11] Peccatores enim immundos agnoscunt, sive qui eam corporis immunditiem non curant, quam leges divinæ & humanæ agnoscunt. Dein cibos eorundem suspectos habent, de quibus Sacerdotibus, Levitis, pauperibus debita non solverunt. Egregie Maimon. tractat. טומאת אוכלים c. xvi. §. ult. אע"פ שמותר לאכול אוכלין טמאין ולשתות משקים טמאי' חסידים הראשונים היו אוכלין חולין בטהרה ונזהרין מן הטומאו' כולן כל ימיהם והן הנקראים פרושים ודבר זה קדושה יתירה היא ודרך חסידות שיהיה נבדל אדם ופורש משאר העם ולא יגע בהם ולא יאכל וישתה עמהם שהפרישות מביאה לידי טהרת הגוף ממעשים הרעים וטהרת הגוף מביאה לידי קדושת הנפש מן הדיעות הרעות וקדושת הנפש גורמת להדמו' בשכינה שנ' והתקדשתם והייתם קדושים כי קדוש אני ה' מקדשכם *Licet licitum sit & cibos immundos comedere atque humores immundos bibere*, *attamen prisci Assidæi cibum communem in puritate comedebant & toto vitæ tempore sibi ab omnibus immunditiebus cavebant*: *Hi appellantur Pharisæi*: *Id*, *qud diximus*, *sanctitas excellens & pientissima vivendi ratio*, *ut homo se separet a reliquo populo neque illum tangat vel edat aut bibat una*. *Etenim*, *si quis se ita separat*, *facit ut corpus suum a malis actionibus purgatum sit*. *Corporis autem mundities causatur sanctitatem animæ a pravis opinionibus*: *Sanctitas vero animæ nos DEO similes reddit*, *sicut scriptum est* Levit. XX. 7. 8. *Sanctificate vos & sancti estote*, *quia ego Jehova*, *qui sanctificavi vos*. Conf. Math. XV. 11. 17. 18. 19. 20.

[12] Nollem affirmare *παράδοσιν*, cujus vi secta Pharisaica bis singulis septimanis jejunare debebat penes Judæos exstitisse. Neque enim, quæ Pharisæus ille de se dicebat, statim de omnibus aliis verum. Hoc certum & ex scriptis Judæorum facile confirmatur, quod legitur Math. IX. 14. Pharisæos *νηστεύειν πολλὰ* nam præter plura stata Jejunia levi de causa arbitraria ordinabant. De gemino jejunio quavis septimana a Pharisæis celebrato non memini me apud quemquam legisse. Unus alterve sanctior pro se hanc vitæ austeritatem eligendi facultatem habebat.

[13] Dilatabant vascula quibus schedæ legales insertæ erant, atque ita solito majora gestabant: Dein probabiliter nodum ingentem, lorum propendens & latius & longius fecerunt, quo famam magni erga legem studii consequerentur.

[14] Phylacteria capitis Rabbini vocant תפילין של ראש Sed manus תפילין של יד Pauca solum de iis referemus. Plenam eorum Historiam desideranti consulimus lectionem Maimonidis, in peculiari tractatu de Phylacteriis &c. E Christianis legi possunt Cl. Surenhusius *in exposit*. *Tab*. *T*. *I*. Buxtorff. *Synag*. *Jud*. *cap*. *IX*. Wagenseillius *in Sota* Excerpt. Gem. cap. II. Sect. I. 10. De modo conficiendi Phylacterium capitis, qui simul formam nos edocet: כיצד עושין תפילין של ראש לוקחין עצ מרובע ארכו ורחבו כגבהו ואם היה גבהו יותר על רחבו או פחות ממנו אין בכך כלום ואין מקפידין אלא על ארכו שיהא כרחבו והופרין שלשה חריצין כדי שיעשה לו ארבע ראשים כגון זה ולוקחין עור ומרטיבין אותו במים ומשימין בו את העץ ומכניסין את העור בין כל חריץ ומכמשין אותו והוא רטוב מכאן עד שעושין בו דמות שין שיש לו שלשה ראשין מימין המניח תפילין ודמות שין שיש לו ארבע ראשין משמאל המניח *Quæ ratio conficiendi Phylacteria capitis? Sumendum est lignum quadratum*, *cujus longitudo*, *latitudo & altitudo æqualis est*; *si vero altitudo latitudine major aut minor*, *nihil refert*. *Id solum observare solent*, *ut longitudo latitudini correspondeat*. *Tum tres faciunt incisuras*, *unde exurgunt quatuor* (ligni) *capita hoc modo* (vide illud apud Wagenseil. *in Sota* l. c.) *Postea sumenda est pellis aqua macerata*, *cui lignum illud imponunt atque pellem in quamlibet incisuram immittunt*. *Præterea illam flaccidam reddunt vel potius corrugatam*. (Puto enim obtinere significatum Arabicum كمش *corrugata fuit pellis*. Codex MSC. Ex Hechajim Conf. Wagenseilii legit מכבש nisi error sit in Sota) *dum adhuc madida ab utroque latere*, *donec fecerint figuram literæ* ש *tribus capitibus constantem*, *quæ ad dextram induentis & dein figuram literæ quatuor apicum ad sinistram ejus*, *qui Phylacterium induit* (Postea pelliculam arefactam a typo ligneo abstrahunt, atque ædiculis pericopas legis (de quibus §. 23.) indunt. Modum induendi tr. c. c. iv. 1. ita describit. מניחין אותן על הקדקה שהוא סוף השיער שכנגד הפנים והוא המקום שמוחו של תינוק רופף בו וצריך לכוין אותם באמצע כדי שיהיו בין העינים ויהיה הקשר בגובה' העורף שהוא סוף הגלגלת *Phylacterium vertici*, *ubi pili capitis desinunt*, *apponunt nempe juxta faciem eo in loco*, *ubi cerebrum infantis se movet*. *Probe attendendum*, *ut in media* (frontis parte) *dependeat*, *quo inter oculos sit*: *Nodus vero in summitate cervicis ad alteram cranii extremitatem faciendus est*.

[15] Tradidimus modum conficiendi Phylacterium capitis: Nunc quoque de Phylacterio manus ex eodem Auctore §. 4. dicendum erit לוקחין עץ מרובע ארכו כרחבו ויהיה גבהו כאצבע או יתר על זה מעט או פחות מעט ומחפין אותו בעור רטוב ומנוחין את העור על האימום עד שייבש וחולץ את העור ומניח את ארבע הפרשיות במקום העץ ומחזיר מקצת העור מלמטה ותופרו מארבע פנותיו ומניחין מן העור תובר מקום הרצועה *Accipiendum est lignum quadratum ejusdem longitudinis & latitudinis*: *Altitudo vero digiti instar*, *plus minusve*. *Tum illud obducendum est pelle madefacta*, *quam tamdiu mustricolæ impositam relinquunt*, *donec arefacta sit*. *Postea pellis abstrahitur atque loco*, *quem lignum occupavit*, *quatuor Legis Pericopæ induuntur*. *Insuper pellis ab aliqua parte inferius convolvitur*: *Quatuor latera consuuntur*: *Relinquitur in pelle transitus loris*.

[16] Nullum dubium Christum quoque gestasse Phylacteria, si illa divinitus instituta sunt: De quo tamen controversia moveri solet. Mea *ἐπίκρισις* hæc est. Deum quidem in lege Phylacteria sive signa cultus sui in fronte & manibus gestanda præcepisse, sed posteriori ævo Sapientum consilio & auctoritate in hanc redacta fuisse formam, quam nunc conspicimus. Hæ probabiles rationes sunt 1. Quater Exod. XIII. 9. dein ℣. 16. Insuper Deut. VI. 8. Et XI. 18. a Legislatore præcipiuntur, iis quidem verbis, quæ præcepta ad literam exponenda esse docent, veluti Exod. XIII. 9. *Erit tibi in signum super manum tuam & in memoriale inter oculos tuos*. consimiliter ℣. 16. Deut. VI. 8. וקשרתם *& alligabitis ea in signum super manum tuam & erunt tibi* לטוטפות *inter oculos tuos*. Rursum c. XI. 18. Si figurate verba intelligenda essent, procul dubio Legislator in uno aut altero figuram exposuisset. Nec enim semel tantum hac de re mentem sua aperit. Legislatoris non est figurate loqui; Ejus enim interest, ut verba sua clare & distincte intelligantur, 2. אות *signum*, זכרון *memoriale*, & per consequens טוטפות quod respondet *memoriali*, in Scriptura usurpantur de signis externis, uti אות de iride, Gen. IX. 12. 17. circumcisione XVII. 11. זכרון de lapidibus humeralibus Exod. xxviii. 12. iis,

qui

qui miracolosum Israelitarum transitum per Jordanum posteris indicare debebant Jos. IV. 2.3. Nullam video causam, quo minus asseram signa talia Gentem Israeliticam, quæ tot similibus præceptis obedientiam debebat, gestasse. Hac ratione fortius ad cultum soli Deo, Creatori cœli & terræ testandum, Deut. VI. 4. legem jugiter mente expendendum, actionibus exprimendum admonebantur. Eadem prorsus ratio, quæ vestis fimbriarum & Mezuzæ Deut. VI. 9. 4. Phylacteria quoque gestabantur a Sadducæis & Karræis. Hi vero soli scriptæ Legi adhærent neque *πατροπαραδόσεις* amant. Solum in forma differunt, quam recentiorem lubens agnosco. 5. Addo Gentiles ævi Mosaici signis plurimum indicasse, quale Numen colant, num Molochum, num alium aliquem fictitium Deum; prudens admodum institutum, ut & veri cultores se, rejectis falsis Diis, famulos æterni Dei publice declarent, quod egregie confirmatur verbis, quæ inscribenda erant, ex quorum numero illa veluti Deut. *VI. 4. Audi Israel, Jehova Deus noster Jehova unus*. Exemplum de signis Idololatrarum *Maim. Mor. Nevoch.* l. III. c. 37. p. 159. 2. in הקפת פאת ראש ופאת זקן אסור, מפני שהוא תקון כומרי׳ עבוד׳ זרה Buxtorfius: *Circumdatio anguli capitis* (h. e. rasio comæ instar) *& anguli barbæ prohibita, propterea quod ita se radere & tondere solerent Sacerdotes Idololatrici*. Ex dictis explica Apoc. XIV. 1. 9.

[17] Ordo ab Auctore observatus est secundum Rabbenu Tam, Rabbenu Hai, & R. Abraham Bar David. Maimonidi, Auctori Ez Hechajimi sequens placet.

Ad sinistram induentis  Ad dextram induentis

Ab hac patre dependet lorum.

Unaquæque Pericopa peculiari membranæ inscribi solet. Aliter se habet cum Phylacterio manus, de quo Maimon. l. cit. כותבם בד׳ דפין בעור אחד ארוך כספ׳ תורה על סידורן בתורה כגון זה *Scribendum est in unica oblonga membrana quatuor distinctis columnis, eo ferme modo, quo legem scribunt; Ordo Pericoparum is, quem Sacræ Literæ observant*, scil.

קדש לי כל בכור	והיה כי יביאך	שמע ישראל יהוה אלהינו	והיה אם שמע

Invertit Auctor Ez Hechajim, & in columna והיה אם שמע ille legit קדש כי כל בכור Quem ordinem verba Maimonidis citata quoque poscere videntur. Eundem cerno observatum in Phylacterio, quod aliquando Amstelodami mihi comparavi.

[18] Quoniam Phylacteria lege præcepta sunt, nullum dubium illa publice gestata fuisse, nisi vis major aut irrisio Gentis, inter quam Judæi habitabant, obstiterit; Vide test. tr. שבת c. IV. f. XLIX. 1. *ap. Buxtorf. Synag. Jud.* c. IX. c. f. præprimis ab iis factum, qui singularem sanctitatem profitebantur Matth. XXIII. 4. Hodie, ne a Christianis irrideantur, nonnisi tempore precum in Synagogis induunt, aut iter facientes paulisper ab aliis recedunt & Phylacteriis ornati precantur vel si aliter fieri nequit, clam capiti & manui applicant & palliant.

[19] Nomina Hebr. sunt ציצית, גדילים & פתיל *Illud* ex coll. Ezech. VIII. 3. notat fimbriam, a qua fila dependent Maimon. tract. ציצית c. I. 1. ענף שעושין על כנף הבגד ממין הבגד הוא הנקרא ציצית מפני שהוא דומ׳ לציצית של ראש שנ׳ ויקחני בציצית ראשי *Ramus*, (h. e. *κράσπεδον*) *qui ad angulum vestis, ex eadem vestis specie confici solet, dicitur* ציצית *quoniam similis est cincinnorum fimbriæ, quemadmodum dictum* Ezech. VIII. 3. cepit me cincinno capitis mei. Istud fila contorta: Hic vero significatus ex locis Parallelis, praxi Judæorum & præprimis ex aliis Linguis Orientalibus probatur nam Chaldæis גדל *torsit instar funis* hinc גדילא *filum*. Similiter Syris & Arabibus. *Hoc* pariter *filum* Chald. חוטא quod idem. Quando Numer. XV. in fine cap. 39. exstat ונתנו על ציצית הכנף פתיל תכלת putem ציצית de *panniculo*, פתיל de filis hyacinthinis secundum legem, communiter albis ob defectum coloris hyacinthini, quæ a panniculo dependent, intelligendum esse.

[20] Nec non Matth. XIV. 36. Lxx. ad Num. XV. 39. *ποιησάτωσαν ἑαυτοῖς κράσπεδα ἐπὶ πτερύγιά τῶν ἱματίων αὐτῶν*. Christus Legi subjectus pariter ejusmodi fimbrias ab exteriori veste propendentes publice gestavit, unde in via Luc. VIII. 44. extra synagogam Matth. XIV. 33. ægroti illas tetigerunt. Aben Esra *in Comment. Num.* מצוה על כל מי שיש לו בגד בארבע כנפים שיתכסה בו ביום תמיד ולא יסירנו מעליו *Unicuique, qui vestem quadrangulam habet, præceptum, ut illa interdiu jugiter se amiciat neque deponat*. Hanc vestis partem præ alia forsan contrectarunt, quoniam sanctiorem credebant.

[21] Lex nihil de latitudine fimbriarum. Quod enim Auctor ex voce גדילים eruit, infirmum est. Omne hoc arbitrio Israelitarum relinquebatur. Sed probabile posteriori ævo communiter certam aliquam mensuram, ut panniculi, ita filorum, observatam fuisse; quam Pharisæi studio externæ sanctitatis excesserunt Matth. XXIII. 4. Maim. tr. ציצית c. I. 6. כיצד עושין את הציצית מתחיל בזוית של טלית שהיא סוף הארוג ומרחיק ממנה לא יותר על שלש אצבעות למעלה ולא פחות מקשר גודל ומכנית שם ארבעה חוטין וכופלן באמצע נמצאו שמו׳ חוטי׳ משולשים תלויין מן הקרן ואורך החוטים השמנ׳ אין פחות מארבע אצבעות ואם היו יותר על כן אפי׳ אמה או שתים כשרין *Quæ ratio κράσπεδα conficiendi? Incipiunt in angulo pallii, ubi textura desinit atque producunt plurimum per spatium trium digitorum, minimum per spatium, quale est articulo pollicis. Tum fila quatuor per fimbrias transmittunt, quæ in medio duplicata alia octo faciunt: Hæc dependent a limbo & minimum quatuor digitos longa sunt: Si vero memorata dimensione longiora extiterint, ita ut vel cubitum, aut etiam duos cubitos in longitudine habuerint, tamen recte se habet*.

[22] Nomina, quibus apud Talmudicos veniunt, ex textu, unde Auctor sua petiit, disci queunt, תנו רבנן ז׳ פרושי׳ הם פרוש שכמי פרוש נקפי פרוש קיזאי פרוש מדוכיא פרוש מה חובתי ואעשה פרוש מאהבה פרוש מיראה Wagenseillius: *Tradunt Magistri: Septem genera sunt Pharisæorum, Pharisæus Sichemita, Pharisæus allidens, Pharisæus venæ sector, Pharisæus pistilli, Pharisæus* (quærens) *quid teneatur & se id facturum* (pollicens,) *Pharisæus ex amore, denique Pharisæus ex metu*. Plura de his dabit nominatus Interpres in annot. Buxtorfius *Lex. Talm.* p. 1852. B. Avus *Thes. Philol.* l. 1. c. 1. §. 5.

[23] Hujus farinæ plerique in Historia Evangelica fuisse videntur qui accuratam legis observantiam crepabant Matth. V. 20. Luc. XVIII. 10. præprimis ille Matth. XIX. 16. Licet nomen Pharisæi non exprimatur, quæstio tamen satis ostendit, Insuper V. 20. *τί ἔτι ὑστερῶ* Talmudice diceres מה חובתי תו *quid præterea teneor?* Qualis quoque reperiebatur inter Judæos, uti quæ l. cit. sequuntur, evincunt: פרוש מה חובתי ואעשנה הא מעליתא היא אלא ואמר מה חובתי תו ואעשנה *Pharisæus* (quærens) *quid debeam facere atque faciam illud? Hoc bonum est. Sed* (*non,*) *qui dicit: quid insuper teneor & faciam illud*. Wagenseilius verba posteriora transfert (nempe de eo sermo, qui arroganter) *ad quid præterea teneor? inquit & faciam illud*. Perplacet responsio, quam Akibha Magistro suo R. Eleazari Pharisæo ad hanc quæstionem dedit כלום חיסרתי מן התורה כולה *An quicquam ex tota lege intermisi?* Tum discupulus לימדתני רבינו כי אדם אין צדיק בארץ אשר יעשה טוב ולא יחטא *Magister docuisti nos: Nullum hominem justum in terra dari, qui faciat bonum & non peccet*. Sanh. c. XI.

CAPUT UNDECIMUM.

De Sadducæis.

Sadducæi unde dicti.

I. QUOD attinet etymologiam hujus nominis, duæ sententiæ sunt, quæ verisimiles videntur. Quidam enim deducunt eam a צדק *Justitia*, quasi fuissent *justitiarii*, qui se coram tribunali Dei ausint justificare, *Epiph. lib.* 1. *cap.* 14. Alii derivant, & quidem solidiori fundo, a *SADOC*, primo hujus Sectæ autore; uti Arrianos ab Arrio, Pelagianos a Pelagio, Donatistas a Donato &c. ἀπὸ αἱρεσιάρχου Σαδὸκ ὀνομάζεται. *Theophyl.*

Tempus Sadoci.

II. Hic *SADOC* vixit sub *Antigono Sochæo*, qui secutus est Simonem Justum; fuitque discipulus *Antigoni*, lactatus doctrina *Pharisæorum*, etsi deinde descisceret ab eo, Sectamque *Sadducæorum* pareret, quum magnam cum hæresi *Dosithei* affinitatem communitatemque haberet: [1] propterea *Sadducæi* dicebantur esse γέννημα *fœtus Dositheanorum*; *Epiph. hær.* 14. item *Tertull. de præscript. cap.* 44. licet Dositheus post Christum esset in vivis, *Origen. contra Celsum*.

Differentia inter Sadducæos & Dositheanos. Causa sectæ Sadducaicæ.

III. Etsi autem insignis cognatio inter duas has hæreses intercederet, dissidebant tamen in re magni momenti. Dositheus scil. credidit resurrectionem mortuorum; Sadducæi negarunt eam; & sic per consequens Dositheani affirmabant omnes articulos, qui necessario ex illa resurrectionis fide fluunt. *Epiph. hær.* 13.

IV. *Causa* hujus Sectæ hæc fuit. Cum *Antigonus* doceret, nos Deo non debere obedire tanquam servos suis dominis, spe mercedis; [2] *Sadoc & Baithus* [3] discipuli ejus, intelligentes ipsum negare omnem futuram ἀνταπόδοσιν *retributionem*, præmiumve bona opera sequens, inde effinxerunt suam hæresin, negaruntque *resurrectionem mortuorum*, *seculum futurum*, *Angelos*, *Spiritus*. *Aboth. cap. I.*

Dogmata 1. Solum Pentateuchum Divinum agnoverunt.

V. Eorum *dogmata*, canones vel constitutiones fuerunt; 1. *Respuerunt Prophetas cæterosque Scripturæ libros*, [4] *excepto eo, tradidit arcano quodcumque volumine Moses*; ob quam rem Salvator noster confossurus errorem eorum de resurrectione mortuorum, argumenti sui telum non ex *Prophetis*, sed *Exodo* depromit cap. 3. 6. *Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi*. *Matth. XXII.* 32. *Vid. Joseph. Antiq. lib.* 13. *cap.* 18.

2. Rejecerunt omnes traditiones.

VI. 2. *Rejecerunt omnes traditiones*. *Elias in* ערך. Propterea nuncupabantur מינים *Minæi*, [5] h. e. *Hæretici*, respectu generalis oppositionis Pharisæorum & ipsorum. A. quia Pharisæi soli *Catholici* reputabantur. B. Quia Pharisæorum doctrina veritati propior erat. Sicque respectu oppositionis particularis; Cum aliqui conculcarent traditiones, aliqui inculcarent. Hinc etiam Sadducæis impositum est nomen קראים *Textuales*, *Scriptuarii*. *Drus. de* 3. *Sect. l.* 3. *cap.* 3. *pag.* 130.

3. Denegabant bonis operibus omne præmium in futura vita.

VII. 3. *Bonis operibus denegabant omne præmium in futuro seculo, malisque supplicium*; ob id Paulus, cognito unam partem in Synedrio esse Sadducæorum, alteram vero Pharisæorum, clamavit; *De spe & resurrectione mortuorum in judicium vocor*. *Act. XXIII*, 6.

4. Resurrectionem mortuorū.

VIII. 4. *Dicunt* μὴ εἶναι ἀνάστασιν νεκρῶν *non esse resurrectionem mortuorum*. *Act. XXIII.* 8. *Matth. XXII*, 23. *Luc. XX*, 27.

5. Permanentiam animarum post mortem.

IX. 5. *Asserebant animas hominum in morte annihilari*. *Joseph. de bello Jud. l.* 2. *c.* 12.

6. Existentiam Angelorum & & Spirituum.

X. 6. *Negabant existentiam Angelorum & Spirituum*. *Act. XXII*, 8. [6]

7. Tollebant omne fatum.

XI. 7. *Tollebant penitus omne fatum & providentiam*, dominium totum libero hominis arbitrio deferentes. *Joseph. l.* 13. *c.* 9.

Discrepantia Samaritanorum & Sadducæorum.

XII. *Samaritani & Sadducæi* valde affines sibi erant, discrepabant tamen; nam 1. *Samaritani* sacra perficiebant in templo montis *Garizim*, [7] *Sadducæi in Hierosolymitano*. *Epiph. tom.* 1. *lib.* 1. *hær.* 14. 2. *Samaritani non utebantur familiariter* [8] *Judæis*. *Joh. IV*, 9. Imo mutuum odium adeo Samaritanorum Judæorumque animos inflammaverat, ut Judæis non liceret edere aut bibere cum Samaritanis. *Quomodo tu Judæus quum sis, potum a me poscis, quæ tamen sum fœmina Samaritana? Joh. IV*, 9.

Ex Samaritanis non recipiebant proselytos ob odium.

XIII. Et cum omnibus gentibus facultas esset concessa & libertas accedendi ad Judaismum & proselytismum, solos tamen Samaritanos ea libertate ferale Judæorum odium indignos censebat. Id liquet ex solenni ista anathematizatione, quæ dicitur: *Excommunicatio in secreto nominis tetragrammati*. *Drus. de trib. sect. lib.* 3. *cap.* 11. Forma ejus, uti illa in Samaritanos (prout ajunt) a Nehemia & Esra fulminata est, ita se habuit: *congregant totum populum in templo Domini, adducentes* 300 *Sacerdotes*,

300.

300 tubas, & 300 codices legis, totidemque cantores; resonantibus tubis cantantes Levitæ devovent Samaritanos, omnis generis execrationibus, in secreto nominis tetragrammatis Jehovah, & in decem præceptis, & cum execratione sublimioris domus judicii, & quoque cum execratione inferioris domus judicii, ne quis comedat panem Samaritani (hinc inquiebant, eum, qui vesceretur pane Samaritani, similem esse illi, qui vescitur suilla) *nec permittatur Samaritanus fieri proselytus in Israele, adeoque portionem habere in resurrectione mortuorum*. *R. Gerson* interdixit reclusionem epistolarum sub pœna hujus anathematis. *Buxtorf. Epist. Hebr. p. 59.*

XIV. Hoc statuminat ea, quæ præmissa sunt, scil. nullum vitæ usum commerciumve inter Samaritanos & Judæos fuisse: Sadducæi autem fruebantur familiari consuetudine aliorum Judæorum, ac Pharisæorum quoque, in idem Synedrium cum ipsis asciti. Act. XXIII, *6*.

XV. Conveniunt autem Samaritani & Sadducæi in hisce: 1. *In rejectione omnium aliarum constitutionum*. 2. *In rejectione omnium aliarum Scripturarum præter libros Mosis*. 3. *Inficiatione* 9 *resurrectionis, & consequentium exinde, futuræ pœnæ, & præmii secundum hominis opera*. Samaritani vero contra Sadducæos existentiam Angelorum tuebantur. Ad majorem fidem hujus consensus, & dissensus inter eos *lege Epiphanium Hær. 9. & 12.*

Convenientia eorum item.

XVI. Quod attinet *Samaritanos*, tres mutationis gradus in ipsorum religione observatu digni sunt. 1. Coloni, quos Salmanasser in Samariam deduxerat, Israele in Assyriacam captivitatem misso, colebant Deos suæ gentis 2. Reg. XVII. 24. 2. Videntibus se interfici a leonibus, quum non vererentur Jehovam, submisit Rex Assyriæ unum ex Sacerdotibus captivis, ut illos imbueret vero Dei cultu: quem cultum etsi reciperent, nolebant tamen valedicere patriæ idololatriæ, sed mista & confusa utraque religione & Deo vivo & mutis suis idolis procumbebant [10] 3. *Manasse* frater Jaddi Pontificis Hierosolymitani, ducta in matrimonium filia *Saneballathi Horonitæ*, mandato Nehemiæ de dimittendis mulieribus peregrinis eo angustiæ redactus, ut vel uxorem, vel spem Sacerdotii abjicere deberet, ope Saneballathi potestatem nactus est ab Alexandro Magno exstruendi templum in Garizim, monte Samariæ altissimo; ad quod deinde plurimi apostatarum Judæorum confugientes Pontificatum Manassæ arrogarunt. Tum erupit Secta Samaritanorum, quos inter & Judæos postea novercale odium arsit; tum apertum est asylum & præsidium factum omnibus prioribus erroribus. *Joseph. Antiq. lib.* 11. *c.* 8. De hoc monte sermocinatur Samaritana illa mulier. Joh. IV., 20. *Patres nostri in hoc monte* προσεκύνησαν *adorarunt &c.* Ubi dogmata Pharisæorum cum doctrina Sadducæorum contulerimus, clarescet διαστολὴ *oppositio* insignis inter ipsos, qui tamen uniti Christum aggrediuntur. Marc. XII.

Samaritanorum tres mutationis gradus. 1. 2.

XVII. Quamvis autem hæc Secta inter Judæos crassissima fuerit, suos tamen habuit amicos & buccinatores inter ipsos Pontifices. *Johannes Hircanus* Sadducæus fuit; *Gorionides cap. 29.* Ipsiusque filii *Aristobulus Alexander*, ut & *Ananus* junior, hujus Sectæ erroribus fuere incrustati, sic ut ipsam Mosis cathedram pestifera errorum hæresiumque contagio corrumperet. *Euseb. lib. 2. cap. 23. ex Joseph. Antiq. l. 10. c. 18.*

Sadducæis quoque favebant Pontifices.

NOTÆ AD CAPUT UNDECIMUM.

Annot. [1] Quæ hic notanda sunt, non meis sed Rev. Buddei verbis *Introd. ad Hist. Philol. Ebræor.* p. 68. utar. Nonnulli Dositheanos cum Sadducæis confundunt, perperam quidem, licet forte eorum dogmata in quibusdam inter se convenerint. Sed probe notandum duos fuisse Dositheos, quorum unus Apostolorum tempore vixit, alter autem ante Christum natum. De hoc loqui videtur Epiphanius *hæres. XIII.* Tertullianus *de præscript.* c. XLV. aliique qui aut Sadducæos cum Dositheis confundunt, aut illos γέννημα seu fœtum Dositheanorum vocant. Illius tamen etiam, qui tempore Apostolorum vixit, asseclæ talia docuerunt, quæ ad dogmata Sadducæorum prope accedebant. Namque inter alia resurrectionem illos negasse, mundum incorruptibilem, animam corruptibilem asseruisse, nec aliud dæmonum genus, quam Idola seu simulachra agnovisse ex Eulogii decreto contra Dositheanos promulgato constat, quod Photius excerpit *Bibl. Cod.* 23. add. Stephanus le Moyne in *Notis ad varia sacra* p. 1099. Casaubonus contra Baronium *Exercit. I. n.* 8.

[2] Dictum integrum ita sonat: אל תהיו כעברים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעברים המשמשין את הרב שלא על מנת לקבל פרס *Ne sitis ut servi, qui Dominis suis ea serviunt conditione, ut mercedem accipiant: Estote autem servi, qui non serviunt sub conditione, ut mercedem reportent.* tr. פרקי אבות c. 1. 3. Annotator Lippmanus observat Antigonum Sochæum non prohibitum censuisse, si quis intuitu mercedis Legi vacasset, sed solum Servum, qui ex amore Dei & legum sanctissimum Numen colit, longe nobiliorem declarasse וראי המשמשין על מנת לקבל פרס עברים הם אבל אתם אל תהיו כמותן אלא גדולים מהם ועבדו מאהבה בלבד *In confesso est, illos quoque servos dicendos esse, qui serviunt ut mercedem consequantur. Vos autem ne sitis tales, sed longe præstantiores, qui ex amore tantum serviunt.* Hæc mire illustrabuntur ex Maimon. tract. תשובה cap. x. 1. &c. אל יאמר אדם הריני עושה מצות התורה ועוסק בחכמתה כדי שאקבל כל הברכות הכתובות בה או כדי שאזכה לחיי העולם הבא ואפרוש מן העבירות שהזהירה תורה מהן כדי שאנצל מן הקללות הכתובות בתורה או כדי שלא אכרת מחיי העולם הבא אין ראוי לעבוד את השם על הדרך זה שהעובד על דרך זה הוא עובד מיראה ואינה מעלת הנביאים ולא מעלת החכמים ואין עובד ה' על דרך זה אלא עמי הארץ והנשים והקטנים שמחנכין אותן לעבוד מיראה עד שתרבה

שתרבה דעתו ויעבוד מאהבה העובד מאהבה עוסק בתורה ובמצות והולך בנתיבות החכמה לא מפני דבר בעולם ולא מפני יראת הרעה ולא כדי לירש הטובה אלא עושה האמת מפני שהוא אמת וסוף הטובה לבא בכללה ומעלה זו היא מעלה גדולה מאד ואין כל חכם זוכה לה והיא מעלת אברהם אבינו שקראו הק"בה אוהבו לפי שלא עבד אלא מאהבה והיא המעלה שצונו בה הק"בה על ידי משה שנ' ואהבת את ה' אלהיך ובזמן שיאהוב אדם את ה' אהבה הראויה מיד יעשה בל המצו' מאהבה *Nemo dicat : En impleo præcepta Legis atque operam do sapientiæ ut reportem omnes benedictiones in Lege scriptas aut ut consequar vitam futuram, sive cavebo mihi a transgressionibus lege prohibitis, ut eripiar a maledictionibus Lege scriptis aut ne excindar a futura vita. Minus conveniens ut Deo hac ratione cultus præstetur, nam qui ita Deum colit, colit ex metu, quomodo neque Prophetæ neque sapientes servierunt. Nemo ita Deum colit, nisi plebeji, fœminæ, minorennes, quos ita initiant ut timore servitium Deo præstent donec in cognitione crescant atque tum ex amore ipsi serviant. Qui Deum ex amore colit, ille in lege occupatus atque præceptis, incedit in semitis sapientiæ non propter rem mundanam aut metum mali neque ut bonum hæreditet sed ideo verum facit, quia verum est & tandem bonum in summa ejus ipsi accedet. Hic autem gradus excellens est, quo non omnis sapiens ascendit. Estque gradus Abrahami Patris nostri, quem Deus ἐυλογητὸς amicum suum appellat, quoniam ipsi ex solo amore serviit: Hic quoque a Deo nobis inculcatus per Mosen Deut. VI. 5. Diliges Jehova Deum tuum. Quando autem homo Deum convenienti prosequitur amore, ille omnia præcepta amore impulsus præstabit.* Hinc patet discipulos verba, quæ in bonam partem interpretanda sunt, in pessimam exposuisse atque inde conclusisse nullam operum mercedem exspectandam esse.

3 De Baithoso incerta plura referuntur: Nec ea sibi apprime conveniunt, quæ ipsi Judæi habent. Ipsum condiscipulum Sadoci præter Maimonidem Lippmanum aliosque R. Obad. d. Bart. facit. כמו שקרה לאנטיגנוס איש סוכו עם צדוק וביתוס תלמידיו שאמר להם אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לשבל פרס ואמרו הם אפשר פועל עושה מלאכה כל היום וטורח ולערב אינו מקבל פרס ויצאו מן הדת הם ותלמידיהם ונקראו צדוקים ובייתוסים עד היום *Prout contigit Antigono Sochæo cum Sadoc & Baithos discipulis suis: dixerat enim ad illos: Ne sitis ut servi, qui serviunt Dominis, quo recipiant mercedem. Tum illi: An potero tota die laborare & defatigari & tamen vespera adveniente nullum accipio præmium. Reliquerunt itaque una cum discipulis suis (pristinam) Religionem atque ad hoc tempus vocati sunt Sadducæi & Baithosæi.* De Sadducæis res clara est: Non item de Baithosæis. Quia enim alia monumenta de illorum progressu dogmatibus &c. deficiunt, meræ conjecturæ sunt. R. Gedalia *Schal. Hakkab.* p. 104. Sadducæos Baithosæis pejores dicit. Alii forsan non sine omni ratione Essenos eosdem cum Baithosæis habent. Nomen facile id admittit: Ita quoque ratio dari potest, quare Josephus Baithosæos non memoret & quare Magistri silentio prætereant Essenos: scilicet eandem sectam variato nonnihil nomine exprimunt. Conf. B. Avi *Thesaur. Philol. l. I. c. I. §. V.*

4 Cum Auctore olim plurimi judicarunt Sadducæos solum Pentateuchum ceu librum Canonicum agnovisse. Ex quo tamen hæc studia majori cura tractata sunt, numerus Patronorum hujus sententiæ valde imminutus. Observarunt enim Viri Docti Christum, qui quandoque cum Sadducæis disputavit, illos hujus enormis erroris non accusare. Imo nequidem Pharisæos, qui alioquin minima quæque in Sadducæis reprehendunt, vel iis nova, quæ pro suis non ducunt, etiam affingunt. Contrarium potius e concertatione, quæ Rabban Gamalieli cum Sedducæis intercessit, liquet. Sanh. Gem. c. XI. §. 11. *juxta edit. Coccej.* שאלו צדוקין את רבן גמליאל מנין שה"בה מחיה המתים אמר להם מן התורה ומן הנביאים ומן הכתובים ולא קיבלו ממנו מן התורה דכתיב ויאמר י"י אל משה הנך שוכב עם אבותיך וקם אמרו ליה ודילמא וקם העם הזה וזנה מן הנביאים דכתיב יחיו מתיך נבלתי יקומון הקיצו ורננו שוכני עפר כיטל אורות טלך ודילמא מתים שהחיה יחזקאל מן הכתובים דכתיב וחכך כיין הטוב הולך לדודי למישרים דובב שפתי ישנים ודילמא ריחושי מרחשן שפותיו בעלמא Interprete cel. Coccejo. *Rogarunt Sadducæi. R. Gamalielem undenam probaret Deum mortuos resuscitaturum? Is respondit. Ex lege, ex Prophetis & ex Hagiographis. At hi non acquieverunt. Ex lege.* Q. D. Deut. XXXI. 16. Et dixit Dominus Mosi. Ecce tu cubans cum patribus tuis & surgens. *Replicarunt isti: Annon hoc ita* exaudiendum. *Et surgens populus hic scortabitur? Ex prophetis. Q. S. E.* Es. XXVI. 19. Vivent mortui tui, resurgent cadavera mea, expergiscimini & cantate, habitantes pulverem. Nam ros olerum ros tuus est. *At forte id pertinet ad mortuos, quos Ezechiel vivificarit. Ex hagiographis.* Q. S. E. Cant. VII. 10. Et palatum tuum sicut vinum optimum, manans amico meo in rectitudine, quod facit loqui labia dormientium. *At forte*, ajebant illi *labia motitando motitabuntur profecto*. Necessitudo quoque, quæ erat Pharisæos inter & Sadducæos in Templo, synedrio &c. pariter poscere videtur illos in Canone scripto convenisse, licet in expositione in diversa abiverint. Etiam tempus, quo Sadducæi orti, quo scilicet Canon Scripturæ jam obsignatus erat. Ex adverso nulla probabilis, nedum firma, ratio ab opinione Auctoris stat. Christus argumentum resurrectionis desumsit e phrasi fœderali: *Ego sum Deus Abrahami* &c. Fortius enim vix datur: Nam impossibile est ut Deus sit Deus alicujus & ille, cujus Deus, æternum a morte detineatur. Argumentum quod ob firmitatem suam etiam Pharisæis adversus eosdem adversarios placuit. Vide Ligtfoot. Op. T. II. p. 355. Nihil minus quam quod Josephus cum Auctore faciat, quemadmodum integra ejus verba probabunt. Ant. I. XIII. c. 18. p. 453. *νῦν δηλῶσαι βούλομαι ὅτι νόμιμα πολλὰ παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωυσέως νόμοις. Καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει λέγον ἐκεῖνα δεῖ ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ' ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. Nunc animus est indicare Pharisæos multas constitutiones a Patribus acceptas populo tradidisse, quæ in libris Mosis haud scriptæ sunt. Quare Sadducæi has rejiciunt atque ajunt illa, quæ scripta sunt, pro legibus habenda esse, non item, quæ ex traditione.*

5 Raschius ad Rosch, Haschanaf XVII. 1. Minim sunt האישים אשר הפכו דברי אלהים לרעה כמו צדוקים ובייתוסים *homines, qui pervertunt verba Dei in malum, quales fuerunt Tzadokim & Baithosæi*. Non ita tamen de Sadducæis usurpatur, ut aliis Hæreticis non competat. *Minim* sunt, qui aliam מין *speciem*, Religionem a Catholica profitentur. Primi hoc nomine notantur, de quibus tr. ברכות cap. ult. §. ult. בל חותמי ברכות שהיו במקדש היו אומרים מן העולם משקלקלו המינין ואמרו אין עולם אלא אחד התקינו שיהיו אומרים מן העולם ועד העולם *In omnibus benedictionum clausulis in sanctuario dicere solebant a seculo. Ex quo corruptelas invexerunt Minim* Hæretici, *unicum tantum seculum asserentes, dicendum statuerunt*, a seculo in seculum. Hi cum Sadducæis, ætate licet posterioribus, conveniebant conf. *glossam Barten.* ad h. l. Eorum forsan meminit Malach. III. 18. Cæterum clausula benedictionum in N. T. quoque pluraliter efferri solet Matth. VI. 13. Rom. XI. 36. XVI. 27. Judæ v. ult. ad errorem Sadducæorum & qui cuum iis errabant, eximendum.

6 * Simplicissimum est ut per *πνεύματα animas* hominum a corpore distinctas Joh. XIX. 30. 1. Cor. V. 5. & *ἀγγέλους* Angelos intelligamus. Si vero alicui lubet aliorum quoque sententias nosse, is ex Reizio cognoscet.

7 De variis contentio erat inter Samaritanos & Judæos: Non tamen gravior, quam de loco cultus. Illi montem *Gerizim* aut *Garizim* in tribu Ephraim; Hi vero, nec sine ratione, montem Moriah genuinam cultus sedem affirmabant, vide Joh. IV. 20. 21. 22. Luc. IX. 52. 53. quæ clariorem lucem accipiunt e satis noto testimonio *Bereschit Rabba* Parasch. XXXII. רבי יונתן סלק למצליה בירושלים עבר בהדין פלטנוס והמותיה חד שמריי אמר ליה להיכן את אזיל אמר ליה למיסק למצלי בירושלים אמר ליה לא טב לך למיצלי בהדין טורא בריכא ולא בההיא ביתא קלקלתא *Rabbi*

* Angeli sunt juxta Scripturarum Idioma Spiritus administratoriis, hujusmodi officium animæ convenire absurdum est dicere, cum Spiritus sit nomen naturæ, Angelus officii, unde anima vere dicitur Spiritus, quia vero caret Angelico ministerio Angeli nomine gaudere non potest.

bi Jonathan Hieroſolymam ad adorandum profectus iter fecit per iſtum Platanum (ex Conjectura Cel. Relandi eſt vox Græca quaſi πελήθυ ναὸς *ſtercoreum delubrum Tom. I. diſſ. III.* §. 3.) *Quem cum vidiſſet Samaritanus quidam , interrogavit : Quo abis? Abeo ut Hieroſolymis adorem . Tum Samaritanus : Præſtaret , ut adores in hoc monte benedicto , quam in domo iſta maledicta .*

[8] Noli de omni commercio intelligere , quaſi nullum interceſſerit Samaritanos inter & Judæos . Res aliter ſe longe habet vid. *Ligtfoot*. Op. T. II. p. 614. b. Neque circumſtantiæ aliud docent , quam Chriſtum aquam a fœmina Samaritana petentem contra conſuetudinem Judaicam egiſſe : Judæos ob odium verſus Samaritanos non potum vel cibum aut ſimile quid a Samaritanis petiiſſe . Hoc vero tum verbum συγχράομαι tum alia ex Hiſtoria Judaica probant . Illud notat *utendum* , *fruendum rogare* : aut potius *mutuo rogare* , quomodo Lxx. χράομαι uſurpant pro Hebr. שאל 1. Sam. II. 20. *det tibi Dominus ſemen de muliere hac* תחת השאלה אשר שאל ליהוה ἀντὶ τοῦ χρέους , ὃ ἔχρησας τῷ κυρίῳ *pro petitione , quam rogaſti a Domino* . Rurſum Exod. XII. 36. *Deus dedit gratiam populo coram Ægyptiis* וישאלו ממצרים καὶ ἔχρησαν αὐτοῖς , Convenit cum quæſtione illa in *Hieroſ. Avod. Zarah.* f. XLIV. 4. *Cuthæi Cæſarienſes interrogarunt R. Abbu. Patres veſtri* מסתפקין συγχρῶντες *patribus noſtris ; Quare igitur non vos pariter nobis?* familiarius una vivebant cibum & potum invicem dantes & accipientes conf. Deut. II. 7. Hoſ. XIII. 5. Gen. XIV. 22. *ap. Interpr. Chald.* Non item tempore Chriſti & poſtea . Hinc Raſchius ad ſota c. III. *Cuthæi* כותי אסור לאכול פתו ולשתות יינו *ſive Samaritani panem edere & vinum bibere prohibitum eſt* . Qui vero contra agebat , ille ad teſtandum inidoneus habebatur . Vid. Coccejum *in Not.* II. ad c. 3. tr. Sanh.

[9] Samaritanos , qui Cuthæi uſitate a Magiſtris vocitantur , ante Captivitatem Babylonicam mortuorum reſurrectionem inficiatos fuiſſe , admodum credibile eſt . Non item poſteriori ætate , qua illis plurimi Judæi , iique non indocti , permiſcebantur . Quando igitur Epiphanius *lib. de Hæreſ.* 1. illos hujus erroris accuſat , credibile illum a Judæis , hoſtibus gentis Samaritanæ , qui vel malitia vel errore aliquo Sadducæos & Cuthæos confundebant , hauſiſſe : Alias luculenta ſatis veſtigia de hac Samaritanorum fide cernuntur . Palmarium eſt , quod B. Avus de illis e Chronico Bibliothecæ Mazarinanæ refert , quando de reſurrectione ita loquentes producit : *Reſurrectio unum eſt ac præcipuum ex Religionis fundamentis & una ex ejus baſibus : In diſſert. Theol. Phil.* Confer inſuper *Cel. Relandi diſſert. de Samarit.* T. II.

[10] Idem ferme de Idololatria Samaritanorum judicium ferendum erit : Neque enim incurſibus Leonum , (unde *Proſelyti Leonum* nominari ſolent) ad veram Religionem permovebantur . Verum non credendum eſt Manaſſem , alioſque ex gente Judaica ad caſtra Samaritanorum defeciſſe , ſi illo adhuc tempore fictitiis Idolis cultum exhibuiſſent aut minimum in cultu Idololatrico ſe perſiſtere velle dixiſſent . Deterior quidem Samaritanorum præ Judæis de Meſſia notitia Ioh. IV. 22. erat , ſed inde non ſequitur , illos nullam prorſus Meſſiæ notitiam habuiſſe atque in fœdiſſimam prolapſos fuiſſe Idololatriam , quemadmodum Judæi memorant R. Obad. de Bart. tr. ברכות c. VII. 1. בדקו אחריהם ומצאו להם דמות יונה בראש הר גריזים שהיו עובדים אותה (Quando) *ad illos curatius attenderant , invenerunt ſimulachrum columbæ in vertice montis Garizim , cui cultum facere* . Columba ſimplicior ſit oportet , qui hac illorum fabula capitur .

CAPUT DUDECIMUM.

De Eſſenis .

Origo nominis Eſſenorum ſeu Eſſæorum.

I. **D**IVERSÆ ſunt etymologiæ nominum *ESSÆORUM ſeu ESSENORUM ;* Eam ſententiam plurimum facio , quæ derivat eos a Syriaca voce אסא *Aſa* , θεραπεύειν *ſanari mederi* . Hinc viri toties vocantur θεραπευταὶ & fœminæ θεραπευτρίδες . *Joſeph. de bello J. lib.* 2. *cap.* 12. *p.* 786. Licet enim primario operam darent Sacris Literis , ſe tamen totos *Medicinæ* ſtudio applicuerunt .

Eſſenorum duæ ſpecies.

II. Horum Eſſenorum duæ fuerunt ſpecies θεωρητικοὶ , qui *ſpeculationibus* animum paſcebant , & πρακτικοὶ , qui huic *arti* , in qua eximii erant , quotidie ſedulo manus operamque ſuam tradebant . De his poſterioribus agit *Philo lib. quod omnis vir probus &c.* De prioribus , *libro ſeq. de vita contemplativa* .

Convenientia dogmatum cum dogmatibus Pythagoricorum. 1. Ratione communionis bonorum.

III. *Dogmata* , conſtitutioneſque ipſorum ut plurimum congruunt cum doctrina *Pythagoræ* . [1] Quamobrem animus eſt , primo proferre dogmata *Pythagoræ* & deinde rem *Eſſæorum* perſequi . In his ergo conveniunt .

IV. 1. *Pythagorici docebant communionem bonorum* . *Aul. Gel. lib.* 1. 9. Item *Laert. in Pythag.* Κοινὰ τὰ φιλῶν εἶναι . Commune marſupium habebant etiam *Eſſeni* , æqualiter divites , paupereſque . *Joſeph. l.* 18. *c.* 2. Ex hoc communi theſauro ſuo quiſque defectui conſulebat , injuſſu aliorum quoque neceſſitatibus ſuccurrens ; ſolos cognatos abſque inſpectorum conſenſu juvare nefas eſt . Inter ſe neque vendunt , neque emunt , ſed alter alterius defectum complet . Permiſſum eſt , alterum ab altero , quo deſtituitur , petere citra commutationem , Mutuum ſibi ſervitium præſtant , quum dominium & ſervitium , vigente bonorum communione , conſiſtere nequeant ; ſervique plerumque fortunas dominorum ſuorum arrodant ac minuant , juxta dictum hoc R. Gamalielis : מרבה עבדים מרבה גזל *multiplicans ſervos multiplicat raptores* . *Pirke Aboth. c.* 11. 7. Peregre euntes nihil niſi arma , quibus vim propellant , aſſumunt , quocunque enim vel oppido vel pago ſunt , ſocietati Eſſenorum ſe adjungunt , atque ibidem tanquam membra ſuſtentantur . Præterea ſi *Joſephum* attente legimus , obſervabimus Eſſenos cujuſvis urbis coiviſſe in communem ſocietatem ſive collegium , quod , ubicunque fuit , duas miniſtrorum ſpecies habuit . Primo *theſaurarios* , qui com-

communis gazophylacii, victus, potus, aliarumque rerum ac necessitatum curam gerebant. Secundo *alios*, quibus hospites peregrini e grege suo commendati erant.

2. Abstinentiæ a vitiis & luxuria.

V. 2. *Pythagorici vitia & instrumenta luxuriæ evitabant. Justin. lib.* 20. *c.* 4. sic & *Esseni*. [2] *Joseph. de bello Jud. lib.* 2. *c.* 12. Huc referendum est, quod oleum adeo fugiebant, ut, si quis incautus eo adspersus fuerat, extemplo detergerent.

3. Vestium albarum.

VI. 3. *Pythagorici amabant vestes albas. Suid. item Ælian. de var. hist. lib.* 12. *c.* 32. Ita & *Esseni* amicti incedebant indumentis candidis, [3] non ultra decorum & modestiam pretiosis. *Joseph. de B. J. lib.* 2. *c.* 12. Ubi vestem sumpserunt, non mutarunt eam, nisi longus usus eam attrivisset.

4. Juris jurandi.

VII. 4. *Pythagorici jurejurando interdicunt*; *Laert. in vit. Pyth.* Sic *Esseni*. *Phil. Judæus*. Eum insignem nugatorem & mendaciorum propolam esse censebant, qui jurejurando fidem sibi parare deberet [4]

5. Venerationis erga seniores.

VIII. 5. *Pythagorici eximie venerabantur suos Seniores, Suidas & Laert.* Sic *Esseni*. *Joseph. de B. J. lib.* 2. *cap.* 12. Totum corpus sive sodalitium Essenorum dispescuerant εἰς μοίρας τέσσαρας *in quatuor ordines* secundum ætatem; jam si quis ex ordine primo attigerat alium ex ordine ultimo, se contaminatum pollutumque reputabat, ac si Paganum atrectasset.

6. Haustus aquæ.

IX. 6. *Pythagorici aquam potabant. Suidas.* Ita *Esseni* meram aquam bibentes, a vino omni alieni erant. *Philo de vit. contempl.*

7. Sacrificiorum inanimatorum.

X. 7. *Pythagorici utebantur* θυσίαις ἀψύχοις *sacrificiis inanimatis* [5] *Laert. in vit. Pythag.* Sic *Esseni*. Dona templo submiserunt, nullum sacrificium offerrentes; Quoniam pluris fecerunt sacram suam aquam quam sacrificia; ob quam rem reliqui Judæi ipsos e limine templi arcuerunt. *Joseph. Antiq. l.* 18. *c.* 2.

8. Fati.

XI. 8. *Pythagorici statuminabant fatum in omnibus rebus. Suidas. Sic Esseni. Joseph. Antiq. lib.* 13. *cap.* 9. Tres hæreses in hoc aphorismo differunt. Ex mente *Pharisæorum*, fatum quædam, quædam arbitrii libertas gubernat. *Esseni* cuncta subdunt fatali necessitati, nihil arbitrio libero. *Sadducæi*, rejecto fato, arbitrii libertatem omnium humanarum rerum moderatricem statuunt.

9. Silentii primis annis.

XII. 9. *Pythagoricis non concessum fuit verba facere in schola quinque primis annis*; quod quinquennale silentium a Pythagora suis auditoribus indictum vocabant ἐχεμυθίαν ab inhibendo sermone. Sic initiati fuerunt per quinquennale silentium, nec prius in conspectum & præsentiam Pythagoræ admissi. *Laert. in Pyth.* Huc referimus silentium *Essenorum*, quo mussabant accumbentes, cum decem simul sedentibus nemo loqueretur invitis novem. *Drus. de* 3. *sect. lib.* 4. Non fuit ipsorum mos loquentem interstrepere; sed vel capitis manusque nutu, vel digiti erectione, vel capitis motione, aliisque istiusmodi mutis signis aut fastidium suum, aut dubitationem, aut approbationem &c. indicare.

Essenorum initiatio.

XIII. Referri quoque potest ad quinquennale Pythagoræorum silentium Essenorum *initiatio*; eam non statim quis ad societatem eorum admissus est plena libertate, sed quatuor annis probandus fuit. Primo anno accipiunt *dolabellam*, qua commodum locum exonerandæ alvo egerunt; περίζωμα *subligaculum*, quo lavantes utuntur & *vestem* niveo candore nitentem, qua hæc Secta præprimis capitur. *Joseph. de B. J. lib.* 2. *c.* 12. Hoc temporis fluxu familiaribus consuetudinibus, extra tamen commune triclinium, utebantur. Secundo anno datur ipsis sacrarum rerum communio, earumque instructio. Sequentibus duobus annis plena potestate admissos, observantiamque Essenorum legibus & constitutionibus jurejurando sancte pollicitos, in societatem sive collegium recipiunt.

Pœna violati jurisjurandi.

XIV. Quando quidam jusjurandum violat, congregantur centum eorum, perjurum exturbantes, brevi hanc ejectionem subsequente morte; nulli enim, suscepto semel hoc ordine, eleemosynam vel ullum cibum ab alio mendicare licebat; quapropter talis corpus suum insipidis noxiisque herbis pascens corrumpebat illud, mortemque accelerabat. Interdum istiusmodi hominem morti proximum volebant recipere, plerumque autem contabescere sinebant.

10. Adorationis versus Solis ortum.

XV. 10. *Esseni adoravere versus Solis* [6] *ortum. Philo, item Joseph.*

11. Cultus Angelorum.

XVI. 11. *Esseni se ipsos sacramento devinxerunt ad servandum nomina Angelorum Joseph. de B. J. l.* 2. *c.* 1. qui loquendi modus indigitat speciem adorationis.

12. Observationis sabbathi.

XVII. 12. *Supra omnes accurati & solliciti erant in observando Sabbatho*, *Joseph. ibidem.* Hoc die cibos parare, ignem sufflare, vasa a locis transferre, vel naturam levare timebant. Observant etiam, teste *Philone de vit. contempla* ἑβδομάδων ἑβδομάδας, quavis septima septimana solennem Pentecosten, quotannis septem Pentecostas.

13. Abstinentiæ a connubiis.

XVIII. 13. *Abstinuerunt quoque connubiis*; non quod conjugium in se turpe ipsis videretur, aut quod meditarentur finem imponere propagationi, sed quod extimescerent

In abstinentia a connubiis Esseni inter se discrepant.

rent mulierum intemperantiam, persuasique essent, nullam fœminam constanti amore in maritum suum ferri. Hic cœlibatus non de omnibus Essenis in genere intelligendus, in hoc enim puncto ipsi inter se studiis partium dissident. Quidam itaque prioris sententiæ sunt, quidam nuptias contrahunt propagationis amore. Nihilominus tamen tanta ipsi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent valetudinem fœminarum, & si constanti purgatione partui idoneæ apparuerint, ita eas in matrimonium adsciscunt. Nemo autem cum prægnante concumbit, ut ostendant, quod nuptias non voluptatis, sed liberorum causa inierint. Ultimus autem hujus Sectæ ordo propagatione liberorum hæresin suam prosеminat; primus ordo eam ab interitu tuetur adoptione liberorum alienorum, quos tanquam cognatos juxta suæ disciplinæ regulas moderantur: uti testatur *Josephus*. Addit *Plinius l.* 5. *hist. c.*17. multos alios, Judæos in senium vergentes, ultro se ipsis applicuisse, qui moti fuerint ad hoc, vel mutabili rerum turbidaque facie, vel memoria prioris curriculi vitæ, utpote cui totas habenas laxavissent; quasi hoc medio se ipsos pœnitentia quadam vellent castigare.

Origines Essenorum falsæ.

XIX. Quando & a quo hæc Secta exclusa sit, difficile est 7 dicere; quidam eos ætate *Rechabitis* æquales faciunt. *Scal. Tribær. lib.*3. *c.*9. Statuuntque RECHABITAS tantum additis quibusdam peculiaribus regulis & constitutionibus distinctos fuisse a *Kenitis Jud.* 1. 16. atque ita per consequens *Essenorum* origo & ætas ascendet ad migrationem Israelitarum ex Ægypto; *Jethro* enim socer Mosis, ut patet ex textu, *Kenita* fuit; sed neutrum horum verisimile est: nam, *I. Kenitæ* non dicuntur in S. Scriptura fuisse ordo peculiaris sive secta, sed tantum distincta familia, genus, natio Num. XXIV. 21. *II. Rechabitæ* non exstruxerunt ædes, sed habitarunt sub tentoriis; neque terram agricultura exercentes, neque serentes, neque vineas colentes, neque possidentes. Jer. XXXV. 7. Esseni autem non sub tentoriis, sed ædibus mansitarunt, sedul oque humum coluerunt. *Joseph. Antiq. l.*18. *c.*2.

XX. Aliquis ex Hebræorum Magistris ait, quod *Esseni* fuerint *Naziræi*. *Scalig. Tribær. c.* 23. Sed hoc refellit Lex Naziræorum, jubens, ut, ubi dies Naziræatus ipsorum completi fuerint, comparerent ad portam tentorii templi. *Num. VI.* 13. Sed aditus templi Essenis, ut dictum est, non patebat.

Esseni minimum 150. annis ante Christum extiterunt.

XXI. Quamobrem incertum est, quando & quo autore hæc hæresis eruperit. Primus, quem invenio insignitum nomine *Esseno*, fuit Judas, qui vixit tempore Aristobuli, Johannis Hircani filii, annis circiter centum ante incarnationem Salvatoris nostri. *Joseph. lib.* 13. *c.* 15. Ut ut sit, hæc Secta vetustissima fuit, nam tres Sectæ *Sadducæorum*, *Pharisæorum*, ac *Essenorum* jam tempore Jonadabi, qui fuit frater Judæ Maccabæi, adeoque quinquaginta annis ante Aristobolum viguerunt. *Joseph. l.* 13. *c.* 9.

Rationes quare illorum in N. T. nulla mentio.

XXII. Exploratum est, hanc Sectam prorepsisse ad dies Salvatoris nostri, & ulterius; nam *Philo & Josephus* de ipsis loquuntur, ut eo tempore adhuc superstitibus. Quæ ergo ratio est, quod in N. T. eorum nulla injiciatur mentio? Resp. 1. Numerus illorum *Philonis* & *Josephi* ætate videtur exiguus fuisse, circiter quatuor millia: *Philo lib. quod omnis probus &c. c. p.* 678. Et quum per multas urbes sparsi essent, Sectam suam distractam minuebant; tempore autem nostri Redemptoris Hierosolymis forsan vel nulli fuere, vel perpauci. 2. Si historias consulimus, invenientur illi nobis pacifici, moderati, nullique molesti, nec adeo lites conserentes, uti *Pharisæi* & *Sadducæi*, qui, invicem opinionum studiis distracti, Christum tamen unanimi consensu adoriuntur. 3. Cur illi non æque taceantur in N. T. præsertim cum nullos motus obloquendo, vel aliis in rebus excitarint, ac *Rechabitæ in* Vet. Test. quorum semel tantum fit mentio, & quidem tum, cum jam ipsorum ordo stetisset per 300. annos, scil. ante testimonium Jeremiæ de ipsis; nam inter Jehu qui tempore Jonadabi vixit, & Zedekiam Chronologi totidem annos numerant.

Alluditur 1. Tim. V. 23. IV. 3. Col. II. 18.

XXIII. Tandem, etsi nomen Essenorum in Scriptura non occurrat, in Epistolis tamen Pauli multa reprehensa legas, quæ Esseni in suis Scholis docebant. *Chemnit.* Ex. *Conc. Trid. part.* 4. *p.* 120. Ejus naturæ fuit istud consilium, quod Timotheo datur. *Ne amplius potato aquam, sed utere paululo vini.* 1. *Tim. V.* 23. Rursus, 1. *Tim. IV.* 3. *Probibere connubia & cibos est doctrina* δαιμονίων *diabolorum*. Præsertim Col. II. multa loca videtur Apostolus ipsorum dogmatibus opposuisse; *ne quis vos judicet in cibo & potione*; 8 ℣. 18. *nullus* ὑμᾶς καταβραβευέτω *vobis dominetur, volens in humilitate, & cultu Angelorum* τί δογματίζεσθε, *quid dogmatibus gravamini?* ℣. 20. Apostolus utitur voce δόγματα, quæ Essenorum aphorismos & constitutiones notat. Sequenti ℣. 21. tangit quasdam res peculiares; *ne attingas, neque contrectes*; jam autem diximus, quod Senioribus religio fuerit contrectare Juniores; & in sua diæta gustum ad panem, sal, aquam, & hysopum adstrinxerant; quam victus rationem ob-

servarunt, ut Philo ait, διὰ πόθον σοφίας *ex amore ſapientiæ*; Apoſtolus vero concludit, ℣. 23. quod talia habeant λόγον σοφίας *prætextum ſapientiæ*. Et ubi Philo *Eſſenorum* religionem vocat θεραπείαν, h. e. *cultum divinum*, Apoſtolus eodem ℣. vocat ἐθελοθρησκείαν *cultum voluntarium*; ubi autem ille doctrinam ipſorum nominat φιλοσοφίαν πάτριον *Philoſophiam a patribus hauſtam*, traditionibuſque acceptam, hic ab ea deterret ℣. 8.

Eſſenorum Theoreticorum & Practicorum convenientia & diſconvenientia.

XXIV. Antea notavimus duas *Eſſenorum* ſpecies; quorum quidam ſunt *Practici*, quidam *Theoretici*: utrique in conſtitutionibus ſuis atque regulis & canonibus conveniunt, diſcrepant vero in quibuſdam circumſtantiis. 1. *Practici* incoluerunt urbes, quas vitantes *Theoretici*, villarum ac pagorum ſolitudines quæſiverunt. 2. *Practici* vitam ſuam terunt opificiis, ovium, apum, agrorumque cura &c. Suntque τεχνῖται *artifices*. *Theoretici* conſeneſcunt meditando, precandoque, unde κατ' ἐξοχὴν ipſi a Philone vocantur ἱκέται *ſupplicantes*. 3. *Practicis* quotidie prandium & cœna indulgebatur, *Theoreticis* ſola cœna. *Practicorum* quiſque ex ſingulari ſcutella jus ſorbet ac pane veſcitur. *Theoretici* famem pellunt ſolo pane & ſale. Si cujus palatum vero delicatius fuit quam alius, conceſſum ipſi eſt comedere hyſſopum. Utrorumque vero ſitim reſtinxit aqua communis.

Eſſeni Theoretici minime erant Monachi Chriſtiani.

XXV. Quidam arbitrantur hos *Theoreticos* fuiſſe Monachos Chriſtianos, ſed contrarium dictitant hæ rationes. 1. Toto illo Philonis libro de his *Theoreticis* nulla mentio vel Chriſti, vel Chriſtianorum, vel Evangeliſtarum, vel Apoſtolorum fit. 2. *Theoreticorum* Secta eodem libro non nova & haud pridem inchoata dicitur, quemadmodum Chriſtiani tum temporis primo orti erant, ut patet ex verbis Philonis. A. quando eorum doctrinam appellat πάτριον φιλοσοφίαν *a patribus acceptam Philoſophiam*. B. Quando inquit: *habent priſcorum commentarios, qui hujus Sectæ autores &c.* 3. Inſcriptio libri non tantum eſt περὶ βίου θεωρητικοῦ *de vita contemplativa*, ſed & περὶ ἱκετῶν *de ſupplicantibus*; quum autem Philo totam Judæorum gentem vocitet τὸ ἱκετικὸν γένος *nationem ſupplicabundam*; in aprico eſt, *Eſſenos* illos non e Chriſtianæ, ſed Judaicæ gentis ſinu prodiiſſe.

NOTÆ AD CAPUT DUODECIMUM.

Annot. [1] Quoniam Deus Iſraelem præ omni alia Gente ſapientia inſtruxit, mirum non eſt deſiderium cognitionis, quod nobiliora inter Gentiles pectora tenuit, in cauſa fuiſſe ut Judæos adirent, cum iis de rebus Divinis humaniſque agerent. Quod a captivitate Babylonica facile fieri poterat, quum miſera Gentis fata ad longe diſſitas nationes pervulgarentur, ipſa quoque Gens in varias diſtraheretur terras. Tum Philoſophi ea, quæ audiverunt, pro lubitu diſcipulis ſuis vel purius aut permiſte propriis ratiocinationibus tradiderunt. Saltem Patres, qui ſcripta Gentilium diligenter evolverunt, maximam deprehendentes convenientiam id non ſemel indicarunt. Tertullianus Apolog. c. XLVII. 11. *Quis Poetarum, quis Sophiſtarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? inde igitur philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt*. Ex Philoſophis Gentilium non ultimum occupat locum Pythagoras, cujus ætas, itinera, dogmata ipſum quædam a Judæis hauſiſſe fidem faciunt. Vixit enim circa Captivitatem Babylonicam aut ſtatim poſt. Pythagoras in Syria natus luſtravit Babyloniam, Ægyptum aliaſque terras, in quibus tum Hebræi procul dubio vixerant. Præcepta ejus non unam habent convenientiam cum doctrina Judaica. Præter ea, quæ Auctor profert, obſervare licet illum prohibuiſſe imaginem Dei annulo inſcribi, præcepiſſe ut ſacra nudis pedibus fierent. Hæc & alia pertractata reperies apud *Grot. de Verit. Rel. Chriſt.* l. I. Seldenum I. N. & G. l. I. c. 2. Huetium *demonſtr. Evangel. propos.* IV. §. 7. qui teſtimonium Jamblichi referens ipſum Sidone congreſſum fuiſſe cum Mochi Phyſiologi ſucceſſoribus, de Moſis ſucceſſoribus accipit. Huc faciunt Hermippi & Joſephi teſtimonia. ap. Originem adv. Celſum. Λέγεται Ἕρμιππον ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ἱστορηκέναι Πυθαγόραν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. *Fertur Hermippus in libro primo de Legislatoribus prodidiſſe, Pythagoram Philoſophiam ſuam a Judæis ad Græcos traduxiſſe*. Hujus *l. I. contr. Ap. p.* 1046. Πυθαγόρας ὁ Σάμιος, ἀρχαῖος ὤν, σοφίᾳ δὲ καὶ τῇ περὶ τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ πάντων ὑπειλημμένος διενεγκεῖν τῶν φιλοσοφησάντων, οὐ μόνον ἐγνωκὼς τὰ παρ' ἡμῖν δῆλός ἐστιν ἀλλὰ καὶ ζηλωτὴς αὐτῶν ἐκ πλείστου γεγενημένος. Gelenio interprete: *Pythagoras Samius, cum ſit antiquus quidem ætate, ſapientia vero & divina pietate philoſophos omnes excellens non ſolum quæ noſtra ſunt, agnoviſſe manifeſtus eſt, ſed etiam æmulatus ea ex multis apparet*. Vide inſuper quæ ſequuntur.

[2] Joſephus l. II. c. VII. aut XII. B. I. οὗτοι τὰς ἡδονὰς ὡς κακίαν ἀποστρέφονται. *Hi voluptates quaſi maleficium vitabant* & ideo oleo abſtinebant, quo reliqui Judæi, Orientales alii, valde delectabantur. Quia enim oleum conſolidat Pſ. CIX. 18. refrigerat, præſtantiſſimi ſaporis eſt Num. XI. 8. & odoris; ſi alii liquores permiſcentur, quemadmodum fieri ſolet, cutem nitidam reddit Pſ. CIV. 15. aliaque commoda ſecum fert. Oriens æſtu ſolis intenſiore fruens illud magnifaciebat, in capita convivarum honoratiorum effundebat Luc. VII. 46. quo alluditur Pſ. XXIII. 5. nec ſe illo alio quam læto tempore perfundebat, hinc Matth. VI. 17. non triſti Tr. יומא c. VIII. 1. יום הכפורים אסור באכילה ובשתיה וברחיצה ובסיכה *Die expiationis interdictum eſt cibo & potu & lotione & unctione*. Aliquando autem eo Judæi ad crapulam & luxum abuſi ſunt, quando præſtitiſſet graviſſima Dei judicia precibus & jejuniis præoccupare Ezech. XVI. 18. XXIII. 41. Amos VI. 6. Igitur. Eſſeni triſtia tempora viventes rectius ejus uſum intermitti credebant.

[3] Joſephus l. cit. τὸ αὐχμεῖν ἐν καλῷ τίθενται λευχειμονεῖν τε διαπαντὸς *ſquallorem decorem putant dummodo ſemper veſte candida induti ſint* ſcil. habebant colorem album innocentiæ & ſanctitatis ſignum: Volebant Sacerdotibus ſimiles videri.

[4] Non ab omni prorſus juramento abſtinendum eſſe putabant Joſeph. l. II. c. 12. p. 786. πρὶν κοινῆς ἅψασθαι τροφῆς, ὅρκους αὐτοῖς ὄμνυσι φρικώδεις *prius quam incipiat communem habere cibum, magnis execrationibus adjurat ſe*. Sed illo levi de cauſa in converſatione humana, in qua iis πᾶν τὸ ῥηθὲν ἰσχυρότερον ὅρκου *cuncta ore prolata juramento fortiora* ſunt, abſtinent. Convenienter legi divinæ & dicto Chriſti Matth. V. 37. atque ita deteſtabantur levitatem & temeritatem reliquorum Judæorum; quam Chriſtus Matth. V. 34. 35.

35. &c. reprehendit & bene noverunt Ethnici *Martial.*

Ecce negas jurasque mihi per Templa tonantis
Non credo: Jura, verpe, per Anchialum.

[5] Philo libro. *Quod omnis probus* p. 876. edit. Francof. οὐ ζῶα καταθύοντες, ἀλλ' ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες (Esseni) *non mactant victimas, sed ut decet Sacerdotes, proprias mentes componunt* conf. Rom. XII. 1.

[6] Essenos adorasse versus solis ortum, non autem ipsum solem recte dicitur. Posterius, quamvis nonnulli asserant, cum insigni Essenorum pietate, quam tantopere Josephus & Philo commendant, minime consistit. Hic μάλιστα θεραπευτὰς θεοῦ *præcipuos Dei cultores* appellat, l. cit. Qua igitur quæso ratione solem adorasse dici queunt, quum Solicolæ ceu Idololatræ potius Athei sint? Duo reperiuntur in Josepho, quæ Viris doctis imposuerunt: Primum est quod l. II. c. VII. al. XII. p. 785. exstat. πρός γε τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς· πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι. Ex Interpretatione Rufini. *Præcipue circa Deum Religiosi sunt. Namque ante solis ortum nihil profani loquuntur, sed ei patria quædam vota celebrant, quasi ut oriatur precantes.* Nemo autem non videt verba priora cum ultimis minus convenire. Quis ille præcipuus erga Deum cultus, si Esseni solem invocarunt? Omnino feliciter levissima immutatione, sed quæ mentem Josephi clare aperit, verba restituit in hoc studiorum genere peritissimas Sam. Petitus pro εἰς αὐτὸν legens εἰς αὐτό γ' εὐχὰς *patrias quasdam preces ad eum quidem* (Deum scil.) *fundunt*. Hoc ipsum quod quoque Philo de illis nobis reliquit *l. de vita contemplativa* p. 893. δὶς καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰώθασιν εὔχεσθαι, περὶ τὴν ἕω, καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν, ἡλίου μὲν ἀνίσχοντος, εὐημερίαν αἰτούμενοι τὴν ὄντως εὐημερίαν, φωτὸς οὐρανίου τὴν διάνοιαν αὐτῶν ἀναπλησθῆναι· δυομένου δὲ ὑπὲρ τοῦ τὴν ψυχὴν τοῦ τῶν αἰσθήσεων καὶ αἰσθητῶν ὄγκου παντελῶς ἐπικουφισθεῖσαν ἐν τῷ ἑαυτῆς συνεδρίῳ καὶ βουλευτηρίῳ γενομένην ἀλήθειαν ἰχνηλατεῖν: *Quotidie bis precari solent, mane ac sub vesperam, oriente sole petentes diem vere felicem, utque mentes eorum cœlesti repleantur lumine: occidente vero, ut anima in totum exonerata sensibus moleque rerum sensibilium veritatem vestiget in consistorio domestico.* Alterum c. cit. p. 787. foveam fodiebant ὡς μὴ τὰς αὐγὰς ὑβρίζοιεν τοῦ Θεοῦ. Idem eruditissimus Vir legendum putat τὰς αὐλὰς τοῦ Θεοῦ. Malo priorem lectionem, quæ contrariæ sententiæ nihil patrocinatur. Radii solis sunt *radii Dei*, quemadmodum Matth. V. 45. sol. Patris dicitur.

[7] De ortu Essenorum longe facilius aliorum conjecturas refutare, quam certum aliquod tempus definire. Venia Plinio, homini Gentili, danda, qui ita scribit. *Per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur.* Hist. l. V. c. 17. Vix illam ex Christianis merentur, qui brevi post exitum ex Ægypto Essenos ortos ajunt, quum de illis S. Literæ alte sileant, neque sectarum nomen ante Captivitatem Babylonicam quærendum sit. Igitur post excessum Prophetarum, quando gens Judaica gravissima subiit Judicia, neque pastore aliquo divinitus misso oves dispersæ in unum ovile colligebantur, merito Essenos prodiisse conjectaveris. Dogmata & præcepta ferme omnia ita comparata sunt, ut indicent Auctores misera vixisse tempora, quibus parsimonia & vitæ sanctitate remedium parabant. Credibiliter erant vel ipsi חסידים *Assidæi* de quibus. 1. Mach. II. VII. aut eorum quædam progenies a Pharisæis in dogmatibus, vitæ institutis, Templo, loco commorationis aliisque haud parum distincta. Si ipsi Assidæi, tum qui Hebraice חסידים, Grece ὅσιοι unde Esseni vel correctius Essæi dicuntur: Josepho ἐσσηνοί, melius Philoni ἐσσαῖοι. Lxx. plurimum חסידים vertunt per ὁσίους.

[8] Locis paulo supra citatis 1. Tim. V. 23. IV. 3. Apostolum ad Essenos respexisse valde dubito. Certiora vestigia, quæ ad Coloss. II. ubi Paulus Colossenses hortatur ut constantes in Christo & ejus doctrina maneant, libertate sanguine ejus parta fruantur, neque adeo se seduci patiantur διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων quibus verbis omnia hominum doctrina a Christo abducens, sive illa Gentilis, sive Judaica, notatur. Triplex quodammodo libertas per Christum adducta scilicet a maledictione Legis, jugo Ceremoniarum divinarum, servitute denique dogmatum humanorum. De illa ℣. 11. 14. de ista ℣. 14. 18. de hac ℣. 18. Christianorum itaque est hæcce beneficia bene tueri, nec dominium peccatorum, aut rituum Mosaicorum molestiam, multo minus hominum placita suscipere. Ex his quatuor præprimis atro carbone notata, cultus scilicet Angelorum, interdicta ne tangas, ne gustes, ne contrectes, quæ cuncta ἐν φιλοσοφίᾳ ἐσσηνῶν reperiuntur erant, ceu qui cultum Angelorum, matrimonia vetita, discrimina ciborum, atque nimiam erga Seniores reverentiam docebant.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Gaulonitis & Herodianis.

I. ALiæ præterea *factiones* sciderunt rem Judæorum, quæ impropric [1] *Sectæ* vocantur. Harum præprimis duæ fuerunt 1. *GAULONITÆ*. 2. *HERODIANI*.

Gaulonitarum dux.

II. *Gaulonitis* [2] nomen dedit aliquis *Judas*, qui subinde nominatur *Judas Gaulonites*, *Joseph. antiq. lib.* 18. *cap.* 1. subinde etiam *Judas Galilæus*, de quo loquitur Gamaliel *Act. V.* 37. *Postea surrexit Judas Galilæus in diebus descriptionis*. *Joseph. ibid. cap.* 2.

Ortus.

III. Hæc descriptio ea fuit, quæ facta est per *Cyrenium*, alias *Quirinum*; quod nomen uno modo in Græco habuit, at diversimode apud Interpretes lectum. Hic Cyrenius, ab Augusto in Syriam Roma missus, in Judæam venit, quam Coponius Præses moderabatur; ubi istam descriptionem iniit, quam quidam incaute cum ea, cujus Lucas meminit c. II. 1. confundunt. Utraque hæc descriptio imperata sub Augusto, differunt tamen; nam 1. Ea descriptio Act. V. solum Syriam & Judæam censuit; [3] Hæc Luc. II. πᾶσαν τὴν οἰκουμένην *totum orbem habitabilem*. 2. Ea descriptio fuit facta Archelao Herodis filio Viennam in exilium relegato, cum novennale Imperium gessisset; Hæc publicata sub Herode Magno; Quam sententiam stabiliunt verba Lucæ, qui hanc descriptionem vocat πρώτην *primam* vel *priorem*, resp. *secundæ* illius.

Causa.

IV. Causa hujus factionis ita se habuit: Cyrenio hunc censum colligente, opesque Archelai arripiente, surrexit hic Judas recusataque descriptione, populo dixit, descriptio-

ptionem iſtam eſſe apertum ſignum ſervitutis & quod neminem deberent dicere Dominum, niſi eum, qui eſſet Dominorum Dominns, cœli Deus atque terræ. *Vid. Joſeph. loc. cit.* Qui ergo ipſi ſtuduerunt, nuncupati ſunt *Gaulonitæ* & etiam *Galilæi*.

Exempla.

V. Eorum ſanguis fuit, quem ſacrificiis ipſorum miſcuit Pilatus Luc. XIII. 1. qui alias nationi Galilæorum non præerat, aut imperitare poterat. Ratio hujus commixtionis eſſe putatur, quod Galilæi vetarent victimas cædi pro ſalute Romani imperii, aut Cæſaris; qua re ad iram impulſus Pilatus ipſos victimas parantes victimas fecit. *Oecum. Art.* 5. 37. *Theophyl. in Luc. XIII.* 1. *Joſeph. lib.* 7. *de B.J. cap.* 28. *p.* 985. Hujus factionis conſortes fuere illi latrones, σικάριοι, quorum meminit Lucas Act. XXI. 38.

Herodiani juxta quoſdam erant, qui Herodem M. Meſſiam habebant.

VI. Quod ad *Herodianos*: Illi, qui hos Herodianos Hæreticis accenſent, hæreſin eorum in duobus conſiſtere dicunt. 1. Quod *Herodem Magnum* haberent pro Meſſia promiſſo, quia ipſius ἀλλοφύλυ imperio ceſſerat Sceptrum Judæ; quale tempus adventum Meſſiæ indicare debebat. 2. Ipſius natalem diem [4] ſuperſtitioſis ſacris & feſtivitatibus quotannis reſtaurarent. De cujus natalitio die Poeta *Perſius Sat.* 5. ita canit: ------ Cum

Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas; rubrumque amplexa catinum
Cauda natat Thynni; tumet alba fidelia vino.

Num hic ſermo ſit de *Herode Magno*, dubito; quoniam ne ullum quidem ex Antiquis novi, qui meminerit natalis diei *Herodis Magni*; alius fuit *Herodes*, ſcil. *Antipas*, τετράρχης Galilææ, cujus legimus natalem celebratum. Marc. VI. 21.

Rejicitur opinio.

VII. Prius, quod *Herodiani* Herodem pro Meſſia habuerint, licet id multorum Autorum gravitate nitatur, *ſcil. Epiph. hær.* 10. *Theophyl. in Matth. XXII.* 16. *&c.* alii tamen non ſine ratione eludunt. *Hieron. in Matth. XXII.* 17. Si enim *Herodiani* fuiſſent Judæi, quod plurimi eunt affirmatum, quomodo ſibi potuiſſent perſuadere, Herodem ἀλλόφυλον *alienigenam* eſſe Meſſiam; quum conſtaret ex Prophetis, Meſſiam futurum eſſe *Judæum*, ex tribu *Juda* & familia *Davidis?*

Juxta alios ſunt certi gnathones in aula Herodis.

VIII. Aliis placet, *Herodianos* fuiſſe certos gnathones in aula Herodis, in gratiam ſui Regis multa religionis puncta deſerentes. *Beza in Matth. XXII.* 17.

Juxta alios denique, qui dimicabant pro cenſu Cæſari dando.

IX. Ut prætereamus multas alias opinionum [5] nugas, ambabus ulnis amplector ſententiam *Hieronymi in Matth. XXII.* 17. ſtatuentis *Herodianos* eos fuiſſe, qui *dimicabant pro cenſu Cæſari dependendo*. Herodis enim fuit, Cæſaris deſcriptionem urgere, cui coronam debebat, non tam ratione gratitudinis, quam prudentiæ politicæ, ne is, qui ipſi coronam indulſerat, quique eam ipſi rurſus auferre poterat, regio ipſum ſolio excuteret. Quo reſpectu, cum Herodes quæreret Chriſtum neci dare, & *Herodiani* cum Phariſæis fallaci verborum nexu intricare eum vellent, [6] conſilinmque contra eum inirent, dixit Salvator noſter Marc. VIII. 15. Βλέπετε ὑπὸ τῆς ζύμης *cavete a fermento Phariſæorum & Herodis* [7] h. e. funeſta doctrinæ lue, vulpinaque fraude.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Annot. [1] Nam proprie tres tantum ſectæ rem Judæorum ſciderunt Joſeph. Antiq. l. XVIII. c. 2. p. 617. Ἰουδαίοις φιλοσοφίαι ἦσαν ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου *Tres Judæis Pholoſophicæ ſectæ erant a diebus antiquis* ſcil. Eſſeni, Sadducæi, Phariſæi. Quartam Gauloniticam inferius ſubjicit, ſed mox addit τὰ λοιπὰ πάντα τῇ γνώμῃ τῶν φαρισαίων ὁμολογοῦσι *in cæteris omnibus Phariſæis conſentiunt* Gaulonitæ, ſi exceperis nimium libertatis ſtudium, de quo mox. Pariter ſe res habet cum Herodianis, quorum ζύμη erat ζύμη σαδδουκαίων Math. XVI. 11. coll. Marc. VIII. 15.

[2] Modo dicitur ἰούδας γαυλωνίτης ἀνὴρ, quia oriundus ἐκ πόλεως ὄνομα γαμάλα *ex urbe Gamala*, quæ in inferiori Gaulonitidi; Conf. *Geogr. Terræ Canaan* §. 17. Modo Judas Galilæus, non tantum in Actis c. V. 37. Sed & ipſo Joſepho l. c. τῇ δὲ τετάρτῃ τῶν φιλοσόφων ὁ γαλιλαῖος ἰούδας ἡγεμὼν κατέστη hoc eſt, *quartæ Philoſophorum ſectæ dux conſtitutus eſt Judas Galilæus*. Gamala, quæ ad ortum maris Galilææ accurate loquendo in Galilæa ſita non eſt. Sed qaandoque latior nominis uſurpatio obtinet. Quomodo Petrus e Bethſaida Joh. I. 45. Galilæus dicitur Luc. XXII. 54. Hic Iudas Galilæus ſocium habuit Sadducum Phariſæum, cum quo populum ad defectionem ſollicitabat [atque omnia cædibus & latrociniis miſcebat. Malum, quod hi inchoarunt, eo tandem progreſſum eſt, ut hoſtilis flamma Dei templum invaderet.

[3] Differentia duplicis deſcriptionis optime ex ſequentibus Joſephi verbis cognoſcetur. Κυρήνιος *Quirinius Senator Romanus per omnes honorum gradus ad conſulatum uſque provectus & inprimis clarus a Cæſare mittitur in Syriam, ut jura populis redderet* καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος *facultateſque cenſeret. Cum eo mittitur* Κωπώνιος *Coponius præfectus turmæ equitum* ἰουδαίων τῇ πάσῃ ἐξουσίᾳ *omni poteſtate in Judæos pollens. Quin & ipſe Quirinus in Judæam venit jam attributam provinciæ Syriæ* ἀποτιμησόμενός τε αὐτῶν οὐσίας καὶ ἀποδωσόμενος τὰ ἀρχελάου χρήματα *ut percenſeret facultates eorum atque bona Archelai venderet. Iſti vero tametſi primum ægre ferrent* τὴν ἐπὶ ταῖς ἀπογραφαῖς ἀκρόασιν *recenſionem deſcriptionis, non ſunt tamen reluctati pertinaciter, parendo auctoritati Pontificis Joazari, qui Boethi fuit filius atque ita illius ſuaſu ſine controverſia cenſus peractus eſt. Extitit tamen quidam Judas Gaulonites, ortus ex oppido Gamala, qui adjuncta ſibi Phariſæo Sadduco ſollicitabat ad defectionem populos*. Antiq. l. XVIII. 1. Confer cum deſcriptione Luc. II. 1. 2. 3. & deprehendes differentias ab Auctore

ctore notatas: Præterea quia posterior non solum personas, sed & facultates percensebat, factioni Gaulonitticæ ansam præbuit.

4 Videtur antiquissima consuetudo, qua primates Regni לזכרון *in memoriam* diei, quo Rex vel in lucem editus est aut Rex constitutus, lauto convivio excipiebantur & qua solennitate Reges se liberales exhibebant Gen. XL. 20. *Die antem tertia*, יום הלדת ארת פרעה *qua die natus erat Pharao*, *convivium paravit omnibus servis suis &c.* quo a quibusdam refertur Hos. VII. 5. יום מלכנו *dies Regis nostri*, qui potationibus consumitur. Pariter de Persis *Herodot.* testatur, *Vid. Grot. ad Matth. XIV: 6.* Addo ex tr. עבורה זרה cap. 1. 3. inter festa Idololatrarum recenseri יום גנוסיא של מלכים ויום הלידה ויום המיתה τὰ γενέσια *regum: diem quoque natalem & diem obitus*. Ad hæc Glossa Bartenoriana. גינוסיא יום שמעמידין בו מלך יום הלידה יום שנולד בו המלך *Per τὰ γενέσια intelligitur dies, quo Rex designatus est: Per diem nativitatis vero, quo Rex prognatus est*. Quando igitur Matth. XIV. 6. γενεσίων ἀγομένων conf. Marc. VI. 21. exstat, recte intelligitur dies Herodis II. quo in memoriam revocabatur Tetrarchatus a populo Romano ipsi concessus. Sed *Herodis dies* apud Persium de Herode Agrippa majore, aut potius minore: quia ille jam defunctus anno Christi 44. At Persius demum lucem vidit anno XXI. Tiberii vid. *Joh. Britannicus in vita Persii*. De Herodis M. natalitiis vid. *Joseph. Antiq. l. xv. c. ult. p.* 546.

5 Nugas merito dixeris illam Cel. Drusiii opinionem, quando ex columbis Herodianis Herodianos in Historia Evangelica memoraros facit, legens יוני *Græci* pro יוני *columbæ*; vide M. Buxtorf. Lex-Thalm. 631. 632. Incidit alius non minus gravis error, quem aliquando in eodem Viro Docto deprehendi ad Marc. XII. 43. *Refertur in Phesicta 3. 4. de Agrippa, qui voluit offerre mille holocausta, sed antevertit eum pauper duobus bobus*, quum deberet scribere duobus turturibus. Imposuit illi vocabulum תור.

6 Illustratur hinc Matth. XXII. 16. &c. Callidissimum Pharisæorum consilium erat, quo Christum vel populo vel Herodianis & ita Cæsari invisum reddi certo judicabant. Nam illo tempore populus & ex Pharisæis aliqua pars pro libertate adversus Romanos & Herodianos pertinaciter stabat atque negabat Cæsari censum, qui servitutis signum, a libera Gente solvendum esse. At contra Herodiani. Jam sive negasset sive affirmasset Salvator noster, alterutram partem ostendisset.

7 Ζύμη Ἡρώδου in loco parallelo Matth. XVI. 6. Ζύμη Σαδδουκαίων *fermentum Sadducæorum* dicitur: Unde sequitur, eandem Sadducæis & Herodi atque Herodianis falsam doctrinam (nam fermentum ita accipiendum ob ἐξήγησιν Matth. XVI. 12.) fuisse.



DIS-



DISSERTATIO
DE
TABERNACULO,
EJUS ATRIO ET VASIS.

Palatium Regis Israelitarum mobile.

I. DEus Rex Israelitarum jussit, ut sibi Palatium exstrueretur, utipse in medio populi habitare posset. Quoniam autem regnum demum expugnandum, iter longiusculum emetiendum, Palatium illud una cum suppellectili ita parandum erat, ut illud Ministri facile, occasione postulante, figere & refigere possent. Josephus insignit nomine μεταφερομένου ναοῦ *portatilis templi* Antiq. l. III. c. V. p. 80.

Nomina.

II. Nomina Scripturæ diversa sunt: א. מקדש Lxx. ἁγίασμα Exod. XXV. 8. nam habitaculum Sancti Numinis, quod adeundi Sanctus nonnisi potestatem habebat. ב. אהל מועד Exod. XXVIII. 43. nam formam habebat tentoriorum, quibus illis temporibus frequens usus. Additur מועד quoniam condictus conventus sacri locus. ג. vel simpliciter המשכן *illud habitaculum*, unde σκηνὴ Exod. XXV. 9. ab inhabitatione Dei: vel conjunctim משכן העדות *habitaculum testimonii* Exod. XXXVIII. 21. ד. היכל *Palatium* 1. Sam. I. 9. III. 3. conf. 1. Reg. XXI. 1.

Tabernaculi descriptio.

III. Nominibus in medium productis de ipso Tabernaculo dicendum erit, quod latiori significatione est magnificum & sacrum Regis Israelitarum habitaculum constans duabus præprimis partibus ipso tentorio & circumjacente atrio ita compositum, ut urgente necessitate in suas partes dissolvi & transferri potuerit, in quo ille populum suum modo illustri rexit.

Pars præcipua ipsa domus.

IV. Præcipua ejus pars tentorium est, Sancto & Sanctissimo constans, confectum ex asseribus auro obductis, tegminibus atque velis diversæ materiæ, formæ, coloris atque usus, instructum dein vasis pretiosissimis ad regiam magnificentiam indicandum apparatis.

In qua Sanctum et Sanctissimum.

V. Sanctum in anteriore ejus parte versus ortum situm, quod quotidie Sacerdotes introibant. Sed Sanctissimum, קדש הקדשים appellatum, in parte posteriori versus occasum nec aditum Pontifici concedebat, nisi una die in anno, vicibus quatuor Lev. XVI. 2. 13. 14. 15. Illud majus, viginti scil. cubitorum, hoc minus, quod nonnisi decem in longitudine habebat, uti mox ex dicendis elucebit.

Notanda de Asseribus.

VI. De asseribus tenendum 1. *Nomen* : קרשים LXX. στύλος *columna* Exod. XXVI. 15. quales ob crassitiem dici queunt. 2. *Materia* : ex ligno Schittim, quod ἄσηπτον simul & levissimum celebratur. 3. *Forma*. Requirebantur עמודים *arrectarii*. 4. *Longitudo* sive altitudo decem cubitorum. 5. *Latitudo*: Hæc unius & dimidii cubiti. 6. *Crassities*, quæ non exprimitur, probabiliter cubitum tenebat. 7. *Numerus* : In universum XLVIII. erant : scil. a latere meridionali XX. a latere septentrionali totidem : sed a latere occidentali octo, quorum duo angulares ex parte immittebantur : Hinc sequitur totius tentorii longitudinem XXX. latitudinem X. nonnisi cubitorum fuisse.

8. In-

8. *Incrustatio*. Auro obducebantur ut intus parietes auro rutilaverint. 9. *Ancones*, qui manibus in forma & usu similes ידות dicuntur, Exod. XXVI. 17. Numero erant XCVI. 10. Bases, quibus ancones immittebantur. Harum (*a*) numerus scil. XCVI. (*b*) Materia: quæ argentum. (*c*) Pondus: Unaquæque basis ex talento argenti conficiebatur. Exod. XXXVIII. 27. pretio adeoquo 1500. thalerorum Imperialium. 11. *Vectes* בריחים numero quinque, quorum medius per ipsam asserum crassitiem ad fortius continendum mittebatur: 12. Annuli aurei, per quos vectes transcurrebant. *Vid. Exod. XXVI.* 15. 30.

(Columnæ.) VII. Notandæ dein sunt columnæ, partim quæ disterminabant Sanctissimum a Sancto, partim quæ Sanctum ab atrio. Illæ uumero quatuor ex memorato ligno Schittim auro obductæ, quibus unci aurei infixi erant. Unaquæque unam tantum basin ejusdem cum præcedentibus materiæ & ponderis habebat. Hæ quinque, quæ cum prioribus conveniebant, nisi quod bases fuerint æneæ. *Vid. Exod. XXVI.* 31. 37.

(Vela.) VIII. Nunc sequuntur vela, quæ ab his columnis suspendebantur. Interius quod intuitum ab arca, solio Dei, arcebat, dicebatur פרכת Lxx. constanter *καταπέτασμα* (unde Matth. XXVII. 51.) *velum. Raschius* בלשון חכמים פרגוד דבר המבדיל בין המלך ובין העם *Sapientibus notat velum quale Regem a populo dividit*. Velum hoc conficiebatur e lana hyacinthini, purpurei & coccinei coloris & præterea ex lino, scil. ut idem Magister refert, de unaquaque specie fila sextuplicata sumebantur, atque inde Cherubini qui formam humanam, leoninam, aquilinam, vitulinam in diversis corporis partibus credibiliter exprimebant, מעשה חשב *summo ingenio* efformabantur. Exterius, quod atrium a sancto separabat, appellabatur מסך ex eadem quidem materia fiebat, sed non eodem artificio; Hoc מעשה רקם *opus acupictoris* verti solet. Differentiam his verbis Maim. tr. כלי המקדש c. VIII. כל מקום שנאמר בתורה מעשה רוקם הוא שתהיה הצורה הנעשירה נראית בצד אחד בפני האריג בלבד ומעשה חושב הוא שתהיה הצורה נראית משני צדדין פנים ואחור *ubicunque in scriptura exstat opus acupictoris, intelligendum de figura, quæ in uno solum latere in tela conspicitur: At quæ ad opus ingeniosum referuntur, figuras ab utroque ostentant latere*. Alii aliter, uti in rebus obscuris fieri solet. Cave credas in Templo primo & secundo eadem vela suspensa fuisse: Hæc de Tabernaculo tantum valent. Exod. XXVI. 31. 36.

(Tegmina quatuor.) IX. Asseres obtegebantur quatuor tegminibus, quorum unumquodque inferius superiori pretiosius erat. Imum sive infimum ex lana hyacinthina purpurea, coccinea ut & lino tanta contexebatur arte, ut Cherubinorum figuræ ab utroque conspici potuerint latere. Non continuum erat, sed x constabat cortinis, quarum quinque acu consuebantur & sic quinque reliquæ. Hæ invicem ope fibularum & laqueolorum in medio conjungebantur. Ex decem memoratis singulæ XXVIII. cubitos longæ, IV. latæ erant: Hinc asseribus unum cubitum spissis impositæ, illorum latera non integra obtegebant, sed a meridie & septentrione duos, ab occasu unum vacuum relinquebant cubitum. Exod. XXVI. 1. 7.

(II.) X. Secundum e pilis caprinis textum undecim habebat cortinas: Sex anteriores acu consuebantur: Quinque posteriores itidem. Omnes una per laquelos fibulasque conjungebantur. Longitudo XXX. Latitudo in universum XLIV. cubitorum erat. Illa tegebat latus meridionale & septentrionale uno tantum cubito nudo relicto: Hæc ab occasu supra tegmen inferius spatio duorum cubitorum propendebat. Alii duo duplicati jacebant in parte Tabernaculi orientali, Exod. XXVI. 7. 14.

(III. IV.) XI. Tertium e pellibus arietum rubrorum, quod cortinis caprinis imponebatur. IV. e pellibus תחשים communiter *taxorum*, forsan melius *hircorum* ætate provectorum starcke Bocksfelle/ quod modo memoratis arietum pellibus superimponebatur atque ita aeris inclementias præcipue sentiebat. Primum tegmen משכן: Alterum אהל Tertium & quartum מכסה appellatur Exod. XXVI. 14.

(Vasa domus Sanctæ.) XII. Nunc consideranda veniunt vasa intra asseres & tegmina asservata. Sunt autem præcipue quatuor I. Arca II. Mensa panum propositionis. III. Altare suffitus. IV. Lychnuchus. Primum in Sanctissimo: Reliqua tria in sancto collocata sunt. Exod. XXVI, 33. 34. 35.

(1. Arca. Ejus nomen. Dimensio. Situs.) XIII. Arca, quæ ab usu *gloria* Israel 1. Sam. IV. 22. primum meretur locum *vid.* Exod. xxv. 10. &c. Illa, ארון dicta nomen habet *a colligendo*, communiter ab Auctore *Bezaleelis*, ut distinguatur a lignea Deut. x. 3. Longa erat dimidium & duos cubitos, dimidium & unum lata, totidem alta. De situ observandus Maimon. tr. בירת הבחירה c. III. כל שאר הכלים שבמקדש אורכן לאורכו של בירת חוץ מן הארון שהיה ארכו לרוחב הבית וכן נרות המנורה היו כנגד רוחב הבירת היה מונח אורכו לאורך הבירת ורוחבו לרוחב הבירת וכן שאר (*Mensæ*) *longitudo correspondebat longitudini domus: latitudo ejus latitudini domus. Eadem reliquorum in æde sacra vasorum ratio ut longitudo*

illorum ad longitudinem templi converſa ſit. Excipienda tamen eſt arca, cujus longitudo reſpondet latitudini domus. Pariter lucernæ Lychnuchi converſæ ad latitudinem domus.

Materia gemina.

XIV. Materia gemina. Lignea e celebri illo Schittim. Hæc dein laminis ex auro puro aliquantulum craſſis (Abarbanel palmares facit) incruſtabatur; Raſch. ad Exod. XXV. שלש ארונות עשה בצלאל שנים של זהב ואחד של עץ ארבע כתלים ושולים לכל אחד ופתוחים מלמעלה נתן של עץ בתוך של זהב ושל זהב בתוך של עץ וחפה שפתו העליונה בזהב נמצא מוצפה מבית ומחוץ *Bezaleel tres fabricavit arcas, quarum duæ ex auro, una ex ligno: Unaquæque quatuor habebat latera & funda, ſuperne vero apertæ erant. Tum Ille ligneam aureæ incluſit & alteram auream ligneæ: Ora ſuperior auro obducebatur: Hac ratione ab exteriori & interiori parte auro tecta erat.* conſ. Hebr. *IX.* 4.

Limbus. Annuli. Vectes.

XV. Tria alia in arca Moſes inſuper notat. I. זר *limbum* aureum ex opere interraſili, tum decoris gratia, tum ad continendum operculum. II. *Annulos* aureos quatuor פעמות *angulis* infixos. III. Vectes duos auro incruſtatos, qui perpetuo annulis infixi eſſe tenebantur, Conſ. *R. Levi Barſel.* L. 97. Addo ex Maim. tr. כלי המקדש c. II. f. כשנושאין אותו על הכתף נושאין פנים כנגד פנים ואחוריהם לחוץ ופניה׳ לפנים ונזהרים שלא ישמטו הבדים מן הטבעות שהמסיר אחד מן הבדים מן הטבעות לוקה שנ׳ בטבעות הארון יהיו הבדים לא יסורו ממנו *quando* (Levitæ arcam) *humeris geſtabant, tum geſtantium facies ad ſe invicem converſæ eſſe* debebant, *terga autem verſa foras, ita ut facies introrſum ſitæ fuerint. Qui unum e vectibus ex annulis extrahit, vapulat, quoniam ſcriptum* Exod. XXV. 15. Vectes in annulis arcæ erunt, non inde recedent.

Operculum.

XVI. Operculum arcæ, כפורת appellatum, LXX. nonnunquam optime ἱλαςήριον ἐπίθεμα ad duplicem uſum vi vocis indicandum transferunt. Erat illud integrum ex auro habens longitudinem & latitudinem eandem cum arca. Huc alluditur Rom. III. 25.

Cherubini.

XVII. Ope mallei ex duabus operculi extremitatibus duo Cherubim, facies ſibi invicem obvertentes, atque alis expanſis, quæ ſolii uſum præbebant, ἐπίθεμα obtegentes artificioſiſſime efformati deducebantur Exod. XXV. 18. 21. conf. Hebr. IX. 5. ubi Apoſtolus Χερουβὶμ τῆς δόξης vocat.

In arca tabulæ.

XVIII. Quædam ex juſſu Dei arcæ includenda: Alia ad latus ejus apponenda erant. Includendæ erant tabulæ fœderis. Exod. XXV. 21. *arcæ impones* את העדת *teſtimonium, quod tibi daturus ſum*, conf. v. 16. h. e. לחת העדת *tabulas teſtimonii* Exod. XXXI. 18. quæ teſtes fœderis erant, unde etiam לחת הברית *tabulæ fœderis* Deut. IX. 9. &c. dicuntur. Numero duæ, ex lapidibus pretioſis probabiliter, paratæ, ut decem verba, quæ ſummam fœderis continent, inſcriberentur. Alluſio Ezech. XI. 19. 2. Cor. III. 3. Hebr. VIII. 10.) ex ſententia Talmudicorum longitudinem & latitudinem ſex, craſſitiem trium palmorum habebant (*vid. teſt.* apud Cl. Buxtorf. *F. Hiſt. Arc. fœd.* c. V. p. 57.) Hæ dein & quidem ſolæ 1. Reg. VIII. 9. ipſi arcæ indebantur. Nec operculo ſemel impoſito illud rurſum amovendi licentiam habebant.

Juxta arcam urceus mannæ.

XIX. Urceus mannæ, dictus צנצנת LXX. vertunt ςάμνα χρυσοῦν. Hos ſequitur Paulus Hebr. IX. 4. Licet materia a Moſe non exprimatur & alia a Magiſtris (in qua ipſimet non conſentiunt, vide Raſchium, Aben Eſram) tradatur, aurum certo fuit. Urceus hic ſimpliciter לפני יהוה *in conſpectu Domini* Exod. XVI. 33. collocandus præcipitur. h. e. uti Raſchius recte exponit, לפני הארון *ante arcam* ob. 1. Reg. VIII. 9. Nec obſtat Hebr. IX. 4.

Virga Aaronis.

XX. Virga Aaronis, florens & fructus ferens intra noctis ſpatium, ponenda jubetur לפני העדות *ante teſtimonium* h. e. arcam teſtimonii, ubi prius quoque erat v. 19. ut ſignum eſſet Sacerdotii divinitus Aaroni & poſteris ejus dati adverſus contumaces Num. XVII. 25. Eandem ob cauſam virgam frondentem nummis exprimi Maccabæi curarunt.

Liber Legis.

XXI. Liber Legis, qui probabiliter totus Pentateuchus, pariter in Sanctiſſimo aſſervabatur *ad latus arcæ*, ut teſtis incorruptus fœderis divini eſſet Deut. XXXI. 26. Jonathan vertit aut potius ſuam aliorumque Judæorum mentem hac de re plenius ita tradit סבו ית ספרא דאורייתא הדא דתשוון ותיה בקופסא מן צטר ימינא דארון *accipite librum legis hujus & ponite ipſum in capſa ad latus dextrum arcæ fœderis.* Credibiliter poſteriori ætate alii additi fuere conſ. 1. Sam. X. 25.

Thuribulum aureum.

XXII. Die expiationis ſolenni Pontifex Thuribulum aureum huic actui appropriatum loco ſacerrimo inferebat atque per aliquot horas in illo relinquebat tr. יומא c. III. 4. v. 1. VII. 4. Hoc eſt Pauli θυμιατήριον Hebr. IX. 4.

XXIII. Tempore Samuelis addebatur ciſtula Philiſtæorum continens imagines aureas עפלים *mariſcarum* & murium: His enim plagis Idololatræ a vero Deo afficieban-

bantur. Mures vaſtabant terram, עפלים vel טחורים uti marginalia legunt, communiter *mariſcas*, morbum ſatis probroſum transferunt, quod cum Etymologia vocum & collatione locorum Deut. XXVIII. 27. Pſ. LXXVIII. 66. haud male convenit. Philiſtæi anathematibus his אשם *reatum* confitebantur atque ejus veniam rogabant, quod Deo Iſraelis ſumme glorioſum erat.

Solæ tabulæ fœderis in arca. Reliqua extra illam.

XXIV. Diximus ſolas fœderis tabulas arcæ incluſas fuiſſe. Qualem autem locum reliqua memorata habuerint non certo liquet. Vix tamen pavimento ita impoſita erant, ut nihil interjectum fuerit. Forſan occupabant partem lapidis magni, qui arcæ deſtinabatur, prominentem 1. Sam. VI. 15. Urceus Mannæ cum virga Aaronis ad ortum, nam erant לפני יהוה in conſpectu Jehovæ, ſed liber Legis cum ciſtula Philiſtæorum ad meridiem & ſeptentrionem. Quando poſt captivitatem Babylonicam arca deerat, adfuit tamen lapis Tr. יומא c. v. 2. משניטל הארון אבן היתה שם מימות נביאים ראשונים ושתייה היתה נקראת גבוהה מן הארץ ג' אצבעו *Ex quo arca ablata eſt, lapis ibi erat in diebus priorum Prophetarum, qui fundationum vocabatur. Ejus altitudo a terra tres digitos*, Clarius Maim. tr. בית הבחירה c. IV. init. אבן היתה בקדש הקדשים במערבו שעליה היה הארון מונח ולפניו צנצנת המן ומטה אהרן *Lapis erat in Sancto Sanctorum & quidem in ejus parte occidentali: Illi arca imponebatur: Ante illam vero urceus Mannæ & virga Aharonis.*

Varia arcæ loca.

XXV. Ordinarius arcæ locus Sanctiſſimum in Tabernaculo & poſtea in Templo erat. Attamen ex eo ſubinde efferebatur, tum quando iter faciebant, hoſtem aut urbem adoriebantur Joſ. VI. 11. 1. Sam. IV. 3. &c. ſed capta a Philiſtæis in fanum Dagonis 1. Sam. V. 2. hinc Gatham v. 8. Ekron. v. 10. Beth Schemeſch c. VI. 12. Kiriat Jearim c. VII. 1. in ædes Obed Edom 2. Sam. VI. 10. & urbem Davidis v. 16. & tandem in Templum 2. Chron. v. 7. אל מקומו אל דביר הבית *in locum ſuum, in Oraculum* (nam hactenus non erat in domus loco ſuo) inferebatur. Sub Templo ſecundo ex propria Judæorum confeſſione deficiebat. Quo autem pervenerit, non conſtat. Inter vaſa Babyloniam deportata non exſtat Eſr. I. 9. 10. Jer. LII. 17. &c. vaſa viliora a Babyloniis abducta, pretioſiſſimum vero combuſtum fuiſſe, neſcio an cum veriſimilitudine dici queat. Judæorum παράδοσιν ex Maimonide referam loc. cit. בעת שבנה שלמה את הבית וידע שסופו ליחרב בנה בו מקום ליגנוז בו הארון למטה במטמוניות עמוקות ועקלקלות ויאשיאהו המלך צוה וגנזו במקום שבנה שלמה שנ' ויאמר ללוים המבינים וכו' ונגנז עמו מטה אהרן והצנצנת ושמן המשחה וכל אלו לא חזרו בבית שני *Eo tempore, quo Salomo Templum exſtruxerat, atque noverat illud aliquando vaſtandum eſſe, ædificavit in illo locum, in quo arca abſcondatur infra terram in latibulis profundis atque tortuoſis. Joſias Rex præcepit ut occultaretur in loco, quem Salomo condiderat, prout exſtat 2. Chron. XXXV. 3. Cum ea abſcondebatur virga Aaronis, urceus atque oleum unctionis. Hæc omnia in Templo ſecundo deficiebant.*

Menſa.

XXVI. Sequuntur Vaſa Sanctuarii. I. Menſa, modo שלחן, modo שלחן הפנים, Num. IV. 7. vel שלחן י"י Malach. I. 7. 12. appellata: erat ex ligno Schittim auro obducta, longa duos cubitos, lata unum & alta unum cum dimidio, Exod. XXV. 23. cum duobus (ſermo nobis de menſa Moſis) limbis & una tænia, quæ limbum ſupra, alterum infra ſe tenebat: Et quoniam de loco in locum ſæpius transferenda, annulis IV. & duobus vectibus inſtructa deſcribitur, Exod. XXV. 24. 29. De ſitu Maim. tr. cit. c. I. המנורה בדרום משמאל הנכנס ושולחן מימין *Lychnuchus in plaga meridionali a Siniſtra ejus, qui Sanctum ingreditur. At menſa a dextra*, in plaga ſeptentrionali.

Ejus Vaſa.

XXVII. Major difficultas de inſtrumentis menſæ, quæ tam diverſe exponuntur. Exod. XXV. 29. ועשית קערתיו וכפתיו וקשותיו ומנקיתיו *& facies ſcutellas ejus, acerras ejus, perticas ejus & calamos ejus.* Vertimus קערות *ſcutellas* præeuntibus Magiſtris, ex quibus Abarb. *Com. ad h. l.* cito היה נאפה *בדפוס של ברזל וכשמוציאו מן התנור ביום ששי נתנו בדפוס של זהב עד למחר ביום השבת שמסדרו על השילחן ואותו דפוס של זהב נקרא קערה (panis) *coquebatur in forma ſive ſcutella ferrea: Sed die ſeptimanæ ſexta ex furno extracta aureæ imponebatur uſque ad diem craſtinum, qui Sabbathum erat, atque tunc in menſa diſponebatur. Hæc autem aurea forma dicebatur* קערה.

1. Scutellæ

2. Acerræ thuris.

XXVIII. Per alterum כפות *acerræ thuris* intelliguntur, tum ob 1. Reg. 7. 50. tum ob Judæorum conſenſum. Ex his nomino Maim. tr. בית הבחירה l. III. c. f. שני הבזיכין שמניחין בהן הלבונה על השלחן בצד המערכות הן הנקראין כפותיו *Duæ acerræ, quibus thus indere ſolent, ponuntur ad latus ordinum: Hæ in Lege* כפות *dicuntur*. Accedit Levit. XXIV. 7.

3. Perticæ.

XXIX. Tertium nomen קשות. Magiſtri Hebræorum diverſimode transferunt: Modo *perticas*, modo *calamos dimidiatos*. Prius magis placet, & videntur ipſi Doctores priorem ſignificatum alteri præponere. Deſcendit enim vocabulum a rad. inuſ. קשה

 Arab.

* Codex Menacoth XI. 1. appellat טבום.

Arab. ‎قشا‎ *pertulit*, *ſuſtinuit rem ex duritie* quod perticarum eſt. Hebr. קשה *durus fuit* Maim. l. cit. paulo ſupra: ד׳ סניפין של זהב היו לשלחן מפוצלין בראשיהם שהיו סומכין בהן שתי המערכות של לחם הפנים שנים מסדר ושנים מסדר זה והם הנאמרים בתורה וקשותיו *Quatuor aureæ perticæ, quæ ſuperne fiſſæ, menſæ adſtabant; atque duos panum ordines ſuſtinebant: Duæ ab hoc, duæ ab iſto latere. Vocantur in Lege* קשותיו. Huc inclinant alii, imo ipſe Raſchius, licet ſoleat pro oppoſita citari ſententia, *Comment. ad Exod. XXV.* f. 93. 1. m.

4. Calami dimidiati.

XXX. Ultimo מנקיות *calami dimidiati*, qui inter panes poſiti, illos a mucore puros ſervabant. כ״ח קנים של זהב כל אחד מחן כחצי קנה חלול״ היו לו ארבע״ עשר לסדר זה וארבעה עשר לסדר זה והם הנקראים מנקיותיו *XXVIII. calami aurei erant: Unuſquiſque inſtar dimidii calami cavi. XIV. collocati erant ad hunc, alii XIV. ad alterum ordinem.* Et paulo infra: אלו הארבעה עשר קנים נותן החלה הראשונה על עצמו של שולחן ונותו בין ראשונה ושנייה שלשה קנים וכן כי כל חלה והלה׳ ג׳ קנים ובין ששית וחמישית שני קנים בלבד לפי שאין על הששית אחרת נמצאו ד׳ עשר בכל מערכה ומערכ׳ *Quod attinet XIV. illos calamos, tenendum eſt, primam placentam ipſi menſæ impoſitam fuiſſe. Tum inter primam & ſecundam tres interponebantur calami. Conſimiliter ratione ſequentium, ſed ſextam inter & quintam duo ſolum poſiti erant calami, quia in ſexta non alia recumbebat placenta. Unde exurgit numerus XIV. calamorum, qui ad unumquemque ordinem pertinent.*

Panes propoſitionis.

XXXI. Ipſos panes, quibus menſa inſtruebatur pauliſper deguſtabimus. Dicuntur לחם פנים *panes facierum*, quia, ut Hebræi putant, varias habebant formas, vide *Maim.* tr. תמידין c. V. Requirebantur XII. pro numero tribuum Iſrael, qui in duos diſponebantur ordines. Unuſquiſque e duabus ſimilæ decimis conſtabat. Subigebantur extra, ſed coquebantur intra atrium, ſingulis Sabbathis novi imponebantur & eodem momento veteres auferebantur dividebanturque inter Sacerdotes, qui præterita ſeptimana miniſtrarunt, & illos, qui miniſtraturi ſunt ſubſequente. Hæc aliaque l. cit. apud *Maim.* Ex Chriſtianis eruditam in menſa Panum Propoſ. cognoſcenda operam navavit Amiciſſ. Lud. Wolters Holmia Svecus.

Lychnuchus. Ejus baſis.

XXXII. II. E regione ad auſtrum mire ſplendet Lychnuchus, integer ex auro, incredibili arte ita paratus, ut ex una auri maſſa diverſiſſimæ partes ope mallei deductæ fuerint. א ירך *baſis*, quod homini femur, id Lychnucho quodammodo baſis. Raſchius: הוא הרגל של מטה העשוי כמין תיבה ושלשת הרגלים יוצאין הימנה ולמטה *Pes inferior ciſtæ inſtar factus, unde tres alii pedes inferne prodeunt.* ב קנים *calami*, a forma rotunda, quorum ſeptem, ſed medius præcipuus, ex quo ſex ab utroque latere exeunt.

Calami.

Scyphi.

ג. גבועין *Scyphi*, de quibus *Maim.* tr. בית הבחירה c. III. הגביעים דומין לכוסות אלכסנדריארת שפיהן רחב ושוליהן קצר *Scyphi ſimiles ſunt Scyphis Alexandrinis cum lato ore, ſed fundo anguſto.* Inerant autem toti Lychnucho XXII. ſcyphi.

Malogranata.

ד. כפתרים *malogranata*, qualia & olim & hodie ornatus cauſa arte fieri ſolent. Raſchius כמין תפוחים היו ענולין סביב בולטין סביבות הקנ׳ האמצעי כדרך שעושין למנורות שלפני השרים *Erant pomorum inſtar rotunda atque circa calamum medium protuberabant. Talibus ornata eſſe ſolent Principum candelabra.* Maimonides numerat XI. ה. פרחים *flores*, Maim. loc. cit. הפרחים כמו פרחי העמודים שמן כמין קערה ושפתה כפולה לחוץ *Flores ad illorum formam accedunt, qui in columnis conſpiciuntur, & referunt quandam quaſi ſcutellam, orificium autem extrorſum duplicatum eſt.* Erant numero IX. Altitudo totius Lychnuchi duodeviginti palmorum erat.

Flores.

Lucernæ.

XXXIII. Septem calamis ſuperne impoſitæ erant totidem lucernæ ellychniis inſtructæ, de quibus idem Celeberrimus Magiſter ששה הנרות הקבועים בששת הקנים היוצאים מן המנורה כולן פניהם לנר האמצעי שעל קני המנורה וזה הנר האמצעי פניו כנגד קודש הקדשים והוא הנקר׳ נר מערבי *Sex lucernæ poſitæ in ſex illis calamis, qui ex medio prodibant, converſæ erant ad lucernam mediam, quæ inhærebat calamo lychnuchi medio. Hæc autem verſus Sanctiſſimum verſa, ideoque dicitur lucerna occidentalis.* Omnium memoratorum curam habebant Sacerdotes, qui illas mane & ſub veſpera parabant incendendo, extinguendo, purgando, &c.

Forcipes, trullæ.

XXXIV. Hunc in finem conficiebantur quoque ex auro forcipes, trullæ, Exod. XXV. 38. ad emungendum & emuncta continendum. Item vaſa olearia. Notant Magiſtri inſuper lapidem, cui tres inerant gradus, cujus uſus, ut Sacerdos lucernas paraturus illi inſiſteret atque memorata vaſa ibi reponeret. Conf. Exod. XXV. 31. f. & Maim. tract. בית הבחירה c. III. & Miſchn. tr. תמיד c. VI. 1.

Altare ſuffitus.

XXXV. III. Altare ſuffitus, Hebr. מזבח מקטר קטורת conſtabat ex ligno Schittim, quod auro obducebatur. Unum cubitum longum & latum, ſed duos altum. In illo quatuor diſtincte obſervanda I. IV. cornua ex eadem cum altari Materia, quæ in angulis ejus prominebant. 2. Limbus, qui coronæ inſtar ſuperiorem aræ partem cingebat.

Ejus cornua. Limbus.

bat. 3. גג Tectum ſolidum, planum, cui thuribulum imponebatur. 4. Duo annuli aurei lateribus infixi, ut per illos vectes ad aram portatilem transferendum tranſmitti poſſent. Addo Maimonid. tr. בית הבחירה c. III. c. f. מזבח הקטורת היה מרובע אמה על אמה והוא נתון בהיכל מכוון בין הצפון לדרום משוך בין השלחן והמנדר' לחוץ ושלשתן היו מונחין משליש ההיכל ולפנים כנגד הפרוכת המבדלת בין הקדש ובין הקדש הקדשים *Ara ſuffitus quadrata erat ſcil. longa & lata unum cubitum. In Templo inter ſeptentrionem & meridiem ita collocabatur, ut præ Lychnucho & menſa foras prodiret. Tria hæc vaſa poſita erant intra tertiam Templi partem verſus velum, quod Sanctum a Sanctiſſimo diſtinguit.*

Tectum. Annuli.

XXXVI. Ara hæc inſerviebat duplici uſui. א. Ut aliquando ſanguine conſpergeretur, Lev. IV. 17. præprimis tamen die expiationis. Exod. XXX. 10. conf. Lev. XVI. 18. 19. ב. Ut ſuffitus quotidianus in illo bis a Sacerdote adoleretur, Exod. XXX. 7. 8.

Aræ ſuffitus uſus.

XXXVII. Quæ de ſuffitu hoc tum ex Lege, tum ex traditionibus coguoſcenda, ex Maimonide, tr. כלי המקדש c. II. proferam. Propter prolixitatem textum originalem omittam. *Quolibet anno ſuffimentum parabatur; namque illud parandi præceptum affirmativum exſtat.* Exod. XXX. 34. Sume aromata, &c. *Lex quatuor nonniſi aromata Stacten, Onychen, Galbanum & thus purum nominatim exprimit. Reliqua vero aromata Moſi in monte Sinai tradita fuere. Aromata Moſi data in monte Sinai numero XI. quæ juſto pondere uſurpabantur. His ſine pondere ſuperaddebatur Sal Sodomiticus, Succinus Jordanis & herbæ genus, quod fumum recta aſcendere facit. Hanc certi ſolum viri noverant atque alii ab aliis traditione acceperant; Pondus XI. illorum aromatum quod attinet, hoc eſt: De unaquaque ſpecie ſequentium Stacte, Onyche, Galbano & thure pondus LXX. minarum ſumebatur; Mina autem C. denariorum erat. Sed de Myrrha, Caſia, Spica Nardi, Croco, de unoquoque pondus XVI. minarum. De coſto autem XII. & de Cinnamomo IX. de Cortice odorato trium minarum pondus. Memorata hæc junctim pondus CCCLXVIII. minarum faciunt. Omnia quam fieri poterat, minutiſſime contundebantur. Addebatur quarta Cabi de Sale Sodomitico pars, Succino Jordanis & herbæ illius, quæ fumum recta elevat, parum. Quolibet autem die Mina in ara aurea adolebatur, ſcil. CCCLXV. reſpondent diebus anni ſolaris. Tres minæ, quæ reſiduæ ſunt, ſub veſpera diei expiationis, licet jam minutim contuſæ fuerint, multo tenujus contunduntur, unde pugilli ad ſuffiendum die expiationis replentur, quod vero reliquum, licitum eſt, quemadmodum diximus tr.* שקלים de Siclis.

Suffitus deſcribitur.

XXXVIII. Æde ſancta egredimur atque ingredimur atrium, quod una cum vaſis nobilioribus perluſtrabimus. Atrium longum C. latum L. cubitos Exod. XXVII. 11. 12. Latitudo a plaga ſeptentrionali ad meridionalem, ſed longitudo ab occidentali ad orientalem menſuratur.

Atrii longitudo & latitudo.

XXXIX. Illud circumſtant ab omni plaga columnæ ex ære, ut putat Raſchius. De his nota א. numerum. In univerſum LX. aut ſecundum alios LIX. erant, quarum viginti æquali ſpatio חמש אמות בין עמוד לעמוד *quinque cubitis ab invicem diſtabant* ad meridiem & totidem ad ſeptentrionem. Ad occaſum X. ut & ad ortum. IV. ex poſterioribus portam conſtituebant, ad cujus dextram tres aliæ columnæ, ad ſiniſtram totidem collocatæ erant. ב. Altitudinem, quæ quinque cubitorum, Exod. XXVII. 18. ג. Baſes ex ære. ד. ווים ſive *uncos* formam & uſum cum litera ו. habentes ex argento. ה. faſcias ex eadem materia, quæ ornatus gratia columnas cingebant.

Columna atrii. Earum numerus. Altitudo. Baſes. Unci. Faſciæ.

XL. A columnis ſuſpendebantur קלעים *vela reticulata*, unde Chaldæus סרדין. Raſchius עשויין כמין קלעי ספינה נקבים נקבים מעשה קליע ולא מעשה אורג *formam habebant retis nautici: Non enim texebantur, ſed tota foraminata plicabantur.*

Vela columnarum.

XLI. Loco velorum, quæ jam memoravimus, ab introitu ad ortum dependebat aliud velum ex lino & lana hyacinthini, purpurei & coccinei coloris, acupictum, latum viginti cubitos.

Velum introitus atrii.

XLII. Vaſa atrii duo, labrum & altare exterius. Labrum Hebr. כיור forſan a rotunditate, una cum baſi ex ære conflatum erat, Exod. XXX. 18. ſpecialius במראות הצבאות *e ſpeculis* (fœminarum) *miniſtrantium*. Dantur enim ſpecula ex puro aut mixto ſaltem ære, vid. *Plin.* Hiſt. nat. l. XXXIII. c. IX. qua oblatione maximam profitebantur ſpontaneitatem atque intenſiſſimum cultus divini amorem. Erectum erat altare exterius inter & ædem ſanctam, Exod. XXX. 18. ſed משוך קימעא כלפי הדרום *paulo protractum verſus meridiem*. Ex eo Sacerdotes rem ſacram adminiſtraturi manus pedeſque ſub pœna mortis lavare tenebantur. conf. Maimon. tr. בית הבחירה. Subjungo, quod de deportando labro extra fontem originalem LXX. ajunt: *Καὶ λήψονται ἱμάτιον πορφυροῦν καὶ συγκαλύψουσι τὸν λουτῆρα καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ καὶ ἐμβαλοῦσιν αὐτὸ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπὶ ἀναφορεῖς. & ſument veſtimentum purpureum & cooperient*

Labrum.

perient labrum & basin ejus & injicient illud in operimentum pelliceum hyacinthinum & trajicient gestatoria ejus.

Altare holocausti. Ejus dimensio. Cornua. Ambitus. Crates.

XLIII. Altare, quod distinctionis ergo exterius, aut æneum vel holocausti vocatur, constabat e ligno Schittim, ære obducto. Nota א. dimensionem: Longitudo & latitudo v. cubitorum, altitudo autem III. ב. Cornua ejusdem materiæ numero IV. ex angulis prominentia. ג. כרכב *ambitum* Sacerdotibus ad ligna, victimas, aliaque in ara præstanda inservientem. ד. Cratem ex ære paulo infra ambitum. Posita videtur interius, ut ligna, victimas sustineret atque cinerem transmitteret. Alioquin spatium interius cavum erat. ה. Clivum: Neque enim Sacerdotibus per gradus ascendere concessum erat, Exod. xx. 26. ad omnem nuditatis detectionem evitandum. ו. Vectes ligneos ære incrustatos: quia enim altare uni loco haud affixum erat his indigebat. Ex eadem causa exiguæ mensuræ præscribebatur. Cave confundas ea, quæ de altari Templi secundi a Doctoribus referuntur cum hoc Bezaleelis.

Clivus.


Vectes.

Tabernaculi variæ sedes.

XLIV. Postquam totum Tabernaculum perlustravimus, lubet finem facere, si prius varias ejus sedes ex Maimonide apposuero: כיון שנכנסו לארץ העמידו המשכן בגלגל ארבע עשר' שנה שכבשו ושחלקו ומשם באו לשילה ובנו שם בית של אבנים ופרשו יריעות המשכן עליו ולא היתה שם תקרה ושס"ט שנה עמד משכן בשילה וכשמת עלי חרב ובאו לנוב ובנו שם מקדש וכשמת שמואל חרב ובאו לגבעון ובנו שם מקדש ומגבעון באו לבית עולמים וימי נוב וגבעון שבעה וחמשים שנה *Quando terram intrarant, tabernaculum in Gilgale erexerunt, ubi illud XIV. annos, quot terræ occupandæ & distribuendæ impenderant, permansit. Tum Schiluntem transferebatur atque ibi ædificabatur domus lapidea, quam aulæis supra expansis texerant: Neque enim tectum habebat: Tempus vero, quod in Schilunte stetit, est CCCLXIX. Mortuo autem Eli & æde illa devastata Nobam ferebatur, quo in loco Sanctuarium exstruebatur. Quod cum post Samuelis obitum desolatum esset aliud ædificabatur in Gibeone. Hinc tandem in domum perpetuam inferebatur. Substitit vero in Noba & Gibeone annis LVII.*



MO-



MOSES ET AARON.

LIBER SECUNDUS.

DE

LOCIS.

CAPUT PRIMUM.

De Templo.

I. ISraelitis ex Ægypto egreſſis, jubetur Moſes exſtruere *TABERNACULUM*, quod ſit locus cultui publico ſacer; iis in terra promiſſionis confirmatis, Salomo, juſſu Dei, *TEMPLUM* molitur.

Tabernaculum & Templum juſſu Dei a Moſe & Salomone ſtruuntur.

II. Hæc duo nobis depingunt diſcrimen *Synagogæ Judaicæ* & *Eccleſiæ Chriſtianæ*. *Tabernaculum* fuit mobile, unius brevisque temporis; *Templum* fixum, firmum ac durabile. *Vetus Tabernaculum* antiquabile, uni populo brevique tempori adſtrictum fuit. *Novum* perpetuum & ad mundi fines extenſum. Præcipue delineant ſtatum Eccleſiæ militantis & triumphantis; utrumque reſpicit David *Pſal. XV. 1. Jehovah, quis hoſpitabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte ſanctitatis tuæ:*

Utriuſque Myſteriū.

III. In eadem valle eminent tres montes, *TZION*, *MORIA*, & *MONS CALVARIÆ*. Mons *Tzion* portabat urbem munimentumque Davidis, [1] *Moriam* premebat Templum; monti *Calvariæ* palus, ex quo pependit noſter Servator, infixus fuit. Hi tamen tres montes communi nomine *Tzion* dicti ſunt. *Genebrard. in Chronol. l. 1. anno mundi* 3146. Hinc eſt, quod S. Scriptura de Templo loquatur quaſi exſtructo in monte *Tzione*, cum ipſum *Moriæ* eſſet impoſitum.

Tres celebres montes Tzion Moria, Calvariæ, in quorum altero Templum proprie ſitum erat.

IV. In TEMPLO hæc tria ſunt notatu digna. 1. *Sanctum Sanctorum*, conveniens choro ſive anteriori parti noſtrarum ædium Baſilicarum, Chum-Kirchen. 2. *Sanctum*, coincidens cum corpore ædium. 3. *Atrium* referens noſtra cœmeteria ambientia templum.

Templi III. partes.

V. In *Sancto Sanctorum* erant χρυσῦν θυμιατήριον, *aureum Thuribulum* καὶ Κιβωτὸς τῆς διαθήκης, & *Arca teſtamenti*, *Hebr. IX. 4.* In ea *arca* erant tria. 1. *Urna aurea* habens Mannam. 2. *Virga Aaronis* ἡβλαστήσασα, *quæ fronduerat*. 3. Αἱ πλάκες τῆς διαθήκης, *Tabulæ teſtamenti*. Sunt qui illud ἐν ᾗ *in qua Hebr. IX. 4.* non referunt ad τὴν κιβωτὸν, *arcam*, ſed τὴν σκηνὴν, *tabernaculum*, [2] *verſ.* 1. 2. 3. & dicunt, in *tabernaculo* ſecundo, quod appellatum ἅγια ἁγίων, *Sanctum Sanctorum*, fuiſſe *urnam Mannæ*, & *virgam Aaronis*,

Vaſa in Sanctiſſimo Thuribulum & Arca cum contentis.

ronis, *tabulasque fœderis;* videlicet *urnam & virgam* ante *Arcam*, *tabulam* autem in *Arca*. Ita *Moses Kotf.* 210. 1. Sic tempore Mosis tria illa simul in *Arca* fuere, Salomonis autem ævo solas tabulas testamenti *Arca* continuit 1. Reg. VIII. 9.

Arcæ operculū. VI. *Operculum* hujus *Arcæ* vocatur ἱλαστήριον, *propitiatorium*, quod Legem operiret celaretque, ne coram Deo hominem accusaret. Typus erat Christi, qui quoque di-

Mysteriū. citur ἱλαστήριον *propitiatorium* nostrum, Rom. III. 25. & ἱλασμὸς *propitiatio*, 1. *Joh. II.* 2.

Cherubini. VII. Ex utraque *operculi* extremitate stabat *Cherubinus* passis alis, Deo oracula pandente e medio duorum istorum *Cherubinorum*. *Exod. XXV.* 22. Hinc Deus dicitur *sedere inter Cherubinos*. *Psal. XCIX.* 1. Forma *Cherubinorum* talis fuit, ut unius facies

Mysterium. ad alterum obversa, utriusque vero ora & oculi in operculo defixi essent. Designare commode possunt *Judæos* & *Christianos*, qui se obverso vultu tuentur, idem tamen ἱλαστήριον Christum & Salvatorem anhelantes.

Vasa Sancti: VIII. In *Sancto* collocatum erat *Altare thymiamatis* medium, & *mensa cum duodecim panibus propositionis* ad unum; & *lychnuchus* ad alterum latus.

1. Altaris suffitus. IX. *Altare suffitus* erat typus precum nostrarum Psal. CXLI. 2. Et quod Pontifex semel quotannis illud adspersit sanguine sacrificii pro peccato, Exod. XXX. 10. docemur, preces nostras Deo acceptas non esse, nisi sint sanctificatæ sanguine Christi.

2. Mensæ. X. *Duodecim panes* denotabant *duodecim tribus* & *lychnuchus verbum Dei*. In his omnibus cernere possumus necessitatem *precum* & *predicationum*, si Deo volumus esse εὐάρεστοι *grati*. *Lychnuchus prædicationis*, *thymiamata precationis* monumenta & typi fuere.

3. Lychnuchi. Mysterium. Differentia vasorum in Tabernaculo & Templo. XI. In tabernaculo Mosis saltem *una* fuit mensa, *unusque* lychnuchus; in templo Salomonis *decem* [3] mensæ *totidemque* lychnuchi; uti & in tabernaculi atrio *unum* tantum labrum æneum, in templi atrio *decem* erant, [4] & aliud vas magnum, [5] ex quibus se Sacerdotes lavarunt. Tabernaculum solummodo duas tubas argenteas habuit, templum centum Sacerdotes, tubis clangentes.

Atrium Sacerdotum. XII. Illud duo [6] saltem cinxere atria; 1. *Atrium Sacerdotum*, in quo posita erant *æneum altare* sacrificiis sacrum & *labrum*, ex quo Sacerdotes & sese & sacrificia mundarent. *Labrum* & *Altare eodem* locata *atrio* significant idem, quod aqua & sanguis stillans ex hausto Christi latere, videlicet necessariam conjunctionem sanctificationis & justificationis in omnibus salvandis. *Labrum* & *aqua sanctificationem*, *altare* ac *sanguis justificationem* notat. 2. *Atrium populi*. *Atrium* Sacerdotum & *Atrium* populi distin-

Populi. xit murus trium cubitorum, *Joseph. lib.* 8. *cap.* 13. [7]

Varia nomina atrii populi. XIII. *Atrium* populi sæpe vocatur *atrium exterius*, subinde *templum*, interdum *domus anterior*, sive *atrium Salomonis*, [8] quod circumseptum erat multis porticibus, quæ populum orto imbre tutum reddebant. Retinuit nomen *Salomonis*, vel ob beatam ipsius memoriam recolendam, vel ob similitudinem porticuum istarum cum porticibus & vestibulo, quo Salomo templum circumvallavit, 1. *Reg. VI.* 3. *Jesus ambulabat in Sanctuario*, ἐν τῇ στοᾷ *in porticu Salomonis*, *Joh. X.* 23. *Omnis populus concurrit ad eos*, ἐπὶ τῇ στοᾷ *in porticu Salomonis*, *Act. III.* 11. h. e. exteriore vestibulo.

In illo suggestus. XIV. In medio *atrii* populi erexit Salomo *suggestum æneum* pro Rege, 2. Chron. VI. 13.

Atrium populi; prius indivisa postea divisa area XV. Templum hoc populi *atrio* fuit circumcinctum; quod tempore Salomonis una & indivisa area fuit, postmodum autem depressiori vallo disjuncta, [9] ita ut viri in interiore illius parte, fœminæ in exteriore starent. Hoc sepimentum & discrimen putatur esse factum tempore Josaphati, quem legimus stetisse *in domo Jehovæ ante atrium novum*, h. e. *atrium* fœminarum. 2. Chron. XX. 5.

Distinguebantur scala XV. graduum. XVI. Inter *atrium* fœminarum & virorum *scala* fuit *quindecim graduum*, [10] in quibus gradibus Levitæ quindecim illos Psalmos, qui immediate excipiunt Psalm. CXIX. singulos Psalmos in singulis gradibus modulabantur; unde & isti *Psalmi* dicuntur *Graduales*. *R. David Kimchi Psalm. CXX.*

In atrio fœminarum capsa eleemosynaria. XVII. In fœminarum *atrio* posita fuit *capsa eleemosynaria*, ut patet ex Luc. XXI. 1. ubi vidua tenui sorte in eam immisit *duos minutos asses*. Ea *capsa* Hebr. vocatur קרבן *cista oblationum*; sed hæc vox simpliciter notat *oblationem*, *donum*; quo sensu dicitur *Luc. XXI.* 4. 4. *Omnes hi ex sua redundantia miserunt*, εἰς τὰ δῶρα τοῦ Θεοῦ, *in donum Dei*, h. e. in τὸ *Korban*, sive in *cistam istam*. In Greco vocatur γαζοφυλάκιον [11] *gazophylacium*, *argyrotheca*. ab hoc γαζοφυλακίῳ videtur differe ea argyrotheca, quam fabricavit *Jojada* 2. *Reg. XII.* 9. nam extraordinaria tantum fuit, renovando templo destinata, & juxta altare *atrii* Sacerdotum locata; in quam Sacerdotes, non autem offerentes, dona conjecerunt, Subinde totum *atrium* nuncupatur *gazophylacium*. *Hæc verba locutus est Jesus* ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ *in gazophylacio*, *Joh. VIII.* 20.

Eleemosyna Hebr. צדקה. XVIII. Notandum est, quod Hebraica vox צדקה *eleemosyna* significet *justitiam* [12] adeoque doceat eleemosynas nostras erogandas ex opibus juste acquisitis; quo intuitu

Judæi

Judæi ſuam arcam eleemoſynariam vocant קופה של צדקה *capſam juſtitiæ*, inque ea exarant hanc abbreviaturam מביא ex *Prov. XXI.* 14. מתן בסתר יכפה אף *donum in occulto ſubigit iram. Buxtorff. in abbrev.* מביא.

In Templo Herodis IV. areæ.

XIX. In Templo *Herodis* quatuor *areæ* h. e. *atria* fuere, unum pro *Sacerdotibus*, unum pro *viris*, unum pro *fœminis*, & unum pro [13] legaliter *impuris* ac *peregrinis*. *Joſeph. lib.* 2. *cont. App.* 1066.

Murus intergerinus.

XX. Hoc extremum *atrium impurorum & hoſpitum intergerinus murus* lapideus trium cubitorum diſcrevit ab atrio fœminarum. Illum murum condecorabant pilæ paribus intervallis diſpoſitæ, hanc inſcriptionem ferentes: Μὴ δεῖ ἀλλόφυλον ἐντὸς τȣ̃ ἁγίȣ παριέναι. *Non debet alienigena in locum ſanctum tranſire Joſeph. de B. J. lib.* 6. *cap.* 6. [14]

Trina Templi exſtructio Ejuſque tempus.

XXI. Templum Hieroſolymitanum ter exſtructum eſt. 1. A *Salomone*. 2. A. *Zerubabele*. 3. Ab *Herode*. Prius ædificium abſolutum eſt annis ſeptem, 1. Reg. VI. 38. Secundum annis quadraginta ſex, cœptum *ſecundo* anno Regis *Cyri*, *Eſr. III.* 8. perfectum *nono* anno Darii *Hyſtaſpis*. [15] *Joſeph. Antiq. libr. II. cap.* 4. Sic fluunt anni: Cyrus Imperium tenuit tringinta annos; Cambyſcs octo, abſolvitur templum nono anno Darii Hyſtaſpis; jam ſi demas unum annum Cyri imperio, habes annos quadraginta ſex. Herodis templum conſummatum eſt *octo annis*. *Joſeph. Antiq. lib. XV. cap. ult.*

Difficultas ex Joh. II. 20.

XXII. Serram inter ſe reciprocant eruditi, multumque digladiantur, de quo templo ſermo ſit Judæorum, *Joh. II.* 20. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς ȣ̃τος. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt hoc templum*. [16] Multi exponunt de ſecundo templo, dicentes, quod Herodes id ſolummodo recuderit, non vero novum ſtruxerit. Hi autem inſupputatione annorum in diverſum abeunt; Scripturaque aperte ait, domum iſtam fuiſſe expeditam ſexto anno Regis Darii, Eſr. VI. 15. Joſephus quoque loquitur *de novo Herodis templo, prius diruentis*. Probabilius ergo videtur, Judæos fari de *templo Herodis*, quod licet *octo annis* erectum, hoc tamen tempore, quo Judæi hæc inquiebant, præciſe ſteterat quadraginta ſex annos, tot enim anni intercurrunt *decimum octavum* annum imperii *Herodis* (quo templum ædificari cœptum eſt) & *annum baptiſmi Chriſti*, circa cujus tempus hoc eſſe dictum putatur. Toto hoc annorum tractu, templo quotidie plus dignitatis decoriſque ac perfectionis acceſſit, adhibita ſubtiliori lima; ſic ut hoc reſpectu tanto temporis fluxu templum ſtructum dici poſſit. Vide *Hoſpin. de Orig. templ. cap.* 3. & *ſupputat. Funcii an.* 347.

Templum ſecundum vilius Salomonis. præſertim V. rebus.

XXIII. Senes dicuntur obortis lacrymis contemplati eſſe *templum ſecundum*, quod multo inferius eſſet templo *Salomonis*, dignitate & ornatu: [17] Eſr. III. 12. Superatum autem eſt a templo priore 1. *Ædificio* quod multo imperfectius jam & inelaboratius erat. 2. *Vaſis*, quæ jam erant cuprea, antea aurea. *Hoſpin. ex Talmud. de Origin. Templ.* c. 3. 3. *Quinque rebus*, [18] quæ fuerunt ſub templo primo, defeceruntque ſecundo. *Kimchi in Hag.* 1. 8. Item R. *Salomon. ib.* Nimirum A. *Arca* Dei. B. *Urim & Thummim*; Deus per hæc non reſpondit, ut antea. C. *Ignis* ȣ̓ρανοπετὴς *delapſus cœlo*, qui in priori templo holocauſta abſorpſit. D. *Gloria Dei* habitans inter Cherubinos, quam vocarunt שכינה *inhabitationem Majeſtatis Divinæ*. Hoc reſpicit Apoſt. Col. II. 9. Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς. *In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis, corporaliter*; h. e. non in nubibus, ceremoniis, umbris, veluti inter Cherubinos, ſed *vere &* ȣ̓σιωδῶς *eſſentaliter*. E. *Spiritus S.* ſcil. illis inſpirans dona prophetiæ, nam inter Malachiam & Johannem Baptiſtam nullus ſurrexit Propheta; ſed fuerunt informati per בת קול *filiam vocis*, quæ eſt echo cœlitus allata. Et hæc eſt ratio, cur diſcipuli Johannis dixerint: *Non audivimus* εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐςι, *eſſe Spiritum S.*

Difficultas ex Hagg. II. 9.

XXIV. Hic quæri poſſet, qui verificetur prophetia, *Haggæi cap. II.* 9. כבוד *Gloria domus hujus poſterioris major erit, quam illius prioris*. ℞. Templum Herodis, quod loco illius exſtructum eſt, majori fuit cultu, & ſuperbiori ædificii ſplendore, quam Salomonis templum fuit & glorioſiore dignitate, dum Chriſtus in eo docuit. [19]

Vaſtatio Templi Herodis.

XXV. Poſtea milites *Titi* ſubditis facibus magnificum illud *Herodis* templum igni depaſcendum dedere, qui nulla humana induſtria compeſci potuit. *Genebrard. Chron. lib. II. Anno Chriſti* 69. Eadem tempeſtate templum *Delphicum* Gentibus frequentiſſimum terræ motu & æthereorum lapidum imbre concuſſum corruit; nec unquam cum Hieroſolymitano reſtaurari potuit; [20] qui utriuſque miraculi concurſus docuit, adeſſe finem *ceremoniarum Judaicarum*, & *Gentium idololatriæ*, eorumque caſu ſtabiliendum filii Dei regnum.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

Annot. [1] Paulo aliter Josephus de B. J. l. vi. c. vi. p. 912. qui munimentum Davidis monti Sioni, at civitatem monti Acræ insedisse refert. Hæc inferius cap. de Hierosolyma Σ. Θ. prolixius tractanda erunt.

[2] Nulla ex allatis conciliationibus placet. Non prior: ob subjectum immediate antecedens, nexum & comma 5. Non posterior. Moses nullibi memorat se vasa memorata arcæ inclusisse: Deus vero jussit ut *in conspectu* suo *ante arcam* ponerentur, quod aliter longe sonat ac includere arcæ aut נתן אל הארון *indere arcæ*, quemadmodum de tabulis testimonii reperitur Exod. XXV. 15. Nec legimus arcam, ex quo operculum impositum erat, retectam fuisse. Quare maxime consultum judicamus, ut illud *ἐν*, quod respondet Hebr. ב ea significatione accipiatur, quæ vasis memoratis convenit quamque usus admittit. Vasa illa vel juxta arcam erant, ut urceus Mannæ, virga Aaronis; vel in arca, uti tabulæ fœderis. Ratione priorum idem ac AD JUXTA veluti 1. Reg. VIII. 9. *Non erant in arca nisi duæ tabulæ lapideæ, quas Moses reposuit* בחרב Lxx. *ἐν Χωρὴβ* h. e. juxta Choreb, quando jam monte descenderat Deuter. X. 5. Ezech. X. 15. animal, quod vidi בנהר in fluvio h. e. juxta fluvium Chebar conf. c. 1. 1. ubi pro ב occurrit על.

[3] Undecim mensæ, totidem Lychnuchi & Labra in Templo Salomonis reperiebantur. Nam de unaquaque specie decem a Salomone parabantur. His adde labrum, mensam & lychnuchum Mosaicum. 11. Chron. IV. 6. 7. 8. Hac quoque ratione Doctores Judæorum exponunt. Raschius ad verba: & fecit decem labra לבד מאותו של משה *excepto Mosaico* R. D. Kimchius חמשה מימין וחמשה משמאל, פי' מימין ביור משה ומשמאלו וכן במנורות חמש מימין מנורה שעשה משה וחמש משמאלו וכן בשלחנות חמש מימין לשלחן משה וחמש משמאלו (*labra*) *quinque a dextra, quinque alia a sinistra scil. a dextra labri Mosaici & totidem a sinistra. Par ratio lychnuchorum: quinque ad dextram, alii quinque ad sinistrum lychnuchi Mosis latus sistebantur. Consimiliter quoad mensas, quarum quinque ad dextram, sed alia quinque ad sinistram Mosis stabant.* Licet nondum certum videatur an nomen *dextra* aut *sinistra* respiciat mensam Mosis aut plagam domus. Posterius, saltem quoad labra, magis placet 1. Reg. VII. 39.

[4] Labra, quæ Salomon confici curaverat, erant numero X. ex ære, in superiori Peripheria quatuor cubitorum, continentia XL. Bathos (Bathus autem tantum continet, quantum ccccxxxii. ova) Insistebant totidem basibus 1. Reg. VII. 38. iv. cubitos longis & latis & iii. altis, quæ Leonum Bovum & Cherubinorum formas oculis intuentium objiciebant. Hæ dein rotis æneis, quæ eandem cum rotis currus formam referebant, cubitum & dimidium altis insidebant. Usus *εἰς τὸ καθαίρειν τὰ ἐντὸς τῶν ὁλοκαυτωμένων ζώων καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ad intestina atque pedes holocaustorum purgandum.* Joseph. Antiq. l. VIII. c. II. p. 261. f. In antecedentibus plura alia de labris Salomonis tradit, quorum quædam ex sacris emendanda sunt. conf. 11. Chron. IV. 6.

[5] Sequitur mare æneum sive fusum ex ære. Mare appellatur *διὰ τὸ μέγεθος*, ut habet Josephus l. cit. nam crassities palmaris, altitudo quinque cubitorum & latitudo diametri decem, unde Peripheria xxx. cubitos tenebat 11. Chron. IV. 2. Ad hunc modum recentiores Judæi שיש בהקיפו ג' טפחים יש בו רוחב טפח *Quod in peripheria tres palmos, in latitudine unum occupat.* tr. עירובין c. 1. 5. Atque hoc glossa Bartenoriana exemplo maris fusi illustrat. Verum observarunt Geometræ hanc dimensionem minus accuratam esse, quod peritiores hujus artis ex Judæis non diffitentur. Lippmannus ex Rambam ad l. cit. כל שיש אמה באלכסון שלה יש בהקיפה ג' א' ושביעית בקרוב ולפי שזה לא ימצא לעולם אלא בקירוב לקחו הם בחשבון הגדור *quod in diametro unius cubiti est, id in peripheria trium & prope septimæ partis. Quoniam autem hæc proportio non nisi circiter intelligitur, sapientes maluerunt definitum aliquem numerum nominare*, qualis scilicet superior iste. Qua quoque ratione dimensio 11. Chron. IV. accipi potest. Audi insuper Ralbag ad 1. Reg. VII. 23. הנה אמרו שקו שלשים באמה יסוב אותו סביב הוא על דרך קירוב כי ההיקף בעגול הוא מוסיף על שלשה כשעור בקוטר כמו שביעית הקוטר בקירוב מעט ואם אמרנו שמדת הקו הסובב היא לקוח בחלל הים הנה יהיה יותר קרוב אל האמת אך יהיה בו קירוב מעט כי עביו היה טפח ולזה יהיה קטר חללו עשר אמות פחות שלישית אמה ויהיה הקיפו בקירוב יותר על שלשים אמה אמה ושלישית אמה *Quando textus ait, funiculum xxx. cubitorum mare circumquaque ambiisse, hoc non ita accipiendum est, ac si dimensio accurata esset, sed nonnisi plus minus. Circumcurrens linea enim septimam circiter partem ultra mensuram diametri tertio computatam tenet. Quando statuimus lineam circumductam in maris concavitate mensuratam fuisse, tum vero propius accedemus, quamvis aliqua exigua tamen distantia remansura sit; etenim crassities palmaris erat. Hac ratione diameter concavi erat X. cubitorum, demta tertia cubiti parte, sed circumcurrens linea xxx. cubitorum & unius atque tertiæ partis.* Continebat 2000. bathos. 1. Reg. VII. 26. At 11. Chron. IV. 5. 3000. scil. ut transfert Targum Chronicorum maxime laudabili M. Frid. Beckii cura in lucem productum בהין ביובש (supple אלפין) תלת מקיט תרין אלפין בהין ברוטבא מחסיל *comprehendit 3000. bathos rerum aridarum, sed 2000. rerum humidarum* nam כל כלי שעמקו חצי רחבו כשגדשו משפתו ולמעלה הוא שליש ממה שמכיל הכלי עד שפתו *quodque vas, cujus profunditas dimidiatam proportionem habet, ad diametrum si post impletionem porro acervetur, tantum admittit cumulum, ut tertiam partem ejus quantitatis, cujus ipsum vas ad oram usque capax est, exæquet*, uti Wagenseilius e Schilte Haggiborim c. xxvii. vertit vid. Sota c. 11. §. 11. num. 4. pag. 357. Maris ora florum instar volvebatur: reliquum corpus פקעים, forsan *cucurbitis*, ornatum erat. Insistebat duodecim bobus æneis omnes plagas intuentibus. Aqua per canalem ex fonte Etham illud influebat. vid. L' Empereur tr. מדות c. 11. 6. 1. Totum hoc inserviebat lotioni sacerdotum 11. Chron. IV. 6. cujus modum scriptura non detexit. Quodnam Templi 11. labrum fuerit, disce ex Maimon. tr. בית הבחירה c. iii. f. הכיור היו לו שנים עשר דד כדי שיהיו כל הכהנים העוסקים בתמיד מקדשים ממנו כאחד *Labro* xi. *epistomia erant, quo omnes sacerdotes circa sacrificium juge occupati una inde se sanctificare possent.*

[6] Tabernaculo stante unicum erat atrium חצר dictum. (quo nomine atria ante Palatia veniunt 1. Reg. vii. 8. 11. Reg. xx. 4. Esth. v. 2.) An illud præter Sacerdotes etiam alii Israelitæ intraverint, non clare constat. Id tamen certum videtur illos, qui Sacra Deo obtulerunt, intra velum ingressos fuisse. Reliqui forsan extra stabant atque cuncta, quæ intus ab Aarone & filiis ejus agebantur, oculis obibant, nam quia vela reticulata a columnis suspensa erant, intuitus non arcebatur. Nisi putes obstare Exod. xxxviii. 8. coll. 1. Sam. 11. 22. nam convenire פתח אהל מועד (ad) *ostium tentorii conventus*, de iis dicitur, qui intra atrium subsistunt. vid. Exod. xxix. 4. Lev. iv. 4. &c. opposite ad פתח שער החצר *ostium portæ atrii* Num. iv. 26. Quando autem aditus atrii mulieribus concessus, tum multo magis viris, ita tamen ut uterque sexus distincta occupaverit loca, quod & sanctitas loci atque phrasis הנשים הצבאות *mulieres agminatim & ordinatim convenientes* 1. Sam. 11. 22. poscit.

[7] Sub Templo primo duo 11. Reg. xxi. 5. memorantur atria. Atrium Sacerdotum & atrium magnum 11. Chron. iv. 9. illud הפנימית *interius* Ezech. x. 3. ceu ædi sanctæ propius, in quo sacerdotes res sacras administrabant. Alias חצר בית יהוה *atrium domus Jehovæ* 11. Chron. xxiv. 21. conf. Matth. xxiii. 35. Locus sacerrimus crimen augebat. Atrium magnum capiebat Israelitas, viros & fœminas, quem in finem magnum requirebatur spatium. Raschius explicat עזרת ישראל *atrium Israelis.*

[8] Atrium populi atrium Salomonis dici testimonio fide digno probari posse non puto. Nam Joh. x. 23. Act. iii. 11. *στοὰ Σολομῶνος porticus Salomonis* ab atrio isto distinctum quid est, nec tam late patet. Inserviebat Judæis in Templum convenientibus, ut ad-

adverſus aeris inclementias tuti eſſent. Joſeph. Antiq. Jud. l. xx. c. VIII. p. 699. ἐπειϑεν τὸν βασιλέα τὴν ἀνατολικὴν στοὰν ἀνεγεῖραι. ἦν δὲ ἡ στοὰ τοῦ μὲν ἔξωθεν ἱεροῦ κειμένη δὲ ἐκ φάραγγι βαθείᾳ τετρακοσίων πηχῶν τοὺς τοίχους ἔχουσα, ἐκ λίθου δὲ τετραγώνου κατεσκεύαστο καὶ λευκοῦ πάνυ, τὸ μὲν μῆκος ἑκάστου λίθου πήχεις εἴκοσι, τὸ δὲ ὕψος ἕξ, ἔργον Σολομῶνος τοῦ βασιλέως πρώτου δειμαμένου τὸ σύμπαν ἱερὸν (Populus) *ſuaſit regi, ut Orientalem inſtauraret porticum, ea templi extima claudebat profundæ valli imminens ac proinde ſubnixa muro quadringentos alto cubitos ſaxis conſtructo quadratis valde candidis: eratque cujuſque ſaxi longitudo cubitorum viginti, ſex vero altitudo: Opus SALOMONIS REGIS qui primus integrum templum exſtruxit.*

9 Aream prius indiviſam, poſteriori tempore diviſam fuiſſe Hiſtoria Judaica facile admittit, ſed num referendum ſit ad tempora Joſaphati, ego nullam cerno rationem. Neque enim ex 1. Chron. xx. 5. ubi *atrium novum* memoratur, elucet. Imo incertum, an ſacerdotum, an vero populi intelligendum ſit, prout Interpretum variæ proſtant expoſitiones.

10 Degradibus his Tr. Miſchn. מדות cap. II. 5. וחמשה עשר מעלות עולות מתוכה לעזרה ישראל כנגד המשה עשר מעלות שבתהלים שעליהם הלוים אומרים בשיר לא היו טרוטות אלא מוקפות כחצי גורן עגולה *Quindecim gradus aſcendebant ex medio* (atrii fœminarum) *in atrium Iſraelis: Hi reſpondebant Pſalmis, qui* gradus *inſcribuntur* (ſcil. Pſ. cxx-cxxv.) *Iis Levitæ inſiſtentes canebant. Gradus illi non erant recti ſed gyrati inſtar dimidiæ rotundæ areæ.* conf. tr. סוכה c. v. 4. Commode inſcriptiones שיר המעלות *canticum graduum*, quod in gradibus cantandum erat, dicuntur conf. 1. Reg. xi. Exod. xx. 26. Neh. III. 15. Difficultas aliqua inde oritur, quod Auctor Inſcriptionum ſit David, cujus ævo ejuſmodi gradus nulli erant, neque etiam in Templo Salomonis leguntur. Non tamen impedit, quominus attendentes ad vim vocis aſſeramus ex mente Hieropſalmographi Pſalmos illos in gradibus Templi elevatis cantandos fuiſſe. Attamen nollem affirmare totidem gradus atque eo in loco in quo ſub Templo ſecundo indicantur, in illo, cujus Salomo Auctor eſt, repertos fuiſſe. Forſan ii, penes quos poſt captivitatem Babylonicam exædificatio ſteterat, primi habita ad Pſalmos illos ratione ſcalam quindecim graduum confici curarunt.

11 Γαζοφυλάκιον notat proprie arcam, repoſitorium; in quo pecunia publica aſſervatur, quomodo Marc. XII. 43. Luc. XXI. 1. 1. Maccab. XIV. 48. II. Maccab. III. 6. &c. minus proprietatem atrii fœminarum, uti Joh. VIII. 2. Quoniam autem ejuſmodi arcæ, aut repoſitoria plura erant, locus credibiliter ſatis ſpatioſus nomine Gazophylacii inſignitus eſt. Plura fuiſſe inde patet, quia Joſephus γαζοφυλάκια memorat l.V.14.& Miſchnici XIII. diſtinctas ciſtulas tradunt tr. שקלים c.V.5 שלשה עשר שופרות היו במקדש וכתוב עליהן תקלין חדתין ותיקלין עתיקין קינים וגוזלי עולה עצים ולבונה זהב לכפרת וששה לנדבה *Tredecim ciſtæ in Sanctuario erant, quibus* nomina rerum colligendarum *inſcribebantur*, ſcilicet *Sicli novi* (pro hoc anno) *Scil veteres* (quorum ſolutio jam preterito anno debebatur) *Nidi. Pulli pro holocauſto. Ligna. Thus. Aurum pro expiatione. Sex reliquæ pro ſpontanea oblatione.* Ciſtæ illæ nuncupabantur שופרות proprie *buccinæ*, nam erant תיבות צרות מלמעלה ורחבות מלמטה *ciſtæ ſuperne anguſtæ, ſed inferne latæ*, ad modum buccinarum. Forſan huc alluſit Salvator noſter Matth. VI. 2. *quando eleemoſynam erogas* μὴ σαλπίσῃς. Hic enim erat publicus liberalitatis exercendæ locus, ad illum frequens hominum concio convenerat, adeoque talem Hypocritæ, ut viderentur, elegerunt. Chriſtus vero commendat eleemoſynam ἐν τῷ κρυπτῷ. Confer tr. cit. c. V. 6. לשכת חשאים יראי חטא נותנים לתוכה בחשאי ועניים בני טובים מתפרנסין מתוכה בחשאי *Conclave occultorum* (erat in templo & hoc nomen ideo habebat, quia) *homines, qui peccata timebant,* (pecuniam) *in illud* ἐν κρυπτῷ *occulte projiciebant: Pauperes liberi bonorum inde* ἐν κρυπτῷ *occulte alebantur.* Cui uſui argyrotheca Jojadæ, de qua Auctor, eidem ſub Templo II. לשכת בדק הבית *conclave reparationis Templi* l. cit. conf. II. Reg. XII. 6. 7.

12 צדקה in ſcriptura & libris Judæorum pro benignitate, clementia etiam uſurpatur, uti δικαιοσύνη, δίκαιος. Loca ſunt Pſalm. XXII. 32. XXIV. 5. ubi & in aliis locis LXX. ἐλεημοσύνη, præprimis Pſ. CXII. *diſperſit, dedit egenis* צדקתו *juſtitia ejus* beneficentia ejus *conſiſtit in perpetuum* conf. II. Corinth. IX. 9. & ſcopum Apoſtoli. Matth. l. 19. *Joſephus autem maritus ejus* δίκαιος ὢν *clemens*, benignus *erat*. Rabbinorum dictum: מלח ממון צדקה *Sal divitiarum Eleemoſyna eſt.*

13 Atria templi ſecundi ab iis in Templo I. & Tabernaculo probe diſcernenda ſunt, quod ab his, qui locorum ſacrorum hiſtoriam nobis tradiderunt, non ſemper accurate obſervatur, putantes eadem de omnibus jure dici. Defectum Auctoris de atriis poſt Captivitatem Babylonicam nonnihil ſupplebo. Notum autem ſita illa fuiſſe in monte: Quæ ſublimiora, ea ſanctiora, utpote magis propinqua ipſi ædi ſanctæ in vertice montis collocatæ. Ex atriis ſanctiſſimum, quod Sacerdotum dicitur & in illo pars ab altari ad veſtibulum alteram verſus atrium Iſraelis ſanctitate longe ſuperat vid. Joel. II. 17. tr. מדות cap. II. 6. עזרת כהנים היתה אורך מאה ושלשים וחמש על רוחב אחד עשרה *Atrium Sacerdotum longum CXXXV. ſed latum XI. cubitos erat.* Juxta id ſitum א altare exterius ſive holocauſti, quod quaquaverſum cubitorum XXXII. altum vero X. Fundamentum habebat ad plagam qua ſeptentrionalem, qua occidentalem, non tamen reliquas niſi exigua parte. Inſuper foramina ſanguini excipiendo deſtinata. Dein circuitum Sacerdotum; Præterea filum rubrum ad aſperſiones ſanguinis ſuperiores & inferiores diſtinguendas. Item quatuor cornua in quatuor altaris angulis prominentia. Duo adhuc foramina libationi vini & aquæ conſecrata. Focos tres quatuorve. Tandem tres clivos, unum majorem & duos minores, De his conſule tr. cit. c. III. nec non Maimon. tr. בית הבחירה c. II. ב labrum, de quo ſupra ג annuli mactatorii ד Menſæ marmoreæ ה Columnæ excoriatoriæ. Sequitur atrium Iſraelis illo inferius duobus cubitis cum dimidio, in longitudine & latitudine convenit. Ex hoc in atrium mulierum deſcenſus per XV. illos gradus cantui Levitarum deſtinatos tract. מדות c. II. 5. עזרת הנשים היתה ארך מאה ושלשים וחמש על רוחב מאה ושלשים וחמש וארבע לשכות היו בארבע מקצעותיה של ארבעים ארבעים אמה ולא היו מקורות *Atrii muliebris longitudo CXXXV. cubitorum cum latitudine CXXXV. atque quatuor conclavia* (Naſiræorum, lignorum, leproſorum, olei,) *erant in quatuor ejus angulis. Singulaque cubitorum XL. quæ non erant contignata.* Et Paulo infra חלקה היתה בראשונה והקיפוה כצוצרה שהנשים רואות מלמעלן והאנשים מלמטן כדי שלא יהו מעורבין *Olim erat planum ſive apertum, ſed poſtea podio circumdederunt, ut mulieres ſuperne proſpicerent: viri autem inferne, ne miſcerentur.* Ex hoc per duodecim gradus deſcenſus datur in antemurale latum x. cubitos l. c. §. 3. Tum ſequitur cancellata ſepes, intra quam Gentili intrare haud conceſſum erat, quare ſpatium exterius non adeo incommode dici ſolet *atrium Gentium*, quia eo uſque iis aditus permiſſus erat. Maimon. tract. ביאת המקדש c. III. החיל משלחין ממנו גוים וטמא מת ובועלי נידות *Ab antemurali excludunt Ethnicos, pollutos a mortuo & qui cum uxoribus menſtruo laborantibus rem habuerunt.* Vero admodum ſimile eſt ſæpenumero Gentiles variis ex cauſis montem Templi aſcendiſſe, ut hinc locus limite circumſcriptus *atrium Gentium* vocari queat. Miſchnici aliique Judæi nomen עזרת הגוים ignorant, ſed rem ipſam tamen docent, appellantes הר הבית *montem domus aut* חול *locum profanum* vid. Ligtf. Op. T. II. p. 192. Conf. 1. Reg. VIII. 41. Joh. XII. 20. Act. VIII. 27. Tranſeo alia.

14 Murus hic intergerinus montem domus non immediate ab atrio fœminarum, ſed antemurali diſcriminabat vid tract. מדות c. II. 3. Joſephus ſimpliciter a δευτέρῳ ἱερῷ intelligens loca, ad quæ aditus alienigenis prohibebatur. Quia autem hi Græci aut Romani plurimum erant, ideo obſervat columnas illas ἑλληνικοῖς καὶ ῥωμαϊκοῖς γράμμασι *Græcis; Latiniſque literis* inſcriptas eſſe μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι. Joſeph. l. VI. 14. p. 916. Miſchnici paulo aliter ſeptum nobis deſcribunt. tr. cit. לפנים ממנו סורג גבוה עשרה טפחים *ab interiori parte erat cancellata ſepes altitudine decem palmorum.* Gloſſa Bartenoriana לפניים מחומות הר הבית סורג מחיצה העשויה נקבים נקבים כמטה מסורגת בחבלים והיא עשויה מדפי עץ ארוכים וקצרים שמרכיבים אותן על זו באלכסן Quando nominat *partem interiorem* intelligit *intra montem domus. Sepes cancellata eſt* μεσότοιχον *reticulatum*,

prout lecti funibus interſectim cancellari ſolent. Sic ipſa ex aſſeribus ligneis, longioribus, brevioribus, quæ tranſverſim ſibi imponebantur, conficiebatur. Elegantiſſima alluſio eſt Eph. II. 14. τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας.

[15] Calculus hic ſtare nequit. Inceptum enim Templi ædificium anno Cyri ſecundo Eſr. III. 8. ſcilicet Imperii Perſici ſubverſa Babyloniorum Monarchia. Deinceps regnavit per ſeptennium. Cyrum ſecutus eſt Cambyſes filius, cui, una cum 7. menſibus Smerdis, aſſignari ſolent octo anni. Poſtea regnum obtinuit Darius, Hyſtaſpis filius, ſub cujus imperio ex mente auctoris ædificium conſummatum erat, anno, uti Joſephus tradit, nono, ſed ſcriptura ſexto Eſr. VI. 15. Juxta hunc computum elapſi ſunt anni XXV. aut XXXI.

[16] De Templo Zorobabelis verba accipi nequeunt, quoniam calculus, uti ſupra vidimus, minus quadrat. Tantum anachroniſmum, quem nemo circumſtantium refutabat, a Judæis commiſſum fuiſſe non puto. Multo minus verba ad Templum Zorobabelis referenda, quando illud anno Darii Nothi VI. ad finem perductum, ut inter initium & finem fluxerint CXIX. anni, quemadmodum Reizius computat. Quam enim inepte Judæi ad Chriſtum. *Circiter quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum*, ſi CXIX. anni conſumpti fuiſſent? Inſtituto Judæorum convenientius calculum extendere, quam contrahere. Rectius itaque de Templo Herodis colloquium Joh. II. intelligitur, quod diverſa ratione conſideratum vel idem vel diſtinctum ab illo Zorobabelis nuncupari poteſt. Joſephus Antiq. L. XV. c. 14. ἄλλον *aliud* a priori appellat. In Templo Herodis ſermo habitus: Digito quaſi monſtrarunt ὁ ναὸς οὗτος *Templum hoc*, quod ante oculos. Id quidem evidentiſſimum Herodem tantum tempus non inſumſiſſe, quo ea aſſiduitate ac operarorum numero in ædificatione occupatus erat, quemadmodum primis annis. Nihilominus ipſe ejuſque poſteri ſemper plus decoris & perfectionis adjecerunt: Hinc multo poſt reſurrectionem Chriſti ætate Agrippæ Junioris exſtat Ἤδη δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν ἐτετέλεστο. *Jam tum & abſolutum erat Templi ædificium.* Joſeph. Antiq. l. XX. c. 8. p. 699. Ab initio autem uſque ad tempus, quo Chriſtus de Templo cum Judæis collocutus, facili opera numerus XLVI. annorum invenitur, ſcilicet Herodes decimo octavo regni ſui anno Templum denuo extruere conſtituit. *Joſeph. Antiq.* l. XV. c. 14. p. 542. mortuus autem poſtquam a Romanis Rex declaratus eſt anno trigeſimo ſeptimo (ille tamen jam antea Galilææ & Cœleſyriæ regimen tenuit Antiq. l. XIV. 17. (Antiq. l. XVII. c. 10. p. 599.) Chriſtus vero triginta circiter erat annorum diſputans cum Judæis. Quod ſi nunc ſubtrahitur biennium, quo Chriſtus cum Herode vixit atque annus primus, quo forſan ſolum delineatio operis tentata, nec non annus colloquii, ipſum illum numerum habebimus.

[17] Templum Templo magnificentius. Zorobabelis viliſſimum, Herodis pretioſius, pretioſiſſimum Salomonis. *Illud* ſuperabatur ædificii altitudine & perfectione, vaſorum copia & pretio. *Iſtud* nonniſi quoad vaſa & alia quædam. Saltem externa ædificii ſacri forma parum ceſſit Salomonico. ᾠκοδομήθη δὲ ὁ ναὸς ἐκ λίθων μὲν λευκῶν τε καὶ κραταιῶν τὸ μέγεθος ἑκάστων περὶ εʹ καὶ κʹ πηχῶν ἐπὶ μῆκος ηʹ δὲ ὕψος, εὖρος δὲ περὶ ιβʹ καὶ παντὸς αὐτοῦ καθότι καὶ τῆς βασιλικῆς στοᾶς τὸ μὲν ἔνθεν καὶ ἔνθεν ταπεινότατον ὑψηλότατον δὲ τὸ μεσαίτατον ὡς περίοπτον ἐκ πολλῶν σταδίων εἶναι τοῖς τὴν χώραν νεμομένοις μᾶλλον δ' εἴ τινες κατ' ἐναντίον οἰκοῦντες ἢ προσιόντες τύχοιεν. *Templum autem exſtructum e lapidibus candidis duriſſimiſque, XXV. cubitos longis, VIII. altis, ſed XII. latis. Habebatque baſilicæ formam, ab utraque parte humilius, excelſius vero in medio & a multis ſtadiis conſpicuum, qui regionem incolunt, maxime ex adverſo habitantibus aut adventantibus.* Joſeph. Antiq. l. XV. c. 14. p. 543. Hoc omnium magnificentiſſimum, auro maxime conſpicuum, atque iis vaſis, quæ כבוד *gloriam* Iſraelis conſtituunt, inſtructum. Abarbanel, poſtquam pluribus differentiam primi & ſecundi Templi pertractaverat, ita tandem ſermonem claudit: סוף דבר שהיו עניני הבית השני ענינים אנושיים ועניני הבית הראשון אלהיים *Ultimo Opera Templi ſecundi erant opera humana, ſed opera Templi primi divina.*

[18] R. D. Kimchi ad Hagg. I. 8: ואכבד כתיב ואכבודה קרי והענין אחד ור"זל דרשו חסרון הה"א מן הכתוב כי חמשה דברים חסרו בבית שני ארון ואורים ותומים ואש העליונה ושכינה ורוח הקדש *In textu eſt* ואכבד, *ſed in margine legitur* ואכבדה: *ſenſus vero idem. Magiſtri p.m. expoſuerunt defectum literæ* ה *de v. rebus deficientibus ſub Templo ſecundo. Sunt autem arca, Urim & Tummim, ignis cœleſtis, ſymbolum præſentiæ divinæ atque Spiritus Sanctus.* Eadem Raſchius. Deſumpta ſunt e tr. יומא Conf. Raym. Mart. Pug. fid. p. II. c. IV. p. 381. edit Lipſ. Hæc erant notatu digniſſima. Alias plura alia defecerunt, vide *Abarb. in Hagg. c.* II.

[19] Vaticinium hoc Haggæi ſudes eſt in oculis Judæorum, nam quia veram Templi II. gloriam non amant, ea pro glorioſis habent, quæ talia minime ſunt: Idem Kimchius ad cap. II. נחלקו רבותינו ז"ל בזה יש אומרים בשנים ויש אומרים בבנין וזה וזה היה כי בית ראשון עמד ת"י שנה ובית שני ת"ך שנה וכן היה גדול בבנין כמו שכתוב בדברי רז"ל ובספר יוסף בן גוריון כי הבנין שבנה הורדוס בבה"ב לא נראה מעולם בנין טוב ונאה כמוהו (Quæ gloria Templi ſecundi fuerit) *de eo Magiſtri noſtri convenire nequeunt. Sunt qui gloriam in annis: Sunt alii, qui in ædificio quærant. Utrumque verum; Domus enim prima tantum ſtetit CCCCX. annos, ſed ſecunda CCCCXX. Major quoque excellentia in ædificio, prout Magiſtri noſtri nobis reliquerunt. Joſephus f. Gorion ait: Templo ab Herode exſtructo ædificium in ſplendore par nunquam viſum eſt.* Chriſtianorum hac in parte cauſam defendat Abarb. *Comment. in Hagg. quæſt.* IV. איך אפשר שהבית אשר בנה זרובבל במדה אשר נתן להם מלך פרס היה יותר נכבד מן הבית אשר בנה שלמה ואף שנאמר שהבנין שעשה הורדוס היה יפה ועשיר מאד לא מפני זה ראוי שנחשוב שדמה ביופיו אל הבית אשר בנה שלמה כי מה שזכרו חז"ל מיופיו וטובו של בית הורדוס היה בערך הבית אשר בנה זרובבל כל שכן שהכתוב לא אמר גדול יהיה יופי הבית הזה או עושר הבית הזה האחרון מן הראשון אבל אמר כבוד והכבוד אינו העושר ולא היופי ולא רוב התמדת הבנין כמו שאמרו בדרשתם כי הכבוד באמת נאמר על כבוד ה' שמלא את המשכן אחר שהוקם ועל כבוד ה' שמלא את בית ה' אשר בנה שלמה וכו' והכבוד ההוא לא היה בבית שני לא ממנו ולא הרבה *qua quæſo ratione domus Zorobabelis ad dimenſionem, quam Rex Perſarum dederat, fuerit magis glorioſa, quam quæ a Salomone exſtructa. Et quod dicitur ædificium Herodis elegans atque valde dives fuiſſe non putandum eſt illud aſſimilari Templo Salomonis: Omne enim, quod Magiſtri de præſtantia & pulchritudine ædificii Herodiani dixerunt, comparate ad Templum Zorobabelis intelligendum. Atque hoc eo magis, quoniam ſcriptura non dicit: magna erit pulchritudo aut divitiæ domus hujus poſterioris præ priori, verum dixit gloria. At gloria pro opulentia aut elegantia vel longa ædificii duratione non accipitur, quemadmodum in myſticis expoſitionibus dixerunt. Nomen gloria vere dicitur de gloria Jehovæ, quæ implevit Tabernaculum, poſtquam illud exſtructum erat, ut & de gloria Jehovæ, quæ ædem a Solomone exædificatam replevit &c. Verum gloria hæc nec majori, nec minori copia in domo ſecunda fuit.* Quare Abarbanel de tertia aliqua (nullibi promiſſa) domo verba Prophætæ exponit, ſed incommode & contra mentem Dei, qui conſolatur Judæorum vilitatem domus ſecundæ deflentes præter alia hoc argumento. *Replebo domum* הזה *hanc* כבוד *gloria. Major erit gloria* הבית הזה *domus hujus poſterioris præ priori*, quia autem ex propria Judæorum confeſſione nubes glorioſa in Templo ſecundo nunquam fuit, convenientiſſimum eſt, ut de Meſſia deſiderio Gentium Prophetia accipiatur, ceu qui Antitypus שכינה *Schecina* qui מלך כבוד *Rex gloriæ* Pſ. XXIV. 7. 8. אל כבוד *Deus gloriæ* Pſ. XXIX. 3. conf. 1. Cor. II. 8. Joh. I. 18. quomodo etiam Veteres Judæi intellexerunt tr. Sanh. c. Chelck vid. *Raym. Mart. Pug. fid. l. cit.*

[20] *Ex Reiz.* Hoc teſtatur homo Paganus, Chriſtianorum hoſtis, *Amm. Marcellinus l.* 23. ab init. ubi ita fatur. *Julianus ambitioſum quondam apud Hieroſolymam templum, quod poſt multa & internecíva certamina, obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, ægre eſt expugnatum, inſtaurare ſumtibus cogitabat immodicis; negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat propræfectus.*

ctus. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ Rector, metuendi globi flammarum probe fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus, inaccessum; Hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum. Quæ templi sepultura docet, jam venisse tempus, quo Deus sit invocandus *in omni loco Mal.* I. 11. *Joh. IV.* 21. quo *frater fratrem sit invitaturus sub vitem & ficum*, h. e. parietes privatos, ad discendum erudiendumque, quum omnes docti futuri sint a Spiritu S. 1. Tim. II. 8. Matth. XVIII. 20. Zach. III. 10. quum cultus non magis sit restrictus ad Hierosolymam terrestrem & montem Tzionem Deut. XII. 5. 6. Exod. XX. 4.

CAPUT SECUNDUM.

De Synagogis, Scholis & Προσευχαῖς.

I. VOcabulum, [1] *Synagoga*, Græcum est, venitque a *συνάγω colligo*; sic ut quibusvis rebus colligendis adhibeatur; ut *συναγωγὴ γάλακτος*, *copia lactis συναγωγὴ πολέμου*, *collectio eorum, quæ sunt ad bellum necessaria. Deus stat* בעדת אל *ἐν συναγωγῇ in cœtu Dei*, *Ps. LXXXII.* 1. Veruntamen *Synagogæ* plerumque sumuntur pro ædibus Divino cultui sacris, in quibus fas fuit precari, concionari, disputare, non autem sacrificare. Hebræis dicitur *συναγωγὴ* בית הכנסת *domus congregationis. Templum Hierosolymitanum*, velut caput, Basilica fuit; *Synagogæ* tanquam Parochiæ, ad illud pertinentes.

Nomina Synagogæ

II. Tempus, quo cœperint *Synagogæ* definire, arduæ operæ est. [2] Verisimile tamen esse puto, eas exsurrexisse Israelitis in terra promissionis constabilitis suscitatoque templo; quod quum longius remotum esset ab iis, quos latum locorum intervallum disjunxit, in causa fuisse autumo, Judæos in certas *Synagogas*, templi vice, coiisse. Ævo Davidis eas jam stetisse, patet ex, *Ps. LXXIV.* 8. *Cremarunt omnes Synagogas Dei* כל מועדי אל *in terra*. Et *Moses ab ætatibus antiquis habuit, qui ipsum prædicent κατὰ πόλιν oppidatim, legiturque ἐν ταῖς Συναγωγαῖς per singula Sabbatha*. Act. XV. 21.

Earum Ortus.

III. Hierosolyma continebat 480. *Synagogas*. [3] præter Templum, cum pro Judæis, tum pro peregrinis. *Sigonius de Republ. Hebr. lib. II. c.* 8.

Synagogæ Hierosolymitanæ.

IV. *Synagoga* aliqua peregrinorum dicitur Συναγωγὴ Λιβερτίνων, Actor. VI. 9. Unde hæc *Synagoga* ita denominata sit, seu de *Libertinis* Romanorum manumissis, qui contradistincti fuere *Ingenuis*, h. e. in libertate natis; (nam multi horum *Libertinorum*, Proselyti facti, suas *Synagogas* habuerunt. *Philo in legat. ad Cajum.*) seu de *Lubar*, quod notat *editum locum*, Vide *Tremell. Act. VI.* 9. (sicut enim templum, ita ipsorum *Synagogæ* & *Scholæ* collibus & eminentibus locis fuerunt impositæ: ob id dicitur *Prov. VIII.* 1. 2. *In vertice locorum sublimium Sapientia clamat* :) hoc judicio Lectoris committo.

Synagoga Libertinorum.

V. Extra Hierosolymam, in aliis urbibus & tractibus terræ, multæ frequentesque fuere *Synagogæ*; in *Galilæa*, *Matth. IV.* 21. *Damasci*, *Act. IX.* 2. *Salamine*, *Actor. XIII.* 5. *Antiochiæ*, *Act. XIII.* 14. Imo traditio ipsorum habet; *quod, ubi saltem decem viri Israelitæ commorentur, opus sit Synagoga. Maim. in Tephilla. cap. II. sect. I.*

Synagogæ extra Hierosolymam.

VI. Illorum *Synagogæ* varias inscriptiones ostendebant: *Buxtorf. de Abbrev. pag.* 73. 81. 174. Portæ inscriptum erat illud Ps. CXVIII. 20. זה השער ליהוה צדיקים יבאו כו. *Hæc est porta Jehovæ, quam justi ingrediuntur*. In pariete legebantur hæ & ejusmodi sententiæ: *Memento tui Creatoris, & in humilitate intrato domum Domini Dei tui*. Et, *Oratio sine devotione est instar corporis absque anima*. Item, *Silentium conducibile est tempore precum*.

Synagogarum inscriptiones.

VII. Quemadmodum atrium populi ante templum divisit murus in duas purtes, quarum alteram mulieres, alteram mares frequentabant; ita in *Synagogis* mulieres separatæ a viris sunt clathris & transennis sive fenestris reticulatis. *Talmud. in Tract. Succah. cap. ult. Buxtorff. Synag. cap. IX. p.* 221.

Earum partes distinctæ pro viris & mulieribus.

VIII. In talibus *Synagogis* Νομικοὶ *Legisperiti* & *Rabbini* docebant, non autem soli, [4] siquidem & *Christus* in iis docens consedit &c. Is, qui facultatem concessit in iis concionandi, [5] appellabatus *ἀρχισυνάγωγος Synagogæ Princeps*, *Marc. V.* 22. Fuit etiam in iis *minister*, [6] qui præbuit librum concionaturo, recepitque lecto textu. Et *Christus πτύξας τὸ βιβλίον ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ complicatum librum reddidit diribitori*, *Luc. IV.* 20. Hic *apparitor* seu *minister* creditur esse is, quem vocant שליח צבור *æditum* [7] *Synagogæ*.

Penes quos potestas docendi in Synagogis.

IX. Differunt *Scholæ* a *Synagogis*. [8] Paulus *διαλεγόμενος differens ad tres menses in Synagoga*, quum quidam verbo non assentirentur, *κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν maledictis insectantes viam istam, abscessit ab ipsis, separavitque discipulos, quotidie sermonem ferens in* Scho-

Differentia scholarum & Synagogarum.

Schola cujuſdam Tyranni, *Act. XIX.* 8. 9. *Schola* ſubinde vocatur ſimpliciter בית *domus*; ut claret ex his verbis: *Octodecim res, de quibus contentio fuit inter domum Schammai & domum Hillelis, ne Elias quidem abolere poſſet. Druſ. de 3. ſect. lib. 2. Cap.* 10. h. e. inter ipſorum duas *Scholas*. Subinde etiam *Schola* vocatur בית המדרש *domus ſubtilitatis & acuminis*. Hic quæſtiones motas intimius rimabantur, quam in *Synagoga* vel templo, proptereaque eum locum diſcutiendis rebus aptiorem præſtantioremque ipſo templo habebant. Huc facit illud dictum: *Se poſſe Synagogam convertere in Scholam, non autem Scholam in Synagogam, quum ſanctitate Synagogam Schola vincat. Maim. Tephilla. cap.* 11. *ſect.* 14. Et illud. *Pſ. LXXXIV.* 4. *Eunt de virtute ad virtutem*, exponunt, ac ſi eſſet gradus promotionis ex *Templo* ad *Scholam*. *Paraph. Chald.* in hunc locum. In *templo* ſermo videtur velut fuſus ad *populum*, in *Schola* ad *Clerum*.

Situs.

X. Ac ſicuti quævis urbs & plaga ſuas *Synagogas*, ita & *Scholas* colliculis incumbentes habuit. Mentio fit, *collis Moræ*, *Jud. VII.* 1. h. e. *collis Doctoris*.

Phraſes ſcholaſticæ.

XI. Quando Magiſtri ſuos diſcipulos erudierunt, dicti ſunt *dare*: *Da ſapienti, & ſapiens fiet adhuc inſuper*, *Prov. IX. 9.* Ubi diſcipuli quid diſcendo hauriebant, dicebantur illud *accipere*; *Audi, fili mi, & accipe dicta mea*, *Prov. IV.* 10. Unde natum eſt illud Apoſtoli 1. *Tim. I.* 15. Πιςὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος *Fidelis eſt ſermo, & omni acceptione*, h. e. diſcendi cupidine, *dignus*. Quales loquendi modi ipſis Latinis familiares ſunt. *Da, ſi grave non eſt*, h. e. dic. *Horat. lib.* 2. *Sat.* 8. *Sed tamen, iſte Deus qui ſis, da Tityre nobis*. *Virg. Bucol. Eclog.* 1. *verſ.* 19. *Accipe nunc Danaum inſidias*. Idem *Æneid. lib.* 2. *verſ.* 65.

Quid oratoria?

XII. An ipſorum *Oratoria*, ſeu προσευχαὶ, (loca precibus ſacra) differant [9] ab ipſorum *Scholis* vel *Synagogis* nondum compertum mihi eſt. Nihil probat, quod illorum quædam extra urbium muros fuerint: nam ibidem & *Scholas* & *Synagogas* moliri licebat. *Epiphanius Tom. II. l.* 3. *c.* 80. diſſerit de his *Oratoriis*; ſed ne unico verbo prodit, permiſſa in iis fuiſſe opera politica. Si hoc aſſeri poſſet, differentia etiam facile aſſignari poſſet. Quidam *Oratoria* cum *Synagogis*, *Beza art.* 16. 13. alii cum *Scholis* miſcent, *Philo Jud. de vita Moſis p.* 530. De ejuſmodi *Oratorio ſeu* προσευχῇ ſermo eſt. Act. XVI. 13. ubi Paulus *conſidens* locutus eſt mulierculis coactis; qui geſtus adumbrant potius *prædicantem* quam *orantem*.

Geſtus precantium.

XIII. Verum quidem eſt, frequentiſſimus mos fuit & geſtus, *ſtando*, *genua flectendo*, *ſedendoque* [10] precari. *Abraham adhuc ſubſtitit coram Jehovah. Gen. XVIII.* 22. h. e. oravit. *Publicanus procul ſtans* in cœlum preces miſit, Luc. XVIII. 13. Hinc profectum eſt proverbium ipſorum: *Sine ſtationibus non ſubſiſteret mundus*, *R. Juda in lib. Muſar. vid. Druſ. præter. Matth. VI.* 5. *Stephanus poſitis genibus* precatus eſt, *Actor. VII.* 60. *David conſedit coram Jehovah & dixit &c.* 2. *Sam. VII.* 18. Quando autem ſedendo oratio ad populum, non ad Deum, habetur, notat *prædicationem*, non *precationem*.

Oratoria conventus mendicantium.

XIV. Veriſimile eſt, egenos, ut ad portam templi, ita ad fores harum προσευχῶν *ædicularum*, confluxiſſe, ſtipis capiendæ gratia; unde quibuſdam προσευχῇ idem eſt, ac xenodochium vel ſacellum. *Juvenalis Sat.* 3. inquit: *Ede ubi conſiſtas, in qua te quæro proſeucha?*

Triplex pronuntiatio Amen.

XV. Talmudici flagellant ſegnitiem populi in precando, dicuntque, triplex [11] *Amen* ab eo, ſed male, uſurpari. *Canin. de locis* N.T. *c.* 5. *p.* 38. *Amen debile*, quod vocant יתומה *pupillum*, quando abſque fervore orabant. *Amen concitatum* ſeu *præpes*, quod dicunt חטופה *ſurreptitium*, quando τῷ *Amen*, finem præoccupabant. Denique *Amen ſocors*, quod appellant קטועה *ſectile*, quaſi in duas partes ſectum, per oſcitantiam; ſic ſcilicet *Amen*, quod in orationis clauſula hiſcenti rictu effutiebant.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

Annot. [1] Interpretes, qui LXX. dicuntur, adhibent loco Hebræorum קהל & עדת *concio hominum* Lev. IV. 13. *quod ſi tota* עדת ישראל LXX. συναγωγὴ ἰσραὴλ *concio Iſraelis erraverit atque abſconditum fuerit ab oculis* הקהל LXX. τῆς συναγωγῆς unde inſuper elucet aliquando inter קהל & עדת nullum diſcrimen eſſe. Quia autem integri cœtus certum conventus locum habere ſolent, hinc locus ille una cum cœtu, vel etiam ſeorſim συναγωγὴ in N. Teſtamento audit. Illo modo Matth. IV. 23. διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν conf. c. XXIII. 6. Marc. I. 21. Hoc, Luc. VII. 5. *diligit gentem noſtram* καὶ τὴν συναγωγὴν *& ipſe Synagogam nobis ædificavit* conf. Act. XVIII. 7. Clarius Magiſtri בתי כנסיות *ædes cœtus* vocitant.

[2] Quoniam Iſrael tribus ſolum vicibus ſingulis annis Templum adire tenebatur, non putandum illum interea diebus Sabbathi aliiſque minoribus feſtis ad cultum in locis certis non conveniſſe. Id minime convenit cum ſtatu Judæorum, qui una in cognitione & amore creſcere debebant. Dein ob. 2. Reg. IV. 23. Attamen tempore Captivitatis Babylonicæ numerus & forma earum mutata videtur. 1. Tum enim Judæi deſtituti erant Templo. 2. carebant poteſtate politica, qua ſontes plectere poterant. Itaque ad contribules nonnihil compeſcendos cenſuras Synagogarum inveniebant; Plura, quæ in Synagogis recepta ſunt, ex Judæorum confeſſione Eſra inſtituit, veluti x illas conſtitutiones Megill. f. 75. 1. vide illas recenſitas apud J. H. Otthonem in Hiſt. D. M. p. 6. 4. Judæi per totum terrarum orbem diſperſi vix

ſemel

ſemel in anno Hieroſolymitanum Templum frequentare poterant, quare ad cultui ſacro vacandum Synagogas erigebant.

3 Numerus Synagogarum ab Auctore citatus exſtat tr. Megillah f. 73. Alius paulo minor in Talm. Hieroſol. Chetubh. fol. 35. ſc. CCCCLX. ubi ſimul additur unamquamque Synagogam inſuper habuiſſe domum ספר למקרא *libri pro ſcriptura* ſc. legenda & aliam למשנה *pro Miſchna* ſive traditionibus docendis, prout habet Ligtfootus v. *Cent. Chorogr. Matth. præmiſſ.* c. XXXVI. Rurſum variat teſtimonium in *Ketubh Babyl.* fol. CV. 1. quod citatum apud Cl. Rhenferdium *Diſſ. de X. Ot. Vir.* p. 35. occurrit. *Et ecce dixit R. Phineas R. Uſchajam dixiſſe: trecentas nonaginta quatuor domos Judiciorum fuiſſe Hieroſolymis; totidem Synagogas; totidem Academias ac denique totidem* בתי סופרים *Pædagogea*. Verior videtur lectio בתי סופרי', quam בית ספר *Pædagogeum* ac *domus libri*. Judæi præſertim, qui peregrinas terras incolebant, Hieroſolymam ceu florentiſſimam juris Judaici Academiam liberos mittebant; ut ibi in cultu ſacro, cognitione legis ſcriptæ & traditionum informarentur. Conf. Actor. VI. 9.

4 Illi videntur licentiam docendi poſſediſſe, qui literati habebantur atque ipſi diſcipulos informabant. Quoniam autem Chriſtus magnam doctrinæ ſuæ famam inter Judæos conſecutus eſt Matth. VII. 28. 29. Joh. VII. 46. eandem miraculis confirmavit atque plurimos, qui ipſum ſequebantur, audiebant, inſtituit, mirum neutiquam eſt ipſum publice in Synagogis docuiſſe, v. Matth. IV. 23. XIII. 54. Luc. IV. 16. &c. hinc non tantum a ſuis, ſed & ab aliis Rabbi ſalutabatur Joh. I. 50. III. 2. IX. 2. Eadem ratio Apoſtolorum in Synagogis docentium. Act. XIII. 5. XVII. 1. 2.

5 Qui in N. Teſtamento ἀρχισυνάγωγος ille in ſcriptis Judæorum ראש הכנסת *caput cœtus*. R. Obad. de Barten ad tr. יומא c. VII. 1. ראש הכנסת על פיו נחתכים כל צרכי הכנסת *Archiſynagogus eſt, ex cujus ore ea, quæ Synagogæ neceſſaria ſunt, deciduntur* & mox ipſa officia, quæ ab ejus ordinatione dependent, nominat. Conf. tr. סוטה c. VII. 7. Unde ſequi videtur unum aliquem Archiſynagogum cœtui præfectum fuiſſe, neque alias data deſcriptio valeret. Synagoga, cujus caput dicitur l. cit. una ex nobiliſſimis, nam illa ſita in monte Templi. Si igitur hæc uno capite contenta, alias minus nobiles geminum aut plura habuiſſe prorſus incredibile eſt. Accidit tamen voci ἀρχισυνάγωγος, quod ἀρχιερεὺς ut extendatur ad ſeniores Act. XIII. 15. qui proprie Archi-Synagogi non ſunt.

6 Miniſter appellatur חזן *Chazzan* Lippmanus ad tract. יומא c. VII. 1. הוא לשון חוזה שצריך לראות מה הם צרכי צבור *Significatum habet proviſoris: Ipſi enim incumbit, ut proſpiciat rebus cœtui neceſſariis*, quemadmodum ראה Geneſ. XXII. 8. השגיח הביט Pſ. XXXIII. 14. ſæpius inſpectionem cum cura rei notant, ita Synonymum חזה. Nec enim de ſimplici viſione accipi poteſt. Exod. XVIII. 21. *Et tu* תחזה *vide* cura LXX. σκέψαι Vulg. *provide* Tig. Siehe dich um. Num autem nomina Rabbinorum ſemper ad uſitatas Etymologiæ rationes examinanda ſint & examinari queant, ego ignoro. Aliis potius placet ab Arabum خزن *recondidit in horreo, aſſervavit*. Ejus perſona a R. Obad. de Bart. ita deſcribitur חזן הכנסת שמש הכנסת שטורח עסקי הכנסת עליו להכנים ולהוציא להפשיט את התיבה ולהכין הכל חזן הכנסת id eſt: *dicitur Miniſter Synagogæ, res illius curans*, (librum legis) *ex arca dopromens & in eandem iterum condens; Arcam quoque mundare & omnia in Synagoga ordine diſponere, ad illius munus pertinet*, uti vertit Wagenſeilius ad tr. סוטה c. VII. 7. annot. 2. Ibidem in textu Miſchnico, quemadmodum etiam tr. יומא c. VII. 1. ut is, qui librum legis ad legendum ex arca depromit, ſiſtitur vid. Luc. IV. 20.

7 Quoniam nonnulli Magiſtri Chazzanem & שליח צבור *legatum Eccleſiæ* pro uno eodemque habent, non mirum Chriſtianos, qui officia Synagogarum ex iis diſcunt, eodem loqui modo. Auctor Aruch. ad חזן p. 54. *edit. Baſil.* פירוש *expoſitio nominis Chazzan eſt legatus Eccleſiæ* הוא שליח צבור vide Schulch. Ar. ex Ord. Or. Chajimin 124. Hæc aliaque teſtimonia legi poſſunt apud illos, qui materiam hanc ex profeſſo tractarunt. Nollem quoque abſolute affirmare, in minoribus Synagogis atque omnibus in locis *Chazzan a legato Eccleſiæ* differre. Sed in majoribus iiſque bene conſtitutis aliud *Chazzanis*, aliud *legati Eccleſiæ* munus erat, quemadmodum *Toſaphot* tr. ברכות f. XXXIV. *med. ad* c. V. e סוטה evincunt לאו אש"צ קאי אלא החזן *non ſpectant* (ſcil. quæ in memorato tractatu) *ad legatum Eccleſiæ, ſed Chazzanem*. E. duo diſtincti. Quæ ſequuntur, exſtant apud Cl. Rhenſerdium, de Synagoga optime meritum *diſſert. de X. otioſ. Vir.* p. 81. Major legati Eccleſiæ, quam æditui, dignitas agnoſcebatur, quod vel ex ſequentibus, ſi cum ſupra dictis conferuntur, pateſcet. Ejus enim eſt precando populum præire. Maimon. tract. תפלה cap. VIII. שליח ציבור מוציא את הרבים ידי חובתן כיצד בשעה שהוא מתפלל והן שומעין ועונין אמן אחר כל ברכה וברכה הרי הן כמתפללין Ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας *pro pluribus ſatisfacit ipſo precante alii attendunt atque poſt quamque precationem τὸ Amen pronuntiant. Hi enim, ac ſi ipſis preces dixiſſent, ducuntur*, quod tamen cum diſtinctione aliqua accipiendum. Paulo infra אין ממנין שליח צבור אלא גדול שבציבור בחכמתו ובמעשיו ואם היה זקן הרי זה משובח ביותר ומשתדלין להיות שליח צבור אדם שקולו ערב ורגיל לקרות ומי שלא נתמלא זקנו אף על פי שהוא חכם גדול לא יהיה שליח צבור מפני כבוד הציבור *Legatus Eccleſiæ non conſtituitur alius, quam qui ſapientia atque operibus excellens. Ille, qui ſenex, maxime dignus. Opera danda ut legatus Eccleſiæ conſtituatur talis, cui grata vox, quique in legendo exercitatus. Qui vero ad plenam ætatem licet ſapientiſſimus ſit, nondum pervenit huic dignitati admovendus non eſt propter honorem cœtus*. conf. quoque Schulchan Aruch ex Ord. Orach Chajim n. 124. Reſpondet perſona in primitiva Eccleſia ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας Apoc. II. 1. 8. 12. 18. III. 1. 7. 14.

8 Differentia Synagogarum & Scholarum conſiſtit א in nominibus. Vide Auctorem §. 1. & 8. IX. Quando Schola בית *domus* dicitur, ſubintelligitur מדרש aut Synonymum, veluti בית אולפנא *domus doctrinæ* 2. Reg. XXII. 14. vel Magiſter uti בית הלל *domus Hillel*, ſed tum ipſi Scholares indicantur. Quemadmodum οἶκος θεοῦ vel Templum Matth. XII. 4. vel *Eccleſiam* Hebr. X. 21. Dicitur etiam, אסכולא, quod eſt Gr. σχολή. Tum ב in uſu. Synagogæ להתפלל *ad orandum* Maimon. tract. תפלה cap. XI. in כל מקום שיש בו עשר' מישראל צריך להכין בית שיכנסו בו להתפלה בכל עת תפלה ומקום זה נקרא בית הכנסת *Ubicumque X. Iſraelitæ ſunt, extruenda eſt domus, quæ tempore precum adiri poteſt. Hic autem locus dicitur domus congregationis*, etiam ad legem, Prophetas prælegendum, ſed Scholæ לדרוש *ad allegorice exponendum*. Hic autem ordinarius uſus. ג Sanctitate. Maim. tr. cit. c. VIII. בית המדרש גדול מבית הכנסת *Schola Sinagoga preſtantior eſt*.

9 Nihil obſtare video, quominus Proſeucha pro Synagoga habeatur. Si enim attendimus ad nomen, Proſeucha nihil aliud quam οἶκος προσευχῆς quomodo Templum quoque vocatur Matth. XXI. 13. At Synagoga בית תפלה quod id ipſum. Quando autem a precibus nomen habet, inde noli colligere Legem in Proſeuchis prælectam aut diſcurſum de rebus divinis habitum non fuiſſe vide Act. XVI. 13. atque conf. Luc. IV. 20. 21. Multo minus ex loco impedimentum ſurgit, quoniam ubicunque decem Judæi ſunt, exſtruenda eſt Synagoga. De Synagogis paganis frequens mentio inter Judæos. Maim. tr. cit. c. XI. ait licitum eſſe vendere בית הכנסת של כפרים *Synagogam paganorum*.

10 Seſſionem pro frequentiſſimo precantium more minime agnoſco. Hic enim minus decet precantem, ſe coram facie divina deprimentem. Dubito quoque plura conſidentium atque precantium exempla adduci poſſe. A Rege autem gratiam Dei deprædicante ad ordinarium precantium geſtum minus firma eſt argumentatio. Saltem Judæorum Canones aliter. Maimon. tract. הידים c. V. אין מתפללין אלא מעומד היה תחלה יושב בספינה או בעגלה אם יכול לעמוד יעמוד ואם לאו ישב במקומו ויתפלל חולה מתפלל אפילו שוכב על צדו והוא שיכול לכוין את דעתו *Nequit precatio niſi a ſtante fundi. Qui in navi aut curru conſidet, hic, ſi ſtare poterit, ſtare tenetur: Sin, ſedeat in loco ſuo atque precetur. Ægroto vel inclinanti in latus ſuum orare licitum, modo queat cogitata ſua intendere*. Vide alia

de alia hoc capite, quæ gestus precantium te edocebunt.

[21] Varia voculæ אמן *Amen* usurpatio. Notatu dignissima illa, quia cœtus ad publicas preces Amen acclamat atque ita consensum testatur se ea omnia abs Deo humiliter petere, quæ præco clara implorabat voce. 1. Chron. XVI. 36. Ps. CVI. 48. Nehem. VIII. 6. Transiit ad Ecclesiam Christianam 1. Cor. XIV. 16. Utinam Judæi perinde solliciti essent in Deo אמן *vero* & fideli cognoscendo, ac sunt in pronuntiatione hujus vocis, quam varii circumscribunt Canonibus vid. Schulch. Ar. ex ord. Orach. Chajim 104. 6. יענו אמן אחר כל ברכה בין אותם שיצאו ידי תפלה בין אותם שלא יצאו ובכונת שיכוין בלבו אמת היא הברכה שברך המברך ואני מאמין בזה *Amen dicendum est post unamquamque benedictionem, sive ita precationi satisfactum fuerit, sive non. Probe autem mente sua debet perpendere veram esse illam benedictionem, quam, qui benedicebat, proferebat q. d. Etiam ego illi fidem adhibeo.* In animadversione, quæ paulo infra ילמד בניו הקטנים שיענו אמן כי מיד שהתנוק עונה אמן יש לו חלק לעולם הבא *Filii minorennes in acclamatione τȣ̃ Amen informandi sunt. Quam primum enim puer Amen dicit, ille partem in altero seculo habet.* Idem mox subjungit triplex Amen, cujus Auctor meminit, sed cum alia nonnihil explicatione. Addit quartum לא יענה אמן קצרה אלא אורכה קצת כדי שיכול לומר א"ל מ"לך נ"אמן *non dicat Amen breve, sed aliquantulum longum, aut queat dicere. El Mælechnææman.*





DISSERTATIO
DE
HIEROSOLYMA,
ET
CIRCUMJACENTIBUS MONTIBUS.

I. FIDEM supra datam nunc libero atque aliqualem urbis Hierosolymitanæ, & locorum quæ illam circumjacent, descriptionem exhibeo. Nomen antiquissimum est שלם *Schalem*, quoniam ejus incolæ præ aliis alta pace fruebantur, Gen. XIV. 18. conf. Ps. LXXVI. 3. Josephus Antiq. lib. I. c. XI. p. 18. Σόλυμα ὕστερον ἐκάλεσαν Ἱεροσόλυμα. Dein Jebus ab incolis, Jud. XIX. 11. Etiam ירושלים *Jerusalem* variæ scriptionis quasi *possessio pacifica*, quod nomen ob typum præsertim meretur. Insuper אריאל Ariel *Leo Dei* Jes. XXIX. 1. nomen, quod altari alioquin ob devorationem sacrificiorum datum. Ezech. XLIII. 15. atque ad urbem ob lanienam prædictam translatum est. Præterea עיר הקדש *urbs sancta*, Neh. XI. 18. Jes. XLVIII. 2. unde in nummis ירושלים הקרושה *Hierosolyma sancta*, quæ omnes alias urbes sanctitate superabat. Est enim עיר אלהינו *civitas Dei nostri*, Psal. XLVIII. 2. Rem omnem tradit Maim. tr. בית הבחירה c. VII. quo diversos sanctitatis gradus recenset: ירושלים מקודשת משאר עיירות המוקפות חומה שאוכלין קדשים קלים ומעשר שני לפנים מהומתה ואלו דברים שנאמרו בירושלים אין מלינין בה את המת ואין מעבירין בתוכה עצמות אדם ואין משבירין בשוכה בתים ואין נותנין בתוכה מקום לגר תושב ואין מקיימין בה קברות מקברי בית דוד וקבר חולדה שהיו בה מימות נביאים הראשונים ואין נוטעים בה גנות ופרדסים ואינה נזרעת ואינה נחרשת שמא תסרח ואין מקיימין בה אילנות חוץ מגינת וורדים שהיתה שם מימות נביאים הראשונים וכו׳ *Hierosolyma aliis omnibus urbibus muro cinctis sanctior habetur, nam intra mœnia ejus sacrificia minus sancta & decimam secundam comedendi potestas erat. Hæc autem sunt, quæ de Hierosolyma dicuntur. (forsan legendum* נאסרו *probibentur) Non sinunt in illa pernoctare mortuum, nec per illam transferri ossa humana: non elocant domos, neque locum Proselyto domicilii concedunt: Non erigunt sepulchra præter familiæ Davidicæ & Prophetissæ Chuldæ, quæ jam ab ætate prophetarum priorum ibi reperiebantur: Horti & pomaria in illa non plantantur, non seminatur, nec aratur, ne forsan fœteat: Non tenent arbores, si exceperis Rosetum, quod jam a diebus priorum Prophetarum ibi erat, &c.* Quæ semel sancta dici cœpit, illa postea nomen retinuit, quamvis illi nihil minus quam *Sanctitatis* nomen conveniat, Matth. IV. 5. XXVII, 53. & alibi.

Nomina urbis Hierosolymitanæ. 1. Schalem. 2. Jebus. 3. Hierosolyma. 4. Ariel. 5. Urbs sancta.

II. Communis erat Benjaminitis & Judæis, qui ex tribu Juda: Hinc jam filiis Judæ, Jud. I. 8. Jos. XV. 63. jam tribui Benjamin, Jud. I. 21. assignatur. Pars septentrionalis ad Benjaminitas, sed australis ad Judæos pertinebat. Divisus quoque erat mons, cui insidebat Templum. Imo tempore festorum communis erat toti genti, unde

Pertinebat ad Benjamin & Judam.

de domos fine pretio elocare debebant donato folum corio ei, qui proprietarius. vid. Babyl. Joma f. XII. 1.

Montibus infidebat & circumdabatur.

III. Montibus partim infidebat, partim circumdabatur. Hinc Dan. IX. 16. *Jerufalem mons fanctus tuus*, Joel. II. 1. *Canite tuba in Sion*, *ululate in monte fancto meo*, conf. Jef. LXVI. 20. Pf. CXXV. 2. *quod attinet Hierofolymam* הרים סביב לה *montes circa illam*. Infidebat monti Tzion, Acra: Circumdabatur Bezetha, Moriah, monte oliveti, Calvariæ.

Ex iis mons Tzion.

IV. Mons Tzion ab ariditate dictus ex fententia Ligtfooti ad feptentrionem fitus erat, vid. Op. T. l. p. 553. & II. p. 186. 187. Sed juxta alios numero plures ad meridiem. Infp. Spanh. f. in *Topogr. Hierofol. V.* De hoc monte audiatur Jofephus de B. J. l. VI. c. 6. p. 912. Τῶν δὲ λόφων ὁ μὲν τὴν ἄνω πόλιν ἔχων ὑψηλότερος πολλῷ καὶ τὸ μῆκος ἰθύτερος ἦν διὰ γοῦν τὴν ὀχυρότητα, φρούριον μὲν ὑπὸ Δαβίδου τοῦ Βασιλέως ἐκαλεῖτο. *Collium vero alter, quo fuperior civitas fedet, multo eft excelfior, & in prolixitate directior: adeo ut quoniam tutus erat, caftellum a David quondam Rege vocaretur.* Præter regiam inædificatus Xyftus & hinc pons ducens in Templum Id. lib. II. c. 28. Etiam Millo 2. Chron. XXXII. 5.

Acra.

V. Mons Acra (forfan a Græcorum Ἄκρον) e regione Tzionis ad feptentrionem (fi plurium fuffragia obtinent) fitus, locum inferiori urbi præbet, & quoniam declivis ædificiorum capaciffimus eft, Tzione humilior, fed natura altior Moria. Tempore tamen Maccabæorum Acræ altitudo humilior facta, ut Templum fupereminceret. Jofeph. l. cit. Quemadmodum hodienum Synagogas ædificiis reliquis altiores erigendas docent.

Bezetha.

VI. Collis Bezethæ pofteriori demum ætate incolebatur, unde Καινόπολις dictus. Situs ille e regione Antoniæ, a qua altiffimis foffis feparatus ad aquilonem Templi, Ibid. Jofeph.

Moriah.

VII. Magis verfus auftrum Moriah, cui ab apparitione Dei Genef. XXII. 14. nomen. Procul dubio Deus hunc in finem Abrahamo inculcavit, ut filium immolaturus montem illum peteret, quoniam ibi aliquando publica facrificiorum fedes futura erat, imo ibidem Antitypus Ifaaci filius Dei μονογενὴς immolandus. De hoc facræ Literæ nos dubitare neutiquam finunt. Cujus fidei autem παράδοσις Judaica fit, quam hic do, alii difquirant מסורת ביד הכל שהמקום שבנה בו דוד ושלמה בגורן ארונה הוא המקום שבנה בו אברהם המזבח ועקד עליו יצחק והוא המקום שבנה בו נוח כשיצא מן התיבה והוא המזבח שהקריב עליו קין והבל יבו הקריב אדם הראשון קרבן כשנברא ומשם נברא אמ' חכמים ממקום כפרתו נברא *Omnes traditione accepimus locum, in quo & David atque Salomo in area Araunæ altare exftruxerant, in eodem Abrahamum aram ftruxiffe & Ifaacum ligaffe: Idem ille locus, in quo Noachus ex arca egreffus altare condidit. Etiam Cain & Abel ibi obtulerunt. Imo ibidem primus homo mox ac creatus erat, facrificavit. Hinc fapientes: Adamus ex loco expiationis fuæ creatus eft.*

Ejus fpatium pro vario tempore varium.

VIII. Mons Moriah natura haud adeo fpatiofus, arte & cura Regum, Ducum amplior factus eft. Ex quo divina directione fedes Templi conftitutus eft illi, penes quos fumma poteftas erat, Deo, genti & fibi gloriofum judicarunt cuncta ad decus & commoditatem loci facri tentare, quare fucceffu temporis alios aliofque aggeres adjecerunt, atque ita majorem montis ambitum effecerunt, ut varia atria, aliaque ædificia in eo collocari poffent. Hinc fub fecundo Templo partis montis, cui domus infidebat (ipfe mons multo amplior) חמש מאות אמה על חמש מאות אמה *fingula latera erant cubitorum quingentorum* tr. מדות cap. II. 1. cum qua dimenfione, obfervante L'Empereur, Jofephus concordat. *vid. in annot. ad l. c.* Munitus valde tam induftria humana, quam beneficio Naturæ, triplici muro circumdatus, hinc fortiffimum femper Judæorum propugnaculum exftitit.

Mons oliveti.

IX. Ad ortum fitus mons oliveti. Hebr. הר הזיתים 2. Sam. XV. 30. Rabb. הר המשחה qui eleganti allufione 2. Reg. XXIII. 13. הר המשחית *mons corrumpens*, feducens ad idololatriam dicitur. Initium ejus ab urbe diftabat ςάδια πέντε ftadia v. Jofeph. *Antiq. lib. XX. c. 6.* Sed remotior montis pars illa, ex qua Chriftus cœlum petiit, Act. I. 12. conf. Luc. XXIV. 50. Ibidem vacca rufa, nobiliffimus Chrifti typus, comburebatur. Tr. מדות c. I. 3. שער המזרחי עליו שושן הבירה צורה שבו כהן השורף את הפרה ופרה וכל מסעדיה יוצאין להר המשחה Interprete Conft. L'Empereur: *Portæ orientali impreffa erat Sufan civitatis imago, per quam intuebatur Sacerdos, dum combureret vaccam. Etiam quicunque operis focii, quæque adjumento in vacca comburenda erant, hac in olivarum montem prodibant.* Altus erat, hinc electus præ aliis, ut in illo tædæ ad indicandum Novilunium elevarentur tr. ראש השנה c. II. 4.

Golgotha.

X. Ad occafum pofitus collis Γολγοθᾶ, Matth. XXVII. 33. per elifionem ל qs. גלגלתא *cranium* locus craniorum, quæ plura ibi reperiebantur. Erat extra urbem, Hebr-

Hebr. XIII. 12. Convenienter ſtatutis divinis, Levit. XXIV. 14. nam caſtrorum loco urbs Hieroſolymitana habebatur. Editus ſupplicii locus eligebatur, ut illum plures intueri & aliorum exemplis ſapere valeant. Colles alios tranſeo.

Urbis muri.

XI. Redeo ad urbem Hieroſolymitanam, quæ ultimis temporibus triplici muro circumdata erat. Illi vero omnes turribus muniti. Intimus, qui vetuſtiſſimus, LX. medius XIV., extimus xc. turres habebat, Joſeph. l. VI. c. *6.* p. *914.* quæ ex ſecto marmore candido, lapidibns per XX. cubitos longis, X. latis ac per V. altis, maximo artificio ita junctis, ut nullibi junctura compaginis compareret. Turres illæ murum ſupereminebant XX. cubitis in latitudinem, & XX. in altitudinem, cellæ deſuper ac cœnacula erant. Admiratione digniſſima Pſephina turris ad ſeptentrionem occaſumque in angulo eminebat, ubi Titus caſtra poſuerat. Erat illa alta LXX. cubitos, unde Sole oriente Arabia, itemque ad mare & uſque ad ultimos Hebræorum fines proſpectus dabatur. Τῆς πόλεως ὁ πᾶς κύκλος ςαδίων ἦν τριάκοντα τριῶν. *Totus urbis ambitus XXXIII. ſtadiorum erat.*

Turres.

Vallis Hinnom.

XII. Ubi montes, ibi valles. Ex vallibus Hieroſolymitanis notandæ א. vallis Hinnom, quæ pertinebat ad filios Hinnom. conf. 2. Chron. XXXIII. *6.* 2. Reg. XXIII. 11. Sita illa ad latus urbis orientale. Hieronymus de locis: *Cecidit in ſortem tribui Benjamin juxta murum Hieruſalem contra orientem.* Deteſtabilis ob cultum Molochi, hinc quædam pars תפת *Tophet* 2. Reg. XXIII. 10. dicebatur. ב. Vallis Kidron, de qua Joſephus l. VI. c. 3. p. 908. Κατὰ τὸ ἐλαιῶν ὄρος ὃ τῇ πόλει πρὸς ἀνατολὴν ἀντίκειται μέσῃ φάραγγι βαθείᾳ διειργόμενον ἣ Κεδρὼν ὠνόμασται. *Juxta montem Oliveti, qui ad ortum urbis jacet atque interjacente profunda valle, quæ Cedron, diſcernitur.* In hanc ex montibus aqua defluebat, unde נחל קדרון *torrens Cidron* 2. Sam. XV. 23. ab atrore, quia forſan vallis opaca erat, Joh. XVIII. 1. χειμάῤῥος τῶν κέδρων, quaſi ibi Cedri. Etiam ſanguis victimarum in illam defluebat tr. מדות c. III. 2. הדמים הניתנין על יסוד מערבי ועל יסוד דרומי יורדין בהן ומתערבין באמה ויוצאין לנחל קדרון *Sanguis ſparſus ſuper fundamentum occidentale & ſuper fundamentum meridionale deſcendebat* (per foramina) & *miſcebatur uterque ſanguis in canali ac effluebat in torrentem Kidron.* Probabiliter etiam aqua Templi.

Vallis Kidron.



CAPUT TERTIUM.

De Portis Hierosolymæ.

Portæ Hierosolymitanæ.

I. PORTÆ in circuitu Hierosolymæ novem [1] fuerunt: *Schindler. Pentagl. Porta probatica Neh. III. 1.* Hæc fuit propinqua [2] templo, & intromisit oves mactandas, atque lotas in κολυμβήθρᾳ [3] *natatoria Bethesda*, quæ proxima *portæ* fuit. *Porta piscium, Neh.III.3.* Ante hanc *portam* Judas putatur sibi fauces elisisse. Quorundam opinio statuit, duas has *portas*, ut & *portam equorum, Neh. III. 28.* ita dictas fuisse, quod essent instar trium sororum, προβατοπωλεῖς, ubi *oves*, ἰχθυοπωλεῖς, ubi *pisces*, ἱπποπωλεῖς, ubi *equi*, venales fuerint. *Stuckius conviv. lib. 2. c. 11. Porta vetus* ita vocata creditur; quod fuerit ex reliquis Jebusitarum, nec disjecta ab Assyriis; vicina illa fuit monti *Calvariæ*, extra quam Christus ἐσαύρωσαι *in crucem actus est*. Quantum ad cæteras *portas*, de iis nihil memorabile occurrit.

Portæ templi.

II. Quod attinet *portas templi*, duæ sunt, [4] notabiles, quas Salomo excitavit, *R. Juda in l. Musar. Drus. præter. Joh. IX. 22. Altera* illarum patebat *novis conjugibus*, *altera Pœnitentibus* & *Excommunicatis*. *Pœnitentes* discernebantur ab *Excommunicatis* operiendo labia suarum vestium parte. Nemo subiit istam *portam* denudatis labiis, nisi *Excommunicatus*. Israelitæ autem, qui Sabbathis considebant inter has *portas*, applausere novis sponsis ita. *Ille, cujus nomen habitat in hac domo, hilaret vos liberis. Pœnitentibus* dixerunt: *Ille, qui habitat hanc domum, lætitia & solatio vos perfundat: Excommunicatis* hæc dederunt: *Ille, qui habitat hanc domum, commoveat corda vestra ad audiendum verba Sociorum vestrorum.*

Portæ munimenta & fora erant.

III. Inter Judæos *portæ munitissimæ* [5] fueruut, sic ut iis captis vel propugnatis tota urbs capta vel propugnata videretur. Simul etiam eadem *fora judiciaria* [6] erant, in quibus Judices consulere & causas dirimere solebant; unde natus est ille loquendi mos: Πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. *Portæ inferni non prævalebunt ei*; scil. Ecclesiæ. Et *hæreditabit semen tuum portam inimicorum suorum. Genes. XXII. 17.*

NOTÆ AD CAPUT TERCIUM.

Annot. [1] Portarum numerus varius traditur: Sedes hujus materiæ Nehemiæ c. III. Num vero omnes capite hoc recenseantur, incertum. Credibiliter hæ solæ vivente Nehemia urbem circumdabant. Quare optime fecero, si eundem ducem sequar I. שער הצאן *porta ovium* Neh. III. 1. de qua annot. 2. II. שער הדגים *porta piscium* c. c. v. 3. ad occasum plurimi pisces ab occasu adferebantur. Convenit II. Chronic. XXXIII. 14. III. שער הישנה *porta vetus*, quæ antiquissimis diebus exstructa & a Babyloniis non totaliter diruta l. c. V. 6. paulo magis versus septentrionem. Ducebat ad montem Calvariæ, unde quibusdam *porta Judicii* aut etiam *porta Jebusitarum*. IV. שער הגיא *porta vallis* l. cit. V. 13. qua ad vallem quamdam ibatur. Quia autem valles plures, circumstantiis, quæ determinant, destitutus determinare nolo. Videtur tamen ad ortum sita. V. שער האשפות *porta sterquilinii* l. c. V. 14. per quam stercus urbis efferebatur. Maimon. tract. בית הבחירה c. VII. אין מקיימין בה אשפה מפני השרצים *sterquilinium non diu tenent in illa propter reptilia* (quæ in eo generantur.) Etiam hæc Orientalis cum aliqua probabilitate statuitur: nam ad ortum valles, speciatim Hinnom, in quam sordes exportabantur. VI. שער העין *porta fontis* l. cit. V. 15. quia cum præcedentibus jungi solet c. II. & III. credibiliter ad eandem plagam collocanda: Adde cap. XII. 37. VII. שער המים *porta aquarum* l. c. v. 26. Orientalis. Hinc aqua in Templum ducebatur. VIII. שער הסוסים *porta equorum*: Uti ad portam probaticam forum ovium &c. ita ad portam equorum forum equorum, unde porta nomen habet. IX. שער המזרח *porta Orientalis* l. c. V. 29. hinc non liquet portam urbis fuisse. X. שער המפקד *porta mandati* l. c. V. 31. Insuper c. VIII. 16. memoratur *porta Ephraim* & c. XII. 39. *porta custodiæ*, an ex memoratis, an vero distinctæ sint, certo affirmari nequit. Aliæ adhuc nominantur in libris Regum & Jeremiæ.

[2] De porta probatica duo cognoscenda I. Ratio nominis. Sic autem dicta, quia prope situm forum ovium. Fora veluti piscium, equorum &c. quemadmodum olim ita hodienum quandoque portis prope sitis nomen dederunt. In forum hoc non tam deducebantur oves, quæ ad sacrificia destinatæ quam quæ ad communem usum. Illæ enim in montem Templi adducebantur. Matth. XXI. 12. Joh. II. 15. II. Situs. Spanhemius *in Topogr. Hierosol.* portam hanc ad Ortum; Ligtfootus Op. T. 1. p. 532. ad meridiem collocat. Neuter argumento, quod vel leviter satisfacit, utitur. Potius putem ad occasum & ea quidem parte, quæ meridiei propinqua. Hunc enim situm ordo portarum nominatarum poscere videtur. Neh. III. 12. Præprimis si, quod conjecto, Josephi porta ἐσσηνῶν *Essenorum* eadem est ac Probatica: Collocata enim ad Occasum, l. VI. c. 6. p. 913. Vel quid porta ἐσσηνῶν? An ab Essenis, celebri Gentis Judaicæ secta? Nullam novi causam: imo plura obstare puto. Probabiliter erit una ex memoratis a Nehemia. Nomen autem vix cum alia aliqua convenit ac probatica, quæ הצאן *Hasson* levi immutatione & addita terminatione Græca. Solet Josephus sæpissime loca nominibus Hebræis ad Græcam terminationem compositis proferre. Exempla dabo ex eodem capite ὀφλᾶς quod est עפל. Ita εἰς τὸν κεδρῶνα sc. Hebr. קדרון ἀσαμωναῖοι pro חשמנים. Accedit quod idem scriptor huic portæ proxime adjacentem referat locum, dictum βηθσώ, quæ vox, si quid conjectando assequor, notat *locum ovium* puta בית שה, aut per aphæresin ultimæ literæ בית צאן.

[3] Plurima de piscina, quæ Bethesda nuncupatur, multo cum labore ac insigni commodo congesta sunt, ut illis vix aliquid superaddi queat. Ante paucos annos eruditam de illa dissertationem Amantissimus Patruelis J. Conr. Hottingerus publicavit, ad quam Lectorem ablego. Ego duo saltem, quæ huc pertinent, notabo א Mihi videri optimam vocis intricatæ explanationem peti posse ex circumstantiis annotatione superiori memoratis. Piscina hæc sita ad portam probaticam Joh. V. 2. ubi etiam forum probaticum, locus Betso sive probaticus, hinc piscinam adjacentem

pariter

pariter probaticam dici : Convenientiſſimum eſſe arbitror, quod vocabulum Hebraicum aut potius Syro-Chaldaicum abſque omni detorſione admittit , nam *βηθεσδά* eſt בית שיתא *locus ovium*, ב Nulla tamen ratione affirmari , oves mactandas in hac *κολυμβήθρα* lotas fuiſſe, quia, uti jam dictum, non tam forum erat ovium ad ſacriſicia deſtinatarum, quam communium. Dein quia de ejuſmodi lotione nihil legimus. Contrarium colligere licet ex tr. תמיד c. III. 3. 4. de mactatione ſacrificii jugis . אמר להם צאו והביאו טלה מלשכת הטלאים והרי מלשכת הטלאים היתה במקצוע צפונית מערבית Præfectus *dicebat ad illos: Ite & adducite agnum ex conclavi , in quo ſunt agni, illud autem conclave erat in angulo ſeptentrionali occidentali* & mox השקו את התמיד בכוס של זהב *adaquarunt ſacrificium juge ex poculo aureo* nihil de lotione pecudum in piſcina hac, facta.

4 De portis Templi II. accipe verba Miſchnicorum e tr. מדות c. I. in quo hoc thema optime pertractatum eſt §. 3. חמשה שערים היו להר הבית שני שערי חולדה מן הדרום משמשין כניסה ויציאה קיפונוס מן המערב משמש כניסה ויציאה טדי מן הצפון לא היה משמש כלום שער המזרחי *Quinque erant in montis domus ambitu portæ : ſcilicet duæ Chulda dictæ a meridie , quarum uſus ad ingrediendum & egrediendum :* Dein *Kiponos ab occaſu eidem uſui deſtinata : Inſuper porta Teri ad ſeptentrionem nullius ferme uſus . Tandem porta orientalis*, de qua paulo ſupra §. 4. 5. ita pergunt: שבעה שערים היו בעזרה שלשה בצפון ושלשה בדרום ואחד במזרח שבדרום שער הדלק שני לו שער הבכורות שלישי לו שער המים שבמזרח שער נקנור וכ"ו ושבצפון שער הניצוץ וכמין אכסדרה היה ועליה בנויה על גביו שהכהנים שומרים מלמעלן והלוים מלמטן ופתח היה לו לחיל שני לו שער הקרבן שלישי לו בית המוקד *At in atrio magno ſeptem erant portæ , quarum tres ad ſeptentrionem, aliæ tres ad meridiem, una ad ortum : Tres illæ, quæ ad meridiem, ita ; porta ardoris, tum porta primogenitorum . Poſtea porta aquæ . Porta ad ortum ſita Nikanor dicebatur &c. Sed quæ ad ſeptentrionem, ita nomibantur ; porta prominentiæ ; forma exedræ cujuſdam . Supra hanc exſtructum erat cœnaculum , in cujus ſuperiore parte Sacerdotes , in inferiore Levitæ excubias agebant : Habebat eadem oſtium ad intermurale . Sequitur porta oblationis & dein domus incendii* . Alia ſi noſſe cupis , ad Doctiſſimum Interpretem Conſt. L' Empereur & Ligtfootum in deſcript. Templi c. III. IV. Op. T. I. p. 555. &c.

5 Portæ erant munitiſſimæ , quoniam per illas in urbem aditus datur . Hoſtes urbem expugnaturi caſtra circa portas metati erant Jeſ. XXII. 7. 2. Sam. X. 8. quibus ſuperatis urbs in manus obſidentium perveniebat, unde antiquiſſima phraſis, *portam poſſidere* , eſt urbem in poteſtate habere Gen. XXII. 17. *& hæreditet ſemen tuum* את שער איביו *portam inimicorum ſuorum* conf. c. XXIV. 60. Deut. XXVIII. 57. Jud. V. 8. Divino robore inſtructus fuerit oportet Simſon, qui munitæ urbis portas cum poſtibus evulſit Jud. XVI. 3.

6 Sub portis judicia habebantur , tum quia juxta illas fora erant 2. Reg. VII. 18. Neh. VIII. 1. tum etiam ut partes litigantes , quæ peregre veniebant , locum judicii facile invenire poſſent . Erant inſuper loca munita, ſplendida , ubi quoque ſalus urbis optime curari poterat , neque adeo omnibus introitus concedi . Huc paſſim reſpicitur Deut. VI. 18. *Judices & moderatores conſtitues tibi in omnibus* שעריך *portis tuis* Deut. XXV. 27. *& aſcendet affinis ejus* השערה *ad portam ad Seniores.* Amos V. 12. *egenos* בשער *in porta evertunt*, & alibi paſſim . Ex antiquitatibus adde teſtimonium Auctoris Ez. Hachajim Hilc. Dajanim. c. 11. מעמידין שני בתי דינין של כ"ג דיינים אחד על פתח העזרה ואחד על פתח הר הבית וכן בכל עיר מישראל שיש בה מאה ועשרים או יתר מעמידין סנהדרין קטנה ויושבת בשער העיר Interprete Wagenſeilio . *Hieroſolymis conſtituta fuere Judicia duo , quorum quodque Judices XXIII. complectebatur , eorumque alterum in porta atrii , alterum in porta montis Templi colligebatur . Pari ratione in quoque oppido , quod CXX. aut plures Judæi incolebant , conſtitutum fuit Synedrium parvum atque ejus Senatores in porta Civitatis jus dicebant .*

CAPUT QUARTUM.

De Lucis & Celſis.

Primitus nulla templa.

I. Antiqui Pagani, non tantum nulla templa [1] ſuſcitarunt , ſed & nefas putarunt. *Hoſpin. de Templ. pag.* 1. Ratio creditur eſſe , quod nullum templum ſpatioſum ſatis , & amplum *Soli* , ſummo ſuo Deo , exiſtimarent : inde prognatum illud dictum : *Mundus univerſus eſt templum Solis* . *Alex. ab Alex. l.* 2. *c.* 22. Dilutum inſuper ipſis videbatur , infinitam , quam concipiebant , Divinitatem parietibus coercere . Propterea que , cum ſucceſſu temporis uſus templorum increbeſceret , tamen ſuum Deum *Terminum* alioſque *Coloſſos* coluere in templis ſuperne detectis, quæ ob id vocarunt *ὑπαίθρια ſubdialia*.

Ideo olim cultus in collibus & montibus peragebatur.

II. Hanc ego conjiciam eſſe rationem, cur colles & montes , ut ſuæ idololatriæ faventes , elegerint . Hi montes ſacri ſunt *Celſa iſta* , [2] quæ S. Scriptura toties vetat.

Ab hiis Dii Deæque appellabantur. Hinc tandem orti ſunt luci

III. Poſtmodum , parturientibus Diis, ipſorum ſacri montes multiplicati ſunt, ſic ut ab iis Dii Deæque ſua nomina mutuarentur ; velut *Mercurius Cyllenius* , *Venus Erycina*, *Jupiter Capitolinus* . Denique ut ſuis ſacris montibus aliquam dignam [3] ſpeciem inducerent , eos arboribus inumbrarunt : unde manavit mos initiandi *Montes* & *Lucos* , qui diu Diis nomina dedere . Tandem cœperunt quædam ſpecioſæ & viſcoſæ arbores ſacrari. *Virg. Eclog.* 7.

Populus Alcidæ gratiſſima , vitis Jacho ;
Formoſæ myrtus Veneri , ſua laurea Phœbo.

Gallorum Magi *Druidæ* nihil ſacratius habuerunt [4] quercubus , ut inde appellati quoque ſint interpretatione Græca , ſiquidem δρῦς eſt *quercus* . *Plin. nat. hiſt. lib.* 16. *c.* 44. Hetruſci venerati ſunt palmam. Inter Celtas quercus procera Jovis idolum retulit. *Maxim. Tyrius diſſert.* 38. *fol.* 225. *edit. Steph.*

IV. Apud

Ortus & progressus Idololatriæ lucorum inter Israelitas.

IV. Apud Israelitas pullulavit hæc idololatria sub judicibus *Othniele* & *Ehud*, *Jud.* III. 7. quæ tandem adeo proserpsit invaluitque, ut Israelitis essent Sacerdotes peculiares, nominati *Prophetæ Luci*, 1. *Reg. XVIII.* 19. imo & *Idola Luci*, h. e. peculiares Dii, queis suos *lucos* dedicarant 2.*Reg. XXI.* 7. 2. *Chron. XV.* 16. Quemadmodum Christiani erectis initiatisque templis, alicujus *Sancti*, *ut S. Petri*, *S. Pauli*, *S. Andreæ*, *&c.* nomen imponunt: ita illi suos *lucos* certis Idolis consecrarant: de quibus testantur profani Scriptores; unde *Diana Nemorensis*, *Diana Arduenna*, *Albunea Dea*, a *nemoribus lucisque* sua nomina ferunt, in quibus cultæ sunt.

Etiam Idolum aliquando luci nomen sumit.

V. Idolum quoque subinde sumit nomen *Luci: Josias exportavit Lucum e domo Jehovæ*, 2. *Reg. XXIII.* 6. Verisimile est *Lucum* in hoc Idolo fuisse adumbratum & delineatum, sicut argenteæ descriptiones Templi Dianæ, quas fecerat Demetrius, vocantur *templa argentea*, *Act. XIX.* 24.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

Annot. [1] Certum aliquod Templi testimonium ante Mosis tempora exstare non puto, nam quod nonnulli Hebræi Templa ante diluvium extitisse scribant sola nititur traditione Maim. tract. עבודה זרה cap. 1. כיון שעלה דבר זה על לבם התחילו לבנות לכוכבים היכלות *quandoquidem in hæc cogitata* (de gloria corporum cœlestium) *devenerunt*, *inceperunt illis Templa exstruere*. Quod aliii seriorem ortum, veluti Noachi aut subsequente ævo, affirmant, majori quidem probabilitate, nulla tamen certitudine historica instructi sunt. Herodotus, ut solet, Ægyptiis hanc laudem tribuit *βωμοὺς τε καὶ ἀγάλματα καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους* (Ægyptios) *primos Diis & aras*, *& simulachra*, *& templa statuisse*. In Euterp. c. 4. Ex sacris solum scimus tum, quando verus Deus, Mose & Josua Ducibus Tabernaculum in Israele inhabitabat, Moabitas impudicum Numen Baal Pehor domui inclusum tenuisse Deut. XXXIV. 6. conf. Jos. XIII. 17. Idem tum fecere aliæ Gentes, forsan etiam Ægyptii. Conf. *Joseph. Antiq.* l. IV. c. 8. Non quod pro certo affirmare vellem non antea Idololatras Diis suis ædes incolendas dedisse, licet verosimillimum sit Idololatriam cum tempore magis & magis corruptam fuisse, Gentes stolidiores de Diis eorumque habitaculis fovisse cogitationes. Nec dubitandum Salomonem Templum suum dedicaturum de incomprehensibilitate Dei 1. Reg VIII. 27. ex hac locutum fuisse causa, quo Israelitas doceret Deum Israelis parietibus his minime coerceri, quod stulte Gentes aliquando crediderunt.

[2] Celsa, quæ במות 1. Reg. XII. 31. XIII. 33. &c. (unde Gr. *βωμὸς*) erant loca sublimia in collibus, montibus sita, quæ Religiosi cultus erga Numen testandi gratia ascendere soliti sunt. Excelsa enim natura amœna, cœlo, sedi divinæ propinqua atque meditationum incitamenta hunc in finem eligebantur. Noachus Gen. VIII. Abrahamus c. XXII. in excelsis sacrificabant, quorum exemplo posteri ejusmodi amabant loca imo publica sacrificiorum sedes tandem in excelso, monte Moriah, constituebatur. Hæc probabiliter Gentibus innotuerunt, quæ dein uti alia imitatæ sunt. Hinc Syri אלהי הרים אלהיהם *Dii montani sunt Dii eorum* (Israelitarum) 1. Reg. XX. 23. Locus humilis aut sublimis cultum, sacrificia per se neque commendat neque temerat, non locus, sed animus colentis a Deo spectatur, adeoque excelsa absolute & simpliciter non male audiunt, sed tum, quando in iis Baali &c. divinus exhibetur honos. Et hæc est vocis במות in Historia Regum atque alibi frequens significatio 1. Reg. XII. 31. XIII. 33. XIV. 24. Dein quando post habito ordinario & a Deo præscripto cultus loco excelsa seligebantur Deut. XII. 5. 6. &c. quare ante Tabernaculum Mosis sacrificia in montibus *ἐν πᾶσι* oblata Deo gratissima erant. Mischa tr. זבחים c. ult. §. 4. עד שלא הוקם המשכן היו הבמות מותרות *antequam erectum esset tabernaculum excelsa licita erant* & mox משהוקם המשכן נאסרו הבמות *At post quam erectum esset Tabernaculum*, *illicita erant excelsa*. Itidem subjiciunt tempora posteriora, quibus cultus in excelsis licitus habebatur §. 5. באו נלגל הותרו הבמות *quando in Gilgal venerunt*, *excelsa* (*denuo licita erant*. §. 6. באו לשילה נאסרו הבמות *sed cum venerunt in Schilo*, (*rursum*) *excelsa illicita habebantur* §. 7. באו לנוב ולגבעון הותרו הבמות *Verum cum in Nob & Gibeon venerunt*, *celsa concessa erant*. Non postea. Addo quæ in fine tractatus exstant & Jura Celsorum, ex mente Doctorum Gentis Judaicæ, egregie illustrant אלו קדשים קרבין במשכן קדשים שהוקדשו למשכן קרבנות הציבור קרבין במשכן וקרבנות היחיד בבמה קרבנות היחיד שהוקדשו למשכן יקרבו במשכן ואם הקריבן בבמה פטור מה בין במת יחיד לבמת ציבור סמיכה ושחיטה צפון ומתן סביב ותנופה והגשה ר' יהודה אומר אין מנחה בבמה וכיהון ובגדי שרת וכלי שרת וריח ניחוח ומחיצה בדמים ורחוץ ידים ורגלים אבל הזמן והנותר והטמא שוין בזה ובזה *Sacrificia*, *quæ in Tabernaculo offerenda*, *hæc sunt*: *Sacrificia Tabernaculo consecrata & sacrificia cœtus*: *sed privatorum in excelsis offeruntur*. *Sacrificia privatorum tamen*, *quæ Tabernaculo consecrata*, *etiam in eo offerenda sunt: Si quis vero in excelso obtulisset*, *liber est*. *Verum quodnam est discrimen inter excelsum publicum & privatum? Impositio manuum*, *mactatio ad septentrionem*, *sparsio circumquaque*, *agitatio*, *adductio*. *R. Jehuda ait*. *Fertum in excelso non obtinet neque Sacerdotium aut Sacerdotum vestitus vel vasa*, *non εὐωδία aut distinctio inter sanguines superiores & inferiores*, *vel lotio manuum pedumque*. *Pariter se habent tempus*, *residuum*, *impurum*.

[3] Luci sive loca arboribus consita atque aris instructa Hebr. אשרות vel ab arboribus in quincuncem redactis aut potius felicitate, quam inde lucifugi expectabant, nuncupati in sedem cultus jam antiquitus eligebantur atque hoc tum a veris cultoribus Gen. XXI. 33. tum præprimis Idololatris Deut. XVI. 21. 22. Lucianus de Sacrificiis. *Πρῶτον μὲν ὕλας ἀπενείμαντο καὶ ὄρη ἀνέθεσαν primum sylvas dedicabant & montes consecrabant*. Cujus rei rationes plures dari solent, quæ tamen, prout vel lucum Abrahami aut Idololatrarum concernunt, accurate distinguendæ sunt. Subtlissimus Medus *de sanctitate relativa* c. VIII. *in fascic. X. qui Roterodami prodiit* p. 159. *Hujusmodi autem & hac*, *quam dixi*, *forma*, *loca Patriarchæ sacris obligasse putandi non tantum pro necessitate vitæ rusticæ & pastoritiæ*, (*quod tamen hic non negligendum*) *sed etiam ex ritu & more prisco*. *Quale enim in principio Deus fecit hominibur habitaculum*, *talia & fecerunt Deo*. *Hominem in Paradiso collocavit Deus*, *homines Deo plantarunt sacros Paradisos*, *id est*, *lucos*. *Hæc nimirum vera lucorum Origo*. Merito ab aliis additur umbræ causa ob nimium æstum in Oriente, quo aliquin cultores affecti fuissent. Hanc quoque ob causam ad arbores tentoria figebant Gen. XVIII. 1. 8. Conf. Hos. IV. 23. Ezech. xx. 28. VI. 13. sed Idololatræ insuper loca arborum densitate opaca obscœnis voluptatibus plurimum conducere putabant. Vid. Hos. IV. 13. & hinc *luci parum casti* dicuntur. Plura de lucis invenies apud Ursinum *Arbor. Bibl.* c. XLVII. Spencerum *de Leg. Hebr.* l. II. c. 16.

[4] *Ex Reizio*: Ilex arbor apud omnes ferme idololatras in sacro honore fuit. Notatu dignum est illud *Phædri fab. LVI.*

Quercus Jovi, ut Ela Baali,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pyrus Cybelæ, populus celsa Herculi.

Vete-

Veteres Celtæ, qui Germani quoque fuere, (cujus contrarium inculcat *Bodinus de methodo Hist.*) quercus venerati sunt. *Petrus Albinus l. 1. Cap. 6.* prodit, Mersbergum urbem ad Caroli Magni usque dies, Martem coluisse in querceto; & nulla sacra Germanos sine hujus arboris fronde confecisse, Deosque sacrificiis & epulis rite sub hac arbore perpetratis invocasse. Nihil jam referam, quoties Poetæ tanquam raucæ cornices & graculi de frondosis, altis sacris &c. ilicibus strideant. Has arbores præprimis coluerunt *Druidæ* Celtarum, Britonumque Sacerdotes, quos depingit *Jul. Cæs. de B. G. l. VI.* Illorum nomen potius descendit a Greco δρῦς, quam a Drutin vel Deru seu Dervu Cambro-Britannico; nam testatur *Jul. Cæs. l. c. Druidas Græcis literis usos.* Tum temporis Græcæ linguæ usus etiam Germanis nostris innotuit. Vid. eundem de B. G. l. 1. ubi prodit, *inter Helvetios tabulas repertas literis Græcis confectas.* Præsertim consule *Disput. de lingua vet. Germ. Cl. Hachenbergii Eloq. & Hist. P. P. Heidelb.* ut & alias ejusdem *Disputat. de re vet. Germ.* cedro dignas; in quo viro oris sermonisque gratia cum profunda in eruenda Antiquitate eruditione suave certamen ineunt. Hucusque Reizius. Quare autem Veteres præ aliis tanto honore persecuti fuerint, non certo constat. An in causa quercuum altitudo, robur *Amos II. 9.* densitas *Ezech. VI. 13.* aliaque, a quibus commendantur? An forsan, quod traditione acceperint, Patriarchas ad illos tentoria fixisse, sacra obtulisse, Deum sub illis comparuisse? de Abrahamo Gen. XII. 6. exstat, quod habitaverit *ad Elon sive quercetum More* atque ibi Domino viso altare exstruxerit Conf. Gen. XVIII. 1. 8. Jos. XXIV. 27. Jud. VI. 11: 19. Saltem jam sub V. Testamento quercuum in cultu Idololatrico usus, Hos. IV. 13. Jes. I. 29. 30. extitit.

CAPUT QUINTUM.

De Asylis.

I. HÆc *Asyla*, a Deo ordinata, differunt ab *Asylis Herculis* & *Romuli* aliarumque gentium; quoniam Deus illi soli indulsit portum, qui voluntaria se non polluerat cæde, sed quoad propositum innocens erat. Reliqua vero communia sacella seu sacra loca erant, & tam reis quam innocentibus patebant.

Discrimen Asylorum, quæ a Deo & quæ ab aliis Gentibus instituta sunt.

II. Si quis proximum suum per errorem, aut incaute aut fortuito [1] sustulerat e medio, homicidæ isti primitus erat concessum confugere ad [2] *ALTARE*, quod liquet ex verbis. Exod. XXI. 14. *quum quis proterve egerit cum proximo suo, ad occidendum eum astu, eum ab altari meo rapies.* Et licet nobis opinari, hunc confugii morem receptum fuisse, ex facto Joabi 1. Reg. II. 28.

Primitus Asylum erat ara.

III. Ne autem altare nimis procul abesset ab eo loco, in quo cædes facta est, verisimile est Deum propterea dedisse certa *Asyla*, quæ proinde etiam creduntur æquo spatio ab invicem in terra Canaan disposita fuisse. Horum *Asylorum* [3] sex erant: *Betzer* in terra *Rubenitarum*, *Ramoth* in *Gileade Gaditarum*, atque *Golan* in *Baschane Manassitarum*. Has tres urbes selegit *Moses* cis Jordanem, Deut. IV. 41. 43. Tres urbes cæteræ a *Josua* lectæ, in terra Canaan, erant *Kedes* in Galilæa in monte *Naphthali*, *Sichem* in monte *Ephraimi*, & *Kiriath Arba*, quæ est *Hebron*, in monte *Juda*, *Jos. XX. vs. 7.* Ejusmodi alias tres [4] urbes Israelitis Deus promittit sub conditione obedientiæ, quum dilataverit terminos ipsorum, Deut. XIX. 8. 9. Sed inobedientia & contumacia eorum videtur hujus promissi impletionem sufflaminasse; S. Scriptura eam silente.

Postea sex urbes trans & cis Jordanem.

Aliæ tres promissæ sunt.

IV. Quod ad has urbes, Hebræi produnt memoriæ, ad locum *Deut. XIX. 3. Parabis tibi viam;* [5] quod Synedrium, seu Magistratus Israeliticus, debuerit vias parare ad *Asyla* ducentes; eas planare, dilatare, & ab omnibus scandalis & impedimentis expurgare. Non eminentia, non fossa, non lama viam intercludere; sed pons sterni, & liberum iter confugienti præstari debuit. Latitudo viarum non minus triginta duorum cubitorum erat; & in compitis scribebant *Asylum*, *Asylum*, ut percussor sciret, qua sibi fugiendum esset. *R. Sal. Jarchi, Deut. XIX. 3. Maimon. in Rotseach. c. 8. sect. 5.* Quotannis decima quinta mensis Adar [6] seu Februarii emittebantur a Magistratu, qui vias reparabant.

Viæ ad Asyla ducentes parandæ erant.

V. Constitutum quoque erat, ut duo aut [7] tres Sapientes *vindici*, *percussorem* insequenti, persuaderent, ne involet in illum, priusquam res audita & inquisita esset.

Vindici Sapientes additi.

VI. *Modus inquisitionis* ita se habuit: *Consistorium*, aut *Judicium*, quod in eo tractu fuit, ubi cædes patrata, retractum ex *Asylo percussorem*, coramque tribunali positum, exquisite examinarunt; quem, ubi voluntariæ cædis convictus fuit, neci, ubi autem involuntarium homicidium commisisse deprehensus est, extra vitæ discrimen *Asylo* reddiderunt.

Modus inquisitionis.

VII. Ibi non solum mœnia, sed totus urbis tractus & limites, [8] qui certis spatiis descripti erant, ei tutum receptum dedere, usque ad obitum [9] Pontificis præsentis; quo die fonti ad suum focum & ad suam urbem, ex qua profugit, redire licuit. *Jos. XX. 6. Paul. Fagius Num. XXXV. 6.* Hac ratione *percussor* absolutione quidem

Urbs cum limitibus tutum receptum dabat.

& vi-

Atque hoc ad obitum Pontificis.

& vita gavisus est, nihilominus tamen sede sua pulsus; exilii speciem subiit, ut ipse cristam, *vindex* bilem remitteret. *Areopagitæ* consimili ratione *percussorem* *ἀποενιαυτισμῷ annali exilio* multarunt. *Mas. in Jos. XX.*

Ratio.

VIII. Cur tempus hujus exilii morte præsentis Pontificis terminatum sit, in diversum scinduntur Interpretes; Plausibile tamen est, *percussorem* in ista urbe, velut exilio, tempus trivisse usque ad obitum Pontificis, quod piaculum directe contra ipsum ederetur, ut qui esset *ἀρχηγὸς antistes* & *Princeps* sanctitatis, & quasi primarius terræ Deus. *Masius ibidem*.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

Annot. [1] *Ex Reiz.* Hebræi duo *judicia* habebant, *Forense* seu *ordinarium*, & *Regium* seu *extraordinarium*. *Ordinario* suo *judicio* sola voluntaria piacula castigarunt, & quidquid fuerat per ignorantiam commissum, etiamsi proxime accederet ad voluntariam cædem, dimiserunt. *Regium* aut *extraordinarium* interdum ob publicam salutem temporisque necessitatem illum, qui *ordinario* absolutus erat, morti adjudicavit. Voluntariam cædem dixerunt בכונה, h. e. *cum attentione*, cædem vero involuntariam בלא כונה *cum nulla atteutione*. Hujus cædis tres fuerunt species. 1. Ubi quis ex *ignorantia simplici* proximum trucidarat. Ut si quis ferro e manubrio evolante hominem perdiderat; juxta Exod. XXI. 13. Num. XXXV. 22. Deut. XIX. 5. cui addunt, si quis licitum falso censuerat, trucidare aliquem: 2. Ubi quis *adscendens*, *in hominem relapsus* eum exanimarat; qui casus rarior est eo, qui fit descensu, 3. Si quis *per errorem spontaneitati proximum* interemerat alium; velut si quis gnarus excusso in coronam hominum saxo aliquem occidit, quem tamen ipse non petit. Primæ speciei soli *Asyla* patebant. Secundæ non necessaria fuerunt. Tertiam non juverunt. Nec semper homicidæ primæ speciei exularunt, sed tum, quando percussus extemplo exanimis procidit. Nec in exilium abivit vel pater, qui filium, vel magister, qui discipulum, vel lictor, qui reum corripiendo prostravit; nec vindici in eos insurgere licuit. Secunda species semper ab exilio & vindice tuta fuit. Tertia species (cui annumeratur osor, h. e. is, qui cum altero simultatis causa per triduum verba non miscuit, & ex errore vel fortuito exosum percussit) nullam habuit securitatem in *Asylis*, quia gravius ejus est delictum; nec tamen quoque *ordinario* & *forensi judicio* damnata est, sed sibi a vindice cavere debuit, si salva esse voluit. Fusius hanc rem pertexunt Cel. *Cocc. Maccoth. Cap. 2. & Selden. de Jur. G. & N. l. IV. c. 2.*

[2] Maimon. Tract. רוצח ושמירת נפש cap. V. המזבח קולט שנאמר בהורג בזדון מעם מזבחי תקחנו למות מכלל שההורג בשגגה אינו נהרג במזבח לפיכך ההורג בשגגה וקלטו מזבח והרגו שם גואל הדם הרי זה נהרג עליו כמי שהרגו בתוך עיר מקלט *Altare tutum receptum dabat: nam scriptum exstat de illo, qui animo protervo homicidam occidit* Exod. XXI. 14. Tolles illum ab altari meo, ut moriatur. *Hinc sequitur illum, qui ignoranter homicidium perpetravit, in altari non occidendum esse. Quare si ejusmodi, qui confugit ad altare, ibi a vindice sanguinis trucidatur, vindex sanguinis mortem æque commeritus est, ac si media refugii urbe illum trucidasset.* Juxta tenorem verborum Mosis privilegium spectabat ad omnem Israelitam וכי יזיד איש *& si vir proterve egerit &c.* conf. cum v. 12. 13. non vero solos sacerdotes. Hoc præprimis illis annis necessarium, quibus urbes refugii nondum separatæ erant; Alias homicida involuntarius non habuisset, quo fuga salutem peteret. Hac ex causa Joabus cornua altaris apprehendit. 1. Reg. II. 28. Parvi facio, quæ Judæi, hac de re tradunt. Illa vel suspecta mihi sunt, aut tradunt morem recentiori ævo receptum, eumque humanum. Idem Celeberrimus Magister tract. &c. cit. paulo inferius. אין קולט אלא גגו של מזבח בית עולמים בלבד ואין קולט אלא כהן ועבודה בידו אבל זר או כהן שאינו עובד בשעה שנהרג או שהיה עובד ולא היה על גגו של מזבח אלא סמוך לו או אוחז בקרנותיו אינו נקלט וכן מי שקלטו המזבח אין מניחין אותו שם אלא מוסרין לו שומרים ומגלין אותו לעיר מקלטו *solum altaris Templi tectum receptum dat nec omni, sed tantum Sacerdoti & quidem eo tempore ministranti. Is vero, qui alio quam Sacerdotali sanguine prognatus est, aut non ministrat eo tempore, quo alter occisus, vel etiamsi ministravit sed non tenuit tectum altaris, verum locum propinquum, aut apprehendit aræ cornua, non recipitur. Qui vero tutum receptum invenit, ille ibi non relinquitur, sed custodibus in suam refugii urbem deducendus traditur.*

[3] Urbes numero sex למקלט *in receptum* (a קלט *recipere* ap. Chaldæos) datæ sunt Num. XXXV. 15. quæ tum demum privilegiis suis pollebant, quando omnes in Judæorum potestate erant אין אחת מערי מקלט קולטת עד שיבדלו כולן שנ' שש ערי מקלט תהיינה לכם *Nulla ex iis receptum dat, nisi omnes sint separatæ*: Q. S. E. Num. xxxv. 15. sex urbes refugii erunt vobis. Ex mente Rabbinorum reliquæ XLII. Levitarum urbes pariter immunitatibus gaudebant, sed cum sequenti discrimine ערי מקלט קולטות בין לדעת בין שלא לדעת הואיל ונכנס בהן נקלט ושאר ערי הלוים אינן קולטות אלא לדעת ורוצח הדר בערי מקלט אינו נותן שכר ביתו והדר בשאר ערי הלוי' נותן שכר לבעל הבית *Urbes refugii omnem juris inscium & conscium recipiunt: Eo ipso, quo aliquam ingressus est, receptus. At reliquæ Levitarum urbes nonnisi juris conscium. Insuper homicida, qui commoratur in urbe refugii, nullum locationis pretium solvit. Solvit vero ille proprietario, qui in aliqua Levitarum commoratur.* Insuper de his urbibus observa, quod solum בארץ ישראל *in terra Israelis* obtineant; quod dein ad sequentem modum comparatæ esse debeant ערי מקלט אין עושין אותן לא עיירות ולא כרכים גדולים אלא עיירות בינוניות ואין מושיבין אותן אלא במקום שוקים ובמקום המים ואם אין שם מים מכניסין לתוכן מים ואין מושיבין אותן אלא במקום אוכלוסין נתמעטו אוכלוסיהן מוסיפין עליהן נתמעטין דיוריהן מוסיפין לתוכן כהנים לוים וישראלים ואין פורסין בתוכן מצודות ואין מפשילין בתוכן חבלין כדי שלא יהיה רגל גאל הדם מצויה שם *Neque urbes magnæ, neque castella magna, sed urbes mediocris magnitudinis ad Asyla constituendæ sunt. Ibi collocantur, ubi fora & aqua. Si vero aqua deficit, in illam deducenda est. Ita ibi, ubi hominum turba* (אוכלוסין est Gr. ὄχλος) *Asylum recte designatur. At illa deficiente, habitatoribus imminutis, incolæ aliunde ex Sacerdotibus, Levitis Israelitis advocandi sunt. In illa retia expandere aut funes suspendere non concessum est, ne pes vindicis Sanguinis eo veniat.* Hæc cuncta ex Maimonide, Juris Judaici omnium peritissimo, quem itaque in citationibus nostris merito frequentissime producimus. Tr. cit. c. VIII.

[4] Idem famigeratissimus Doctor suam aliorumque contribulium de Asylis promissis sententiam ita profert. בימי המלך המשיח מוסיפין שלש אחרות על אלו השש שנ' ויספת לך עוד שלש ערים על השלש האלה והיכן מוסיפי' אותן בערי הקיני והקנזי והקדמוני שנכרתה לאברהם אבינו ברית עליהן ועדין לא נכבשו ועליהן נאמר בתורה ואם ירחיב ה' אלהיך את גבולך *In diebus Regis Messiæ sex Illis Asylis tria addenda erunt Q. S. E.* Deut. XIX. 9. & addes tibi tres alias urbes præter tres illas. *Sed unde illæ sumentur? Ex urbibus Kenizæorum, Kenæorum & Kadmonæorum. Nam fœdus cum Abrahamo patre nostro propter illas initum erat.* (Gen. XV. 19.) *Hucusque autem nondum subactæ sunt. De his in lege accipiendum* Deut. XIX. 8. quando Jehova Deus tuus tibi terminos tuos dilataverit.

[5] Nonnihil hinc illustratur munus Præconis Johannis Luc. III. 4. 5. 6. Dicitur *φωνὴ βοῶντος*, qui ex mandato alterius alta voce clamare debebat. Similiter שלוחין *legati Synedrii* ad vias parandas emissi. Johannes clamabat 5 *Parate viam Domini*,

rectas

rectas facite semitas ejus &c. Legatorum erat לתקנם ולהרחיב ומסירין מהן כל מכשול וכל תקלה ואין מניחין בדרך לא תל ולא גיא *ordinare & dilatare vias, ex iis obstacula & impedimenta cuncta removere, non cumulum aut vallem relinquere* loc. cit. Hoc Johannes agebat, ut omnis caro videret τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ Legati, ut homicidæ involuntarii celeri cursu, sine mora, urbem refugii videre atque illam ingredi possent.

[6] Hyeme enim viæ deperdebantur: Illa nunc ad finem perducta viæ sollicite reparandæ erant. Alioquin ipsum Synedrium in causa mortis habebatur, si vindex homicidam in via trucidasset.

[7] Mischna tr. מכות c. II. 5. מוסרין לו שני ת"ח שמא יהרגנו בדרך וידברו אליו Hæc clara sunt ex Auctore.

[8] Juxta Num. XXXV. 27. Hæc traditionarii ita accipiunt tr. & cit. §. 7. כשם שהעיר קולטת כך תחומה קולט רוצח שיצא חוץ לתחום ומצאו גואל הדם ר' יוסי הגלילי אומר מצוה ביד גואל הדם ורשות ביד כל אדם ר' עקיבא אומר רשות ביד גואל הדם וכל אדם אין חייבין עליו אילן שהוא עומד בתוך התחום ונופו נוטה חוץ לתחום או עומד חוץ לתחום ונופו נוטה לתוך התחום הכל הולך אחר הנוף Coccejo Interprete: *Sicut urbs ita territorium ejus recipit. Homicida si limitibus urbis egressus sit, deprehenderitque eum vindex sanguinis, R. Jose Galilæus ait: Præceptum est in manu vindicis; facultas in manu cujusvis. R. Akiba. Facultas est penes vindicem, cæteri non tenentur ad pœnam illius nomine. Arbor si ita sit intra urbis fines, ramis extra illos prominentibus* (sub ramis tutus est.) *Aut* (*arbor*) *extra fines, ramis intra illos existentibus, stirps ramos sequitur*. Hinc sua Maimon. tr. רוצח ושמירת נפש c. VIII. in fine &c. V. Ubi insuper addit אחד ההורגו בדרך קודם שיכנס לעיר מקלט או שהרגו בחזירתו עם השנים ששומרין אותו נכנס לעיר מלקטו (מקלטו lege) ויצא חוע לתחומה בזדון הרי זה התיר עצמו למיתה ורשות לגואל הדם להורגו ואם הרגו כל אדם אין חיבין עליו שנ' אין לו דם יצא חוע לתחום עיר מקלטו בשגגה כל ההורגו בין גואל הדם בין שאר אדם גולה על ידו הרגו בתוך תחום עיר מקלטו אפילו גואל הדם הרי זה נהרג עליו (Vindici sanguinis licitum est homicidam extra limites urbis refugii occidere,) *sive illum in via: antequam urbem intravit, deprehendat, aut quando in comitatu duorum custodum illam denuo intrat. Si vero postquam Asylum ingressus est, animo protervo limites transgreditur seipsum morti subjicit atque vindex illum occidendi facultatem habet. Omnis alius, qui ipsum occiderit propterea non tenetur, dictum enim est, Num. XXXV. 27.* non erit huic reatus sanguinis. *Si vero limites Asyli inscius transierit, omnis, qui interfecerit vel vindex vel alius aliquis, propter illum exulare debet. Sed qui interfecerit intra terminos urbis refugii, ea propter occidendus est.*

[9] Quum omnis certitudo Antiquitatum testimoniis probatis nitatur, Mischnicorum hac de re verba itidem proferam. אחד משוח בשמן המשחה ואחד המרובה בבגדים ואחד שעבר ממשיחתו רבי יהודה אומר אף משוח מלחמה מחזיר את הרוצח לפיכך אמותיהן של כהנים מספקות להן מחיה וכסות כדי שלא יתפללו על בניהן שימותו נגמר דינו ומת כהן גדול הרי זה אינו גולה אם עד שלא נגמר דינו מת כהן גדול ומנו אחר תחתיו ולאחר מכן נגמר דינו חוזר במיתתו של שני נגמר דינו בלא כ"ג ההורג כ"ג וכ"ג שהרג אינו יוצא משם לעולם ואינו יוצא לא לעדות מצוה ולא לעדות ממון ולא לעדות נפשות ופילו ישראל צריכים לו ואפילו שר צבא ישראל כיואב בן צרויה אינו יוצא משם לעולם שנ' אשר נס שמה שם תהא דירתו שם תהא מיתתו שם תהא קבורתו Eodem Viro Docto Interprete. *Æquali jure Sacerdos unctus oleo unctionis & cultu Sacerdotali investitus & qui abiit ministerio Sacerdotali atque ex sententia R. Jehudæ etiam qui belli causa unctus est,* (morte sua) *restituunt homicidas. Proptereaque matres Sacerdotum victum atque amictum illis sufficiunt, ne filiorum suorum mortem precibus accelerarent. Si consummato homicidæ judicio Sacerdos moriatur, non exsulat. Sin vero ante causæ decisionem is decedat, surrogatoque in ipsius locum alio causa finiatur, hujus morte postliminio in patriam restituitur. Qui in interregno* (*quando nullus Pontifex*) *damnatus sit aut Sacerdotem summum occiderit aut ipse Sacerdos summus, si cædem patraverit, nunquam egreditur asylo; non ad testificationem præcepti aut rei pecuniariæ vel capitalis, etiamsi populus Israel ipsius ope indigeat, v. g. si vel exercitus imperator sit, ut Joab filius Tseruja, non abit inde Q. D.* (Num. XXXV. 25.) Quo confugit. *Ibi erit ipsius commoratio, ibi obitus, ibi sepultura.* Quare autem reditus in Patriam ad obitum Pontificis adstrictus fuerit, diversimode Interpretes sentiunt & in re obscura vix quidquam dici potest, quod aliis plene satisfaciat. Sunt qui Pontificem ut Regem, quemadmodum omnium urbium Leviticarum, ita speciatim Asylorum, expendendum putant, quo mortuo servitium cessare. Alii arbitrantur fervorem vindicis merito tum subsidere, quando ille maximum in Israele virum mortuum audit. Rursum alii Pontificem publicum sanguinis injuste effusi vindicem habitum fuisse, quo igitur defuncto etiam privatus iram omittere debet. Paulo aliter, ut vides, Eruditissimus Masius, non tamen quod cum fascinata Judæorum Gente typum rejiciat, prout Reizius, tantum virum perstringere haud veritus est. Audi ipsum: *Verum enim vero ipsa ἀναγωγὴ ut certissima ita aptissima est. Significat enim genus humanum, nisi per mortem summi Pontificis Christi in cœlestem Patriam suam reverti non posse, unde semel per Adæ errorem exsulare cœpit.* Quasi vero sensus literalis & mysticus una stare nequeant? Præstaret sæpius a sensu mystico abstinere, quam mox ea quæ somnianti incidunt aut ab aliis dicta sunt, sine selectu corradere.





CHRONOLOGIA A MUNDO CONDITO USQUE AD MORTEM SALVATORIS NOSTRI.



I. Si veterum Scriptorum lectio cum insigni utilitate atque certitudine conjuncta esse debet, necesse est, notitiam rituum, Geographiæ & Chronologiæ possidere. Una harum si desit, impossibile mentem Scriptoris penitus assequi. Quanto Historia Sacra omnibus aliis præstantior, tanto magis annitendum, ut ea quæ nos certius ad veritates divinas cognoscendas ducunt, promte teneamus, neve Sacra illotis manibus tractemus. Quoniam autem de Ritibus Hebræorum, Geographia Canaan partim diximus, partim ad ductum Auctoris dicemus, maxime consultum videbatur, ut *Libro III. de Temporibus & Diebus* brevem Chronologiæ a mundo condito usque ad obitum Christi delineationem præmittamus, atque ita occasionem nanciscamur cum Commilitonibus, quorum usui omnes conatus nostri consecrati sunt, hac de utilissima Materia disserendi.

Tempus, quod a mundo condito usque ad mortem Servatoris nostri effluxit, commode in VII. Periodos dispescitur.

Prima Periodus a mundo condito usque ad finem diluvii, continet annos 1657.

Secunda finit in vocatione Abrahami ex Ur Chaldæorum, quæ est annorum 426.

Tertia a vocatione Abrahami ad νομοθεσίαν, & est annorum 430.

Quarta a Legislatione usque ad ædificationem Templi Hierosolymitani, annis 480.

Quinta incipit in ædificatione Templi & desinit in ejus excidio per Nebucadnezarem: Complectitur 411.

Sexta ab excidio Templi usque ad manifestationem Christi in carne: estque 601.

Septima ab ἐνσαρκώσει Christi usque ad ejus mortem, quæ continet 33.

A mund. condito. | Ant. C. natum.

PERIODUS I.

A creatione mundi ad finem diluvii continet annos 1657.

MUNDUS universus a Deo conditus est spatio sex dierum, Genes. I. horum ultimo Adamus & Eva primi incolæ ex hominibus. Probabiliter anni tempus autumnale primum erat, prout hodie accuratissimi Chronologi plerumque judicant. His favet Judaica traditio.

A mund. condito. | Ant. C. natum.

Ex Protoplastis nati sunt Cain impius & fratricida & הבל Habel *fluxæ vitæ*, Gen. IV. 1. 2. &c. Uterque incerto anno quia ille semen serpentis, ejus vitæ curriculum silen-

M.C. A.C.

lentio præteritur. Hic autem liberis nomen ad posteros non propagavit.

Incertus quoque est annus fratricidii, licet videatur vicinus nativitati Sethi.

130. 3875. Nascitur Sethus Abeli pio a Deo surrogatus. Gen. IV. 25. V. 3.

235. 3770. Sethus procreavit filium Enoschum, cum esset annorum 105. Gen. IV. 26. V. 6.

Hoc tempore, quo Caini & posterorum, quales eo tempore numero haud pauci prognati esse poterant, impietas crescebat, Sethiani peculiares cœtus ad invocandum nomen Dei instituunt, Gen. IV. ult. & dicti sunt *filii Dei*, Gen. VI. 2. qui cum Deo ambulabant. Sed alii *viam Caini* secuti, filii & *filiæ hominum* audiebant.

325. 3680. Enoschus nonaginta annorum, Gen. V. 9. progenuit Cainanum.

395. 3610. Cainanus, septuaginta annos habens, genuit Mahaleelem Gen. V. 12.

460. 3545. Mahaleel sexaginta quinque annorum Jaredum, Gen. V. 15.

622. 3383. Enochus, *consecratus* Deo, prognascitur ex Jaredo agente annos 162. Gen. V. 18.

687. 3318. Mathusala ex Enocho 65. annorum. Gen. V. 21.

874. 3131. Lamechus ex parente Mathusala 187. annorum, Gen. V. 25.

930. 3075. Denascitur Adamus, agens annum 930. Gen. V. 5.

987. 3018. Transfertur Enochus vivus in cœlum, postquam ambulavit cum Deo in hac misera vita 365. Gen. V. 23. 24.

1042. 2963. Moritur Sethus annos 912. natus, Gen. V. 8.

1056. 2949. Oritur Noachus parente Lamecho annorum 182. Gen. V. 28.

1140. 2865. Moritur Enoschus, postquam vixerat 905. Gen. V. 11.

1235. 2770. Cainanus annorum 910. obit, Genes. V. 14.

1290. 2715. Mahaleel natus 895. annos denascitur, Gen. V. 17.

1422. 2583. Jared moritur, quum esset annorum 62. Gen. V. 20.

Grassante Cainitarum impietate atque etiam inficiente *filios Dei*, non Angelos, sed Sethitas, qui se cultores Dei profitebantur. Noachus justus κήρυξ δικαιοσύνης constituitur, quo caro corrupta intra 120. annos

1536. 2469. ad meliores fruges redeat: Aliter aqua suffocandam esse, Gen. VI. 3. 2. Petr. II. 5. interminatus est Deus.

1556. 2449. Japhetus Noacho 500. annorum in lucem editur. Gen. V. 22. Gen. X. 25. ubi frater הגדול natu major Semo dicitur.

1558. 2447. Semus biennio post, quemadmodum colligitur ex Gen. XI. 10.

Chamus ultimus natus, Gen. IX. 24. Annus ejus parum liquet.

1656. 2349. Mathusala μακροβιώτατος annorum 969. moritur in initio anni, Gen. V. 27. nam altero mense diluvium jam immittebatur.

Eodem anno convenienter interminationi factæ diluvium terram ejusque incolas inundat & delet, in arca servatis nonnisi VIII. hominibus atque nonnullis bestiis, quibus futurus mundus propagandus erat. Erat autem Noachus annorum 600. Gen. VII. 6. Imbres cadere incipiebant die 17. mensis secundi. Gen. VII. 11.

1657. 2348. Subsequentis anni mense secundo die 27. Gen. VIII. 14. 15. &c. terra penitus exsiccata erat, atque arca exibat Noachus cum servatis.

Constat cuncta quæ de calculo Chronologico hujus temporis aut rebus tum gestis tuto dici queunt, e S. Literis depromenda esse, & illis quidem, quæ Hebræa lingua in manus nostras pervenerunt. Non curamus itaque vel LXX. Interpretes, aut Josephi calculum, qui nostrum multum superat, nam assurgit ad 2257. aut Samaritanum nostro minorem Longævitatem Patriarcharum, dicente ita Scriptura, facile credimus. Qui enim ævo Mosis decrevit, ut dies nostri durarent 70. aut 80. annos, ille eodem potentissimo jussu ante diluvium vitam Patriarcharum ad octingentos, noningentos aut alium numerum ob sapientissimas rationes protrahere valuit.

PERIODUS II.

A fine diluvii usque ad vocationem Abrahami ex Ur Chaldæorum continet 426.

1658. 2347. Arphaxadus nascitur Semo centenario, duobus scil. annis post diluvium non finitum, alias incideret annus natalis in A. M. C. 1659. sed incipiens Genes. XI. 10.

1693. 2312. Sehlah procreatur Patre Arphaxado annos 35. agente Gen. XI. 12.

1723. 2282. Heber, a quo vulgo Hebræi, oritur anno Patris 30. Gen. XI. 14.

1757. 2248. Phaleg Heberi filius nascitur Patre 34. annorum Gen. XI. 16. Dicitur autem a פלג *dividere*, quoniam ejus

M.C. A.C.

ejus ætate נפלגה הארץ *divisa est terra*. Gen. X. 25. scil. judicio Dei. vide c. XI.

1787. 2218. Rehu lucem videt Phalego 30. annos habente. Gen. XI. 18.

1819. 2186. Serugus nascitur, dum pater 32. annos natus. Gen. XI. 20.

1849. 2156. Nahor filius Serugi in anno Patris 30. Gen. XI. 22.

1878. 2127. Tharah procreatur a Patre Nachore annos 29. agente Gen. XI. 24.

1948. 2057. Tharah procreare incepit anno ætatis 70. Gen. IX. 26. *Tharah extitit 70. annorum & procreavit Abrahamum, Nachorem & Charan. Primo* tergeminos fratres nemo dixerit, sed illi successive prognati sunt, Dein ex nominum ordine firmum primogenituræ pro Abrahamo argumentum peti nequit, vid. Gen. V. 32. X. 22. Itaque si alibi Scriptura indicat Abrahamum multo serius prognatum esse, male inde collligitur ipsum ceu primogenitum anno Patris septuagesimo lucem vidisse. Indicat autem. Gen. XII. 4. coll. cum Act. VII. 4. scil. Stephanus diserte ait Abrahamum e Charran discessisse post obitum Patris. Quando autem illinc discessit, natus erat annos 75. *l. cit. in Gen.* Si memorati 75. anni subtrahuntur de 205. qui vitam Tharachi constituunt. Gen. XI. 32. remanent 130. atque tum probabiliter Abrahamus natus est. Displicet hic calculus præter alios Eruditissimo Clerico *in append. Comment. in Gen.* his verbis: Moses *quidem ait obiisse Tharacum & quidem priusquam narrat discessum Abrahami in Chananæam, sed non dicit eum discessum post mortem Tharachi fuisse;* ὕϛερον πρότερον in scriptura (nihilominus certas ob rationes) dari non abnuo, quo commode comma 1. c. XII. coll. cum Actor. VII. 2. referri potest. Non tamen tum, quando scriptor divinus clare indicat, se rationem temporis tenere, quod Stephanus agit l. cit. Locus vero Proto-Martyris parallelus est cum illo Gen. XII. 4. adeoque inde elucet discessum illum post mortem Tharachi contigisse. Scriptura enim e Scriptura exponenda est. Dein Moses in nostram sententiam inclinare videtur, non tantum, quia discessum Abrahami post mortem Patris narrat nulla ordinis posthabiti ratione conspicua, sed & Lothum comitem memorat. Non enim credibile & filium & nepotem Tharachum senem, adhuc vivum & ope liberorum indigum, in Charrane reliquisse. Addit: *Nec verosimile videtur Abrahamum, qui sibi centum annos nato filium nasciturum vix credidit, ipsum ex Patre, qui 130. annum attigerat, natum esse. Certe ab Angelis ei dubitanti non divina Omnipotentia, ut faciunt, c. XVIII. objici debuit, sed suum ipsius exemplum, si patri plusquam centenario natus fuisset*. Ingeniosa quidem, sed minus valida objectio est, quippe Abrahamus vix ultra 80. annos agens pariter dubitavit semen sibi fore. Gen. XV. 1. 3. 4. XVI. 16. Quum tamen Tharach haud procul ab ea ætate fratrem natu minimum progenuisse concedendum est. Nimis meticulosi & dubiosi animi verba sunt, qualis non solet omnia accurate expendere, quæ & posset & deberet: Et licet ipse a Tharacho 130. annorum prognatus fuerit, probabile tamen est, ea & etiam antecedente ætate communiter Parentes multo citius liberos genuisse, quippe nullus Patriarcharum post diluvium ante memoratorum exactis 40. nedum 100. annis generare incepit. Solent autem meticulosi non ad rariora, sed magis vulgaria exempla respicere. Præprimis notandum Abrahamum promissam filii nativitatem ratione non tam ad corpus & ætatem suam quam uxoris sterilis incredibilem judicasse. Ita enim Gen. XVII. 17. *Abraham risit, dixitque in animo suo: an nato centum annos nascetur (proles)?* ואם שרה *& an Saræ* הבת *an nata 90. annos pariet?* Abraham se senem novit, qualis ad liberos generandum minus idoneus. Sed magis miratur prolem illam e Sara sterili 90. annorum sibi orturam, quare bis admirabundus in corde inquit, *& an Saræ? an nata 90. annos pariet?* conf. ואם Job. XL. 9. ubi negantis est.

M.C. A.C.

1996. 2009. Phaleg decedit anno 239. Gen. XI. 18. 19.

2006. 1999. Noachus moritur anno ætatis 950. post diluvium incipiens 350. Gen. IX. 28. 29.

2008. 1997. Abrahamus nascitur patre annos 30. agente. Gen. XI. 32. XII. 4. Act. VII. 4.

2018. 1987. Sarah decennio natu minor.

2026. 1979. Rehu moritur anno vitæ suæ 239. Gen. XI. 20. 21.

2049. 1956. Serug moritur anno ætatis 203. Gen. XI. 22. 23.

PE-

M.C. A.C.

PERIODUS III.

A vocatione Abrahami ex Ur Chaldæorum usque ad νομοθεσίαν quæ 430. annorum est.

2083. 1922. ABrahamus ex Ure Chaldæorum evocatur. Gen. XI. 31. XII. 4. Act. VII. 2. 3. 4. atque in Charran ad breve tempus moratur. Eodem anno videtur e Charran in Palæstinam iter perfecisse l. cit.

2093. 1912. Sara de prole desperans finitis decem commorationis in Canaane annis tradit ancillam Hagarem marito, quæ gravida, debita reverentia erga heram posthabita, domo expellitur. Gen. XVI. 2. 3. 6.

2094. 1911. Ismael Abrahamo octoginta sex annos nato ex Hagare nascitur. Gen. XVI. 16.

2096. 1909. Denascitur Arphaxadus anno vitæ 438. Gen. XI. 12. 13.

2107. 1898. Fœdus Abrahamo confirmatur, addita circumcisione, fœderis signo & sigillo: Immutaturque nomen Abrami in Abraham & Sarai in Sara. Gen. XVII.

Apparent tres Angeli, liberaliter ab Abrahamo excepti; qui sterili Saræ subridenti denuo prolem promittunt. Gen. XVII. 1. 16. Unus ex iis, qui Jehova dicitur, Abrahamo periculum Sodomitis imminens aperit. Brevi post Sodoma, Gomorra & circumjacens regio cœlesti Judicio subvertitur.

2108. 1897. Nascitur Isaacus filius promissionis Patre centenario. Gen. XVII. 17. XXI. 2.

Nascuntur Moabitarum & Ammonitarum progenitores ex incestu Lothi cum filiabus. Gen. XIX. 36. f.

2126. 1879. Selah diem ultimum obit natus annos 433. Gen. XI. 14. 15.

2145. 1860. Moritur Sarah, postquam vixerat 127. annos. Gen. XXIII.

2148. 1857. Isaacus quadragenarius uxorem ducit Rebeccam filiam Bethuelis. Gen. XXIV.

2158. 1847. Moritur Semus agens 600. annos. Gen. XI. 10. 11.

2168. 1837. Rebecca viginti annos sterilis assiduis precibus edit gemellos, qui in matris utero exaltasse traduntur, scil. Esau primogenitum & Jacob. Gen. XXV. 26.

2183. 1822. Abrahamus moritur annos habens 175. Gen. XXV. 7. 10.

2187. 1818. Heber denascitur anno ætatis 464. Gen. XI. 16. 17.

Esavus quadragenarius duas uxores Chittæas ducit. Gen. XXVI. 34. 35. — M.C. 2208. A.C. 1797.

Jacobus hoc anno probabiliter Leam & Rachelem in uxores accepit. — 2252. 1753.

Intra septennium matrimonii plures liberi Jacobo ex Lea nati sunt, sed providentia divina ita dirigente Rachel longo tempore sterilis demum septennio ad finem properante parit Josephum. Gen. XXX. 23. 24. conf. Gen. XLVII. 9. XLI. 46. — 2259. 1746.

Josephus XVII. annorum Patri charissimus, sed ideo exosus fratribus venditur. Gen. XXXVII. 2. 28. — 2276. 1729.

Moritur Isacus annos agens 180. Gen. XXXV. 28. — 2288. 1717.

Josephus triginta annorum insomnia Pharaonis feliciter interpretatur atque ad summam evehitur dignitatem. Gen. XLI. 46. &c. — 2289. 1716.

Eodem anno incipit septennium fœcunditatis.

Illo finito incipiunt anni famis. Gen. XLI. 54. — 2296. 1709.

Jacobus 130. annorum in Ægyptum descendit, atque filium Josephum, quem dudum mortuum putarat, lætus videt. — 2298. 1707.

Jacobus, postquam in Ægypto 17. annos vixerat, moritur. Gen. XLVII. 28. — 2315. 1690.

Josephus centum & decem annorum vita decedit. — 2369. 1636.

Moritur Levi annos agens 137. Exod. VI. 15. qui filiorum Jacobi μακροβιώτατος habetur. Quia tertius ex Lea, nativitas ejus credibiliter incidit in annum 2255. quibus 137. additi numerum appositum conficiunt. — 2392. 1613.

Post mortem Josephi magis ac magis res Israelitarum incidebantur, jugum portatu impossibile & maxime impium iis imponebatur, ut jussi fuerint masculos natos in rivum projicere. Quo tempore Moses ex Parentibus Amram & Jochebeth a Levi ortis in lucem editur, & quamvis ad tempus domi delituerit, mater metu tandem coacta filiolum formosissimum fluvio in arca juncea committit, qui ut alter Noah miraculoso non tantum conservatur modo, sed & a Pharaonis filia ut proprius filius habetur, Exod. II. 2. &c. Nativitas contigit octoginta annis ante exitum ex Ægypto, Act. VII. 23. 30. — 2433. 1572.

Moses eruditus omni Ægyptiorum sapientia aula exit & fratres invisens — 2473. 1532.

sens

M. C. A. C. ſens Ægyptium occidit aufugitque in regionem Midian, agens annos quadraginta, Act. VII. 23.

Moſes jam octogenarius Act. VI. 30. Exod. VII. 7. oves ſoceri paſcens a Deo ad Iſraelitas gementes liberandos vocatur, & inidoneitatem ſuam ad hoc officium primo prætendit, tandem ſequitur.

Hic calculus probe convenit cum Auctoritate Pauli Gal. III. 17. nam reſpicit ad primam διαθήκην factam in Ur Chaldæorum. Similiter Moſes, Exod. XII. 40. 41. qui Synecdochica loquendi ratione utitur, atque omnem peregrinationem Abrahami uſque ad exitum ex Ægypto narrat. Aliter accurrate loquendo nonniſi dimidium tempus 215. annorum ab introitu Jacobi cum familia in Ægypto conſumebatur.

PERIODUS IV.

A Νομοθεσία uſque ad jacta Templi fundamenta, quæ 480. annorum eſt.

2513. 1492. Eodem anno, quo Iſraelitæ egreſſi ſunt ex Ægypto, Lex ferebatur menſe III. anni Eccleſiaſtici, modo ante inſtituti, IX. autem Politici, Exod. XIX. 1. &c.

2514. 1491. Tabernaculum ſuperiori anno Moſi in monte monſtratum nunc abſolutum erigitur & initiatur, Deo gloriam præſentiæ ſuæ ſub ſymbolo nubis manifeſtante Exod. XL. atque Leges varias de Sacrificiis, Sacerdotibus præſertim ferente, quæ tertio Moſis libro continentur.

2553. 1452. Moſes, poſtquam quadraginta annos in deſerto conſumſerat, tribubus benedicens terra eminus viſa trans Jordanem moritur.

2560. 1445. Joſua Moſi ſuffectus VII. annis terram Cananæorum magna ex parte occupavit. Joſ. XIV. 7. 11.

2567. 1438. vel: 2574. 1431. Primus annus Sabbathicus incidit in annum ſeptimum ſubſequentem aut juxta Judæos decimum quartum, Deuter. XXXI. 10. &c.

Joſua 110. annos natus, quiete terræ adducta, in domino quieſcit.

Ab exceſſu ejus Seniores primas regiminis partes in terris habebant, ſed illas peſſime adminiſtrabant, quippe populus a cultu veri Numinis in fœdiſſimam Idololatriam prolapſus eſt. Jud. II.

Itaque accenſa Regis ſummi ira populus idololatricus traditur crudelitati Cuſchanis Riſchathaimorum M. C. A. C. Regis Meſopotamiæ, qui tyrannidem in illum exercebat ſpatio octo annorum, Jud. III. 8.

Clamantium & pœnitentium Deus miſertus mittit Othnielem liberatorem, qui tyrannum præliis fregit, populum autem in libertatem emiſit. Mortuus Othniel, anno (poſt Joſuam) quadrageſimo, Jud. III. 11.

Cum Othniele deceſſit ſimul verus Iſraelitarum cultus, quare altera vice ſervitutem ſubire jubebantur ſcil. ſub Eglone Moabita annis octodecim, Jud. III. 12. 15.

Rurſus miſſus liberator, nomine Ehud, qui Eglonem ex improviſo obtruncavit. Hic, ut videtur, ſatur dierum anno poſt Othnielem octogeſimo obiit, Jud. III. 30.

Illum aut ſecutus eſt, aut valde ſenem adjuvit Samgar, qui pedo paſtorali miraculoſam a Philiſtæis victoriam reportavit, Jud. III. 31.

Denuo ſine Judice, qui cauſam Dei fortiter agat, viventes a Jabino Rege in Chazor viginti annis opprimuntur Jud. IV. 1. Rurſum liberantur conſilio & prudentia Deboræ Prophetiſſæ atque fortitudine Baraci, qui exercitum Regis memorati cum Duce Siſera, poſtea manu mulieris pereunte, profligavit. Effluxerunt 40. anni, Jud. V. 31.

Iterum repetitus Idololatriæ cultus Gentem Iſraeliticam Midianitis per ſeptem annos vexandam tradit. Jud. VI. 1. Vexati ad Deum clamitantes gratioſe exaudiuntur atque Gideonis, qui a Deo modo prorſus extra ordinario vocatus eſt, manu ſervitute eripiuntur, *quievit autem terra dibus Gideonis in annum uſque quadrageſimum*, Jud. IX. 28. ſcil. ab Epocha ſuperiori.

Succedit Abimelech, filius Gideonis peſſimus per triennium regnans.

Dein Thola, qui Judicis munere ſpatio 23. annorum fungitur, Jud. X. 1. 2.

Tum Jair judicans Iſraelem 22. annos, Jud. X. 3.

Hic rurſus Idololatria ſe conſpurcavit, & ideo duriſſimæ Ammonitarum ſervituti ſubjectus fuit per octodecim annos Jud. X. 8.

Tum pro gratia, qua peccatores reſipiſcentes excipere ſolet, Jephtæ ita benedixit Deus, ut ſervientes mox in plenam libertatem vindicati fuerint. Regimen ejus durabat per ſex annos Jud. XII. 7.

Suſ-

Suffectus illi est Ibsan Judex septem annorum, c. cit. v. 8.

Ibsanem secutus est Elon judex per 10. annos, c. cit. v. 11.

Successor Abdon octo annos Israelem judicavit, c. cit. v. 14.

Hic memoranda est oppressio Philistæorum, tempore Simsonis & Eli ut videtur, annis 40. Jud. XIII. 1.

Simson rerum Israelitarum acerrimus adversus Philistæos defensor hostium plurimos in vita, plures in morte trucidavit, quum obiit, postquam 20. annis Hebræos judicaverat, Jud. XVI. 31.

Quæ abhinc in historia Judicum sequuntur, ordinem temporis non tenent, sed multo antiquiora sunt & referenda, ad c. 11.

Eli ex Ithamaris posteritate filiis pessimis nimis indulgens quadraginta annis populo præfuit & postea vitam misere finiit, 1. Sam. IV. 18.

Eli substituitur Samuel, vir probatæ vitæ, quo ipse Deus familialiter usus est, quod eo tamen tempore rarissimum. Nihilominus procax populus more Gentium Regem petiit, qui tandem dabatur, scil. Saul una cum Samuele regnans spatio quadraginta annorum, Act. XIII. 20. 21.

Saule infeliciter defuncto successit David primum nonnisi tribulium suorum Judæorum per septem annos & tres menses, post totius Gentis per triginta tres Rex constitutus est 2. Sam. V. 5.

Davidi surrogatus est filius sapientissimus Salomo, cujus anno quarto, mense secundo, Templum primum ædificabatur 1. Reg. VI. 1.

Quod si nunc annos, prout in Historia Sacra reperiuntur atque ex illa excerpti sunt, in summam redigimus, exurget numerus 599. puta additis 25. annis, quos plures Chronologi Josuæ & Senioribus attribuere solent. Calculus hic multum superat illum in primo Regum libro c. VI. 1. *Anno quadringentesimo octogesimo* לצאת בני ישראל מארץ מצרים *post egressum filiorum Israel ex terra Ægyptiaca anno quarto mense Siv (qui mensis secundus est) regni Salomonis super Israelem exstruebatur domus Jehovæ.* Superior est annis 119. Posteriorem illum calculum, quem annales Regum nobis exhibent, verum esse ob reverentiam, quam scripturæ debeo, nullus dubito. Videtur quoque Scriptor sacer id intendisse, ut ætatem, quæ ab egressu ex Ægypto effluxit, distincte & breviter enarret atque ita suppleat ordinem minus servatum in Historia Judicum.

At dices, quomodo se res habet cum majori summa? Quid superflui illi 119. anni? Noli a me exspectare varias conciliationes, quæ a Doctissimis Chronologis super hac re tentatæ sunt. Neque enim id nunc ago, ut varias sententias in medium proferam, illas probem aut improbem. Puto utilissimum esse, si distinctim apposuero annorum numeros de quibus nulla jure moveri potest quæstio. Postea etiam illos obscuriores, & qui sine Synchronismo sive includendo numerum minorem majori non satis intelligi queunt.

Numerus annorum certorum quartæ Periodi hic est.

Ab exitu ex Ægypto ad introitum in Palæstinam	40
Anni Othnielis	40
Ehudi	80
Deboræ	40
Gideonis	40
Abimelechi	3
Tholæ	23
Eli	40
Samuelis & Saulis	40
Davidis	40
Salomonis	4
	390

Restant ergo nonaginta alii, qui una numerum in libro Regum designatum constituunt, quos huic statim subjiciam, ut calculus ex conjunctione clarius cognoscatur. Addam dein rationes, quæ illum probabilem reddunt.

scil. anni	
Jairi	22
oppressionis Ammonitarum	18
Jephtæ	6
Ibsan	7
Elon	10
Abdon	8
Josuæ	19
Anni incertiores	90
certi	390
S.	480

In computatione omissi sunt א 8. anni oppressionis Cuschanis Rischathaimorum Jud. III. 8. ceu qui postea inclusi sunt numero quadragenario v. 11. Nam phrasis *&* *quievit*

M.C. A.C. *vit terra quadraginta annis & mortuus est Othniel filius Kenaz*, aut similis non necessario vult, terram ab hoste devicto tanto tempore pacate vixisse, aut Judicem toto illo tempore populum rexisse. Observa enim magnum discrimen inter allatum testimonium, cui simile inf. v. 30. v. 31. & dein illa, quæ tempus regiminis Judicialis exprimunt veluti c. X. 2. *& judicavit* (Thola) *Israelem viginti tribus annis &* (postea) *mortuus atque sepultus est in Schamir.* conf. consimiliter v. 3. XII. 7. 8. 11. 14. XVI. 31. 1. Sam. IV. 18. Anni illi incipiendi videntur a morte Josuæ Epocha præcedente nobiliori c. II. 8. atque ita defuncto Othniele sequentem claudunt, non quod ille per tantum tempus ab hoste debellato Israeli præfuerit. ב omissi sunt 18. anni Eglonis Moabitarum Jud. III. 12. 15. qui quoque inclusi numero octogenario v. 30. Neque probabile est Ehud octoginta annis Israelem rexisse. ג Samgar, de quo solum Jud. III. v. ult. distinctos annos vel ab antecedentibus aut sequentibus non facit. ד Viginti anni, qui Jabino assignantur Jud. IV. 2. rursum comprehenduntur quadraginta illis Jud. V. 31. ה Rursum 7. Midianitarum Jud. VI. 1. exprimuntur summa quadraginta annorum, quibus terra diebus Gideonis quiescere dicitur Jud. VIII. 28. ו Solent plures, quemadmodum in præcedentibus factum, annos oppressionis Ammoniticæ regimini Jairi includere atque inchoare anno ejus quinto. Sed hic idem cum iis sentire nequeo, quoniam Historia Judicum oppressionem Ammonitarum morti Jairi postponit Jud. X. 5. 6. 7. 8. non præponit aut inserit, uti in superioribus. Invalide oppressio Ammonitica ideo cum annis Jairi commiscetur, quoniam sub hoc Judice terra quievisse non dicitur. Nec quievisse dicitur sub Thola, sub quo tamen nulla notabilis oppressio facta est Jud. X. 2. ז Sic Jephtæ, Ibsan, Elon, Abdon distinctos adscribo annos, quoniam scriptura c. XII. ut ab Ammonitarum octodecim memoratis ita a se invicem & Simsone, qui illos secutus est, dividit. ח Annos Simsonis quadraginta annis Philistæorum præunte scriptura includo c. XIII. 1. XV. 20. Ut denuo hoc exemplo evidentissime pateat Synchronismum obtinere. ט Et tandem idem tempus judico, quod oppressioni Philistæorum & regimini Eli adscribitur. Convenit spatium temporis. Insuper legimus sub Samuele demum, qui Eli substituebatur, Israelitas ab oppressionibus Philistæorum liberatos fuisse. Ultimo Josuæ 19. annos dedi, quoniam illi calculo ex scriptura præmisso ad numerum 480. constituendum adduc necessarii sunt.

Ex dictis itaque ratio calculi nostri, saltem probabilis, patet. Ex iis sarta tectaque est Auctoritas Scriptoris Annalium regiorum. Neque vis infertur Annalibus Judicum. Difficultas remanet circa locum Jud. X. 27. in quo Jephtah contra Ammonitas provocat ad occupationem terræ per trecentos annos, quum tamen juxta nostrum calculum plurimum elapsi sint 286. sc. 1. (qui ultimus) Mosis 19. Josuæ 40. Othnielis, 80. Ehud. 40. Deboræ, 40. Gideonis, 3. Abimelechi, 23. Tholæ, 22. Jairi, 18. Ammonitarum, sed nemo non videt exiguum admodum annorum discrimen esse. Credibiliter Jephta numero rotundo usus est, qui ejus instituto inserviebat. Difficilior videtur locus apud Lucam Act. XIII. 20. Lutheri lectio τριακοσίοις pro πετρακοσίοις maxime mihi probaretur, modo talis in vetusto aliquo codice exstaret, quoniam juxta calculum a me datum a Mose ad Samuelem numerantur 356. anni, pro quibus scriptor sacer posuit 350. addiditque particulam ὡς, quæ sæpius aliquid redundans aut deficiens indicat.

Difficultatibus e medio sublatis & calculo quartæ periodi non sine probabilitate posito etiam anni numerandi sunt, quantum illi vel a mundi creatione vel ejus præclarissima renovatione per Christum distent

	M.C.	A.C.
Incidit ergo annus quadragesimus Mosis in	2553.	1452.
Decimus nonus Josuæ	2572.	1433.
Quadragesimus Othnielis	2612.	1393.
Octogesimus Ehudis	2692.	1313.
Quadragesimus Deboræ	2732.	1273.
Quadragesimus Gideonis	2772.	1233.
Tertius Abimelechi	2775.	1230.
Vigesimus tertius Tholæ	2798.	1207.
Vigesimus secundus Jairi	2820.	1185.
Decimus octavus oppressionis Ammonitarum	2838.	1167.
Sextus Jephtæ	2844.	1161.
Septimus Ibsanis	2851.	1154.
Decimus Elonis	2861.	1144.

Octa-

M.C. A.C. Octavus Abdonis
2869. 1136. Quadragesimus Eli
2909. 1096. Quadragesimus Samuelis & Saulis
2949. 1056. Quadragesimus Davidis
2989. 1016. Quartus Salomonis
2993. 1012.

PERIODUS V.

A jactis Templi fundamentis usque ad captivitatem Babylonicam, quæ est annorum 411.

3000. 1005. INdefessus Salomo septimo post jacta Templi fundamenta anno ædificium prorsus incomparabile feliciter absolvit, 1. Reg. VI. 38. atque illud oratione solenni innumera sacrificiorum multitudine coram universo Israele, Deo cœlitus complacentiam testante, consecravit, 1. Reg. VIII.

3013. 992. Paulo remissior in exstructione Palatii Regii tredecim impendit annos, 1. Reg. VII. 1.

3029. 976. Salomo omnibus rebus, opibus, fortitudine, pace, sapientia, gloria abundans ab uxoribus Idololatricis, quas plurimas inaudito exemplo sustentavit, ipse idololatra & ex sapientissimo stultissimus evadit, 1. Reg. XI. Quare Deus judicia minatur & pacem suscitato Hadado Edomita turbat, 1. Reg. XI. 14. Rex memor pristinæ felicitatis videtur causas calamitatis, impietatem & ingratitudinem suam agnovisse, deplorasse atque publicum vitæ vanæ in meliorem immutatæ testimonium libro, quem קהלת a recessu a vanitate mundi ad Deum suum appellat, edidisse. Moritur, postquam XL. annos regnaverat, 1. Reg. XI. 43.

3029. 976. Succedit filius Rehabeamus, vitiorum non virtutum Paternarum & ideo non totius imperii hæres inhumano responso effecit, ut decem tribus alium sibi constituerent Regem, ipse autem regeret nonnisi Judam & Benjamin. Abhinc duo regna, unum Judæ, alterum Israelis.

Brevi post tempore elapsis scilicet tribus annis etiam Rehabeamus cum subditis a vero veri Numinis cultu recedit. 2. Cron. XI. 17. & ideo Sesac Ægyptius contra Hierosolymam

3034. 971. regiam ascendit, XII. 2. anno quinto.

3046. 959. Rehabeamus natus annos 58. imperii anno 17. moritur.

Patri succedit simillimus filius Abiam aut Abia. Nihilominus egregiam victoriam a Jeroboamo reportavit. Regnavit tribus nonnisi annis

3049. 956. nec integris.

Primus Regum Israelis Jerobeamus scelesto consilio duos vitulos in Bethel & Dan (quam idololatriam in Ægypto probabiliter didicit) ad populum facilius in obedientia continendum erigit atque turpissimum impietatis exemplum exstitit. Mortuus est anno Regni 22. 1. Reg. XIV. 19. — 3029. 976 / 3051. 954.

Successit filius Nadab, qui etiam vivo Patre, gravissimo morbo a Deo percusso, 2. Chron. XIII. 20. regnabat. Regnum ejus duorum annorum. 1. Reg. XV. 25. scil. quod partim solus

M.C. A.C.

Huic ſurrogatus Aſa imperium tenens per unum & quadraginta annos 2. Chron. XVI. 13.

3090. 915.

Joſaphatus ſubſtitutus egregiam Religionis & Judiciorum curam habuit, & deceſſit anno regiminis 25. Ultimis annis non ſolus regnavit, ſed bello, ut credibile eſt, implicitus filium ſocium aſcivit, quare uno eodemque tempore Joſaphatus & Joramus reges Judæ recenſentur 2. Reg. VIII. 16.

3015. 890.

3117. 888.

Joramus Joſaphati filius poſt octo regni annos morbo inteſtinorum laborans moritur.

Ultimo Jorami Regis Iſraelitici ſive duodecimo anno 2. Reg. VIII. 25. 26. ſc. totius regiminis cujus primo anno una cum patre regnabat, aut undecimo, 2. Reg. IX. 29. a quo ſolus populum gubernabat, regnum Judæ obtinuit Achaſias ſed breviſſimo tempore, quippe una cum Joramo, quem decumbentem inviſebat, a Jehu trucidabatur, ℣. 28.

3118. 887.

Athalia Achaſiæ mater ſedem regiam vacuam occupat, & ut illam tranquille poſſideat atque ad filios proprios ex alio aliquo marito. 2. Chron. XXIV. 7. propaget, omne genus regium crudeliſſime perdit. Verum ipſa quoque elapſis ſex annis ſubſtituto rege legitimo Joaſo ad hoc tempus deliteſcente, occiditur.

3124. 881.

ſolus geſſit. Alias non dici poſſet regnaſſe ſecundo Aſæ anno l. cit.

M.C. A.C.

Nadabo occiſo occiſor Baeſa ex tribu Iſchaſchar in Iſraele regnat anno Aſæ Regis Judæ tertio. 1. Reg. XV. 28. Moritur anno regni 24. 1. Reg. XV. 33.

3075. 930.

Patrem excipit filius Ela vigeſimo ſexto & ſeptimo Aſæ Regis Judæ & regnavit duobus annis. 1. Reg. XVI. 8. 10. ſed non integris, qui vix unum integrum excedunt. Inter epulas necatus eſt a Zimri l. cit.

3076. 929.

Zimri mox impietatis pœnas dedit, quippe poſt ſeptem dies novo Rege electo de ſalute deſperans ſe cum palatio comburere coactus eſt 1. Reg. XVI. 15.

Amri ſuccedit, ſed ab initio, ſpatio 4. circiter annorum æmulum habuit Thebni. Ultimus ex his quatuor annis videtur trigeſimus primus Aſæ 1. Reg. XVI. 23.

3080. 925.

Poſtea Amri æmulo deſuncto ſolus Iſraeli præfuit uſque in octavum annum, nam regnaſſe dicitur duodecim annos, non tamen plenos (ſcil. a morte Zimri) l. cit. & mortuus anno Aſæ trigeſimo octavo v. 29. quo tempore ab eodem Rege Samaria exſtruebatur v. 24.

3087. 918.

Huic ſuffectus filius Achab, qui anteceſſores ſuos omnes Idololatras multum Idololatria ſuper greſſus eſt, introducendo cultum Baalis. Regnavit in Iſraele ſpatio viginti duorum annorum 1. Reg. XVI. 29. Ergo mortuus A. M.

3109. 896.

Vixit hac ætate Elias, cui cum Achabo uxore Jezabele filio Azachia & ſacrificulis Baaliticis graviſſima altercatio, de qua fuſe Auctor Annalium Regiorum.

Cum impio Achabo haud diſſimilis ingenii filius Achazias regnavit, & brevi poſt delapſus per clathrum fruſtra rogato βεελζεβεβ vitam finit conf. 1. Reg. XII. 52. 2. Reg. I. 17. quando regnaverat duos annos, non tamen ſolus, uti jam monitum.

Joramo Achaziæ ſucceſſori duodecim aſſignantur anni, quorum ultimo miſere cum Jezabele totaque familia manu Jehu periit.

3118. 878.

Huc pertinet Hiſtoria Eliſæi.

Jeu Joramo trucidato Iſraeli præficitur, & illum ſpatio 28. annorum regit. 2. Reg. XIII. 2.

3146. 859.

Patri ſuccedit filius Jeochas & præeſt

M.C.	A.C.	
3164.	841.	Percutitur manu servorum Joas quadragenarius.
		Amazia, qui per biennium Regno cum patre ægrotante 2. Chron. XXIV. 25. præfuisse videtur, solus clavum tenuit 27. annos, adeoque in universum 29. 2. Reg. XIV. 2. Cæditur Lachischi, quo a conjurantibus aufugit. Incidit in annum Jeroboami XIV.
3191.	814.	
3203.	802.	Hic nunc interregnum duodecim circiter annorum ob minorrennitatem Asariæ aut Uziæ necessario ponendum, nam ut vidimus annus emortualis Amaziæ incidit in annum Jeroboami 14. At Asarias regnum administrare cœpit anno Jeroboami 27. 2. Reg. XV. 1. 2.
3254.	751.	Hic Imperii diuturnitate & prosperis in illo successibus elatus functionem Sacerdotio propriam violat, lepra percutitur & moritur, postquam regnaverat 52. annos, 2. Chron. XXI. 3.
3270.	735.	Jothamus Judam rexit 16. annis 2. Reg. XV. 33.
3286.	719.	Jothamum pium sequitur impius Achaz Rex sedecim annorum 2. Reg. XV. 1. 2.

	M.C.	A.C.
est 17. annis 2. Reg. XIII. 1. usque ad annum trigesimum nonum Joasi.	3163.	842.
Huic Joas ejusdem nominis cum Rege Judæ, (qui etiam Jehoas dicitur) summa potestate pollebat spatio sedecim annorum, quorum duobus prioribus Collega patris fuit, reliquis solus regnavit.	3177.	828.
Jeroboamus secundus hoc nomine Israelitarum Rex bello clarissimus 41. annos regnabat, 2. Reg. XIV. 23.	3217.	788.
Ab ejus morte interregnum, cujus varii varias exhibent rationes, vel quod ob hæredis infantiam, vel seditionum turbas, quæ in regno grassabantur. Durabat viginti tres annos.	3240.	765.
Tandem Jeroboami filius nomine Zacharias succedit anno Regis Judæ Uziæ sive Azariæ 38. 2. Reg. XV. 8. quum tamen Jeroboamus mortuus fuerit anno ejusd. Regis 14. finito Zachariæ regnum perbreve, sex nonnisi mensium, quando conjuratione facta aperta vi occiditur. 2. Reg. XV. 10.		
Brevius regnum obtigit Sallumo, qui Zachariam interfecit, scil. per spatium menstruum 2. Reg. XV. 14. Incidit autem in annum 39. Uziæ 2. Reg. XV. 13.	3241.	764.
Menahem interfector Sallumi thronum ascendit atque obtinet per decennium. 2. Reg. XV. 17.	3250.	755.
Patri succedit Pekaja, & altero anno a Peka occiditur. 2. Reg. XV. 23.	3252.	753.
Peka præest viginti annis, eundem vitæ exitum sortitur manu successoris, qualem dedit antecessori 2. Reg. XV. 30.	3272.	733.
Hoseas, qui Pekam percussit, non statim Thronum conscendit, quippe regiminis Regis Hoseæ non prius mentio injicitur, quam anno Achazi duodecimo 2. Reg. XVII. 1. A morte Pekæ autem ad hunc annum elapsi sunt novem minimum anni, qui interregnum faciunt.	3281.	724.
Hoseas ultimus Rex duodecimo Achazi anno ad dignitatem regiam evehitur & tenet per novennium 2. Reg. XVII. 1. Tum desiit regnum Israelis, ex quo steterat 260. annis a Jeroboamo.	3290.	715.

M. C. A. C.

Ezechias biennio socius regni (vide 2. Reg. XVIII. 9. 10.) cum Patre Achazo, Religionem collapsam strenue restituit anno regni sexto finem regni Israelitici videt & in universum Judam gubernat 29. annis 2. Reg. XVIII. 2.

3313. 692.

3368. 637. Optimi Ezechiæ pessimus filius Manasses in regno substituitur, quod occupat 55. 2. Reg. XXI. 1.

3370. 635. Ammon successor duobus annis Judæis præest, & a famulis interficitur.

3401. 604. Josias Rex pientissimus spatio unius & triginta annorum regit Judam 2. Reg. XXI. 27.

Jehoachaz a populo Rex constituitur, sed talis nonnisi per tres menses mansit 2. Reg. XXIII. 31. atque dignitate dejectus a Pharaone Necho ℣. 33.

Hic vero Patri substituit alterum filium Eliakimum, qui postea Jehojakimus dicebatur 2. Reg. XXXIII.

Anno Eliakimi quarto incipiente, sive tertio finito Hierosolyma a Nebucadnezare obsidetur & expugnatur. Ipse Rex ligatur, throno restituitur ea conditione, ut regni Babylonici servus esset Jerem. XXV. 1. Dan. I. 1. Ab hoc anno incipiunt 70. anni captivitatis Babylonicæ atque sic finit Periodus nostra quinta, quæ a jactis Templi fundamentis duravit 411. a divisione regni 374. a fine regni Israelitici 114.

3404. 601.

PERIODUS VI.

Ab initio captivitatis Babylonicæ usque ad nativitatem Jesu Christi, continet annos 601.

Eliakim rebellans a Nebucadnezare captivatur, jugulatur & insepultus jacet Jerem. XXII. 19. ex quo undecim annos regnaverat. 2. Reg. XXIII. 36.

3412. 593.

Filius Jehojakim thronum vix conscendit & post tres menses dignitate privatur deduciturque in Babyloniam 2. Reg. XXIV. 8.

Succedit Zedekias ultimus Judæorum Rex a Nebucadnezare constitutus, qui a Babyloniis deficiens sibi, urbi, Templo, imo toti genti exitium paravit, nam Nebucadnezar anno ejus nono, mense decimo, die decimo, magno cum exercitu Hierosolymam obsidet.

3421. 584.

Huc commode referuntur dies 390. sive totidem anni, qui effluxerunt a primo Jeroboami, magni seductoris in Israele. De his vide Ezech. IV. 5.

M.C. A.C.

3423. 582. Anno regni Zedekiæ undecimo Zedekias capitur, oculis privatur. Mense quinto die septimo Nebusaradan Templum longe celeberrimum una cum urbe incendit.

3449. 556. Nebucadnezar moritur anno imperii 45. qui 37. a captivitate Jojakim, vide 2. Reg. XXV. 27. 28.

3474. 531. Elapsi sunt LXX. anni captivitati Babylonicæ destinati, quando Cyrus Judæis redeundi & Templum exstruendi facultatem concessit Dan. IX. 2. Esr. I. 1. &c.

3481. 524. Postea superfuit Cyrus per septem annos.

3488. 517. Hunc in imperio excepit filius Cambyses crudelis Princeps spatio annorum 7.

Sequitur Smerdis ψευδώνυμος: negant enim Historici illum verum Smerdin, Cambysis fratrem, jam prius interemtum fuisse. Quia autem brevissimum ejus imperium extitit, reliquis Monarchis Persiæ a quibusdam ne quidem annumeratur.

3524. 481. Regnat Darius Hystaspis filius spatio annorum 36.

3545. 460. Xerxes regnavit annos 21. copiis & cladibus celebratissimus.

Attaxerxes, μακρόχειρ dictus, secundum quosdam a Patre Xerxe in regni communionem per decennium ascitus est, cui rei tamen alii nullam fidem habent. Præfuit imperio annis 41.

3586. 419.

3605. 400. Darius Nothus successor ejus imperavit per annos 19. atque pacem bello prætulit.

Tum Artaxerxes Mnemon Princeps voluptuosus multam rem cum fratre Cyro habuit.

3651. 354. Post hunc imperium tenuit Artaxerxes Ochus annis 21.

3672. 333.

3674. 331. Arsames breve dominium habuit scil. spatio 2. annorum.

3678. 327. Ultimus Persarum Rex Darius Codomannus 4. annos imperavit.

Secutus hic sum calculum, quem anni Monarchiæ Persicæ fundunt. Hic enim certissimus videtur & longe præferendus illi, quem Hebræorum Magistri, minime accurati Chronologi, nobis exhibent & tempus hoc nimium contrahunt, veluti Auctor סדר עולם זוטא reditum ex Babylonia in Canaan numerat anno M. C. 3390. Alexandri Imperium 3442. quomodo Monarchiæ Per-

M.C. A.C. Persicæ nonnisi 52. anni annumerandi essent, quod Historiæ omnino adversatur.

Hoc tempore Judæi hinc inde dispersi in Ægypto, Babylonia, Palæstina vixerunt, literas excoluerunt, cum Philosophis Gentium conversati sunt, unde illi ab his & vice versa hi ab illis plura mutuo acceperunt. Religio Judaica tamen præprimis in Canaan floruit, Templo post plura obstacula superata tandem exstructo, Synagoga M. cui Esra præfuisse dicitur, constituta eum in finem, ut prospiceret integritati Codicis S. ad posteros propagandi, ordinandis synagogarum functionibus aliisque, quæ ad εὐταξίαν populi pertinebant.

Imperio Persarum everso Alexander M. summa rerum potitus est per annos 8. Alii computant tantum 6. annos & 10. menses. Caussam vide ap. Vitring. *Hypotyp. Hist.*

3686. 319. S. p. 94.

Inter Judæos hoc ævo celeberrimus erat Pontifex Jaddus, qui Alexandro in stola Pontificali obviam ivit atque animum hostilem in amicum mire convertit, vide plura ap. Josephum Antiq. l. xi. c. 8. pag. 383. &c.

3698. 307. A morte Alexandri ad primum annum Nicanoris elapsi sunt 12. anni.

3847. 158. Hinc usque ad obitum Antiochi Epiphanis, vel potius Epimanis numerantur 149. anni *Joseph. Antiq.* l. XII. c. 14. 419. Durissima erant Judæorum fata Antiocho imperante & ferme omnis eorum Religio subversa atque in Idololatricam conversa. Hoc circiter temporis spatio ortæ sunt tres celebres Judæorum sectæ, Pharisaica, Sadducæa, Essena.

3973. 32. Hinc ad finem Gentis Maccabaicæ aut Hasmonææ effluxerunt 126. anni. Id. Antiq. l. XIV. c. 28. p. 508. Tum enim Herodes jam antea Rex declaratus Antigonum regno detrusit.

Ab eo tempore Herodes usque ad nativitatem Christi regnavit annos 32. Josephus enim *Antiq. l. XVII. c.* 10. expresse refert Herodem, postquam Antigonum ceperat, imperasse ἔτη τέτταρα καὶ τριάκοντα *quatuor & triginta annos*. Subtrahendi nunc sunt duo anni, quibus Christo prognato Rex superfuit.

M.C. A.C. Post Christum natum.

PERIODUS VII.

A natalibus Christi usque ad ejus Obitum. 4005.

CHristus, Salvator mundi, in oppido Bethlehem, virtute Spir. S. ex virgine Maria, natus est anno Herodis M. antepenultimo.

Eodem anno cum Patre νομιζομένῳ & matre sua metu Herodis M. in Ægyptum venit, quando crudele infanticidium in Bethlehem instituebatur. Matth. II. 13. 14. 16. 4007. 2.

Herodes M. omnibus sceleribus coopertus moritur. Tum Archelaus Idumæam, Judæam & Samariam, Herodes Antipas Galilæam & Peræam, Philippus Batanæam, Trachonitidem, Auranitidem & partem, quam Zenodorus quidam possederat, ordinante Cæsare, obtinuit.

Christus redux factus, cum Parentibus in Galilæa oppido Nazareth habitat, ut impleatur vaticinium Jes. VIII. IX. nam Nazarethi commorans simul vivebat in Galilæa. 4017. 12.

Archelaus anno principatus sui decimo a Judeis apud Cæsarem accusatus Viennam in exilium mittitur. Tum autem Judæa & Samaria Syriæ contribuebatur. *Vid. Joseph. Antiq.* l. XVIII. c. ult. p. 613. 14. Mittebatur dein Quirinus, ut censum ageret per Syriam & Judæam *vide supra p.* 244. unde factio Gaulonitarum ortum sumsit.

Eodem anno Christus in festo Paschatis Hierosolymam ascendit atque in Templo pro consuetudine hujus ætatis puerorum comparet editque divinæ sapientiæ specimen.

Abhinc usque ad ministerium Christi publicum alte silet genuina Historia Evangelica, nihil referens, quæ tota illa ætate a Salvatore facta sunt. Credibiliter, præterquam quod se precibus ad arduum munus paravit, artem fabricam exercuit. Marc. VI. 3. 4019. 14. 4034. 29.

Mortuo Augusto successit Tiberius.

Anno Tiberii XV. exordium functionis suæ fecit Johannes, Sacerdos natus, Nasiræus perpetuus, qui præconio resipiscentiæ & baptismi viam Domino paravit. Luc. III. 1. 2. 4035. 30.

Via a Johanne parata ipse Dominus munus aggreditur, facta cœlesti inauguratione: *Hic est filius*

meus

M.C.	A.C.	
		meus dilectus, in quo acquiesco. Matth. III. 17. conf. Luc. III. 23.
		Mox tentatur a Sathana. Matth. IV. Johannem denuo adit Joh. I. 28.
4036.	31.	nuptiis, ubi primum miraculum patravit, in Cana Galilæa interest. Joh. II. 1. 2. & postea Capernaum venit. Joh. II. 12. Hinc Hierosolymam ad PRIMUM PASCHA, ex quo functionem publicam suscepit, celebrandum proficiscitur. Joh. II. 13.
4037.	32.	Relicta Judæa per Samariam Joh. IV. 3. 4. in Galilæam venit atque in illa docendo, miracula perpetrando usque ad SECUNDUM PASCHA mansisse videtur. Joh. V. 1. neque enim festum Pentecostes aut Tabernaculorum ob c. IV. 35.
4038.	33.	intelligi potest.

TERTIUM PASCHA, ab eodem Johanne (qui studio videtur functiones Christi publicas juxta Paschata distinguere) memoratur c. VI. 4. eandem referens Historiam, quam Matthæus c. XIV. 13. ad finem conf. Joh. VI. 5. 23.

QUARTUM PASCHA, quod emortuale dici solet, traditur ab omnibus quatuor Evangelistis, Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXII. Joh. XIII. &c. Erat Tiberii annus nonus & decimus.

Quoniam autem, quæ in Chronologia sequuntur, cum fructu absque longiori pertractatione tradi non possunt, illam vero institutum nostrum non permittit, hic finimus.

למנות ימינו כן הודע ונביא לבב חכמה



MO-



MOSES ET AARON

LIBER TERTIUS.

DE

DIEBUS ET TEMPORIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Diebus, Horis, Septimanis, Annis.

I. PRIUSQUAM de Judæorum *Festis* agamus, opus erit præfatione aliqua de distributione *dierum*, *horarum*, *septimanarum*, &c.

II. Ipsorum *dies* duplex fuit : *Naturalis*, constans *die* & *nocte*, sive XXIV. horis; & *Artificialis*, quem Sol oriens orditur, occidens finit. Hinc natum illud, Joh. XI. 9. Οὐχὶ δώδεκά ἐισιν ὧραι τῆς ἡμέρας? *Nonne duodecim horæ diei?*

Dies vel naturalis vel artificialis.

III. *Naturalis dies* rursus duplex erat: *Civilis* & ἐργατίμος *profestus*, qui datus est *operibus civilibus*, quippe ab ortu Solis cœpit, & ad sequentem Solis ortum desiit; Matth. XXVIII. 1. sive *Sacer* ἄπρακτος *festus*, consecratus *sanctis exercitiis*; hic cum occumbente [1] Sole natus & cum occumbente Sole terminatus est.

Naturalis vel civilis.

vel sacer.

IV. *Nox* ipsorum in quatuor [2] partes seu majores *horas* distributa erat, quæ dicebantur *nocturnæ vigiliæ*; & quarum quævis tres minores *horas* habebat. Primam partem seu *vigiliam* appellabant ראש אשמורות *caput vigiliarum*, *Thren. II.* 19. Secundam אשמרת תיכונה *vigiliam mediam*, *Jud.VII.* 19. vocabant; non ideo, quod esset media inter tres *noctis vigilias*, uti *Drusius Jud. VII.* 19. nobis persuadere vult, sed quod ea flueret usque ad *adultam* seu *mediam noctem*. *Tertia vigilia nocte media* initium, & *hora tertia matutina* finem sumsit. *Si venerit* ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ *secunda aut tertia vigilia*, *Luc. XII.* 38. *Postrema* dicta *Exod. XIV.* 24. אשמורת בקר *vigilia matutina*, oriebatur *hora tertia*, desinens *sexta matutina*. *Quarta noctis vigilia abiit Jesus ambulans super mari Matth. XIV.* 25. Hæ *vigiliæ* & aliis nominibus veniunt, quæ respondent *noctis* partibus, quas quævis *vigiliarum* describit. *Prima* vocatur ὀψὲ *sero*. *Secunda* μεσονύκτιον *media nox*, *Tertia* ἀλεκτοροφωνία *gallicinium*. *Quarta* πρωῒ *mane*. *Nescitis quando herus venturus sit*, ὀψὲ *vesperi* (*sero*) ἢ μεσονυκτίῳ aut *media nocte*, ἢ ἀλεκτοροφωνίας *aut gallicinio*, [3] ἢ πρωῒ, *aut diluculo*, *Marc. XIII.* 35.

Noctis partes IV.

V. *Dies* itidem divisus erat in quatuor partes, [4] uti patet ex parabola de operariis in vineam μεμισθωμένοις *pretio conductis*, *Matth. XX. Primus quadrans* cœpit *hora sexta matutina*, desiit *hora nona*: *Secundus quadrans* perrexit *ad horam duodecimam*; *tertius quadrans* ad *horam tertiam pomeridianam*; *Quartus quadrans sexta vespertina* clausus

Diei partes IV. ex Matth. xx. diversæ numerandi rationes. 1.

ſus eſt. *Quadrans primus* dicitur *tertia hora* ℣. 3. *Secundus quadrans hora ſexta* ℣. 5. *Tertius hora nona* ℣. 5. *Quartus hora undecima* ℣. 6. ubi nota, quod tres priores *quadrantes* ſuum nomen ducant ab illa *diurna hora*, quæ *quadrantem* quemvis clauſit. Nam *horas* computare ſolebant, initio a minoribus *horis*, ſcil. *ſexta matutina*, facto. Sicut noſtris *horis 6. 7. 8. 9.* 10. 11. 12. 1. 2. 3. 4. 5. *6.* reſponderent ipſorum *horæ* 1. 2. 3. 4. 5. *6. 7. 8. 9.* 10. 11. 12. Verum *ultima hora* l. c. a Salvatore noſtro vocatur *undecima*, cum ratione cæterarum *horarum* & vulgi vocari debuerit *hora duodecima;* quo docemur, quod Deus, etſi mera gratia operarios *undecim diei horis* in vineam ſuam conducat, vix tamen quemquam duodecima vocet; quum ea ſit potius *hora* ſervos laboribus ſolvendi, quam novos admittendi.

2\. VI. Quidam Interpretum, inter quos *Toletus in Joh. XIX. annot.* 8. deprehendentes ℣. 1. hujus parabolæ τὸ πρωΐ, *mane* computant quatuor *diei quadrantes* ita: *Hora prima*, *hora tertia*, *hora ſexta*, *hora nona;* quaſi *primus ternarius* a *prima* uſque ad tertiam iverit, & dictus fuerit *hora prima;* *ſecundus* a *tertia* uſque ad *ſextam*, & dictus *hora tertia;* *tertius* a *ſexta* uſque ad *nonam*, & dictus *ſexta;* *quartus* a *nona* uſque ad *ultimam*, quæ erat *duodecima*, & dictus ſit *nona*. Sic *Toletus* refellit receptam licet a multis recenſionem, (ut ipſe ait) quoniam de *undecima*, cujus meminit parabola, altum apud hos ſilentium. Jure quidem vapulant a te, *Tolete*, qui excludunt *undecimam;* conſtanter tamen aſſerenda eſt contra te quadripartita *diei* diviſio. Illorum Interpretum error in hoc potiſſimum conſiſtit: 1. Quod *horam primam* faciunt, non inveniunt; & *horam undecimam* inveniunt; excludunt tamen, cum nihil a mente Evangeliſtarum magis alienum ſit, quam τὴν πρωΐαν (*tempus matutinum*) verti *horam primam diei*, quæ vox in illorum Scriptis ſonat *quartam noctis vigiliam*. 2. Quod *ultimum quadrantem diei* conſtituant *horam nonam*: quid enim tum *undecima hora*, cujus mentionem facit eadem parabola?

Hinc explicatur difficultas ex collatione duorum Evangeliſtarum orta.

VII. Hac quadripartita *diei* diviſione in *quadrantes* ſeu *horas majores* conciliantur Evangeliſtæ circa Paſſiones Salvatoris noſtri. Ἐσταύρωσαν αὐτὸν *cruciarunt eum hora tertia*: *Marc. XV.* 25. *Johannes XIX.* 14. prodit ipſum coram Pilato exploratum, cum eſſet ὥρα ὡσεὶ ἕκτη *hora quaſi ſexta*. Priori loco per *crucifixionem* non intelligi *ſuffixionem* ad lignum, quæ non fuit ante *horam ſextam*, *Luc. XXIII.* 44. nec ejus ἔκπνευσιν *exſpirationem*, quæ non facta ante *horam nonam*, *Marc. XV.* 34. ſed examen Pilati, quo tempore populus ingeminavit Σταύρωσον, σταύρωσον *Crucifige*, *Crucifige*: Sic: *tertia* & *ſexta hora* facillime conſonabunt; nam, his *duabus horis* immediate ſe comitantibus, id, quod *hora tertia* factum eſt, *horæ ſextæ* convenienter adſcribi poteſt.

Horæ vel minores vel majores.

VIII. Tandem videmus, *horas* inter Judæos fuiſſe duum generum: alias *minores*, quarum *duodecim* fecere *diem;* alias *majores*, quarum *quatuor diem* deſcripſere: uti ſuperius probatum ivimus. *Minores* [5] dicuntur ὧραι τῆς ἡμέρας *horæ diei*. *Nonne duodecim diei horæ ſunt? Joh. XI. 9. Majores* ſæpenumero vocantur *horæ Templi*, ſive *horæ precationis*. *Petrus & Johannes adſcendebant una in Templum*, ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐνάτην *ſub horam precationis*, nempe *nonam*. *Act. III.* 1. Verum *tres* tantum ſunt *precationis horæ*, *Tertia*, *Sexta & Nona*. *Druſius in præterit. Act. III.* 1. ait. *Non fuiſſe ultra tres horas precationis in die apud Judæos, clare teſtatur David Kimchi*. *Tertiamque* conſecratam ab Abrahamo; *Sextam* ab Iſaaco; *Nonam* a Jacobo. *Hora tertia* deſcendit Spiritus S. ſuper Apoſtolos, *Act. III. 5. Circa horam ſextam adſcendit Petrus* ἐπὶ τὸ δῶμα προσεύξασθαι *in ſolarium ad precandum*. *Act. X. 9. Hora nona aſcendebant Petrus & Johannes in Templum*, *Act. III.* 1.

Ab horis majoribus ortæ ſunt horæ Canonicæ.

IX. Ab his *horis majoribus diurnis* & *nocturnis* derivatæ ſunt *horæ Canonicæ*, quas obſervat cœtus Romanus. Quævis *Canonicarum* continet *tres minores horas*, ſic ut totum *diei noctiſque* tempus *octo Canonicæ horæ* definiant. *Hora ſexta veſperi prima* inchoat, quæ propterea *veſpertina hora*, ſeu ſimpliciter *veſpertinum*, dicitur. *Hora nona nocturna* incipit *ſecunda*, vocaturque *completorium*. *Nocte media* oritur *tertia*, quam appellant *nocturnum*. *Hora tertia matutina* ſuam *quartam* ſeu *matutinum* habet. *Horæ Canonicæ diurnæ* dicuntur, *Hora prima*, *tertia*, *ſexta*, *nona*. Ipſorum *hora prima a ſexta matutina*, uſque ad *nonam* procedit; *Tertia a nona* ad *duodecimam;* *Sexta a duodecima* ad *tertiam;* *Nona a tertia* ad *ſextam veſpertinam*. Vide *Bellarm. de bonis oper. in particul. lib.* 1. *c.* 10.

Horologia Solaria Judæorum.

X. *Horologia Solaria*, σκιαθηρικά, uſitata antiquis Judæis differunt a noſtris; nam illa ſpecies ſcalarum & graduum erant. Tempus *diurnum* non lineis fuit, ſed gradibus diſtinctum. Umbra Solis quavis *ſemihora* prorepſit ad novum gradum. In *Solario* Achazi Sol retroceſſit מעלות *gradibus*, *non lineis*. *Eſa. XXXVIII.* 8.

Septimanæ ordina-

XI. *Duplices* [6] quoque ipſorum *ſeptimanæ* fuerant, altera *ordinaria*, terminata *ſeptem*

ptem diebus, altera *extraordinaria* & *prophetica*, constans *septem annis*, *Dan. IX.* 24. Prior dicitur *hebdomas diaria*, posterior *hebdomas annalis*.

riæ & extraordinariæ.

XII. Hebræi priores suos metiebantur 7 *menses*, cursui Solis respondentes, unde & *Menses Solares* dicuntur, quovis *mense* triginta *dies* absumente. Aquæ invaluerunt, cataractis cœli se aperientibus, *decimo die mensis secundi* usque ad *decimum septimum diem mensis septimi*, *Genes. VII.* 11. *VIII.* 4. h. e. quinque totis *mensibus*. Si numeramus *dies*, erunt centum quinquaginta, *Gen. VII.* 24. Ex quo patet, quod quisque *mensium* constiterit triginta completis *diebus*. Post egressum ex Ægypto, Israelitæ cursu Lunæ suos dimetibantur *menses*, dictos *Menses Lunares*; quivis eorum absolvebatur aut triginta *diebus*, dicebaturque *mensis plenus*; aut *diebus* viginti novem, & vocabatur *mensis cavus*. Sol cursu suo superat Lunam undecim *diebus*, propterea cuivis *anno secundo* vel *tertio unus mensis* intercalabatur. Vid. *Kalend. Hebraic. Munster p.* 62. Jam, quod *mensis duodecimus* in ἐφημερίδι seu *Calendario* Hebraico dicitur *Adar*, hinc, si *mensis intercalaris* fiebat, *ultimus mensis* vocatus est ואדר *Veadar*, *Secundus Adar*.

Menses Solares.

Lunares.

XIII. Ante captivitatem Babylonicam suos *menses* recensebant sine ullo quam solius numeri nomine, *Primus*, *Secundus*, *Tertius mensis &c.* [8] Post reditum ex Babylone eos his nominibus investiverunt A. ניסן *Nisan* dicitur quoque אביב *Abib*, [9] quæ vox *spicam* notat; nam hoc *mense* hordeum *spicas* emittebat, & ex parte nostro *Martio* & *Aprili* respondet. B. *Jiar*, alias זו *Sif*, quod significat *nitorem*, quoniam eo *mense* arbores floribus *niterent* gemmisque luxuriarent. Hic coincidit cum nostro *Aprili* & *Majo*. C. סיון *Sivan* partim cum *Majo* & *Junio*. D. תמוז *Thamuz* respondet ex parte nostro *Junio* & *Julio*. E. אב *Abb* respondet ex parte *Julio* nostro & *Augusto*. F. אלול partim nostro *Augusto*, parrim *Septembri*. G. תשרי, alias איתנים, partim *Septembri*, partim nostro *Octobri*. H. מרחשון, alias *Bul*, partim *Octobri*, partim *Novembri*. I. כסלו partim *Novembri*, partim *Decembri*, K. טבת partim respondet *Decembri*, partim *Januario*. L. שבט partim *Januario* nostro & *Februario*. M. אדר *Adar*, *Veadar* nostro *Februario* & *Martio*.

Olim menses solo numero distinguebantur. Postea unusquisque suo nomine insigniebatur.

XIV. Ante migrationem ex Ægypto suum *annum* auspicabantur *mense Thisri*, [10] & sic in rebus civilibus, negotiis & mercatura, *annis* Sabbathicis. Judæi &c. hoc calculo usi sunt: Ἐν μηνὶ δευτέρῳ Δίῳ μετὰ ὑπὸ Μακεδόνων λεγομένῳ, μαρσονάνη δὲ ὑπὸ Ἑβραίων. Οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες. Νωϋσῆς δὲ τὸν Νισὰν, ὅς ἐστι Ξανθικὸς, μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισεν; *Mense secundo*, *Dio postea a Macedonibus dicto*, *Marsonane* (mendose μαρσονάνη ponitur pro μαρχεσουὰν, qui *mensis* erat olim *secundus* apud Hebræos, sicut & *Dius* apud Macedonas) *autem ab Hebræis*; *Sic enim Ægyptii annum erant metati*. *Moses autem τὸν Nisan*, *qui est Macedonibus Xanthicus*, *primum mensem festis præstituit*. *Joseph. Antiq. lib. I. cap.* 4. Sic post migrationem ex Ægypto suos ordiebantur *annos mense Nisan*, & hoc calculo in solennioribus Festis utebantur.

Primitus annus inchoabatur mensi Thisri.

Post mense Nisan.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

Annot. [1] Recte omnino illi sentire videntur, qui judicant primo noctem postea diem creatum esse. Nam quando Deus mundum e nihilo creavit, primo tenebræ abyssum occuparunt & demum ex tenebris lucem splendere jussit Deus. Jam sive tenebras, sive noctem ante diem fuisse dicas, unum idemque est. Hinc חשך *tenebræ* Gen. I. 2. *nox* vocantur V. 5. Insuper Moses vicissitudinem noctis dieique recensens constanter vesperæ sive noctis primo meminit veluti ℣. 5. *& fuit vespera & fuit mane dies primus* conf. ℣. 8. 13. 19. 23. 31. quod argumento est, diem naturaliter subsequi. Hinc Judæi uti olim ita hodienum noctem tempori matutino præponunt. Ad horum exemplum etiam aliæ Gentes.

[2] Primitus credibiliter tres tantum noctis partes aut vigiliæ computabantur, quod tum scriptura tum etiam monumenta Judæorum postulare videntur. Illa, quæ memorat אשמורת תיכונה *vigiliam mediam*. Jud. VII. 19. qualis in numero quaternario non datur. conf. Exod. XXVI. 28. Hæc veluti Talm. Babyl. Tr. ברכות f. III. 1. Postea Romanis subjecti more illorum IV. vigilias aut sponte aut coacti numerarunt, unde in Historia Evangelica tot numero exprimuntur. Vegetius l. VIII. *Quia impossibile videbatur per totam noctem vigilantes singulos permanere*, *ideo in QUATUOR partes per clepsydram sunt divisæ*, *ut non amplius*, *quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare*. Hic utriusque divisionis l. c. mentio fit, licet prior Magistris longe præferatur. Apponam glossam Raschianam איכא מאן דאמר ג׳ משמרות הוי הלילה במשמרות עבודת המלאכים ושיר שלהם נחלק לשלש חלקים ראשונה לכת אחת שנייה לכת אחרת שלישית לכת שלישית ואיכא מאי דאמר ארבעה משמרות הוי הלילה *Sunt qui asserunt tres esse noctis vigilias*, *quibus Angeli serviunt atque eorum canticum tribus constare partibus primam ab una*, *alteram a secunda*, *tertiam a tertia cantari*. *Sed alii putant quatuor vigilias noctem constituere*. Nisi forsan legendum sit בשירות *secundum ministerium &c.* pro במשמרות

[3] In Historia Evangelica subinde cantus gallinacei mentio injicitur scilicet Marc. XIII. 35. Matth. XXVI. 34. *Amen dico tibi hac nocte ternis vicibus me abnegabis* πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι *priusquam gallus cantaverit* sive absolverit cantum suum conf. Luc. XXII. 61. Sed Marcus c. XIV. 72. *Et gallus altera vice cecinit*. *Tum Petrus recordatus est verbi*, *quod dixerat ei Jesus*, *antequam gallus cecinerit* δὶς *bis*, *abnegabis me* τρὶς *ter*. Marcus discipulus Petri ex Præceptore pœnitente circumstantias plenius edoctus est. A reliquis tamen

tamen non diſſentit. Ex Judæis adduco teſtimonium ex Tr. יומא c. I. 8. בכל יום תורמין את המזבח בקריאת הגבר או סמוך לו בין לפניו בין לאחריו *ſingulis diebus expurgabant altare ad galli cantum aut non multo citius vel tardius*. Conf. Cl. Bochartus Hieroz. Tom. II. p. 119.

[4] Vellem ut Auctor certius aliquod teſtimonium, (ſi-modo ſuppetit,) adduxiſſet. Hoc enim, quod ex Matth. XX. ad tale quid probandum allegat, valde infirmum mihi videtur. Nam inde, quod horæ tertiæ, ſextæ, nonæ, undecimæ, Matthæus meminit, argumentari diem in IV. majores partes diviſum fuiſſe, vocari partem ab illa hora, quæ quadrantem claudit, admodum ἀνακόλουθον, mihi ſaltem, apparet. Omitto ultimum quadrantem horam undecimam, non duodecimam, apppellari. Nec neceſſe fuiſſet loco ultimæ undecimam nominare, nam quia illa ex Hypotheſi Auctoris tres minores in ſe continet, unuſquiſque facile noſſe potuiſſet non præciſe ultimam ejus partem, qua ſervi ſolvuntur, non novi admittuntur, intelligendam eſſe. Tantiſper, dum certiora edoceor, puto alluſionem eſſe ad tritam illam diei diviſionem, de qua ap. Joh. XI. 9. pro lubitu autem mane V. 1. horam tertiam V. 3. ſextam, nonam V. 5. quæ ab invicem æqualiter diſtabant, expreſſiſſe, ſed undecimam ut nos doceat illos ſolos mercedem conſequi, qui, minimum exiguo tempore, fidelitatem ſuam domino probarunt.

[5] Tantum abeſt ut hinc quidquam ad opinionem ſuam firmandam adferat Auctor, quin potius plura ei obſtent. Veluti quando ait horas minores dici ὧραι τῆς ἡμέρας quum hora tertia, quæ Goodvvino hora magna ſive precationis eſt dicatur ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας Act. II. 15. Sic hora nona, quæ eſt ὥρα προσευχῆς Act. III. 1. dicitur ὥρα ἐννάτη τῆς ἡμέρας Act. X. 3. qua Cornelius more Judæorum preces dicebat. Ita ſequeretur a Judæis preces ab hora prima uſque ad nonam dictas fuiſſe, quippe hora precum ceu major tres minores includit. Ita certum tempus incognitum.

[6] Septimanæ Hebr. שבועות a primordiis mundi numerari ceptæ Gen. I. VIII. 10. 12. demum in Hiſtoria Labanis nominantur Gen. XXIX. 29. 27. 28. Dies non proprio aliquo nomine, ſed numeris exprimebantur, *primus*, *ſecundus* &c. Gen. I. Rabbini diem ſolis אחד בשבת, Lunæ שני בשבת &c. nominant. Hoc notandum propter phraſeologiam N. Teſtamenti μία σαββάτων Matth. XXVIII. 1. Marc. XVI. 2. Act. XX. 7. 1. Cor. XVI. 2.

[7] Menſes primo ſolares, quales quoque Apoc. XI. 2. 3. poſtea Lunares ex ſpeciali juſſu Dei Exod. XII. 2. החדש הזה *Menſis hic ſit vobis caput menſium* &c. חדש proprie *novitatem* ſignificat, quia menſis ab innovata luna incipere debebat. Aliud menſis nomen ירח Jarach, quod pariter a ירח Jareach *Luna* dicitur. Nomina ergo menſium a Luna, quia eo, quo Hiſtoria ſacra conſcripta eſt tempore, menſes ad motum Lunæ figebantur. Conſimiliter apud Græcos μήνη *menſis* & μήνη *Luna* Germ. Monat & Mond Hæc omnia orta videntur ab Hebr. מני Jeſ. LXV. 11. Lunæ nomine.

[8] *Ex Reizio*: Habuere ante captivitatem Babylonicam *menſes* ſua nomina peculiaria, ut אביב *Abib* vel a *ſpica* אביב vel ab אב *patre* ſic dictus, quod eſſet *primus* ſeu *pater menſium*, *anno ſacro Exod. XIII.* 4. Secundo זו *Sif*. 1. *Reg*. VI. 1. Tertio איתנים *Ethanim*, in cujus *menſis* etymo Autores variant: vox notat *horridos*, *validos*. Forſan ſic dictus, quod tum temporis viri Mavortii e caſtris redeant; quemadmodum viri docti ניסן *Niſan* נס *vexillum* deducunt, quod *Aprili vexilla* in campum proferantur: vel quod bruma horrida eo *menſe*, vel quod curſus omnium *menſium* incipiat invaleſcere. 1. Reg. VIII. 2. Quarto בול *Bul*, quæ vox eadem eſt cum יבול h. e. *proventu*. Sic dictus, quod eo *menſe* arbores luxurient proventu. 1. Reg. VI. 38. October enim erat. Hi menſes ſua hæc nomina etiam ante captivitatem Babylonicam ſortiti erant, ſæpius tamen nomine numerali veniebant.

[9] Menſis אביב *Abib* recte a ſpicis dicitur; Uti nos ſolemus Heu-Monat/ Herbſt-Monat/ appellare, quia menſibus memoratis fœnum, uvæ amputantur: ita veteres אביב dixere, quia illo menſe ſpica hordei ad maturitatem perveniebat demetebaturque. Huc pertinet Exod. IX. 31. *nam hordeum jam erat* אביב *ſpicatum*. Dein Lev. XXIII. 10-26. ſingulis annis manipulus recentis hordei die XVI. Deo offerendus erat, de quo autem inferius. Meſſis Orientalium indocte æſtimaretur ex meſſe regionum noſtrarum.

[10] Alia duo anni initia ſtatuerunt poſteriores Judæi, quemadmodum ex Miſchna Tract. ראש השנה c. 1. 1. elucet ארבעה ראשי שנים הם באחד בניסן ר"ה למלכים ולרגלים באחד באלול ראש השנה למעשר בהמה רבי אלעזר ור' שמעון אומרים באחד בתשרי באחד בתשרי ראש השנה לשנים ולשמיטין וליובלות ולנטיעה ולירקות באחד בשבט ראש השנה לאילן כדברי בית שמאי בית הלל אומרים בחמשה עשר בו Eruditiſſimo Houtingio Interprete. *Quatuor ſunt annorum principia. Primo die menſis Niſan* (Martii) *Regum & feſtorum principium anni eſt. Primo die menſis Elul* (Auguſti) *novus annus eſt pecoris decimandi. R. Elieſer & R. Simeon in primum Tiſri incidere ſtatuunt; Primo die menſis Tiſri* (Septembris novilunio) *eſt caput anni ad figendos annos & intermiſſiones & Jubilæa ſimulque novus annus eſt plantationis omnium arborum & herbarum. Quartum denique anni principium in primum menſis Sebat* (Januarii novilunium) *quod eſt pro arboribus ſecundum ſententiam Scholæ Schammææ, Hillelis vero ſchola decimo quinto die ſtatuit*. Vide inſuper, quæ doctiſſime commentatus eſt prænominatus Interpres.

CAPUT SECUNUDM.

De Feſtis & Conviviis.

I. **A**NTEQUAM deſcendamus ad Judæorum *Feſta* ſpecialia, contemplabimur ipſorum morem modumque celebrandi *feſta* in genere.

Nomina conviviorum. ארוחה

II. Quemadmodum ipſorum *convivia ordinaria* nec multa, ita nec ſplendida fuerunt. Vocabantur ארוחה ab ארח *iter facere*, quod vocabulum proprie ſignificat *viaticum*, ſeu *commeatum*, *quo viatores in itinere utuntur*. Sic ea vox uſurpatur *Jer. XL.* 5. *Præfectus ſatellitum dedit ipſi* ארחה *viaticum*, *& munus*, *& dimiſit eum*. Sic *Prov. XV.* 17. *Melius eſt* ארחת ירק *viaticum* vel *cibarium oleris*, *ubi eſt amor &c.*

משתה

III. *Extraordinarium* & *liberalius convivium* ipſorum in ſolennitatibus plerumque, dicebatur משתה *convivium*, *compotatio*, ab illorum *liberaliori* & *largiori potatione* in iſtiuſmodi *conviviis*: veluti Græci amant συμπόσιον dicere, ab altera *conviviorum* parte, bibendo ſcil.

חג

IV. Alia præterea *conviviorum feſtorum* [1] ſpecies erat, nempe, quando *convivabantur* exporrecta fronte, ſacrificiorum ſuorum reliquias abſumentes. Hæc vocarunt חג *feſtum*, *ſolennem feſtivitatem*, a rad. חגג *feſtum celebravit*. Ab hoc *convivandi* more

poſt

post sacrificia peracta, primævæ Ecclesiæ Christiani suas *Agapas*, quæ comitabantur Cœnam Dominicam, duxerunt institueruntque. [2] *Chrysost. in* 1. *Cor. XI. Hoc autem præcipio.*

Divisio ceremoniarum convivalium.

V. In utroque hoc solenniori *convivio* aliquas ceremonias, tanquam præparationem ad *convivium præmittebant*, alias in *benedictione* seu *gratiarum actione*, alias in *ipso accubitu* adhibebant.

Ceremoniæ præparatoriæ.

VI. *Ceremoniæ præparatoriæ* præprimis *tres* erant: A. *Salutatio*. B. *Convivarum pedum lotio*, C. *Olei effusio* in ipsos.

Veluti 1. salutatio, quæ verbis.

VII. *Salutatio* aut *verbis* fiebat, aut humili quadam *corporis flexione*. *Verbis*, sic: *Dominus vobiscum*, vel *Benedicat vobis Dominus. Ruth II.* 4. Ex hoc *Benedictio* in S. Scriptura sæpe sumitur pro *Salutatione*, *Tertull. lib.* 4. *contra Marcion. Si quem inveneris*, ait Elisa ad Gehasi, לא תברכנו, *non benedices* seu *salutabis eum*, 2. *Reg. IV.* 29. Sic & transfert versio nostra, *salute him not.* Subinde inquiebant: שלום לכם, *pax vobis, pax tibi, pax super te, pax super vos*; לך לשלום *abi in pace &c. Intrantes domum, salutate eam. Et quando digna fuerit hæc domus*, ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ' αὐτὴν, *veniat pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertatur*, *Math.* X. 12. 13. *Flexione* sive *gestibus corporis*, ita: *Salutabant* interdum *incurvatione totius corporis*, interdum τῷ καταφιλεῖν τοὺ πόδας [3] *deosculatione pedum*, *Luc. VII.* 58. Plerumque *osculo ordinario*, *Xenoph. de instit. Cyr. l.* 1. *p.* 17. Item *lib.* 5. *p.* 113. *Tunc obviam processit Moses socero suo, & incurvans se osculatus est eum*, *Exod. XVIII.* 8. *Oscula quoque libavit Josephus omnibus suis fratribus, flens super iis*, *Genes. XLV.* 15. Hoc vocat *Paulus* φίλημα ἅγιον, *osculum sanctum*, 1. *Cor. XVI.* 20. *Petrus* φίλημα ἀγάπης, *osculum amoris*, 1. *Petr. V.* 14. *Tertullianus* appellat *osculum pacis*, *Tertull. de Orat. cap.* 14. Hæc fuerunt *oscula*, quæ non *Cato* quispiam carpere, quæque *virgo Vestalis* capere tuto possit.

Vel gestibus.

Uti osculo.

Quæ v salutationis.

Vel separationis.

Vel humiliationis.

VIII. Hujus generis *tria* fuerunt Judæis; *Drusius ad difficil. loca Exod. XII.* A. נשיקות פרוקים *oscula propinquorum*, seu *salutationis*, quæ explicata sunt præcedenti Josephi exemplo. B. נשקות פרשות *oscula separationis. Non permisisti mihi, ut oscula filiis meis & filiabus meis figerem*, *Gen. XXXI.* 28. C. נשקות גרולה *oscula magnitudinis*, sive *humiliationis*. Vox Hebr. significat *oscula dignitatis*, quæ erant signa *humiliationis* & *reverentiæ* erga Regiam Majestatem & supremam potestatem. Tum *Samuel, sumpta olei lenticula, perfudit caput ipsius, osculatusque est eum*, 1. *Sam.* X. 1. Huc referunt illud Psalm. II. ℣. 12. *Osculamini filium, ne irascatur.* Quamvis autem his *salutationibus* in publico occursu erga se invicem fungebantur, attamen iisdem quoque, si quem privatim excipiebant, utebantur; quod liquet ex multis ante citatis locis.

2. Lotio pedum.

IX. *Secunda ceremonia præparatoria* erat *lotio pedum* ante discubitum, [4] non solum Judæis, sed & Gentilibus ipsis, usitata. *Locus hic tuus est, huc accumbe. Ferte aquam pedibus. Præben' tu puere? Plaut. Pers. Act. V. Scen.* 2. *Introduxit vir ille homines illos in domum Josephi, deditque aquam, & laverunt pedes suos. Gen. XLIII.* 24. Hoc servitium plerumque administrabatur per servos, & per vilissimos domus, uti constat ex facto Christi Salvatoris nostri, qui ὑπόδειγμα ταπεινότητος *exemplum humilitatis* relicturus, *lavit pedes discipulorum*, *Job.* XIII. 15. *Et* Abigail Davidi ipsam in connubium accepturo dicebat: *Ecce ancilla tua pro famula erit, ad lavandum pedes servorum domini mei*, 1. *Sam. XXV.* 41. [5]

A servis plerumque administrata.

Huic usui vasa erant destinata.

X. Ad hunc finem certa vasa ipsis erant præsto, huic usui destinata. Illud vas τὸν νιπτῆρα vertimus *pelvim*, *Job. XIII.* 5. *Infundit aquam in pelvim;* cum ea vox νιπτήρ plerumque significet *labrum*, adhibeaturque ibidem pro eo, quod Græci vocant ποδόνιπτρον *pelluvium*. Quspiam hic quærere posset, undenam hæc aqua hausta fuerit? Non video disconvenientiam, si dicimus, in ipsorum καταλύμασι seu ἀνωγέοις *cœnaculis* sive *tricliniis* disposita plerumque fuisse vasa magna, ex quibus in minora, quantum necesse erat, infundebant.

Talia Joh. II. 16.

XI. Cujusmodi non inepte putantur fuisse illæ *hydriæ*, quæ memorantur. *Job.* II. 6. *Stukius lib. conviv.* Erant ibi ὑδρίαι λίθιναι ἕξ *lapideæ hydriæ sex, positæ ad purificationem Judæorum.* Per τὸν καθαρισμὸν *purificationem* intellige hanc curiosam *lotionem*, de qua agimus. Jam si contemplamur consuetam manuum *ablutionem*, quam, etsi in se damnanda non esset, superstitio tamen Legisperitorum & Pharisæorum corrumpebat; & rursus *lotionem pedum* ante & post convivium, (Salvator enim noster suorum discipulorum pedes lavit a cœna) quam Hebræi dicunt solummodo in ipso festo *Paschatis* usurpatam fuisse, tum non mirum erit, si & multa & capacia vasa præsto stabant.

XII. Insuper notandum est, quod, quemadmodum administratio simplex, ita & va-

ſa vulgaria & vilis pretii fuerint. Quæ obſervatio lumen dat illis verbis. *Pſal. LX.* 10. מואב סיר רחצי *Moab eſt olla lotionis meæ*, ſeu pollubrum meum. Hoc eſt Moabitæ ita mihi ſubſternentur, velut pollubrum pedibus meis.

3. Effuſio olei.

XIII. *Tertia ceremonia præparatoria* erat *effuſio olei*. *Mulier in illa urbe allato alabaſtro unguenti, & ſtans apud pedes ejus retro, flens cœpit humectare pedes ipſius lacrymis, & abſterſit capitis ſui capillis, & deoſculabatur pedes ipſius*, καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ, *& unguento ungubat*, *Luc. VII.* 37. 38. Effundebatur quoque *in caput*, quapropter eodem in loco Chriſtus Phariſæo, qui ipſum invitaverat, objicit: *Oleo caput meum non unxiſti*. Et *Pſal. XXIII.* 5. *Delibutum reddis caput meum oleo*.

Gratiarum actio. Modus conſecrandi vinum.

XIV. *His ceremoniis præparatoriis* abſolutis tranſeunt [6] ad *gratiarum actionem*. Paterfamilias [7] cum domeſticis conſidens tenet cyathum [8] vino ſpumantem dextra, ſimulque ſuam *benedictionem* orditur hac formula: ברוך אתה י״י אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter Rex mundi, qui creas fructum vitis*. Hoc dicto delibat vinum, ſcyphuſque ab eo in corona accumbentium circumit. [9] Hanc *benedictionem* vocant ברכת היין *benedictionem vini*. Hoc modo videtur Chriſtus ſuam orſus cœnam eſſe: *Accepto poculo, gratiiſque dictis; Sumite, ait, hoc, & diſpenſate inter vos; Dico enim vobis, quod non ſim bibiturus* ἀπὸ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου *ex fructu vitis, uſque quo venerit regnum Dei*, *Luc. XXII.* 17. 18.

Modus conſecrandi panem.

XV. *A benedictione calicis* Paterfamilias ſumit panem, [10] ut illum ſcindat, non abſcindat; nam illum tantum incidit, quo facilius frangat, non penitus diſſecat. Sic inciſum ambabus manibus tenet, conſecratque his verbis: ברוך אתה י״י אלהינו מלך העולם המוציא לחם מן הארץ *Benedictus ſis tu Domine, Deus noſter, Rex mundi, qui profers panem ex terra*. Hanc panis *conſecrationem* vocant ברכת הלחם *benedictionem panis*. *Druſ. in N. T. part. ult. pag.* 78. Poſt conſecrationem frangit; (a qua actione paterfamilias, aut is, qui illius loco *benedictionem* facit, dicitur הבוצע *conciſor, fractor*) quo facto, cuivis accumbenti de eo fruſtum impertitur. Tumque cæteris patinis repletis manus laxant. Hanc panis atque calicis *benedictionem* ſolummodo obſervant in ſolennioribus Feſtis, alias enim ſolum panem, non calicem, conſecrant. [11]

Sermones convivales.

XVI. Tempore convivii cibos ſuos condiunt bonis comparationibus & ſimilibus, quæ aut materiam inſtitutionis præbent, aut ingenium exercent; Idem familiare etiam fuit Chriſtianis *agapas* celebrantibus; de quibus *Tertull. Apol. c.* 39. *Non tam cœnam cœnant, quam diſciplinam*. Prioris generis fuit illa *Parabola*, quam Servator noſter in medium protulit inter convivium, *Luc. XIV.* 7. Poſterioris, *ænigma Simſonis*, quod ſuis ſodalibus enodandum propoſuit. *Jud. XIV.* 3. [12]

Gratiarum actio poſt cibū.

XVII. Sub fine convivii repetebant *gratiarum actionem*. Eam recitavit aut paterfamilias, aut hoſpes majore gravitate emicans, prehenſoque ambabus manibus ſcypho vini pleno, ita orſus eſt: [13] *Laudemus eum, qui nos ſuis bonis alit; & cujus benignitate vivimus*; tum reſonant omnes diſcumbentes: *Benedictus ſit, cujus cibis fruiti ſumus & cujus liberalitate ſubſiſtimus*. Hanc *gratiarum actionem* vocant ברכת המזון *benedictionem alimoniæ*. Et hic cenſetur fuiſſe calix, [14] ex quo poſt Cœnam Salvator noſter ſuis diſcipulis myſterium ſive Sacramentum ſanguinis propinavit. *Vide* P. Fag. in prec. Hebr. Poſtea, ſic orſus *gratiarum actionem*, pergit; *Benedictus ſit & benedictum ſit nomen ejus &c.* prolixam appendens orationem, qua *gratias* dicit. 1. Pro præſenti alimento. 2. Pro eductione ex Ægypti ergaſtulo. 3. Pro fœdere Circumciſionis. 4. Pro Lege per manum Moſis data. Deinde ſupplicat Deo, ut propitius ſit. 1. Populo ſuo Iſraeli. 2. Suæ urbi Hieroſolymæ. 3. Tzioni, Tabernaculo ſuo gloriæ. 4. Regno domus Davidis uncti ſui. 5. Ut mittat Prophetam Eliam. 6. Tandem ut ipſos dignos eſſe velit diebus Meſſiæ καὶ αἰῶνι μέλλοντι *& ſeculo futuro*.

Clauditur convivium benedictione calicis.

XVIII. Hac finita oratione omnes convivæ ſuppreſſa voce ita dicunt: *Timete Dominum Sancti ejus, quoniam non eſt penuria timentibus eum: leunculi inopiam & famem patiuntur, ſed quærentes Jehovam non deſtituuntur ullo bono*, *Pſ. XXXIV.* 10. 11. Poſtmodum is, qui *gratias* dicebat, & *calici benedicere* ſolebat, eadem formula uſus eſt cum accumberent primo, & ſic orditur: *Benedictus ſis tu Domine, Deus noſter, Rex mundi, qui creas fructum vitis*; ex quo delibat paulum vini, calicemque in orbem mittit. Sic *benedictio calicis* & inchoat & claudit convivium.

Calicis nomen.

XIX. Hunc calicem vocabant כוס הלל τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ſive ὑμνήσεως, *poculum benedictionis*. Utriuſque hujus poculi ante & poſt cœnam meminit *Luc. c. XXII.* 17. 7. 20. Hic notatu dignum, quod verba *benedictionis* comitentur tantum ultimum calicem; quibus tanquam pars altera S. Sacramenti N. T. conſecratur. Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. *Hocce poculum* (eſt) *Novum Teſtamentum in ſanguine meo*.

Adjiciuntur hymni

XX. Poſt hæc omnia cantant [15] *Hymnos* & *Pſalmos*, quemadmodum & factum a no-

ſtro

ſtro Salvatore, *Marc. XIV. 26. Scalig. de emend. Temp. l. 6. p. 273.* Sic ipſe, etſi nullas admiſceret frivolas ſuperſtitiones, quæ aut ea tempeſtate uſitatæ, aut a recentioribus Judæis adjectæ fuere, (velut, quod quatuor cyathi ſint evacuandi *Moſes Kotſ. fol.* 118. *col.* 1. vel quod panis frangendus ſit decem una digitis, reſpectu decem præceptorum. *Sebaſt. Munſter. Matth. XXVI. &c.*) Videmus tamen ipſius ceremonias, & principio & in fine cœnæ Judæorum conſuetudinibus accordare. Si quis deſiderat prolixiorem Rabbinicarum harum *benedictionum* telam, is adeat *P. Fagii Commentarios in Deuter. VIII.* 10. item *prec. Hebr. per eundem editas*, unde multa eorum, quæ hic poſui, petita ſunt.

Convenientia ceremoniarum in conviviis Judæorum & Cœna Dominica.

XXI. Jam ſi quis objiciat, quod videar S. Sacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri convertere in Judaicam ceremoniam: ℟ Nequaquam. Nam, ſicut longo tempore ante Judæis in uſu fuit ſpecies conſecrationis aqua factæ, ſine qua nullus Proſelytus in Eccleſiæ Judaicæ gremium receptus eſt, non tamen ipſis Sacramentum fuit, ſed ritus, ut Turcis & Saracenis Circumciſio eſt: Sic *panis fractio* non Sacramentalis fiebat Sacramentalis, cum Chriſtus diceret de eo: *Hoc eſt corpus meum. Hoc poculum eſt Novum Teſtamentum in ſanguine meo, &c.* Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι. *Poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne eſt communio ſanguinis Chriſti? 1. Cor. X.* 16.

Hæc non obeſt Sacramento Cœnæ.

XXII. Poſtremum, quod notatu dignum in ipſorum conviviis, eſt illorum *poſitura* ſive *ſitus*. Diebus Salvatoris noſtri, veriſimile eſt *poſituram* Judæorum reſpondiſſe *poſituræ* Romanorum [16] Voces enim, quibus uſi ſunt Evangeliſtæ, ſonant *accubitum*, non *ſeſſionem*. Ἀναπίπτειν, *Luc. XXII.* ἀνακεῖσθαι, *Matth. XXVIII.* κατακεῖσθαι, *Luc. XIV.* ἀνακλιθῆναι, *Matth. XIV.* [17] Menſam in medio locatam lecti circuibant, vel duo, vel tres, vel etiam plures ratione convivarum, ſuper quibus ſingulis cubuerunt vel tres vel interdum quatuor, raro aut nunquam plures. Quando quis recumbebat lecto, ſuperior pars corporis ſuffulta ſiniſtro cubito, inferior pars extenſa lecto, quieſcebat. Ubi vero multi lectos occupabant, ſupremus, capite lecti repoſitus, pedes ſuos ad tergum ſecundi demiſit: eadem *poſitura* diſcubuerunt & tertius & quartus, ſingulis caput ſinu alterius recondentibus.

Poſitura convivarum.

XXIII. Sic reclinavit *Johannes in ſinum Jeſu.* [18] *Joh. XIII.* 23. Hoc eſt 1. ſignum *ſingularis amoris* erga illum, quem ſinu ſuo recipit paterfamilias. *Johannes erat dilectus diſcipulus.* 2. Signum eſt *æqualitatis* accumbentium, altero in alterius quieſcente ſinu. *Multi ab Oriente & Occidente venient,* καὶ ἀνακλιθήσονται *& diſcumbent cum Abrahamo, & Iſaaco, & Jacobo in regno cœlorum, Matth. VIII.* 11. ubi recumbent? *In ſinu Abrahæ, Luc. XVI.* 22. Hoc eſt, omnes accumbent eidem menſæ, conſortes ejuſdem gloriæ. Ita Chriſtus fuit *in ſinu Patris ſui, Joh. I.* 18. h. e. juxta linguam Apoſtoli: *Non rapinam duxit, eſſe æqualem Deo, Phil. II. 6.*

Hinc explicatur Joh. XIII. 23.

XXIV. Menſæ perfecte circulares [19] fuerunt, unde ipſe accubitus vocatur מסבה *diſcubitus circularis*, a rad. סבב *circumivit, ambivit*; moduſque convivas ad accubitum invitandi ſic ſonabat: סובו *circumſidete. Non circumſidemus* לא נסב, *donec venerit huc, 1. Sam. XVI.* 11. Rurſus, *Filii tui ut plantæ olearum* סביב *circum menſam tuam.* Hic ritus & ipſius Ezechielis ævo valebat; *Conſediſti in lecto honorato, ante quem menſa parata eſt, Ezech. XXIII.* 41. Et num hic uſus obtinuerit apud vetuſtos Hebræos? aliorum inquiſitioni remitto. *Philo Jud. p.* 388. *In veſtibus pignore captis accumbunt apud omne altare, Amos II.* 8. Hoc eſt loco [20] lectorum adhibuerunt veſtes pignore ſumtas, cum veſcerentur apud altaria εἰδωλοθύτοις; Vetuſtiſſimus mos erat ſuper lanatis pellibus diſcumbere. Ovid.

Menſæ circulares.

Ritus accumbendi vel in lecto. vel veſtibus vetuſtus.

Qui poterat pelles addere, dives erat.

XXV. Imo mos *detrahendi calceos* cum accumberent, aſſerit hujus conſuetudinis accumbendi vetuſtatem ſummam. Illa *calceorum detractio* videtur in Ægypto jam uſu veniſſe [21] & propterea Iſraelitæ in comeſtione Paſchatis mandato divino tenebantur ad majorem promptitudinem calceis eſſe ligati. Ratio, cur eos trito more exuerent, fuit, ne ſuos lectulos, quibus incumbebant, collutularent. Quoniam autem jus Paſchatis requirit, ut abſumatur a calceatis, quod potius *ſtationem* quam *reclinationem* ſuper lecto injungit, quæri poteſt, num Chriſtus *accumbendo* menſæ primam inſtitutionem diſſolverit? *Tremellius in Matth. XXVI.* 20. cui manum ego meam porrigo, ſic occurrit: Sciendum eſt, ait, quod *Exod.* XII. dicatur, quomodo parati ex Ægypto migrare, Paſcha eo temporis articulo comedere debeant. Nam temporis illius arcta neceſſitas voluit comeſtionem concitatam. Poſtea autem in Lege, ubi reiteratur mandatum de ritu Paſchatis quotannis obſervando, hæc verba addita non ſunt, propterea omnes Hebræorum Magiſtri, & antiqui & recentiores, [22] uno ore docent, mandatum de *poſtibus ſanguine tingendis, de calceandis pedibus, de ſuccingendis lumbis, de manibus baculo firman-*

Elucet etiam inde, quod comeſturi detraxerint calceos.

mandis, *deque agno celeriuſcule comedendo*, ſe non extendere ad generationes poſteriores, ſed ſolam eam reſpexiſſe *noctem*, qua Ægypto ceſſerunt. Receptus ab antiquis ritus fuit, quo comedentes *Paſcha* conſidebant, aut lecto inclinabant, uti Chriſtus ipſiuſque diſcipuli, in ſignum receptæ libertatis, *Talmud. Tract. de Paſch.* Vid. *Tremell. loc. cit.*

Convivas excipiunt Paterfamilias. Dominus convivii.

XXVI. Illorum, qui excipiebant in cunviviis, duo erant: 1. *Paterfamilias*. 2. *Dominus convivii*, vid. *Cauſab. exercit. p.* 278. Sic autem differebant: *paterfamilias*, ſive herus, vocabatur בעל הבית οἰκοδεσπότης, *Dominus familiæ*. *Dominus convivii vocabatur* בעל משתה, ἀρχιτρίκλινος, *Præfectus triclinii*, nobis dictus *The Ruler*, ſive *The Governour of the feaſt*, ein Schaffner/ Hoff- oder Speiſmeiſter. Ἀρχιτρίκλινος fuit *ſummus miniſter*, miniſtrans *patrifamilias* in conviviis.

Præfecti morum.

Alii adjiciunt tertios, quos volunt fuiſſe *Præfectos morum*; Græcis dicuntur οἰνόπται. *Gaudentius Brixianus*, vid. *Caſaub. ibid.* Ipſorum munus fuiſſe creditur, attendere moribus convivarum, ne quis modeſtiam modumque excederet nimio mero, unde appellati ſunt ὀφθαλμοὶ *oculi convivii*. Ejuſmodi *Miniſtri* convivia moderabantur in aula Ahaſveri, *Eſth. l.* 8. & apud Athenienſes, *Athenæus l.* 10. Verum num tales Judæis adſcribi poſſint, jure in medio relinquitur.

Hoſpitalitas.

XXVII. Antiqui Judæi hoſpitales erant, [23] & in exceptos hoſpites liberales. Hoſpitalitatem ipſorum Sacra Scriptura commendat; ſed quæ certe hodie apud ipſos hoſpes eſt & exulat, uti liquet ex illo trito, quod concernit exceptionem amici: quod is ſit primo die אורח *viator*, *hoſpes*; ſecundo טורח *fatigator*, onus; terno בורח *circumcurſitator*, profugus. [24] *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 32. *pag.* 420.

Probatur inſuper ex portionibus ad pauperes miſſis.

XXVIII. Liberalitas in eo conſpicitur, quod memores pauperum in ſuis conviviis iis portiones ſubmitterent, *Neh.* VIII. 11. *Mittite portiones cuicunque nihil eſt paratum*. Hoc poſtea invaluit & moris fuit veteribus Gentilibus, qui non tantum in ſolennioribus feſtis & conviviis, præſentes liberaliter exceperunt hoſpites, ſed & iiſdem conceſſerunt convivia, ex quibus quid auferre poterant, quæque vocabant inde ἀποφόρητα. Solebant itidem μερίδας *portiones* mittere abſentibus amicis, *Theophraſtus c.* περὶ μεμψιμοιρίας. Idem teſtatur *Plut. in Ageſilao*. Διέπεμπε μερίδας τοῖς φίλοις ἀπὸ τῶν τεθυμένων. *Mittebat portiones amicis ex ſacrificatis*.

Illuſtratur Canon Concilii Laodicenſis.

XXIX. Hæc obſervatio lucem affundit *Canoni* illi *Laodicenſis Concilii*; quo interdictum eſt μέρη αἴρειν *portiones ferre* Chriſtianis in *agapis*; cujus interdicti rationes mihi tres ex præcipuis fuiſſe putantur: 1. Ne Chriſtiani ſymbolizarent Gentilibus. 2. Ne quis, ſuam portionem ſibi ſubmittendam ſperans, *agapas* negligeret. 3. Ne præſentes, præſertim pauperrimi, ut ſæpiſſime contingit, defectum paterentur, ſi tales portiones, omne quod optimum opimumque eſt, abſorberent.

Tempus conviviorum.

XXX. Tandem coronidis loco hic notabimus; quod, quemadmodum Judæi cœnam ſub veſpera & tum quidem lautiſſime pararunt, [25] ſic prandium hora ſexta, h. e. juxta noſtram computationem, circa meridiem. *Macta* σιτιστά *altilia & para*, *mecum enim comedent homines iſti meridie*, *Geneſ.* XLIII. 16. *Petrus aſcendit* ἐπὶ τὸ δῶμα *in ſolarium*, *ut precaretur circa horam ſextam*, *factumque eſt*, *ut eſuriret*, *voluitque edere*; *parantibus autem illis* ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτὸν ἔκστασις *incidit in eum mentis exceſſus*, *Act.* X. 9. 10.

Tria celebriora pocula in Scriptura. I. Poculum benedictionis. II. Conſolationis. III. Salutis.

XXXI. Inſuper prætereunda non eſt differentia poculorum iſtorum trium, [26] quæ memorat S. Scriptura I. ποτήριον τῆς εὐλογίας *poculum benedictionis*, 1. *Cor.* X. 19. reſpondet illis cyathis, qui adhibiti ſunt in ſolennioribus ipſorum feſtis & conviviis, nomenque fert ex illa benedictione, quam affundere ſolebant. II. כוס תנחומים ποτήριον εἰς παράκλησιν *poculum conſolationis*, Jerem. XVI. 7. Illud ita vocatur, quod tempore luctus amicis tradebatur, ut ipſius dulci flumine mœroris luctuſque amaror ex pectore lugentium elueretur. III. כוס ישועות ποτήριον σωτηρίας *poculum ſalutis*, Pſal. CXVI. 13. Hoc plerumque comitabatur ſacrificia שלמים *pacifica* ſive *eucharistica*, quæ devota erant pro beneficiis acceptis; hinc LXX. *pacificum* plerumque σωτήριον *ſacrificium ſalvationis* vertunt.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

Annot. [1] Quoniam ſumma hominis felicitas in cultu & veneratione Numinis exiſtit, convenientiſſimum habebatur, ut cultui divino vacantes lætitiam teſtarentur, tripudiarent atque eum in finem cum Deo & coram Deo laute comederent biberentque. Hinc feſta חג nuncupata a חגג *tripudiare* vid. 1. Sam. XXX. 16. Hoc & inter Gentes Jud. XVI. 23. Jeſ. LVII. 7. & præprimis in natione Judaica obtinuit, DEO ſic inſtituente ut Judæi non tantum ſacrificia in loco ſancto offerrent, ſed & partem, quæ ad offerentes pertinet, ibi ederent, uti de decimis Deut. XIV. 26. *Expendens pecuniam pro omni eo*, *quod anima tua deſiderat*, *pro bobus*, *ovibus*, *vino aut alio potu inebriante*, *imo pro omni eo*, *quod expetiverit anima tua*, *comedes ibi coram Jehova Deo tuo atque cum familia tua lætaberis*, primogenitis Deut. XV. 19. pacalibus, Levit. VII.16.18. agno paſchali Deut. XVI. 9. Nota ſunt in ſcriptis Judæorum Sacrificia שלמי חגיגה *pacalia Chagiga* & שלמי שמחת חגיגה *pacalia lætitiæ Chagiga* a prioribus diſtincta. Conf. de præ-

præparatione & comeſtione pacificorum Maimon. Tract. מעשה קרבנות c. X.

[2] Vere primitivæ Eccleſiæ Agapas a convivandi more poſt ſacrificia peracta deducit Auctor. Eccleſiæ primitivæ membra plura erant ex Judæis, primi Doctores Judæi. Quid igitur vero ſimilius quam quod hi conſuetudines divinitus inſtitutas, utiles, amori conciliando idoneas, quantum fieri poterat, ad Synagogas Chriſtianas tranſtulerint? Certiſſimum quidem ſimilem morem apud Ethnicos Diis ſacrificantes viguiſſe: ſed Agapas ab Idololatris arceſſere, ingenio Chriſtianorum valde repugnat. Præprimis illud obſervandum videtur, quod quemadmodum in comeſtione agni Paſchalis ſacramenti V. Teſtamenti alii inſuper cibi ut integra Cœua conficiatur, menſæ appoſiti ſunt, ita in S. Cœna priori illi ſubſtituta aliæ dapes præter panem & vinum, convivantibus dabantur. Nam præter agnum paſchalem veſcebantur panibus infermentatis, embammate חרוסת dicto, ſacrificiis pacalibus Chagiga, bibebant vinum & hoc quidem ordine, ut agnum tum demum comederint, quando jam aliis cibis fames depulſa erat, ad quem modum primi Chriſtiani Agapas Sanctæ Cœnæ præmiſerunt, quod innuere videtur Apoſtolus 1. Cor. XI. 21. Hac de re conſule indefeſſum Antiquitatum ſcrutatorem Schurtzfleiſchium *Diſſ. de Vet. Agap. rit.* §. 21. 24. Prout autem Agapæ ad Chriſtianos eum in finem traductæ ut amorem (hinc enim nomen habent) invicem conciliarent, conciliatum confirmarent & propagarent, egenos inſuper ſublevarent ſuſtentarentque, ita hunc ipſum convivia Judæorum feſtiva ſcopum habebant. Maim. מורה נבוכים l. III. c. XLVI. f. de fine feſtorum, multo magis conviviorum ait etiam hunc eſſe התאהב בני אדם וחברה קצתם אל קצתם *mutuum amorem atque conſortium* Conf. Deut. XII. 18.

[3] Morem exoſculandi pedes aut nunquam aut rariſſime caſu prorſus extraordinario apud Judæos obtinuiſſe puto. Saltem indubitatum in toto V. Teſtamento, quo oſculorum crebra injicitur mentio, teſtimonium huc pertinens non exſtare. Neque enim II. Reg. IV. 27. de exoſculatione pedum agitur. Fœmina ex morte filii tota mœſta תחזק ברגליו *apprehendit pedes ejus* Eliſæi, quo mœrorem viro Dei teſtaretur atque eum facilius ad commiſerationem commoveret. Quod vero attinet Luc. VII. 45. exemplum prorſus inſolitum eſt. Peccatricis illius reverentia erga Chriſtum non ex affectu provenit, quo homines etiam honoratiſſimi excipiuntur, ſed majori longe, quippe illum ut Salvatorem, Meſſiam habuit, coluit. Atque hoc facile intelligemus, ſi commata 44. 45. 46. paulo attentius legimus, & cum moribus Judæorum conferimus, quibus ſc. officia ordinaria honoratis convivis debita extraordinariis opponuntur, propter illa Chriſto denegata hoſpes vituperatur, propter hæc fœmina laudatur. Oppoſitio autem hæc eſt: Convivis porrigebatur aqua ad pedes conſpurcatos, feſſos mundandos, reficiendos vide Gen. XVIII. 4. 5. XIX. 2. XXIV. 32. Jud. XIX. 21. Hoc opponitur τοῖς δάκρυσι τοὺς πόδας βρέχειν καὶ ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς ἐκμάσσειν. Dein accedentibus oſculum figebatur Exod. XVIII. 8. Ex adverſo fœmina deoſculabatur pedes. Inſuper oleum honoratiorum convivarum in caput effundebatur. At illa non oleo, ſed unguento pretioſo, non caput ſed pedes perfundebat.

[4] Lotio pedum antiquitus recepta Geneſ. XVIII. 4. XIX. 2. XXIV. 32. Jud. XIX. 21. his præſertim ex cauſis 1. calceos cavos, tibialia non geſtabant, ſed tantum ſoleas (vid. Gen. XIV. 23.) &c. unde iter facientium pedes pulvere admodum conſpergebantur. 2. Æſtus, qui in Oriente intenſior eſſe ſolet, proficiſcentes valde delaſſabat: quare ad reficiendum aqua nihil gratius iis erat. Moris veſtigium ævo Apoſtolorum 1. Tim. V. 10. cernitur. Non tamen putandum, pedum lotionem ante accubitum ordinariam aut lege quadam inculcatam fuiſſe, uti ſe habet cum manuum lotione. Nihil hac de re vel in ſacris vel aliis Judæorum monumentis.

[5] Ralbag ad h. l. אמרה זה על צד הענוה להורות שדי לה אם תהיה לאשה לאחד מעברי דוד ותרחץ רגליו כמנהג האשה לבעלה *Hæc verba humili animo dixerat Abigail: Satis ſibi fore ſi quemdam ſervorum David in maritum habere queat atque ejus pedes lavare, uti uxor marito hoc officium præſtare ſolet.* Nam præter alia officia uxores ad ποδολουσίαν maritorum tenentur. Maim. tr. אישות c. XXI. c. m. כל אשה רוחצת לבעלה פניו ידיו ורגליו *Unaquæque uxor mariti faciem, manus, pedes lavat.*

[6] Precum ante cibum dicendarum expreſſum Numinis præceptum Judæis datum eſſe non legimus, ſed tantum poſt cibum veluti Deut. VIII. 10. Illi nihilominus ſumma cum laude ſtatuerunt comeſtioni præcedere debere precationem, hinc illud כל הנהנה מן העולם הזה בלא ברכה כאלו גוזל להק"בה *qui aliquem ex mundo ſine prævia benedictione uſum capit, rapit ea, quæ Dei εὐλογητοῦ ſunt*, præprimis Maim. tr. ברכות c. 1. in מדברי סופרים לברך על כל מאכל תחלה ואחר כך יהנה ממנו ואפילו נתכוון לאכול או לשתות כל שהוא מברך ואחר כך יהנה ממנו וכן אם הריח ריח טוב מבר' וא"חכ יהנה ממנו וכל הנהנה בלא ברכה מעל וכן מדברי סופרים לברך אחר כל מה שיאכל וכל מה שישתה והוא שישתה רביעית והוא שיאכל כזית ומטעמת אינה צריכה ברכה לא לפניה ולא לאחריה עד רביעית *Ex ſententia Scribarum omnis cibus ab initio precibus conſecraudus: Tum demum uſus inde capiendus eſt: Quantilli etiam edere aut bibere ſibi propoſuerit, dicenda tamen eſt precatio & tum uſus capiendus. Pariter quando odorem gratum percepit. Qui vero re quapiam abſque prævia benedictione fruitur, re divina abutitur. Ita quoque ex mente ſcribarum grates dicendæ ſunt quantillo cibo comeſto & quantillo potu hauſto, ſc. ſi biberit quantum quartarius logi aut ederit quantum oliva. Qui vero ſolum deguſtat, ille benedicere non tenetur nec ante nec poſt niſi quartarium biberit.* Conf. Joſeph. Karo Schulch Ar. ex Ord. Or. Ch. n. 210. p. 38. cap. 1. Hunc laudabilem morem obſervavit Chriſtus Matth. XIV. 19. XV. 36. XXVI. 26. & præcipit Paulus 1. Tim. IV. 4. 5.

[7] De perſona benedicentis accipe Canonem prænominati Joſephi Karo in Schulch. Ar. n. 201. pag. 36. 1. גדול מברך אפילו בא בסוף ואם רצה ליתן רשות לקטן לברך רשאי והני מילי כשאין שם אורח אבל אם יש שם אורח הוא מברך אפילו אם בעל הבית גדול ממנו *Is, qui maximus, licet ultimus acceſſerit, preces recitat. Si vero voluerit partes minori commendare, id ei licitum eſt. Hæc ita accipienda ſunt, quando nullus viator adeſt; Alias viatoris eſt benedicere, quamvis Pater familias illo dignior fuerit.* Munus autem commiſſum detrectare non licet מי שנותנין לו לברך ואינו מברך מקצרים ימיו *Ille quem ad cibum conſecrandum eligunt, & non conſecrat, abbreviat dies vitæ ſuæ.* Ita Samuel 1. Sam. IX. 13. dicitur מברך הזבח LXX. εὐλογεῖ τὴν θυσίαν ad quem modum Scriptores N. Teſtamenti rem conſecrandam in accuſativo ponunt vide 1. Cor. X. 16. & alibi. Conſimiliter Chriſtum cibo benedixiſſe Evangeliſtæ referunt.

[8] Præterquam quod cyathum integrum probe purgatum leges Judæorum poſcunt, illum ſequenti ratione a conſecrante tenendum eſſe ajunt. מקבלו בשתי ידיו וכשמתחיל לברך נוטלו בימינו ולא יסייע בשמאל ומגביהו מהקרקע טפח אם הוא יושב על גבי קרקע ואם הוא מיסב בשולחן מגביהו מעל השלחן טפח ונותן בו עיניו שלא יסיח דעתו *Scyphus duabus manibus tenetur: Quando autem conſecrans εὐλογίαν incipit, illum dextra tantum apprehendit, neque ſiniſtra fulcit. Palmi ſpatio a ſolo elevatur, quando is, qui conſecrat, ſolo inſidet. Si vero menſæ accumbit, tum ſupra menſam prænominato ſpatio attollitur. Oculos ad illum reflectere debet, ne aliena cogitet*, l. cit. n. 183. p. 33. c. 3.

[9] Subjungo ex eod. l. n. 190. pag. 34. cap. 3. m. אחר שסיים ברכת המזון מברך בורא פרי הגפן ויטעום המברך ואחר כך יטעמו האחרים *Finita cibi εὐλογία precatur precationem* qui creas fructum vitis. *Tum guſtat is, qui conſecravit, guſtant quoque alii.* Et paulo infra אם המברך אינו רוצה לטעום יטעום א' מהמסובין כשיעור ואין שתיית שנים מצטרפת ומכל מקום מצוה מן המובחר שיטעמו כולם *Quod ſi is, qui conſecraverit, deguſtare noluerit, alius ex accumbentibus ſecundum menſuram (certam) bibet. Duorum hauſtus non conjungitur. Attamen præceptum longe præſtantiſſimum eſt, ut OMNES guſtent.* Explica hinc Matth. XXVI. 27. *bibite ex illo πάντες.*

[10] Panis integer, ex præſtanti frumenti ſpecie, magnus in benedictione cibi præfertur fruſto, aut qui ex viliori frumento coctus, vel non ita magnus eſt. Is, qui benedicentis perſonam ſumit, illi manus imponit & בוצע בפת במקום שנאפה היטב *panem ab ea ſcindit parte, quæ bene cocta eſt*, non tamen diſcindit, aut ſeparat, priuſquam εὐχαριστίαν abſolverit. Ex plu-

pluribus, quæ hunc in finem a prænominato magni nominis Jurisconſulto inter Hebræos congeſta ſunt, quædam Hiſtoriam N. Teſtamenti illuſtrantia excerpam, uti num. 167. pag. 30. 2. m. אם המסובים רבים גדול שבכלם בוצע ואם יש עמהם בעל הבית הוא בוצע ואפילו אם האורח גדול *Si plures accumbunt, tum maximus ex iis ſcindit: Si vero adeſt Paterſamilias, illi hoc munus confertur, licet adſit viator dignitate eminens* אין המסובים רשאין לטעום עד שיטעום הבוצע *nullus accumbentium ante illum, qui panem ſcidit, guſtat*. Excipe tamen, ſi alius inſuper panis appoſitus fuerit. Paulo inferius: הבוצע נותן פרוסה לפני כל אחד והאחד נוטל פרוסה בידו ואין הבוצע נותן ביד אוכל א"אכ אבל *Qui ſcindit, ille fruſtum coram unoquoque apponit: Alter vero ſua accipit manu: Neque enim ſcindens alterius manui tradit, niſi lugens fuerit*, Conf. Maimon. tr. ברכות c. VII. Chriſtus panem conſecravit, poſtea fregit, illum diſcipuli manu ſumſerunt comederuntque Matth. XXVI. 26. & alibi.

[11] Licet ipſi Judæi inter ſe non conveniant, neminem tamen, qui Auctoris verba probet, inveni. יש אומרים שברכת המזון טעונה כוס אפילו ביחיד וצריך לחזר עליו ולא יאכל אם אין לו כוס לברך עליו אם הוא מצפה ואפשר שיהיה לו אפילו אם צריך לעבור זמן אכילה אחת ולפי זה אם שנים אוכלים יחד צריך לקחת כל אחד כוסו לברכת המזון ויש אומרים שאינה טעונה כוס אלא בשלשה כוס ברכת המזון אינו אלא של יין ולא משאר משקים אפילו קבע סעודתו עליהם ואם אין יין מצוי באותו מקום והשכר או שאר משקין הוו חמר מדינה מברכין עליהם חוץ מן המים *Sunt qui dicunt, benedictionem cibi poſcere poculum* (vini ſcil. quo precibus potus conſecratur) *ſi quis vel ſolus* (menſæ aſſidet.) *Hic tenetur ſibi de eo circumſpicere. Nec prius comedere licitum niſi ei poculum ſit, cui benedicat. Quod ſi exſpectare debet, fieri tamen poteſt, ut poſtea accipiat* (*recte facit*) *quamvis debeat intermittere tempus unius cœnæ. Propterea ſi duo una comedunt, eorum unuſquiſque cyathum ad cibi benedictionem ſumere debet. Alii vero dicunt tum demum ejuſmodi cyathum requiri, quando tres una comedunt. Rurſum alii, ne tum quidem neceſſarium eſſe. Poculum benedictionis cibi ex vino tantum conſtare debet, non vero ex aliis liquoribus, licet quoad illos convivium determinatum ſit. Si vero in loco aliquo copia vini non datur, tum Siceræ aut alii potui, qui in regione receptus, benedicunt, non tamen aquæ* n. 182. pag. 33. 2. Alia quam panis benedictio Matth. XIV. 19. & XV. 36. non exſtat, alius enim potus non ſuppetere poterat, quam forſan aqua. Non item in convivio Paſchali.

12. Omnibus gentibus ἐπὶ τραπέζῃ διηγήματα cognita erant atque plurimum ab iis habebantur, utpote inter menſam abſque ſermonibus & præſepe nihil intereſſe vere putabant. Sed de his alii conſulendi, uti Stukius *in Antiq. Conviv.* Lydius in *Cœna dominica literatorum* pag. 442. *in faſcic. X. opuſc. Hiſt. Phil. Roterod.* Exemplis ſacris præter citata ab Auctore addo Luc. VII. præprimis Joh. XIII. XIV. Elegantiſſimum R. Schimeonis dictum exſtat in tr. פרקי אבות c. III. 3. שלשה שאכלו על שלחן אחד ולא אמרו עליו דברי תורה כאלו אכלו מזבחי מתים שנ' כי כל שלחנות מלאו קיא צואה בלי מקום אבל שלשה שאכלו על שלחן אחד ואמרו עליו דברי תורה כאלו אכלו משלחנו של מקום שנ' וידבר אלי זה השלחן אשר לפני ה" *Tres, qui uni aſſident menſæ atque comedunt nec tamen una verba legis tractant, iidem habentur ac ſi comediſſent de ſacrificiis mortuorum, uti dictum* Jeſ. XXVIII. 8. nam omnes menſæ vomitu plenæ ſunt, excrementum ut non ultra locus. *Sed ſi tres, qui una edunt, legem tractant, iidem ac ſi de menſa Dei participaſſent, prout dictum eſt*. Ezech. XLI. 22. Dixit ad me. Hæc eſt menſa, quæ in conſpectu Domini. Hinc explica 1. Cor. X. 21. Eſt enim τραπέζη δαιμονίων, in qua זבחי מתים Sacrificia quæ in honorem Idolorum omni vita deſtitutorum apponuntur. v. Pſalm. CVI. 28.

[13] Variat in circumſtantiis oratio hæc pro numero comedentium. Unus aliquis ita orat: ברוך אתה יי אלהינו מלך העולם הזן את העולם כלו בטובו בחן בחסד וברחמים הוא נותן לחם לכל בשר כי לעולם חסדו ובטובו הגדול תמיד לא חסר לנו ואל יחסר לנו מזון לעולם ועד בעבור שמו הגדול כי הוא זן ומפרנס לכל ומטיב לכל ומכין מזון לכל בריותיו אשר ברא ברוך אתה יי הזן את הכל *Benedictus es Domine Deus noſter Rex mundi, qui univerſum cibas mundum bonitate, favore, gratia atque miſericordia. Ille omni carni panem impertitur, quoniam gratia ejus in perpetuum & bonitate ejus magna nihil unquam nobis deficit aut deficiet cibus in omne ævum propter nomen ejus magnum. Ipſe enim cibat & ſuſtentat omnes, omnibus beneſacit, præparat omnibus creaturis ſuis, quas creavit, cibum. Benedictus ſis Domine Deus, qui omnes cibas*, Si vero tres, obtinet ea, quam Auctor appoſuit, oratio cum ſequentibus. Si autem decem vel plures, paululum immutatur נברך אלהינו שאכלנו משלו ובטובו חיינו ועונין ברוך אלהינו שאכלנו משלו ובטובו חיינו *Laudemus Deum noſtrum, qui nos ex propriis cibavit & cujus bonitate vivimus. Tum reliqui reſpondent. Benedictus Deus noſter qui ex propriis nos cibavit & cujus bonitate vivimus*. Hæc & ſequentia, quorum Epitomen Goodvvinus noſter dedit, habes in libello precum cibariarum. Vide tr. ברכות cap. VII. 3.

[14] Rectius hic calix non e communi aliqua Cœna, ſed ſpeciatim Paſchali exponitur. Ratio clara eſt. In Paſchali autem IV. pocula notatu digniora ſunt, de quibus tr. פסחים cap. X. 2. לא יפחתו לו מארבע כוסות של יין ואפילו מן התמחוי *Minimum IV. pocula, etiam ab iis qui ex Eleemoſynis victitant, ebibenda ſunt*. Horum primo conſecrabatur dies & feſti ſolennitas l. cit. §. 2. Conf. Maimon. tract. חמץ ומצה c. VIII. in. Secundum ſpectar ad הגדה expoſitionem myſticam de feſto l. Miſch. cit. §. 4 & Maim. in ſequentibus. Tertium bibendum Cœna ad finem perducta. Tum מזגו לו כוס שלישי מברך על מזונו *infundunt in vas tertium atque grates pro cibo dicuntur*, quod, ut Ligtfootus *Op. T. II. pag.* 380. *ad Matth. XXVI.* 27. annotat, hinc dicitur כוס הברכה *poculum benedictionis;* אכסא הברכהא כוס של ברכה ברכת המזון dialecto Talmudica: *poculum benedictionis eſt, cum benedicitur poſt cibum*. Mox quartum infundendum, de quo Miſchna tr. c. & §. cit. רביעי גומר עליו את ההלל ואומר עליו ברכת השיר *ſuper quartum ad finem* perducitur cantus הלל Hallel*: Dicitur inſuper benedictio Cantici:* An Chriſtus pariter hanc Judæorum conſuetudinem obſervaverit, pro indubitato aſſerere nollem. Quoniam tamen mos culpæ expers, & penes alios receptus atque ejus veſtigia in Hiſtoria Evangelica deprehenduntur, abſurdum neutiquam eſt ex illa elucidationem petere. Hinc Lucas c. XXII. 17. 20. non tantum poculi meminit, quo S. Cœna inſtituebatur, ſed & alius, quo initium Cœna factum. Prout hoc reſpondere videtur primo ex IV. memoratis, ita illud tertio: Nomen idem vide 1. Cor. X. 16. τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας quod eſt כוס הברכה Poculum exprimitur & intelligitur vinum in poculo contentum. Ita aliæ etiam phraſes, quæ in illo convivio dicebantur, in Hiſtoria Evangelica exſtant.

[15] Hymnus procul dubio pro diverſitate conviviorum variabat. Communiter Pſ. XXIII. ante cibum canere ſolent; hinc in libello precum cibariarum, qui Amſtelodami 1702. prodiit, quoque reperitur. At in convivio Paſchali aliter. Tum canebantur Pſ. CXIII. CXIV. CXV. CXVI. CXVII. CXVIII. Sed duabus diſtinctis vicibus. Prima duo priores: Dein quatuor poſteriores. Atque hi quidem, quando bibebatur poculum IV. *vid. annot. ſup.* Addo ex Orach. Chajim. n. 480. כוס רביעי מתחיל לא לנו וגומר עליו את ההלל *Ad poculum quartum incipit Pſ. CXV.* non nobis *atque perficit Hallel illud*. Præterea ברכת השיר *benedictio Cantici*, quam Interpretes non uno explicant modo. Sunt, qui intelligunt, *Anima omnis viventis &c.* Sed alii *laudabunt te omnia opera tua &c.* cum quibus facit Maimonides. Diſſentit Joſeph Karoh n. cit. ואינו אומר יהללוך אלא אומר אחר גמר ההלל הלל הגדול שהוא מהודו לה' על נהרות בבל *neque dicet* laudabunt te &c. *ſed ex quo prius illud Hallel abſolvit, adjiciet Hallel Magnum, quod incipit a* laudate Dominum *uſque* ad flumina Babelis Pſ. CXXXVII. Quia autem Pſ. CXVIII. & Pſ. CXXXVI. incipiunt a verbis *Laudate Dominum* varium *Hallel Magni* initium ſtatuitur. Verum licet Magni Viri ex Chriſtianis ſtatuant initium Pſ. CXVIII. attamen cum iis ego vix facere queo & pleraque Judæorum teſtimonia, quæ hunc in finem allegant, de Pſ. CXXXVI. accipienda. Talm. Hieroſ. ad Tract. תענית fin. c. III. איזה הלל הגדול הודו לאלהי האלהים כי לעולם חסדו הודו לאדוני האדונים וגו' *Quodnam eſt Hallel Magnum? Pſ. CXXXVI. qui incipit* laudate Dominum, quia

gratia

gratia ejus in perpetuum. Laudate Dominum Dominorum. Vide Dan. Lund. Suecum ad tract. תענית c. III. §. ult. Iidem cantus merito intelliguntur Matth. XXVI. 30.

[16] Accubitus licet Judæis non sit originarius, nihilominus longe ante cognitus, quam populus Romanus Palæstinæ imperitavit. Forsan ab Assyriis Ezech. XXIII. 41. Persis Esth. 1. 6. VII. 8. Judæi, æmuli peregrinorum morum, lecto incumbentes cibum sumserunt. Ævo autem Christi penes omnes receptus erat, ut mos, qui antea delicatulorum vitiosus habebatur, tum promiscue sine culpa observatus fuerit, uti ab ipso Christo factum. Imo hinc Metaphoricæ locutiones Matth. VIII. 11. & פרקי אבות c. IV. 16. התקן עצמך בפרזדור כדי שתכנס לטרקלין *Præpara te ipsum in vestibulo, ut intrare possis triclinium.* Glossa Bartenoriana כדי שתזכה לעולם הבא *ut consequaris seculum futurum*, quod ob veras in Deo delicias convivio accomparatur.

[17] Illi, qui nobis positum convivarum dederunt, alium & alium descripserunt. Ab Auctoris descriptione longe recedit antiquus ille lapis figuram accumbentium referens *ap. Petrum Ciacconium*, *Eruditissimum Ant. Bynæum in Hist. Christi crucif.* ubi pulvilli convivarum pectoribus suppositi cernuntur: Unde illis ad edendum liberæ manus. Saturati sinistræ demum innitebantur. An vero idem omnibus fuerit, affirmare non licet. Judæi, quamvis posteriori tempore sedentes cibum capere soleant, prout communiter fit, tamen pristini moris evidentissimum vestigium retinent in Cœna Paschali, de qua Maimon. Tr. חמץ ומצה cap. VII. אפילו עני שבישראל לא יאכל עד שיסב אשה אינה צריכה הסיבה ואם אשה חשובה היא צריכה הסיבה ובן אצל אביו והשמש בפני רבו צריכין הסיבה אבל תלמיד בפני רבו אינו מיסב אלא אם כן נתן לו רבו רשות והסיבת ימין אינה הסיבה *Nequidem pauper ex Israele prius, quam accubuerit, edere debet, sed fœminæ non necessario accumbere tenentur. Fœmina tamen honorata accumbit. Filius apud Patrem, servus apud Dominum suum, non tamen discipulus præsente Præceptore, nisi ab eo veniam acceperit, reclinandi licentiam habet. Qui inclinat manui dextræ, non inclinat.* Accubitum דרך חירות *libertatis signum* arbitrantur.

[18] Si formam Triclinii Patavini in ædibus Rhamnusianis eandem agnoscimus, qua Salvator noster usus est, tum Johannes ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ dextrum Christi latus clausit. Eandem probat comma 38. c. VII. ap. Lucam.

[19] Mensa perfecte circularis non fuit illa in Sanctuario Exod. XXV. 23. Sine dubio tamen formæ pretiosissimarum respondit. Argumentum, quod dein Auctor pro forma rotunda ex vocibus מסיבה, סבב etiam סביב profert, fateor mihi leve videri, quum quadrata æque ac rotunda cum iis construantur. Exemplum habes Lev. I. 11. *& spargent sanguinem ejus* על מזבח סביב *super altare circumquaque*. An ergo altare rotundum? vide Exod. XXVII. 1.

[20] Targum Jonathan locum Amosi ita accipit על שוין דמשכון *in lectulis pignoratis accumbunt juxta omnes aras suas*. Nec male. Nam בגד nomen generale, quod de lectulis commode accipi potest, vide 1. Reg. I. 1. De pellibus substratis Judith: XII. 15. ἔστρωσεν αὐτῇ κατέναντι Ὀλοφέρνου χαμαὶ τὰ κώδια ἃ ἔλαβε παρὰ Βαγώου εἰς τὴν καθημερινὴν δίαιταν αὐτῆς εἰς τὸ ἐσθίειν κατακλινομένην ἐπ' αὐτῶν serva *stravit ei* (Judithæ) *ante Olophernem humi pelles, quas acceperat a Bagoa ad quotidianum usum suum, ut manducaret accumbens super eas,*

[21] *Ex Reizio*: Cl. *Witsius Oecon. fœd. l. 4. c. 9.* §. 25. putat Deum jussisse Israelitas esse calceatos, non quod alias consueverint ἀνυπόδητοι *nudis pedibus* accumbere, sed quod ut plurimum calceis caruerint, aut saltem eorum usus in dura ista servitute quotidianus iis non fuerit, nunc autem asperum iter agressuris calceis opus fuerit. Hæc ὑπόδησις *calceatio* Israelitarum notavit; nos debere esse indutos ἑτοιμασίᾳ *promptitudine* ad intrepidam migrationem ex Ægypto mystica, & fortem perambulationem deserti ad cælestem patriam. *Eph. VI.* 15.

[22] Hinc primum פסח מצרים *Pascha Ægyptiacum*, sequentia פסח דורות *Pascha Seculorum* in scriptis Judæorum nuncupantur. Mischna tr. פסחים c. IX. 5. מה בין פסח מצרים לפסח דורות פסח מצרים מקחו מבעשור וטעון הזאה באגודת אזוב על המשקוף ועל

שתי המזוזות ונאכל בחיפזון בלילה אחד ופסח דורות כל שבעה *Quænam differentia est inter Pascha Ægyptiacum & Pascha Seculorum? Pascha Ægyptiacum emitur a decima die: requirit aspersionem mediante hyssopi fasciculo in superliminare, & duos postes & comeditur cum festinatione una nocte. At Pascha seculorum durat toto septiduo.* Hæc posteriora cum lege Mosis minus concordare apertum est, sed error non tam Mischnicis, quam descriptori attribuendus. Recentiores defectum sic supplendum censent מתנית' חסורי מחסרא והכי קתני ונאכל חפזון בלילה אחד והמוצו כל היום ופסח דורות המוצו נוהג כל שבעה *quæ in textu Mischnico desunt, ita restituenda:* (Pascha Ægyptiacum) *Una nocte in festinatione comedebatur: Abstinentia a fermento, quæ tum præcepta tota durabat die, sed Paschatis seculorum per totum septiduum.* Ex glossa Bartenoriana ad l. cit. Conf. Maim. Tract. קרבן פסח c. X.

[23] Primam hospitalitatis laudem meretur Abrahamus Gen. XVIII. Hic data opera viatores, ut illos exciperet, ad ostium expectabat, serio invitabat, neque quidquam, quod fessis gratum esse poterat, intermittebat. Abrahamum Lothus proxime excipit Gen. XIX. qui una in exemplum proponuntur Hebr. XIII. 2. Hos alii multo numero secuti sunt arbitrantes charitatem quam proximo debemus, optime testatam fieri si peregrinos ope aliorum indigos in ædes recipiant, sustentent, atque consilio & auxilio iter promoveant. Iis bene velle, qui nobis noti sunt, inter nos habitant, laus quidem est. At major longe liberalem erga illos te exhibere, quos ante a facie non nosti, a quibus boni nihil reportasti nec reportandi spem ullam habes. Quoad prius, οἱ τελῶναι τὸ αὐτὸ ποιοῦσι Matth. V. 46. Sed posterius paucissimis datum est, qui proxime ad τελειότητα Optimi Dei assurgunt. Quare non semel φιλοξενία Christianis commendata Hebr. XIII. 2. Tit. I. 8. 1. Pet. IV. 9. legitur, sed proh dolor nemini nisi cauponi, qui φιλόξενος, quoniam φιλάργυρος, accepta. Christiani habent, quod hac in parte a Judæis liberalibus discant. Hi enim peregrinis cibum, potum atque comitatum debent. De posteriori *in Exc. Gem.* סוטה c. IX. 4. אמר ר' יוחנן משום ר' מאיר כל שאינו מלוה כאלו שופך דמים *Dixit R. Jochanam nomine R. Meir: Is, qui non comitatur* (*abeuntem*) *idem ac si sanguinem effudisset, habetur*. Hinc illustrata Act. XX. 38. Tit. III. 13. Addo gnomam, quæ exstat Tract. פרקי אבות c. I. 5. יוסי בן יוחנן איש ירושלים אומר יהי ביתך פתוח לרוחה *Jose filius Jochanan vir Hierosolymitanus* (qui ex Hierosolyma oriundus quomodo Judas Iscariotes qs. איש קריות *vir ex Karioth*) *solitus est dicere: Esto domus tua aperta ad plateam.* Ubi glossa Bartenoriana כביתו של אברהם אבינו ע"ה שהיה פתוח לארבע רוחות העולם כדי שלא יצטרכו האורחים להקיף למצא הפתח *qualis erat Abrahami Patris nostri p. m. Aperta enim erat ad quatuor mundi plagas, quominus peregrini illam circumire & ostium quærere cogantur.*

[24] Omnino vera φιλοξενία requiritur ἄνευ γογγυσμῶν 1. Petr. III. 9. qualis haud est illorum, qui ejusmodi frigida hospitalitatis carmina hypocaustis inscribere solent. Aliud illo, quod Auctor ex Buxtorfio refert, multo pejus ita sonat:

ביום ראשון אורח
ביום שני טורח
ביום שלישי סרח
ביום רביעי הוא בורח
ביום חמשי עלה קרח
ביום ששי מר צרח

An dem ersten Tag ein Gast /
An dem zweyten eine Last /
Dem dritten ein übler Geruch /
Dem vierdten heist: Begiebe dich in die Flucht /
In dem fünfften; packe dich du kahler Hund /
An dem sechsten ruffte er mit bittern Mund.

Vid. Buxtorfii Lex Thalm. p. 214. Nollem tamen hæc & similia toti nationi attribuere. Quod enim unus alterve sordidus agit, inclementer admodum Gentilicium traducitur.

[25] Cœnæ tum sacræ veluti Paschalis, unde Cœna Domini ea solennitate instituta nomen retinuit Nachtmahle vel Abendmahle vid. 1. Cor. XI. 23.) tum communes veluti nuptiales Matth. XXV. 1. Conf. 1. Thess. V. 7. Idem mos penes alios receptus. Hinc οἰνόπτης a Polluce ita describitur. Οὗτοι λύχνους καὶ

θρυαλλίδας παρεῖχε καὶ τὴν ἐξ ἴσου πόσιν ἐφεώρα. *Hic lucernas & ellychnia procurabat, atque ut potus æqualis esset, attendit.*

[26] Addendum quartum poculum, cujus in Scriptura mentio: Poculum tribulationis, quod summus imperator bibendum porrigit Jer. xxv. 15. Matth. xx. 22. Luc. xxii. 42. Psal. xi. 6. LXXV. 9. cum clara allusione ad potantium ritum veterem, quo per convivii præsidem sua cuique vini portio, quam hauriret, statuebatur. Consule *Gatakerum in Op. Crit. edit. Ultraject.* p.443. &c.

CAPUT TERTIUM.

De Sabbatho.

Sabbathi varii significatus.

I. Vox שבת, a quo nostrum *SABBATH*, sonat *quietem*, tribuiturque quibusvis festis solennioribus. *Sabbatha mea profanarunt*, Ezech. XX. 21. h. e. festa mea. Subinde sumitur pro *tota septimana*. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, Luc. XVIII. 12. Sæpissime pro *die septimo*, quem Deus suo cultui consecravit. Hic dies sanctus erat vel sanctitate simplici, quatenus erat dies septimus, vel duplici sanctitate, quam aliud festum incidens in *Sabbathum* ei addidit, & tum vocabatur *Sabbathum magnum*, Joh. XIX. 31. [1] Nam in id *Sabbathum*, de quo loquitur Johannes, isto anno incidit festum *Paschatis*.

Nomina dierum communium.

II. Dies septimanæ dicebantur Hebræis חולים *profani*, Græcis ἐργάσιμοι, ἀνέορτοι, ἐνεργοί, *profesti*, in quibus *opera manuaria* fiunt. Quando autem eos dies *profanos* uno quasi nomine insigniebant, vocabant ipsos τὸ μεταξὺ σαββάτων, vel τὸ μεταξὺ σάββατον, *tempus inter duo Sabbatha*, vel *interjectum inter Sabbathum*. [2] Hoc fuit tempus, quo Gentes cupiverunt audire Paulum, Act. XIII. 42. *Scalig. de emend. Tem. l. 6. pag.* 261. Item *Beza in hunc loc.*

Similitudo diei se primæ & reliquarū.

III. Ratione variantis horum dierum sanctitatis non inepte *Sabbathum* confertur *Reginæ*, sive potius *primariis* uxoribus, alia festa *concubinis*, dies ἐνεργοὶ *ancillis*.

Initium. Et præparatio Sabbathi.

IV. *Sabbathum* incipit hora sexta [3] vespertina pridie, *Scalig. de emend. Temp. l. 6. p. 269.* Græci id nuncupat παρεισοδὸν σαββάτου, Hebræi ביאה השבת *introitum Sabbathi*. Præparatio *Sabbathi* erat hora tertia pomeridiana, quam Hebræi vocant ערב השבת *vesperam Sabbathi. Joseph. Antiq. 16. c.* 10. 4.

Hæc dicebatur Cœna pura.

V. Patres antiqui istam præparationem appellant *COENAM PURAM*. Modus loquendi tractus est a Gentibus, qui religione sua tenebantur in sacrificiis, quæ sacrabant diis deabusque suis, sollicita se sanctimonia præparare. Quo præparationis tempore fruebantur quadam cœna, quæ tum delectu ciborum, quos Gentiles aliis sanctiores censuerant, tum sacris ritibus & ceremoniis in ea usurpatorum, insignis fuit: sic ut ipsi se, durante hac præparatione, dicerent *esse in casto*, & suam præparationem, *cœnam puram*. In ritibus ergo Paganorum *cœna pura* appellatur cœna illis apponi solita, qui in *casto* erant, quod Græci dicunt ἁγνεύειν vel προαγνεύειν, *purificare*, *præpurificare*, *Casaub. Exerc. 16. p. 662.* Jam videmus rationem, cur Patres *Sabbathorum* vesperam vocarint *cœnam puram*.

Et παρασκευή, quæ distinguitur a προπαρασκευῇ.

VI. Evangelistis ea dicitur παρασκευή, *apparatus*, *Marc. XV.* 24. Differentiæ gratia possumus prius diei tempus vocare προπαρασκευήν, *priorem præparationem*; nam totus dies præparatorius fuit, uti elucebat ex illis peculiaribus rebus eo die vetitis. 1. Eo die nefas fuit longius peregre ire quam tres פרסות; una פרסה tantum terræ spatium describit, quantum, si decies multiplicetur, ordinario unius diei itinere confici potest. [5] 2. Eo die nefas fuit Judicibus considere, & vitæ aut mortis sententiam inire, uti docebatur *capite de transpositione Festorum*. 3. Cunctis opificibus illicitum fuit operari, exceptis solis *Sutoribus*, *Sartoribus* & *Legisperitis*, *Casaub. Exerc. 16. p.474. ex Michlol. Kimchi*; Prioribus duobus, quod resarciant indumenta, posterioribus, quod studio suo aliquid imbibant, ut id sequenti die explicandæ legis causa reddant; his dimidium præparationis tempus ad operandum concessum est.

Cui studebant maximi quique.

VII. Nemo præterea tam nobilis & dives sibi videtur, quamvis ei plurimi servi erant, qui præparationem *Sabbathi* suis manibus promovere dubitet; sic ut aliquando magistri ipsi olus minute concidere, domum verrere, ligna findere, ignem suscitare, &c. non erubuerint, *Buxtorf. Synag. c.* 10. *ex Talmude*.

Præparationis promulgatio.

VIII. Antiquis temporibus hanc *præparationem* significabant tinnitu tubæ vel cornu, [6] sed hodierni Judæi eam notificant per æditum, aut alium inferiorem Synagogæ ministrum, quem vocant שליח צבור *Accensum Synagogæ*.

Additamenta Sabbathi.

IX. Quantum ad sanctificationem *Sabbathi*, corruptis temporibus, multa Judæi de suo addiderunt præceptis Dei, *Buxtorf. Synagog. ibidem*, Aliis in rebus non timuerunt

runt sibi licentiam sumere, quam Deus ipsis non dabat. Ibi *superstitiosi*, hic *sacrilegi* sunt.

Uti iter sabbathicum.

X. I. Licentiam sibi rapuerunt. Bis mille cubiti disterminabant arcam & castra, quum proficiscerentur, Jos. III. 4. &, ut verisimile est, eadem mensura, cum quiescerent, observata fuit. Hoc terræ spatium quidam exponunt *milliare unum*, alii *duo*; alii illud minori, alii majori cubito metiuntur, quem dicunt *decempedam*; in hoc autem omnes conveniunt, quod hi bis mille cubitis confecerint [7] *iter sabbathicum*; licet nemo, ni fallar, observarit rationem, cur ita dictum sit, quam ego hanc esse censeo.

XI. Die *Sabbathi* omnes confluere oportebat ad locum publici cultus, qui divisus erat bis mille cubitis a proxime circumjacentibus oppidis & pagis. Inde sequuntur quatuor positiones. 1. Bis mille cubitos comparative posse vocari *iter Sabbathicum*. 2. Quod illis, qui procul divisi fuerunt ab arca, plures quam bis mille cubiti emetiendi fuerint. 3. Quod fas nunc sit, conferre se die *Sabbathi* ad loca publico cultui sacra, etsi longius distantia. 4. Quod illicitum fuerit Judæis exinde libertatem sibi spondere eundi quo luberet, etsi prætenderent bis mille cubitorum *sabbathicum iter* esse.

Sabbathulum.

XII. II. Addebant præceptis Dei. 1. Deus ait: *Memento septimi diei, ut sanctifices illum*. Quibus verbis Deus diem aliquem consecravit, ut esset *Sabbathum*, illi autem addiderunt *SABBATHULUM*, [8] ita vocarunt additamentum, quod annexuerunt *Sabbatho*, *Hospin. de Orig. Fest. cap.* 2. Hoc temporis additamentum duplex fuit: quidam *Sabbathum* prius ordiebantur quam alii; quod evenit Judæis Tiberiade commorantibus; ubi ipsos, quum in valle habitarent, Sol non tam cito adspexit, quam alios, quidam etiam *Sabbathum* plus produxerunt quam alii, quod factum ab iis, qui habitabant *Zephoram* urbem in montis supercilio eminentem, sic ut diutius Solis luce fruerentur, quam alia loca. Hi utrique addebant de profano ad sacrum, scil. de diebus profestis ἀμέσως præcedentibus aut consequentibus. Nemo minuebat *Sabbathum*; propterea *optabat R. Jose participare cum iis, qui Sabbathum inciperent cum Tiberiensibus, & finirent cum Zephorensibus*. *Buxtorf. comment. Masoret.* c. 4. ex *Musar*.

Abstinentia a coctione ciborum.

XIII. 2. Deus inquit: *Quies, Sabbathum sanctum Jehovæ cras est, quod cocturi estis, coquite, & quod elixaturi, elixate*, Exod. *XVI.* 23. Hoc mandatum pertinuit proprie ad tempus *Mannæ* [9] *Jun. & Tremell. in* Exod. XVI. Ratio, cur eam parare eo die ante crastinum deberent, ibidem redditur, quia non inventuri essent die *Sabbathi* in agro. Judæi hoc præceptum extenderunt ad omnia æva & propterea nullis parandis cibis eodem die operam dabant. [10] Hæc fortassis ratio est, cur Gentiles putarint ipsos die *Sabbathi* jejunare. [11] *Sueton. in August. c.* 76. *de Jejun. Sabb.* vide *Martial. l.* 4. *epigr.* 4. Non diffitebor, quod hæc opinio falsa orta esse possit ex illo loquendi modo: Νηστεύω δὶς σαββάτε, *jejuno bis Sabbatho*.

Et accensione ignis

XIV. 3. Deus ait: *Non accendetis ignem in omnibus sedibus vestris die Sabbathi*, *Exod.* XXXV. 3. Hoc præceptum solum ignem pro [12] operibus *Tabernaculi* tetigit, nam prius in hoc capite fit mentio *Sabbathi*, ad significandum, quod opera *Tabernaculi* cedere debeant *Sabbatho*. *Vatablus in hunc locum*. Item *Trem. & Junius*. Judæi ex hoc concludunt, hoc die illicitum esse, ullum ullibi ignem sufflare.

Abstinentia denique ab omnibus operibus.

XV. 4. Deus ait: *Non facies opus die Sabbathi*. Hoc sine ulla [13] exceptione acceperunt Judæi. Propterea illicitum putarunt; *Pomum igne torrere, olus deligere, arborem conscendere, pulicem elidere, vel venari*, *Hospin. de Orig. Fest. c. de Sabbatho*.

Olim arbitrabantur Sabbatho vim vi repellendam non esse.

XVI. Hinc quoque illicitum censuerunt, die *Sabbathi* vim vi repellere, quare facti sunt bis hostium præda. Primo ab Antiocho devicti sunt, ex quo Matthias decrevit, licitum esse die *Sabbathi* se opponere hostibus: *Joseph. lib.* 12. *c.* 8. Illud autem decretum stricte sumserunt, quasi tantum liceret tum se defendere, si oppugnarentur, non autem ullo opere, eo die, evertere arietes, cuniculos, si eos agerent hostes, &c. *Joseph. lib.* 14. *cap.* 8. Secundo facti sunt Pompejo præda.

Excipiuntur. 1. Opera charitatis.

XVI. Proinde ad verum hujus præcepti sensum sciendum est, quod tres operum servilium species licitæ fuerint. 1. *Opera charitatis*. Deus, qui ipsis concedit bovem & asinum die *Sabbathi* ducere aquatum, *Luc.* XIII. 15. ad plus reficiendam ipsorum vitam, multo magis libertatem indulget homini, pro se ipso & familia sua cibos parandi, ut eo magis idoneus sit ad sacra opera. Christus sanavit die *Sabbathi*; quare & tum & nunc [14] temporis licet visitare ægrotos, remediisque uti. 2. *Opera ceremonialia circa cultum divinum*, ut sunt, non tantum *mactare victimas*, [15] *circumcidere infantes* [16] sed & *personare buccinis & cornubus* ad conciendum populum, *Num.* X. 2. Licuit quoque populo exire ædibus suis ad publicum cultum. Æquali modo tuto Christiani pulsant campanas, ad convocandum populum ἐν ἡμέρᾳ κυριακῇ, *die Dominica*; tuto iter ingrediuntur, ut se associent publico cœtui, vel verbum proponant. Hæc opera, etsi na-

2. Ceremonialia.

tura sua sint corporalia, sanctum tamen templum naturam ipsorum mutavit, sanctificavitque, *Matth.* XXIII. 17. Aut, sicut Judæi ajunt de occupatione Jerichuntis, quam die *Sabbathi* captam produnt ipsorum Magistri: מי צוה על השבת צוה לחלל שבת *qui jubet sanctificari Sabbathum, jubet etiam profanari Sabbathum. Kimchi in Hos. VI.* Denique 3. *Opera absolutæ necessitatis*; ut *defensio sui adversus hostem*, & alia ejusdem naturæ, de quibus hoc proverbium Judæorum exstat: סכנת הנפש דוחה השבת *Periculum vitæ pellit Sabbathum* [17] Christiani, paulo mutato proverbio tritissimo, dicunt: *Necessitas non habet ferias*.

3. Et absolutæ necessitatis.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

Annot. [1] Johan. XIX. 31. vocatur *μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου*. Hac ratione ipsum Sabbathum magnum aliquo jure appellari potest. Licet non ob rationem, quam Ligtfootus Op. T. II. p. 675. profert, quia *erat dies, quo oblatus est manipulus primitialis*. Mallem tamen abstinere a speciali denominatione *Sabbathum Magnum*, quia illam locus cit. proprie non poscit: Dein quia apud Judæos Sabbatum est, quod *κατ' ἐξοχὴν* ita appellatur. Schulch. Jor. p. 33. c. 2. שבת שלפני פסח קורין שבת הגדול *Sabbathum, quod ante Pascha, Sabbathum Magnum appellari solet*.

[2] Notant quidem Viri Docti legendum *τὸ μεταξὺ σαββάτων*, sed num vetusti Codices iis faveant, nescio. Alioquin certum Judæos jam illo tempore diebus septimanæ communibus II. & V. ad lectionem legis convenisse *vid. Hierosol.* מגלה f. 75. 1. Quantum ex nexu colligi potest, subsequens Sabbathum intelligendum. Hinc v. 44. *τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ σχεδὸν πᾶσα ἡ πόλις συνήχθη*. Gentes enim prædicationem verbi ad hoc Sabbathum expetebant. Ita intellexerunt Veteres ex quibus nomino Syrum: *petierunt ab eis, ut* ܒܫܒܐ ܐܚܪܢܐ *Sabbatho altero loqueretur &c.* Vulgatum: *rogabant, ut sequenti Sabbatho loquerentur*. Unica restat difficultas circa significationem *μεταξὺ*, de qua audiendus Lud. Capellus ad h. l. *μεταξὺ* pro *μετόπισθεν* vel *μετέπειτα*. Hac significatione accipitur *μεταξὺ* a Josepho de B. J. l. VI. c. 6. (edit. Lips. p. 913. A.) *πρὸς δὲ τῷ πλεονεκτήματι τοῦ τόπου καὶ καρτερῶς ἐδεδόμητο Δαβίδου τε καὶ Σολομῶντος ἔτι δὲ τῶν μεταξὺ τούτων βασιλέων φιλοτιμηθέντων περὶ τὸ ἔργον*. *Sane nulli intercesserunt inter Davidem & Salomonem Reges, sed multi eos secuti sunt*; itaque planum est isthic *μεταξὺ* significare non *inter*, sed *postea*, ut *τῶν μεταξὺ τούτων βασιλέων* reddi debeat *aliorum, qui istos secuti sunt, Regum*, quomodo hic *εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον in sequente Sabbatho*.

[3] Sabbathum inchoat terminatve sol occidens Marc. I. 32. Hinc Luc. XXIII. 53. *σάββατον ἐπέφωσκε*. Illucere dici potest. A. ratione habita ad lucem stellarum, quæ sole occidente oriuntur Maim. tr. שבת c. V. 1. משתשקע החמה עד שיראו שלש כוכבים בינוניים הוא הזמן הנקרא בין השמשות בכל מקום *ex quo sol occidit donec tres mediocris magnitudinis stellæ conspiciuntur. Hoc tempus communiter dicitur inter duos soles*. Tum enim proprie Sabbathum, quando stellæ lucent. Hinc ליל *nox* sæpius אור *lux* dicitur. Exempla dabit Ligtfootus Op. T. II. p. 565. B. ratione etiam habita ad candelas, quæ tum in omnibus ædibus accendendæ sunt Joseph Karo in Ord. Orach. Chajim n. 263. אחד האנשים ואחד הנשים חייבים להיות בבתיהם נר דלוק בשבת אפילו אין לו מה יאכל שואל על הפתחים ולוקח שמן ומדליק את הנר שזה בכלל עונג שבת הוא *Viri fœminæque tenentur in domibus suis Sabbatho lucernas incendere, licet non, quod comedant, habeant. Ostiatim petant & emant oleum atque lucernas incendant, nam lucernæ ad delicias Sabbathi pertinent*.

[4] ערב השבת latius sumitur de sexto die, cujus parte posteriore opera facere Judæo non licet העושה מלאכה בערב שבת מן המנחה ולמעלה אינו רואה סימן ברכה *qui die παρασκευῆς a Mincha & postea opus facit, hic nullam videbit benedictionem*, nisi opera illa ab homine inchoata, postea sine ope humana perficiantur l. cit. n. 251. 252.

[5] Eadem exposita dat prænominatus Magister num. 249. אין הולכים בע"ש יותר מג' פרסאות כדי שיגיע לביתו בעוד היום גדול ויוכל להכין צרכי סעודה לשבת בין שהולך לבית אחרים בין שהולך לביתו *Die παρασκευῆς ultra tres Parasangas iter nullum faciunt, quo domum veniant, quando sufficiens tempus ea, quæ ad Cœnam Sabbathicam faciunt, parandi remanet. Nec refert, numquis ad propriam aut alienam tendat domum*.

[6] Rambam tractat. שבת cap. V. 18. 19. 20. כל מדינות ועיירות של ישראל תוקעין בהן שש תקיעות בערב שבת ובמקום גבוה היו תוקעין כדי להשמיע כל אנשי המדינה וכל אנשי המגרש שלה תקיע' ראשונה נמנעו העומדים בשדות מלחרוש ומלעדור ומלעשות מלאכה שבשדה ואין הקרובין רשאין ליכנס לעיר עד שיבאו רחוקים ויכנסו כולם בבת אחת ועדיין החניות פתוחות והתריסין מונחין התחיל לתקוע תקיעה שנייה נסתלקו התריסי וננעלו החניות ועדיין החמין והקדרות הי מונחין על גבי כירה התחיל לתקוע תקיעה שלישית סלק המסלק והטמין המטמין והדליקו את הנרות ושוהה כדי לצלו' דג קטן או כדי להדביק פת בתנור ותוקע ומריע ותוק' ושובת תקיע' ראשונה תוקע אות' במנח' והשלישית קרוב לשקיעת החמה וכן תוקעין במוצאי שבת אחר צאת הכוכבים להתיר העם למעשיהן *In omnibus provinciis atque urbibus Israelitarum vespera Sabbathi sexies clangebant: Clangebant autem loco excelso, ut sonum omnes ejus regionis & suburbii percipere possent. Quando primum clangebatur, tum illi, qui in agris reperiebantur, ab aratione, sarritione atque aliis agrestibus operibus prohibentur. Qui urbi propinquiores non licentiam illam intrandi habent, priusquam remotiores accesserunt, quando una omnes urbem intrant. Tum adhuc tabernæ apertæ & tabulæ mercatorum locis suis relinquebantur. Quando vero altera vice clangebatur, remotæ sunt tabulæ & clausæ tabernæ: Hactenus tamen cibi calidi & ollæ super foco relinquebantur. Clangore tertio edito (ollæ) removebantur & (favillis) obtegebantur cibi atque lucernæ incendebantur. Tum exspectat tantum, quantum requiritur ad minutum piscem assandum aut ut panis in furno coquatur & sonum æqualem, fractum, denuo æqualem edit cessatque. Primus clangor edebatur in Mincha tertia parte elapsa, quando sol jam occidebat. Ita quoque Sabbatho exeunte, stellis ortis, eum in finem clangebatur, ut quisque ad opera agenda licentiam acciperet*. Ab initio testimonii Doctissimus Magister dixerat hocce factum in loco edito, qui ex ingeniosa Cl. Rhenferdii conjectura in Templo erat מסך השבת *tectum Sabbathi* 2. Reg. XVI. 18.

[7] Illustrantur ex Maimonidis tr. cit. c. XXVII. 1. היוצא חוץ לתחום המדינה בשבת לוקה שנ' אל יצא ממקומו ביום השביעי מקום זה הוא תחום העיר ולא נתנה תור' שיעור לתחום זה אבל חכמים העתיקו שתחום זה הוא חוץ לשנים עשר מיל כנגד מחנה ישראל וכך אמר להן משה רבינו לא תצאו חוץ למחנה ומדברי סופרים שלא יצא אדם חוץ לעיר אלא עד אלפים אמה אבל חוץ לאלפים אמה אסור שאלפים אמה הוא מגרש העיר *Is, qui Sabbatho extra regionis terminum egreditur, vapulat, uti scriptum est* Exod. XVI. 29. ne exeat ullus e loco suo die septimo. *Locus hic limes urbis est, cujus spatium Lex non definivit. At sapientes ajunt terminum hunc extra XII. milliaria esse, quæ respondent spatio castrorum Israelis. Ita quoque Moses dixit*: Ne castris exeatis. *At ex verbis Scribarum nemo hominum extra urbem ultra 2000. cubitos prodire debet: Extra definitum spatium prohibitum est. Nam 2000. cubiti suburbium constituunt*. Hinc explica Act. I. 21.

[8] Magistris שבות dicitur. Ejus hæc ratio est, ut de diebus profanis, sexto & primo ipsi Sabbatho aliquid adjiciatur, ne Sabbathum lege divina statutum violetur. Joseph Karo *Ord. Or. Ch.* num. 261.

שי

יש אומרים שצריך להוסיף מחול על הקדש וזמן תוספת זה הוא מתחלת השקיעה שאין השמש נראית על הארץ עד זמן בין השמשות והזמן הזה שהוא ג׳ מילין ורביע רצה לעשת כולו תוספת עושה רצה לעשות ממנו מקצת עושה ובלבד שיוסיף איזה זמן שיהיה ודאי יום מחול על הקדש ושיעור זמן בין השמשות הוא תלת רביעי מיל שהם מהלך אלף ות״ק אמות קודם הלילה׃ *Quidam dicunt de profano neceſſario addendum eſſe tempori ſancto : Hoc autem additamentum a quibuſdam tantum habetur, quantum ab initio occaſus ſolis, quando ſol ſuper terram non ultra, conſpicitur, elabitur uſque ad tempus, quod ſolemus inter duos ſoles vocare. Continet autem tria milliaria & quartam inſuper partem. Qui totum hoc memoratum ſpatium pro additamento habere vult, habeat : Qui vero partem nonniſi, licitum ei quoque. Hoc tamen accurate tenendum, ut aliquod tempus, qualecunque illud ſit, de communi ſancto adjiciatur. Spatium temporis inter duos ſoles tres milliarii partes comprehendit, ſive ſpatium 1500. cubitorum ante noctem.*

[9] Præceptum Exod. XVI. 23. ita ad tempus Mannæ pertinet, ut ſubſecuturum minime excludat. Quia enim cibus Iſraelitarum in deſerto vagantium ordinarius Manna erat, ejus ſolum in antecedentibus mentio facta eſt. Nullum dein in ſacris veſtigium legis poſt ingreſſum in Canaan ſublatæ. Præterea ratio, quæ additur l. cit. vult, ut de omni cibo mentem Legislatoris intelligamus. *Quies, quies ſancta erit Jehovæ die craſtina, quod cocturi eſtis, coquite* &c. Nam omnis opera, quæ cibo parando impenditur, quietem turbat. Quo cibus paratu difficilior, eo magis quieti adverſatur. Taceo, de quo inferius dicendum erit, ignem in Sabbatho accendendum non eſſe.

[10] Lex hæc hodienum durat. Quia tamen Sabbatho delicate vivendum, die ſexta occupati ſunt in cibis parandis. Illos quos calidos comedere volunt, in fornacem reponunt vide Orach Chajim nu. 253. & 250. quo poſteriori numero ישכים בבקר ביום ששי להכין צרכי שבת *Multo mane die hebdomadæ ſexto ad ea, quæ in Sabbathum neceſſaria, paranda ſurgat.*

[11] Non ſemel Latini ſcriptores de jejuniis Judæorum, quæ diebus Sabbathi celebrant, loquuntur. Præter memoratos Perſius Sat. v.

Labra moves tacitus recutitaque Sabbatha
palles,

ad quæ Joh. Bond. *Judæi toto die Sabbathi uſque ad veſperam jejunabant, ex quo facti ſunt pallidi.* Hæc vero cum legibus atque praxi Judæorum adverſa fronte pugnant. Sæpius quidem Verpi jejunant, ſed ſabbatho illicitum cenſent, niſi in rariſſimis caſibus. Hinc Benjamin Tudelenſis de Rechabitis pag. 82. מתענים כל ימי חייהם חוץ מן השבתות וימים טובים *affligunt ſe omnibus vitæ diebus, ſi exceperis ſabbatha atque feſtos dies.* Ex adverſo ſabbathi eſſentiam in delitiis atque eleganti veſtitu ponunt. Optima quæque ex ſabbatho in voluptate conſumto ſperanda putant. In Orach Chajim n. 250. ירבה בבשר ויין ומגדנות כמו יכלתו *Prout quis opibus valet, carnem, vinum aliaque pretioſa ſibi comparare debet.* Plura dabit Buxtorfius *in Synag. Jud.* c. xv. p. 312. 322. edit. Baſil. 1680.

[12] Vis hac ratione infertur textui, qui ſimpliciter ait: *non accendetis ignem in omnibus habitationibus veſtris.* Poſtea quidem divinus ſcriptor meminit operum pro Tabernaculo, ita tamen, ut preceptum illud ab iis evidenter diſtinguat, annectatque ceu ἐξήγησιν obſervationi ſabbathicæ. Scilicet dantur dies feſti, quibus opera ſervilia pariter prohibita erant, ſed conceſſa tamen præparatio ciborum : Ne autem ad hunc modum jura ſabbathi intelligantur, addit Moſes *nolite accendere* &c. Aben Eſra לא תבערו אש לאפות לחם ולבשל בשר כי אש צורך לכל מאכל *ne accendatis ignem ad coquendum panem aut carnem : Ignis enim ad omnem cibum parandum neceſſarius.*

[13] Nimis Judæis faveret is, qui diceret obſervationes eorum ſabbathicas procedere ex tenore Legis divinæ, ea ſolum ab iis illicita cenſeri, quæ in lege proſcribuntur. Id tamen quoque dici nequit Judæos ſine ulla exceptione verba, *Non facies ullum opus*, accepiſſe. Concedunt v. gr. ut beſtiæ ad aquam ducantur : Sic enim in tr. שבת c. v. 3. poſtquam plura hac de materia prius dixerant Auctores Miſchnici, ſubjungunt מכנים חבלים לתוך ידו וימשוך *ſines manu tenent atque ducunt* (beſtias.) Ubi tamen annotat R. Obad. de Bartenora והוא שלא יהיו ראשי החבלים תלויין ויוצאין מתחת ידו לארץ טפח או יותר כדי שלא יראה כמו שנושא חבלים תלויין בידו *Hac conditione, ne extremitates funium dependeant atque vel palmi ſpatio aut ultra manum prodeant: Ne alias habeatur, ut is, qui funes dependentes manu ſua geſtat.* Hinc. Luc. XIII. 15. Concedunt & alia. Cæterum docent omnes hominis actiones diſtingui poſſe in אבות *patres* & תולדות *filios* h. e. opera generalia & ſpecialia, quæ ſub illis comprehenduntur. Hæc vero licet non expreſſa, æque eſſe prohibita ac illa ajunt. Tr. שבת c. VII. 2. אבות מלאכות ארבעים חסר אחת הזורע והחורש והקוצר והמעמר הדש והזורה הבורר הטוחן והמרקד והלש והאופה הגוזז את הצמר המלבנו והמנפצו והצובעו והטווה והמיסך והעושה שתי בתי נירין והאורג שני חוטין והפוצע שני חוטין הקושר והמתיר והתופר שתי תפירות הקורע על מנת לתפור ב׳ תפירות הצד צבי השוחטו והמפשיטו המולחו והמעבד את עורו והמוחקו והמחתכו הכותב שתי אותיות והמוחק על מנת לכתוב שתי אותיות הבונה והסותר המכבה והמבעיר המכה בפטיש המוציא מרשות לרשות הרי אלו אבות מלאכות ארבעים חסר אחת Ex interpretatione Sebaſt. Schmidii. *Patres operum (ſive principalia opera) ſunt quadraginta uno minus* (1) *Serens* (2) *Arans.* (3) *Metens.* (4) *Manipulans.* (*ſive colligens in manipulum*) (5) *Triturans.* (6) *Ventilans.* (7) *Purificans.* (8) *Molens.* (9) *Cribrans.* (10) *Pinſens.* (11) *Coquens.* (12) *Tondens lanam.* (13) *Dealbans eam* (14) *& excutiens eam* (15) *& tingens eam* (16) *nens* (17) *& ſtamen ſubtegens* (18) *& inducens duo fila in ſpatium filorum* (19) *& texens fila duo* (20) *& rumpens fila duo* (21) *Ligans* (22) *& ſolvens* (23) *& ſuens duas ſuturas* (24) *diſſecans eo fine, ut conſuat* (25) *Venans capream* (26) *Mactans eam* (27) *& decorians eam* (28) *Saliens eam* (29) *& parans pellem ejus* (30) *& radens eam* (31) *& diſcindens eam* (32) *ſcribens duas literas* (33) *& delens ut ſcribat duas literas* (34) *Ædificans* (35) *& deſtruens* (36) *Extinguens* (37) *& accendens* (38) *Percutiens malleo* (39) *Educens rem e poteſtate in poteſtatem* (i. e. e loco privato in locum publicum & contra) *Hi ſunt patres operum quadraginta uno minus.* Hæc opera generalia alias ſpecies ſub ſe continent ut ex gr. metere comprehendit decerpere fruges. Gloſſa Bartenoriana המלקט באילנות חייב משום קוצר *qui fruges decerpit, tenetur nomine demetentis.* Hinc explica Matth. XII. 1. 2.

[14] Judæi abſolute non negant die Sabbathi remediis utendum eſſe, ſed tum quando morbus inveteratus eſt neque ex dilatione medicinæ periculum timendum, quales ægroti erant, quos Salvator diebus Sabbathicis ſanavit. Cæterum audi Joſephum Karo Ord. Orach Chajim n. 328. מי שיש לו חולי של סכנה מצוה לחלל עליו את השבת *qui morbo periclitatur, ejus gratia. Sabbathum recte profanatur.* Paulo infra כל חולי שהרופאים אומרים שהוא סכנה אף על פי שהוא על הבשר מבחוץ מחללין עליו את השבת ואם רופא אחד אומר צריך ורופא אחר אומר אינו צריך מחללין *Propter morbum, quem medici periculoſum habent, Sabbathum profanare licet, licet laboret ægrotus carnis aliqua exteriore parte. Si unus medicus affirmat morbum periculoſum eſſe; alter vero negat, Sabbathum tamen profanatur*, uti venam ſecando, hypocauſtum calefaciendo; ut idem Auctor habet. Huic ægrotorum claſſi annumerant puerperam, de qua præter alia עושין מדורה ליולדת כל שלשים יום אפילו בתקופת תמוז *Ignem in gratiam puerperæ accendunt totis XXX. diebus vel ipſo Junii ſolſtitio* conf. Maimon. tr. שבת c. II.

[15] Recte ajunt Magiſtri אין שבות במקדש *Non eſt Sabbathiſmus in Sanctuario.* Neque enim opus ſervile eſt labor, qui cultui divino impenditur. Quare olim non tantum jugia ſacrificia, ſed & addititia die ſeptimo adducebant, mactabant &c. Num. XXVIII. 9. 10. Die expiationis, qua quies altiſſimi requiritur, plurimæ offerendæ erant victimæ Levit. XVI. Illuſtra hinc Matth. XII. 5.

[16] In quemcunque enim ſeptimanæ diem tempus circumciſioni deſtinatum incidit, circumciſio ἀκριβῶς adminiſtranda Gen. XVII. 12. quod traditionarii neutiquam abnuunt, ſed exemplis & legibus idem docent. In Orach Chajim. n. 330. עושין כל צרכי מילה בשבת מוהלין ופורעין ומוצצין ונותנין עליה כמון (In Codice de Schabb. cap. 19. 2. ita

ita legitur; ונותנין עליה איספלנית וכמוך; i. e. *& ponunt ſuper eam emplaſtrum, & cyminum*) *Cuncta*, (lege כמוז) *quæ ad circumciſionem neceſſaria ſunt, ſabbatho agunt, circumcidunt, denudant, exugunt, cingunt*. Excipit tamen inferius מילה שלא בזמנה אינה דוחה שבת אנדרוגינוס ונולד בין השמשות ונולד כשהוא מהול ויוצא דופן ונכרית שילדה ואחר כך נתגיירת ומי שיש לו שתי ערלות אין מילתן דוחה שבת *Circumciſio, quæ non deſtinato tempore facta, Sabbathum non pellit. Neque etiam Androgyni aut ejus, qui tempore, quod inter duos Soles vocari ſolet, natus, vel qui jam circumciſus in lucem editus eſt, aut qui latere prodiit, vel Proſelytiſſa, quæ peperit & poſtea fidem Judaicam profeſſa eſt item, qui duo præputia habet, omnium horum circumciſio ſabbathum non pellit*, hoc eſt Sabbatho agenda non eſt.

[17] Maimon. tract. שבת c. II. 16. שפקחין פיקוח נפש בשבת ואין צריך ליטול רשות מבית דין והמקדים להציל הנפש הרי זה משובח כיצד ראה תינוק שנפל לים פורש מצודה ומעלהו אף על פי שהוא צד הדגים עמו שמע שטבע תינוק בים ופרש מצודה להעלותו והעלה דגים בלבד פטור מכולם נתכוין להעלות דגים והעלה דגים ותינוק פטור אפילו לא שמע שטבע הואיל והעלה תינוק עם הדגים פטור *Die Sabbathi periculo vitæ liberant animam, neque a conſeſſu Judiciali poteſtas ideo petenda eſt. Is, qui ante convertit ad liberandum, maximam laudem meretur. Quomodo? ſi quis infantem, qui in mare prolapſus, vidit, ille expandit rete atque illum educit: Licet ſimul piſces extrahat. Si quis audivit infantem in mare immerſum fuiſſe, expandat rete ad extrahendum, extrahatque piſces, ille prorſus liber eſt. Qui intendit piſces extrahere, extraxit ſimul infantem, liber, licet non audiverit illum immerſum fuiſſe, quandoquidem una infantem eduxit, liber tamen eſt.*

CAPUT QUARTUM.

De Paſchate & Feſto Azymorum.

Vocis Πάχα origo.

I. QUIDAM Patrum vocem Πάχα, *PASCHA* derivarunt a Græco Πάχω, *Patior*, quod *Paſſionis* Chriſti memoria circa id tempus celebretur. *Tertull. adv. Jud. c.* 10. Item *Ambroſ. lib. de myſt. Paſch. cap.* 1. quam opinionem recte infringit *Auguſtinus in titul. Pſal. LXVIII.* Nam vox ea origine Hebraica eſt, ſignificans *tranſire, tranſilire*. Dei ipſius expoſitio hæc eſt: *Victima Paſchatis eſt Jehovæ*, אשר פסח *qui tranſit domos filiorum Iſraelis, Exod. XII.* 27.

Significatus. 1.

II. Vox hæc פסח *Paſcha* trifariam ſumitur in ſacris Literis, *Primo* pro annuo illo Feſto, quod celebrabatur decimo quarto menſis *Niſan*, alias *Abib*. Ex Theologis quidem non pauci omnia, quæ ad decimam quartam noctem pertinent, decimæ quintæ attribuunt; quem errorem hauſerunt ex turbidis Rabbinorum lacunis, qui hodie eundem *errorem* errant, teſte *Scaliger. de emend. temp. l. 6. p.* 270. Potes id vocare *PASCHA AGNI*, quum eo die circa veſperam Iſraelitæ debuerint ratione familiarum ſuarum agnum aſſare, & in privatis ædibus comedere. *Secundo* pro illa ſolennitate temporis, quæ erat decimo quinto menſis *Niſan*, poteritque vocari *PASCHA OVIUM* & *BOUM*. *Deuter. XVI.* 2. [1] Alias poteſt quoque dici *Feſtum Paſchatis*, quemadmodum decimus quartus menſis *Niſan* ſimpliciter *Paſcha*. *Menſe primo, decimo quarto ejus menſis eſt Paſcha Jehovæ; Et decimo quinto ejus menſis feſtum. Numer.* XXVIII. 16. 17. Ad hoc feſtum Joſia magnam ovium, agnorum, hœdorum, boumque copiam populo dedit. *Tertio* ſumitur pro *toto feſto*, quod incipit decimo quarto menſis *Niſan*, finiturque vigeſimo primo ejuſdem menſis. Prope erat ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ἡ λεγομένη Πάχα, *FESTUM AZYMORUM, quod vocatur Paſcha, Luc. XXII.* 1. Sic ut hoc ſignificatu quoque includatur *Feſtum Azymorum*, licet proprie loquendo *Feſtum Azymorum* diſtinctum a *Feſto Paſchatis* fuerit.

Paſchatis tempus.

III. 1. *Paſcha* celebrandum erat circa veſperam decimi quarti diei menſis primi; hoc fuit ſecundum ipſorum *Sacramentum*, [2] in quo licet cum agno panes azymi comederentur, feſtum tamen ipſum *Azymorum* demum poſtridie, ſcil. decimo quinto menſis ejuſdem cœpit, agitatumque eſt per ſeptem dies, quorum tantum primo & ſeptimo convocatio ſancta & quies ab omnibus operibus ſervilibus fuit. *Levit. XXIII.* 5. 8.

Diſtinctum eſt feſtum Azymorum.

Porro probatur.

IV. Et 2. *Paſcha*, ætate primam ejus inſtitutionem ſequenti, nec mactari, nec comedi debebat alio in loco, quam eo ſolo, quem ſuo nomini elegit Jehova, h. e. Hieroſolymæ. [3] Sed *Feſtum Azymorum* cenſuerunt Hebræi celebrari poſſe quibuſvis in locis ſuarum habitationum, ſi nequirent eſſe Hieroſolymæ; propterea dicunt: לא חלה אכילת זו בקרבן הפסח אלא זו מצוה בפני עצמה *Non pendet comeſtio illius ex Paſchatis oblatione, ſed eſt peculiare præceptum ſuapte natura, Maim. de fermento & azymo c. 6. ſect.* 1.

Ritus comeſtionis agni Paſchalis, vel communes,

V. *Ritus* & *ceremoniæ* uſurpatæ a Judæis in comeſtione *Paſchalis* agni correſpondent cum *ceremoniis* generalibus, quibus ſolennioribus in feſtis utebantur. Benedicunt calicem, & benedicunt panem, diſtribuuntque convivis ac lavant pedes accumbentium, uti diximus *cap. de Conviviis*.

VI.

VI. Res singulares, quibus differt ab aliis festis, produntur in quæstionibus, quæ a filiorum quodam, catechizationis modo, proponuntur tempore *Paschatis* comedendi: sive potius in responsionibus ejus, qui benedictionem super mensa dicit, quas regerit roganti puero [4] Quæstio erat. Quid *notat hic cultus?* modus responsionis ita habuit: *Quomodo differt hæc nox a cunctis aliis? Scalig. de emend. Temp. l. 5. pag. 270. Nam aliis noctibus semel lavamus, hac nocte bis*: (sic Christus finita cœna lavit suorum discipulorum pedes) *aliis noctibus aut vescimur fermentato aut azymo pane, hac solo azymo: aliis noctibus vescimur varia herbarum specie, hac solis amaris: aliis noctibus vescimur & bibimus vel sedentes, vel accumbentes, hac tantum accumbentes & in longum extensi*. Tum pergit explicare, quod *Pascha* sit propterea, quia Deus *præterierit domos patrum suorum in Ægypto*. Deinde sustulit herbas amaras manu, aitque: *His amaris herbis vescimur, quia Ægyptii patribus nostris in Ægypto* vitam reddiderunt amaram. Tertio, manu allevat panem azymum, additque: *Hic panis azymus, quo vescimur, notat, quod massa patrum nostrorum angustia temporis non potuerit fermentari, cum Dominus ipsis appareret, & ab hostibus liberaret*. Hanc catechizandi rationem ajunt præceptam, *Exod. XII. 26.* vocantque eam הגדה של פסח *annuntiationem* seu *enarrationem Paschatis*. Hinc suum loquendi modum mutuatur Apostolus: *Quoties editis hunc panem & bibitis hoc poculum*, τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε. 1. *Cor. XI. 26.*

Vel speciales.

VII. Quantum ad hunc *agnum*, tale de eo præceptum habebant: *Decimo die mensis Abib quisque sibi accipiet agnum, pro domo paterna, integrum, masculum, anniculum; eritque apud vos in custodia, usque ad diem decimum quartum ejus mensis, Exod.* XII. 3.

Lex divina de agno Paschali.

VIII. *Paschalis* pecus, vel *agnus*, vel *hœdus*, pro quavis domo sumebatur. Totum Israelitarum corpus divisum erat in duodecim tribus, tribus in familias, familiæ in domus. Si quæ domus non sufficiebat absumendo agno, tum proximus vicinus se adjunxit, ut [5] comederet. Tota communitas vocabatur φρατρία. Ejusdem sensus sunt apud *Marcum cap. VI. 40. 41.* συμπόσια & πρασιαί. Hæ voces omnes notant *communitatem sodalitatemque convivarum, quot eidem mensæ accumbere possunt*. Ultimum vocabulum proprie significat *toros* & *areolas hortorum*; & sic videtur in Evangelio tota multitudo considens in gramine viridi comparari horto, & singulæ sodalitates totidem areolis horti. [6] Numerus accumbentium in *communitate Paschali* infra decem non descendit, nec supra viginti adscendit. [7] *Joseph. de Bell. Jud. lib. 7. cap. 17.*

Comedendus a pluribus una.

IX. Commendatur in lege *masculus*, ad significandum vividum robur & vires Salvatoris nostri, cujus typus fuit.

X. *Anniculus*, Hebr. בן שנה *filius anni*. Sunt qui distinguunt inter *filium anni* & *filium anni sui*: *Filium anni* interpretantur, qui *annum unum* agit, nec minor, nec major est; *Filium* vero *anni sui*, qui est in *anno primo*, licet eum nondum absolverit. [8] Sed *Aben Esra* negat absque *Kabbala* posse sciri, quis sit *filius anni sui*, nam fieri potest, inquit, ut sit ו addititium, sive paragogicum, quale frequens est. *Anniculus*; illud exponunt sic, quod agnus, qui octo & plures dies habet, idoneus ad *Pascha* fuerit, non tamen si pauciores, quia dicatur *Levit. XXII. 27. bos, aut agnus, aut capra, quum nata fuerit, fueritque dies septem sub matre sua, deinde a die octavo & ultra accepta erit in oblationem igne absumendam Jehovæ*. Rationem hujus præcepti Hebræorum quidam esse putarunt, quod nihil in mundo absolute perfectum sit, usquedum Sabbathum transierit. Vid. *Munster. ad Lev. XXII.* Insuper, si hora una ille agnus superarat annum, reprobatus fuit, quia dicitur: *Masculus, anniculus*.

Requirebantur masculus, Anniculus.

XI. תמים *Perfectus, integer* [9] debebat esse, tam ad commonendos Israelitas de propria integritate & sinceritate, quam ad denotandum absolutam illius perfectionem, qui revera fuit ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, *agnus Dei*.

Perfectus.

XII. *Asservatusque fuit usque ad decimum quartum ejusdem mensis*. Rabbini hujus custodiæ quatuor rationes dant. *Hospin. de Orig. Fest. cap. 5.* Quod 1. alias potuissent negligere agnum *Paschalem*, ob præcipitem emigrationem & molem negotiorum tempore discessus. 2. Ut intra quatuor istorum dierum spatium eo melius explorare possent & cognoscere perfectionem agni. [10] 3. Ut, cum per tantum tempus suis oculis lustrarent agnum, eo meliorem occasionem & incitamentum haberent, tum descendendi in considerationem misericordiæ Dei eripientis eos ergastulo Ægypti, tum catechizandi instituendique suos filios ea in parte; ob quam rationem receptus mos Judæis fuit, ut agnum per hos quatuor dies lectorum fulcris alligarent. 4. Ut hoc præparationis tempore se possent expedire & parare ad mactandum eum.

Segregatus die decima a reliqua grege.

XIII. Tempus, quo agnus mactari debuit, erat *vespera*, *Exod. XII. 6.* Sive, ut in Textu Originali legitur, בין הערבים [11] *Inter duas vesperas*. Theologi hic movent quæstionem, quænam pars diei per hanc locutionem intelligatur? Quidam distinguunt duas vespe-

Tempus mactationis.

Phrasis inter duas vesperas varie explicatur.

vesperas ita: Quod fuerit *vespera Solis*, scil. cum moles solaris occidit, *& vespera luminis*, cum etiam radii Solares & splendor terram defervere; Tempus, sive τὸ μεταξὺ *interim*, inter has duas vesperas censetur esse una hora & tertia pars horæ, quo interstitio ajunt jugulatum *Pascha*. *Aben Esra*, *Exod. XII.* Alii dant laxius temporis intervallum, sicque distinguunt: Quod sit *vespera declinationis* & *vespera occasus*. Putantque *Pascha* mactatum esse tempore eo, quod intercurrit meridiem & noctem. *R. David. in Radic.* Hoc etiam colligi potest *ex Pircke Aboth. c.* 5.

Probatur, intelligendum esse tempus, quod intercurrit inter meridiem & noctem.

XIV. Hæc postrema responsio videtur magis consentanea veritati. 1. Quia per eam locutionem debemus intelligere tempus longiusculum, quo non tantum *Pascha* mactandum, sed etiam sacrificium juge offerendum fuit. Num. XXVIII. 4. Hoc ergo potuit offerri prima pomeridiani temporis parte. Modum oblationis hoc tempore describit, *Talmud. tract. de Paschate cap.* 5. *in initio*, qui juxta nostrarum horarum numerum ita habet: Sacrificium juge vespertinum plerumque mactabatur inter secundam & tertiam, offerebatur autem inter tertiam & quartam; Vespera *Paschatis* mactabatur inter primam & secundam, offerebaturque semitertia. Quod si vespera *Paschatis* incideret in vesperam *Sabbathi*, juge sacrificium vespertinum mactabatur inter duodecimam & primam, & offerebatur media ad secundam & postea *Pascha*. [12] 2. Hoc convenit cum immolatione veri *Paschalis* agni, nam sicut tempus crucifixionis cœpit hora tertia diei cum sacrificio jugi matutino, *Marc. XV.* 25. ita id finitum est hora nona V. 34. cum soleret offerri sacrificium juge vespertinum, & in vesperis *Paschatis*, ipsum *Pascha*.

Una comedebantur herbæ amaræ.

XV. Præterea agnus debebat comedi *cum herbis amaris*. [13] Ratio hujus præcepti est, ut eo admoderentur, agere Deo gratias pro liberatione ex servitute Ægyptiaca, quæ ipsorum vitam amaram reddidit. *Exod. I.* 14.

Quæ intingebantur in pulmentum.

XVI. Has *amaras herbas* intingebant in *pulmentum* crassiusculum sinapi instar, quod vocabant חרוסת, [14] dicuntque hoc *pulmentum* esse signum *luti*, in quo laborarunt patres in Ægypto. *Moses Kotsens. fol.* 118. Hoc pulmentum putant quidam esse, in quo Christus ἔμβαψε τὸ ψωμίον, *intinxit offulam*, quam Judæ dedit. *Scalig. de emend. temp. l.* 6. *p.* 272. De hoc crassiusculo jure ita scribunt Hebræi: *Maim. de ferm. cap.* 8. *sect.* 7. *Solebant panem Azymum intingere in pulmento* Charoseth, *& tum vesci; deinde immittebant herbas amaras in* Charoseth, *vescebanturque iis.* Conficiebatur e foliis palmarum vel ficubus aridis & passis uvis, quæ contundebant, affusoque aceto instar luti commiscebant, mensæque apponebant *Paschali* nocte. *Maim.* in חמץ ומצה *cap.* 7. *sect.* 11.

Hujus descriptio.

Festum Azymorum.

XVII. Septem dies sequentes decimum quartum *Nisan*, proprie loquendo, peculiare festum constituebant, uti superius dictum, nempe *festum azymorum*, quod hoc tempore non debebat panis fermentum [15] in ipsorum ædibus reperiri. Hujus moris vestigia quædam sunt observata in Romanorum Flamine Diali, *A. Gell. noct. Attic. l.* 10. *cap.* 15.

Modus præparationis ad hoc festū.

XVIII. Gradus præparationis ad festum quatuor erant, *Buxtorf. Synag. c.* 12. 1. *Expurgatio fermenti*, quando omnem suam suppellectilem & vasa, quibus fermentum adhærere possit, emundant; & hoc agunt duobus vel tribus diebus ante *Pascha* 2. *Inquisitio fermenti*, quando fermentatum panem inquirunt per omnes domus angulos & murium scrobeculas: [16] hæc inquisitio fit accensa cerea [17] & teste *Buxtorfio* nocte ante *Pascha*. Scaliger id refert aliis verbis, nempe quod hæc inquisitio instituta fuerit *ineunte quarta decima usque ad quartam horam post ortum Solis. De emend. temp. in proleg.* initium [18] autem decimæ quartæ diei erat nox antecedens, nam Judæi sacros dies a vespera ad vesperam computabant. 3. *Exterminatio* seu *conflagratio fermenti*, quæ facta a quarta ad sextam horam, circa meridiem, quo tempore sequebatur ultimus gradus, quem *Scaliger* prætermisit, nempe 4. *Execratio fermenti*, quæ ita sonat: *Omne fermentum, quod penes me est, quod neque vidi, neque removi, dispergatur, & pro terra pulvere reputetur. Buxtorf. Synag. cap.* 12.

Pœna comedentis panem fermentatum Varie explicatur.

XIX. Si quis iis septem diebus vescatur pane fermentato, pœna est, *animæ excisio ex Israele*. *Exod. XII.* 15. [19] Quæ pœna ab interpretibus triplicem nanciscitur sensum. Vid. P. *Fag. in Exod. XII.* Quidam per eam intelligunt, quod talis ejiciendus sit *ex hæreditate cœlesti*; alii quod Deus talem excisurus *e vita sit morte subitanea*; alii, quod talis *absque liberis sit decessurus*, nulla sui pignora relinquens. Huc facit ipsorum Proverbium: *Vir sine filiis est sine vita.* P. *Fag. l. c.* Harum trium expositionum prima hoc loco verisimillima est, licet alia Scripturæ loca secundam quoque admittant, ut dicetur *cap. de Circumcisione*. Interim judicet æquus Lector, annon hæc verba importent, præter occultum Dei in talis transgressoris animam judicium, institutionem Ecclesiæ, quo pacto ea ejusmodi peccatores excommunicatione coercere queat; quod pœnæ genus

nus Sacra Scriptura alias vocat ἀποσυνάγωγον ποιεῖσθαι, *ejici ex Synagoga. Joh. XVI.* 2. quæ locutio convenit huic, *exscindi ex Israele.*

Mactans. Locus mactationis. Et comestionis.

XX. Hic tria quæri possunt. 1. Quis mactarit *Pascha*? 2. Ubi mactatum? 3. Ubi comestum sit? 1. Mactatum est a *Sacerdotibus*, [20] 2. *Chron. XXXV. 6.* 2. Mactabatur primis temporibus *in atrio Templi*, loco quem Deus elegerat. [21] *Deuter. XVI.* 3. Dominus agni accepit a Sacerdote & comedit in privata domo. Christus cum suis Discipulis *Pascha* celebravit in cœnaculo Hierosolymæ. Vid. *Maimon. in Korban Pesach. c.* 1. *sect.* 6.

Quot cœnis Pascha celebratũ fuerit?

XXI. Ulterius quæri posset: An *Pascha* celebratum fuerit duabus cœnis, [22] altera alteram immediate insequenti? Quidam hoc affirmant, hisque rationibus. 1. Quia Christus accubuerit, *Pascha* autem comestum sit stando. Hoc omnium infirmissimum argumentum est; nam Christus æque accubuit, cum vesceretur *Paschate*, ac cum institueret Sacramentum. Judæi in genere, post primam institutionem *Paschatis*, malunt id accumbendo comedere, quam stando, ad significandum suam quietem & libertatem, ut patet ex *cap. de Conviviis*. 2. Quia *Pascha* solitum fuerit assari, cum in ultimo *Paschate*, quod celebravit noster Jesus, fuerit jus, cui intingebatur panis, & cum quo edebatur *Paschalis* agnus, non tamen nefas fuerit, ordinariam cœnam ejusdem comestioni adjungere, quæ jus admittere potuit: sed, uti superius demonstratum est, materia, cui intincta est illa offula, putatur esse *pulmentum* חרוסת 3. Urgent Joh. XIII. 2. jam peractam fuisse cœnam primam, cum Christus surgens suorum Discipulorum pedes lavaret, postmodum autem Judæ datam esse offulam, qua re ostendi accubitum secundum. Sic *Lucas* quoque refert, Christum suis Discipulis dixisse, μετὰ τὸ δειπνῆσαι *post cœnam* & consecrationem Sacramenti, quod unus ipsorum ipsum proditurus esset. [23]

XXII. Hoc est validissimum argumentum illorum, non tamen sufficientis roboris, quia Sacræ Scripturæ frequens & familiaris est πρόληψις qua illud prius recensetur, quod ratione historiæ posterius est. Sic Joh. XI. refertur de Maria, quod unxerit Jesum, etsi illius unctio demum sequatur historia proximo capite; Eamdem quoque de Proditore historiam *Matthæus* & *Marcus* anteponunt consecrationi Sacramenti. De hoc Judæis proverbium est: אין מוקדם ומאוחר בתורה *Non est prius aut posterius in Scriptura*, *Salom. Jarchi in Genes. VI.* 3. His datis responsionibus videmus, quam dilutum sit statuere, homines decem (sæpe enim tot, non plures fuere) cœnam secundam esse inituros, ubi jam absumserant *agnum anni sui*, h. e. anniculum.

Unde mos dimittendi captivũ tempore Paschatis?

XXIII. Constat etiam ex historia Barrabæ, fuisse receptum morem, dimittendi captivum quemdam tempore *Paschatis*. Quantum ad hujus dimissionis rationes triplex exstat opinio. Quidam putant, hunc morem sacrum fuisse memoriæ *Jonathanis*, filii *Saulis*, quem populus liberavit patris manibus. Alii censent, quemdam dimissum, ut festum eo majori lætitia & plausu agitaretur. Alii verisimilius esse dicunt, id factum, ad vocandum in memoriam servitutem liberationemque Ægyptiacam. [24]

Unde varia determinatio diei Paschatis?

XXIV. Rursus hic notandum, quod Judæi, loquentes de *Paschate*, loquantur subinde juxta computationem civilem, qua metiebantur dies ab ortu Solis ad ortum Solis; subinde juxta computationem sacram, quæ ibat ab occasu Solis. Hoc inservit conciliando loco Num. XXVIII. 16. ubi decimus quartus primi mensis videtur poni pro primo die Azymorum.

Hinc VIII dies huic festo adscribuntur

XXV. *Josephus Antiq. lib.* 2. *cap.* 5. prodit, quod huic festo octo dies attribuerint. Sic Discipuli dicuntur ad Christum accessisse *primo die Azymorum*, dicentes; Πȣ͂ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ Πάσχα, *ubi vis paremus tibi ad edendum Pascha? Matth.* XXVI. 17. quasi ἡ πρώτη Ἀζύμων, *prima Azymorum* fuerit ante *Pascha*. Hæc excusantur computatione dierum civilium, etsi ratione computationis dierum sacrarum festum Azymorum demum cœperit decimo quinto, duraritque tantum dies septem, *Paschate* festum Azymorum præcedente.

Pascha secundum quibus ex causis celebrandũ.

XXVI. Tandem sciendum est, quod concessum fuerit *secundum Pascha* iis, qui vesci *primo* non potuere, vel propter impuritatem ex contactu cadaveris contractam, [25] vel ob distantiam suarum habitationum ab eo loco, quo jugulari debuit. Id observari debuit mense secundo, die decimo quarto juxta omnes prioris *Paschatis* ceremonias. [26] Num. IX. Quantum ad concessionem *Paschatis* posterioris pro iis, qui in itinere remoto fuerunt, Hebræi in iis verbis, *in itinere remoto*, singulares & notatu dignas meditationes exerunt. Forsan dominus eo significat, nos *Gentiles*, *qui immundi & mortui eramus in peccatis*, καὶ ὄντες μακρὰν *& remoti*, *futuros esse propinquos sanguine Jesu Christi*, *ipsumque participaturos*, qui esset *Pascha secundum*. *Eph. II.* 1. 13. De hac legali constitutione [27] dicunt Hebræi; Quid est *iter remotum istud*? Qui die decimo quarto mensis primi, oriente Sole, quindecim aut plura milliaria ab Hierosolymorum mœnibus abest. Ecce! hæc est via longinqua. Sin minus abest, non est via

longinqua, nam facile Hieroſolymam appellere poteſt tempore pomeridiano, licet pedes eat. *Maim. in Korban Peſach. c. 5. ſect. 8. 9.*

Analogia inter Paſchalem agnum & Chriſtum.

XXVII. *Analogia* inter *Paſchalem agnum* & *Chriſtum* ſic habet:

Chiſtus eſt noſtrum Paſcha. 1. Cor. V.

Paſchalis agnus fuit.	Chriſtus fuit.
1. *Agnus e grege.*	1. *Filius hominis.* *Joh.* I.
2. *Abſque vitio.*	2. *Abſque peccato.*
3. *Offerendus & aſſandus.* [28]	3. *Cruciandus & occidendus.*
4. *Circa veſperam.*	4. *In conſummatione ſeculorum.* *Hebr.* IX. 26.
5. *Cujus non frangebantur oſſa.* [29]	5. *Non fregerunt ejus crura.* *Joh.* XIX. 33.
6. *Cujus ſanguine reſperſi portarum poſtes.*	6. *Cujus ſanguis mundat noſtras conſcientias.*
7. *Ut Angelus percuſſor ipſos tranſiret.*	7. *Ne peccatum & mors nos proſterneret.*
8. *Qui in domibus privatis edebatur.*	8. *Qui vera propria fide ſacramentis applicatur.*
9. *Totus.*	9. *Per omnes fidei articulos ac virtutum opera.*
10. *Sine fermento.*	10. *Sine hypocriſi.* 1. *Cor.* V. 8.
11. *Cum herbis amaris.*	11. *Cum patientia ſub cruce.*
12. *Cum feſtinatione & more viatorum.*	12. *Cum ſerio & ſiticuloſo deſiderio æternæ vitæ.*
13. *A ſolis circumciſis.*	13. *A ſolis fidelibus.* 1. Cor. XI.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

Annot. [1] Graviſſima quæſtio, num פסח in V. Teſtamento dicatur de ovibus, bobus, qui die decima quinta Niſan offerebantur. Affirmant plures, iique in Antiquitatibus verſatiſſimi viri, ex quibus nomino Ligtfootum Op. T. II. p. 670. qui in hunc finem adducit Deut. XVI. 2. Chron. XXX. 24. &c. XXXV. 8. 9. Fateor tamen loca illa ita comparata eſſe, ut animum in hanc ſententiam non adeo pronum convincere nequeant. Ipſi etiam Magiſtri, qui nominantur, Raſchius, Bechai, Nachmanides id non dicunt, ſed diſtinguunt. His addo Abarbanelem, qui duas contribulium expoſitiones memorat *in Leg.* f. CCCLXII. l. m. וזבחת פסח לי"י אלדיך צאן כי ממנו יהיה הפסח ועוד בקר תזבח לשלמים ויותר נכון הוא דעת הרב רבי משה בר נחמן שאמר וזבחת פסח לי"י אלדיך ולא האריך בו עוד כי כבר התפאר חקת הפסח שמה אבל הזהירו שמלבד הפסח יזבח צאן ובקר לחגיגה & immolabis Paſcha Adonai Deo tuo ſcilicet oves *nam ex ovibus Paſcha deſumendum; Præterea boves immolabis, ut ſint pacalia. Sententia vero Excellentiſſimi Magiſtri Moſis filii Nachmanidis optima eſt, ſcilicet Legiſlatorem tantum dixiſſe & immolabis* Paſcha Adonai Deo tuo *nec in Paſchatis deſcriptione alia addidiſſe, quoniam ſtatutum de illo jam alibi explicitum. Verum ſimul admonet præter Paſcha inſuper immolandas eſſe oves & boves ad Chagiga.* Attamen non dubito πάσχα Joh. XVIII. 28. pro ſacrificiis Chagiga dictis accipiendum, quandoquidem, quod alibi monſtrandum erit, Paſcha proprie ſic dictum jam comeſtum erat. De his Maim. tract. קרבן פסח cap. X. כשמקריבין את הפסח בראשון מקריבין עמו שלמים ביום ארבעה עשר מן הבקר או מן הצאן גדולים או קטנים זכרים או נקבות ככל זבחי השלמים וזו היא הנקראת חגיגת י"ד *quando offerunt Paſcha menſe primo, ſimul offerre ſolent pacalia die decimo quarto ex pecore bovino vel ovino, majoribus, minoribus, ſexu maſculino aut fœminino, uti alia pacalia: Nomen habet Chagiga diei quarti & decimi.* Non ita tamen ad memoratum diem pertinebant, ut alio licita non fuerint, quum potius ad ſubſequentem pertineant, obſervante Doctiſſimo Anglo vide l. cit. Conf. quoque Maim. tr. חגיגה c. 1. 111.

[2] Sacramentum pariter & ſacrificium erat agnus Paſchalis. Neque enim hæc duo inter ſe pugnant. Reliqua Sacrificia etiam Sacramenti naturam habebant. Nam omne, quod ad ſacrificium pertinet, reperis in Paſchate; nomen, locum, ritus, finem. Dicitur קרבן Num. IX. 7. *quare nos ſubtrahimur,* לבלתי הקריב את קרבן י"י *quominus offeramus oblationem Domino.* Item זבח Exod. XII. 27. De loco Deut. XVI. 2. qui reliquorum ſacrificiorum etiam determinatur c. XII. 5. neque tempore Moſis aliter denominari poterat. Num vero atrium, num urbs Hieroſolymitana intelligenda, ex prædicatis hoc colligendum eſt. Miſchnici tract. זבחים cap. v. 8. הבכור והמעשר והפסח קדשים קלים שחיטתן בכל מקום *Primogenitorum, decimarum & agnorum Paſchalium, qui ſancta leviora, mactatio ubique (in atrio) peragi poteſt.* Nec refragatur ſcriptura, quæ holocauſtorum mactationem ad latus aræ aquilonare mandat Lev. I. 11. De quibus quoque tract. & c. cit. §. 4. העולה קדשי קדשים שחיטתה בצפון *Holocauſtorum ſacrorum maximum ſanctitatis gradum habentium mactatio ab aquilone fieri debet.* Ratione tritum Miſchna tr. פסחים c. v. 6. שחט ישראל וקבל הכהן נותנו לחבירו וחבירו לחבירו ומקבל את המלא ומחזיר את הריקן כהן הקרוב אצל המזבח זורקו זריקה אחת כנגד היסוד *Iſraelita mactat, ſacerdos autem ſanguinem excipit atque illum ſocio porrigit, hic vero adſtanti: Sacerdos, qui altari vicinus, pelvim ſanguine refertam accipit & vacuam reſtituit. Tum una ſparſione verſus altaris fundamentum ſanguinem effundit:* ſequitur excoriatio §. 9. כיצד תולין ומפשיטין אנקליות של ברזל היו קבועין בכותלים ובעמודין שבהן תולין ומפשיטין *Quomodo ſuſpendebant & excoriabant? uncini ferrei parietibus infigebantur, & victimam a columnis ſuſpendebant & excoriabant.* Aliter tamen, ſi uncini deficiebant. Tum combuſtio adipis §. 10. קרעו והוציא אמוריו נתנו במגים והקטירן על גבי המזבח *diſcidit* (agnum Paſchalem) *atque protraxit inteſtina impoſuitque ea ſcutellæ atque in ara ado-*

adolevit. Quis ad hæc leviter attendens, ritum sacrificiorum, si de illis quidquam audivit, non recordabitur? Quod finem attinet, in confesso est agnum Paschalem Christum sacrificium pro peccatis fidelium præadumbrasse, nam 1. Cor. v. 7. τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη *Pascha nostrum pro nobis mactatum est*. Ergo fuit sacrificium.

3 Rationes (1) Deut. xvi. 2. (2) quia agnus Paschalis sacrificium: At sacrificia a Templo Hierosolymitano dependent. Non ita se habet cum panibus infermentatis. Confirmat hoc Praxis Judæorum, qui extorres festum Azymorum celebrant, non tamen agnum Paschalem, cujus זכר μνημόσυνον nonnisi habent. Maimon. tract. חמץ ומצה cap. VIII. 1. Aliter si agnus Paschalis nonnisi sacramentum, uti circumcisio, tum æque obtineret extra, quam intra terram.

4 Hæc desumta sunt ex Mischna tr. פסחים c. x. ✝ 5. Maimonide tr. &c. cit.

5 חבורות *sodalitia* una ineunt illi, qui licentiam agnum Paschalem comedendi habent. Sed alium aliquem, quem lex inidoneum convivam declarat, non recipiunt, non leprosum, impurum aut alienigenam vel Apostatam, vid. *Joseph. B. J. l. vii. c. 17. p. 698.* fœminas tamen, quæ nullo quidem præcepto tenentur, nihilominus, si ipsis libet, potestate comedendi pollent. Exstat tr. פסחים c. viii. 7. אין עושין חבורת נשים ועמדים וקטנים *non faciunt sodalitium ex mulieribus, servis & parvulis*. Verum non negatur licentia comedendi agnum, sed solum ejusmodi sodalitium. *vid. Glossa Bart.* Hinc Maimon. tr. קרבן פסח c. II. m. האשה שהיהה בבית בעלה שחט עליה אביה ושחט עליה בעלה תאכל משל בעל *Uxor quæ jam in domo mariti, de agno mariti comedere debet si & pater & maritus pro illa mactarunt*. Hinc explica Luc. II. 41. Numerus sodalitii fixus statuitur ante mactationem. Idem Celeberrimus Magister ab initio cap. memorati. אין שוחטין את הפסח אלא למנויו שנ׳ תכוסו על השה מלמד שמתמנים עליו כשהוא חי ואלו המתמנים על הפסח הם הנקראים בני חבורה *Numero sociorum jam inito agnum demum mactant, uti scriptum exstat Exod. XII. pro ratione pecudis numerabitis: Hinc docemur numerum figi, quando agnus adhuc vivit. Illi vero, qui ita connumerantur ad Pascha, sodales dicuntur.*

6 Unaquæque sodalitas distinctum locum occupat neque cum altera confunditur Tract. פסחים cap. vii. 3. שתי חבורות שהיו אוכלין בבית אחד אלו הופכין את פניהם הילך ואוכלין ואלו הופכין את פניהם הילך ואוכלין *Quod si duo sodalitia uno in loco comedant, tum qui ad hoc sodalitium pertinent huc, qui vero ad alterum, isthuc facies convertunt.*

7 Verba Josephi, ad quæ Auctor noster respicit, nec tamen mentem plene tradit, hæc sunt: Contubernium οὐκ ἔλασσον ἀνδρῶν δέκα (μόνον γὰρ οὐκ ἔξεστι δαίνυσθαι) πολλοὶ δὲ καὶ σὺν εἴκοσι ἀθροίζονται *non paucioram quam x. erat (neque solus aliquis epulandi licentiam habet) multi viceni autem congregati sunt*. Dissentire videtur Maim. tract. קרבן פסח c. II. in יחיד ששחט את הפסח לעצמו כשר והוא שיהיה ראוי לאכול את כולו ומשתדלים שלא ישחט לכתחילה על יחיד *Si unus aliquis pro se ipso mactavit, conceditur, quando ille agnum integrum devorare poterit: Curant tamen ne pro uno aliquo data opera mactatio peragatur.*

8 Meminit distinctionis hujus Aben-Esra attribuens illam R. Jeschuæ, quam ipse tamen rejicit collat: Num. VII. 15. 78. Perquam imo nimium accurati sunt Judæi in tempore victimarum ad momentum usque determinando. Hinc alium quoque calculum in bestiarum annis recensendis ineunt. Glossa Bartenoriana ad tract. פרה cap. I. 3. נולד באחד באלול לא שלמא לו שנה עד אחד באלול של שנה שניה דבתר שנתן אזלינן ולא בתר שנים של מנין העולם ואם נתעברה שנה נתעברה לו *Bestia primo Elul nata tum demum annum suum complevit, quando primus Elul subsequentis anni accedit. Solemus enim computum proprium sequi non calculum mundi. Si annus embolimæus, tum & bestiæ embolimæus.* Quæ Auctor habet, confirmari queunt ex Maimonid. מעשה קרבנות c. I. 12. 13. Conf. Exod. xxii. 30. Levit. xxii. 27. Plin. l. viii. c. 51. *Suis fœtus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octavo*, uti habet Bochartus. Editio, quæ Hagenoæ prodiit, legit *die* vii.

9 Integer sine ulla vel minima labe. Quare sacerdotes victimas perquirere tenebantur atque ab altari alienas declarare, si aliquod memoratorum vitiorum Lev. xxii. 22. 23. vel in traditionibus nominatum in iis deprehenderint. Maimon. tr. ביאת המקדש c. VII. quinquaginta numerat vitia: quæ bestiam temerare poterant. Sunt autem in auribus v. §. 2. 3. in palpebris iii. §. 4. in oculis viii. §. 5. in naso iii. §. 6. in ore vi. §. 7. in genitalibus xii. §. 8. in manibus & pedibus vi. §. 9. in corpore toto iv. §. 10. Denique iii. vitia a senectute morboque.

10 Non ultima hæc videtur ratio separationis die decima Nisan faciundæ. Cessavit autem posteriori ætate ejusmodi separatio quandoquidem & ratio cessavit. Nam Sacerdotio instituto exploratio ad Sacerdotes pertinebat. Sic exstat tr. תמיד c. iii. 3. Sacrificia jugia peculiari cuidam stabulo inclusa fuisse, ut ab aliis separarentur atque explorarentur, sed §. 4. אף על פי שהוא מבוקר מבערב מבקר אותו לאור האבוקות *quamvis antecedente vespera (victima) explorata esset, nihilominus denuo eam ad lucem tædarum explorant*. Glossa Bertenoriana תמיד טעון בקור ממום ד׳ ימים קודם שחיטתו דומיא דשה הפסח *sacrificium juge visitandum erat ob vitia per* iv. *dies ante mactationem sicut fiebat in agno Paschali*, uti vertit Ordinarius hujus Tituli Interpres. Hinc separationis alia mentio non fit post legem Exod. xii. Observari nequit templo exstructo & populo in remotioribus locis habitante. Obstat quoque Matth. XXVI. 17. Marc. XIV. 12. Luc. XXII. 7.

11 Tempus, quod dicitur בין הערבי׳ *inter duas vesperas* idem, quod appellatur בערב *in vespera* conf. Exod. xii. 6. cum Deut. xvi. 4. Nec non Exod. XVI. 8. cum 12. Item Exod. XXX. 8. cum XXVII. 21. Credibiliter prior phraseologia respicit ad receptam antiquis temporibus distinctionem duplicis vesperæ, quam quoque Græci Latinique Scriptores tradiderunt, unde illud *nescis, quid serus vesper vehat*. Num autem tempus præcise determinari queat, nescio. Prout id a Judæis observatum fuerit, ex Historia constat. Duo scopuli evitandi sunt: Illorum, qui tempus nimis laxant; Illorum quoque, qui contrahunt. Qui igitur mediam viam ineunt, ad veritatem proprius accedere videntur. Tantum minimum spatium intelligendum, quantum oblationi sacrificii jugis vespertini Num. XXVIII. 4. & agnorum Paschalium sufficiens, quod crescente offerentium Israelitarum numero dilatandum, neque enim una omnes atrium sacerdotum capiebat, sed successive, prout monumenta Judaica testantur. Cavendum tamen præprimis, ne ante meridiem Pascha sacrificetur. Maim. tr. פסולי המוקדש׳ cap. xv. פסח ששחטו שלא לשמו בארבע עשר קודם חצות פסול לפי שאינו זמנו Interprete Lud. de Comp. de Veil. *Agnus Pashalis si mactaretur nomine suo ad* xiv. *diem Nisan ante meridiem, temeraretur; quippe quod tempus non erat ejus proprium*. Doctissimus Interpres videtur alio correctiori exemplari usus, nam ex verbis exemplaris, quo ego utor (impressum illud est Venetiis 1514.) *agnus Paschalis suo nomine non mactatus*, sed lectio, ad quam Eruditissimus Ex-Judæus versionem composuit, magis placet.

12 Hæc desumta sunt ex tr. פסחים c. v. 1. Confero Josephum de B. J. l. viii. c. 17. p. 968. θύουσι ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης (pascha) *mactant ab hora IX. usque ad XI.* Maimon. titulo & c. modo cit. אחר תמיד של בין הערבים אחר שמקטירין קטורת של בין הערבים ואחר שמטיבין את הנרות מתחילין לשחוט את הפסחי׳ עד סוף היום *post sacrificium juge vespertinum, suffitus vespertini adolitionem & aptationem lucernarum incipiunt mactare Paschata usque ad diei finem.*

13 Lex simpliciter habet מררים *amaritudines*. Solent autem subintelligere *herbam*. Vulg. *lactucas agrestes*. Raschius כל עשב מר נקרא מרור *omnis herba amara* meror *dicitur*. Mischn. tract. פסחים c. II. 6. ואלו ירקות שאדם יוצא בהן ידי חובתו בפסח בחזרת ובעולשין ובתמכא ובחרחבינא ובמרור יוצאין בהן בין לחין בין יבשין *Olera, quibus homo in convivio Paschali debito suo satisfacit, hæc sunt, lactuca, intybus, gingidium, charchabina, Meror sive sint viridia sive sicca*. Excipiuntur condita, elixata, cocta. Neque necesse est, ut de omnibus memoratis speciebus quis comedat; sufficit, si de una. Conf. Maim. tract. חמץ ומצה c. vii. c. f.

14 Ipsi Judæi fatentur חרוסת *Embamma* hoc

מדברי סופרים *ex verbis ſcribarum* ortum habere. Attamen jam antiquo ſatis tempore, utpote ejus in Miſchna mentio tr. פסחים c. X. 3. obtinuit. Huc igitur non male refertur Matth. XXVI. 23. Præparationem, uti illam, deſcribit R. Obad. de Bart. his verbis accipe חרוסת שעושים מתאנים ולוזים ובטנים ושקדי׳ וכמוה מיני פירות ומשימין בה תפוחים ודבין הכל במך וכוה ומתערבין בחומץ ונותנין עלית תבלין קנה וקנמון בעין פתילות דקות ארוכות זכר לקש וצריך שתהיה עבה זכר לטיט *Embamma componitur ex ficubus, avellanis, piſtaciis, amygdalis, pluribus aliis fructuum ſpeciebus; Indunt ei poma: Tum hæc omnia in mortario contundunt, atque aceto commiſcent: Addunt dein aromata, veluti Calamum, Cinnamomum inſtar funiculorum tenujum & oblongorum, ut eſſent μνημόσυνον paleæ. Requiritur ut craſſiuſculum ſit, quo lutum in memoriam revocet.*

[15] Lex divina exſtat Exod. XII. 15. Deut. XVI. 3. & Exod. XIII. 7. *non conſpicitor apud te* חמץ *fermentum &* (inprimis) *non conſpicitor apud te* שאור *fermentum*. Unde evidentiſſimum eſt vocabula שאור & חמץ non prorſus idem ſignificare, diſtinguimus ita, ut prius generatim omnia acida aut quæ ex fermentatione acedinem contrahere queunt, poſterius fermentum farinaceum comprehendat, *vid. quæ fuſius diximus diſſert. de ſertis inſermentatis*. §. 3.4. Hac itaque ratione non ſolum panis fermentatus, ſed etiam alius cibus acidus aut aceſcens imo potus voluntate Legislatoris ſeptiduo illo prohibitus eſt. Atque ita Veteres Judæos mentem Dei accepiſſe præter alia conſtat ex tr. פסחים c. III. 1. אלו עוברין בפסח כותח הבבלי ושכר המדי וחומץ האדומי וזיתום המצרי וזומן של צבעים וכ״ו *Paſcha violatur ſequentibus, Cutach Babylonico* (dicitur conſtare ex pane mucido & lacte) *cereviſia Medorum* (hæc ex tritico aut hordeo in aquis macerato) *aceto Idumæorum* (qui ſoliti ſunt hordeum vino indere uſque aceſcat) *Zytos Ægyptiorum* (conſtabat tertia parte ex hordeo, tertia parte ex croco ſylveſtri & alia tertia parte ſale) *infectorio ſucco qui Zuman appellatur* (eſt aqua furfure mixta) &c. At Maimonides tr. חמץ ומצה c. v. 1. אין אסור משום חמץ בפסח אלא ה׳ מיני דגן בלבד הם שני מיני חטים שהם החטה והכוסמת ושלשה מיני השעורים שהם השעורה ושבולת שועל והשיפון אבל הקטניות כגון אורז ודוחן ופולים ועדשים וכיוצא בהן אין בהן משום חמץ *Quinque tantum frumenti ſpecies ſub fermento in Paſchate prohibitæ ſunt ſcil. duæ ſpecies tritici, veluti triticum proprie ſic dictum, ſpelta & tres hordei ſpecies, quales hordeum proprie ſic dictum, hordeum ſylveſtre & avena. Non item oryza, milium, faba & lens* conf. פסחים c. II.

[16] Prolixi ſunt Hebræorum Juriſconſulti in locorum perſcrutandorum recenſione. Vide *Orach Chajim*. n. 433. ſolum memoro בודק כל המקומות שיש לחוש שמא הכניסו בהם חמץ ולכן כל חדרי הבית והעליות צריכים בדיק׳ שפעמים אדם נכנס בהם ופתו בידו *Omnia loca, de quibus ſuſpicio eſt, perveniſſe illuc fermentum, rimanda ſunt: Quare omnia conclavia & cœnacula inveſtigatione opus habent, nam homines illa ſæpius cum pane in manibus intrare ſolent*. Conf. Maim. חמץ ומצה c. II. 3.

[17] Maimonides l. & c. cit. §. 4. אין בודקין לא לאור הלבנה ולא לאור החמה ולא לאור האבוק׳ אלא לאור הנר *non inveſtigant ope ſplendentis Lunæ aut Solis vel tædarum, ſed ope candelarum* ſcil. in ſcrobeculis, foraminibus. Aliter in loco lucido.

[18] Septem quidem dies panum azymorum in lege traduntur, quorum primus decimus & quintus Niſan. Nihilominus jam ante die XIV. perquirunt fermentum atque etiam a comeſtione abſtinent, ſive quod putaverint ipſam Dei Legem id velle, ſive eum in finem, ut Lex eo minus violetur. Idem Celeberrimus Magiſter l. & cap. cit. 1. מצות עשה מן התורה להשבית החמץ קודם זמן איסור אכילתו שנ׳ ביום הראשון תשביתו שאור מבתיכם ומפי השמוע׳ למדו שהראשו׳ זה הוא יום ארבעה עשר ראיה לדבר זה מה שכתוב בתורה לא תשחוט על חמץ דם זבחי כלומר לא אשחט הפסח ועדיין החמץ קיים ושחיטת הפסח הוא יום ארבעה עשר אחר חצות *præcipit ut fermentum etiam antequam tempus comeſtionis ejus prohibitum eſt, aboleatur, nam ſcriptum* Exod. XII. 15. die primo fermentum ceſſare facies. *Ex traditione autem diſcimus diem primum eſſe XIV. cum quo aliud in lege convenit* Exod. XXIII. 18. non ſacrificabis ſuper fermento ſanguinem ſacrificii mei, *Hoc eſt, non mactabis Paſcha, quando fermentum adhuc reperitur. At mactatio Paſchatis die XIV. poſt meridiem mandata.* conf. Raſchium ad Exod. XII. 15. Quare ordinario ex præſcripto ſapientum inveſtigatio inſtituenda בתחלת ליל י״ד בניסן *ab initio noctis* XIV. *menſis Niſan* vide Schulch. Toh. p. 32. 2. aut quod idem אור לא״ע *in luce diei* XIV. tr. פסחים c. I. 1. Tum tamen omiſſa etiam poſtea compenſari poteſt. Schulch. Ar. ex Orach Chajim. n. 435. conf. פסחים c. 1. 3. Cui lubet repertum fermentum mox in illa nocte exterminare, hoc ei licitum. Sin, probe colligit in unum locum עד תחלת שעה ששית ומבערו uſque *ad principium horæ ſextæ* (reſpondet noſtræ XII.) *diei & tum exterminat*. Scil; igne vel etiam alio modo tr. פסחים c. II. 1. Ab hinc uſus illicitus, non tamen antea: החמץ שמניח בליל י״ד כדי שיאכל ממנו למחר עד ארבע שעות איני מניחו מפוזר *Fermentum nocte decima & quarta eum in finem repoſitum, ut quis ex illo* IV. *prioribus horis* (*uſque ad horam x.*) *comedat, non hinc inde diſperſum jacere debet*. Maim. l. cit. c. III. 1. 2. Ex dictis tria, N. Teſtamenti loca illuſtra 1. Matth. XXVI. 17. ubi dies Paſchatis ἡ πρώτη τῶν ἀζύμων dicitur, neque tamen primus ex ſeptem diebus panum infermentatorum 11. Matth. XXVI. 26. Panis ille infermentatus erat, nam fermentum omne jam ante exterminatum requirebatur. III. 1. Cor. v. 7.

[19] Pœna tum animadvertenda eſt, quando quis data opera panem fermentatum comedit. Hinc Raſchius *in Comment. ad cit. l.* dicitur *anima hæc* ut doceamur כשהיא בנפשה ובדעתה פרט לאנוס מישראל pœnam tum valere, *ſi quis ſciens volenſque* comedit. *Excipitur autem coactus ex Iſraele*. Plenius Maim. ab initio tract. חמץ ומצה c. I. כל האוכל כזית חמץ בפסח מתחלת ליל חמשה עשר עד סוף יום אחד ועשרים בניסן במזיד חייב כרת שנ׳ כיכל אוכל חמץ ונכרתה בשוגג חייב קרבן חטאת קבועה אחד האוכל ואחד המסחה ושותה *Is, qui in Feſto Paſchatis ab initio noctis* XV. *uſque ad finem diei* XXI. *menſis Niſan, fermentum comedit, inſtar quantitatis olivæ, excidio dignus, ſi protervo animo fecerit, nam ſcriptum eſt*, ejus, qui fermentatum comederit, anima exſcindetur; *ſi vero ignorantia, tenetur ad determinatum ſacrificium pro peccato*. Mitior pœna illi infligitur, qui rem fermento commixtam edit, uti idem cap. cit. §. 6. אין חייבין כרת אלא על אכילת עצמו של חמץ אבל עירוב חמץ כגון כותח הבבלי ושכר המדי וכל הדומה להן מדברים שהחמץ מעורב בהן אם אכלן בפסח לוקה *Excidium obtinet tum, quando ipſum fermentum comeditur. Si quis vero fruitur mixtura fermenti tempore Paſchatis, velut Cutach Babylonico aut Cereviſia Medorum aut ſimili, ille vapulat.*

[20] Unumquemque Iſraelitam poteſtate mactandi polluiſſe patet ex tr. פסחים c. v. 6. vide annot. II. in h. c. Conf. diſſert. noſtram de functionibus Laicorum circa victimam §. 6.

[21] Maim. tract. קרבן פסח cap. I. in אין שוחטין את הפסח אלא בעזרה כשאר הקדשים אף בשעת היתר הבמות לא היו מקריבין את הפסח בבמת יחיד אלא בבמת ציבור וכל המקריב את הפסח בבמת יחיד לוקה הקריבן כאילו בשוק שנ׳ לא תוכל לזבוח את הפסח באחד שעריך מפי השמועה למדו שזו אזהרה לשוחט בבמת יחיד אפילו בשעת היתר הבמות *Uti reliqua Sacrificia, ita agnum Paſchalem in ſolo ſacerdotum atrio mactare licitum eſt, etiam eo tempore victimam Paſchalem in excelſo totius cœtus, non privato, offerebant: Is vero, qui obtulerit in excelſo privato, verberibus ſubjiciebatur, ut ſi quis immolaſſet in platea, nam ſcriptum eſt* Deut. XVI. 5. non poteris ſacrificare paſcha in ulla portarum tuarum. *Ex traditione docemur admonitionem hanc ſpectare illum, qui immolat in excelſo privato, etiam illo tempore, quo alioquin excelſa permiſſa erant.*

[22] De duplici Cœna nihil memorant Scripta Judæorum, quod Magni Buxtorfii Magnus Filius invicte adverſus Scaligerum probavit *Exercit. in Hiſt. Inſtit. S. Cœnæ*. Ego ex Maim. tract. חמץ ומצה cap. VIII. convivium Paſchale paucis deſcribam, unde & hoc ipſum confirmabitur & alia, quæ Evangeliſtæ de hac ſolennitate habent, elucidabuntur. Præmiſſa conſecratione diei & feſti, atque finita manuum lotione מביאיז שלחן ערוך ועליו מרור וירק אחר ומצה וחרוסת וגופו של כבש הפסח ובשר חגיג׳ של יום ארבע׳ עשר ובזמן הזה מביאים על השלחן שני מיני בשר אחד זכר לפסח ואחד זכר לחגיגה *adferebatur menſa*

cibis

cibis instructa scilicet herbis amaris , aliis insuper oleribus , panibus infermentatis pulmento , agno paschali , & carne sacrificiorum Chagiga . Hodie autem solent mensæ imponere duas carnis species , quarum una μνημόσυνον Paschatis altera sacrificiorum Chagiga . Tum olera pulmento intingebantur atque ab omnibus accumbentibus degustabantur . Amovebatur mensa a conspectu illius : qui sensum Paschatis mysticum exponebat, ut occasio Mysteria explicandi suppeditaretur . Explicatione finita manus denuo lavabatur, dicebaturque benedictio super laganis infermentatis , quæ una cum herbis amaris rursum pulmento illi intingebantur . Tum apponebatur caro sacrificii Chagiga appellati . Postea demum caro agni Palchalis באחרונה אוכל מבשר הפסח אפלו כזית ואינו טועם אחריו מאכל אחר כלל *Ultimo caro victimæ Paschalis comedebatur , quamvis non ultra quantitatem olivæ : Deinceps alius nullus cibus comeditur .* Cum antiquitate ergo minime convenit , quod Scaliger habet , esum agni primam cœnam constituisse .

[23] Aliter ad locum Joh. XIII. respondendum putamus, scil. cœnam isto capite recensitam non fuisse Paschalem . (1) Talis toto illo capite non dicitur, quum contra reliqui Evangelistæ agni Paschatis mentionem faciant Matt. XXVI. 17. Marc. XIV. 12. Luc. XX. 15. (2) Cœna illa habita dicitur πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα v. 1. (3.) Qua ratione colligere poterant discipuli, Christum ad Judam dixisse ἀγόρασον ὧν χρείαν ἔχομεν εἰς τὴν ἑορτήν . Quod vero apud Johannem quædam similia reperiantur cœnæ Paschali apud alios Evangelistas descriptæ, nondum probat eandem cœnam esse .

[24] Lectisternii tempore quidem vinctis vincula demebantur , sed inde non sequitur : Ergo ad hunc Gentium morem allusio est Matth. XXVII. 15. Rationes sunt . 1. Magnum discrimen inter utrumque morem . Unus aliquis tantum in festo dimittebatur . Nam item Lectisternii tempore . 2. Dependebat privilegium hoc a festo Judæorum , speciatim Paschate . 3. Joh. XVIII. 39. tanquam συνήθεια Judæorum , quæ illis originaria citatur . 4. Imo ut ἀνάγκη *necessitas* , quæ Pilato imposita : scilicet victores promittebant libertatem in iis , quæ cultum concernebant ; Pilatus cogebatur hunc morem , qui Ecclesiasticus , ratum facere .

[25] Plenius Maimonid. tract. קרבן פסח c. VI. *ab in.* אי זה הוא טמא שנדחה לפסח שני כל מי שאינו ויכול לאכול זאת הפסח בלילי ט״ו בניסן מפני טומאתו כגון זבים וזבות נדות וולדות ובועלי נדות אכל הנוגע בנבלה ושרע וכיוצא בהם ביום י״ד הרי זה טובל ושוחטין עליו אחר שיטבול ולערב בשיעריב שמשו אוכל את הפסח טמא מת שחל שביעי שלו להיות בי״ד אף על פי שטבל והוזה עליו והרי הוא ראוי לאכול קדשים לערב אין שוחטין עליו אלא נדחה לפסח שני שנ׳ ויהי אנשים אשר היו טמאים לנפש אדם ולא יכלו לעשות הפסח ביום ההוא מפי השמועה למדו שאותו י״ד שביעי שלהן היה ועל זה שאלו אם ישחט עליהן והם יאכלו לערב ופירש להן שאין שוחטין עליה׳ *Quis immundus ille, qui condemnatur ad Pascha secundum? Omnis ille , qui propter immunditiem suam nocte xv. Nisan Pascha comedere nequit : Sunt autem seminiflui & seminifluæ, fœminæ, quæ menstruo laborant & puerperæ , viri quoque, qui cum uxoribus in menstruis rem habuerunt die xiv. aut qui reptile attigerit, aut simile quid, pro illo, postquam aquæ se immersit , agnus mactatur , a quo quoque , si vespera accessit, ille comedit . Qui impurus propter mortuum , pro illo agnus mactandus non est, licet ejus dies vii. incidat in xiv. Nisan , licet quoque lotus & conspersus fuerit atque dignus , qui sub vespera comedat sancta , nihilominus tamen ad Pascha secundum condemnatur , nam scriptum legitur* Num. IX. 6. fuerunt quidam , qui quum immundi essent ex cadavere hominis, non potuerunt Pascha die illo celebrare . *Ex traditione autem constat , diem xiv. Nisan fuisse illi septimum . Idcirco rogarunt Deum, num pro illis Pascha mactare & sub vespera illis comedere licitum sit, nec ne. At respondit Deus , pro iis non mactandum esse .*

[26] Aliqua differentia statuitur tractat. פסחים c. IX. 3. מה בין פסח הראשון לשני הראשון אסור בבל יראה ובל מצא והשני מצה וחמץ עמו בבית הראשון טעון הלל באכילתו והשני אינו טעון הלל באכילתו זה וזה טעונים הלל בעשייתן ונאכלין צלי על מצות ומרורים ודוחין את השבת *Quænam est differentia inter Pascha primum & secundum? Quod primum attinet , (observandum est interdictum Exod. XII. 19.) non conspicietur, non reperietur (fermentum .) Quod secundum , azymum & fermentatum penes illum in domo esse potest . Primum quando comeditur , poscit cantum* הלל. *Non item secundum . Utrumque cantum illum requirit , quando paratur . Item utrumque assatum cum panibus infermentatis & herbis amaris comedendum : utrumque etiam propellit Sabbathum .*

[27] Conf. quoque tractatum Mischnicum modo cit. §. 2. unde Maimonides hæc depromsit . Ibi enim exprimitur Modiim distans xv. milliaribus puta Judaicis (de quibus cap. penult. l. VI.) ab Hierosolyma .

[28] Modus assandi commode ad crucifixionem agni, qui peccata mundi vere aufert , adferri solet . Ille, uti eum Doctores Mischnici describunt, sic se habuit כיצד צולין את הפסח מביאין שפוד של רימון תוחבו מתוך פיו עד בית נקובתו *Ecquomodo agnum Paschalem assant ? Solent vero de ligno malogranati* (ajunt enim hoc ligni genus igni injectum non sudare aquam) *per os ad nates usque transfigere* & ita assare . Tract. פסחים c. VII. I.

[29] Cap. cit. §. II. השובר את העצם בפסח הטהור הרי זה לוקה ארבעים *qui ossa Paschatis puri fregerit, ad XL. plagas tenetur* . Quare ossa comburenda erant vel die XVI. aut XVII. si XVI. in Sabbathum incidit. Vid. §. 10.

CAPUT QUINTUM.

De Festo Pentecostes .

I. HOc Festum vocatur [1] ΠΕΝΤΗΚΟΣΤΗ , vocabulo *diem quinquagesimam* significante , quia celebrabatur *quinquagesima a postero Paschatis* , h. e. *decimo sexto die mensis Nisan .*

Nomen Pentecostes.

II. Hic primo notandum est , quod *decimus quartus* dies mensis *Nisan* fuerit τὸ Πάσχα ; *decimus quintus* ἑορτὴ τοῦ πάσχα, *festum Paschatis* , sive πρώτη τοῦ πάσχα , *prima dies Paschatis*, quam Seniores appellabant πρώτην τῶν σαββάτων , *primam Sabbathorum* . *Decimus sextus* erat δευτέρα τοῦ πάσχα , *secunda dies Paschatis* seu מחרת השבת [2] *posterus dies a cessatione* , nempe *Paschate* . *Levit. XXIII.* 11. Nam , quia hoc festum septem constabat diebus , primusque & septimus vocabantur *Sabbatha* : hæc locutio idem notat , ac si dictum esset *posteriore Paschatis die* .

Unde 1. dies numerandi sint?

III. *Hi quinquaginta dies* certi limites erant Judaicæ messis, quam includebant duo solennes dies , ineunte eam δευτέρᾳ τοῦ πάσχα , *secunda die Paschatis* , claudente πεντηκοστῇ, *quinquagesima post* . Δευτέρᾳ τοῦ πάσχα , *secunda Paschatis offerebant manipulum primitia-*

Intra hoc tempus erat messis.

mitiarum meſſis ſuæ [3] *Levit. XXIII.* 10. *Scalig. de emend. temp. lib.* 6. *Feſto Pentecoſtes* offerebant לחם תנופה שתים [4] *panes agitationis duos. Levit. XXIII.* 17.

Manipulus meſſem ſanctificabat.

IV. Ille manipulus oblatio fuit pro tota meſſe, fecitque, ut omnes ſequentes fruges per totam terram ſanctificarentur; καὶ τότε λοιπὸν δημοσίᾳ ἔξεστι πᾶσι καὶ ἰδίᾳ θερίζειν *& ex eo deincep publice licet omnibus & privatim metere. Joſeph. Antiq. l.* 3. *c.* 10. Non enim prius licuit falcem frugibus immittere, quam poſt factam oblationem. [5] Panes autem duo, & oblatio euchariſtica fuerunt ſignum collectæ meſſis.

Modus ſupputandi dies inter Paſcha & Penteceſten.

V. Secundo ſciendum eſt, quod hos quinquaginta dies numerarint, ſupputando *ſeptimanas* a δευτέρᾳ τοῦ πάσχα, *ſecunda Paſchatis*, unde dictum eſt *Feſtum ſeptimanarum*. Modus ſupputandi ſeptimanas erat pro numero *Sabbathorum*; δευτέραν *ſecundam Paſchatis* ſequentium. Hinc *primum* ſequens *Sabbathum* vocabant δευτερόπρωτον σάββατον, *Secundum* δευτεροδεύτερον, *Tertium* δευτερότριτον, &c. Sic ut ſingula *Sabbatha* & ſeptimanæ durante *Pentecoſtes* tempore, veluti *Primum Secundum & Tertium &c.* ſua nomina duxerint a δευτέρᾳ, *ſecunda Paſchatis die. Scalig. de emend. Temp. l.* 6. *p.* 260. [6]

Hinc explicatur Luc. VI. 1.

VI. Hæc obſervatio lumen affundit loco illi *Luc. VI.* 1. ubi fit mentio σαββάτου δευτεροπρώτου, *Sabbathi ſecundo--primi*, per quod intelligitur proximum *Sabbathum* a decima ſexta menſis *Niſan* quæ erat δευτέρα τοῦ πάσχα, [7]

Meſſis Cananæorum noſtram anticipat.

VII. Sic his quinquaginta diebus tempus meſſis deſcribentibus cognitis, operæ pretium erit obſervaſſe differentiam inter ipſorum meſſem & noſtram, quæ præcipue in eo conſiſtit, quod anticipent tempus noſtrum, [8] nam & *Cananæi* & *Ægyptii* arva cum falce viſunt paulo ante *Calendas Aprilis*, peraguntque meſſem Majo, *Plin. lib.* 18. *cap.* 18. Illud ipſum confirmat *Leo Afer*, teſtis αὐτόπτης, *Deſcript. Afr. lib.* 8. *cap.* 4.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

Annot. [1] Nomina alia ſunt א׳ חג השבועו׳ *feſtum ſeptimanarum*: Rationem habes Lev. XXIII. 13. 16. ב׳ חג הקציר *feſtum meſſis*, quo Deo pro meſſe grates dixerunt ג׳ עצרת vel Chald. עצרתא quod nomen alioquin in Scriptura datur non toti feſto ex pluribus diebus, ſed ultimæ Paſchatis & octavæ feſti Tabernaculorum. Forſan a Magiſtris ad Pentecoſten indicandum transferebatur, quoniam hoc feſtum unica ſolum die juxta legem conſtare debet ד׳ יומם מתן תורתו *Dies νομοθεσίας* qua hæc in memoriam revocabatur.

[2] Auctor noſter ſequitur opinionem traditionariorum, qui Sabbathum Lev. XXIII. 11. de prima feſti Azymorum exponunt. Ex pluribus Raſchium allego. Hic ad explicationem loci citati ממחרת יום טוב הראשון של פסח שאם אתה אומר שבת בראשית אי אתה יודע איזהו *a craſtino diei feſti primi Paſchatis; ſi enim exponere velles de Sabbatho creationis* (die ſeptima) *neſcires, quodnam Sabbathum intelligendum eſſet*. Conf. Aben Ezram, Abarbanelem, Maimonidem alioſque. Aliter Sadducæis R. Obad. de Bartenora tractat. חגיגה cap. II. 4. היו הצדוקים אומרים לעולם עצרת אחר שבת מדכתיב וספרתם לכם ממחרת השבת והן אומרים ממחרת שבת בראשית ואם כן לעולם הל׳ עצרת באחד בשבת *Sadducæi dicebant Pentecoſten ſemper incidere in diem primum, eo quod ſcriptum ſit* Lev. XXIII. 11. & numerabitis vobis a craſtina Sabbathi. *Illi autem* a craſtina Sabbathi *explicant de Sabbatho, qualis in hiſtoria Creationis mentio fit. Qua ratione Pentecoſtes ſemper in primum ſeptimanæ diem incidet*. Negari quidem nequit notionem, quam Sadducæi voci שבת attribuunt, eſſe longe receptiſſimam. Nihilominus pro altera facit nexus Lev. XXIII. Dein quia die xv. ceſſandum ab opere ſervili c. c. v. 7. adeoque שבת *ceſſatio* dici poteſt. Inſuper, ut Raſchius argumentatur, neſciretur quale Sabbathum intelligendum eſſet. A partibus traditionariorum præter Onkeloſum etiam ſtat Joſephus *Antiq. l. III. c. X.* p. 93. τῇ δευτέρᾳ τῶν ἀζύμων ἡμέρᾳ ἕκτη δ᾽ ἐστὶν αὕτη καὶ δεκάτη *ſecunda azymorum die, quæ eſt menſis hujus decima & ſexta* ſcil. offerebant manipulum.

[3] Quum *manipulus agitationum* ritus in Antiquitatibus ſacris celeberrimus ſit, non poſſum quin ad ſyſtema Auctoris complendum brevem ejus Hiſtoriam ſubjiciam. 1. Nomen dicitur עמר התנופה Lev. XXIII. 15. uti in eod. cap. panes Pentecoſtales לחם תנופה *panis agitationis* v. 18. nam ut Maimonides habet tr. תמידין c. VII. מניפו במזרח מוליך ומביא מעלה ומוריד *agitabatur ad ortum, movebatur huc illuc, furſum & deorſum*. 2. Conſtabat ex hordeo. Id. l. c. עומר זה מן השעורים היה בא ודבר זה הלכה ממשה רבינו *manipulus hic ex hordeo veniebat. Hoc autem παράδοσις eſt a Moſe Magiſtro noſtro*. Traditio probabilitatem inde habet, quod illo tempore triticum ad maturitatem nondum pervenerit. Hordeum enim citius matureſcebat vid. Exod. IX. 31. 32. Favet Joſephus Antiq. l. III. c. x. p. 93. Manipulus autem e frumento recenti deſumendus Lev. XXIII. 10. unde ראשית קציריכם *primitiæ meſſis veſtræ*. 3. Hordeum hoc procreſcere debebat in terra Canaan, quod Celeberrimus Magiſter colligit ex Lev. XXIII. 10. demetebatur in loco, ſi fieri poterat, Hieroſolymæ propinquo conf. מנחות c. x. 2. 4. Tempus ſcil. ineunte die XVI. poſt occaſum ſolis, licet Sabbathum fuerit. 5. Modus demetendi. Hunc Miſchnicorum verbis dabo tractat. מנחות cap. x. 3. כיצד היו עושין שלוחי בית דין יוצאים מערב יום טוב ועושין אותו כריכות במחובר לקרקע כדי שיהא נוח לקצור וכל העיירות הסמוכות לשם מתכנסות לשם כדי שיהא נקצר בעסק גדול כיון שחשכה אומר להם בא השמש אומרים הין בא השמש אומרים הין מגל זו אומרים הין מגל זו אומרים הין קופה זו אומרים הין קופה זו אומרים הין בשבת אומר להם שבת זו אומרים הין שבת זו אומרין הין אקצור אומרים לו קצור אקצור והם אומרים לו קצור שלשה פעמים על כל דבר ודבר והם אומרים לו הין הין הין *Quæ ratio* manipuli colligendi? *Legati Synedrii ante diem feſtum egrediebantur atque* (hordeum) *terræ adhærens in faſciculos ligabant ut facilius demeti poſſet. Oppida vicina illuc conveniebant ut meſſis magna pompa perageretur. Quando obtenebraſcebat, rogabat aliquis: Occiditne ſol? Reſpondent: Ita. Occiditne ſol? denuo reſpondent: Ita. Quærit præterea: An falce hac? Ita. An falce hac? Ita. Inſuper interrogat. Num hoc caniſtro? Sic. Num hoc caniſtro? Sic. Si incidit in diem Sabbathi, rogat aliquis. An hoc Sabbatho? Ita. An hoc Sabbatho? Ita. Rurſum quæritur. An demetam? Ita. An demetam? Ita ternis vicibus interrogare & totidem ad interrogata reſpondere, Ita, Ita, Ita, ſolebant*. Hoc autem omne propter Baithoſæos aut Sadducæos, de quibus annot. ſuperiori, fieri in fine obſervatur. 6. Quantitas. Demetebantur tria ſata hordei vid. c. c. §. 1. & Maim. tr. cit. Dein in templum apportabantur, ubi igne torrebantur. Jam נתנוהו בריחים של גרוסת והוציאו ממנו עשרון שהוא מנפה בשלש עשרה נפה והשאר נפדה ונאכל לכל אדם וחיב בחלה ופטור מן המעשרות *molæ, qua fabæ* com-

comminui solent, indebant atque inde decimam, quæ per XIII. cribra cribrata erat, secernebant. Id vero, quod residuum, redimebatur & a quocunque comedi poterat. Obligabatur tamen ad jus placentæ, non vero ad decimam. 7. Usus: נתן שמנו ולבונתו יצק ובלל הניף והגיש וקמץ והקטיר והשאר נאכל לכהנים *addebatur oleum & thus ejus, affundebatur, commiscebatur, agitabatur, adducebatur, pugillus capiebatur, isque adolebatur, sed reliquum comedebatur a sacerdotibus* l. cit. §. 4.

4 De duobus his panibus prolixus Maimon. noster tr. תמידים c. VII. unde nonnulla solum describo. מביאי׳ שלש סאי חטי׳ חדשות ושפין אותן ובועטון בהם כדרך כל המנחות וטוחנין אותן סולת ומנפין מהן שני עשרונות מנופה בשנים עשרה נפה והשאר נפדה *adferunt tria tritici recentis sata, quæ conterunt & calcant, ut in aliis sertis fieri solet. Tum commolunt similam atque inde secernunt duas decimas XII. cribris cribratas. Reliquum autem redimitur*. Cavent autem ut unaquæque decima e semisato conficiatur, ut unusquisque panis seorsim pinsatur & coquatur, necnon fermentetur. De forma in hunc modum: מרובעות הן אורך כל חלה ז׳ טפחים ורחבה ד׳ טפחים וגבהה ד׳ אצבעות *quadratæ formæ erant. Longi VII. lati IV. palmos, sed alti IV. digitos existebant*. Panes hi more solito una cum duobus agnis pacalibus agitabantur, non tamen aræ admovebantur, eo quod fermentati erant vid. *dissert. nostr. de fertis inferment.* §. 10. Verum dividebantur שתי החלות נוטל כהן גדול אחת מהם והשניי׳ מתחלקת לכל המשמרות ושתיהן נאכלות אותו היום וחצי הלילה כבשר קדשי קדשים *de duabus placentis unam accipiebat Pontifex, altera distribuebatur inter vigilias. Ambæ comedebantur una die & dimidia nocte, ea ratione qua caro sacrificiorum sanctiorum*. Conf. tr. מנחות c. XI. Joseph. *Antiq.* l. III. c. 10. p. 193.

5 Æquissimum, ut primo Deo, cujus benedictione fruges terræ procrescunt, oblatio fieret. Hinc ipsæ Gentes primitias diis sacras fecere. Mischna tr. מנחות cap. x. 5. משקרב העומר הותר החדש מיד והרחוקים מותרים מחצות היום ולהלן משחרב בית המקדש התקין רבן יוחנן בן זכאי שיהא יום הנף כולו אסור *ex quo manipulus oblatus erat, proventus novus quoque concessus erat. Illi, qui longe dissiti, a meridie & postea licentiam habebant. Sed Templo destructo Rabban Jochanan fil. Zaccai ordinavit, ut proventus novus tota agitationis die* (scil. XVI. Nisan) *prohibitus esset*, Conf. Maim. tr. תמידים c. VII.

6 Hunc in finem Lex Divina data est Lev. XXIII. 10. *& numerabitis vobis e crastina Sabbathi a die, qua manipulum agitationis adduxeritis: septem septimanæ integræ sunto*. Hinc actus ספירת העומר *numeratio manipuli* apud Judæos audit. Quem, quia sacer est, precatione incipere solent באי אמ״ה אק״בו על ספירת העומר *Benedictus sis Domine Deus noster, Rex mundi, qui sanctificasti nos præceptis tuis & præcepisti nobis de numeratione manipuli*. Vide Maim. tract. תמידין cap. VII. f. Ipsum autem modum numerandi dabo verbis Auctoris Schulch. Ar. ex Ord. Or. Chajim. n. 489. בליל שני אחר תכלת ערבית מתחילין לספור העומר ואם שכח לספור בתחלת הלילה הולך וסופר כל הלילה ומצוה על כל א׳ לספור לעצמו וצריך לספור מעומד ולברך תחלה וסופר הימים והשבועות כיצד ביום הראשון אומר היום יום אחד עד שמגיע לשבעה ימים ואז יאמר היום שבעה ימים שהם שבוע א׳ וביום שמיני יאמר היום ח׳ ימים שהם שבוע א׳ ויום א׳ וכן עד שיגיע לי״ד ואמר היום י״ד ימים שהם שני שבועות ועל דרך זה מינה והולך עד מ״ט יום *Post orationem vespertinam ineunte nocte secunda numerum manipuli inchoare solent. Si quis numerationem hanc oblitus est, poterit deinceps tota nocte numerare. Singulis incumbit, ut in usum proprium numerent atque hoc stando. Præterea tenentur præmittere orationem, numerare & dies & septimanas. Modus autem hic est. Die prima inquit: Hodie dies primus & sic (numerat dies) donec accesserint septem dies: Tum vero dicet: Hodie est dies septimus, qui unam constituit septimanam. Die octavo: Hodiernus dies octavus est, qui facit unam septimanam & insuper unum diem. Quomodo pergit ad diem XIV. Tum ait Hodiernus dies est XIV. qui conficit duas septimanas? Ad hunc modum computus ad XLIX. diem ducitur*. Etiamnum Judæi tempus, quod inter Pascha & Pentecostem interjectum est, numerant.

7 Quam variæ extant Virorum Doctorum de Sabbatho Deuteroproto conjecturæ, nemini ignotum esse valet. Auctori nostro maxime arridet Scaligeri, nec immerito. Convenit (a) tempus. Tum enim spicæ ad maturitatem perductæ in agris reperiri poterant. (b) Nomenclatio, quia enim ex instituto Dei initium a δευτέρᾳ τοῦ πάσχα in septem illis septimanis numerandis figendum & in numeratione semper ad illud respiciendum, Sabbathum, quod δευτέραν τοῦ πάσχα sequitur, δευτερόπρωτον haud male dicitur. Alius aliquis dies aut mensis a numero secundo vel in Scriptura vel in monumentis Judæorum ita cognitus non est. Insuper notatum volo hanc nomenclationem oppositam videri Sadducæis, Baithosæis, qui affirmabant omnem manipuli agitandi diem in primum septimanæ incidere. Ut autem hic error ex mente populi eximeretur, Pharisæi omnem occasionem sumserunt ostendendi incidere in diem Paschatis secundum; hinc Sabbatha cum relatione ad τὴν δευτέραν τοῦ πάσχα nominarunt. Cæterum vocabulum liceat conferre cum constructione Mischnicorum uti tract. יומא c. V. 5. קרן דרומית מזרחית κέρας ἀνατολικὸ μεσημβρινὸν Horn daß Süd-Ost stehet. Ita Sabbathum illud dicebatur שבת שני ראשון hinc Lucas δευτερόπρωτον.

8 Constat ex situ Palæstinæ & regionum, quas nos incolimus. Diversissima enim est poli elevatio & hinc calor multum varians. Quo autem æstus intensior, eo fruges citius ad maturitatem perducuntur. Constat insuper ex manipulo hordei recentis, qui jam XVI. Nisan Deo offerendus erat. Atque hoc ordinario fiebat. Extra Ordinarium enim habetur, quando ob defectum hordei novi annus intercalandus. Ejusmodi edictum R. Simon filii Gamalielis notavit Cel. Coccejus Sanh. c. I. n. 9. *notum vobis facimus, quod quum pulli adhuc sint teneri & agni tenues* וזימנא ראביבא לא מטא *& tempus prætmetii non venerit, mihi visum sit addere huic anno XXX. dies*, Tandem constat ex Bava Metzia f. 136. 2. *dimidium Nisan, totus Jiar & dimidium Sivan est* קציר *tempus messis*. Integrum testimonium, quod cœli Cananæi naturam egregie pandit, tradit Ligtfootus Op. T. II. pag. 618.

CAPUT SEXSTUM.

De Tabernaculorum.

σκηνοπηγία.

Nomina festi tabernaculorũ.

I. VOCABULUM Græcum, quod adhibetur ad exprimendum boc festum, notat proprie *structionem tabernaculorum*. *Jans. Concord. cap.* 73. Item *Tolet. in Joh. VII.* Hebraice dicitur חג הסכות *FESTUM TABERNACULORUM*. [1] Utriusque etymi ratio est, quod per totum hoc festum, quod septem plenos dies habebat, nempe a *decimo quinto* mensis *Tisri* usque ad *vigesimum primum* populus mansitaret sub *tabernaculis* & *tentoriis* in formam fornicum & porticuum exstructis. Primus tamen horum septem dierum & septimus singulari modo celebrari debebant, quum esset iisdem *convocatio sancta*.

Tempus.

Tabernaculorum forma, usus.

II. Quantum ad hæc *tabernacula*, de iis sic scribunt Judæi, oportebat ea fieri sub dio, [2] non intra portas, aut sub tegmine alicujus arboris; nec tegi velis, nec condensari frondibus; sed relinqui Solis radiis stellarumque scintillationibus & pluviis rimulæ debebant, per quas illaberentur. Sub his septem dies agitabant velut in suis ædibus; propterea que illa & suppellectile & lectis instruebant, nimboso tamen æthere cibum somnumque capere in ædibus concessum erat, usquedum tempestas illa discussa esset. Vide *Munster*. Levit. XXIII. Infirmis quoque, qui vapores terræ ferre nequibant, remanere domi licebat. Tempore *Nebemiæ* conficiebant sua *tabernacula* super tectis domorum, [3] ædes enim ipsorum non culminatæ, sed planæ erant. Deut. XXII. [8] aut in atriis suis, aut plateis. Neh. VIII. 17.

Materia.

III. Plutarchus referens hoc festum *Sympos.* 4. *Probl.* 5. ait, quod hæc *tabernacula* præprimis constructa fuerint ex hedera. Sed S. Literæ tradunt quatuor frondium species, queis *tabernacula* sua munierunt, Levit. XXIII. 40. quæ putantur esse sequentes. 1. *Thyrsi olearum*. 2. *Thyrsi palmarum*. 3. *Termites myrtorum*. 4. *Rami salicum*. [4]

Fasciculi ramorum gestatio. Nomen.

IV. Rabbini produnt, quod quisque quovis mane hunc suum ramorum fasciculum tulerit aut quod alias jejunarit. *P. Fagius*, Levit. XXIII. Hunc fasciculum appellabant *Hosanna* [5] *Elias Thisbit*. Hinc populus intranti Salvatori nostro Hierosolymam putabat ramos ab arboribus, sternebatque super via, ingeminans: Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. *Matth. XXI.* 9.

Plutarchus festũ tabernaculorum cõparat Bacchanalibus

V. *Plutarchus*, illudens Judæis, comparat hoc festum *Sacris Bacchi Bacchanalibus*, in quibus convivæ circumcursitabant, hastas sacras hedera vestitas, quas θύρσους vocabant, manibus tenentes: quapropter festum *Tabernaculorum* appellavit θυρσοφορίαν *gestationem thyrsorum*. Hoc festum non dissimile festo, quod *Athenienses* vocant Ἐιρεσιώνη [6]

Tempus circumgestationis palmarum circa aram

VI. Primo post hoc festum die 7 septies altare circumviverunt, manibus palmarum termites gestantes, in memoriam captæ *Hierichuntis*; ex hac causa, vel quod palmarum rami præcipui essent in fasciculis, hoc festum vocatum est *dies palmarum*. *Hospin. de Orig. Fest. cap.* 7. item *Munster in Calend.* p. 150.

Rationes festi.

I.

VII. Quantum ad *rationes* hujus festi. [8] Quidam putant id institutum fuisse ob memoriam protectionis, quam Deus Israelitis, desertum transeuntibus, nube dedit, sub cujus umbra, tanquam sub tuto papilione, iter faciebant. *Onkelos* in suo *Targum* seu Paraphrasi Chaldaica videtur huic sententiæ annuere; nam ubi Hebræi legunt: *Ut cognoscant generationes vestræ, me fecisse, ut habitarent filii Israelis in tabernaculis. Levit. XXIII.* 43. Chaldæus Paraphrastes vertit: *Ut generationes vestræ sciant, quod fecerim habitare filios Israelis* במטלא ענגין *sum umbra nubium*. Alii putant illud festum institutum tanquam solennem gratiarum actionem pro vindemia, quæ eo tempore colligebatur; hinc intelligunt eos *Psalmos* Davidis, qui inscribuntur על הגתות *pro torcularibus*, compositos esse in hoc festum. *Theoph. in Job. VII.* Alii verisimilius loquuntur, dicentes, rationem ejus esse patrum ipsorum habitationem in *tentoriis* & *papilionibus*. Textus claret. *Levit. XXIII.* 43.

2.

3.

Sacrificia.

VIII. *Sacrificia*, quæ his septem diebus offerebantur, præscripta sunt. *Num. XXIX.* 13. 14. [9] ubi legimus singulis diebus eadem sacrificia fuisse facta; hac tamen differentia, quod prima die offerrent *terdenos* juvencos subrumos, secunda die *duodenos*, die tertia *undenos*, & sic deinceps quovis die, descendente numero. Rationem cujusque diminutionis hanc esse ajunt Judæi; Totus numerus juvencorum, qui in hoc festo erant offerendi, erat *septuaginta*, juxta numerum *septuaginta nationum*, pro quibus, ut dicunt, hæc sacrificia facta sunt, quo prænunciari diminutionem istarum gentium, usquedum

cun-

cuncta sceptro *Messiæ*, qui est desiderium gentium, ingenicularent. *Hospin. de Orig. hujus festi*.

Dies XXII peculiare festum.

IX. Dies vigesimus secundus mensis *Tisri* peculiare quidem festum fuit. [10] ut patet ex *Neh.* VIII. 19. Verum, quia is immediate sequebatur festum *tabernaculorum*, reputatus est pro ultimo festi illius die.

Priores 7. dies Hosannot, sed octavus Hosanna Rabba.

X. Non soli autem rami, sed etiam dies totius hujus festi vocati sunt הושענות *Hosannot*, a solenni acclamatione populi, cum fasciculos ramorum huc illuc ferrent. Octavus dies [11] dicebatur הושענה רבה *Hosanna Rabba magna*, seu magnus festi dies, *Joh. VII.* 37. *Talmud. tract. de festo Tabernac. c.* חלל *Vid. Tremell. Joh. VII.*

Eodem Pentateuchus finitur inchoaturq;

XI. Hoc die [12] Judæi legunt ultimam sectionem Pentateuchi, incipiuntque primam, ne videantur plus hilares ob sectiones finitas, quam proclives eas exordiendi. *Buxtorf. in Abbreviat. p.* 253.

Nec non libatur aqua.

XII. Hoc [13] quoque die juxta constitutionem [14] Prophetarum *Haggai*, *Zachariæ*, & aliorum propheticorum virorum, [15] magna cum solennitate & lætitia quæ abundantiam ex torrente Siloah in templum tulere, quæ ubi Sacerdotibus tradita, cum vino in altare effundebatur, canente toto populo illud, *Esa. XII.* 3. *Haurietis aquas in lætitia ex fontibus salutis*. Salvator noster censetur hoc respexisse in illo dicto, [16] quo usus est eodem die *Joh. VII.* 38. *Qui credit in me*, ποταμοὶ ὕδατος ζῶντος ῥεύσουσιν ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ *fluvii aquæ vivæ fluent ex ventre illius. Tremell. Joh. XII. 37. ex Talmude*.

Tempus festi a Jeroboamo immutatur.

XIII. Notatu quoque dignum est, quod cum Deus præcepit hoc festum agitari decimo quinto mensis *Tisri*, Jerobeam, ut dedoceret populum verum Dei cultum, ordinarit die decimo quinto mensis octavi festum, quod respondere existimatur festo *Tabernaculorum*. *Hospin. de Orig. hujus festi pag.* 24.

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

Annot. [1] Insuper dicitur חג האסף *festum collectionis* scil. frugum arborum, vineæ Exod. XXIII. 16. Deut. XVI. 13. ubi simul ratio nominis datur. Vel simpliciter חג *festum*. Quia enim festum Tabernaculorum lætissimum, quo fruges agrorum & arborum in horrea collectæ sunt, quo beneficiis abs Deo acceptis largiter frui poterant, κατ᾽ ἐξοχὴν חג *festum* appellatur. Maimon. tract. שופר וכ״ו cap. VIII. 12. אף על פי שבכל המועדות מצוה לשמוח בהם בחג הסכות היתה במקדש יום שמחה יתירה *Omnibus quidem festis diebus lætandum, sed durante festo Tabernaculorum maximum in Templo gaudium existebat*. Hinc dies Messiæ, qui lætissimi, festi tabernaculorum nomine veniunt Zach. XIV. 16. Hinc quoque Christus tanquam Messias salutatus iis Ceremoniis, quæ alioquin ad festum σκηνοπηγίας pertinent, in festo Paschatis excipiebatur, Matth. XXI.

[2] Tract. סוכה c. I. 2. העושה סוכתו תחת האילן כאלו עשאה בתוך הבית *qui Tabernaculum suum infra arborem figit, idem ac si fixisset intra ædes*, quod legibus quam maxime adversatur. Conf. Schulch. Ar. ex Ord. Or. Ch. n. *626*. aliosque, qui hæc & alia ad nauseam usque tradunt, disputant. Saniores videntur Karræi, qui ejusmodi minutias haud curant. Voluntati Legislatoris jam satisfactum est ab iis, qui tentoria, qualia ab Israelitis in deserto vagabundis incolebantur, inhabitabant. Plurimum ejusmodi ineptæ quæstiones a vero scopo animos avocare solent.

[3] Quia autem tecta nostra culminata sunt, in iis Tabernacula struendi nulla prorsus occasio, solent tamen alicubi, ubi a Christianis irridentur, tecta aut potius tecti partem ad tempus detegere, ut ita convenienter voluntati Sapientum in tentoriis sub dio commorari possent. De tectis planis Orientalium vid. Matth. X. 27. XXIV. 17. Marc. II. 4. & alibi.

[4] Duo hic notanda sunt 1. Significatus quatuor specierum frondium, quas Auctor memorat. Prima Lev. XXIII. 40. dicitur פרי עץ הדר *fructus arboris pulcherrimæ*, uti optime vertit Vulgatus. Ergo Deus nullam speciem determinavit, quod demum a Sapientibus posteriori ætate factum. Hinc Onkelos פארי אלנא אתרוגין באמת כי אין פרי עץ יותר הדר ממנו *fructus arboris citrei*, (uti plurimi alii Judæi.) *Vere: neque enim fructus formosior est citreo*. Ipse mallem cum traditionariis hoc accipere modo, quam cum aliis de *thyrso olearum*. Distinguendus פרי *fructus* a ענף *ramo* sive thyrso. Secunda כפות תמרים Vulg. *Spathulæ palmarum* Onkelos לולבין uti communiter Maim. tract. שופר וכ״ו *l. cit.* כפות תמרים האמורות בתורה הן חריות של דקל כשיצמחו קודם שיתפרדו העלין שלהן לכאן ולכאן אלא כשיהיה כמו שרביט והוא הנקרא לולב כפות תמרים *de quibus in Lege sunt rami palmarum, quando progerminant, neque folia in hoc illudve latus divisa sunt: quando adhuc sceptri formam tenent. Talis* לולב *Lulabh dicitur*. Tertia ענף עץ עבות Vulg. *rami ligni densarum frondium* LXX. κλάδους ξύλου δασέος Rursum speciem non determinatam expresserunt Sapientes: Hinc Onkelos הדסין *myrtum*. Maim. l. cit. הוא ההדס שעליו חופין את עצו שיהיו שלשה עליו או יותר על כן בנבעול אחד *intelligitur myrtus, quam ejus folia obtegere solent*. Sequitur quarta ערבי נחל *salices torrentis*, qui optime ad aquam procrescunt. Idem ערבי נחל האמורות בתורה אינן כל דבר הגדל על הנחל אלא מין ידוע הוא הנקרא ערבי נחל עלה שלה משוך כנחל ופיו חלק וקנה שלו אדום וזה הוא הנקרא ערבה ורוב מין זה גדל על הנחלים לכך נאמר ערבי נחל ואפי׳ היה גדל במדבר או בהרים כשר ערבי נחל *de quibus in Lege, non omne id, quod ad torrentem crescit, notat, sed certam aliquam speciem, quæ appellatur* ערבי נחל Salices torrentis, *quorum folia protenduntur juxta torrentem, ora glabra, calamus rubicundus. Memorata species* ערבה Salix *dicitur, plurimumque reperitur ad torrentes, unde* Salices torrentis. *Licet vero reperiretur in deserto aut montibus, adhiberi nihilominus posset* 2. Num memorata inserviverint Tabernaculo inde exædificando, an fasciculo manibus gestando. Prius sentiunt Sadducæi, atque cum iis nonnulli Christiani. Aben Esra ad Lev. XXIII. הצדוקי׳ אמרו כי מאלה תעשו סכות והביאו ראיה מספר עזרא *Sadducæi ajunt ex dictis (v. 40. c. XXIII.) tentoria conficienda esse atque probationem petunt ex Libro Esræ* scil. c. Neh. VIII. 15. &c. Sed posterius Rabbanitæ. Hi enim affirmant fasciculum ex spatula palmæ, myrto atque Salicibus constare debere eumque manu dextra gestandum, sed malum citreum sinistra vid. Maim. tract. & c. c. Ubi inter alia scribit כמה נוטל מהן לולב אחד ואתרוג אחד ושני בדי ערבה וג׳ בדי הדס ואם רצה להוסיף בהדס ובערבה כדי שתהיה אגודה גדולה מוסיף *Ex his speciebus quot sumit? Spatulam unam, malum citreum unum, duos calamos salicis & tres myrti, si quis ramis salicis aut myrti ut fasciculus major fiat, addere vult, addat*. Conf. סוכה c. III. 4. Si meum hac de controversia judicium apponere licet, posteriores ad veritatem pro-

pius accedere exiſtimo, non quidem quoad modum, quem humanum eſſe ultro fateor. Rationes ſunt א Moſes Levit. XXIII. non aſſerit tabernacula ex fructu arboris ſpecioſæ &c. figenda eſſe, verum potius diſtinguit v. 40. 42. ב Dein verba ולקחתם *& ſumetis die primo* &c. de geſtatione ſpecierum nominatarum ope manus ſine ulla στρεβλώσει accipi poſſunt conf. 2. Reg. XIII. 15. &c. ג Alias dicendum tabernacula demum die feſti prima erigenda fuiſſe, quod ἄπτον ד Nehem. VIII. 15. non eſt locus Parallelus cum Lev. XXIII. Recte Aben Ezra הלא יראו כי אין בספר עזרא ערבי נחל ולא פרי עץ כלל *Annon (Sadducæi) vident in Libro Eſræ nullam fieri mentionem ſalicum torrentis & fructuum arboris?* Hodienum Judæi diſtinguunt inter geſtationem faſciculorum atque tentoriorum habitationem.

[5] Exemplum in phraſi מנענעין את הושענות *commovent faſciculos*. Conf. *Buxtorf. Abbrev.* p. 80. edit. Baſil. 1640. Quare autem ipſi faſciculi hoc nomen habeant, ex uſu eorum conſtat: ſcil. eos tenentes inclamant Deum הושיעה נא *Salva quæſo*. Ita Matth. XXI. 9. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ qs. *ſalutem affer, o Deus, filio Davidis*, ut regnum ejus ſtabile ſit, conf. Joh. XII. 13. ubi inſuper additur acclamantes geſtaſſe τὰ βαΐα τῶν φοινίκων. h. e. לולבין.

[6] Ad hanc feſti ſolennitatem reſpicere videtur Tacitus Hiſt. l. V. *Quia ſacerdotes eorum tibia concinebant, hedera vinciebantur, vitiſque aurea Templo reperta Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati ſunt*. Fateor non omnia convenire, ſed hæc fruſtra ab Ethnico ſcriptore, Tacito præſertim, exſpectas. Tract. סוכה c. V. 4. הלוים בכינרות ובנבלים ובמצלתים ובחצוצרות ובכלי שיר בלא מספר וכ"ו ועמדו שני כהנים בשער העליון שיורד מעזרת ישראל לעזרת נשים ושתי חצוצרות בידיהן *Levitæ (aderant) cum citharis & nabliis, cymbalis atque tubis aliiſque inſtrumentis muſicis innumeris &c. Duo quoque Sacerdotes ſtabant in porta excelſa, qua ex atrio Iſraelis ad atrium mulierum deſcenſus patet, atque duas tubas manibus geſtabant*.

[7] Quæ ſit Judæorum qua veterum, qua recentiorum hac de re conſuetudo, docet Maimon. tr. שופר c. VII. 23. ex quo ſimul de Auctoris aſſerto judicium ferri poteſt. בכל יום ויום היו מקיפין את המזבח בלולביהן בידיהן פעם אחת ואומרים אנא ה' הושיעה נא אנא ה' הצליחה נא וביום השביעי מקיפין את המזבח שבע פעמים וכבר נהגו ישראל בכל המקומות להניח תיבה באמצע בית הכנסת ומקיפין אותה בכל יום כדרך שהיו מקיפין את המזבח זכר למקדש *Altare ſingulis diebus cum Lulabh in manibus una vice circuire ſoliti ſunt & dicere: Quæſo Domine ſalva, fac ut proſpere ſuccedat, obſecro. At die ſeptima altare ſepties circuibant. Nunc vero Iſraeli receptum ut arcam in media ſynagoga ſiſtat eamque ſingulis diebus eo circumeat modo, quo olim altare εἰς μνημόσυνον Templi*. Conf. tract. סוכה c. IV. 5.

[8] Duæ poſteriores rationes omnino conjungendæ ſunt. Utraque cum natura feſti convenit. Ultima expreſſis verbis exſtat Lev. XXIII. 43. Altera non minus certo colligitur ex Exod. XXIII. 16. &c. Æquiſſimum enim ut decentes grates Deo dicerent pro frugibus arborum, uti prius pro fructu agri. Hunc in finem id anni tempus elegit Deus, quod jucundiſſimum erat & quo laboribus æſtivis fatigati vires denuo ſumunt. Perplacent, quæ de hoc feſto habet מורה נבוכים ſive *Doctor perplexorum* tr. III. c. XLIII. p. 163. והיותו בזה הפרק הנה בארה התורה סבתו באספך מן השדה רוצה לומר עת המנוחה והפנאי מן העסקים ההכרחיים וכבר זכר ארסטו במאמר התשיעי מספר המדות שכן היה העניין מפורסם באמות מקדם אמר כזה הלשון הקרבנות הקדומים והקבוצים היו אחרי אסוף התבואות והפירות כאלו היו הקרבנות מפני הרוחה זהו לשונו ועוד שישיבת הסוכה בעת ההיא אפשר לסבלה אין חום גדול ולא מטר מצער Ex Interpretatione Buxtorfii F. *Cur autem illo tempore ferietur, ejus cauſam aperte Lex indicat; dum ait: Eo quod collegeris opera tua ex agro q. d. quia tum requies tibi eſt & reſpiratio a tuis negotiis. Ita meminit Ariſtoteles in libro octavo Ethicorum, idem in more olim fuiſſe apud Gentiles, in hunc ſenſum fere ſcribens;* Sacrificia antiqua, cœtuſque & conventus, qui ſacrificiorum cauſa habebantur, facta fuerunt poſt collectionem fructuum & proventuum, quaſi eſſent pro reſpiratione facta. *Hæc ille. Sed & ideo factum eſſe poteſt, quia illo tempore tolerabilis maxime eſt commoratio in tabernaculis, eo quod tum neque æſtus neque pluvia moleſta nimis eſſe ſoleat*. Illuſtra hinc Gen. IV. 2.

[9] Quæ fuſius a Moſe Num. XXIX. de ſacrificiis feſti Tabernaculorum dicta ſunt, ea Moſes Maimonides in compendium redegit. Tr. תמידין ומוספין c. X. ab in. ביום הראשון של חג הסוכות מקריבין מוסף היום שלשה עשר פרים ושני אלים וי"ד כבשים כולן עולות ושעיר חטאת נאכלת וכן בכל יום ויום משבעת ימי החג מקריבין שני אלים וארבעה עשר כבשים ושעיר חטאת אבל הפרים פוחתין אחד אחד בכל יום בשני מקריבין שנים עשר בשלישי אחד עשר עד שימצא קרבן יום שביעי פרים שבעה אלים שנים כבשים ארבעה עשר הכל עולות ושעיר חטאת Interprete Lud. de Comp. de Veil. *Ad primum diem ſolennitatis tabernaculorum quotidianis ſacrificiis addebantur tredecim juvenci, arietes duo & quatuordecim agni, qui mactabantur omnes in holocauſta, porro hircus in hoſtiam pro peccato comedebatur. Et ſic deinceps quolibet die ex ſeptem tabernaculorum diebus duo arietes & agni quatuordecim mactabantur & præterea hircus in hoſtiam pro peccato. At juvenci quotidie minuebantur uno: itaque ſecundo tabernaculorum die mactabantur duodecim, tertio die undecim, adeo, ut ad diem ſeptimum juvenci ſeptem, duo arietes & agni quatuordecim mactarentur: omnes in holocauſtum & hircus in hoſtiam pro peccato*.

[10] Tale quoque in ſcriptis Judæorum habetur: Hinc non eadem jura ſeptem prioribus diebus, quæ octavo. Differentiam his initialibus integrarum vocum literis indicare ſolent: פזיצ קש"ב ſcil. פיים *ſors*, quæ propter functiones die octava projiciebatur. זומן *indictio* רגל בפני עצמה *feſtum peculiare*, quo habitatio in tentoriis intermittenda eſt, hinc in סוכה c. IV. 1. ז סוכה וניסוך המים *Tentorium & effuſio aquæ per ſeptem dies* durat. Inſuper קרבן בפני עצמה *ſacrificium peculiare* de quo Maimon. tr. תמידין c. X. ביום השמיני עצרת מקריבין מוסף היום פר ואיל ושבעה כבשין כולן עולות ושעיר חטאת *die octavo, qui Azæreth dicitur, offertur addititium hujus diei ſcil. juvencus, aries, ſeptem agni, qui omnes toti conſumebantur. Inſuper hircus in ſacrificium pro peccato*. Præterea שיר בפני עצמו *canticum peculiare* & tandem ברכה בפני עצמו *benedictio peculiaris*. vide Ligtfoot. Op. T. II. 631.

[11] Unde hoc Auctor noſter depromſerit, ego ignoro. In faciem contradicit Auctor Schulch. Ar. ex Ord. Or. Chajim. ביום ז' שהוא הושענא רבא נוהגים להרבות במזמורים *die ſeptimo, qui Hoſanna Rabba audit, cantus multiplicare ſolebant*, unde etiam nomen habet. Conf. ſupra annot. 8.

[12] Cum auctore idem teſtatur Abarbanel *Comment. in Leg. ad Deut. XXXI.* ſed Buxtorfius ait incidiſſe in diem nonum *Synag. Jud. c. XXVII. p.* 540. Ego putem & illum & hunc verum dicere, pro varia, vario tempore & loco, Judæorum conſuetudine. Dies hic alias dicitur חג שמחת תורה *feſtum lætitiæ legis*, quod erudite tractavit nominatus indefeſſus Antiquitatum ſcrutator l. cit.

[13] Tempus libationis aquæ quod attinet, illud minus accurate Anglus noſter definit. Videtur enim affirmare die nonniſi octava (ſaltem reliquorum non meminit) aquam illam libatam fuiſſe, quomodo ſe res minime habet. Imo dubium eſt, an illa die obtinuerit. Hoc quidem a Ligtfooto affirmari novi l. cit. novi quoque in tr. סוכה t. ult. §. 9. R. Jehudam dicere היה מנסך כל שמונה *libabatur toto octiduo*. At monet R. Obad. de Bartenora hanc ſententiam communiter non valere, quemadmodum ex c. IV. 1. ubi ſpatio ſeptidui terminatur. Pariter Maim. tr. תמידין c. X. כל שבעת ימי החג מנסכין את המים על גבי מזבח *Totis ſeptem feſti tabernaculorum diebus aquam in ara libabant*. Initium ſolennitas hæc ſumebat egrediente die primo tr. סוכה c. V. 3.

[14] Mos a Deo inſtitutus non legitur. Maim. tr. & cap. cit. *traditionem Moſis a monte Sinai eſſe* docet. Quicquid ſit, jam vetuſtiſſimis temporibus obtinuit.

[15] Hanc ſolennitatem ab illis, qui optimi in Iſraele habebantur, peractam monumenta tradunt. Maimonid. tractat. שופר cap. ultim. 14. מצוה להרבות בשמחה זו ולא היו עושין אותה עמי ארץ וכל מי שירצה אלא גדולי חכמי ישראל וראשי הישיבות והסנהדרין והחסידים והזקנים ואנשי מעשה הם שהיו מרקדין וכ"ו אבל כל העם האנשים והנשים כולן באין לראות ולשמוע *Gaudium hoc ſi multiplicatur, optime ſe habet. Non plebejus, aut qui voluerit,*

cele-

celebritatem hanc peragit, sed nonnisi sapientissimi in Israele, Rectores Academiarum, Judices, excellenter pii, Seniores, & qui gestis famam acquisiverunt: Memorati saltabant &c. Verum omnis populus tam fœminæ quam Viri, omnes spectatum & auditum veniunt. Hinc summam quærunt in testificatione hujus gaudii sanctitatem, prout Celeberrimus Magister in sequentibus deducit כל המשפיל עצמו ומקל גופו במקומות אלו הוא הגדול המכובד עובד מאהבה *Is qui se ipsum humiliat atque proprium corpus vile reputat, ille maximus & honoratissimus habetur, Deum ex amore colit*. Ipsam solennitatem, quæ paulo prolixa est, ex Mischna & Maimonide quantum potero, fide cuntraham scil. egressu diei festi primi populus in atrio mulierum conveniebat, atque cuncta ad lætitiam testandam parabat. Collocata ibi erant Candelabra ex auro, curæ IV. Sacerdotum florentissimorum commissa. Tanta in templo fulgebat lux ut splendore suo ipsam urbem Hierosolymitanam lucidam fecerit. Maximi & pientissimi certatim lætitiam suam conspicuam reddebant exsiliendo, saltando, faces accensas gestando, tibiis, tubis, citharis, cymbalis aliisque instrumentis Musicis psallendo, voce Deum laudando. Levitæ præprimis in XV. illis gradibus, qui positi inter atrium Israelitarum & mulierum, tam vocali quam Instrumentali Musica omnia replebant. Et quia actus hic Deo acceptissimus habebatur, ille ne quidem die Sabbathi intermittendus erat. Ut autem propius ad libationem aquæ pergamus, desumenda illa erat e celebri fonte Siloah, scil. in ampulla, quæ logos tres capiebat. Tum ferebatur per portam aquarum (quando sonus simplex, dein fractus, rursum simplex edebatur) ad altare holocausti, cujus collem cum ascenderat Sacerdos, ad sinistram se convertit effuditque aquam illam in pelvim argenteam ibi positam. Nam præter pelvim vino libaminis continendo inservientem erat alia magis ad occasum huic aquæ destinata. Hæc a priori in eo etiam differt, quod tenujus foramen habuerit altero, quo una effluerent. Libatio autem fiebat supra dimidiam partem altaris in cornu inter meridiem & occidentem intermedio, sacerdoti libaturo adstantes dicebant, ut manum elevaret, quo scil. omnes videre possent aquam non pedibus affundi, sed pelvi, prout aliquando Sadducæus traditionum contemtor fecisse traditur: Hæc aliaque reperies tr. סוכה c. IV. & V. Maimonid. תמידין c. X.

[16] Convenit א Tempus. Verba citata enim proferebantur ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς scil. festi tabernaculorum, quæ juxta quosdam dies septima, juxta alios octava illorum sententia propius ad verum accedit, etenim dies octava peculiare erat festum, neque illa aqua libabatur. Commode vero dicitur dies septima dies ultima atque etiam magna, nam, ut diximus, usitate apud Judæos Hosanna Rabba sive magna audit. ב Ipsum dictum. *Si quis sitit*, &c. quo Salvator Judæos ad fruitionem spiritualis aquæ sub priori illa significatæ ducebat, neque enim tantam in libatione aquæ fontis Siloah gaudii materiam esse, maximam vero in conjunctione sui verbis illis Salvator innuebat vid. v. 39. Notatu dignissimum, quod Ligtfootus Op. Tom. II. p. 632. e Bereschit Rabba notavit. *Quare vocant eum* בית השואבה *locum haustionis? Quia inde hauriunt Spiritum Sanctum*.

CAPUT SEPTIMUM.

De Festo Buccinarum & Noviluniorum.

Tempus festi buccinarum.

I. UT intelligamus tempus, quo celebrandum fuit hoc festum, notandum est, quod mensis *Tisri*, fuerit *mensis septimus* juxta computationem *sacram*. Hoc festum igitur agitatum est *mensis septimi primo die*, *Levit. XXIII.* 24. Verum juxta computationem *civilem* erat *mensis primus*, [1] sicut hoc festum possit vocari *dies novi anni*.

Novilunia singulis mensibus celebranda.

II. Quisque mensium suum habeat festum. [2] Quo comparebant coram Prophetis, audituri verbum, quemadmodum aliis Sabbathis. *Quare tu is ad ipsum hodie, cum non sit Novilunium, neque Sabbathum? 2. Reg. IV.* 23. 2. Quo nefas fuit emere vel vendere. *Quando transibit Novilunium, ut vendamus annonam? Amos. VIII.* 3. Quo offerebantur peculiaria sacrificia præter quotidiana.

Differentia festi buccinarum a reliquis noviluniis. 1.

III. Festum tamen *Buccinarum* differt a communibus *Noviluniis*. I. Respectu sacrificiorum. In *Novilunio* ordinario offerebant, præter oblationes quotidianas, *juvencos subrumos binos, arietem unum, agnos anniculos septenos integros*, una cum ipsorum מנחה *munere frumentaceo*, & נסיך *libamine & hirco peccati. Num. XXVIII.* 11. 15. Sed *νεομηνίᾳ Novilunio*, quod ordiebatur novum annum, offerebant omnes dictas oblationes, & præterea *juvencum subrumum unum, arietem unum, & hircum e capris in peccatum. Num. XXIX.* 1. 5.

2.

IV. II. Aliis *Noviluniis* non clangebant *buccinis*. [3] Hac autem *νεομηνίᾳ Novilunio* inflabant *buccinas ab aurora ad occasum Solis. Schindl. in voce* שפר. Unde discimus quale *Novilunium sit*, de quo loquitur David, *Psalm. LXXXI. 4. Clangite in Novilunio buccina, in interlunio, die festi nostri.*

Ratio buccinationis.

V. Ratio generalis hujus *buccinationis* & clangoris ingentis videtur mihi fuisse, ut diem novi anni eo observabiliorem redderent, quoniam omnes negotiationes & contractus ipsorum & ipsi anni *Sabbathici* & *Jubilæi* abinde computabantur.

Speciatim cornuum inflatorum.

VI. Verum cur observabilis redditus sit ille dies *buccinis* sive *cornibus*, tres opiniones existunt. I. Hebræi putant, illud fieri in memoriam liberationis Isaaci, buccinatumque fuisse cornibus, quia aries ipsius loco jugulatus sit. *P. Fagius, Levit. XXIII.* II. *Basilius in Psalm. LXXXI.* autumat, quod populo in memoriam revocaretur ille dies, quo acceperant Legem in monte Sinai *cum sono tubæ*. III. Aliorum sententia est, eo ipsos relegisse memoriam resurrectionis, quæ fiet cum σαλπίσματι *sono tubæ*. [4] *Mittit An-*

tit Angelos suos μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης cum voce magna tubæ. Matth. XXIV. 31.

Tria in Noviluniis observanda.

VII. Tria observatu digna sunt in *Noviluniis. Scalig. de Emend. temp.* 26. & 105. I. Σύνοδος *conjunctio Lunæ cum Sole*. II. ξεωγασμὸς *incrementum splendoris Lunæ*. III. Σχῆμα μηνοειδὲς *forma falcata*, seu initium *Lunæ*. In primo statu Luna obscura plane est; In secundo se ipsam proripit ad recipiendos Solis radios. In tertio apparet corniculata.

Ob participatione Veteris & novæ Lunæ duo dies observantur.

VIII. Hinc, cum in tribus istis mutationis gradibus sit mutua participatio veteris & novæ Lunæ, Judæi observant *duos dies*, *ultimum cujusvis mensis*, & *primum sequentis. Hospin. de Orig. Fest. c.* 4. *p.* 15. Eadem ratio tenet etiam in illis mensibus, qui constant 29. diebus. Propterea quia dies trigesimus erat ultimus mensium longissimorum, *Horatius lib.* 1. *sat.* 6. hos ultimos dies vocat *Tricesima Sabbatha*. Primos dies vocabant νεομηνίας *novilunia*.

Transpositio dierum

IX. Ob certam rationem utuntur Judæi *mutatione* quadam seu *transpositione* dierum, quæ transpositio, etsi usurparetur quoque aliis mensibus, summa tamen cum cura in transponendo ipsorum novo anno fiebat, sive die primo mensis *Tisri*. Et is, qui has *mutationes* sedulo conferet, omnes *transpositiones* ab hac prima pendere inveniet.

Triplex.

X. *Transpositio* dierum triplex fuit, *Scalig. de emend. temp. l.* 2. *p.* 58. 1. *Menstrua.* 2. *Politica.* 3. *Mixta*.

1. Menstrua eiusque ratio.

XI. Ratio *transpositionis menstruæ* erat, ne celebrarent festum *novilunii*, usquedum vetus penitus præteriisset. Ut hoc melius elucescat, observa tres regulas. I. Hebræi metiebantur suos dies sacros a vespera in vesperam, initio sumto ab hora sexta, sic ut ab ea hora sexta usque ad meridiem sequentem numerarentur 18. horæ. II. Ante *novilunium* συζυγία seu *conjunctio* est inter Lunam & Solem, qua durante Luna vocatur *silens*, respectu obscuritatis ejus, totoque eo tempore est participatio veteris Lunæ. III. Soluta hac conjunctione, nempe sub illarum octodecim horarum antemeridianarum aliqua, *neomenia* habita est eodem die. Verum si duraret unam minutam post duodecimam meridie, festum transpositum est in sequentem diem; quia alias suum sacrum diem inchoassent tempore veteris Lunæ. *Munst. Calend. Hebr. p.* 46. Et hanc *transpositionem* signant hac abbreviatura יח, h. e. 18. propter horam decimam octavam, quæ illi causam dabat.

II. Politica ejusque ratio.

XII. Ratio *transpositionis politicæ* erat, ne duo Sabbatha sive festa immediate se contingerent; quia iis nefas fuit, ut dicunt, parare cibos, & justa mortuis, & quoque incommodum fuit, duobus diebus abstinere parandis cibis & obruendis humo mortuis. *Munst. Calend. Hebr. p.* 136.

Exceptiones.

XIII. Sed hic admittendæ duæ exceptiones, quando conjunctio immediata duorum festorum evitari nequit. I. Si Pascha sive decimus quintus mensis *Nisan* incideret in Sabbathum: tum Pentecoste necessario incidebat in diem *Solis*. II. Si Pascha incideret in diem *Solis*, tum immediate antecessit Sabbathum hebdomadale. Primus Autor hujus *transpositionis publicæ* erat vir conspicuæ dignitatis *Eleazar*, 350. annis ante adventum Jesu Christi. *Hospin. de Orig. Fest. p.* 6.

Species transpositionum politicæ.

XIV. Peculiares *transpositionis politicæ* species sunt numero quinque: 1. ארו *Adu*, 2. בדו *Badu*. 3. גהז *Gahaz*, 4. זבד *Sabbad*, 5. אגו *Agu*. Ad intelligendas has abbreviaturas sciendum est, quod in his effictis vocibus literæ positæ sint pro numero, & applicentur septem diebus hoc modo: א. 1. *Dies Solis*. ב. 2. *Dies Lunæ*. ג, 3. *Dies Martis*. ד. 4. *Dies Mercurii*. ה. 5. *Dies Jovis*. ו. 6. *Dies Veneris*. ז. 7. *Dies Saturni*, seu Sabbathi Judæorum.

Regulæ.

XV. Regulæ tangentes *transpositionem politicam* hæ sunt. 1. Ne vel *dies novi anni* qui erat *primus* mensis *Tisri* vel *festum Tabernaculorum*, quod erat *decimus quintus* ejusdem mensis, celebretur in ארו, h. e. *Die Solis*, vel *Mercurii*, vel *Veneris*. Non die *Solis* vel *Veneris*, quoniam alias Sabbathum hebdomadale immediate vel antecessisset, vel secutum esset: non die *Mercurii*, quia tum festum expiationis, quod celebratur decimo ejus mensis, veniret die *Veneris*, adeoque immediate sequenti Sabbatho jungeretur. Hoc exemplum solummodo tangit *primum diem* mensis *Tisri* nempe *festum buccinarum*, valet tamen etiam per consequens die *decimo quinto*, quo est festum *Tabernaculorum*, quia necessario decimus quintus est idem hebdomadæ dies, qualis primus fuit. Propterea, si primus non fuit ארו *Adu*, nec decimus quintus fuit. Regula secunda erat, ne *Pascha* celebraretur in בדו h. e. *die Lunæ*, *Mercurii* & *Veneris*. Regula tertia erat, ne *Pentecoste* haberetur in גהז *Gahaz*, h. e. die *Martis*, *Jovis* & *Saturni*. Regula quarta fuit, ne *festum Purim* sive *sortium* agitaretur in זבד *Zabbad*, h. e. die *Lunæ*, *Mercurii* & *Saturni*. Regula quinta erat, ne *festum expiationum* haberetur in אגו *Agu*, h. e. die *Solis*, *Martis* & *Veneris*.

III. Transpositio

XVI. *Traspositio mixta* est, quando partim *Menstrua*, partim *Politica* coincidunt in muta-

mutatione dierum. *Traſpoſitio*, per hanc *mixtionem* ſeu *concurſum* facta duum generum eſt. 1. *Simplex*. 2. *Duplex*. *Tranſpoſitio ſimplex* eſt, quando feſtum tranſpoſitum eſt in diem ſequentem. E. G. Si Luna mutatur die *Solis* poſt meridiem, tum feſtum tranſponendum eſt ob duas rationes. *Prima* ratio eſt *Menſtrua*, quia punctum mutationis eſt poſt horam יח 18. *Secunda* eſt *Politica*, quia Regula ארו *Adu* interdicit feſtum haberi die *Solis*. Nihilo minus, quia dies proximus, nempe *Lunæ* dies, celebrabatur, voco *traſpoſitionem ſimplicem*.

mixta ejuſque ratio. Tranſpoſitio mixta eſt vel ſimplex.

XVII. Hujus naturæ eſt *traſpoſitio* illa, quam vocant בטו תקפט *Badu Takphat*. Quæ vox ficta eſt ad juvandam memoriam; quævis enim litera numerus eſt & ſic reſolvi poteſt; ב erit 2. טו 15. תקפט 589. Senſus eſt, quod ſequenti anno ἐμβολιμαίῳ cui totus menſis intercalabatur, ſi punctum mutationis incidit in diem ſecundum hebdomadæ, h. e. diem *Lunæ*, non ante horam decimam quintam & minuta 589. feſtum *neomeniæ* tranſponi debuerit in diem *Martis*. Quid & *tranſpoſitio politica* & *menſtrua* operentur in hac mutatione, *Leg. Scalig. de emend. temp. l. 2. p. 87.*

XVIII. *Tranſpoſitio duplex* eſt, quando feſtum tranſpoſitum eſt, non in diem proxime ſequentem, ſed in alium, quemadmodum, ſi primus dies *Tiſri* incidit in diem *Saturni* & Lunæ conjunctio nondum facta eſt ante meridiem, tum *menſtrua tranſpoſitio* hoc feſtum rejicit in diem *Solis*; propter horas יח 18. *Politica* vero *tranſpoſitio* id reſolvit in diem *Lunæ*, uti patet ex Regula ארו *Adu*, quæ interdixit Sabbatho id celebrari.

Vel duplex.

XIX. Hujus farinæ eſt גטרד *Gatrad*, quæ vox eſt ficta, quavis litera deſignante numerum, ſicque reſolvi poteſt: ג erit 3. ט 9. רד 204. Senſus eſt in anno communi, cui menſis intercalatus non eſt, ſi punctum mutationis incidit in diem *Martis*, non ante horam nonam & 204. minuta horæ *neomenia* tranſpoſita eſt in diem *Jovis*.

Quot minuta horam conficiant?

XX. Tandem nota, quod 1080. minuta conficiant unam horam. *Munſter*. *Calend. pag. 4.*

Quibus diebus feſtum Tabernaculorum & Paſchatis celebrari queat?

XXI. *Feſtum Tabernaculorum* habebatur menſe *Tiſri*, propterea non poterat haberi *poſtridie Sabbathi*, ut patet ex Regula ארו *Adu*. *Paſcha* celebratur menſe *Niſan*, & propterea id poterat celebrari *poſtridie Sabbathi*, ut patet ex Regula בדו *Badu*. Si quis rationem petit, cur *Paſcha poſtridie Sabbathi* potuerit haberi, non autem *feſtum Tabernaculorum*? Hanc puto eſſe rationem, *Poſteriores* omnes *tranſpoſitiones* pendent ex *prima tranſpoſitione neomeniæ* τȣ̃ *Tiſri*, quæ non ita poterat tranſponi, ut evitarentur omnes feſtorum duorum concurſus. Atque ita, cum *Paſcha* haberent *poſtridie* Sabbathi, licet non omnes, declinabant tamen plurimos duorum Sabbathorum concurſus.

XXII. Hæc computatio *tranſpoſitionis* feſtorum partim aperit morem Judæorum in figendis feſtis, partim illuſtrat illud, de quo Theologi graviter confligunt, ſcil. utrum Salvator noſter anticiparit *Paſcha*?

XXIII. Eccleſia Græca tenet, Chriſtum die decimo tertio menſis celebraſſe ſingulare *Paſcha* cum ſuis Diſcipulis, cum panis azymus nondum adhiberetur. *Epiph. lib.2. Tom. I. cap. 51. pag. 147.* Propterea que utuntur pane fermentato, & inculcant neceſſitatem ejus in Sacra Cæna, quem uſum quidem fermentati panis in Cœna Dominica Eccleſia Romana olim non damnavit. *Caſaub. exercit. 16. p. 465.*

Eccleſiæ Græcæ opinio de tempore Paſchatis a Chriſto comeſti. Refutatur.

XXIV. Verum illam ſententiam Græcorum rejicimus 1. Quia non convenit cum Hiſtoria Evangelica. 2. Quia hæc ſententia ſtatuit Chriſtum Legis tranſgreſſorem, non impletorem.

XXV. Alii dicunt, quod, quum eo anno *Paſcha* inciderit in diem *Veneris*, id feſtum trajectum ſit in diem *Saturni*, per regulam בדו *Badu*. *Munſt. in Matth.* XXVI. Prætextus ipſorum eſt, quod Chriſtus comederit *Paſcha* decimo quarto, h. e. *Veneris* juxta præceptum Dei, Judæi autem *Paſcha* ſumſerint die *Saturni* juxta δευτέρωσιν πατροπαράδοτον.[6]

Secundum quoſdam Paſcha anno Chriſti ultimo die Sabbathi celebrabatur.

XXVI. Tandem alii ſuſtinent, quod Chriſtus & Judæi eodem die & hora 7 ſcilicet die *Veneris*, ſive decimo quarto Menſis *Niſan Paſcha* comederint; initium autem diei *Veneris* pro Judæorum ritu ſumendum eſt a diei *Jovis* veſpera, & quidem hora ſexta. *Scalig. de emend. temp. l. 6. p. 266.* Die *Veneris* ſummo mane judicio datus eſt, & crucifixus, & poſt meridiem circa tertiam, cum inciperet παρασκευὴ τȣ̃ σαββάτȣ, humatus. *Ibi propter præparationem Judæorum poſuerunt Jeſum. Joh.* XIX. 42.

Secundum alios die Veneris, quo etiam Chriſtus ſuum Paſcha comedit.

XXVII. Uti conciliemus Evangeliſtas hac in parte, repetendæ ſunt eæ ſingulares res, quæ fuſius demonſtratæ ſunt *de Paſchate* I. *Dies decimus quartus* menſis, quo conſumebatur *Paſcha*, vocatur *primus dies azymorum*. *Prope erat feſtum azymorum, quod dicitur Paſcha Luc.* XXII. 1. II. Dies decimus quartus feſtus non fuit ſed decimus quintus. *Menſe primo, decimo quarto die illius menſis, Paſcha Jehovæ eſt. Et decimo quinto die ejus menſis feſtum Num.* XXVIII. 16. 17. *Quidam putabant, quia Judas habebat*

Ἀνακεφαλαίωσις dictorum de die XIV. & XV. Niſan.

bebat γλωσσόκομον *thecam quod Jesus 'ei dicit : Eme , quibus opus habemus ad festum Job.* XIII. 29. III. Oves & boves, qui hoc die immolabantur, vocantur *Pascha Deut.* XVI. 2. Et hoc respectu *Johannes* intelligendus est cap. XVIII. 28. *Et illi non intrabant* εἰς τὸ πραιτώριον *in curiam ne inquinarentur*, *sed ut comederent Pascha*; Sic ut hæc *Paschatis* comestio non intelligi debeat de *agno Paschali*.

Metu pollutionis Prætorium non intrabant. quia illo die nulla judicia habebant.

XXVIII. Verum quærere hic quis posset, quomodo inquinari potuissent introeuntes Prætorium? Resp. Vesperis sacrorum dierum, quas vocabant *dies præparationis*, illicitum fuit judicibus decidere criminalia in Curiis. אין דיני נפשות לא בערב שבת ולא בערב יום טוב *Nulla exercentur judicia capitalia vel vespera Sabbathi, vel etiam vespera diei festi*, *Moses ben Maimon. lib. ult. Jad. c. Sanh. Sect.* 11. Hinc Jesum deducunt ad Pilatum, Præsidem Romanum, abstinentque Curia, quapropter etiam dicunt *Job.* XVIII. 31. *Non licet nobis occidere quempiam*; h. e. tali & ejusmodi die. *August.* 14. *tract. in Job.* Ita hunc locum exponunt quoque *Cyrill. lib.* 12. *in Job.* VI. *Chrysost. Homil.* 12. *Beda in Job.* XVIII.

Ævo Christi Judæis erat potestas in rebus capitalibus.

XXIX. Nam etiamsi *Synedrium* ipsorum, seu Senatus magnus, ea tempestate oppressus esset, nihilominus omnis potestas in rebus capitalibus ipsis abrogata non erat, uti docent verba sequentia vers. 32. *Ut sermo Jesu impleretur*, *quem dixit significans quali morte moriturus esset*. Qui textus ostendit; quod illud τὸ ὀυκ ἔξεστι *illicitum* per singularem Dei providentiam evenerit, ut possit a Pilato judicari & crucifigi. Nam, si Judæi fuissent Judices, non affecissent reos tali mortis genere. Rursus *Stephanus* ab ipsis damnatus est ad lapides *Act. VII.* 58. Et questi sunt coram *Felice*, quod, cum voluissent *Paulum* secundum suam legem judicare, *Lysias* Chiliarcha ipsum ex manibus suis vi magna extorsisset. *Act. XXIV. 6. 7.* Quæ testantur, quod non omnis potestas circa capitalia ipsis adempta fuerit. Sed de his plura *cap. de pœnis capital.*

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

Annot. [1] Favet initium mundi, quod Judæi juxta ac Christiani plurimi in Tisri incidisse arbitrantur. Unde illud Gemaricorum תניא ר׳ אלעזר אומר בתשרי נברא העולם *Traditio. R. Eliefer dicit*, *Mundus in Tisri creatus est*. Adeoque non putandum illud introducto anno Ecclesiastico penitus oblivioni traditum fuisse. Dein Exod. XXIII. 16. & Exod. XXXIV. 22. festum collectionis, quod est festum Tabernaculorum, dicitur celebrandum תקופת שנה (in) *revolutione anni*. Præterea antiquissima traditio Mischnicorum tract. ראש השנה c. I. 1. באחד בתשרי ראש השנה לשנים ולשמיטין וליובלות ולנטיעה ולירקות *primo die Mensis Tisri est caput anni ad figendos annos & quietes septennales & Jubilæa , ut & pro plantatione novarum arborum atque olerum*. Tandem ratio status Judæorum. Habent enim leges quasdam, quæ rite observatæ principium anni in Tisri postulant, uti anni Sabbathici & Jubilæa. Lev. XXV. 3. 5. 6. Nec novi sufficientes illorum rationes, qui, ut videtur, ex odio in Rabbinos duplex anni initium dari negant.

[4] Vulgaria novilunia, licet majorem habeant sanctitatem quam alii communes dies, non tamen assurgunt ad sanctitatem Festorum, Sabbathorum, a quibus in scriptura distinguuntur Neh. X. 34. Ezech. XLV. 17. XLVI. 3. 1. Chron. XXIII. 31. 2. Chron. II. 3. Jes. I. 14. Coloss. II. 16. Non tantum nullus Hierosolymam adire, sed nequidem ab operibus desistere ita debebat, ut in festo aliquo. Neque enim ἐκεχειρία mandata est. Hodierni Judæi, qui altari destituti, nonnisi Novilunium consecrant, certas legis sectiones, preces, cantus in Synagoga dicunt. Cæterum quod laborem attinet, de illo in Schulch. Ar. ex Ord. Or. Chajim n. 417. ראש חדש מותר בעשיית מלאכה והנשים שנוהגות שלא לעשות בו מלאכה הוא מנהג טוב *Novilunio opus facere licitum est. Fœminæ tamen , quæ laborem intermittunt , bene agunt*.

[3] Reliquis noviluniis בחצוצרות *tubis*, Num. X. 10. sed celebriori illo in Tisri בשופר *buccina*, ut Judæi tradunt, utebantur. Hoc elucere ajunt ex Lev. XXIII. 24. Num. XXIX. 1. coll. cum Lev. XXV. 9. ubi תרועה *sonus fractus* de buccina dicitur, sed vix satis valido argumento Num. X. 6. Discrimen inter duo hæc instrumenta tale communiter statui solet. Canna tibia חצוצרה paulo crassior, longitudine paulo minus cubitali, cujus os tantum patebat, quantum ad inflandum sufficeret desinebatque in extremitatem campanulæ similem, quemadmodum tuba (vid Joseph. Antiq. l. III. c. II. p. 97.) describitur. Confici poterat ex cupro aut ferro, sed illæ N. X. argenteæ erant; שופר vero buccina, cornu animalis, arietis, plurimum ex mente Judæorum scilicet ob Jos. VI. 4. coll. cum 5. Neque hoc impossibile, nam cornua arietum, quæ in mucrone demum concreta sunt, facili perforantur labore. Quod etiamnum Judæorum praxis evincit. Etiam Josephus in Historia Gideonis Antiq. l. V. c. 8. κριῶ κέρας ἀντι σάλπιγγος usurpatum refert.

[4] Immo Veteres videntur existimasse Deum, sub initium novi anni judicium de omnibus hominibus ferre, quod colligere licet e tract. ראש השנה c. I. 2. בארבעה פרקים העולם נידון בפסח על התבואה בעצרת על פירות האילן בראש השנה כל באי העולם עוברים לפניו כבני מרון שנ׳ היוצר יחד לבם המבין אל כל מעשיהם ובחג נידונין על המים *Quatuor temporibus mundus judicatur ; in Paschate de proventu ; in festo septimanarum , de arborum fructibus , in principio anni omnes homines transeunt coram eo ut oves*, secundum id, quod dicitur (Ps. XXXIII. 15.) formator pariter cordis eorum, animadvertit ad omnia opera eorum & *in festo scenopegiæ judicatur de aquis*, ex interpretatione Houtingii, cujus prolixas notas, si vacat, hac de re lege. Clangor autem buccinarum huic usui maxime accomodatus est, quippe eæ inflari etiam tum solent, quando homines securi & vitiis indormientes excitandi sunt ut se animo humili & veniam delictorum implorantes ad judicium Dei parent Joel II. 1. quare diebus jejuniorum gravioribus buccinis Judæi jam olim utebantur tract. תענית cap. I. 6. Dies vero buccinarum, observante Maimonide in מורה נבוכים III. c. XLIII. f. 163. יום תשובה הוא והערות בני אדם משכחתה (lege potius משנתם) ומפני זה יתקע בו בשופר כמו שבארנו במשנ׳ תור׳ ובאלו הוא הצעה ופתיחה ליום הצום כמו שהוא מפורסם בקלת האומה מעייץ עשרת ימים שבין ראש השנה ויום הכפורים *est dies resipiscentiæ atque excitationis hominum e somno. Hac de causa buccinis clangebant , quemadmodum diximus in Miscnah Thorah. Fit ita præparatio & quasi via aperitur ad diem jejunii , quemadmodum manifestum est ex consuetudine decem illorum dierum in gente recepta, qui fluunt inter initium novi anni & diem expiationis*. Dignissima, ut puto, clangoris materia est, quam buccinatores intonare jubeban-

bantur. Tradit illam, qui nomine שם טוב Maimonidem illustravit עורו עורו משנתכם הקיצו משנתיכם הקיצו משנתיכם שהוא העסק בהבלי העולם שהרדמו השם נפלה עליכם וזכרו נפשותיכם ולפני מי אתם עתידין ליתן דין וחשבון *Excitamini, excitamini e somno vestro: evigilate e somno vestro, qui vana tractatis; nam sopor vobis gravissimus immissus est. Advertite ad animos vestros & coram quo rationes in judicio reddituri sitis*. Ad hanc aut similem inter Judæos publice receptam vitæ immutandæ formulam respici nonnulli putant in verbis Eph. V. 14. *Ideo dicitur: Excitare, qui dormis, & resurge e mortuis & illucescet tibi Christus*. Videtur dein allusio ad novilunium, ut præprimis v. 8.

[5] In noviluniis figendis attendendum erat ad ראיה φάσιν lunæ. Illa enim conspecta νεομηνία consecranda erat. Atque hic erat consecrationis modus. Qui חדש *innovatam Lunam* primi viderant aut vidisse existimabant, celeri pede Hierosolymam & in illa Synedrium, quod de festis judicabat, adibant. Tum, num legitime testari possint (neque enim omnes posteriori præsertim ævo ad testandum admittebantur tr. ראש השנה cap. II. 1.) examinabantur: Ipsum dein testimonium, num cum motu Syderum conveniat, perpendebatur. Tandem ex quo veritatem testantium deprehenderant, novilunium mox consecrabant, præside dicente מקודש *consecratum est*: Cui populus acclamabat מקודש מקודש *consecratum, consecratum est*, Abhinc universo populo, propinquiori & remotiori indicabatur, sed pro vario tempore diverso modo, בראשונה היו משיאין משואות משקלקלו הכותים התקינו שיהו שלוחין יוצאין *Primitus ad novilunium indicandum flammas extulerunt. At ex quo Cuthæi idem malitiose intempestivo tempore facerent, decretum est, ut nuntii ad illud significandum egrederentur*. Eligebantur in hunc finem altissimi montes, quo brevissimo tempore in Judæa, Galilæa, Babylonia fixa illa νεομηνία innotesceret. Primus ex illis mons oliveti, vide reliquos tract. cit. c. II. 1. 2. 3. Rabbanitæ ita Lunæ conspectæ rationem habendam dicunt, ut tamen absque illa juxta solum computum Astronomicum determinari queat, uti tempore nubiloso fieri debet & hodienum Calendario introducto communiter fieri solet. Hoc vero pernegant Karæi, unicam νεομηνίας determinandæ in Luna visa rationem statuentes. Litem fuse pertractat præter alios Abarbanel *Commentar.* Exod. XII.

[6] Hi Canones Christi tempore nondum erant in usu. Etenim Talmudici libri, qui quinto demum post Christum seculo absoluti sunt, passim meminere festorum, quæ Sabbatho continua sunt. Ut in Succah cap. quinto יום טוב סמוך לשבת בין לפניה בין לאחריה *festum Sabbatho conjunctum, sive præcedat, aut subsequatur*. Et in Betsa capite primo יום טוב שחל להיות אחר שבת *festum, quod post Sabbathum incidit*. Et in Chagiga cap. secundo עצרת שחל להיות ערב שבת *festum, quod in Sabbathi Parasceven incidit*. Vere igitur Aben Ezra. Lev. XXIII. 4. במשנתם בתלמוד ראיות שהיה פסח בב"ו *Tam ex Misna, quam ex Talmude probatur Pascha in secundam, quartam & sextam feriam*, quandoque incidisse. Apud Tessarescædecatitas, qui Pascha celebrant iisdem diebus, quibus Judæi, Pascha in quamlibet hebdomadis diem incidebat, nulla excepta, uti testantur Eusebius, Epiphanius, Theodoretus. Hæc aliaque argumenta profert Celeberrimus Bochartus Hieror. l. II. c. L. p. 562.

[7] Et nos illis accedimus: Neque enim justa causa est, quare aliter statuamus. Præprimis quia Historia Evangelica ita clare hanc tradit sententiam, ut vix dubium aliquod relinquat. Erat enim ἑορτὴ *dies festus* Matth. XXVII. 15. Si Christus anticipavit, festum exstitisse nulla dici potest ratione. Clarius Lucas c. XXII. 7. *venit* ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα *dies panum infermentatorum, quo Pascha mactari oportet*, atque illa ipsa suum mactavit Salvator conf. Matth. XXVI. 17. Marc. XIV. 12. Sic modo supra v. 2. *Nostis post duos dies fore* τὸ πάσχα de festo tempore uti omnibus noto, non sibi peculiari, de quo alias discipuli erudiendi fuissent, loquitur. Præterea probe notandum est agnum Paschalem, quem a Christo comestum ajunt Evangelistæ, in atrium adducendum, tanquam victimam Paschalem mactandum, sanguinem a Sacerdote excipiendum, spargendum, quædam in ara comburenda fuisse. Quis nunc cogitare audet, Sacerdotes victimam, quæ non fixo a Synedrio tempore mactatur, recepisse, præsertim ab ejus discipulis, cujus doctrinam & vitam tantopere improbarunt? Hæc ego si mecum perpendo, prorsus impossibile judico Salvatorem Pascha anticipasse, aut anticipare potuisse.

CAPUT OCTAVUM.

De Festo Expiationum.

Tempus, & nomen festi expiationum.

I. DECIMO die mensis *Tisri* [2] qui respondet nostro *Septembri*, præceptum est celebrari *festum expiationum Levit. XVI. 23. 27. 29.* ita dictum, quod Pontifex eo die confessionem faceret coram Deo suorum peccatorum & Israelitarum, & peragendo certos ritus & ceremonias expiaret ea eorumque remissionem impetraret a Deo.

Cæremoniæ hujus festi, vel Pontificem cum populo.

II. Ceremoniæ, quæ eo tempore usurpabantur, concernunt vel *populum & sacerdotem*, vel *sacerdotem tantum*. Illæ, quæ concernunt *populum & sacerdotem*, consistebant *in afflictione animarum* ipsorum quæ fiebat *jejunio*; [2] unde ipsum festum vocatur *dies jejunii*. *Joseph. d. B. J. p. 43.* Quod illuminat textum. *Act. XXVII. 9. Navigatio erat periculosa ob id, quod jam præteriisset* ἡ νηστεία h. e. *festum expiationis* jam elapsum erat, imminente bruma.

vel Pontificem tantum concernebant.

III. Ceremoniæ, quæ concernebant *Sacerdotem* tantum duæ erant. 1. Tunc intrabat Pontifex *Sanctum Sanctorum*, qui introitus proprius fuit huic festo. 2. Is sacrificaturus pro se & pro sua familia *juvencum subrumum peccati & arietem in holocaustum*, induebatur [3] vestes Sacerdotales; lotusque accipiebat a cœtu Israelis *duos hircos caprarum in peccatum & arietem unum in holocaustum*.

Duo hirci quorum unus Gnazazel.

IV. Duos illos hircos stitit coram facie Jehovæ, ad portam tentorii conventus, sortem jaciens, uter sacrificari, uter vero dimitti debeat vivus. Hic posterior vocatur *hircus emissarius* עזאזל [4] *Gnazazel*, ex עז *capra &* אזל *R. D. Kimchi in radic.* quia altero jugulato ipse in desertum emittebatur.

Hic apud Græcos ἀποπομπαῖος dicitur.

V. Græci Interpretes vocant hunc hircum Ἀποπομπαῖον *malorum depulsorem*; quo nomine Gentiles suos Deos tutelares insignierunt. Opinanturque, quod *hircus emissarius*,

rius, peccata populi in desertum efferens, simul abstulerit mala pœnæ, quæ consequuntur mala culpæ. Et ad confirmandum hac in parte populum, jussit Deus Pontificem confiteri peccata nomine totius populi, & omnia peccata totius cœtus rejicere in caput *hirci emissarii*.

Formula confessionis.

VI. Forma confessionis [5] juxta Magistros Hebræorum ita habuit. *O Domine, populus tuus, domus Israel, peccavit, rebellis fuit, & deliquit coram facie tua: Nunc te rogo, o Domine, condona peccata, rebelliones & delicta, quibus populus & domus Israel peccavit, rebellis fuit, & perverse egit coram facie tua, sicut scriptum est in Lege servi tui Mosis; Eo die expiaturus vos est, ut vos mundet, & vos mundabimini ab omnibus vestris peccatis coram Jehova, Lev. XVI.* 30. *Vid. P. Fag. Lev. XVI.*

Sacrificiis cessantibus hodienum Gallus aut Gallina circa caput virorum aut fœminarum circumagitur.

VII. Hodierni autem Judæi, [6] quum non possit destructo templo Hierosolymitano sacrificium rite offerri, si sunt viri, capiunt *gallum gallinaceum* album; si sunt fœminæ, *gallinam*. Hunc *gallum* ter circumagunt circa caput Sacerdotis [7] dicentes: *Gallus gallinaceus hic commutatio erit pro me*. [8] *Buxtorf. Synag. cap. XX.* Postea mactant *gallum*, confitentes se morte dignos esse, jactisque supra tecti culmen intestinis, sperant corvos & cornices ea surrepturos, & simul ipsorum peccata ablaturos in deserta. Ne autem videantur sine ratione insanire, promunt rationem hanc ex archivo rationis, cur hoc tempore *gallum* eligant. Vox גבר in Sacra Lingua notat *virum*, in Talmude *gallum*. Jam dicunt illi, Dei justitia requirit, ut, quemadmodum גבר peccavit, ita גבר satisfacere debeat.

Festum expiationis transiit ad Græcos.

VIII. Verisimile est Græcos ex hoc *festo expiationum* sumpsisse *expiationem annuam* civitatum suarum, quæ hoc modo fiebat: Homines quidam damnati producebantur redimiti sertis secundum morem sacrificiorum. Hos ex præcipiti loco deturbant in mare, Neptuno consecrantes, hisque verbis utuntur: Περίψημα ἡμῶν γενȣ̃ *Sis pro nobis peripsema*. *Suidas* in voce περίψημα.

Similis expiatio inter Gentes obtinebat tempore pestis.

IX. Eandem expiationis speciem adhibebant Gentes tempore pestilentiæ, vel mali inficientis: cujus repellendi gratia suis Diis sacrificabant quosdam, quos vocabant καθάρματα; Καθάρματα ἐλέγοντο ὅτι ἐπὶ καθάρσει λιμȣ̃ τινός, ἢ τινὸς ἑτέρας νόσȣ θυόμενοι Θεοῖς *Katharmatha dicebantur, quia in expiationem pestilentiæ alicujus, aut alicujus alius morbis sacrificabantur Diis*. Vetus Scholiast. in *Aristoph. Plut. p.* 48. Hæc duo vocabula adhibet Apostolus 1. *Cor. IV.* 13. & vertuntur *sordes & excrementa*: *Facti sumus* περικαθάρματα τȣ̃ κόσμȣ *excrementa, purgamenta mundi*, καὶ πάντων περίψημα *& omnium sordes, ramenta*. Verba significant proprie *sordes* sive *cœnum*, quæ purgantur, verrunturque ex pedibus hominum aut ex areis. Sed juxta opinionem *Budæi annotat. reliq. in pandect. de pœnis p.* 334. Apostolus respexit istam expiationem, qua utebantur Gentiles; q. d. Ita despecti sumus, & sic exosi populo, sic onerati contumeliis, & maledictionibus multitudinis, quemadmodum τὰ καθάρματα, homines illi, qui publice expiationis gratia sacrificantur.

Analogia inter Pontificem die expiationis & Christum.

X. Jam quia Pontifex in hoc festo præprimis gessit figuram & typum Christi, e re erit annotasse convenientias inter typum & antitypum, umbram & veritatem.

AARON.	CHRISTUS.
I. *Pontifex intravit Sanctum Sanctorum*. Lev. XVI. 3.	I. *Christus noster Pontifex intravit* ἐς ἅγια *in Sanctuarium, scil. in cœlum*. Hebr. IX. 12. 14.
II. *Semel quotannis intravit*. Exod. XXX. 10. [9]	II. *Is semel intravit*. ibidem.
III. *Hic* δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων *per sanguinem hircorum & vitulorum.* Hebr. IX. 12.	III. *Is per sanguinem proprium*. ibidem.
IV. *Hic* μόνος *solus*. Hebr. IX. 7.	IV. *Is calcavit torcular* לבדו *solus ipse*. Esai. LXIII.
V. *Hic vestitus erat Sacerdotalibus vestibus*. Levit. XVI. 4.	V. *Is præfinitus & obsignatus ad hoc munus a patre* ἀπ' ἀρχῆς *ab æterno*.
VI. *Hic accepit duos hircos*. Levit. XVI.	VI. *Is duas assumsit naturas*. Ἀπάθεια *impassionabilitas Deitatis figurabatur hirco emissario*. Παθήματα *passiones autem Humanitatis, hirco, qui mactabatur*. Theod. quæst. 12. in Levit.
VII. *Hircus portavit populi iniquitates*.	VII. *Christus pro nobis factus est peccatum*. 2. Cor. V. 21.

NOTÆ

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

Annot. [1] Ut יומא vel יום הכפורים *diem expiationis*, qui minus recte aliquando *feſtum expiationis* dicitur, ſanctius celebrent, tempus, quod a principio anni Politici ad diem decimum labitur, multis precibus jejuniiſque tranſigunt, *vid. Schulch. Toh. p.* 54. 2. Unde & nomen habet עשרת ימי תשובה *decem reſipiſcentiæ dies*. Dies decimus a quibuſdam ille putatur, quo Adamus pœnitentiam egit. Quæ opinio, licet demonſtrari nequeat, non tamen adeo abſurda habenda eſt.

[2] Populum & Sacerdotem una concernebant quies exactiſſima & afflictio animarum, de hac Lev. XVI. 29. *affligetis animas veſtras*. Affligere autem animam in genere notat homini ſubtrahere ea, e quibus voluptatem capit, quo profundius in ſeipſum deſcendat, coram Deo ſe humiliet, veniam peccatorum imploret &c. Quemadmodum autem varia ſunt, quæ hominem delectant, ita afflictio ejus haud uno inſtituitur modo, veluti corpori ſubtrahendo cibum potumque, unde *affligere animam* eſt plurimum *jejunare* Pſ. XXXV. 13. עניתי בצום נפשי *afflixi jejunio animam meam*. Conf. Dan. X. 3. 12. Minime tamen alias afflictionum ſpecies excludit, quod Aben-Ezra ad Lev. XVI. dicere videtur. Sed ſe habet ut genus ad ſpecies Jeſ. LVIII. 3. *quare* צמנו *jejunavimus*? quare עִנִּינוּ נפשנו *afflximus animas noſtras*? Recte itaque Miſchnici tr. יומא c. VIII. 1. יום הכפורים אסור באכילה ובשתיה וברחיצה ובסיכה ובנעילת הסנדל ובתשמיש המטה *Die expiationis prohibitus eſt cibus & potus, lotio, unctio, inductio ſandalii, concubitus*. Qua lege, paucis exceptis, reliqui omnes tenentur. Atque hæc explicatio cum intentione Legislatoris probe convenit. Hinc *affligi* etiam dicitur ille, qui abſtinet ab unctione Dan. X. 3. 12. lotione 2. Sam. XII. 20. 21. qui nudis pedibus incedit 2. Sam. XV. 30. qui cum uxore non concumbit 2. Sam. XI. 11.

[3] Veſtes Sacerdotales non ſunt VIII. illæ, quibus Pontifex ordinario rem divinam adminiſtraturus indutus erat, ſed IV. aliæ huic ſolennitati propriæ ſcil. pileus, tunica, baltheus, femoralia Lev. XVI. 4. omnes ex lini ſpecie, quæ בר dicitur. Neque enim aliæ ibi, ubi jura functionum Pontificis ad ingreſſum in ſanctiſſimum traduntur, memorantur. Verum hac de re plura diximus in Exercit. noſtris ad Lev. XVI. 4.

[4] Etymologia hæc multis modis laborat. Nihil dicam de diverſo genere, quod forſan in compoſitione non ſemper exacte obſervatur, ſed 1. hircus emiſſarius conſtanter שָׂעִיר nullibi עֵז dicitur. 2. Imo a עֵז diſtinguitur Lev. XVI. 5. 3. Conſtructiones tales, quæ hircum a עֲזָאזֵל evidentiſſime diſtinguunt, veluti v. 8. *& dabit Aharon ſuper duos illos hircos ſortes, ſortem unam pro Jehova, ſortem alteram* לַעֲזָאזֵל nam ſive vertas *in Azazelem*, hoc eſt, in hircum in deſertum emittendum, ſive *pro Azazele* ſeu hirco, inconcinna erit verſio. Conf. v. 10. 26. Puto itaque locum intelligendum eſſe, quod facile admittit phraſis mittere לַעֲזָאזֵל *ad Azazelem*, uti dimittere לאהליו *in tentoria ſua*. Jud. VI. 18. Convenit cum projectione ſortis, nam ejus vi hircorum unus in templo immolandus, ſed alter vivus ad Azazelem dimittendus erat. Favet quoque, quod Azazel dicitur in deſerto. Conf. Joſ. XX. 8. 1. Reg. IX. 18. Præterea Azezelis loco X. 22. uſurpatur *terra exciſa*. Quare credibile eſt fuiſſe locum in deſerto, in quo capræ, hirci frequentes paſcebantur a עֵז *capra* אזל *ire*. Hircus enim ille ex mandato Numinis vivus dimittendus erat. Convenientiſſimum itaque illum gregi ſuo additum fuiſſe. Simillima ratio, quæ avis pro leproſo. Hæc aliaque prolixe diſcuſſimus in Exercitationibus prænominatis.

[5] Confeſſio, quam nobis Auctor exhibet, dicebatur a Pontifice manus hirco emiſſario imponente vide illam tractat. יומא cap. VI. 2. Eſt alia, quæ dicebatur ſuper juvenco ante mactationem אנא השם עויתי פשעתי חטאתי לפניך אני וביתי ובני אהרן עם קודשך אנא השם כפר נא לעונות ולפשעים ולחטאים שעויתי ושפשעתי ושחטאתי לפניך אני וביתי ובני אהרן עם קודשך בכתוב בתורה משה עבדך לאמר כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני ה׳ תטהרו והן עונין אחריו ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Obſecro, Domine, perverſe egi, defeci & peccavi in conſpectu tuo, ego & domus mea & filii Aharon populus ſanctitatis tuæ; Obſecro, Domine, remitte quæſo perverſitates, defectiones, peccata, in quibus perverſe egi, defeci & peccavi in conſpectu tuo, ego & domus mea & filii Aharonis populus Sanctitatis tuæ, ſicuti ſcriptum eſt in lege Moſis ſervi tui*, his verbis. Nam die iſta expiabit vos ad mundandum vos, ab omnibus peccatis veſtris coram Deo mundabimini. *Illi vero reſpondebant: Benedictum ſit nomen glorioſum regni ejus in ſecula ſeculorum*, tr. cit. c. IV. 2. Eſt inſuper alia, c. III. 8.

[6] Plures quidem Judæi die nona menſis Tiſri multo mane morem, cujus Auctor meminit, obſervant, non tamen omnes. Quod diſcrimen ipſe vidi, quum A. MDCCIII. Amſtelodami commorarer. Luſitani, qui ibi frequentes habitant, non tantum a mactatione gallorum & gallinarum abſtinebant, ſed inſuper actionem peccaminoſam deteſtabantur; Judæi Germani vero ſe nullum ſacrificium (quale extra templum neutiquam obtinet) offerre ajunt, ſed nonniſi זכר, ſolum in memoriam revocare oblationes, quæ ex Lege offerendæ eſſent. Conſimiliter ac in Paſchate.

[7] Auctor *caput Sacerdotis* ita exprimit, ac ſi aliud, circa quod gallus circumageretur, legibus aut conſuetudini adverſum eſſet, quomodo tamen ſe res non habet. Galli circa capita omnium Iſraelitarum nullo Sacerdote præſente circumagi queunt.

[8] Formula plenior ita ſonat זה חליפתי זה תחתי זה כפרתי זה התרנגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים עם כל ישראל אמן *Hic (Gallus) ſit permutatio pro me: Hic in locum meum ſuccedat. Hic ſit expiatio pro me: Gallus hic morte afficiatur; Ego vero cum toto Iſraele proſpera fruar vita; Amen*. Formula adeoque eſt, qualem olim in confeſſione peccatorum ſuper Sacrificiis recitabant.

[9] Quod textus Hebræus habet אחת בשנה Exod. XXX. 10. Lev. XVI. v. ult. id LXX. ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, quos Paulus Hebr. IX. 7. ſequitur. Phraſis vero nihil aliud innuit, quam *una* ſcil. die *in anno*, qua tamen Pontifici ſæpius Sanctiſſimum intrare incubuit כהן גדול אינו נכנס לקדש הקדשים אלא ביום הכפורים שנכנס ד׳ פעמים ולא יותר שאם נכנס חמשים חייב מיתה בידי שמים *Pontifex ſummus die nonniſi expiationis Sanctiſſimum intravit, & tum quidem IV. vicibus. Si quinquies, reus factus mortis cælitus inferendæ*. vid. B. Avi Leg. Hebr. 273. Vices, prout notantur in tract. יומא hæ ſunt. I. Ingreſſus eſt cum cupa, qua aromata & thuribulo, quo prunæ continebantur c. V. 1. conf. Lev. 16. 12. 13. Manus utraque onuſta aliud aliquid loco ſacerrimo inferre nequibat. II. Cum ſanguine juvenci, quem octies ſemel ſurſum, ſepties deorſum, ſpargebat Pontifex §. 34. conf. Lev. XVI. 14. III. Ex quo egreſſus erat, hircum mactabat & ſanguinem pelvi exceptum eidem inferebat loco ſpargebatque §. 4. conf Lev. XVI. 15. IV. Ultimo intravit להוציא את הכף ואת המחתה *ad exportandum cupam thuribulumque* c. VII. 5.

CAPUT NONUM.

De Anno Sabbathico, seu Quiete Septennali.

Tempus anni Sabbathici. Signum.

I. QUEMADMODUM quovis *septiduo Sabbathum* fuit, ita quovis *septennio annus Sabbathicus*. Lev. XXV. 2. 4. Et quemadmodum *Sabbathum* signum erat, quod Domini essent, propestereaque cessarent ab operibus suis, ut agerent opus Domini; ita *annus Sabbathicus* signum erat, quod & ipsi, & ipsorum terra Domini essent.

Jura.

II. Observatio hujus festi consistebat præcipue in duobus. [2] I. In *ἀγεωργησίᾳ agriculturæ cessatione* [3] unde vocatur שבת הארץ *Sabbathum terræ* Lev. XXV. 6. II. In *remissione debitorum* facta a creditoribus, unde vocatur שמטה ליהוה *Remissio Jehovæ* Deut. XV. 1. 2. [4]

ἀγεωργησίαν, supplebat benedictio divina.

III. Quum hoc anno ipsis agricoltura interdicta fuerit, quæri hic posset, qua re vesci potuerint eo durante? Resp. *Amandabo benedictionem meam vobis in annos illo sexto, & proferet proventum in tre annos* Lev. XXV. 21. [5]

Qui ex jussu Dei debita remittebat, ejus bona non accisa fuerunt.

IV. Quoniam quovis anno septimo debita remitti debebant Dei jussu, quæri quoque potest, an non res eorum, qui dabant mutua hac ratione accisæ fuerint? [6] aut an non ipsorum corda obdurarentur, ne mutuum erogarent? Resp. Hoc pacto ipsorum res non attenuabantur, nam certa est Maxima & Regula, *Non amittitur, quo Deus colitur*. Quare Hebræi ipsi hoc interpretantur esse potius *Mendatum probationis*, quale Deus dedit Abrahamo, non ut obtruncaretur Isaacus, sed ut Abrahami Amor & fides tentaretur, quam *Mandatum obedientiæ;* hoc respectu ait *Aben-Esra*, interpretans hæc verba; *Penitus non erit egens in te*. Deuter. XV. 4. *Hoc est*, ait; *quasi Dominus dixisset; Scitote illud, quod vobis præcepi de non urgendo & admonendo fratre, non frustra esse. Si totus Israel, vel plurima illius pars obsecundabit voci Jehovæ; tum non erit mendicus inter vos, cui necesse sit dari mutuum, imo vos omnes poteritis mutuare gentibus multis. Aben-Esra in Deut. XV. 4.*

Rationes anni Sabbathici.

V. Rationes instituti hujus festi censentur esse. I. Ut doceretur populus per fidem pendere a providentia Dei; nam licet ipse Dominus agri potuerit colligere ex proventu spontaneo ad sustentandum se & familiam suam *Lev.* XXV. 6. non tamen ei permissum erat conserere agrum, ditiorem messem faciendi causa, nec eidem licuit agrum suum metere, nec in horrea cogere ad fruendum propriis redditibus, sed omnia omnibus promiscua & communia erant, & quivis manum suam in agrum quemcunque immittere poterat. II. Ut meminissent felicis illius conditionis, qua gavisus fuerat Adamus in statu innocentiæ suæ, cum terra sponte, sine *γεωργίᾳ* fructus ederet. III. Ut figura & signum esset æterni *Sabbathi*, quod exspectamus in cœlis.

Duratio mundi juxta Eliam.

VI. Hic quidam putant fundatam esse sententiam *R. Eliæ*, scil. *mundum staturum sex mille annos, & anno millesimo septimo futurum magnum annum Sabbathicum. Hospin. de Orig. hujus festi*. Sex mille anni respondent sex profestis diebus, millesimus septimus *Sabbatho*, juxta ilud 2. Pet. III. 8. χίλια ἔτη παρὰ Κυρίῳ ὡς ἡμέρα μία. Verba Eliæ istius hæc sunt: *Sex mille annis stabit mundus, & rursus corruet*, ב"אלפי תוהו ב"אלפי תורה ב"אלפי ימות המשיח *Duo millia inanitatis, duo millia Legis, duo millia dierum Messiæ* erunt. *Talmud. in Sanhed. cap. Helec.*

ἐπίκρισις.

VII. Licet summam hujus prophetiæ rejiciamus, ut nimis curiosam, nihilominus tamen, cum Judæus loquatur, hoc inservire potest & evinci contra ipsum, Messiam jam venisse. 2. Ipsius adventu Legem Mosis silere.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

Annot- [1] Nomina sunt: א. שמטה LXX. ἄφεσις aut שנת השמטה ἔτος τῆς ἀφέσεως. Deut. XV. 2. 9. annus, quo collectio frugum & exactio mutui omittebatur, vid. Exod. XXIII. 11. Deut. XV. 2. שבת הארץ .ב *Sabbathum terræ*, quæ tum quiescebat, non colebatur. Lev. XXV. 2. .ג שביעית *annus septimus*, uti frequenter in scriptis Judæorum. Hinc tractatus Mischnicus, qui jura anni septimi tradit, idem habet nomen.

[2] His adjicienda quam maxime est solennis illa prælectio, qua Lex Mosis Lingua Hebraica a Judice aut Rege solio insidente, coram universa Judæorum Gente, in atrio mulierum, principio anni septimi, toto Tabernaculorum festo, eum in finem prælegebatur, ut ejus notitia ad omnes perveniret.

[3] Ἀγεωργησία præcepta est Lev. XXV. 4. *agrum tuum non seminabis & vineam tuam non putabit* conf. Exod. XXIII. 10. 11. Hanc Judæi ita exponunt מצות עשה לשבות מעבודת הארץ ועבודת האילן בשנה שביעית שנ׳ ושבתה הארץ שבת לה׳ בחריש ובקציר תמבות וכל העושה מלאכה מעבודת הארץ או האילנות בשנה זו בטל מצות עשה ועבר על לא תעשה שנ׳ שדך

שדך לא תזרע וכרמך לא תזמור *Eſt præceptum affirmativum, ceſſandum eſſe a colenda terra arboribuſque in anno ſeptimo, juxta id, quod dicitur* (Lev. XXD. 2.) *& feriabitur terra Sabbathum Jehovæ, ſcil. habita ratione ad arationem & meſſem feriabitur. Quicunque vero anno ſeptimo fecerit opus in terra colenda aut arboribus, ille violat præceptum affirmativum & negativum, nam dictum, agrum tuum non conſeres & vineam tuam non putabis.* Maim. c. l. 1. tr. שמטה ויובל Ergo illi generalirer mentem Legiſlatoris accipiunt, quod etiam convenientiſſimum videtur. Nam, ut alibi in lege, una ſpecies nominata comprehendit quoque reliquas ſpecies ad idem genus pertinentes. Hæc ἀγεωργησία jam in fine ſexti anni obtinebat, vide tr. שביעית c. l. Maim. tr. שמטה ויובל c. III. 1. עבודת הארץ בשנה ששית שלשים יום סמוך לשביעית אסורה הלכה למשה מסיני מפני שהוא מתקנה לשבעית ודבר זה בזמן שבית המקדש קיים הוא שנאמר מפי השמועה ונזרו חכמים שלא יהיו חורשים שדה האילן ערב שביעית בזמן המקדש אלא עד העצרת ושדה הלבן עד הפסח ובזמן שאין מקדש שותרין בעבוד׳ הארץ עד ראש השנה כדין תורה *Triginta ultimis diebus anni ſexti cultura terræ prohibita erat, uti traditio Moſaica in monte Sinai accepta vult. Alias aptaretur terra in uſum quietis ſeptennalis. Hoc autem vi* πατροπαραδόσεως *Templo ſtante valebat & decreverunt ſapientes, ne agrum arboribus conſitum ultra Pentecoſten obararent anno ante ſeptimum, quando Templum adhuc erectum ſtat. Agrum vero albentem ſive frumentarium nonniſi ad Paſcha. Verum Templo deſtructo terra juxta tenorem Legis uſque ad initium novi anni exerceri poteſt.* Non tamen concernit omnem terram in qua Judæi habitaturi ſunt, ſed reſtricta eſt ad terram Canaan Lev. XXV. 2. cujus varia anno ſeptimo jura leguntur tr. שביעית c. VI. 1. שלש ארצות לשביעית כל שהחזיקו עולי בבל מארץ ישראל ועד כזיב לא נאכל ולא נעבד וכל שהחזיקו עולי מצרים מכזיב ועד הנהר ועד אמנה נאכל אבל לא נעבד מן הנהר ומאמנה ולפנים נאכל ונעבד Ex interpretatione Guiſii. *Trifariam diſpeſcitur terra ratione anni ſeptimi. In toto illo tractu, quem in ditionem recepit populus e Babylonia redux a terra Iſraelis Ecdippam uſque nec fruges percipi, nec terram coli licet. In toto illo, quem ultra Ecdippam occuparunt ex Ægypto profecti ad fluvium uſque & Amanam fruges percipere licet, non autem terram colere. A fluvio & Amana quicquid intra recedit, ibi & fruges percipi licet & terram coli.*

[4] Tr. cit. c. X. 1. שביעי משמטת את המלוה בשטר ושלא בשטר *Annus ſeptimus remittit mutuum ſub Chirographo & etiam quod non Chirographo* munitum eſt. Quando igitur advenerat annus ſeptimus, ejuſmodi debitum fratri debitori remittendum erat, quamvis hic creditori Chirographum in manus dederit. Maimonides tr. שמטה ויב׳ c. IX. judicat remiſſionem tum demum valere, quando ſeptennium ad finem perductum fuerit atque hoc elucere ait ex Deut. XV. 1. מקץ שבע שנים Verum hæc ejus argumentatio parum roboris habet. Etenim phraſis commode vertitur *in fine ſeptem annorum*. Finis ſeptennii eſt annus ſeptimus. Ingens quippe diſcrimen inter *finem ſeptem annorum* & *finem ſeptimi anni*. Eadem ratio quæ Deut. XXXI. 10. Procul dubio prælectio illa in principio ſeptimi anni ex intentione Legiſlatoris recitanda erat.

[5] Omnino ſufficeret benedictio terræ, quam Deus fideli populo anno ſexto promiſit & præſtitit. Si vero poſt captivitatem Babylonicam meſſis tanta fœcunditate non obtigit hoc non impotentiæ Numinis, ſed infidelitati atque nequitiæ populi adſcribendum eſt. Ubertas enim non abſolute, ſed cum conditione promittebatur, ſi ſcil. Iſrael fructus populo fœderato dignos ediderit. Inſuper notandum, fructus, qui in agro, arboribus ſponte procreſcebant quoque in cibum ceſſiſſe Lev. XXV. 5. כל שתוציא הארץ בשנה שביעית בין מן הזרע שנפל בה מקודם שביעית בין מן העוקרים שנקצרו מקודם וחזרו ועשו ושניהם נקראו ספיח בין מן העשבים והירקות שעלו מאיליהן ואין להן זרע הכל מותר לאכלו מן התורה שנ׳ והיתה שבת הארץ לכם לאכלה אפילו שדה שנטייב׳ בשביעית וצמחו פירתיה מותרי׳ באכילה וזה שנ׳ את ספיח קצירך לא תקצור שלא יקצור כדרך שקוצר בכל שנה ואם קצר כדרך הקוצרין לוקה כיצד כגון שקצר כל השדה והעמיר כרי ודש בבקר או שקצר לעבודת הארץ כמו שבארנו אלא קוצר מעט מעט וחובט ואוכל *Quicquid anno ſeptimo terra produxerit, ſeu de ſemine ante dictum* (ſcil. ſextum) *annum ſparſo, ſeu de radicibus antea quidem ſucciſis, ſed rurſum enatis* (*quorum quodlibet* ספיח *h. e. ſponte naſcens vocatur*) *ſeu de herbis atque oleribus ſponte propullulantibus ac ſemine deſtitutis id fuerit, omne hoc Lex edere concedit.* Q. S. E. (Lev. XXV. 6.) & erit *id, quod* in Sabbatho *terra protulerit*, vobis ad veſcendum. *Ipſius adeo agri in anno ſeptimo exculti germinantiſque fructus ad eſum conceduntur.* Q. S. E. (v. 5.) ſponte ex meſſe ſua natum ne metas, *ea nimirum ratione, qua quotannis agros metunt, nam ſi communem meſſorum modum obſervaverit, pœnas dabit. Hoc qui fit? Si e. gr. totum quis agrum meſſuerit, manipulorum excitaverit cumulos, bove trituraverit aut etiam ad modum culturæ terræ, ceu dictum eſt, meſſuerit. Cæterum, ſi deſecaverit paulatim & leviter excuſſerit, tum edere licet*, uti vertit Eruditiſſimus Majus Fil. cui translationem tractatus de anno Sabbathico & Jubilæo una cum doctiſſimis in illum annotationibus debemus. Scribæ tamen etiam ea, quæ ſponte prognata ſunt, comedenda eſſe negant, vid. §. ſequens. Sed non lege aliqua verum potius metu tranſgreſſionum. Quare non dubitandum Iſraelitas de ſponte prognatis comediſſe, ſive illa in agro reperta fuerint, ſive in ædes portata. Nam hoc poſterius non illicitum, adhibita tamen cautela, de qua quoque Maimon. c. VII. in. כל זמן שחיה אוכלת ממין זה מן השדה אתה אוכל ממה שבבית כלה לחיה מן השדה חייב לבער אותו המין מן הבית וזהו ביעור של פירות שביעית כיצד הרי שהיו גרוגרות של שביעית בתוך ביתו אוכל מהן כל זמן שהתאנים באילנות בשדה כלו התאנים מן השדה אסור לאכול מאותן שבבית אלא מבער אותן *Omni tempore, quo beſtia de certa proventus in agro ſpecie veſcitur, de eadem, quam quis domui ſuæ intulit, comedendi jus habet, ſed quando deficit in agro, tum illa quoque e domo removenda. Hic autem fructus ſeptimi anni exterminandi modus eſt: ſcil. ille, qui ficus anni ſeptimi in ædes ſuas portavit, de iis tamdiu comedendi jus habet, quamdiu aliæ ab arboribus in agro dependent. At cum deficiunt, de ficubus in domo aſſervatis comedere non licet, ſed illas removere tenetur.*

[6] Non omne, quod quis proximo dedit, aut quod quis alteri debet, anno ſeptimo remittebatur. Plura a Juris Conſultis Hebræorum excipiuntur, ex quibus nomino tract. שביעית cap. X. 1. *Creditum tabernæ non remittitur*: Et mox שכר שכיר אינה משמט *mercenarii merces non remittitur* §. 2. האונס והמפתה והמוציא שם רע וכל מעשה ב״ד אין משמטין המלוה על המשכון והמוסר שטרותיו לב״ד אינן משמטין *Pœna ejus, qui ſtuprum intulit vel pellexit aut bonam famam læſit, omnia quoque acta Synedriorum non intercidunt. Ita quoque, qui pro pignore mutuum dedit, aut literas contractus Synedrio tradidit, remittere non debet.* Quando Autor ait hac ratione corda Judæorum obdurata fuiſſe, ne mutuum erogarent, ejus rei Hiſtoriam teſtem habemus atque ſimul modum, quo malo huic occurrebant l. cit. §. 3. פרוזבול אינה משמט זה אחד מן הדברים שהתקין הלל הזקן כשראה שנמנעו העם מלהות זה את זה ועוברין על מה שכתוב בתורה השמר לך פן יהיה דבר עם לבבך בליעל וגומר התקין לפרוזבול זהו גופו שרת פרוזבול מוסר אני לכם איש פלוני ופלוני הדיינים שבמקום פלו׳ שכל חוב שיש לי שאגבנו כל זמן שארצה והדיינים חותמין למטה או העדים Ex interpretatione Guiſii. *Judicialis cautio non perimitur. Hæc una eſt earum rerum, quas inſtituit Hillel ſenior. Cum populum videret a mutui datione invicem alienum fieri, adeoque illud, quod in lege ſcriptum eſt* (Deut. XV. 9.) caveto tibi ne rem nequam animo cogites &c. *violari, inſtituit Hillel cautionem Judicialem. Judicialis cautionis formula hæc eſt.* HOC EGO VOBIS TRADO N. ET N. JUDICES LOCI N. UT QUODCUNQUE ÆS ALIENUM MIHI DEBETUR ID EGO VINDICEM QUO TEMPORE LIBEBIT. *Judices aueem infra ſubſignant vel teſtes.*

CAPUT DECIMUM.

De Anno Jubilæo.

Tempus Jubilæi.

I. HOc est ultimum festum, quod Deus Judæis præcipit. Celebratum fuit quovis *anno quinquagesimo* [1] institutumque *Levit. XXV. 8. Numerabis tibi septimanas annorum, septem annos septem vicibus &c.*

Origines nominis יובל.

II. Vox *Jubilæi* descendit ab Hebraica יובל notante *arietem*, ut & *cornu arietinum* [2] *septem Sacerdotes gestabunt septem buccinas arietinas coram arca. Jos. VI. 4.* ubi vox יובלים occurrit, & a Paraphraste Chaldaico vertitur *cornua arietina*. *Marbachius in* Lev. XXV. putat, quod hic annus *Jobel* vocetur a יובל *Jubal*, primo inventore instrumentorum musicalium, de quo legimus *Gen. IV. 21. Jubal fuit pater omnium tractantium citharum & organon.*

Jura Jubilæi.

III. Alii Autores aliam hujus etymi rationem dant; sed verisimillimum est, quod hic annus vocatus sit *Annus Jobel* a יובלים *cornibus arietinis*, quorum clangor tum temporis totam regionem personabat Lev. XXV. 9.

Æra Judæorum a Jubilæis.

IV. Quinque præcipua hujus festi [3] adjuncta sunt. 1. Generalis manumissio servorum [4] 2. Revolutio agrorum domorumque ad primos possessores, qui ea antea vendiderant. [5] Hoc modo custodita est distinctio Tribuum, redeuntibus nempe agris ad primos dominos in suis tribubus; servisque ad suas familias 4. Sunt qui autumant, quod, quemadmodum Græci sua tempora computabant *Olympiadibus*, Romani *Lustris*, Christiani *Indictionibus*, ita Judæi *annis Jubilæis* sua tempora numerarint. [6] *Hospin. de Orig. fest. c. 9.* 5. Figurabant mystice spiritualem *Jubilæum*, quo gaudent Christiani sub Christo, cujus sanguinis beneficio non solum redditus nobis est reditus in regnum cœlorum, quod antea peccatis nostris amiseramus; (quemadmodum Israelitæ redierunt ad possessiones suas, quas antea vendiderant) verum etiam clangor Evangelii, qui adumbratur clangore tubarum, perrupit orbem terrarum. Et sic *Jehova clanxit buccina*, uti loquitur *Zacharias cap. XI. 14.*

Mysteria.

Dies manumissionis servorum.

V. Hæc autem manumissio servorum, & remissio possessionum, facta non est ante decimum diem mensis *Tisri*, quo tempore illa quasi publicata est *tubis* seu *cornubus arietinis*. [7] Novem prioribus diebus hujus mensis feriabantur servi, genioque indulgebant, serta plectentes, in signum propinquæ libertatis.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

Annot. [1] Hæc Auctoris sententia merito illi præfertur, quæ asserit Jubilæm in annum XLIX. incidisse. Rationes sunt 1. Expressa lex Lev. XXV. 10. *&* *consecrabitis* את שנת החמשים שנה *annum quinquagesimum* & proclamabitis *libertatem in ipsa terra omnibus habitatoribus ejus* יובל *Jubilæum esto vobis*. Et, ne ulla errandi occasio esset, mox v. 11. repetit יובל הוא שנת החמשים שנה תהיה לכם *Annus quinquagesimus Jubilæum esto vobis*. 2. Distinguitur ab anno Sabbathico modo præcedente. Hic enim celebrandus anno XLIX. c. c. v. 4. 8. 3. Si annus Jubilæus esset annus Sabbathicus, tum credibiliter verbo indicatum fuisset a Mose, neque circumstantiæ ab invicem distinguerent, veluti quod reperitur v. 11. *non conseretis* &c. 4. Simillima phrasis Lev. XXIII. 15. 16. cujus vi non XIX. sed L. Pentecosten constituit 5. Testimonia Judæorum uti Maimonidis & Josephi. Illius tract. שמטה ויובל c. x. מצות עשה לספור שבע שבע שנים ולקדש שנת החמשים שנ׳ וספרת לך שבע שבתות שנים וג״ו וקדשתם את שנת החמשים *Præceptum affirmativum est, cujus vi septem vicibus septem anni computandi sunt, sed quinquagesimus consecrandus. Q. S. E.* Lev. XXV. 8. numerabis tibi septem septimanas annorum &c. & consecrabitis annus quinquagesimum, & præprimis inferius in h. c. Hujus Antiq. l. III. c. x. p. 96. καλεῖται δ' ὑπὸ ἑβραίων ὁ πεντηκοστὸς ἐνιαυτὸς ἰώβηλος *Ab Hebræis quinquagesimus quisque annus Jubilæum vocatur.*

[2] Varia, quæ de hac voce dicuntur, ita conciliandа putamus. יובל Jobel est vox ficta imitans sonum, quales, uti in aliis linguis, ita Hebraica præprimis, plures reperiuntur. Vid. *Bochart Hieroz.* & Eruditissimi Beckii Amici mei longe æstimatissimi annot. 5. in Maim. tr. שמטה ויובל c. 10. vel juxta ejus divis. c. 1. p. 33. Quia autem ejusmodi sonus anno quinquagesimo frequens audiebatur, ipse annus יובל nuncupatur, prout principium anni Politici תרועה *clangor* fractus Num. XXIX. 1. Sonus vero certo instrumento efformandus est, hinc instrumenta illa היובל & קרן שופרות היובלים *cornua & buccinæ hajobhelim*, quæ talem sonum ex se edunt. Cornua arietum plurimum in hunc finem adhibita videntur. Forsan addendum *Jubhal*, qui Musices inventor Gen. IV. 21. ab eodem sono, quem ipso organo invento reperit, nomen habere. Certissimum est Latinorum *jubilo* hinc ortum sumere.

[3] Alia insuper sunt, quæ in jubilæo observabuntur, quæque communia cum anno Sabbathico דין היובל בשביתת הארץ ודין השמטה אחד הוא לכל דבר כל שאסור בשביעית מעבודת הארץ אסור בשנת יובל וכל שמותר בשביעית מותר ביובל ומלאכות שלוקין עליהן בשביעית לוקין עליהן ביובל ודין פירות שנת יובל באכילה ובמכירה ובבעור כדין פירות שביעית לכל דבר *Jus Jubilæi quoad quietem terræ prorsus convenit cum jure anni Sabbathici. Omne id, quod anno septimo prohibitum, ne terra colatur, id quoque prohibitum in Jubilæo. Et quæ licita in anno septimo, ea quoque in Jubilæo. Vapulant quoque propter eadem anno septimo & quinquagesimo. Eadem præterea ratio fructuum anni septimi & Jubilæi quod esum, mercaturam & exterminationem omnibus.* Hactenus convenientia: Mox disconvenientia יתירה שביעית על היובל שהשביעית שמטת כספים ולא יובל ויותר יובל על השביעית שהיובל מוציא עבדים ומשמיט קרקע *Annus septimus præ Jubilæo hoc habet, quod remittat æs alienum. At Jubilæum præ anno septimo servos manumittit & reddit agros.*

[4] Servi non simpliciter omnes manumittendi erant:

erant: Non Cananæi, origine & professione Ethnici, Lev. xxv. 44. 45. Maimon. tract. עברים cap. ix. sed vel Originarii Judæi aut qui ex Gentibus ad Judæos transierunr, sive nunc se ipsos vendiderint aut propter delictum a Synedrio venditi fuerint sive etiam spontaneam servitutem auribus transfossi לעולם in seculum promiserint מכרוהו בית דין עובר שש שנים מיום מכירתו ובתחילת השנה השביעית שלו יצא בן חורין ואם פגעה בו שנת השמטה בכלל השש הרי זה עובר בה אבל אם פגעה בו שנת יובל אפילו נמכר שנה אחת לפני היובל הרי זה יצא לחירות שנ׳ עד שנת היובל יעבוד עמך בשנת היובל הזאת וגו׳ *Servus, quem Synedrium vendidit, servet a die, qua venditus est, per VI. annos: Ab initio anno septimi mittitur in libertatem. Si in sexennium illud incidit annus Sabbathicus, ille servire pergit. Si vero intra illud spatium Jubilæum celebrandum, manumittitur, licet uno solum anno ante Jubilæum venditus fuerit. Hujus rei ratio est Lex divina.* Lev. xxv. 40. usque ad annum Jubilæum serviet tibi & in anno Jubilæi &c.

[5] In hanc rem lege Lev. XXV. 23. 35. & ex Juris Consultis Hebræorum tr. משטה ויובל c. xi. xii. xiii. hinc pauca excerpam. Terram Israelis, quæ inter tribus earumque familias divisa est, in perpetuum a proprietario abalienari nequit. Non tamen idem totius terræ jus est. Israelita pauper, qui agrum suum vendere cogitur, absoluto biennio redimendi jus habet צריך שיאכל הלוקח שתי תבואות בשתי שנים ואחר כך יגאל שנ׳ שני תבואות *Necesse est, ut is, qui emit, duorum annorum fructum capiat & dein redimatur* Q.S.E. Lev. xxv. 13. anni proventuum. Sin vero pecuniam, qua redimat, non habeat, ager nihilominus ad pristinum possessorem in Jubilæo redit. Hoc jure non gaudet, qui vendit להניח דמים בכיסו או לעשות בהן סחורה או ליקח בהן כלים או עברים ובהמה אינו רשאי אלא למזונות בלבד ואם עבר ומכר מכל מקום הרי אלו מכורין *ut pecuniam asservet aut illa negotietur, vel emat vasa, servos, jumentum: Solum concessum est in usum ciborum. Qui vero transgressus est & nihilominus vendidit, tum, quæ vendidit, vendita habentur.* Consimiliter comparatum cum domibus in agro Lev. xxv. 31. Sed non cum illis in urbe muro cincta. Idem c. XII. 1. המוכר בית בתוך עיר המוקפת חומה הרי זה גאולה כל י״ב חדש מיום שמכר בכל׳ עת שירצה ואפילו ביום שמכר וכרוצה לפדות נותן כל הדמים שלקח ואינו גורע ללוקח כלום *Ille, qui domum intra urbem muro circumdatam vendit, redimere potest totis XII. mensibus* (vel XIII. si annus intercalaris) *a die venditionis. Quacunque die ipsi libuerit, ipsa quoque, qua vendebat, die. Reddet autem omnem pecuniam emtori, neque quidquam detrahet.* Anno vero elapso nullus redemtioni locus. Majori privilegio ædes Levitarum fruebantur vide Lev. XXV. 32. 33.

[6] Judæi hunc computum obtinuisse ajunt ab anno decimo & quarto postquam Josua Duce terram ingressi sunt. Hinc שבעה עשר יובלים מנו ישראל משנכנסו לארץ ועד שיצאו ושנה שיצאו בה שחרב הבית בראשונה מוצאי שביעית היתה ושנת שש ושלשים ביובל היתה שד׳ מאות שנה ועשר שנה עמד בית ראשון כיון שחרב הבית בטל מניך זה משבטלה נשאר הארץ חרבה שבעים שנה ונבנה בית שני וד׳ מאות ועשרים שנה עמד ובשנ׳ השביעית מבניינו עלה עזרא והיא הביאה השנייה ומשנ׳ זו התחילו למנות מניך אחר ועשו שנת שלש עשר׳ למניין בית שני שמטה ומנו שבע שמטות וקדשו שנת החמשים אף על פי שלא היתה שם יובל בבית שני מונין היו אותו כדי לקדש שמטות Doctissimo Beckio Interprete. *Septendecim Jubilæos numerarunt Israelitæ, ex quo ingressi sunt terram usque ad exitum. Annus vero, quo exierunt, & in quo vastatum est Templum primum fuit exitus anni septimi & trigesimus sextus Jubilæi. Nam 410. annos stetit Templum prius, eo vastato cessavit hæc æra. Illa abrogata terra deserta relicta est 70. annos tum exstructum est Templum secundum. Quod stetit annos 420. Anno septimo ab exstructione Templi secundi ascendit Ezras, estque is secundus in terram introitus atque ab hoc anno inceperunt uti alia æra & fecerunt annum decimum tertium ab exstructione Templi secundi annum intermissionis, septemque annis Sabbathicis numeratis consecrarunt annum quinquagesimum. Quamvis autem Jubilæus non obtinuerit sub Templo secundo, nihilominus computarunt annos Jubilæos ad consecrandos annos Sabbathicos.* Maimon. tract. cit. c. X. Vide alia, quæ huc faciunt, in antecedentibus & consequentibus.

[7] Eadem Maimonides noster l. cit. c. fin. Signum erat clangor buccinæ, qui illa die publico & privato nomine edendus erat.

CAPUT UNDECIMUM.

De Festo Purim & Festo Encæniorum.

I. PUR פור est vocabulum Persicum, notans *sortem*, unde hoc festum nomen habet, vocaturque *Purim*, h. e. *sortes*, κληρωτήρια.

Significatio nominis פור.

II. Cœpit hoc festum [1] die decimo quarto mensis *Adar*, duravitque ad finem decimi quinti. Est. IX. 21. Institutum fuit a *Mardochai*, in memoriam liberationis Judæorum e manibus *Hamanis*, coram quo singulis diebus, singulis mensibus, *sors* jacta est, ad exstirpationem illorum. Hoc biduo legunt [2] historiam de *Esthere* in Synagoga, & quoties nuncupatur *Hamanis* nomen, pugnis & malleis sæviunt in tabulas & subsellia, ac si infelicis *Hamanis* tempora tunderent. *Hospin. de Fest. Fol.* 33. *ex Antonio Margarita in lib. de cerem. Judæor.*

Tempus festi Purim. Auctor, & celebratio ejus.

III. *Festum initiationis* vocatur in N. T. ἐγκαίνια, [3] quod est ἑορτὴ, καθ' ἣν ἐκαινουργήθη τί *festum, in quo aliquid renovatum. Suic.* Quia illæ res solummodo initiatæ reputabantur, quæ fuerunt separatæ a communi usu & usui sacro dedicatæ.

Festi initiationis nomen.

IV. Legimus de multis rebus initiatis in V. T. *Tabernaculum*, *templum*, *Sacerdotes*, *Altaria*, *Vasa*, & *Vestimenta* initiata erant; sed non erat solennitas annua, quæ ipsorum initiationis memoriæ fuerit constituta; propterea ἐγκαίνια *initiatio*, de qua hic sermo, quum sit solennitas annua, est festum *initiationis altaris*, institutum a *Juda Macchabæo*, ut singulis annis per octo dies a vigesimo quinto die mensis כסלו *Kislev*, qui respondet nostro *Decembri*, celebraretur. 1. Macc. IV. 59. [4]

Qua initiatio in memoriam vocatur?

V. De hoc *festo dedicationis* loquitur *Johannes*, qui & præsentiam nostri Salvatoris refert, & tempus designat, quod fuerit *Decembris* mensis Ἐγένετο τὰ ἐγκαίνια *facta sunt encænia Hierosolymæ & hiems erat Joh.* X. 22.

Huc respicitur Joh. X. 22.

VI.

Ratio festi.

VI. Ratio hujus festi fuit reminiscentia ingentis gratiæ, quam Deus dedit suo populo, redimens ipsos ex tyrannide *Antiochi*, & idololatria, ad quam iste ipsos adegerat, dum idolum *Jovis* in templo posuerat, abolito vero Dei cultu.

Festa hæc sunt humana.

VII. Hæc duo festa sunt institutionis hnmanæ, quibus adhuc alia possunt addi. Verum parum aut plane nihil additum est huic, quod refertur de iis in S. Scriptura.

NOTÆ AD CAPUT UNDECIMUM.

Annot. [1] Die immediate antecedente in memoriam revocant calamitatem, quæ toti genti imminebat, quare מתענין בי"ג באדר ואם חל פורים באחד בשבת מקדימי' להתענות ביום ה' *XIII. mensis Adar jejunant: Si vero Purim in primam septimanæ incidit, tum jejunium anticipant atque celebrant die V.* Sed duobus subsequentibus summa in lætitia vivunt חייב איניש לבסומי בפוריא עד דלא ידע בין ארור המן לברוך מרדכי *Homo solennitate Purim tantopere se oblectare debet, ut inter* maledictus Haman & benedictus Mardochai *discrimen facere nequeat*; plurimum feriantur פורים מותר בעשיית מלאכה ובמקום שנהגו שלא לעשות אין עושין והעושה אינו רואה סימן ברכה מאותה מלאכה *In Purim operari non illicitum: Ubi vero feriari solent, recte feriantur. Qui vero operatur], ille successum operis nonhabebit.* Hæc cuncta ex *Schulch Ar. Ord. Or. Chajim* n. 686. 695. 696.

[2] Quo tanta salus Genti olim collata in recenti memoria conservetur הכל חייבים בקריאתה אנשים ונשים וגרים ועבדי' משיחררים ומחנכין את הקטנים לקרותה *ad lectionem omnes tenentur, viri, fœminæ, proselyti, servi in libertatem emissi. Initiant quoque minorennes ad legendum.* l. cit. n. 689.

[3] In scriptis Magistrorum חנוכה audit, unde Gr. ἐγκαίνια. Incidit hoc festum in XXV. Cislev atque per octiduum non sine insigni lætitiæ testificatione durat אסורים בהפסד ותענית *planctus vero & jejunium prohibitum* censetur n. 670. Ex adverso frequentia convivia celebrantur.

[4] Parce admodum memoriam dedicationis altaris ut rationem hujus solennitatis Judæi tradunt. Video in annotatione ad n. cit. quosdam ita sentientes adduci. Potius observant institutam illam esse ad recordandum miraculi tum a Deo perpetrati, quando urna olei puri, quo destituti erant, reperta extraordinaria Numinis Providentia per octo dies lucebat, quum tamen non plus olei, quam quod una requirebatur nocte, adfuerit. Quare hodierni Judæi tales tenent ritus, qui ad lucernas divina virtute lucentes clare respiciunt צריך ליזהר מאד בהדלקת נרות חנוכה ואפילו עני המתפרנס מן הצדק' שואל או מוכר כסותו ולוקח שמן להדליק כמה נרות מדליק בלילה הראשון מדליק אחד מכאן ואילך מוסיף והולך אחד בכל לילה עד שבליל אחרון יהיה שמנה *Admodum sollicita cura accensionis lucernarum in solennitate dedicationis habenda est. Nam ne quidem ille liber, qui ex eleemosyna vivit, sed emendicare aut proprias vestes vendere debet, ut sibi oleum ad accendendum emat. Accendenda autem prima nocte una lucerna, ab hinc unaquaque alia insuper adjicienda, ita ut nocte ultima octo luceant.*





MOSES ET AARON

LIBER QUARTUS.

DE

IDOLOLATRIA.[1]

CAPUT PRIMUM.

De Initio [2] Idololatriæ.

I. INFINITAS Divinæ Majeſtatis tantum ſuperat & excedit comprehenſionem creaturarum, ut, niſi conſulatur Divini oraculum Verbi, etiamſi perceptio Deitatis indita ſit ipſius Athei cordi, is tamen loco juſti de Deo conceptus Creaturam pro creatore adoraturus ſit. Et licet iș Deorum ſuorum numerum multitudine ſtellarum cœli menſus fuerit, & copiis reptilium humi, hæſitabit tamen, num adoret colatque verum Deum, imo numne verus Deus penitus ἄγνωςος *ignotus ſit*. Et hac ratione nautæ in navi Jonæ *invocabant quiſque Deum ſuum Jon.* I. 5. [3] Et forſan, quum ſe omnes verum Deum præterire & non adorare timerent, excitant Jonam, ut ſuo teddat quoque vota Deo.

Origo Idololatriæ.

Incertitudo idololatrarum.

II. Hæc incertitudo circa *Idololatriam* juſſit Gentes ſtipare preces ſuas hac generali *Dii, Deæque omnes &c. Virg. Georg. I. v.* 21. [4] Arabes ſuorum *notorum Deorum* inſufficientiam advertentes, conſecrant ſua altaria *Ignoto Deo. Gyrald. Syntagm.* 17. Paulus Athenis invenit altare ejuſdem inſcriptionis. *Act. XVII.* 23. Hinc vicinæ quædam terræ ſic jurabant: Nὴ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωςον *per Ignotum Athenis. Lucianus in Philopatride.*

Hæc porro probatur.

III. Ab hac dubitatione & incertitudine Athenienſium, *quis & quid Deus eſſet*, alia nata eſt incertitudo inter ipſos tantundem damnoſa, quam prior, dividens individuam Deitatis unitatem inter, neſcio quos, ſocios & compares dum alia altaria habent, quæ docent multitudinem & pluralitatem Deorum hac inſcriptione: Θεῶν ἀγνώςων *Altare Deorum Ignotorum*. Imo plena & tota inſcriptio iſtius altaris, quod vidit Paulus, cenſetur hæc fuiſſe: Θεοῖς Ἀσίας, καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, Θεῷ ἀγνώςῳ καὶ ξένῳ. *Diis Aſiæ & Europæ & Lybiæ, Deo ignoto & peregrino. Theophyl. in Act. XVII.* item *Hieron. Tit.* I. 12. Quæ obſervatio oſtendit, ipſorum praxin conveniſſe cum aliorum Gentilium formula precatoria: *Dii Deæque omnes.*

Hinc orta quoque diviſio individuæ Deitatis.

Exemplū celebre in ara Athenienſium: Deo ignoto.

Quod factum vel ex diffidentia, vel quia nomen Dei tutelaris tectũ habere maluerunt.

IV. Hanc diffidentiam credo esse præcipuam rationem, cur coluerint Θεῷ ἀγνώστῳ *Deum ignotum;* non tamen negabo, altaria potuisse tales inscriptiones gestare, ut tegeretur nomen *Deum tutelarium*, quorum custodiæ se dederunt; quia Gentes pleræque putant, quod, si nomen Deorum istorum, quibus urbem consecraverunt, evulgetur, hostes eum Deum carminibus aut incantutionibus evocare & urbe elicere possint. [5] *Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. Tyraquell. in istum locum*. Ut autem istiusmodi incantationis & evocationis vim eluderent *Tyrii Lacedæmones*, & aliæ nationes suos Deos devinxerunt, catenisque detinuerunt, ne emigrare possent. [6] *Macrob. Saturn. lib. 3. c. 9.*

Vel ex imitatione Judæorũ. Ratio quare Judæi legunt pro Jehova Adonai.

V. Rursus fieri id potuit ex eo, quod Gentes imitarentur Judæos, qui circa tempus nativitatis nostri Salvatoris illicitum censuerunt, essentiale Dei nomen יהוה *Jehova* eloqui, cujus loco legerunt ארוני *Adonai*. Occasio hujus occultationis nominis *Jehova*, ut puto, fuit, ne Gentes hoc sacrosanctum nomen profanarent, [7] quæ jam didicerant ab isto nomine sua Idola denominare *Jove*, Ἰάω, *Joath*, Ἰαώια *&c. Macrob. Saturn. lib. 1. c. 18.*

VI. Ex eo tempore hoc nomen tanta superstitione involutum est, ut Judæi, quo illud nomen occultent, textum corrumpant [8] *Exod. III. 15. Hoc est nomen meum* לעלם *in seculum*, legunt illi לעלם *ad abscondendum. P. Galat. r. 2. c. 10.* Quamvis non diffitear, quod hoc nomen quadantenus ἀνεκφώνητον sit, nempe quemadmodum *Plinius* ait *proœm. l. 5. Hist. Nat. nomina populorum oppidorumque Africæ vel maxime sunt ineffabilia*, h. e. ita constituta, ut aliæ linguæ ea nequeant reddere & exprimere absque περιφράσει.

Fons Idololatriæ.

VII. Sicuti præmissa nomina, idolis data, nihil aliud erant, quam tot profanationes divini nominis *Jehova;* ita origo & fons tot insequentium generum *Idololatriæ* exstitit ex abusu & detorsione S. Scripturæ.

Idololatræ primo luminaria cœlestia.

VIII. Acceperant Gentes per traditionem *Solem & Lunam & Stellas* speciem quandam dominii [9] atque regiminis habere in dies noctes, tempora; hinc factum, ut eadem in Deos verterint, divinumque iis cultum dederint. Deinde invalescente corruptione, ipsorum Ἀποθέωσις *Relatio inter Deos* se demisit usque ad creaturas sublunares: partim tanquam symbola & expressa signa magnorum istorum & præstantium luminarium. Ob hanc rationem adorant Chaldæi *ignem* אור, & *Ur Chaldæorum* [10] *Gen. XI.* notat *ignem* & *lumen*, putaturque fuisse Deus Chaldæorum, etsi l. c. nomen *Ur* tribuatur insigni urbi, ejusdem cum Idolo nominis. Imo *Deus Nachoris* אלהי נחור non creditur alius fuisse, quam אור. Partim etiam, quod creaturæ sublunares canonizabantur seu pro diis habebantur, tanquam res, queis gratiarum actio deberetur, si quid beneficii hominibus contulissent. Qua ratione, *Mare*, *Venti*, *Æther*, *Terra*, *Fructusque Terræ*, Deorum nominibus cultibusque investita sunt. Tandem *Homines bene meriti*, *imo Crocodili*, *Serpentes*, *Glires*, *Feles*, *Canes*, *Cepæ* & *Allium* divino honore non carebant. [11]

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

Annotat. [1] Nomina Idololatriæ & Idolorum sunt vel ἔγγραφα vel ἄγραφα. Hæc α עבדה זרה *servitium alienum*, quando numen colitur, cui cultus divinus natura non competit. Verbum עבר alias usurpatur de debito erga verum Deum obsequio Deut. VI. 13. β. עבודת כוכבים ומזלות *cultus stellarum & planetarum* ab objecto. Vide Deut. IV. 19. γ. יראה *Timor* subintellige falsi Numinis. Cultum Numinis in reverentia & metu consistere putabant æque falsi ac veri cultores. Gen. XX. 11. XXI. 42. 2. Reg. XVII. 34. Illa א. אלהים nomen proprie vero Israelis Deo tribuitur. Abusive passim ad Idola transfertur. ב. פסל *Sculptile* quoniam εἴδωλον in Materia aliqua exsculpitur atque ita divinam naturam illi esse negatur. ג. צלם *imago* sub qua falsus Deus refertur. ד. אלילים quæ οὐδὲν ἐν τῷ κόσμῳ vere nihil sunt, sed esse stolide putantur. ה. הבל *vanitas*. Est enim Idolum vanum & per consequens omnis cultus μάταιος erit. ו. Idem quod און 1. Sam. XV. 23. Jes. LXVI. 3. unde famosa בית און *Beth Aven*. ז. שקר proprie *mendacium*. Summum enim mendacium Deum fingere, qui non est & negare illum, qui revera est. ח. עצב *dolor:* Hic perpetuus comes Idololatrarum est. Animus ejusmodi cultu erigi nequit. Nihil enim reperit, quod animam veræ quieti reddere queat. ט. מפלצרת *horror*, quem cultores in pectore gestant. י. גלול *stercus* per contemtum. Nihil ita fœdum & turpe ac Idololatria. Unde diabolus omnis Idololatriæ Auctor βεελζεβοὺλ sive בעל זבול *Dominus stercoris* h. e. Idololatriæ, in Historia Evangelica audit. Cuncta, quæ recensuimus, si און exceperis, LXX. εἴδωλον transferunt. Hinc in N. T. vox εἰδωλολατρεία.

[2] Homo post peccatum imagine Dei destitutus sensim ac sensim Deum dediscit, nisi aliunde lux, quæ ad cognitionem veri Dei ducit, surgat. Hæc autem verbum revelatum est, nam hoc מאירת עינים *illuminat oculos* & פקודי יהוה ישרים *mandata Jehovæ recta sunt*, recte de Deo cogitare nos informant, Ps. XIX. 9. Quæ enim ratio quod olim soli Judæi Deum agnoverint, reliquæ Gentes ἄθεοι exstiterint? Illis igitur, qui ante diluvium revelatione Dei carebant, facilis ad Idololatriam lapsus patebat. Quum vero Cainitæ aliam a Sethianis viam ingressi fuerint, summe scelerati describantur, vix sperandum est illos, quos Deus in propriis semitis incedere permisit, toto illo tempore a crimine Idololatriæ puros vixisse. Non referam Judæos ex πατροπαραδόσει habere antediluvianos Solem, Lunam, stellas divino prosecutos fuisse honore, licet hæc illorum traditio non improbabilis sit. Quæ enim rationes Idololatriæ ortæ perhibentur, illæ quoque in tempore antediluviano locum reperiunt. Deus Cainitas alloquio suo haud dignos habuit. Cainitæ impietati se totos dederunt:

In

In reprobum itaque sensum a Deo, traditi, voluptates carnis summum bonum judicarunt, Deum ex propriis affectibus æstimarunt, aut cœli astra (quorum maxima in orbem habitabilem efficacia, summa utilitas, stupenda magnitudo, altitudo, pulcherrimus ordo, motus constantissimus illis, qui ex verbo omnium memoratorum Auctorem non edocti sunt, imponere potuit) Deos habuerunt.

3 Quoniam navigantes sæpius in discrimen vitæ adduci solent, navigaturi Deos suos secum in navim deportarunt, ut oborta tempestate illorum auxilium implorare possent, Persius Sat. VI. *Jacet ipse in littore & una Ingentes de puppe Dei*. Quod ab iis quoque, qui Jonæ c. I. memorantur, factum videtur. Ipsas naves certis Diis tutelaribus commiserunt; veluti Act. XXVIII. 11. ἐν πλοίῳ παρασήμῳ Διοσκούροις. Quo respicit Virgilius

aurato fulgebat Apolline puppis.

Et Ovidius

Est mihi sitque precor flavæ tutela Minervæ
Navis.

4 Ex pluribus testimoniis, quæ assertum Auctoris confirmant, unicum cito. *Veteres Romani, cum in omnibus aliis vitæ officiis, tum in constituendis Religionibus atque in Diis immortalibus animadvertendis castissimi cautissimique, ubi terram movisse senserunt, nuntiatumve erat, ferias ejus rei causa edicto imperabant, sed Dei nomen ita uti solet, cui servari ferias oporteret, statuere & edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando falsa religione populum alligarent. Eas ferias, si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset SIVE DEO, SIVE DEÆ immolabat. Idque ita ex decreto Pontificum esse M. Varro dicit: quoniam & qua vi & per quem Deorum Dearumve terra tremeret, incertum esset*, uti A. Gellius l. II. c. 28

5 Plinius *Hist. Nat.* l. XXVIII. 2. *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis Sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id oppidum esset: promittitque illi eundem aut ampliorem locum apud Romanos cultumve. Durat in Pontificum disciplina id sacrum. Constatque ideo occultatum, in cujus Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* Formula evocationis est apud Macrobium, ut observavit Huetius *demonstr. Evang.* propos. IV. c. 10. §. 3. *Deus, sive Dea est, cui populus civitasque Carthaginensis est in tutela.* Sunt qui tutelarum Deorum mentionem fieri ajunt 2. Sam. V. 6. sed non sat firmo argumento.

6 Jes. XL. 19. Simulachro Idoli attribuuntur רתקות כסף *catenæ argenteæ*, & cap. XLI. 7. מסמרים *clavi*, ne dimoveri queat.

7 Potius in causa est reverentia, quam nomini sanctissimo exhibendam censent, quare etiamnum, licet Christiani illud cognoscant, ab ejus pronunciatione tum in usu communi tum etiam sacro abstinent. Olim, quando Templum stabat, ejus pronunciatio aliquando licita. Tr. Mischnicus תמיד c. VII. de functionibus quotidianis במדינה אומרים אותה שלש ברכות ובמקדש ברכה אחת במקדש היו אומרים את השם ככתבו ובמדינה בכינוי *in provinciis tres distinctas recitabunt benedictiones* (hoc est, post unumquodque comma Num. VI. 24. 25. 26. populus acclamabat suum Amen) *sed in Sanctuario unicam* (tum demum Amen addebatur, quando Sacerdos benedicturus tria illa commata edixerat) *Ita quoque in Sanctuario Nomen Dei proferebatur, sicut scribitur* (scil. יהוה) *sed in provinciis per cognomen*. (puta אדוני.)

8 Cave hinc colligas Judæos textum Originalem corrupisse, quibus potius post Deum Codicis Sacri integritatem debita gratitudine referimus. Quod enim attinet hunc locum, Judæi non minus ac Christiani legunt לעלם *in seculum*. Hinc Germ. Jud. Versio, quæ Amstelodami prodiit. A. C. MDCLXXIX. daß iſt min nammen zu ewiglich. Quando autem punctandum ajunt לעלם *ad abscondendum* non negant priorem punctationem veram & propriam esse, sed quoniam varios explicandi scripturam modos agnoscunt, ideo dicunt punctari posse לעלם. Plurimæ ad hunc modum phrases in libris eorum exstant, sed pessime pro depravata scriptura producuntur. De Judæorum hac in parte fide, vid. *B. Avi Thesaurus. Philol.* & *Glassii Philol.*

9 Nempe, quæ Gen. I. 16. 18. Deus de Solis Lunæque diurno nocturnoque dominio dixerat. Accessit dein eorundem magnitudo, efficacia, utilitas, sublimitas, constantia, modus. Hæc & alia illos, qui verbo recto destituti sunt, atque proprias depravatas ratiocinationes sequuntur, ad Idololatriam perfacile ducebant. Hinc vulgo & quidem recte initia Idololatriæ in cultu Solis, Lunæ, reliquarum Stellarum ponuntur. Nihil enim in rebus sublunaribus, cui tot ad divinum cultum rationes innatæ videri possent, invenitur. Chaldæorum religio, quæ antiquissima est, versabatur circa exercitum cœlestem, estque illa Zabæorum (qui judicio Pocokii צבאים *Zabai* quasi צבא השמים *exercitus cœlestis* cultores nuncupabantur) fides toties a Maimonide in præclaro suo opere מורה נבוכים memorata, speciatim l. III. c. XXIX. ידוע שאברהם אבינו עליו השלום גדל באמונת הצאבה ודעתם שאין אלוה רק הכוכבים *In confesso est Abrahamum, cujus recordatio in pace est, in fide Zabæorum educatum esse. Eorum autem fides stellas solas Numen esse*. Et mox errores ita proponit הכוכבים הם אלהיות ושהשמש הוא האלוה הגדול וכן אמרו עוד ששאר הכוכבים החמשה אלהות אבל שני המאורים הם יותר גדולים ותמצאם אומרים בביאור שהשמש הוא אשר ינהיג העולם העליון והשפל *Stellas esse divinas, sed Solum esse Deum illum magnum. Præterea ita dicunt quinque stellas* (erraticas) *esse quoque Deos, his majores duo illa luminaria. Reperies quoque illos diserte dicere Solem regere mundum superiorem & inferiorem*. Si enim hæc fides, in qua Abrahamus educatus, Chaldæorum sit oportet. Hujus rei vestigia quoque in Sacris, veluti Job. XXXI. 26. 27. *Num vidi* אור *lucem* (*Solem* uti expresse Tigurini) *dum splendebat & Lunam* (*quando*) *pulchre incedebat & seduxit sese cor meum in occulto & osculum fixit manus mea ori meo?* quibus verbis pientissimus Jobus negat se eo impietatis processisse, sed simul affirmat ab aliis id factum esse. Rursum Deuter. IV. 19. Exod XX. 4. 5. Neque enim credibile est leges has datas fuisse, si talis Idololatricus cultus tum temporis in mundo non exstitisset. Tandem ex vetustissimis Idolis Moloch, Baal, Astaroth, sub quibus Sol & Luna intelligendi.

10 Haud insolitum, ut in honorem Idoli urbi idem nomen, quod Idolum habet a cultoribus tribuatur, uti Beth Pehor, Astharoth &c. ita Ur, quoniam incolæ colebant אור *Ur*, Auctor vertit *ignem*, *lumen*, quæ quidem generalis notio vocabulo inest (neque hic prorsus excludenda) sed præprimis valere videtur specialiter ut Job. XXXI. 26. scil. *Solis*. Consimiliter ac oppida *Beth Schæmæsch* aut *Jir Schæmæsch* ἡλιόπολις. Solem a concivibus Abrahami Numen habitum fuisse fabula, si aliquid veri continet, refert. אמנם אברהם שגדל בכותא כשחלק עם ההמון ואמר שיש שם עושה בלתי השמש טענו עליו בכך וכך וזכרו בטענותיהם מה שהוא מבואר נגלה מפעולות השמש במציאות ואמר להם רוצה לומר אברהם צדקתם היא כגרזן ביד החוצב בו ואחר כך זכרו קצת מטענותיו עליהם וסוף הענין ההוא זכרו שהמלך שם אותו בבית הכלא ושהוא התמיד לטעון עליהם ימים רבים הוא בבית כלאו ואחר כך פחד המלך שיפסיר עליו ממלכתו וישיב בני אדם מאמונתם וגרשו המלך לקצה המזרח אחר שלקח כל אשר לו Ex interpretatione Buxtorfii F. *Cum Abrahamus, qui educatus est in Cuthia, a vulgo dissentiret & diceret, quod præter Solem alius sit Creator, incepisse illos sic & sic ipsi objicere & inter alias objectiones meminerunt quoque operationum Solis evidentium & manifestarum in hoc mundo. Abrahamum autem respondisse eis. Justi estis h. e. recte dicitis, quia Sol est instar securis, quæ est in manu cædentis ipsa. Deinde meminerunt quoque objectionum quarundam, quas ipse movit contra illos. Et tandem scribunt, quod Rex ipsum incarceraverit; sed hoc nihil obstante ipse perrexerit in carcere sese illis opponere. Quocirca Regem, cum timeret, ne Regno suo detrimentum inferret, hominesque a Religione sua abduceret, ipsum in fines usque Orientis, confiscatis omnibus ejus bonis, relegasse*. Maim. l. cit. Similem habet Raschius.

11 Nam

quicquid humus; pelagus, cœlum mirabile gignunt,
Id dixere Deos; Colles, freta, flumina, flammas.

Atque hoc jam antiquis temporibus. Prout colligimus

mus ex Exod. XX. 4. *non facies tibi sculptile aut ullam imaginem eorum, quæ in cœlis desuper & quæ in terra infra terram*, ut & Deut. IV. 16. &c. *ne faciatis vobis sculptile, imaginem ullius similitudinis, figuram maris aut fœminæ, figuram ullius animalis, quod in terra, ullius avis alatæ, quæ volat in cœlis, figuram ullius reptilis in terra, figuram ullius piscis in aqua infra terram.*

CAPUT SECUNDUM.

De Molocho, Adram-Melecho Anam Melecho, Baale, Tabernaculo Molechi, Chiun, & Remphan.

Molochi diversa scriptio. Quorum Deus?

I. DE Idolo *Moloch* legimus in diversis Scripturæ locis 1. *Reg.* 11. 5. 7. 2. *Reg.* XXIII. 10. *Levit. XVIII.* 21. Subinde vocatur *Moloch*, subinde *Molech*, subinde *Milcom*. Non tantum putatur fuisse *Deus Ammonitarum*, sed & *Moabitarum*. [1] *Lorin. in* Act. VII. *ex Oecumen.* Nomen suum ducit a מלך *regnavit*. LXX. Interpretibus *Molech*, vertitur ἄρχων, βασιλεύς *Princeps*, *Rex*. Ejusmodi *Regia Idola* erant *Adram-Melech*, & *Anam-Melech*, Dii *Sepharvaim*, in quorum honorem populus suos filios per ignem traducebat.

Molochus & Baal idem.

II. Putem ego *Molechum* & *Baalem* esse unum idemque idolum, [2] quum utriusque nomen *dignitatem* & *imperium* indigitet, voce בעל *Baal Dominum*, voce מלך *Regem* denotante. Eodem quoque Sacrificiorum ritu culti sunt *Molech*, & *Baal*. *Ædificarunt celsa Baalis, ad comburendum filios suos igne, holocausta Baali, Jerem. XIX.* 5. *Exstruxerunt celsa Baalis, quæ sunt in valle Ben-Hinnom, ad traducendum filios suos & filias suas Molecho. Jer. XXXII.* 35. In quo textu locus sacrificationis utriusque Idoli docetur idem esse, & *Molech* ponitur in fine versus, ad exprimendum & exponendum *Baalem* in principio.

Objectio.

III. Sunt, qui putant ista Idola fuisse diversa, quia planeta *Jupiter* colebatur nomine *Baalis*, & planeta *Saturnus* verisimiliter nomine *Molechi*. *August. super Judic. q.* 16. *Vide sis Euseb. de præparat. l.* 15. 7. Quando consulimus Historias attente, inveniemus tantam Planetarum confusionem, ut *Sol*, quemadmodum sæpe *Baal*, sæpe *Molech* appellatur, sic etiam subinde vocetur *Jupiter*, subinde *Saturnus*. *Plato apud Macrob. Saturn. lib.* 1. *cap.* 13. ubi mendose citatur *e Timæo Platonis*, quod est in *Phædro*. *Servius in Æneid. l.* qui ait: *Assyrios Saturnum (quem & Solem dicunt) Junonemque coluisse constat.*

Solvitur.

Baal Sol est.

IV. Quod attinet *Baalem*, res in aprico est. Hinc Phœnices *Jovem* nominant *Beel-Simen*; quod nomen derivatur ab Hebræis, & notat id, quod *Jupiter Olympicus*, *Dominum cœli* scilicet; nam בעל significat *Dominum*, & שמים *cœlum*. Et quid aliud *Dominus cœli* in Theologia Gentili est quam *Sol?* qui æque vocari potest *Rex cœli* ac *Luna*, *Regina*. Accedit, quod *Sanchoniatho*, referente hoc de ipso *Eusebio l. c.* pro uno, eodemque sumit *Solem*, *Jovem*, & *Beel-Samen*. [3]

Moloch quoque.

V. Quod attinet *Saturnum* apparens est ipsius nomine cultum esse *Solem*. Deprehendo tamen, quosdam Interpretum *Molechum* exponere per *Mercurium*; nam מלך dici volunt quasi מלאך *Angelum nuntium*. Proinde interpretantur *Molech Mercurium*, *Deorum nuntium*. Alios video, qui per *Martem* exponant R. *Levi in Levit. XVIII.* 2. Sed hi & numero & ratione inferiores sunt. Veritati proprius putatur, quod fuerit *Saturnus*, quia, quemadmodum *Molecho*, ita *Saturno* Gentiles suos sacrificabant filios filiasque [4] *Macrob. Saturn. l.* 1. *c.* 7. Deinde statua *Molechi* parum differebat a statua *Saturni*. Erat illa *Ænea*, *stupendæ magnitudinis*, *cujus manus humum devergentes*, & *excavatæ erant*, *quas facile claudere iisque plaudere poterat*, *sic ut juventus*, *quæ cogebatur ad illud terriculamentum*, *tanquam tenaci ignis claustro prehenderetur*. *Euseb. de præp. Ev. lib.* 4. *c.* 7. Ferme eandem delineationem *Molechi* habes apud *Jalkut Jerem. VII. fol.* 97. *col.* 1. ubi ita legere est: *Etiamsi fuerint omnes aliæ idololatricæ ædes Hierosolymæ*, *Molechi tamen ædes fuit extra Hierosolymam in loco separato*. *Quomodo Molech erat factus? Erat statua ænea*, *habens septem sacella*; & *faciem vituli*, & *manus expansas*, *instar viri palmas aperientis*, *ad aliquid ab alio accipiendum*; *ignem in eam subjiciebant*, *excavata enim erat*. *In ista sacella pro ratione sacrificiorum ingrediebantur*. *Quomodo? Avem offerens*, *primum subibat sacellum*; *ovem offerens*, *secundum*; *arietem*, *tertium*; *vitulum*, *quartum*; *juvencum*, *quintum*; *bovem*, *sextum*; *denique filium suum oblaturus*, *septimum*. Hoc ergo modo conveniunt *Molech* & *Saturnus*. 1. In ritu sacrificandi. 2. Forma statuarum. Illa autem *septem sacella* exstructa *Molecho* conferre licet *septem portis*, quibus Persæ *Solem* coluere *Orig. contr. Celsum l.* 6.

Molochi statua cũ Saturni collata.

l. 6. fol. 74. col. 4. item *Gyrald. in Deor. Syntag. 7. p. 224.* Et veluti *septem portæ*, ita *septem sacella*, mistice significare possunt *septem Planetas*, quorum *Sol* erat מלך, h. e. *Rex*.

VI. Cum offerrent filios suos Idolo isti, pulsabantur tympana, ne ejulatus puerorum parentum aures afficeret. Unde locus ille vocabatur תפת a תף quod notat *tympanum*, & ob lamentationem liberorum, גיהנם Γέεννα, *Gehenna*, a גיא, quod notat *vallem*, & נהה, quod notat *lamentari*. [6]

In τεκνοθυσίᾳ Molochi tympana pulsabuntur, unde vox γέεννα.

VII. Hic quæri posset, an hic loquendi modus, *Ignis Gehennæ Matth. V. 22.* ortum ducat ab isto igne, quem transiverunt filii *Molocho* consecrati? Resp. Quod hoc loquendi modo neutiquam respectus sit iste ignis, licet per miserandum filiorum ululatum & planctum, horrenda inferni tormenta aliquo modo exprimi possint; attamen durabilitas & æternitas infernalium cruciatuum videtur mihi depicta per alium ignem, qui continuo alebatur ad comburenda cadavera & sordes, ex Hierosolymis egestas. Nam *Gehenna* habebatur locus contemtissimus extra urbem, ubi comburebant per אש תמיד *ignem continuum*, ossa, cadavera, sordes & intestina. *R. D. Kimchi* Ps. XXVII. 13.

VIII. Kabbalistæ agentes de *Gehenna* hoc metaphorico sensu, scil. ut ea usurpetur pro cruciatibus inferni, distinguunt eam in *Gehennam superiorem & inferiorem*: per illam intelligunt tormenta corporalia, quibus uruntur corpora peccatorum in hoc seculo; per hanc pœnas animarum in seculo futuro. *Capnio de Kabbala p. 644.*

Gehenna est infernus vel superior, vel inferior.

IX. Dicunt præterea *septem Gehennæ mansiones* esse, seu gradus 1. *Infernum*. 2. *Perditionem*. 3. *Profundum*. 4. *Taciturnitatem*. 5. *Umbram mortis*. 6. *Terram inferiorem*. 7. *Terram sitientem*. *P. Galat. l. 12. c. 6.* Qui prodigus temporis est, *l. c.* septem illas *mansiones* intueri, pluraque legere potest.

Ejus septem mansiones.

X. Multum disquirunt Interpretes, utrum pueri in hac oblatione *combusti sint igne*, an vero tantummodo *Molecho consecrati & initiati*, transeuntes per medium ab utroque latere dispositum ignem in signum consecrationis suæ; Verisimile est utrumque usitatum fuisse. [6] Quia S. Scriptura de utroque loquitur. 2. Hebræi docent quoque modum utriusque.

Pueri modo igne comburebantur, modo Molocho tantum consecrabantur.

XI. Quod combusti sint, docet expresse *Jalkut*, cui annuunt alii. *Aben-Esra Levit. XVIII. 21.* ait: *Molech est nomen idoli, & Sapientes benedictæ memoriæ dicunt Molechum esse nomen universale, & notare quemcunque sibi præposuerint, ut inter ipsos regnet, in hoc omnes conveniunt, quod sit* βδέλυγμα *abominatio peccatorum Ammonis & hic modus loquendi, scil. Traducere tantundem valet ac Comburere.* Alii R. *Salomon Lev. XVIII. 21.* ait: *Nomen hujus idoli erat Molech. & hic erat ipsius cultus, nempe ut pater filium suum Sacerdotibus traderet, qui duas ingentes flammas suscitabant, filios inter istos ignes traducentes.*

Prius probatur ex Hebræis scriptoribus. Posterior R. Salom.

XII. Hoc non obstante, non putandum est, nulla alia sacrificia fuisse pro *Molecho* præter consecrationem filiorum, nam cui usui fuissent cætera sex sacella? Existimo hanc filiorum sacrificationem ipsis non fuisse injunctam necessitate alicujus superstitiosæ legis seu constitutionis, sed eam habitam fuisse pro opere meritorio, factamque ἐθελοθρησκείᾳ mera. [7] Hoc annoto, quia alias clara differentia erat inter *Baalem* & *Molechum*. Nam Baalitæ imaginario suo Deo offerebant bovem, in disputatione illa inter ipsos & Eliam 1. *Reg.* XVIII. 26. Boves, vituli, & agni erant ipsorum ordinaria sacrificia, filiorum sacrificatio fuit extraordinaria. Nihilominus tamen ipsorum ordinaria sacrificia cruenta erant quadantenus sanguine humano, sacerdotibus propriam carnem confodientibus.

Etiam alia Sacrificia Molocho offerebantur.

Non tamen sine sanguine Sacerdotum.

XIII. Unde autem hic laniandi mos ortus sit, non invenio, nisi quod legamus, ejusmodi quid usitatum fuisse Sacerdotibus Gentilibus in sacrificiis pro *Bellona*. *Tertullianus Apol. c. 9.* hoc tangit; *Lactantius* autem *Lib. 1. de fals. rel. c. 21.* agens de *Bellona* ejusque sacrificulis, clarius loquitur; dicens: *Ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exercentes, currunt & efferuntur & insaniunt.* Quis hos *Bellonitas*, non censeat esse veros *Baalitas*? de quibus 1. *Reg. XVIII. 26. 28. Insilierunt versus altare, quod fecerat; Et incidebant se se cultris & spiculis suo more, usquedum se perfunderent sanguine.*

Sævissimi hujus moris origo.

XIV. Quod opinio Deo placendi per sacrificium filiorum suorum nata sit ex historia Abrahæ sacrificantis Isaacum, [8] verisimile videtur, & docetur a R. *Salomon. Jarch. Jer. XVI. 31.* Qui Deum ibidem introducit de *Molecho* ita loquentem: *Non præcepi, ut filios suos holocaustum offerant, nec id dixi unquam Prophetarum cuiquam. Cumque Abrahamo loquerer de sacrificando filio, non ascendit in cor meum, ipsum debere sacrificare eum, sed ut manifestaretur ipsius justitia.*

τεκνοθυσία orta videtur ex historia Abrahami.

XV. Sic *Porphyrius* [9] agens de *Saturno*, qui videtur verus fuisse *Molech*, ait, quod Phœnices illum vocent *Israel*, [10] quodque ille apud *Anobreth* [11] habuerit unicum filium, lingua Phœnicea *Jeud* dictum, (extra dubium ab Hebraico vocabulo יחיד quod significat *unigenitum*, & Isaaco applicatur Gen. XXII. 2.) quem sacrificarint super altari ad hanc rem structo. *Euseb. præp. Evang. l.* 1. *c.* 7. *p.* 17. Quis hic non palpet historiam de *Abrahamo & Sara* sub nomine *Israel*, & *Anobreth*? & sacrificationem *Isaaci* sub nomine *Jebud*? & originem filium jugulandi fuisse κακοζηλίαν facti Abrahami?

Ad Idololatriam Solis quoque pertinet Am. V. 26. coll. cum Lxx & Stephano.

XVI. Sed quid? an Sol non alio modo Idololatrico colebatur? Immo, invenimus alium, quo cultus est, modum, nisi fallor, *Amosi. V.* 26. *Portasti tabernaculum Melechi vestri, & Ciun imaginum vestrarum, stellam Dei vestri, quem fecistis vobis.* [12] Hanc versionem præfero aliis. 1. Quia vox Hebraica סכות significat *tabernaculum*, ונשאתם את סכות מלככם 2. Vertitur a LXX. *tabernaculum Molechi* 3. Ita rursus refertur a Stephano Act. VII. 43. Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν, τοὺς τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς *Imo bajulastis tabernaculum Molochi, & sydus Dei vestri Remphanis, imagines, quas fecistis vobis, ut adoraretis.*

XVII. Tria hic inquirenda, ut intelligatur locus iste παράλληλος. 1. Quid sit *bajulatio* illius tabernaculi. 2. Quid idoli indigitetur nominibus *Chiun* & *Remphan*. 3. Quid per *stellam* hujus Dei denotetur?

Portatio tabernaculi est circumgestatio Idoli in tabernaculo. Similis apud Romanos recepta. Et probabiliter orta a portatili tabernaculo.

XVIII. *Bajulatio* tabernaculi illius notat cultum, quem detulere idolo isti, portando illud huc & illuc in tabernaculis & aulæis, solenni processionis ritu. Hæc solennitas Romanis vocatur *Pompa*, & tentorium, sive theca, qua portabatur Idolum, *Thensa*, juxta id: *Thensa Deorum vehiculum*.

XIX. Hæc idololatriæ species videtur ortum traxisse inter Gentes a κακοζηλία tabernaculi Mosaici, quod nihil aliud fuit quam *portatile templum*, nam οὐδὲν ναοῦ μεταφερομένου διέφερε *nihil a templo tralatitio distulit*, *Joseph. Antiq.* & de loco in locum, ubi necesse fuerit, transferri potuit. Siquidem negari non potest, multas superstitiones Gentilium haustas fuisse a vero Dei cultu, quem ipse Deus suo populo præscripserat. Quemadmodum Deus habuit suum *Tabernaculum*, *Sacerdotes*, *Altaria*, *Victimas*, ita & Diabolus. Quemadmodum Deus habuit *æternum* super altari *ignem Levit. VI.* 13. ita & Diabolus suum, quem perpetuo fovebant *Virgines Vestales*. Quemadmodum Deus suum habuit ἱλαστήριον *propitiatorum*, sic Diabolus suos habuit *sacros tripodas*, e quibus oracula sua se colentibus retulit.

Utraque facta in honorem Solis.

XX. Hæc solennis processio apud Romanos facta est in honorem *Solis*,

Solis honore novi grati spectacula Circi
Antiqui dixere Patres. [13]

Corip. Afric. l. 1. *num.* 17. *vid. Dempst.* Apud Israelitas ea ducta est processio in honorem *Molochi*, quem jam diximus esse *Solem*.

Et augebatur ducendo huc illuc equos & currus.

XXI. Ut pompam & dignitatem adderent huic solennitati, Romani & Israelitæ speciosæ magnitudinis equos & currus huc illuc ducebant. Apud Romanos equi dedicati erant *Soli* & circus ipsorum, seu spatium, in quo decurrebant, subinde vocatur τὸ ἱππικὸν & ἱπποδρόμιον. *Alex. ab Alex. lib.* 5. *cap.* 12. Quod autem plerumque currus in hoc pomposo spectaculo adhiberentur, constat. *Hic illius arma; Hic currus fuit. Æneid.* 1. Quod attinet Israelitas, an non idem fecere? 2. *Reg. XXIII.* 11. *Et Josia removit equos, quos dicaverant Reges Jehudæ Soli, & currus Solis combussit igne.*

Idololatria Solis a Persis primum orta.

XXII. Hæc Idololatria adorandi *Solem* videtur ducta a Persis, [14] qui equos *Soli* quoque consecrabant. Et Rex Persarum pompam suam magnificam ostentaturus, raræ magnitudinis equum huc illuc duci jussit, qui vocabatur *Equus Solis*. *Cæl. Rhodigin. antiquit. lib.* 8.

Chiun sive Remphan est Hercules.

XXIII. Secunda quæstio est, quale Idolum intelligatur per *Chiun & Remphan*? Ne obruam Lectorem varietate interpretationum, multo minus superba temeritate eorum, qui textum emendare sustinent, per *Chiun* intelligendus est *Hercules*, qui lingua Ægyptiaca vocatur *Chon*; per *Remphan* intelligimus eundem, nam רפאים in Lingua Sancta significat *Gigantes*. Per *Herculem* intelligere possumus *Planetam Solis*. [15]

Etymologia nominis Herculis.

XXIV. Sunt Etymologici, qui nomen *Hercules* derivant a vocibus Ἥρας & κλέος, quæ significant *aeris gloriam*; quæ autem alia est aeris gloria, nisi *Solis* illuminatio? *Macrob. Saturn. lib.* 2. *cap.* 2. Alii proinde etiam deducunt ab *Hebraico* האיר כל *illuminavit omnia*, cum quo convenit expositio Græca; denotaturque universalis lux, quam *Sol*, velut fons aquam fundit. Adde, quod *Porphyrius Herculis facta*, quæ toties decantantur Poetis, non aliter exponat, quam ea esse *signa duodecim Zodiaci*, quem *Sol* quotannis emetitur. *Euseb. de præpar. Ev. l.* 3. *c.* 4. *p.* 71.

XXV.

Hercules Judæis innotuit.

XXV. Sed quispiam quærere posset, an quoque nomen *Herculis* Judæis notum fuerit unquam? Verisimile est, quod fuerit, quia *Hercules* fuit *Tyriorum* Deus; a quibus multum idololatriæ venenum suxerunt Judæi, quum illis essent vicini. Immo apparet, tempore Maccabæorum hoc nomen vulgo innotuisse; nam *Jason* Pontifex misit ter centum drachmas argenti ad sacrificium *Herculis*. 2. *Macc. IV.* 19.

Stella Remphan est stella exarata in sincipite Molochi.

XXVI. Tertio quæritur, quid fuerit *stella illius Remphan?* Verisimile putatur fuisse *stellam exaratam in sincipite Molechi*, *Oecum. Act. VII.* 43. nam frequens fuit Gentilibus sua idola pingere vel sculpere cum ejusmodi symbolicis additamentis. Simulacro *Julii Cæsaris* in vertice addita est stella. *Suet. in Jul. Cæs.* sub fin. *Plin. Hist. nat. l.* 2. *c.* 25. *Horat. l.* 1. *od.* 12.

Sol quoque adorabatur sub Tammuz qui Adonis.

XXVII. *Sol* quoque adorabatur a domo Juda *sub nomine Tammuz*, nam *Tammuz*, teste *Hieronymo Comment.* 3. *in Ezech.* erat *Adonis*; [16] & *Adonis* vulgariter exponitur esse *Sol*, ab Hebraico ארון *Adon*, *Dominus*, qui cum בעל ע״ז *Baal*, & מלך *Molech*, *Princeps & Dominus* planetarum est. *Pier. Hierogl. l.* 9. *p.* 68. Mensis noster *Junius* vocatur Hebræis *Tammuz*, & ingressus Solis in Signum Cancri in Judaica Astronomia dicitur תקופת תמוז *circumvolutio Tammuz*. [17]

Hujus interitus & reditus.

XXVIII. Quod attinet *Adonidem*, qui ab antiquis Autoribus subinde vocatur [18] *Osiris*, duo notatu digna sunt; Ἀφανισμὸς *interitus Adonidis*, & εὕρεσις *reditus illius*. Quemadmodum ingens planctus excepit ipsius ἀφανισμὸν, præprimis inter mulierculas, ita ipsius εὕρεσις cum magna lætitia fuit. *Plut. in Alcib.*

Nunquamque satis quæsitus Osiris.
Semper enim perdunt, semper & inveniunt. Luc.

Per interitum *Adonidis* intelligendus est *recessus Solis*, per reditum *accessus*. Jam autem bis quotannis videtur recedere. 1. Quando est in Tropico Cancri, in remotissimo versus Boream gradu. 2. Quando est in Tropico Capricorni, in remotissimo versus Austrum gradu, quod respondet binis recessionibus *Solis*, quæ vocari possunt ἀφανισμοὶ Solis, & binis revolutionibus immediate sequentibus, quæ quoque vocari possunt εὑρέσεις Solis. Hinc observare licet, quod etsi Ægyptii sua *Adonia* feriarentur mense *Novembri*, [19] Sole in remotissimo Austri gradu constituto, domus tamen Judæ suum festum celebrarit mense *Junio*, Sole remotissimo ad Boream, quia utriusque festi eadem ratio fuit, in substantia convenientis. De hoc censetur locutus esse Propheta *Ezech. VIII.* 14. *Ecce ibi sedebant mulieres plangentes Thammuz*. [20]

Cultus præprimis a Bybliensibus & Alexandrinis.

XXIX. Solennitates istæ præprimis observabantur a *Bybliensibus* [21] & *Alexandrinis*. Ritus ita habuit: *Bybliensibus* celebrantibus mortem seu ἀφανισμὸν *Adonidis*, *Alexandrini* mittebant epistolam cistula custoditam viminea, qua docebant, *Adonidem* repertum esse, quem mortuum lugerent. *Procop. in Esa. XVIII.* item *Cyrill. l.* 2. *tom.* 2. *in Esa. I.* Hæc cistula, peractis consuetis ceremoniis, maris undis permissa, αὐτομάτως & secundo fluxu delata est *Byblum*; qua recepta, planctus mulierum in lætitiam exiit.

XXX. Aliis placet, quod hic planctus noctu fuerit impensus simulacro alicui, finitoque eo, cereaque allata, (quæ ceremonia mystice significare potest εὕρεσιν & *apparitionem* Solis) Sacerdos locutus sit pressa voce secum: Θαῤῥεῖτε τῷ Θεῷ ἐςὶ γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία, *Confidite Deo, nam ex dolore nobis obvenit salus*. *Julius Maternus Firmicus lib. de errore profan. Relig.*

Judæorum expositio de Tammuz.

XXXI. Sunt alii ex Judæis, qui asserunt suum *Tammuz* fuisse simulacrum, cujus oculos implessent plumbo, quod cum subdito igne colliquatum esset, idolo lachrymas expressisse. היו עושים צלם ויהו מלאים עיניו עופרת והיו עושים אש מתחתיו *Fecerunt simulacrum, & impleverunt oculos ejus plumbo, & fecerunt ignem sub eo R. David Kimchi in radic.* [22]

Quidam alludi putant Jes. XVIII. ad cultum Adonidis. Præfertur sensus literalis.

XXXII. Quidam putant Esaiam respexisse inclusam istam vimineæ capsulæ epistolam *Esa. XVIII.* 2. cum loquitur de Legatis missis trans mare in lembis junceis. *Procop. in Esa. XVIII.* Sed potius literalem sensum probo, nam propter Syrtes & brevia, item periculosa saxa Nili, frequens erat usus lemborum fabricatorum ex majoribus juncis, qui Ægyptiis vocantur *papyrus*, & naves ex ea, naves *papyraceæ*. *Plin. Hist. l.* 6. *c.* 22.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

Annot. [1] Recte ait Auctor Moloch non solum Ammonitarum, sed & Moabitarum Idolum haberi. Moloch videtur Numen pluribus commune; forsan tamen alio & alio modo cultum ab hac illave Gente. Quare distinctionis gratia aliquando vocula adjiciebatur uti אדרמלך *Adramælach* Sepharvæorum qs. אדיר מלך *excellens Moloch* & ענמלך *Anamælach* Sephæræorum qs. *Moloch*, *qui oracula fundit*. Præterea Moloch idem, qui Baal. Hic autem a Moabitis & pluribus aliis colebatur.

[2] His

[2] His addo: Hinc eſt, quod Moloch & Baal conjunctim reperiatur, veluti in vetuſta inſcriptione Romæ in hortis Farneſianis viſenda

ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧ
ΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΙΣ ΘΕΟΙΣ.

Conſule *Seld. de Diis Syris Syntagm.* II. *c.* I. *p. m.* 926. *ed. Lugd. Bat.* Prout מלאכת השמים *regina cœli* Jer. XLIV. 17. luna, ita מלך *Rex* procul dubio Sol erit. Pro uno eodemque Idolo ducit Abarbanel שני השמות הוו לו מולך ובעל *Comment. in* Lev. & Deut. XVIII.

[3] הבעל שהיו עובדים הידה כנגד השמש והוא הנקרא מולך כי הוא מולך על כל בני שחץ *Baal*, *cui ſerviverunt, Sol eſt, quique etiam Moloch vocatur, quoniam hominibus ferocibus imperitat*, ut ait. *Abarb. Comment. in Jer. XLIV.* 17.

[4] Plurimis teſtimoniis probari poſſet & ab aliis jam probatum eſt, memoro tantum duo: Unum Plutarchi: τὰ τέκνα παύσονται τῷ κρόνῳ καταθύοντες *pueros Saturno immolare ceſſant*. Alterum Plaut.

> Faxo ut bubulis coriis ſic onuſtus Saturni hoſtia
> Ita ego te certe cruce & cruciatu mactabo.

[5] Potius placet Etymologia, quam dedimus *diſſ. de urbe Hieroſolym. p.* 391. Conf. Jer. XIX. 2. ceu quæ cum phraſi, natura Etymologiæ rectius convenit.

[6] Nollem quidem negare tranſitum per ignem ſive februationem in cultu Molochi obtinuiſſe. Attamen exiſtimo phraſeologiam העביר למלך *traducere in honorem Molochi* aut העביר באש *traducere per ignem* vel הכיר באש באש למלך *traducere per ignem in honorem Molochi* Levit. XVIII. 21. Deut. XVIII. 10. 2. Reg. XXIII. 10. ipſam combuſtionem indicare. Aſſerti rationes ſunt I. quia eſt Synonymum שחט, זבח, שרף, בער, אכל quæ plus quam ſimplicem februationem docent. Patet *a* 2. Reg. XVI. 3. *etiam* (*Achaz*) *filium ſuum* העביר באש *traduxit per ignem* nam in loco pararello 2. Chron. XXVIII. 3. ויבער את בניו באש *& combuſſit filios ſuos igne β.* Ezech. XVI. 20. 21. ſumſiſti filios & filias meas, quos mihi peperiſti ותזבחם להם לאכול & ſacrificaſti illis ad devorandum. An parum hoc de ſcortationibus tuis? ותשחטי *& mactaſti filios meos, &* vel *dum tradidiſti illos ut traducerent eos illis* (Idolis) γ. Ezech. XXIII. 37. העבירו להן לאכלה *traduxerunt illis* (falſis Numinibus) *ad devorandum*, nam quæ in honorem Numinis cujuſdam comburitur, dicuntur cibus ejus δ. Jer. 5. ædificarunt celſa Baali לשרף ad comburendum filios ſuos igne (ut fierent) עלה לבעל *holocauſta Baali* conf. Jerem. XXXII. 35. 2. Reg. XVII. 31. II. 2. Sam. XII. 31. de pœna, quam David Ammonitis devictis præter alias inflixit העביר אותם במלבן *traduxit eos per fornacem lateritiam*, certe non februavit. Ammonitæ prius filios filiaſque combuſſerunt למלכם *pro Milcom* (nam ita in eadem Hiſtoria Moloch etiam appellatur.) Nunc David æmulos gloriæ divinæ combuſſit eos במלבן *in fornace lateritia*. III. Moloch eſt Saturnus, ut Auctor probavit. At Saturno hoſtiæ ex hominibus parabantur. Docet hoc ex Sanchoniatone & ejus Intetprete Philone Byblio, quos auctores laudat Porphyrius περὶ ἀποχῆς 2. *Phœnices*, inquit, *in maximis periculis ex bello, frugum inopia, peſtilentia chariſſimorum aliquem publicis ſuffragiis ad id delectum ſacrificabant Saturno*. Vid. illuſtris Grotius annot. ad Deut. XVIII.

[7] Vel quando ingentia mala regionem affligebant, quibus citius depellendis hoſtias humanas convenientiores cœci Idololatræ arbitrati ſunt, quam vero victimas ex beſtiis. Vide *modo anteced. teſt.* Idem confirmat Carthaginenſium exemplum, qui victi iratum ſibi Deum putarunt, itaque, ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolarunt.

[8] Quoniam plura alia Patriarcharum, Abrahami imprimis, facta Gentibus innotuerunt, improbabile neutiquam eſt immolationem unici filii ſui a Deo præceptam ad Ethnicorum notitiam perveniſſe eamque in exemplum pertraxiſſe. Et ut facilius fidem habeamus, ea, quæ Veteres de Molocho, Saturno tradunt, & in Abrahamum quadrant, poſtulant. Præter annotata ab Auctore etiam hoc ex Sanchoniatone de Saturno, qui Abrahamus, memorandum τὰ αἰδοῖα περιτέμνεται ταυτὸ ποιῆσαι καὶ τοὺς ἅμ' αὐτῷ συμμάχους καταναγκάσας *etiam pudenda circumcidit & commilitones ſuos eo adigit ut idem præſtent*. Conf. Gen. XVII.

[9] Porphyrius hæc ex Sanchoniatone habet. Hic autem perhibetur Antiquiſſimus Scriptor, qui Phœnicum Hiſtoriam inde a prima origine ex urbium & temporum monumentis lingua Phœnicia multo ſtudio protraxit. Eam Græce reddidit Philo Byblius ſub Adriano, cujus verſionis fragmentum poſteritati ſervavit Euſebius. Sanchoniaton ex teſtimonio Porphyrii ad Hiſtoriam ſuam conſcribendam quoque uſus eſt Commentariis παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ ἰαῶ *ab Jerombalo Sacerdote Dei Jao*, qui Gideon, Jud. VII. 1. VIII. 35. ut communiter Viri docti putant. Præ aliis legendus eſt *Bochart in Geogr.* p. II. l. II. c. 17. Hæc monere operæ pretium duxi, uti inde pateret tam antiquo, & qui Judæis non ignotus exſtitit, Scriptori non omnem fidem negari poſſe.

[10] Verba ſunt: κρόνος τοίνυν, ὃν φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι *Saturnus, quem Phœnices Iſrael cognominant*. Grotio ad Deut. XVIII. & Huetio *demonſtr. Evang. propoſ. IV.* c. III. §. 2. Iſrael poſitum videtur pro ἴλ ſic enim Saturnum dictum docet ibidem Philo Byblius Sanchoniatonem interpretans. Nam librarii voce ἰσραὴλ ſic contrahere ſolent ἰηλ & ἴλ. Cum ergo a Phœnicibus dictum Saturnum ἴλ legiſſet incautus librarius, ſignificare putavit ἰσραήλ. Niſi in Sanchoniatone nepotem cum avo confuſum malis.

[11] Anobret Sara eſt, dicta quaſi חן עוברת Ann oberet *ex gratia concipiens* uti ingenioſa Bocharti conjectura eſt. Geogr. p. II. l. II. c. II. f.

[12] His ipſis verbis crimen Idololatriæ a Moſe annotatum quidem non legimus. Hinc tamen nondum ſequitut E. tale non commiſſum eſt: Verba Prophetæ ad literam non ſunt intelligenda. Neque enim putandum Moſen omnia Iſraelis facinora nobis tradidiſſe. Sufficit, ſi Amos ſcriptor æque divinus ac Moſes illud exprimit. Hunc itidem θεόπνευστος Stephanus ſequitur Act. VII. 42. 43. Nemo quoque ingenium populi ad omnem Idololatriam proclive ignorat & quæ falſi cultus ſpecies fuerit, qua ille non ſe conſpurcaverit.

[13] Adi Kippingium *Antiq. Rom.* l. II. c. VI. qu ludos Circenſes prolixe deſcribit. In his breviores ſumus, quia inſtitutum ſolum eſt Antiquitates Hebræorum illuſtrare.

[14] Paſſim in Græcis, Latiniſque ſcriptis Solis cultum Perſis tributum invenies. Heſychius: μίτρα ὁ πρῶτος ἐν πέρσαις θεός. Mithra autem Sol, qui Perſis frequenter *Mihr*. Hoc vero ægerrime habet celeberrimum Hyde, qui enixe contendit, ut convitium Perſis falſo factum monſtret. Nam א Perſæ, *argumentatur Anglus*, nunquam aſſeruerunt Solem eſſe Deum ב. nunquam preces ad illum fuderunt. ג. Sanſon de hodierno ſtatu Perſiæ. *Quando ab iis quæritur, cur proſtrati adorent orientem Solem? ſe homagium præſtare ei creaturæ, utpote quæ poſt hominem ſit perfectiſſima earum, quas Deus ex nihilo creavit. Ajunt quoque Deum in eo collocaſſe thronum ſuum, cujus itaque glorioſa Majeſtas debet humillimam eorum venerationem demereri*. Ait inſuper proſtrationes & ſalutationes tantum civiles in Oriente receptas a Perſis Soli exhiberi. Non tamen video, quomodo Eruditiſſimus Anglus Perſas ab Idololatria penitus purget. Non dicam antiquiora apparere teſtimonia, quæ illos Solis cultores conſtituunt, quam quæ illæ profert. Neque valet: Perſæ poſteriores negant. E. idem priores negarunt. Sed ex judicio ſcripturæ jam is Idololatra eſt, qui Soli homagium præſtat, qui procumbit coram illo. Exod. 4. Deut. IV. 19. Impune Orientales procumbebant coram Rege &c. ſed minime coram Sole. Illi civilis honos competit, non huic. Vid. *Hiſt. Relig. Vet. Perſ. c. IV.*

[15] Chiun, qui Auctori Hercules, pro planeta Solis haberi nequit. Moloch enim Sol eſt, Chiun vero a Molocho diſertis verbis diſtinguitur *portaſtis tabernaculum Molochi veſtri*, ואת כיון *& Chiun*. Rectius alii Saturnum dicunt neque ſine probabilitate. Aben-Eſra ad l. c. מלת כיון ידועה בלשון ישמעאל גם פרס כי הוא כיואן והוא שבתי *Arabibus & etiam Perſis*, *vox* כיון *nota eſt ſcil. nomine* כיואן *& notat Saturnum*. Recte, nam كيوان Perſis *Saturni planeta*.

neta. Illustratur dein ex Plauto Pœnol. Act. V. Sc. II. *Muni lechiun nah* uti מוני לכיון נא legit Paræus & exponit *imaginem Saturni quæso*; Præprimis ex Act. VII. 43. ubi Proto-Martyr loco כיון legit ῥεμφὰν LXX. ῥαιφάν. Estque vox Ægyptiaca, quam LXX. Ægyptii obscuriori substituerunt, quomodo Saturnus PHΦAN apud Ægyptios dicitur. Conf. B. Avi Exercit. Anti-Mor. §. 43.

[16] Auctor Chronici Alexandrini Θαμμὺζ ὅπερ ἑρμηνεύεται ἄδωνις. Suspicatur Illustris Huetius Thammuz sive Themosin aut Thetmosin appellatum fuisse eum Ægypti Regem, sub quo Moses prognatus est. Ejus vero filiam, quæ Thermuthis dicitur atque Mosen adoptavit, hunc non tantum ab extractione, sed & de patris nomine Thammuz appellasse.

[17] Hieronymus rationem nominis hanc dat in Comment. in Ezech. *Quem nos Adonidem interpretati sumus & Hebræus & Syrus sermo* תמוז *vocat, unde quia juxta Gentilium fabulam in mense Junio Amasius Veneris & pulcherrimus Juvenis occisus & deinceps revixisse narratur eundem Junium mensem eodem appellabant nomine & anniversariam ei celebrant solennitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus & postea reviviscens canitur atque laudatur.*

[18] Quod frequens est in Idololatria, ut idem Idolum plura habeat nomina a variis Gentibus data, id etiam verum quoad Adonidem, qui ex recensione Auctoris nostri Moloch, Baal, Tammus, Osiris audit. Huc facit Ausonius Epigram. 30.

Ogygia me Bacchum vocat
Osirim Ægyptus putat
Mysi Phanacem nominant
Dionyson Indi existimant
Romana Sacra Liberum
Arabica Gens Adoneum
Lucaniacus Pantheum.

Convenientia, quæ inter Adonidem & Osiridem, idem docet. Nam & Osiris amittitur, requiritur & inventus magno gaudio est. Vid. *Cl. Braunius Sel. S. l. IV. c. III.*

[19] Mensis hic apud Ægyptios Athyr dicebatur & postquam figebatur, in Novembrem incidit, unde vetus Romanorum Calendarium in eodem mense Heuresin festum notat. Olim tamen vagus erat. Conf. *Seld. de Diis Syris Synt. II. c. XI.*

[20] Judæi Bybliensibus & Alexandrinis vicini notique hanc Idololatriam didicerunt.

[21] Byblus nobilis in Phœnicia urbs ἱερὰ τοῦ ἀδώνιδος *Sacra Adonidi*; uti Strabo habet & plenius Lucianus de Dea Syria, pagin. 688. edit. Basil. ἄδον καὶ ἐν βύβλῳ ἱερὸν Ἀφροδίτης βυβλίης ἐν τῷ καὶ τὰ ὄργια εἰς ἄδωνιν ἐπιτελέουσι. Ἐδάην δὲ καὶ τὰ ὄργια. Λέγουσι γὰρ δὴ ὦ τὸ ἔργον τὸ εἰς Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς ἐν τῇ χώρῃ τῇ σφετέρῃ γενέσθαι, καὶ μνήμην τοῦ πάθεος τύπτονταί τε ἑκάστου ἔτεος, καὶ θρηνέουσι, καὶ τὰ ὄργια ἐπιτελέουσι, καὶ σφίσι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσταται. Ἐπεὰν τε ἀποτύψονταί τε καὶ ἀποκλαύσονται, πρῶτα μὲν καταγίζουσι τῷ ἀδώνιδι ὅκως ἐόντι νέκυϊ. Μετὰ δὲ τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ ζώειν τε μὶν μυθολογέουσι καὶ ἐς τὸν ἠέρα πέμπουσι καὶ τὰς κεφαλὰς ξυρέονται ὅκως αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος. *Vidi & Bybli Templum Magnum Veneris Bybliæ* in quo & ritus Adonidis perficiunt. *Cognovi & ipse ritus illos. Dicunt autem id factum esse, quod Adonis in sua regione apro percussus fuerit & in rei memoriam verberantur singulis annis, lamentantur & sacra faciunt, magnus ideo luctus per totam regionem animadvertitur. Finitis tandem verberibus atque lachrymis inferias agere incipiunt Adonidi tanquam mortuo. Sequenti autem die vivere eum dicunt & in aera mittunt & capita detondent, ut solent Ægyptii mortuo Apide.* Paulo inferius alia habet, quæ hic memoranda. Εἰσὶ δὲ ἔνιοι βυβλίων, οἳ λέγουσι παρὰ σφίσι τεθάφθαι τὸν Ὄσιριν αἰγύπτιον, καὶ τὰ πένθεα καὶ τὰ ὄργια οὐκ ἐς τὸν Ἄδωνιν ἀλλ' ἐς τὸν Ὄσιριν πάντα πρήσσεσθαι. Ἐρέω δὲ ὁκόθεν καὶ τάδε πιστὰ δοκέουσι. Κεφαλὴ ἑκάστου ἔτεος ἐξ αἰγύπτου ἐς τὴν βύβλον ἀπικνέεται πλώουσα τὸν μεταξὺ πλόον ἑπτὰ ἡμερέων, καὶ μὶν οἱ ἄνεμοι φορέουσι θείῃ ναυτιλίῃ, τρέπεται δὲ οὐδαμᾶ, ἀλλ' ἐς μούνην τὴν βύβλον ἀπικνέεται, καὶ ἔστι τὸ σύμπαν θαῦμα. Καὶ τοῦτο ἑκάστου ἔτεος γίγνεται, τὸ καὶ ἐμεῦ παρεόντος ἐν βύβλῳ ἐγένετο, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐθησάμην βυβλίνην: *sunt ex Bybliis nonnulli, qui dicunt apud se humatum esse Osirim Ægyptium luctusque & ritus hosce non Adonidi sed Osiridi omnes fieri. Dicam autem & unde fidem ejus rei sibi faciant. Caput unoquoque anno Byblum defertur septem diebus, quantum spatii ex illa in hanc est enatans. Ac venti ipsum ferunt divina quadam remigatione. Vertitur autem nusquam alio, sed solum Byblum perfertur & est in summa mirum quiddam. Et hoc quovis anno fit, quemadmodum & me præsente tum Bybli factum est, & caput ipsum spectavi e papyro effigiatum*, uti interpretatur Jacobus Micyllus.

[22] Fabula est jam dudum apud veritatis professores explosa בספר ההוא ספר על איש מנביאי עבודה זרה שהיה שמו תמוז קרא מלך לעבוד השבעה ככבים והשנים עשר מזלות והרגו המלך ההוא הרג משונה וזכר שליל מותו התקבצו הצלמי׳ מקצורת הארץ אל ההיכל אשר בבבל אשר לצלם הזהב הגדול אשר הוא צלם השמש והית הצלם ההוא נתלה בין השמים והארץ ונפל באמצע ההיכל והצלמים כלם סביבו והתחיל לאנות על התמוז ולהגיד מה שקרהו והצלמים כולם בוכים ומקוננים כל הלילה ובעלות השחר עפו הצלמים ושבו להיכליהם בכנפות הארץ והיה זה מנהג מתמיד בתחלת יום מחודש תמוז יקוננו ויבכו על תמוז ויספדו עליו ויאנו בני אדם Buxtorfio Interpretante. *Notatur in libro illo fabula de Pseudo-Propheta quodam Idololatrico, cujus nomen erat Thammus; quod cum vocaret Regem ad colendos septem Planetas & XII. signa Zodiaci ac a Rege ignominiose interficeretur, illa nocte, qua interfectus fuit, omnes Imagines ab extremitatibus terræ convenerint in Palatio, quod in Babylonia Imagini magnæ aureæ, Imagini videlicet Solis inter Cœlum & Terram pendenti erectum erat. Ibi imaginem illam* (Solis scil.) *in medio procidisse reliquis Imaginibus in circuitu ejus circumstantibus ac Thammusum deflere vel plangere & quid ei contigerit, narrare cœpisse, reliquas imagines plorasse & tota nocte lamentatas esse: Aurora vero ascendente omnes simul avolasse & in Templa sua in extremas Terræ oras reversas esse. Hinc consuetudinem introductam esse, ut primo die mensis Thammus* (h. e. Junii) *lamententur, lachrymentur, plangant & lugeant propter Thammusum* (Pseudo-Prophetam.)

CAPUT TERTIUM.

De Baal-Peore, Baal Tsephone, Baal-zebub, Baal Berith, Bel & Dracone.

I. QUEM Hebræi *Baalem*, illum Babylonii *Belum* dicunt; & licet planeta *Sol* solus primo sub hoc nomine videatur cultus esse, postmodum tamen hoc nomen commune [1] factum est aliis idolis, juxta illud εἰσὶ πολλοὶ Θεοὶ καὶ Κύριοι. *Sunt multi Dii* seu בעלים & *Domini* 1. *Cor. VIII.* 5.

Baal primo de Sole, postmodum de aliis quoque Idolis usurpatur.

II. Quemadmodum *Jupiter*, idem cum *Baale* idolum, varia nomina obtinet, & varios cultus sæpe ob diversitatem locorum, ut vocatur *Jupiter Olympius*, a monte *Olympo*; *Capitolinus*, a monte *Capitolio*; *Latialis*, ab ea parte Italiæ, quæ appellatur

Baalis varia nomina.

latur

latur *Latium;* sæpe ob varietatem beneficiorum, quæ creditur contulisse homuncionibus, ut *Jupiter Pluvius*, quia *pluviam* dat; *Jupiter Lucetius*, quia *lucem* indulget; *Jupiter Altitonans*, quia *tonat*. Ita *Baal* variis suis titulis insignis est, & variis ritibus colitur, vocaturque interdum ratione locorum, ut *Baal-Peor Num. XXV.* 3. Aliquando ratione acceptorum beneficiorum, ut *Baal-Tsephon Exod. XIV.* 2. & *Baal-Zebub* 2. *Reg. I.* 2. Aliquando ob aliam rationem, ut *Baal-Berith. Jud. VIII.* 33.

Baal-Pehor est, Priapus.

III. *Baal-Peor* creditur fuisse *Priapus obscœnum* illud Idolum, [2] celebre apud Autores profanos, *Hieron. ad Hos. IX. Idem prodit Isidor. Orig. l.* 8. Vocatur *Peor* בעל פעור a monte *Peor*. *Num. XXIII.* 28. Ita & ipsius templum, in quo colebatur, quodque erectum erat super eodem monte, dicitur בית פעור *Beth-Peor*, *Domus Peor. Deut. III.* 29. *colebatur a Moabitis & Midianitis*. Idolum כמוש [3] *Chemosch Jerem. XLVIII.* 12. censetur idem esse. *Hieron. in Es. l.* 5. *cap. V.* Et credo ego, quod *Baal-Peori* per χλευασμὸν *sanctam irrisionem* tribuatur, q. d. ipsorum *Deus cœcus*, juxta illud *Ps. CXV.* 5. *Sunt ipsis oculi, at non vident*. Nam prior litera כ est nota similitudinis, significans *quasi*, & מוש *palpavit* instar cœci. *Philo Jud. lib.* 2. *allegor. p.* 79.

Vocatur quoque כמוש. Origo nominis.

Baal Tzephon Idolum præstigiatorum Ægyptiorum.

IV. *Baal-Tzephon* ab Hebræis existimatur fuisse idolum, fictum a præstigiatoribus Ægyptiis, positumque in deserto, ut observaret Israelitas, & inhiberet egressum eorum ex Ægypto, unde appellatum est צפון a צפה *observare*, *speculari* instar vigilis; possumus ipsum nominare *Baalem Speculatorem*. *P. Fagius Exod. XIV.* 2. veluti apud Romanos *Jupiter*, quod fugientes stiterit, vocatur *Jupiter Stator* Ζεὺς ςήσιος *Rosin. l.* 2. *Antiq. Rom. c. V.* [4]

Baal-Zebub Ratio nominis.

V. *Baal-Zebub* בעל-זבוב sonat *Dominum muscarum*, sive *Principem muscarum*, qui dominatur agmini reliquo, [5] quo respectu *Princeps dæmoniorum* in Evangelio vocatur Βεελζεβὺβ, זבוב *muscam* significante Ζητήσουσι μύιαν Θεὸν Ἀκκαρῶν. *Quærent muscam Deum Ekronitarum*. *Gregor. Nazianz. Orat.* 2. *contr. Julian. p.* 102.

Colebatur præprimis ab Ekronitis.

VI. Hoc idolum adorabatur a *Cyreniis;* *Plin. l.* 10. *c.* 28. sed præcipue ab *Ekronitis*, quia, dum ipsi sacra faciunt, muscæ concidunt inanimes, quæ alias hoc tempore terram exagitant. Verum constat hanc rationem non solam fuisse, quum etiam se ad ipsum, tanquam oraculum, contulerint. 2. *Reg. I.* 2. Possumus ipsum vocare *Jovem Muscarium*, vel *Herculem Muscarium*, nam incolæ urbis *Elis* sacrificant Jovi ἀπομυίῳ *muscarum Abactori*, & Romani Herculi sub eodem nomine *Clem. Alex. in protr.*

Legitur quoque in in N. T. βεελζεβούλ.

VII. Quædam Græca exemplaria N. Test. legunt Βεελζεβοὺλ, [6] quæ diversitas existimatur facta esse ad majorem χλευασμὸν, *exsibilationem* idoli; q. d. *Jupiter stercoreus*, nam זבל significat *stercus* & *Beel seu Baal Dominum*.

Baal-Berith.

VIII. *Baal-Berith* erat Deus *Sichemitarum*, de cujus templo legimus *Jud. IX.* 4. ברית notat *fœdus*, sic ut *Baal-Berith* possit verti *Jupiter fœderatus*, h. e. cui *se fœdere obstrinxerant*. Ἔθηκαν ἑαυτοῖς τῷ Βααλδιαθήκην τοῦ εἶναι αὐτοῖς αὐτὸν εἰς Θεόν. *Posuerunt sibi cum Baale fœdus, ut ipse essei sibi Deus LXX. Interp. Jud. VIII.* 33.

IX. Quod attinet *Belum* & *Draconem*, parum exstat de ipsis, nisi id, quod de ipsorum historia legitur apud Danielem.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

Annot. [1] Nomen Baal Hebr. בעל varie usurpabatur. Olim tribuebatur Deo Hos. II. 17. conf. Jes. LIV. 5. Jer. III. 14. XXXI. 32. Sed quando illud falsis Diis promiscue dari cœpit, verus, qui ab illis diversissimus est, eodem nomine appellari renuit. Hinc Auctor illustrat 1. Cor. VIII. 8. nec id male. Clara enim ibi oppositio inter verum falsaque Numina. Agit Paulus de comestione Idolothytorum, quam, si infirmus offenditur, illicitam censet, licet Idolum οὐδὲν ἐν τῷ κόσμῳ sit: Insuper Apostolus cum Corinthiis, qui Sacerdotibus Templi Hierosolymitani nunquam paruerunt, agit, quique tamen cultui Idololatrico prius addicti erant. Ex his aliisque facile colligere est l. c. de πολυθεΐᾳ Gentili agi.

[2] Traditur obscœnum atque impudicum Idolum, quoque lascivo cultu maxime capiebatur. Cui itaque nonnulla, quæ omnem turpitudinis ansam præscindunt, in Lege opposita habentur. Vix aliter ex iis, quæ de Baal Pehor atque Idololatriæ hujus professoribus in Scriptura habentur, judicare licet Num. XXXI. 15. 16. *An fœminam aliquam vivam reliquistis? Ecce illæ fuerunt (in causa) quod filii Israel juxta consilium Bileam traditi fuerint prævaricationi in Jehovam in negotio PEHORIS* l. c. c. XXV. 1. 2. 3. *Incepit populus scortari cum filiabus Moab. Quæ populum invitarunt ad Sacrificia Deorum suorum & comedit populus atque incurvavit se coram Diis eorum & copulatus est Israel cum Baal Pehor.* Hos. IX. 10. *Illi accesserunt ad Baal Pehor atque se separarunt ad pudendum*. Et Apoc. II. 14. *Bileam docuit Balak, quomodo scandalum filiis Israel projicere debeat ad Idolothyta comedendum & ad scortandum*. Cnsilium Bileami in παραδόσει Judæorum sic se habet הם משאוים לכלי פשתן בוא ואשיאך עצה עשה להם קלעים והושיב בהן זקנה מבחוץ וילדה מבפנים וימכרו להם כלי פשתן עשה להן קלעים מהר שלג עד בית הישימון והושיב בהן זונות זקנה מבחוץ וילדה מפנים ובשעה שישראל אוכלין ושותין ושמחין ויוצאין לטייל בשוק זקנה אומרת לו בשוה וילדה בפחות שנים ושלושה פעמים ואחר כך אומרת לו הרי אתה כבן בית שב ברור לעצמך וצרצור של יין עמוני מונח אצלה ועדיין לא נאסר יין של גוים אמרה לה רצונך שתשתה כוס של יין כיון ששתה בער בו אמר לה השמיעי לי הוציאה יראתא מתוך חיקו אמרה לו עבוד לזה אמר לה הלא יהודי

יהודי אני ומה איכפת לך כלום מבקשים ממך אלא פיעור והוא אינו יודע שעבודתו בכך ולא עוד אלא שאיני מנחתך עד שתכפור בתורה משה רבך שנ' המה באו בעל פעור וינזרו לבשת ויהיו שקוצים כאהבם Bileamus ad Balakum dicebat: Israelitæ *veste linea delectantur. Veni & dabo tibi consilium. Fac tuis tentoria atque in eis constitue foris vetulam, intus juvenculam, ut vendant illis linteamina*. Ita fecit. *Tetendit tentoria inde a monte nivis usque ad Beth Jeschimum. In illis constituit meretrices vetulam foris, juvenculam intus. Israelitæ quum epulis vinoque saturi deambularent per plateas vetula æquo pretio merces indicabat: Juvencula remittebat de pretio bis vel ter. Denique sic affabatur Judæum. Ecce tu tanquam filius familias esto; elige tibimet. Astabat urceus vino Ammonitico plenus. (Nec dum prohibitum erat vinum Gentile.) Vin*, inquit, *poculum vini bibere? Eo, quum bibisset, veluti ardebat, ita ut ei diceret. Obsequere mihi. Tum illa terriculamentum suum ex sinu educere additis his verbis: licet, si cultum huic exhibeas. Hic contra se Judæum esse. Quid tum?* inquit illa. *Numquid aliud a te postulatur quam ventris crepitus? Ille autem ignorabat ita illud numen coli; denique*, inquit, *non omittam te priusquam abneges legem Mosis magistri tui*. Q. D. (Hos. IX. 10.) Illi venerunt ad Baal Phegor & separarunt se pudendo &c.

[3] Insuper patet ex Num. XXI. 29. 1. Reg. XI. 7. A כמוש ortum habet Gr. κῶμος Deus commessationum nocturnarumque saltationum præses. Notat etiam comessationem lascivorum Rom. XIII. 13.

[4] Seldeno hæc Hebræorum interpretatio merum nugamentum est ceu quod in sacris aliisque monumentis nullum vestigium habet. Ille igitur mavult oppidum Baalzephon dictum vide Num. XXIII. 7. ita & Baal 1. Paral. IV. 33. *Seld. de Diis Syris Syntagm. 1. c. III.*

[5] בעל זבוב quem quidam *Dominum muscam*, quasi Deus hic sub Imagine muscæ cultus fuerit; alii rectius *Dominus Muscarum* vertunt, Muscæ aliquando ingenti copia terras earumque incolas infestant. Et videtur præprimis terra Canaan æstui Solis exposita hocce malum sensisse. Exod. XXIII. 28. *Mittam ante te vespam, quæ expellat Hevæum &c.* Deut. VII. 20. Insuper Jos. XXIV. 12. *& misi ante faciem vestram vespam, quæ expulit eos in conspectu vestro*. Neque hoc cuiquam mirum videri debet, modo attendat ab his similibusque animalculis integras regiones desolatas, habitatores ab iisdem sedibus pulsos fuisse. Ita quidam populi circa Pœoniam & Dardaniam a ranis divexati regionem deseruerunt. A muribus Troes Plin. l. X. c. 15. *Plurimi (mures) ita ad Trojam pervenium, ut jam inde fugaverint incolas*. Iidem devastarunt terram Philistæorum 1. Sam. VI. 4. Et quod maxime huc facit, Ælianus l. XI. c. 28. *murium multitudo (Megarenses) sedibus suis pepulit* φασηλίτας δὲ σφῆκες *Phaselitas autem vespæ*. Phaselitæ, id est, Solymi illi videntur, quorum regionem sub Josua occuparunt Israelitæ. Hinc quoque in scriptura infensissimi hostes sub muscis, apibus &c. repræsentantur Es. VII. 18. *sibilabit Dominus ad muscam, quæ est in extremo fluminum Ægypti*. Et *sibilabit Dominus api, quæ est in terra Assur*. Nec non Ps. CXVIII. 12. *circumdederunt me ut apes*. Causa itaque satis evidens, quare Ekronitæ *Principem muscarum* coluerint, ut scil. ejus ope a muscis &c. earumque divexatione liberi essent. Simile est, quod Pausanias in Eliacis φάσι δὲ Ἡρακλεῖ τῆς Ἀλκμήνης θύοντι ἐν ὀλυμπίᾳ δὶ ὄχλυ μάλιστα γένεσθαι τὰς μυίας, ἐξευρόντα δὴ αὐτὸν ἢ καὶ ὑπ' ἄλλυ διδαχθέντα ἀπομυίῳ θῦσαι Διΐ, καὶ οὕτως ἀποτραπῆναι τὰς πέραν τοῦ Ἀλφειοῦ, λέγονται δὲ κατὰ ταὐτὰ καὶ ἠλεῖοι θύειν τῷ ἀπομυίῳ Διῒ ἐξελαύνοντι τῆς ἠλείας Ὀλυμπίας τὰς μυίας. *Ajunt etiam* Herculi Alcmenes *filio cum* Olympiæ *sacrificaret maximam muscas exhibuisse molestiam. Eum itaque vel proprio inventu vel monitu alieno sacra fecisse* Jovi Apomyo (quasi dicat *muscarum abactori*) *atque ita muscas trans Alpheum fuisse profligatas. Ac proinde dicuntur* Elæi Apomyo Jovi *sacra facere, qui ex* Olympia Elidis *muscas abigat*. De his aliisque consule incomparabilem Bochart. Hieroz. p. II. l. IV. c. 9. In cultu Templi Hierosolymitani tertium ex decem miraculis, quæ ibi perpetrata esse Judæi docent, hoc memoratur לא נראה זבוב בבית המטבחים *in domo mactationis musca nunquam conspiciebatur* in tract. פרקי אבות c. V. 5. Ubi Glossa Lippmanniana במקום שהיו שם שלחנות של שיש שמדיחים עליהם את האימורים לא היה יורד שם זבוב *in loco, in quo collocatæ erant mensæ marmoreæ intestinis lavandis destinatæ. Nec tamen eo descendebat musca*.

[6] Græca pleraque ita legunt. Quare merito præferur lectio βεελζεβοὺλ lectioni βεελζεβοὺβ Neque hæc duo unum idemque notant. Apud Rabbinos זבול & זבוב distinctissima sunt. Illud stercus, hoc muscam. Neque sat firma ratio datur, quare Idolum Ekronitarum haud adeo notum, saltem longe ignotius Molocho, Baale &c. princeps Dœmoniorum habitum fuerit. Potius βεελζεβοὺλ Diabolus dicitur, cujus instinctu omnis Idololatria in mundo orta est, nam זבול improprie Magistris etiam *Idololatriam* significat ראה אותם מזבלין לע"ז *qui videt eos stercorantes* (id est, sacrificantes) *Idolo* Conf. Ligtfoot. Op. T. II. b. 323. Nempe res turpissima atque in oculis Dei summe abominabilis nomine rei fœdissimæ pie effertur, præunte S. Scriptura Jes. l. V. 4. XXVIII. 8. Prov. XXX. 12. Ezech. VIII. 10. & alibi.

CAPUT SECUNDUM.

De Dagone. [1]

I. HEbræorum Magistri docent, quod hoc Idolum ab umbilico in piscem desierit, sed a fronte ad umbilicum retulerit hominem. *Rab. David. 1. Sam. V.* Hoc concludunt ex 1. *Sam. V.* 4. שתי כפות ידיו *duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant ad limen*. Præterea dicunt, quod דגון dicatur ab Hebr. דג *piscis*, secundum quam descriptionem ipsum vocare licet *Philistæorum Neptunum*, vel *Tritona*, nam *Triton* non absimilem habuisse figuram fingitur. *Frons hominem præfert, in piscem desinit alvus. Pier. Hierogl. l. 31. p. 28.* [2]

Dagon juxta quosdam piscem hominemque retulit.

II. Alii דגון deducunt a דגן *frumentum*, dicuntque ipsum primum arātri, frumentique usum invenisse, quare ipsum interpretantur *Jovem Aratrium. Philo Byblius apud Euseb. de præp. lib. 1. cap. 7.* Hoc respectu possumus ipsum nominare *Saturnum Philistæorum*, quoniam credula Antiquitas *Saturnum* finxit primum agriculturæ repertorem propterea que eum pinxit manu falcem tenente, quod commodissimum agriculturæ instrumentum est. *Pier. Hierogl. lib. 32. p. 228. & lib. 56.* Utraque hæc sententia suos agnoscit Autores, & hactenus neutra juste refelli potuit.

Aliis est insuper aratrius.

Rursum ſecundum alios expreſſit formam humanam.

III. Præterea non deſunt inter ipſos Judæos, qui dicant, hoc idolum *Dagonis* effictum fuiſſe in formam humanam. *R. Levi* 1. *Sam. V.* Nihilominus opinio *Scaligeri* veriſimilis videtur, quod illi, quibus *Dagon* exponitur *Jupiter Aratrius*, ſive *ἀγρότης ruricola*, errare poſſunt & legere שדה, quæ vox ſignificat *agrum*, pro שדי, quod eſt nomen Dei *Omnipotentis*.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

Annot. [1] Dagon erat Numen Philiſtæorum Jud. XVI. ſpeciatim Aſchdodæorum, qui fanum in ejus honorem exſtructum habebant: Alebant quoque Sacerdotes, ne promiſcue ab omnibus illi miniſterium exhiberetur.

[2] Probabilis inſuper apparet 1. quia Aſchod urbs ad mare mediterraneum ſita, cujus itaque incolæ frequenter in mari degebant, ingentes divitias inde conquirebant. Non ergo mirum Idolum partim piſcem retuliſſe. 2. Quia aliæ Gentes maritimæ piſcem, etiam talem, qui ex parte hominem referebant, coluerunt. Cicero *de Nat. Deorum*; *Piſcem Syri venerantur*. Xenophon. περὶ ἀναβάσεως de Chalo fluvio *Erat is magnis manſuetiſque piſcibus refertus, quos Syri pro Diis habebant, neque lædi eos patiebantur, ſicuti ne columbas quidem*. Conf. Seld. l. cit. Synt. II. c. 3. Lucianus de Dea Syria. T. III. pag. *696*. ed. Baſil. Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν φοινίκῃ ἐθηησάμην θέημα ξένον, ἡμισέη μὲν γυνὴ τὸ δὲ ὁ ὅσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται *Dercetus autem imaginem in Phœnicia vidi ſpectaculum plane peregrinum altera quidem parte mulierem, altera vero quantum a ſemoribus ad imos pedes protenditur in piſcis caudam*.

CAPUT QUINTUM.

De Vitulo fuſo.

Sedes Hiſtoriæ de vitulo fuſo.

I. **H**Iſtoria *fuſi vituli* late recenſetur *Exod. XXXII.* ubi legimus populum per abſentiam Moſis ab Aarone petiiſſe ſibi fieri Deos, quique tum ipſis dederit *vitulum fuſum*.

Ratio cur Deus in ſimilitudine vituli adoratus fuerit.

II. Ratio, cur Deum potius ἐν ὁμοιώματι in *ſimilitudine vituli* adorarunt, quam alius creaturæ, in genere ab Interpretibus hæc redditur, quod iſtum errorem imbibiſſent ab Ægyptiis, [1] qui vivum bovem coluere, quem *Apim* vocabant aut *Serapim*, quemque per ſimulacrum expreſſerint capiti faſciculo impoſito, *Plin. nat. Hiſt. lib. 8. cap. 46. Herodot. lib. 2. Solin. cap. 35.* aut juxta aliorum diſtinctionem 45. *Alex. Genial. Dier. lib. 6. cap. 2.*

Bovis, qui Apis dicitur, deſcriptio.

III. Hic bos certis maculis & genitalium notarum figuris expreſſus a cunctis aliis diverſus fuit. Corpore erat niger, candida fronte, in tergo alba nota inſignis, & nodus ſub lingua ejus, quem cantharum appellant. Ut has notas in vitulo inſignes redderet Aaron, videtur uſus fuiſſe בחרט *ſtylo ſculptorio*. Ægyptii ad eum accedunt reſponſa petituri & oracula. Reſponſa privatis dat, e manu conſulentium ſeu gramen capiendo; quod cum captat, portendit felicem eventum, ſin, ſiniſtrum quid. *Plin. Hiſt. nat. lib. 8. cap. 46.* item *Alex. Genial. dier. lib. 6. cap. 2. Sic mutaverunt gloriam ſuam in figuram* שור אכל עשב *bovis comedentis herbam Pſ. CVI.* 20.

Origo nominis Serapis.

IV. Vox Hebraica, *l. c.* verſa *Bos*, eſt שור; quod propterea annoto, quia lucem affundit uni nomini, quo inſignitur hocce idolum: aliquando enim vocatur *Apis* ab Hebr. אף *facies* [2] aliquando *Serapis* quaſi *Scher-apis*, quod nihil aliud notat, quam *caput bovis*, quod eſt verum nomen, quo hanc idololatriam expreſſerant Patres *Cypr. de bono Patient. p.* 318. *Vid.* etiam *Auguſt. & Tertull. adv. Jud. c.* 1.

Apis ab Ægyptiis in honorem memoriamque Joſephi colebatur.

V. Vulgo conſtat hanc idololatriam ab Ægyptiis manaſſe ad Iſraelitas, ſed unde eam Ægyptii hauſerint, a paucis demonſtratum eſt. Non ineptiunt, qui putant, primam inſtitutionem factam eſſe in honorem memoriamque *Joſephi*, [3] qui ſua prudentia Ægyptum vicinaſque terras in ſeptennali fame juvit. Præter teſtimonia præſtantium Auctorum, ut *Suid. in Σάραπις. Ruffin. in lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 23. Pier. Hierogl. l. 3. p. 25.* ſunt inſuper firma argumenta, quæ nobis id perſuadere poſſunt. [4] I. Et anni affluentia & anni fame inſignes denotati ſunt per bovum apparitiones. II. Non poteſt aptius emblema eſſe (niſi modo poſtea in idolum commutatum eſſet) ad alendam memoriam alicujus *Joſephi*, cujus ſola dexteritas frumentum & annonam in extrema fame ſuffecit, quam bos, verum vivumque ſeduli Patrisfamilias ὑπόδειγμα. Hac in re convenit *Suidas* cum aliis, quod hic bos pictus ſit *modium capite geſtans*, licet alii inſuper clare exponant rationem hujus effigiei, ſcil. ad denotandam quantitatem & abundantiam frumenti a *Joſepho* tempore famis dimenſam.

μοσχολατρείας Auctores finguntur Ægyptii proſelyti.

VI. Quantum ad peccata Iſraelitarum in hac μοσχοποΐα *vituli fictione*, ſeu bovis, hodierni Judæi omnem culpam reiiciunt iu Ægyptios proſelytos, qui cum Iſraelitis egreſſi ſunt, dicuntque hos Ægyptios *Aarone* res pretioſas in ignem conjiciente, ſuis præſti-

præstigiis & magicis artibus *vitulum* produxisse, quo fine ipsius *Aaronis* verba urgent. *Conjeci aurum in ignem* ויצא העגל הזה *& prodiit vitulus iste Exod.* XXXII. 24. quasi is non factus esset illius arte aut voluntate, sed quasi sponte ita evenisset. Verum hæc ipsius responsio ostendit potius, quam vana sit hominis mens ad colorandum peccatum; & quemadmodum instrumentum sculptorum peccatum *Aaaronis* impressit, ita illud confessio saniorum acriorumque Judæorum adversus se promulgat, quando ajunt: אין לך ישראל פורענות שאין בה אנקיא מעון העגל *Nulla ultio obvenit tibi Israel, in qua non sit uncia perversitatis vituli illius. Moses Gerund. vid. Munster Exod. XXXII.*

Convenientia inter Apin & vitulum fusum.

VII. Claudam hoc caput conformitate, quæ intercedit inter *Apin* & *vitulum fusum*, quæque in tribus consistit: 1. Quemadmodum quædam peculiares notæ in bove Ægypriaco erant, ita plausibile est, *Aaronem* ejusmodi notas, & insignia stylo suo sculptorio expressisse. 2. Quemadmodum Ægyptii suo bovi solenne festum celebrabant multo jubilo & lætitia; *Suidas in voce* Ἄπις. Ita Israelitæ proclamarunt festum suo *τετράποδι quadrupedi; populusque consedit ad edendum & bibendum, & deinde surrexerunt ad ludendum. vers.* 5. 6. 3. Quemadmodum tandem bos Ægyptiacus unda submersus est, ita *Moses* vitulum fusum combussit, commoluitque in pulverem, & dispersit per torrentem. Exod. XXXII. 20. Deut. IX. 21. [5]

Hanc Idololatriam imitatus est Jeroboamus.

VIII. Postea *Jerobeam* ejusdem iniquitatis autor fuit, licet aliam ob rationem; volvebat enim animo suo, quod, si populus adscenderet Hierosolymam Sacra facturus in domo Jehovæ, fieri posset, ut desciseeret & rediret ad pristinum dominum Regem Jehudæ. Quapropter fecit *duos vitulos aureos*, posuitque alterum *Bethele*, alterum *Dane* dicens: רב-לכם מעלות ירושלים *nimium est vobis ascendire Hierosolymam.* 1. *Reg. XII. 26. 28.*

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

Annot. [1] Omnino hæc sententia aliis præferenda est. Nam constat ex scriptura Israelitas Idololatriam in Ægypto didicisse Jos. XXIV. 14. *removete Deos, quos Patres vestri coluerunt trans fluvium* ובמצרים *ET IN ÆGYPTO* Ezech. XX. 6. ad liberatos ex Ægypto Deus dicebat *quilibet res, quæ abominationes esse deberent oculis suis, abjiciat* ובגלולי מצרים לא תטמאו *& Diis stercoreis ÆGYPTIORUM ne polluamini* &c. XXIII. 3. *Scortati sunt IN ÆGYPTO*, (jam) *in adolescentia scortati sunt*: In specie quod μοσχολατρείαν concernit, ejus Ægyptium ortum clare indicat Stephanus *reversi sunt cordibus suis in Ægyptum & dixerunt ad Aaronem, fac nobis Deos &c.* καὶ ἐμοσχοποίησαν *& vitulum fecerunt per illos dies.* Act. VII. 39. 40. 41. Præterea inde confirmatur, quoniam constat Ægyptios boves tanquam Numen coluisse Exod. VIII. 25. 26. al. 22. 23. conf. Exod. XXIV. 5. Hinc Jer. XLVI. 20. עגלה יפהפיה מצרים *vitula pulcherrima Ægyptus.* Addi possent testimonia peregrina, e quibus allego Strabonis l. XVII. τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερά, καθάπερ ἐν Μέμφει ὁ Ἄπις, ἐν Ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις, ὅτοι μὲν ἂν θεοὶ νομίζονται *sacram ibi vaccam alunt: ut apis quidem Memphi, Heliopolis autem Mnevis nutriuntur. Atque illi quidem Dii putantur*; & Philonis *de Decal. p. 755. Edit. Francof.* Ægyptii etiam in Deorum numeros retulerunt ζῶα ἄλογα *animalia muta* sc. Ταύρους καὶ κριοὺς καὶ τράγους *tauros, arietes & hircos.* Æmuli ergo erant Idololatriæ Ægyptiacæ, quam modo ante oculis lustrarunt, imo, ut videtur, commiserunt.

[2] Malunt alii per אב *Pater* explicare, quod cognomen Josephi Gen. XLV. 8.

[3] Notissimum est illos, qui ingentibus beneficiis populum quemdam sibi devinctum reddiderunt, primum civili, postea etiam divino honore cultos fuisse. Quoniam autem Ægyptus Josepho vitam & salutem debet, mirum non est illum ab Ægyptiis primitus tanquam Patronum, postea, nam labens ætas omnia majora fingit, ut Numen honoratum fuisse. Ex veteribus plures ita judicarunt uti Julius Firmicus *de error. prosan. Relig.* c. XIV. c. 14. de Josepho dicit. *Huic post mortem Ægyptii patrio Gentis suæ instituto Templa fecerunt. Et ut justam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo modio esurientibus & ementibus frumenta diviserat, capite is superpositus est.*

[4] In aliis quoque conveniunt. א. Nomine. Apis videtur Hebr. ב אב. Nativitate. Apis *divinitus & cœlesti igne conceptus* Pomp. Mela l. 1. p. 60. edit. Basil. Josephus ex matre sterili divina gratia in lucem editus. ג. Notis genitalibus. Nam, ut Ammianus habet, *diversis notarum genitalium figuris expressus.* Josephi genitalia circumcisa erant. ד. Colore. Hic in Apide totus est niger præter notarum maculas, quæ album trahunt. Josephus totus erat niger hoc est Ægyptius (nigror enim Ægypti signum) in sermone, vestitu, jurejurando &c. Idem tamen spectabiles *Candoris*, justitiæ, benignitatis &c. notas habebat. ה. Dono vaticinandi. Apis apertis conjecturis signa rerum futurarum demonstrat, quod Ammianus Marcellinus docet. Josephum ex divina revelatione futura prædixisse S. Literæ diserte memorant. ו. Loco cultus. Apis Memphim urbem præstantem ducebatur. Ille ipse locus, in quo Josephus habitavit. ז. Loço sepulturæ. Apis mergebatur in Nilum. Mirum sane quanto consensu Judæi tradant Josephum in Nilum submersum fuisse, licet sacer Codex ne verbo quidem referat. Paraphrasis Jonathanis Gen. L. 26. *Et mortuus est Joseph natus CX. annos & aromatibus condiverunt ipsum & suffierunt ipsum & posuerunt ipsum in capsa* ושקעון יתיה בגו נילוס דמצרים *& submerserunt ipsum in medium Nili Ægypti.* Alia testimonia dabit Cl. Braunius *in Sel. S. l. IV. c. XIII.* Confer devenerandi Triglandii dissertationem *de Josepho Patriarcha in sacri Bovis Hieroglyphico ab Ægyptiis adorato*, cui, quæ hic notavimus, grata mente referimus.

[5] Hinc in Sanh. c. XI. אמר ר׳ אושעיא עד ירבעם היו ישראל יונקים מעגל אחד מכאן ואילך מ׳ג עגלים *dixit R. Uschajas: Usque ad Jeroboamum Israelitæ suxerunt uno ex vitulo, sed deinceps ex tribus.* Magna convenientia inter illum Aaronis & duos Jeroboami. Materia, quæ aurum, eadem, eadem quoque forma: Idem artificium. Usus idem. Neque mirum, quum Jeroboamus in Ægypto 1. Reg. XI. 40. commoratus fuerit didiceritque Idololatriam, in qua & Israelitæ.

CAPUT SEXTUM.

De Aſtharoth, Ammonia Junone, Regina cœli, & Diana Epheſina.

Aſtaroth idolum Sidoniorum.

I. QUEMADMODUM *Sol* ſub variis nominibus adoratus eſt, ita & *Luna* [1] עשתרת *Aſthoreth* erat Idolum, præprimis *Sidoniorum*. [2] 1. *Reg. XI.* 5. 2. *Reg. XXIII.* 13. Habuit ſuum templum dictum בירת עשתרות *Domus Aſtharoth*, in quo ſuſpenderunt arma Saulis Philiſtæi. 1. Sam. XXXI. 10. Horum anathematum oblationem primo didicerunt ab Iſraelitis. Num. VII. 1. Sam. XXI.

Luna intelligitur. Secundum alios Juno, quæ tamen ipſa Luna.

II. *Lunam* ſub hoc nomine adoratam fuiſſe probatione non indiget. Ἀςάρτην δ' ἐγὼ δοκέω σεληναίαν ἔμμεναι. *Aſtarten autem ego opinor Lunam eſſe. Lucian. de Dea Syria*; niſi quod quidam aſſerant *Aſtartem* eſſe *Junonem*. *Auguſt. ſuper Jud.* q. XVI. Sed & *Junonem* ſæpe pro *Luna* habitam fuiſſe, vix negari poteſt.

Rationes variæ.

III. *Luna & Juno* ſæpe vocantur eodem nomine, *Urania*. Nam *Aſtarte Urania* idem omnino valet apud Phœnicas, quod *Juno Lucia* apud Latinos. Deducitur *Urania* ab Hebr. אור *Lux*, נ in fine adjecto, aut per ſe ſolum, aut cum י quod paſſim fit a Syris, quaſi אורן vel אורני *Lucidus* aut *Lucinus*, in Fœminino vero אורניה *Lucida* aut *Lucina*; hincque Græci ſuum ὀρανόν *cœlum lucidum* mutuati ſunt. Ac quemadmodum *Luna* reſpectu ſui luminis vocatur *Urania*, ita reſpectu minorum ſyderum cœli vocatur *Aſtharoth*, Ἀςροάρχα, παρὰ τὴν τῶν ἀςρῶν ἀρχὴν *ab imperio, quod in aſtra exercet*. Vid. *Herod. lib.* 5. *Regina planetarum*, vel quemadmodum *Horatius Epod. carm. ſæculari* ait de *Luna*, *Syderum Regina*, vel, uti *Virgilius* loquitur de *Junone*, *Æneid.* 1. *verſ.* 50. *Aſt ego, quæ Divum incedo Regina:* veriſimile videtur, quod hæc ſit מלכת השמים *Regina cœli*, de qua fatur Profeta *Jer. VII.* 18. *XIV.* 17.

IV. Deinde cui vetuſtæ gentes videri poſſunt exhibuiſſe ſolennem cultum iſtum, quo functi ſunt ſingulis Calendis, ſi non *Lunæ?* & tamen iſte cultus tribuitur *Junoni*, unde ea dicitur *Juno Calendaris*. *Macrob. Sat. l.* 1. *cap.* 15.

V. Tandem, quemadmodum *Jupiter Ammon* nullus alius fuit quam *Sol*, qui colebatur ſub forma *arietis*. *Idem Sat. l.* 1. *c.* 21. Sic, quantum video, *Luna* dici potuit *Juno Ammonia*, *Cœl. Rhodig. l.* 18. *c.* 38. & coli ſub forma *ovis*. Scio, quod Hebræorum Magiſtri deſcribant ſimulacrum *Aſtaroth* fuiſſe *ovem R. D. Kimchi*. 1. *Sam.* XXXI. 10. item *Jud.* II. 13. Et vox עשתרות *Aſtaroth* in lingua originali ſignificet *gregem ovium*. Præterea *Luna* æque poteſt vocari *Ammonia*, quam ſol *Ammon*, utroque nomen ſuum ab חמה *color* ducente; unde & illa idola, de quibus legimus *Lev.* XXVI. 30. *Eſa.* XVII. 8. XXVII. 9. vocantur חמנים, quaſi erant idola poſita in tectis ædium & quoque in *Sole* apricabantur. *R. Salom. in Levit.* XXVI. 30. Inſuper quemadmodum *Jupiter Ammon* effingebatur *cornibus*.

Stat corniger illis Jupiter, Lucan. l. 9. verſ. 514. ita etiam *Luna*.
Syderum Regina bicornis audi
Luna puellas. Horat. Epod. carm. ſæculari.

Cur Sol & Luna cornibus effingantur.

VI. Cur autem ita *Sol & Luna* effigiati ſint, variæ rationes adduci poſſunt, quas inter tres præcipue ſunt. Prima tantum *Soli* propria eſt, duæ poſteriores *Soli* & *Lunæ* communes 1. *Sol* effigiatur *cornibus arietinis*, quia Aſtrologis *aries in Zodiaco* anni initium eſt. *Pier. Hierogl. l.* 10. 2. Quia ſicuti robur animalium cornigerorum in cornibus latet, ſic vis & influxus *Solis & Lunæ* corporibus ſublunaribus infunduntur radiis ipſorum. 3. Quia *Solis Lunæque* radii cornutum quaſi ejaculantur ſplendorem.

Moſis facies non erat cornuta, ſed ſplendebat.

VII. Cum Moſes deſcenderet e monte Sinai, Aaron & omnes filii Iſrael viderunt כי קרן עור פניו *quod radiaret cutis vultus ipſius*. *Exod.* XXXIV. 29. 30. *Latini* legunt *Facies ejus erat cornuta*. Hinc *Moſes* pingitur *cornutus*; nam [3] Hebraicum קרן (unde κέρας & *cornu* creverunt) ſignificat *in modum cornuum ſplendorem radioſque emittere*. Errori autem iſti viam ſtravit ambiguitas vocis קרן quæ & *ſplendorem* & *cornu* notat; ſic ut ipſorum Rabbinorum quidam *ſplendorem* Moſis expoſuerint per קרני ההור *cornua magnificentiæ R. Salom.*

Diana eſt Luna.

VIII. *Luna* adorabatur quoque ſub nomine *Dianæ*, quæ, licet per totam Aſiam coleretur, majori tamen in honore & pretio apud *Epheſios* fuit. Hinc illa vox Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων, *Magna eſt Diana Epheſiorum*. *Act.* XIX. 28. *Macrob. Saturn. l.* 1. *cap.* 15. Illius magnificentiæ teſtis exſtat partim templum Epheſi exſtructum, quod *Plin. lib.* 36. *c.* 14. ait factum ducentis viginti annis a tota Aſia, quos annos

tamen

tamen bonus vir ad quadrigentos extendit *lib. 16. c. 40.* partim ex quæſtu magno, qui præbebatur fabris, τῷ ποιεῖν ναοὺς ἀργυροῦς *faciendo delubra argentea*.

Quid delubra argenteæ? An ciſtulæ templum Dianæ exprimentes? An moneta dicta Dianæ Templū? Moneta ab impreſſo ſigno appellantur.

IX. Multum digladiantur Interpretes, quid fuerint *hæc delubra argentea?* Sunt qui putant fuiſſe *ædiculas*, *ciſtulas*, quæ ob exiguitatem ferri potuerint, forma ſua templum *Dianæ* exprimentes, & intra ſe ſimulacrum *Dianæ* continentes; quo ſenſu ναΐδια aliquando uſurpantur pro ejuſmodi *capſulis*, quibus *cuſtodiebantur Idola*. Alii exiſtimant, aliquam monetam dictam fuiſſe *Dianæ* templum, ab illius templi ſimulacro, huic monetæ aut inſculpto aut impreſſo. Veluti in Anglia quædam monetæ argenteæ vocantur *Georgius*, quædam *Angelus*, quædam *Carduus*, ab impreſſa figura.

X. Similis mos monetas appellandi ab impreſſo aut inſculpto ſigno, uſitatus quoque fuit Antiquis; hac ratione Athenienſium nummos quoſdam, *boves*; eorundem alios quoſdam, κόρας *puellas*; alios Corinthiorum, πώλους *pullos*; alios Peloponneſiorum, χελώνας *teſtudines*; alios Romanorum, *naves* vocabant. Imo uſitatus fuit nummus, cui impreſſum erat templum *Dianæ* his additis Capitalibus literis: DIAN. EPHE. *Th. Beza* meminit *in ſuis ad Acta annotationibus*, ſe duos eorum vidiſſe.

Luna quoque colebatur a viris in habitu muliebri, & mulieribus in habitu virili.

XI. Legimus quoque de alio adhuc idololatrico cultu, *Lunæ* præſtito; quod *viri* ſe obtulerint in habitu muliebri, & *mulieres* in habitu virili, quia credebant, *Lunam* & *marem* & *fœminam* eſſe, unde illa apud Autores tam *Lunus* dicitur quam *Luna*. Et *Venus*, quam *Philocorus* ait *Lunam* eſſe, æque dicitur *Deus Venus*, ac *Dea Venus*. *Macrob. Satur. l. 3. cap.* 8. Non abſimilem idololatriam in cultu *Veneris* prodiit *Julius Firmicus de errore prof. Relig. cap.* 4. Quidam cenſuerunt Deum reſpexiſſe hoc idololatriæ genus Deut. XXII. 5. Ubi viris interdicitur geſtare veſtimenta muliebria, & contra. *Maimon. in more Nevochim part. 3. cap.* 37. [4] Verum in genere & cum majori fundamento creditur ibidem vetari promiſcuus veſtium uſus, puo diſtinctio generis tollitur.

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

Annot. [1] עשתורת *Aſthoreth* & עשתרות *Aſtharoth* nomina Deæ, Lunam, quæ poſt Solem primo & præcipue ab Idololatris colebatur, notant. Hinc non ſemel cum Baal ſive *Sole* conjunguntur Jud. II. 13. X. 6. 1. Sam. VII. 4. XII. 10. Convenit Gen. XIV. 5. עשתרות קרנים qs. *Luna bicornis*.

[2] Etiam Philiſtæorum 1. Sam. XXXI. 10. Salomonis 2. Reg. XXIII. 13. Juxta quoſdam etiam Achabi, licet expreſſe non dicatur.

[3] Ipſe etiam Hieronymus & ſuperiori ſeculo Illuſtris Grotius Moſen cornutum crediderunt, ſed male; Verba hæc ſunt. *Moſes non cognovit* כי קרן עור פניו *cutem faciei ſuæ cornutam eſſe, quando ille loquebatur ſecum & Aharon atque omnes filii Iſrael viderunt Moſen & ecce* קרן *cornuta erat cutis faciei ſuæ & timuerant ad illum appropinquare*. Procul dubio, ſi facies cornuta exſtitit, illam Moſes novit, ſenſit. Quare Aharon cum populo illum convenire timuit? An juxta illud; *Cornu ferit ille*. Caveto: Hæc & alia ἄτοπα ſunt. Verba nihil aliud innuunt quam Moſis faciem ex familiari cum Deo colloquio tantopere ſplendere ut adſtantes ejus fulgorem ferre nequeant. Conf. Matth. XVII. 2. XXVIII. 3. Hinc indubitatus verborum ſenſus, quem Interpretes tam divinus quam humani confirmant. Paulus 2. Cor. III. 7. Miniſterium mortis factum eſt ἐν δόξῃ *in gloria adeo, ut filii Iſrael non potuerint intentis oculis intueri* εἰς τὸ πρόσωπον Μωσέως διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ *faciem Moſis propter gloriam, quæ in facie ejus*. Apoſtolus ſecutus eſt LXX. οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἐν τῷ λαλεῖν αὐτὸν αὐτῷ. Καὶ εἶδεν Ἀαρὼν καὶ πάντες οἱ πρεσβύτεροι Ἰσραὴλ τὸν Μωυσῆν καὶ ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Onkelos pariter זיו יקרא דאפוהי *ſplendor gloriæ vultus ejus*. Alias recentiores verſiones tranſeo. Nec incommode קרן *cornutum eſſe* notat etiam *radiare*, coruſcare, quum inter cornu & radium ſimilitudo ſit. Radii ſunt quaſi cornua Solis, lucis. Hinc קרן *cornu* Habac. III. 4. *radius* eſt. Quod enim nummos, qui Moſen cornutum exhibent, concernit, illos adulterinos, barbaros & recentes eſſe cum plurimis Numiſmaticis, J. B. Carpzovio præprimis (cujus integra exſtat diſſertatio de nummis effigiem Moſis cornutam exhibentibus) tuto aſſerimus. Sculptores, pictores ſibi omnia licere putant & communiter non Eruditis ſubſidio ſunt, ſed potius veritati cognoſcendæ ingens obmovent impedimentum. Pueros nonniſi oblectant.

[4] Verba Maimonidis, ad quæ Auctor reſpicit, ſic ſe habent הוא הסבה ג״כ באמרו לא יהיה כלי גבר על אשה ונומר תמצאהו בספר טומטו׳ יצוה שילבש האיש בגד אשה צבוע כשיעמד בככב נוגה ותלבש האשה השרין וכלי המלחמה בעמדה למאדים וכו ג״כ אצלי סבה אחרת והוא שזה הפעל מעורר התאוה ומביא למיני זנות Ex interpretatione Buxtorfii F. *Eadem cauſa ſubeſt in illo, quod dicitur*, ne mulier induat veſtimenta viri &c. *Invenies enim in libro* טומטום *præcipi ut mulier* (*hæc vox* ex inanimadvertentia ſcribebatur: Illi ſubſtituenda eſt *Vir*) *geſtet veſtimentum muliebre coloratum quando ſtat coram ſtella Veneris. Similiter ut mulier induat loricam & arma bellica, quando ſtat coram ſtella Martis. Hic tamen alia quoque ratio mihi latere videtur; quod ſcil. actio iſta excitet concupiſcentiam & ad ſcortationem occaſionem præbeat*.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De aliis Diis, qui referuntur in Sacra Scriptura.

Gentes quoque coluerunt minora cœli lumina.

I. EXistimo, quod *Sol & Luna*, magna cœli luminaria, præcipua fuerint idola, quæ coluere Gentes. Nihilominus cœca ipsorum devotio cæteros planetas quoque divinitate donavit; immo minorum luminarium grex, qui in Sacra Scriptura vocatur *Militia cœli & exercitus*, cujusque singularis natura, proprietates, & influxus non adeo seorsim noscuntur, ipsorum ἀποθεώσει auctus est. [1]

Quid cubicula imaginis Ezechiel. VIII. 10. 12.

II. Simili ratione mentio fit in Sacra Scriptura *exercitus idolorum*, de quibus parum aut nihil plus ad rem ab Autoribus proditum est, quam de ipsorum nominibus. Hujus naturæ fuerunt חדרי משכית *cubicula* illa *imaginis*, in quibus omnes formæ reptilium expressæ erant in pariete. *Ezech.* VIII. 10. 12. quæque vocare licet *Pantheon* ipsorum.

Dii, quos coluerant Samaritani.

III. In illis coloniis, quas trajecit Rex Assyriæ in Samariam, quævis natio suæ gentis Deum coluit, *Babylonii* fecerant סכות בנות *Succoth Benoth*; Homines *Cuthi* fecerunt נרגל *Nergalem*; Homines *Chamathæ* fecerunt אשימא *Aschimam*; *Havæi* fecerunt נבחז *Nibchazum* & תרתק *Tharthacum*; *Sepharvæi* combusserunt filios suos igne לאדרמלך *Adrammelecho* וענמלך & *Anamelecho*, *Diis Sepharvæorum*. 2. Reg. XVII. 30. 31.

Eorum explicatio.

IV. Hebræorum Doctores dicunt, [2] quod *Succoth-Benoth* fuerit effigies *gallinæ cum suis pullis*. [3] *R. Salomo Jarchi*. 2. *Reg.* XVII. *R. David Kimchi* non dissentit. *Nergalem* exponunt *gallum sylvestrem*; *Aschimam*, *capram*; *Nibchazum*, *canem*; *Thartacum asinum*; *Adram-Melechum*, *mulum*; *Anam-Melechum*, *equum*.

Probabilis est: nam gentes nulla non animalia &c. divino honore prosecutæ sunt.

V. Vix credibile esset, talia bruta animalia pro Diis culta esse, nisi hoc usitatum fuisse Gentilibus abunde testarentur Autores profani. *Lucian. lib.* 16. *de Dea Syra* testatur, *gallum* a Syris adoratum esse pro Deo. *Herodot. in Euterp.* refert, *capellam* Mendesiis cultam fuisse. Alii produnt *canem* ab aliis divino honore affectum. *Cicero de legib. lib.* 1. *Vid. Tiraquel. in Alex. ab Alex. lib. 6. item Diodor. Sicul. lib.* 18. Immo in Deorum numerum retulerunt, *Boves*, *Leones*, *Aquilas*, *Lupos*, *Crocodilos*, *Catos*, *Glires &c. Alex. Neapol. lib. 6. cap.* 26. Et ipsi horti genuere Deos, *Porrum & Allium*.

> *Porrum & cæpe nefas violare & frangere morsu,*
> *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis*
> *Numina. Juven. Sat.* 15. *lib.* 5.

Quis Nisroc? Rimmon.

VI. His adjungi potest, 1. נסרך *Deus Assyriorum*, qui videtur suum templum habuisse in urbe *Ninive* 2. *Reg.* XIX. 37. & *Esa.* XXXVII. 38. Et 2. רמון, quæ vox significat *malogranatum*. [4] Quod attinet hoc idolum, multum disputatur, num *Naaman* peccarit, dicens: *In hac re remittat Jehova servo tuo, quando ibit Dominus meus in domum Rimmonis; ut incurvet se ibi, & is nitetur manu mea, egoque me incurvo in domo Rimmonis*. 2. *Reg. V.* 18. Resp. Lege verba hæc in Præterito. *Quando ivit Dominus in domum Rimmonis*, [5] & sic patebit, ipsum flagitare remissionem præteritorum peccatorum, non futurorum. Eadem vox, בבוא *intrando*, ponitur pro tempore præterito in titulis Psal. LII. & LIV. Denique 3. נבו *Nebo*, alias *Nabo*, idolum Assyriorum *Jerem.* XLVIII. 1. Nomen ducit a נביא *Propheta*. Non videtur differre ab illo *Nebone* Ζεὺς βελαῖος sive Ζεὺς μητιέτης *Jupiter consilii præses*, frequens in *Homero*. *Diodorus Siculus lib.* 5. 27. utrumque pro uno eodemque sumit. Nos possumus *Nebonem* transferre, *Ammonem Assyriorum*, seu *Jovem Vaticinum*.

Nebo.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

Annot. [1] Jam ante Mosen Idololatria stellarum grassabatur, quod colligimus ex Deut. IV. 19. Planetarum expressa demum mentio fit 2. Reg. XXIII. 5.

[2] Vix quidquam certi de hac Idololatria nosse possumus. Voces sunt obscuræ originis: Alia certa monumenta de his populis desunt. Judæi ipsimet dissentiunt. Aliter Thalmudistæ Babylonici: Aliter Hierosolymitani. Illi in tract. Sanh. cap. VII. אנשי בבל עשו את סכות בנות ומאי ניהו תרנגולת אנשי כותה עשו נרגל ומאי ניהי תרנגול אנשי חמת עשו את אשימה ומאי ניהו ברחא קרתא העוים עשו את נבחז ואת תרתק ומאי ניהו כלב וחמור הספרוים שורפין את בניהן ואת בנותיהן באש לאדרמלך וענמלך אלהי ספרוים ומאי ניהו הפרד והסוס *Viri ex Babel fecerunt Succoth Benoth. Quid intelligis per Succoth Benoth? Gallinam. Cuthæi fecerunt Nergal. Et quid Nergal? Gallus. Chamathæi fecerunt Aschima. Aschima autem hircus calvus. Ivæi fecerunt Nibchaz & Tartak. Per hæc intelligunt canem & asinum. Sepharvæi combusserunt filios & filias Adramælech & Anamælech Diis Sepharvæorum. Sunt autem mulus & equus.* Hi in עבודה זרה c. III. Gallinæ, quam Babylonii coluis-

coluisse dicuntur, addunt insuper *pullos*. Adramælæch & Anamælæch exponunt per *pavonem* & *phasianum*.

3 Cum majori probabilitate Seldenus *Templa Veneris*, in quibus filios prostituerunt, exponit. Cui mori se opposuit Deus Lev. XIX. 29.

4 Notum quemadmodum cœcæ Gentes porrum, allium aliaque vilissima pro Numinibus coluerint, mirum igitur non est si & Syri malogranatum a colore, odore, gustu tantopere commendatum Numen habuerunt, aut saltem ut fructum pulcherrimum Veneri dicatum. Grotius mavult Saturnum a רום *altitudine* dictum intelligere & hinc exponere Stephani ῥεμφάν.

5 Retine potius versionem verborum in futuro, *quando ibit Dominus meus* &c. Hæc enim & constructioni & præprimis rei pertractatæ convenientior. Nam ו est conversivum præteriti in futurum והשתחויתי & *incurvavero me*. Naaman tanquam proselytus domicilii renunciavit Idololatriæ atque veri DEI cultum promisit v. 17. Nihilominus Regi suo in posterum servire animo constituit. Hoc autem servitium subinde postulabat, ut ille Regi adoraturo in domo Rimmon assisteret, atque ad reverentiam Domino suo exhibendam se incurvaret. Petit igitur Naaman veniam ab Elisæo, quam hic quoque dare videtur, quandoquidem veneratio illa non Idolo Rimmon, sed Regi præstanda erat, qualis in Oriente usitatissima. Insuper ex petito elucet non veniam peccatorum præteritorum peti. Alias Syrus ille plura alia peccata, quæ perpetravit, memorasset, neque suspendisset ab adoratione Regis in domo Rimmon, nam & sine dubio Rege non præsente Idolum adoravit.

CAPUT OCTAVUM.

De peculiari Oraculorum & χρηματισμῶν ratione.

Ortus præstigiorum ex imitatione divini oraculi. Cujus varii modi.

I. QUEMADMODUM *idololatria* originem duxit ex στρεβλώσει & abusu S. Scripturæ, ita *præstigiæ*, quæ affines sunt *idololatriæ*, videntur primum ortæ ex imitatione *Divini oraculi*. *Deus locutus est* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *Hebr. I.* 1. בחלמות באורים בנביאים *per somnos*, *per Urim*, *per Prophetas*. 1. *Sam.* XXVIII. *6.* 7. Jehova per nullum horum Sauli respondente, quæsivit ille *Pythonissam*.

II. His modis addi potest Dei oraculum *e medio Cherubinorum*, ac responsum *per visionem*, *Angelos*, *vocem*. Sed præcipui revelandi modi a magistris Hebræorum notati quatuor sunt, quos vocant *quatuor Prophetiæ* seu *Divinæ revelationis gradus P. Fagius in Exod. XXVIII.* Propterea, ubi quid dixerimus de his, propositum nobis est explicare peculiaria genera *divinationum illicitarum*, quarum meminit S. Scriptura.

Notabiles Prophetiæ.

III. *Primus* gradus fuit נבואה *prophetia*; scilicet quando Deus suam mentem voluntatemque exposuit per *visiones* & *revelationes*. [2]

Inspiratio Spiritus Sancti.

IV. *Secundus* רוח הקדש *Inspiratio Spiritus Sancti*, qua quis circa visiones & revelationes potuit prophetare.

Differentia inter Prophetiam & Spiritum Sanct.

V. Quidam, ut ostendant differentiam inter hos duos gradus, ajunt, quod *donum Prophetiæ* hominem in ἔκστασιν abripuerit, omnibus abstractis sensibus; sed quod *inspiratio* illa *Spiritus S.* facta sit sine illa sensuum migratione, uti patet in *Hiobo*, *Davide*, *Daniele*, *D. Kimchi præfat. in Ps.* [3]

Memorati modi cum Urim & Tummim cessarunt sub Templo II.

VI. Utrique hi gradus, ut & *Urim & Thummim*, cessarunt sub templo secundo, dicentibus Sapientibus eorum; post mortem ultimorum Prophetarum *Haggai*, *Zachariæ* & *Malachiæ* Spiritum S. migrasse ab Israele. *Talm. in Sanhed. c.* 1. licet habuerint usum בת קול *filiæ vocis* seu *Echo* de cœlo.

Quomodo Spiritus S. non fuerit in Israele. Illustratur. Act. XIX. 2.

VII. Quo dicto non putandum est, Spiritum S. plane cessasse operari in creaturis, vel ipsum non ita, ut antea, effecisse santificationem in hominibus, sed quod *singularis illa virtus prophetandi per inspirationem Sp. S.* tunc desierit, & quod hoc sensu Spiritus S. dicatur cessisse ab Israele.

VIII. Ad hanc communem fere omnium sententiam referendum illud Act. XIX. 2. *Imo neque, sitne Spiritus Sanctus, audivimus*. Quod non dubitent de *distinctione Personarum*, claret exinde, si verum est, quod annotarunt quidam, scil. Judæos antiquos ante adventum Christi ita fuisse imbutos in hoc puncto, ut mysterium *Trinitatis* in nomine יהוה observarint. *P. Fag. in Exod.* XXVIII. Nam illud nomen constat quatuor literis, unde & vocatur τετραγράμματον *quadriliterum*, tres tamen peculiares literæ tantum sunt in eo: י notat *Patrem principem*, & *fontem rerum*: ו est conjunctio copulativa, notatque *personam tertiam*, quæ exit a *Patre* & *Filio*: ה notat *Filium*.

IX. Rabbinis Proverbium est, *Deum omnia creare in litera* ה Possunt eo respicere, quod omnia creaverit verbo suo יהי *fiat*, ויהי & *factum est*: sed possunt etiam respicere *secundam Personam in Trinitate*. Præterea annotant, quod quum ה geminetur in hoc nomine, significentur *duæ Christi naturæ*.

Variæ opiniones de Urim & Thummim. 1.

X. *Tertius* gradus fuit *Urim* & *Thummim*. אורים *Urim* significat *Lucem*, תמים *Thummim integritatem*. Fuisse ea duo ornamenta in *Pectorali* Pontificis, in genere con-

conceditur ; ſed quale illud fuerit ornamentum , & quo modo reſponderit , difficile eſt oſtenſu .

2.

XI. Sunt qui putant , ea fuiſſe quatuor illos ordines in *pectorali* , quorum *ſplendor* & *lux* victoriam notarit , & ex *regula contrariorum* concludunt , *obſcuritatem* lapillorum , retento ſplendore ſiniſtrum quid portendiſſe . *Joſeph ant. l.* 3. *c.* 9. Aliorum ſententia vult nomne יהוה poſitum fuiſſe in conduplicatione *pectoralis* quod duplicatum erat . *Exod.* XXVIII. 16. *R. Salom.* ut refert *D. Kimchi in radic.*

Modus conſultationis.

XII. Alii modum conſultationis , [4] per *Urim & Thummim* ita explicant . Primo dicunt , quod ſoli *Regi* aut τῷ אב בית הדין *Patri conſiſtorii* [5] licuerit conſulere oraculum , aut rem Pontifici proponere , qui ſolus [6] poteſtatem habebat eam ſolvendi . *Talmud. in Joma. c. 6. Vid. P. Fag. in Ex.* XXVIII. Secundo quod res propoſita non levis , ſed ponderoſa & gravis eſſe debuerit . [7] Tertio , quod *Urim & Thummim* conſtiterit ex nominibus omnium tribuum & familiarum , ut & Patriarcharum Abrahæ , Iſaaci , & Jacobi , ſic ut nulla Alphabethi litera defuerit .

Reſponſionis.

XIII. Atque ita , ſi quæſtio eſſet propoſita , quod tum illæ litteræ , quæ reſpondebant , fuerint בולטות *prominentes* , ſuperiores reliquis . Exemplum ſumunt ex 2. Sam. II. 1. ubi David Jehovam conſuluit : *adſcenſurus ſum in aliquam civitatum Judæ?* reſpondente Deo , עלה *adſcende* . Hic dicunt , quod litera ע ex nomine שמעון *Simeon* , litera ל ex nomine לוי *Levi* , litera ה ex nomine יהודה *Juda* prominuerit . Aliis placet , quod literæ exprimentes oraculum , fuerint מצטרפורת , hoc eſt quod in integras ſyllabas coaluerint , & in integras voces , & ſic reſponſum dederint . Aliæ inſuper numerari poſſent ſententiæ , verum is optime ſentit , qui rotunde fatetur , ſe neſcire quid fuerit *Urim & Thummim* . *R. David. Kimchi in radic.*

Filia vocis quid?

XIV. *Quartus* gradus fuit בת־קול *filia vocis* ſeu *Echo* , h. e. vox e cœlo lapſa , [8] voluntatem Dei exponens ; quæ fuit ſub templo ſecundo , cum ceſſarent tres gradus priores . [9] Illa teſtata eſt de noſtro Salvatore : *Ecce vox de cœlis , dicens. Hic eſt filius meus dilectus* , ἐν ᾧ εὐδόκησα , *in quo acquieſco* , Matth. III. 17. Illa *vocis filia* quaſi prologus & imago fuit *veræ* illius *vocis Patris* , Λόγȣ αἰωνίȣ , qui manifeſtavit hominibus voluntatem patris ſui .

XV. Hæc ſunt media extraordinaria , queis Deus ſe olim ſuo populo revelavit ; ordinarie autem ſe revelat per verbum ſcriptum . Nihilominus Hebræi dicunt ; Legem ſtatim , ex quo Moſi ea tradita eſt , fuiſſe duplicem ; alteram *ſcriptam* , quam vocant תורה שבכתב *Legem ſcriptam* ; alteram *acceptam* per traditionem , quam vocant תורה שבעל פה *Legem oralem* , item קבלה a קבל *accipere* , *diſcere* . Addunt utramque a Deo traditam fuiſſe Moſi in monte *Sinai* , & quod Moſes *Legem non ſcriptam* tradiderit Joſuæ , Joſua Senioribus , Seniores Prophetis , Prophetæ Synagogæ magnæ viris , eaque ſic iverit ad poſteriora æva , uſquedum tandem congeſta eſſet in librum , qui contineret præ primis præcepta & conſtitutiones Iſraelitarum Terram Sanctam incolentium; illumque vocant *Talmud Hieroſolymitanum* . [10] Complicatum id eſt anno Domini 230. & quum pauca tantum complectatur præcepta , non adeo frequentis uſus eſt :

Lex vel ſcripta vel oralis.

Hujus Miniſter & modus illam propagandi.

Hinc Talmud Hieroſolymitanum Et Babylonicum ortum ſumſit.

XVI. Circa annum Chriſti quingenteſimum alia & completior ipſorum dogmatum facta eſt conferruminatio ; ad inſtitutionem Judæorum in Babylonia & in aliis peregrinis ſolis habitantium , vocaturque *Talmud Babylonicum* , quod in frequenti uſu Autoribus eſt & complectitur corpus legum *civilium & canonicarum* .

Auctoritas Legis Oralis.

XVII. Hanc *legem oralem* tam autenticam putant quam *ſcriptam* , & quod Moſes eam acceperit a Deo , cum Lex ipſi daretur : ajunt enim , ni hæc obſtitiſſet Legis interpretatio Decalogus potuiſſet tradi בשעה קלה *in hora veloci* . *Moſes Kotſenſis in præfat.*

Uſus vocis קבלה.

XVII. Hic ſciendum eſt , vocem קבלה quando Kabbaliſtis applicatur , ad differentiam ponendam inter ipſos & Talmudiſtas , arctiori ſumi ſenſu , & notare *ſubtilitates & abdita myſteria* , quæ ex diverſa vocum tranſpoſitione & abſtruſa arithmeticæ ſpecie eliciuntur . [11] Hæc non plene conſcripta eſt . Aliqua habemus exempla Gen. XXIII. 2. *Abraham venit* לבכתה *ut defleret Saram* , atqui quum in hac voce inveniatur כ זעירא litera *caph minor* reliquis , propterea notant , Abrahamum tantum paucillum defleſſe Saram , quia fuerit vetula . *Baal Turim* . Rurſus quum litera א ſexies reperiatur in primo Geneſeos verſu , hinc concluſit *R. Elias* mundum tantum ſubſtituturum ſex mille annis , quoniam τὸ א in Lingua Hebr. ſumitur pro mille .

Exempla Kabbaliſticæ expoſitionis.

XIX. Ex tranſpoſitione literarum ita concludunt . חרם denotat *anathema* , ſeu *excommunicationem* , per μετάθεσιν literarum formatur רחם *miſeratio* , vel etiam רמח . Quæ literarum poſitio juxta Hebræum calculum efficiunt numerum 248. Quem numerum ipſorum Anatomia dicit reſpondere membris humani corporis . Hinc eliciunt , quod , ſi homo excommunicatus ſe vere convertat , tum ipſius חרם *excommunicatio* vertatur in

רחם

רחם *commiserationem*, maledictio in benedictionem; si vero non convertatur, quod tum ipsius חרם descendat in רמח, seu maledictio pervadat in omnia illius membra ad totius hominis perditionem. Denique איש significat *marem*, אשה *fœminam*. Hinc notatur, quod in nomine איש sit י, quæ litera non sit in nomine אשה, & in nomine *fœminæ* litera ה, quæ non sit in *maris* nomine; quæ litteræ efficiant יה *Jah*, unum ex Divinis nominibus; & quod hoc nomine ablato remaneat אש *ignis*; in utriusque nomine; quodque eo doceatur, Deum, quousque maritus & uxor conveniant, esse cum iis, at, si discrepent, *ignem*. Hinc videmus quam frigide hariolentur in vanis his mysteriis Kabbalistæ.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

Annot. [1] χρηματισμὸς est oraculum divinum quacunque ratione datum sive immediate Hebr. VIII. 5. sive mediate ut per Angelum Act. X. 22. Dormientibus Matth. II. 12. aut vigilantibus Hebr. VIII. 5.

[2] De Prophetia consulendus est Maimonides in מורה נבוכי' l. II. a c. XLI. ad f. qui plurima quædam notatu dignissima, hac de Materia tradit. Ex his tantum noto Prophetiam ab eo in XI. gradus Prophetiæ distingui, quorum duos priores etiam vocat gradus ad Prophetiam. Sunt autem sequentes. I. Cum quis auxilio divino ita instructus est & præditus, ut eo moveatur & animetur ad magnum & heroicum aliquod facinus perpetrandum illumque motum in se sentit & animadvertit. Hoc donum vocatur Spiritus Domini 1. Sam. X. 6. &c. II. Cum homo in se sentit rem vel facultatem quampiam exoriri & super se quiescere, quæ eum impellit ad loquendum, ita ut loquatur vel de scientiis & artibus vel Psalmos & Hymnos vel utilia ac salutaria recte vivendi præcepta vel res politicas ac civiles vel denique Divinas. Hoc effertur *loqui per Spiritum Sanctum*. III. Tertius est eorum, qui dicunt. *Et fuit verbum Domini ad me*, vel simile quid, quod huc tendit. Consistit autem in hoc, cum Propheta videt Parabolam in somnio una cum omnibus conditionibus veræ Prophetiæ & cum in illo ipso somnio Prophetico sensus Parabolæ illius ei declaratur, uti factum Zachariæ. IV. Cum Propheta verbum aliquod clare & distincte in somnio prophetiæ audit, sed neminem videt, cujus exemplum in Samuele. V. Cum vir aliquis in somnio loquitur cum Propheta, sicut in quibusdam prophetiis Ezechielis dicitur Ezech. XL. 4. VI. Quando Angelus cum ipso loquitur in somnio, veluti Gen. xxxi. 11. VII. Cum Propheta arbitratur Deum secum loqui in somnio Prophetiæ, uti Jesaias c. VI. 1. VIII. Cum offertur ipsi visio in visione Prophetica. Exemplum habemus Gen. xv. 12. &c. IX. Quando audit verba in visione, quod contigit Abrahamo Gen. XV. 4. X. Quando videt virum secum loquentem in visione Prophetica, sicut iterum Abrahamo in quercubus Mamre factum XI. Quando videt Angelum loquentem secum in visione, uti Abraham in ligatione Isaaci Gen. xxi.

[3] Ita communiter discrimen inter libros Propheticos atque כתובים sive *Hagiographos* Judæi statuunt: scil. illos Spiritu Prophetiæ, hos inspiratione Spiritus Sancti exaratos fuisse. Nolo quidem omne discrimen inter duas has librorum Canonicorum classes negare. Attamen hoc magis subtile, quam utile, mihi videtur. Quæ phrases de inspiratione Prophetis facta exstant, eædem aut similes de inspiratione Auctoribus Hagiographorum, veluti Jes. xxi. 17. *Jehova Deus Israelis locutus est*. Conf. 2. Sam. xxiii. 3. *Dixit Deus Israelis mihi*. Visiones contigerunt non tantum Prophetis stricte sic dictis, sed & Salomoni 1. Reg. III. 5. Mirum præsertim Danielem numero Prophetarum strictiori appellatione excludi, qui optimo jure talis dicitur. Quando enim visiones, ἐκστάσεις Prophetas declarant, Daniel Propheta utique erit. v. c. x. 8. 9. &c. Christianis nullum dubium esse potest ob Matth. xxiv. 15. Saniores ex Judæis Josephus, Abarbanel aliique communem Gentis errorem quoque deserunt.

[4] Hunc Maim. tr. כלי המקדש c. ult. his tradit verbis כיצד שואלין עומד הכהן ופניו לפני הארון והשואל מאחריו פניו לאחריו הכהן ואומר השואל אעלה או לא אעלה ואינו שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו אלא בקול נמוך *Quomodo interrogatur? Sacerdos summus facie sua ad arcam conversa stat: Is vero, qui consultat retro illum, ita ut faciem versus tergum Sacerdotis obvertat, atque inquit: Ascendamne aut non ascendam? Interrogatio hæc voce submissa non elata fit.*

Tr. יומא c. VII. 5. ubi sermo de VIII. vestibus Pontificis, quibus Deum interrogans indutus esse debebat באלו נשאלין באורים ותומים ואין נשאלין בהן להדיוט אלא למלך ולבית דין ולמי שהציבור צריך בו *In istis (scil. vestibus) rogabant per Urim & Tummim. Interrogatio autem non fiebat pro privato, sed vel Rege vel Synedrio aut eo, quo Ecclesia opus habebat*. Legem habes Num. XXVII. 21. Exempla Jud. I. 1. & alibi passim.

[6] Pontifici hocce munus concessum est, uti habet institutio Num. XXVII. 19. 20 21. Qua (non ante) demum usus Urim & Thummim præceptus videtur. Neque enim antea usus aliquis esse poterat, nam Mose vivo difficultates non per Pontificem, sed ipsum illum fidum Ministrum Deo proponebantur. Quare nunquam Aharonis interrogantis, sed nonnisi Eleazaris, Mose ex hac terra jam decedente, mentio fit in Sacris. Solius Pontificis esse inde quoque elucet, quia is, qui interrogabat, pectorali ornatus requirebatur. Male itaque aliter explicatur 1. Sam. XXX. 7.

[7] Excipiuntur א res fidei. * Quia enim Lex perfecta fidei & vitæ norma, nulla quæstio, quæ fidem & vitam cernebat, proponenda erat Jes. viii. 20. attendat לתורה ולתעודה *ad legem & ad testimonium*, quando seductionis periculum est. ב. Res leves. Dei Majestatem haud decet, ut de re qualibet modo extraordinario consultetur. Quæ commode sine miraculo fieri possunt, ad ea temere miracula implorantur. ג Aut quæ privatum concernunt. Sed, ut recte ait Abarbanel, in re לכל העם *quæ pro toto populo* & R. Levi ben Gerson ap. Buxtorf. Hist. Urim & Tummim. *Videntur Urim & Tummim, non consulta fuisse, nisi in rebus subitaneis & inopinato incidentibus, sicuti patet ex exemplis in scriptura commemoratis.*

[8] Sunt qui בת קול *filiam vocis* pro ipsa cœlitus delapsa voce habent. At Tosiphta ap. Coccejum in Sanh. Exc. Gem. c. 1. §. 13. not. 5. *Sunt qui dicunt non ipsam vocem editam de cœlo auditam fuisse, verum ex illo exortam aliam vocem, sicut contingit, quum quis fortiter ferit, secundum sonum eminus percipi. Quam ob causam istud genus oraculi vocatur filia vocis.*

[9] Exc. Gem. tract. Sanh. c. I. §. 13. תנו רבנן משמתו נביאים האחרונים חגי זכריה מלאכי נסתלקה רוח הקדש מישראל ואף על פי כן היו משתמשין בבת קול *Tradunt Magistri: Post mortem ultimorum Prophetarum Haggai, Zachariæ & Malachiæ recessit Spiritus S. ab Israele. Nihilominus fruebantur filia vocis.* Deum posse vocem in aere formare atque illa homines erudire nemo sanus dubitat. Tot omni tempore exempla prostant, quæ ejusmodi alloquium divinum fortissime confirmant Gen. III. 8. 9. Exod. III. XX. Lev. I. 1. Job. XXXVII. 2. Matth. XVII. 5. Joh.

* Lex ex eo dumtaxat perfecta dicitur quia nihil imperfectum continet, nihilque jubet quod non sit bonum, non inde tamen sequitur quod lex aliis præsidiis non indigeat; Nam ubi lex silet, vel subobscure loquitur Judæi ipsi ad Ecclesiæ Judaicæ judicium confugiebant ut inde veritatem intelligerent. Vide cap. X. 2. de Synhedriis.


XII. 28. 30. Act. X. 13. Apoc. IV. 5. qui ultimus oſtendit aliquando conjungi

ſtrepitum, crepitum, ſonitum, tonitru.

Plurima alia ex Hiſtoria Judaica proferri poſſent, ſed his non eandem tribuo fidem, quam allegatis. Abſolute quidem negare nolo Deum poſt exceſſum Prophetarum cum quibuſdam ex Gente Judaica cœlitus locutum fuiſſe. Attamen exiſtimo plurima exempla ficta eſſe, vel ad errores divino teſtimonio confirmandos aut Auctoritatem Magiſtris ſuis conciliandum, ut quæ de Hillele, Samuele parvo *l. Sanh. cit.* exſtant. Quandoque non tam vox e cœlo quam inferno habenda eſt, ceu quæ contraria voci in ſcriptura loquenti, quum tamen Deus non ſit δίγλωττος. Conf. ſpec. meum Gem. p. 36. 38.

[10] Legem hanc Moſi cum in finem a Deo datam Judæi referunt, ut jugiter ore ad os propagaretur, non autem conſcriberetur. Atque hoc factum intercedente Joſuæ, Seniorum, Prophetarum opera. Tum Jeremias ea, quæ ſibi a Prophetis commiſſa fuere, tradidit Baruco, hic Eſræ, Eſras Simeoni Juſto, hic Antigono Sochæo, hic denuo Joſe filio Joeſeri & Joſepho fil. Jochanan, hi vero Joſuæ filio Perachiæ & Nathan Arbelitæ, ab his acceperunt Judas Tabbæi filius & Simeon Schetachi fil. & dederunt Schemaja atque Abtalioni, ab his pervenit ad Hillelem, tum ad Simeonem. I. Poſtea ad Gamalielem I. dein ad Simeonem II. ab hoc ad Gamalielem II. a Gamaliele II. ad Simeonem III. e cujus manibus accepit Judas הקדוש *Sanctus* longe ſupra laudem ob vitæ integritatem, humilitatem, divitias, eloquentiam evectus. Hic vero, quando graviſſima judicia Genti Judaicæ imminere vidit, atque veritus eſt legem oralem penitus intercidere, conſtituit & ea quæ in manibus ſuis, quæque ab aliis tum temporis Celeberrimis Magiſtris ſervabantur, ab interitu vindicare, chartiſque manſuris tradere. Atque hoc contigit ſeculo ſecundo imperante Antonino. Tum enim ob metum cura prænominati R. Jehudæ Corpus Juris Judaici, quod משנה *Lex ſecunda* dicitur, conſcribebatur. Diviſum illud in ſex, ut appellant, סדרים *Ordines*, qui varios מסכתות *tractatus* comprehendunt. Ordo primus, זרעים *de ſeminibus* inſcriptus, primo preces, a quibus omnis benedictio, dicendas refert. Tum de rebus in agro in uſum pauperum relictis, rebus dubiis, heterogeneis, fructibus anni ſeptimi, Trumoth, decimis, decima ſecunda, placentis, quas olim mulieres depſentes Sacerdoti dare jubebantur, præputio arborum, primitivis agit. Ordo alter, מועד *de feſtis* nuncupatus, pertractat jura Sabbathi, commixtionum, ſive qua ratione cibus veſpera Sabbathi a variis collatus eos conjungat, Paſchatis, Siclorum, diei expiationis, feſti Tabernaculorum, rerum, quæ quolibet feſto, præter Sabbathum licita aut illicita erant, novi anni, jejuniorum, feſti Purim, dierum feſti intermediorum, & quæ in tribus ſolennioribus feſtis a comparentibus agenda erant. Tertius vocatur ordo נשים *mulierum*: Continet jura leviratus, contractuum matrimonialium, deſponſationum, divortiorum, votorum, Naſiræorum, uxoris de adulterio ſuſpectæ. Sequitur quartus, qui נזיקין ordo *de damnis* dicitur atque pertractat damna, quæ a beſtiis vel hominibus alicui inferuntur, res dein inventas, concreditas, uſuras, conductiones, ſocietates in commerciis, hæreditaria, conſeſſus judiciales, plagas infligendas. Juramenta dicenda, teſtimonia perhibenda, documenta judicialia, Idololatriam, denique apophegmata Doctorum. Ordo quintus קדשים *de rebus Sanctis* comprehendit materiam de ſacrificiis, fertis, animalibus communis uſus, primogenitis, pretio rerum Deo devotarum, permutatis ſacrificiis, abalienatione rerum ſacrarum, pœna exciſionis, cultu jugi, dimenſione Templi, pullis offerendis a pauperibus. Tandem ordo ultimus, טהרות *de purificationibus* agit, ut de vaſis puris aut impuris, tentoriis, lepra, vacca ruſa, purificationibus, quæ aliunde quam a cadavere hominis contracta, conceptaculis aquarum ad mundandum, mulieribus menſtruo laborantibus, fructibus, qui per affuſionem liquoris polluuntur, aut ad pollutionem diſponuntur, ſeminifluis, lotis de die, manuum lotione, pollutione petiolorum. Hæc in compendio indicant themata prolixe in Miſchna pertractata & hac quidem ratione, Maimonide obſervante, ut nonnulla ex lege Moſis ſcripta ortum habeant; quædam traditiones, (quarum in ſcriptura nullum veſtigium,) e monte Sinai; alia concluſiones ex variis ratiocinationibus non ſine diſſenſione; Rurſum alia decreta Prophetarum & Sapientum, ut ſepimenti loco legi eſſent: Alia denique ſint conſtitutiones factæ per modum determinationis Legalis & convenientiæ cum rebus, quæ inter homines fieri ſolent, a quibus nec additur legi aliquid nec detrahitur. Si non omnia ſaltem pleraque ita comparata, ut fidem Hiſtoricam mereantur ceu quæ cum fabulis, quales in utraque Gemara, aliis Judæorum ſcriptis innumeræ ſunt; nihil commune habent, tradunt brevibus verbis jura, conſtitutiones, exempla &c. collecta ſunt a Viro in ſumma dignitate conſtituto, Juris Judaici expertiſſimo & quidem illo tempore & illo loco, quo plurima adhuc in uſu erant, reliqua vero ante conſignationem vel propriis oculis viſa aut quæ a proxima antecedente ætate ipſi facillime ſine corruptione aliqua innoteſcere potuerunt. In his aliquantulum longior fui, quoniam multum faciant ad Auctoritatem teſtimoniis e Miſchna depromptis conciliandum. Alia tamen addere ſuperſedeo. Plura dabit Maimonides in doctiſſima ſua præfatione Miſchnæ. Conf. Voiſin in not. ad Raym. Mart. Pug. fid.

[11] Vox קבלה in genere notat omnem doctrinam, quam quis ab alio accepit. Speciatim, rarius tamen, ad doctrinam Prophetarum ſignificandum adhibetur, veluti Talm. Hieroſolym. tr. הוריות c. ult. ועליו הוא מפורש בקבלה גולמי ראו עיניך וג"ו & *de eo ſcriptum eſt expreſſe in Kabbala* maſſam meam viderunt oculi tui Pſ. CXXXIX. 16. Frequentius ſignificat legem ore traditam. Etiam arcanam doctrinam de rebus divinis, Spiritibus, abſtruſiore Scripturam explicandi modo. Alias dicitur קבלה עיונית *Kabbala ſpeculativa*, cujus præcipuæ ſpecies α. גומטריא γεωμετρία, qua diverſæ dictiones eundem numerum literis ſuis exprimunt veluti צמח *germen* Zach. III. 8. idem numero quod מנחם *conſolator* ſcil. 138. β. תמורה quando una vel duæ dictiones in unam vel plures alias per literarum tranſpoſitionem aut qualitatis inverſionem tranſmutantur uti Pſ. XXI. 2. ישמח *lætabitur* per tranſpoſitionem משיח *Meſſias* γ. נוטריקן quando literæ ſingulæ integras voces notant, uti מכבי *vide ſupra p. 44.* Opponitur Kabbala practica, quam aliter *Magiam* appellas. Neque Judæi a culpa artis magicæ prorſus excuſari queunt.



CAPUT

CAPUT NONUM.

De Teraphimis.

I. QUOD attinet תרפים *Teraphim*, [1] duo inquirenda sunt. 1. Quid fuerint? 2. Cui usui?

II. Vox תרף in genere notat *perfectam hominis imaginem: Michal accipit* את־התרפים *& posuit super lecto. 1. Sam. XIX.* 13. In specie autem notat εἴδωλον *idolum* [2] confictum ad hominum privatum usum in ædibus propriis, sic ut appareant fuisse idololatrarum *Penates*, sive *Lares*. *Cur furatus es* את־האלהי *Deos meos* התרפים *Gen. XXXI.* 30. 34. *Micha* habuit בית אלהים *Ædem Deorum*, & fecit *Ephod & Teraphim. Jud. XVII.* Ab hoc τῶν *Teraphim* cultu descendit Græcorum θεραπεύειν *colere, servire*. οὐκ ἀθανάτους θεραπεύειν ἤθελον *Nec Diis servire volebant. Hesiod.* Ἔργα καὶ ἡμέραι *vers.* 134.

Quid Teraphim?

III. Quo modo hæc idola fabricata sint, docent Rabbini, ubi dicunt: *Obtruncarunt hominem, caputque abscissum condierunt sale & aromatibus & laminam auream inscriptam nomine* πνεύματος ἀκαθάρτου *spiritus impuri subter capite posuerunt in muro, succensisque coram eo cereis adorarunt*. Vid. *Eliam Thisbit*.

Modus fabricandi.

IV. Cum ejusmodi *Teraphim*, dicunt, *Laban* locutus est. Verum sine controversia creduntur *perfecta hominis imago fuisse Teraphim*, quos *Michal* in lecto posuit.

Hominem referebant.

V. Usus horum idolorum fuit, ipsa tanquam oraculum consulere de iis rebus, quæ pro præsenti ignorabantur, aut futuræ erant. Ex qua causa ab Astronomis [4] conficiebantur sub constellationibus certis, ut essent idonea influentiis cœlorum, a quibus vocalia reddebantur. התרפים דברואן *Teraphimi loquuntur vanitatem*. Zach. X. 3. *Aben-Esra. Gen. XXXI.* Et inter alias rationes, cur *Rachel* subduxerit patris sui idola, hæc putatur esse una, ne *Laban* consulens ea recognosceret, quam viam fugiens *Jacobus* ingressus esset.

Usus Teraphim.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

Annot. [1] Missis tot aliis Etymologiis non convenientiorem putamus esse illa a Syr. ܒܨܐ *perconctari, inquirere*. Rationes (1) Idolum Syriacum ex lingua Syriaca recte exponitur (2) Perconctabantur e Teraphim futura (3) LXX. vel δῆλοι Hos. III. 4. vel ἀποφθεγγόμενοι Zach. X. 2. al. 4.

[2] Recte Auctor Teraphim Idolum vocat. Patet (a) Gen. XXXI. 30. 2. Reg. XXIII. 24. (b) Hos. III. 4. ubi status Judæorum hodiernus prædictus legitur, futurus scil. sine vero & simul sine Idololatrico Idoli cujusdam cultu, *sine Ephod*, quo Deus Israelis consultabatur & *sine Teraphim* Deo oraculario Gentium. *vid. Ezech. XXI.* 26. 2. *Reg. XXIII.* 24. (c) Teraphim Michæ Jud. XVII. XVIII. Hic enim erat Idololatra c. XVII. 4. Conf. Deut. XXVII. 15. Imagines Deos suos appellat c. XVIII. 24. Nec ex Teraphim Rachelis & Michalis contrarium probatur. Falsum itaque est, quod Spencerus ait, Teraphim esse vocem mediam, sumi etiam in bonam partem.

[3] Nonnihil variat testimonium, prout prostat apud M. Buxtorfium *in Lex. Talm. p.* 2661. Eadem Jonathan Ben Uziel Gen. XXXI. 29. Laban ivit ad tondendum gregem suam ונגנבת רחל ית צלמניא דהוון נכסין גברא בוכרא וחזמין רישיה ומלחין ליה במילחא ובוסמנין וכתבין קוסמין בציצא דדהבא ויחבין תחות לישניה ומקימין ליה בכותלא וממליל עמהון ואילון הנון דהוה גחין להון אבוהא *& tum Rachel furata est imagines: Mactabant virum primogenitum & avellebant caput ejus illudque sale condiebant & aromatibus, scribebant insuper divinationes in lamina aurea, quas ponebant sub lingua ejus & erigebant illud ad parietem; Tum loquebatur cum illis. Hæ sunt (imagines) coram quibus (Laban) pater ejus procubuit*. Sed alii hæc non sine causa a Judæis ficta affirmare videntur. Nec putandum est a Labane, qui Deum nondum penitus dedidicit, hanc summe detestabilem Idololatriam commissam fuisse.

[4] Raschius ad 2. Reg. XXIII. 24. תרפים צלמים שמדברי' על ידי כשפים והעושה אותן צריך לכוין שעה אחת ושנה אחת ראויה לכך *Teraphim imagines sunt, quæ per artes magicas loquebantur. Qui illas faciebat, opus habebat horam certam & annum certum convenientem huic rei observare*. Præferenda utique est hæc sententia priori, eo magis, quoniam constat Orientales ejusmodi imagines, quas *Tilsemas* vocant, ad motum cœli factas habuisse. *Conf. B. Avi Hist. Orient. l.* 1. *c. VIII.*

CAPUT DECIMUM.

De peculiaribus generibus interdictæ Divinationis.

Divinationum species novem.

I. **I**NNVENIMUS Deut. XVIII. 10. [1] *Divinatores*, quos Lex proscribit, septem esse numero, non quod non plures, sed quod hi frequentiores sint. 1. *Divinator.* [2] 2. *Ominum captator*. 3. Φαρμακὸς *Veneficus*. 4. *Incantator*. 5. Ἐγγαστρίμυθος *Pythonicus*. 6. *Hariolus*, *Sciolus*. 7. Νεκρομάντις *Consulens mortuos*. His addi possunt 8. *Consulens lignum suum Hos.* IV. 12. & 9. haruspex, qui exta ruspatur, *Ezech.* XXI. 26.

1. Temporum captator.

II. I. Primus est מעונן *Divinator temporumque captator*, qui dicit: *Hoc die faustum, vel hoc die infaustum est, hac hora, hac septimana, hoc mense bonum est & hoc vel illo die, vel mense malum, pro his vel illis, hoc vel illud agere. Salomo Jarchi* Levit. XIX. 26.

Unde מעונן.

III. Hinc illi, qui hoc vocabulum deducunt a עין *Oculus*, quasi per id intelligatur *præstigiator*, qui offusa caligine teneat & ludat oculos spectatorum, penitus aberrant. *R. David Kimchi in radic.* Commodius loquuntur, qui derivant illud ab עונה *Tempus*. Sed cum iis consentio, qui deducunt a ענן *Nubes*, quia מעונן dicatur [3] *Planetarius*, *Astrologus*. *Aben-Esra*. Lev. XIX. 26.

Discrimen illorum, qui tempora observant.

IV. Hinc differt a *secundo*, qui etiam fuit *temporum observator*. *Primus* suam conjecturam cepit *ex colore vel motu nubium*: *Secundus ex suamet superstitiosa observatione eventuum* faustorum vel infaustorum, qui contigere hoc vel illo die, hoc vel illo tempore. Primus videtur concludere, a *priori*, a *nubibus vel Planetis*, operantibus bonos vel malos eventus: Secundus a *posteriori*, *ab eventu ipso*, hoc vel illo tempore contingente.

Situs planetarii nubes intuentis.

V. Hic *Planetarius* observans nubes videtur stetisse *vultum obvertens Orienti*, *tergum Occidenti*, *dextram Austro*, *sinistram Septentrioni*. Nisi dicamus Hebræorum loquendi modum ductum ab hac *Planetarii* astra legentis statione, non invenio rationem, cur ipsi *Orientem* vocarint קדים, h. est. *partem anteriorem mundi*, *Occidentem* אחור h. e. *plagam mundi posteriorem*; *Austrum* ימין, h. e. *dextram*; *Septentrionem* שמאל, h. e. *sinistram*. Quod ratio hujus denominationis ea sit, quia Adam versus Orientem verso ore creatus sit, tam vanum est, quam probatu difficile.

2. Augur.

VI. II. Secundus est, מנחש [4] *Augur*, *Vates*. Vox Hebr. talem denotat, qui ex propria experientia observationes trahit, ad futura bona vel mala vaticinanda, veluti *Augures* concludunt ex hujus vel illius eventus, hujus vel illius volatus, crocitus &c. observatione; Rabbini hoc modo loquuntur; *Ille est Menachesch Fatidicus, qui dicit, quia mica panis ex ore ipsius cecidit, vel baculus ex manu, vel filius ipsum revocat, vel cornix ipsum inclamat, vel capra præterit, vel serpens est a dextra ipsius, vel vulpes a sinistra, propterea hoc vel illud hoc die non agite. R. D. Kimchi in radic.* Hoc vocabulum adhibetur Gen. XXX. 27. & נחשתי *observavi*, *Jehovam benedixisse mibi propter te*, ait *Laban*. Rursus Gen. XLIV. 5. *Nonne ille calix est, ex quo bibit Dominus meus, & ex quo ipse* נחש ינחש *observando observabit*? h. e. *experietur*, *quales sitis*?

Gentium superstitio in diebus eligendis.

VII. Gentes admodum superstitiosæ fuerunt in ejusmodi observationibus: quidam dierum fuerunt *atri*, alii *albi*, quidam *infausti*, alii *fausti*. Quibusdam diebus funestum duxerunt, miscere prælium, quibusdam mensibus infaustum, uxorem ducere.

Mense malum Majo nubere vulgus ait. Ovid. Fast.

In usurpandis mediis, quæ vel facta.

Et quemadmodum superstitiosæ fuerunt *in observandis signis sinistris*, sic etiam *in usurpandis mediis*, quibus malum, quod portendebatur, declinarent.

vel verba.

VIII. *Media* vel sunt *verba* vel *facta*: *Facta*, ut si qua *avis funesta*, vel aliud ejusmodi, occurreret, lapidibus illud petebant. Hujus sortis est sculptura suspecti Magi, quæ a rudiori plebecula censetur esse remedium adversus veneficium. *Verbis* putant se eludere futurum malum, quod istiusmodi omina annuntiarunt, si dicant, ἐς κεφαλὴν σοί: *In caput tuum recidat hoc omen.* Plura hujusmodi ἐνόδια σύμβολα obvia omina vide apud *Theoprast. Character.* περὶ δεισιδαιμ.

3. Præstigiator.

IX. III. Tertius est מכשף *præstigiator*, *gesticulator*. Vox Hebr. denotat talem, qui præstringit oculos & sensus hominum, mutata rerum specie, illas aliter, quam in se sunt, repræsentans. Eadem vox applicatur *præstigiatoribus Ægyptiacis*, qui restiterunt

Nomina Hebr.

Mosi. Exod. VII. 11. *Pharao vocavit etiam* τοῖς מכשפים *præstigiatores*, & חרטמים *Magi Ægyptii fecerunt etiam* בלהטיהם *incantationibus suis sic*. Hæc ultima pars explicat,

cat, quales *præſtigiatores* illi fuerint. Quod *Magi* vocantur, notat ipſorum ſtudium, ſcil. ipſos fuiſſe *Sapientes* & *Philoſophos*; vox autem בלהטיהם indicat *modum eluſionis* ipſorum, ſignificatque talem artem, qua oculi falluntur; nam להטים, quod vertitur *incantationes*, denotat *flammam ſplendentem ignis, qua corripiuntur oculi*.

Græcum.

X. *Verſio Græca* non incommode eos vocat φαρμακὲς *Unguentarios*, *Seplaſiarios*, vel ſi mavis, μυρεψὲς *qui faciem virorum mulierumque fuco pingunt, aliamque ſpeciem inducunt*. Φαρμακὸς δὲ ἐςὶ μυρεψὸς, *Suidas*. Hinc Apoſtolus ejuſmodi Pſeudo-Prophetas, *qui ſub* μορφώσει εὐσεβείας *deformatione pietatis, captivas ducunt mulierculas incertas*, comparat *Magis* Ægyptiis Moſi reſiſtentibus, qui fuerunt Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς, 2. Tim. III. 8. [5] Hi duo præcipui fuerunt. In *Talmude tract. Menachoth. c. 9.* vocantur *Johanne & Mamre*, *a Numenio Pythagoreo*, *Johannes & Mambres*. *Orig. contr. Celſ. lib. 4. a Plinio Jamnes & Jotape*. *Hiſt. Nat. l. 30. c. 1.*

Ægyptii præſtigiatores vocantur Jannes & Jambres.

4. Incantator.

XI. IV. Quartus eſt חבר *Incantator*. Vox Hebr. ſignificat *congregationem*, *conſociationem*, ſive ob *fœdus & ſocietatem*, quæ inter tales homines & Diabolum intercedit, ſive, ut *Bodinus Dæmon. Magic. l. 1. c. 6.* putat, ob id, *quod ejuſmodi incantatores multiplices congregationes celebrant*, ubi ſaltant & hilares ſunt. *Onkelos* talem *incantatorem* vertit רטין *muſſitatorem*, ſignificans modum hujus incantationis factum *murmurando, muſſitando*.

Ejus deſcriptio.

XII. Deſcriptio *incantatoris* ita habetur apud *Maim. tract. Idol. c. 11. ſect. 10. 11.* *Is eſt Incantator, qui* φωνὰς ἀδήλες *voces peregrinas & ſingularis ſenſus loquitur, putatque in ſua ſtultitia, has voces eſſe proficuas, adeo ut ſi quis hoc vel illo modo alloquatur ſerpentem aut ſcorpionem, iidem homini nocere nequeant; aut, ſi quis hoc vel illo modo affetur hominem, ei nocere non poſſit. Is, qui occluſa bucca ſuper vulnere ſubmurmurat, aut verſum ex Bibliis recitat, vel qui legit quid ſuper infante, ne terreatur, vel qui imponit librum Legis, aut phylacteria infanti, ut ſomnum carpat, tales non tantum ſunt in genere incantatores, ſed in ſpecie ex eorum numero, quos prorſus damnat S. Scriptura, quia verba Scripturæ convertunt in medicinam corporis, quum ea ſit medicina animæ*. Prouti ſcriptum eſt Proverb. III. 22. Eruntque præcepta Dei, *vita animæ tuæ*. Hujus commatis eſt illud, de quo ait *Bodinus Dæmon. Magic. lib. 2. c. 1.* *Quod infans recitando certum e Pſalmis verſiculum impediat mulierem, ne poſſit ſuum butyrum coagulare, quod autem reſtituat butyrum retro legendo illum verſiculum*.

5. Conſulens Pythonem.

XIII. V. Quintus eſt שאל אוב *conſulens Obb ſeu Pythonem*. Proprie notat אוב *utrem*, & in diverſis Scripturæ locis *Incantatoribus* tribuitur, quia malo Spiritu obſeſſi vocem lenem & obtuſam emittunt, tanquam ex *utre*. Græci eos vocant: Ἐγγαςριμύθες *Ventriloquos, quorum vox videtur e ventre mutire*, *Chryſoſt. 1. Cor. XII. adv. Marcion. l. 4. c. 25.* Talem *Pythonem* habuit illa ſerva Act. XVI. 16. juxta ſententiam *Auguſtini de doctrin. Chriſt. l. 2. c. 23.* Cui plurimi Interpretum adſtipulantur, qui putant *Pythonem*, quo illa παιδίσκη occupata erat, eundem Spiritum fuiſſe, quem Hebræi אוב vocant. Similiter *Saga Hendori*, quam rogavit Saul, ut evocaret Samuelem, dicitur in Hebraico habuiſſe τὸν אוב a Latinis Interpretibus conſtanter vertitur *Pythoniſſa*.

6. Magus qui Gr. γνώςης.

Rabbini exponunt de certa beſtia.

XIV. VI. Sextus ידעני *Magus*, qui Græcis ſubinde transfertur γνώςης *hariolus*, *ſciolus*. In utraque lingua nomen mutuatur a *cognitione* ſive *ſcientia*, cujus compos eſſe vel a ſe ipſo vel a plebe exiſtimatur. *Rabbini* dicunt ipſum in Hebraico denominari a quadam beſtia, cui nomen ידוע *cuique forma viri, quoniam illi Magi, quando perficiunt ſuas divinationes, os hujus animantis ſuis dentibus interſerunt*. *P. Fag.* Lev. XIX. Verum *Athenæus* beſtiam hanc vocat καταβλεπάδα, *Vid. Bodin. Mag. Dæmon. lib. 1. c. 6. p. 89.*

Illuſtratur inſuper.

XV. Hoc forſan Diabolicum ſacramentum & ceremonia eſt, qua fœdus inter *Diabolum & Magum* hunc ſtabilitur. Profanæ hiſtoriæ produnt memoriæ ſimiles divinationes, nimirum quod *Magi* conſueverint veſci partibus principalioribus talium beſtiarum, queis putabant vim vaticinandi inhærere, credentes modo aliquo μεμψυχώσεως animam iſtarum beſtiarum hoc pacto in ſua corpora una cum facultate prophetandi transfundi. *Perer. de Mag. p. 57.*

7. νεκρομάντης.

1. Sam. XXVIII.

XVI. VII. Septimus eſt דורש אל־המתים *Græci* ſimpliciter transferunt ἐπερωτῶν τὲς νεκρὲς *conſulens mortuos*, νεκρομάντης, *Divinus*, *evocans Spiritus damnatos*. Ejuſmodi *Divini* conſulunt Diabolum ſub forma mortui. Memorabile exemplum eſt illud 1. *Sam.* XXVIII. 6. 8. ubi Rex *Saul* copias educens adverſus Philiſtæos, Deo ipſi nec per *Urim*, nec per *ſomnia*, nec per *Prophetas* reſpondente, accedit *Saga Hendori*, petitque Samuelem e mortuis excitet, quo doceatur eventum belli.

Spectrum hoc non fuit Samuel.

XVII. Hoc jam ſpectrum non fuiſſe *Samuelem*, facile evincunt Doctorum rationes & teſtimonia. 1. Non enim veriſimile eſt Deum, cui noluit reſpondere medio ordinario.

nario, voluiſſe dignari reſponſo extraordinario. 2. Nullus *Diabolus*, nec ullus *Magus* poteſt turbare quietem corporum ſeu animarum eorum, qui moriuntur in Domino, *quieſcunt enim a laboribus ſuis Apocal.* XIV. 13. Denique 3. ſi *Samuel* fuiſſet, citra dubium invectus eſſet in *Saulem*, quod conſuleret *Incantatores Diabolicos*.

8. Conſulens baculum ſuum.

XVIII. VIII. Octavus eſt שאל מקלו *Conſulens baculum ſuum Hoſ.* IV. 12. *Hieronymus* ait, modum hujus *divinationis* ita fuiſſe. *Si dubium fuit, quænam urbs e duabus aut tribus ſit oppugnanda prius, ut hoc ſolvant, mittuntur ſagittæ in pharetram, & commiſcentur inſcriptæ, ſive ſignatæ nominibus ſingulorum, ut videatur cujus ſagitta exeat, & quæ prius civitas debeat oppugnari*. Alii docent modum hujus conſultationis ſic habuiſſe: *Conſulens bacillum ſuum, ſpithamis emetiens ſeu longitudine digitornm dicebat inter menſurandum: Ibo, non ibo: faciam hoc, non faciam; & ratione ultimæ ſpithamæ decrevit*. Hæc *divinatio* apud Gentes vocatur ῥαβδομαντεία vel βελομαντεία *vaticinatio per ſagittas aut virgas Vid. Druſ. in Deut. p.* 592.

9. Haruſpex.

XIX. IX. Nonus eſt ראה בכבד *Haruſpex*, *Ezech.* XXI. 21. *Nebucadnezar*, infeſto agmine in Judæos & Ammonitas moturus, hæſit in via, utros pius aggrederetur; proptereaque 1. *Sagittis* & *bacillis*, [6] de quibus jamjam diximus. 2. *Extis beſtiarum* rei certitudinem experiri inſtituit. Hæc *divinatio* in genere recepta apud Gentes fuit, & quoniam *hepar* præcipuum & quod maxime attendebatur membrum erat, dicebatur *extiſpicium*, Ἡπατοσκοπία *inſpectio jecoris*.

Notanda in Ἡπατοσκοπίᾳ.

XX. Tria in hac *divinationis* ſpecie obſervanda ſunt. 1. *Color* extorum, an omnia probo eſſent colore. 2. *Locus*, num ulla loco mota eſſent. 3. *Numerus*, num ulla deficerent; inter illa, quæ deficiebant, *jecur* & *cor* deficiens præprimis ſiniſtrum quid portendebat. Eodem die, quo confoſſus eſt *Julius Cæſar*, produnt Hiſtoriæ in duobus pinguibus bobus, qui mactabantur, defeciſſe *cor*.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

Annot. [1] Ut Iſrael integro corde Deo adhæreat, nihil ſcire deſideret, quam quod in conſummatiſſima Lege Divina ſcriptum, neque ingreſſurus terram Canaan imitetur malas priſcorum incolarum artes, præcipuas divinationum ſpecies nomine exprimit, ut ab his ſimilibuſque ſollicite ſibi caveant Iſraelitæ. Primo nominat interdictum traductionis per ignem. Probabiliter, quoniam abominabili illa liberorum traductione Moloch colebatur, atque ita oracula fundebat: Hæc autem divinatio reliquas, quæ ſequuntur, impietate, crudelitate longe vincit, igitur merito primum tenet locum. Auctor quidem in recenſione ſpecierum hanc ommittit, ſed male. (1) Id vult nexus (2) ענמלך Anamælæch eſt Moloch, qui ענה *reſpondet* interrogantibus. (3) Baal, qui Moloch, habebat נביאים *Prophetas* 1. Reg. XVIII. 19. qui ſcil. falſa vaticinia Molochi ad populum deferebant. (4 Ita ſentiunt ex Hebræis Rambam & Abarbanel *in Comment.* Leg. CLXX. c. 1. & 11. offert filium aut filiam Molocho כי יחשוב שעם העבודה הזאת יבא לקסום ולהנבא מאת הבעל *quoniam arbitratur ſe hac cultus ratione divinationes atque vaticinia a Baal conſecuturum*.

[2] Hebr. קסם קסמים *divinans divinationes* juxta ſtylum Scripturæ. Plurimum in malam accipitur partem uti h. l. Zach. X. 2. Ezech. XIII. 9. XXI. 23. Jeſ. XLIV. 19. al. 25. atque generaliter adhibetur, veluti 1. Sam. XXVIII. 8. Ezech. XXI. 21. prout etiam h. l. Aben-Eſra exponit. Sed Raſchius certam ſpeciem mavult intelligi אי זהו קוסם האוחז את מקלו ואומר אם אלך או אם לא אלך קוסם *Quis dicitur Divinans? qui baculum in manum accipit & quærit: An ibo? Vel annon ibo?* Poſteriori nexus favet.

[3] Ramban apud Abarbanelem loc. cit. מעונן הוא היודע בעננים ושופט מהם *Meonen eſt, qui nubicularum motus probe intelligit, atque ex iis judicium fert.* conf. Lev. XIX. 26. Experientia inſuper probat repertos fuiſſe homines, qui ex nubibus, motu cœli futura prædicere auſi ſunt. Hac tamen arte maxime capiebantur populi maritimi, uti Philiſtæi Jeſ. II. 6. ubi denſæ nubes in aere volitare ſolent. Noli tamen putare, carpi illos, qui ex cauſis naturalibus tempeſtates conjectant. Quamvis & hoc culpabile ſit, ſi qui ad ſigna cœli, non autem temporis, in Scriptura de ingenti beneficio aut imminenti judicio determinati ſollicite attendunt, quemadmodum factum a Judæis Matth. XVI. 2. 3. uti in exitu feſti Tabernaculorum ex fumo aſcendente vel annonæ caritatem aut fructuum copiam ante dixerunt.


[4] נחש vox media eſt, ceu quæ in bonam & malam ſumitur partem. In bonam veluti Gen. XXX. 27. XLIV. 5. 15. Sed in malam Deut. XVIII. 10. & pluribus aliis. Vi originis ὀφιομαντεία divinatio ex ſerpentibus notatur, qualis quoque recepta Terent. Pharm.

monſtra evenerunt mihi
Introit in ædes ater alienus canis
Anguis per impluvium decidit de tegulis.
Gallina cecinit: interdixit hariolus.

[5] Nomina Magorum in V. Teſtamento non quidem memorata ſunt, aſſervata tamen in profana Judæorum Hiſtoria, unde illa Paulus noſſe poterat atque inſuper a Spiritu Sancto de illorum veritate convincebatur. Scriptio haud una, convenientiſſima Jonathanis Exod. VII. 11. *& vocavit etiam Pharao ſapientes & præſtigiatores & ſecerunt etiam ipſi* יניס וימברים *nempe Jannis & Jambres magi in Ægypto incantamentis præſtigiarum ſuarum*. Idem Paraphraſtes alibi illos pro filiis Bileami habet. *Conſ. Buxtorf. Lex Talm.* p. 945. 946.

[6] In textu Originali legitur קלקל בחצים *lævigavit ſagittas*. Unde Kimchius מחדדין ומלטשין פני ברזל החץ עד שיהיה בהיר מאד ורואין בו בעלי הקסם *ſerrum Sagittæ acuebant atque poliebant ita ut illud valde lucidum fuerit, quod tum divinatores intuentur.* Quæ expoſitio cum voce haud male convenit. Malunt tamen alii de Sagittis in altum projectis, quæ prout vel in hoc aut illud latus delapſæ ſunt, dubium determinant, expenere; conf. 2. Reg. XII. 15. & gloſſa Raſchiana. Rurſum alii βελομαντείαν Arabum intellectam putant. Hæc autem ita ſe habebat. Sagittas numero tres uni vaſculo ad divinandum indebant. Earum primæ inſcriptum: *Juſſit me Dominus meus*: ſecundæ vero *Prohibuit me Dominus meus*: Tertia nulla nota inſignis. Si itaque extrahenti occurrebat prima aut ſecunda, rem, de qua divinatio inſtituebatur, aut promte perficiebat, aut illam omittebat. Si vero ἀγράμματος, illam vaſculo denuo indidit, donec una ex duabus prioribus in manus pervenerat.

MOSES



MOSES ET AARON

LIBER QUINTUS.

DE

CONSISTORIIS,

SEU

CONSESSIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Judæorum Curiis Forensibus; & præsertim de Consistorio Ecclesiastico.

In Israele duæ Curiæ Ecclesiastica & Politica.

I. DIVERSÆ in Israele *Curiæ* fuerunt diversis consistentes viris, quarum quædam *res Ecclesiasticas* & quædam *res civiles* & *publicas* dirigebant. [1] *Junius Anal. expos. Deut. XVII.* De his, ipsarumque censuris peculiaribus & pœnis, restat quid dicendum.

II. Hæc diversa *consistoria*, *consessus* & *curiæ*, primo distincta reperiuntur *Deuter.* XVII. 12. *Qui non auscultat Sacerdoti, aut Judici.* Ubi Israel docetur, ob quas res & ad quos possent a minoribus *judiciis* & *curiis* appellare; nempe ad *Sacerdotes* in rebus *Ecclesiasticis* aut *ceremonialibus*, & ad *Judices* in rebus *criminalibus*, aut *civilibus*. [2]

III. Hæc duo *dicasteria* clarius distinguuntur. 2. *Chron. XIX.* ubi Josaphat multos abusus in Ecclesia & Republica tollens, primo per omnes civitates munitas Jehudæ *Judices civiles* constituit ad judicandum res criminales, vers. 5. Et Hierosolymæ * ordinavit *consessum Ecclesiasticum* e Levitis, Sacerdotibus, & primoribus patrum Israelis v. 8. In *negotiis Jehovæ* seu *Ecclesiasticis* Amaria *Pontifex* primarius erat. In *rebus* autem *Regiis* seu *civilibus* Zebadia נגיד *Præsul.* vers. 11. [3] Sic etiam Propheta Jeremias neci

* Rex Josaphat omnia ordinari jussit, ad divinæ Legis amussim. Nec Pontifex judicandi facultatem a Rege, sed a Deo ipso habet; ut luculentissime patet ex multis Scripturæ locis, præsertim ex Deut. 17. 8. 9.

neci addicebatur a *confeſſu Sacerdotum*. *Jerem. XXVI.* 8. Sed in *judicio Principum*, ſeu *Judicum civilium*, qui ſedebant ſub portis, abſolutus eſt verſ. 16. [4]

4. IV. Et licet tyrannis Antiochi, & ſubſequentes motus tanta confuſione turbarint regimina Judæorum, ut vix diſcrimen ullum in N. T. reperiri poſſit, attamen veſtigia quædam & imperfecta ſigna utriuſque hujus *judicii* apparent *Matth.* XXI. 23. XXVI. 3. Ἀρχιερεῖς *Sacerdotes primarii* & πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ *Sacerdotes populi* adducuntur, tanquam diverſi ordinis & conſenſus, quorum quiſque videtur proprio nomine diſtingui. [5]

Curia Eccleſiaſtica Synagoga; Politica Synedriũ dicitur.

V. *Conſeſſus Politicus* vocatur συνέδριον *Collegium Conſiliariorum*, *Eccleſiaſticus* συναγωγή *congregatio*. *Tradent vos* εἰς συνέδρια, *& cædent vos flagris* ἐν ταῖς συναγωγαῖς *Matthæi X.* 17. Hinc magnum Prophetarum ſanctorumque virorum *Collegium*, quod Eſra collegit ad reformandam Eccleſiam poſt adſcenſionem ex Babele, vocatur *Synagoga magna*. [6] *Officium Collegii Eccleſiaſtici* fuit, *diſcernere inter ſacrum & profanum*, *mundum & immundum*. *Lev.* X. 10. Et *decidere appellationes* in rebus momentoſis; hinc illud, *Dic Eccleſiæ*; quum penes eam eſſet *jus excommunicationis*, de qua ſeq. cap.

Conveniunt in duobus præcipuis membris.

IV. Hic tantum nota, quod, quemadmodum *in Synedrio* & *Collegio politico*, quod conſtabat LXX. viris, penes quos *ſummum judicium* erat, fuerunt duo capita, alterum vocabant נשיא *Principem* ſeu *Judicem ſupremum*; & alterum vocabant אב בית דין *Patrem dicaſterii*; quod, inquam, etiam in *Synagoga*, ſeu *Conſilio Eccleſiaſtico* fuerint duo capita ſeu primarii, *Pontifex*, ipſiuſque סגן *Vicarius* ſeu *Pontifex ſecundus*. 2. *Reg.* XXIII. 4.* *Pontificem* neceſſario membrum fuiſſe *Synedrii*, falſum eſt, quia ad id *Collegium* nunquam electus eſt, niſi fuerit vir raræ & ſingularis ſapientiæ. *Moſ. Kots. in Sanhed.*

Utrumque Collegium aliquando coivit.

VII. Nota quoque, quod utrumque *Collegium* coiverit, quoties res decidendæ, *ceremoniales* partim & partim *politicæ* erant, ſicque partim ad *Eccleſiam*, partim ad *Rempublicam* ſpectabant. Quod quum non obſervetur, Interpretes non faciunt diſcrimen inter illa *judicia*. Hæc utriuſque *Conſiſtorii* ſeu *Collegii* coitio & conjunctio hinc inde in Evangelio occurrit, ubi dicuntur ἀρχιερεῖς καὶ πρεσβύτεροι congregati fuiſſe.

* Pontificem inter membra Synedrii præſtantiorem ocupaſſe locum egregie demonſtratur in nota Tom. I. hujus Theſauri 983.

NOTÆ AD CAPUT PRIMIUM.

Annot. [1] Concedi quidem poteſt curiam aliquam inferiorem ex Sacerdotibus poſteriori tempore exſtitiſſe, quæ caſus ceremoniarum leviores & quorum decicíſio cognita, cognoſcebat, unde gloſſa Bart. ad tr. יומא c. VI. 3. בית דין של כהנים *Synedrium Sacerdotum* memorat· *Vid. Ligtfoot*. T. II. p. 372. Attamen pro indubitato affirmandum exiſtimo unam nonniſi in Iſraele ſupremam curiam ex omnibus tribubus fuiſſe, quæ Eccleſiaſtica & Politica ſimul judicabat, alios conſeſſus ſubordinata tantum poteſtate polluiſſe. Rationes autem ſunt. א. Deut. XVII. 8.9. Omnes caſus difficiliores a judiciis inferioribus ad ſupremum, cujus ſedes in loco ſancto, perferendi præcipiuntur. Hujus autem membra Sacerdotes, Levitæ & judices ſcil. ex aliis tribubus. Priores etiam Judices ſunt, ſed quoniam inſuper Sacerdotes & Levitæ, ab his characteribus denominantur. Non tamen aliud Sacerdotibus & Levitis, aliud Judicibus judicandum committebatur; conf. Deut. XXI. 5. XIX. 17. ב. Maimonid. tractat. סנהדרין cap. II. in. אין מעמידין בסנהדרין אלא כהנים לויים וישראל המיוחסין הראויים להשיא לכהונה שנ׳ והתיצבו שם עמך בדומין לך בחכמה וביראה וביחס ומצות להיות בסנהדרין גדולה כהנים ולויים שנ׳ ובאת אל הכהנים הלויים ואם לא מצאו אפילו היו כולם ישראל הרי זה מותר *Tantum Sacerdotes, Levitæ & Iſraelitæ, qui conjugio e ſtemmate Sacerdotali ineundo idonei ſunt, in Synedrium cooptantur atque hoc, quia ſcriptum*, Num. XI. 16. ut ſiſtant ſe ibi tecum, *hoc eſt, qui tibi ſimiles ſunt in ſapientia, in veneratione & familia, optime ſe habet, quando in Synedrio Magno ſunt Sacerdotes & Levitæ*. Q. S. E. Deut. XVII. 9. & venies ad Sacerdotes Levitas. *Sin nulli in Synedrium recepti, legitimum tamen eſt, quamvis Iſraelitis tantum conſtet*. Conf. Miſchna tr. ejuſdem nominis c. IV. §. 2. ג Tantum abeſt, ut Sacerdotes non examinaverint res criminales & civiles, quin illi potius עיקר *pars præcipua* Synedrii M. fuerint. Quod etiam rectiſſime factum, quoniam illi legem divinam optime intellexerunt, atque lautis ſalariis fruentes tempus vacivum judicio habuerint.

[2] Hæc vi Textui inferuntur, non vero illi inſunt, quandoquidem, ut modo ſupra vidimus, eadem Sacerdoti & Judicibus judicanda relicta ſunt. Conf. dicta.

[3] Nec locus 2. Chron. XIX. Auctori noſtro favet. Joſaphatus uti religionem ita judicia ad legem Moſis, Idololatria & injuſtitia ex regno ſuo exterminata, reſtituit. Itaque conſeſſus judiciales minores per totum regnum v. 5. alium ſupremum in Hieroſolyma conſtituit, qui examinaret כל ריב *omnem litem* inter ſanguinem & ſanguinem, legem & præceptum, ſtatuta & judicia adeoque capitalia, moralia, ceremonialia, forenſia. Judices vero elegit Sacerdotes, Levitas ראשי האבות & *capita patrum* h. e. primores ex reliquis familiis. Hinc clare elucet Senatum Hieroſolymitanum e perſonis Eccleſiaſticis & Politicis ſimul conſtitiſſe, una Eccleſiaſtica & Politica dijudicaſſe. Quod vero Amarias rebus, quæ Jehovam, Zebadias vero illis, quæ regem concernebant, præfectus fuerit, id non duas diverſas curias facit, ſed ſummam Regis prudentiam docet, qua ordinatum ut Pontifex præſideret in cauſis ſibi notiſſimis & Zebadias itidem.

[4] Miror Auctorem noſtrum hoc loco ad probandum uti, qui nequidem ſpeciem ejus, quod probandum ipſi eſt, continet. Sic enim: *prehenderunt eum Sacerdotes & Prophetæ & omnis populus dicendo: Moriatur*. Jer. XXVI. 8. An ergo etiam falſi Prophetæ & totus populus membra Senatus Eccleſiaſtici erant? Tumultus, non vero Synedrium aliquod ibi, ut circumſtantiæ oſtendunt, deſcribitur. Et hæc ratio, quod Principes Judæ Jeremiam e manibus tumultuantium liberaverint.

[5] Quoniam ipſe Goodvvinus noſter, imperfecta ſigna utriuſque judicii Matth. XXI. 23. XXVI. 3. apparere ait, refutatione prolixa abſtinemus. Omnis, qui

Hi-

Historiam Evangelicam legit, deprehendet Sacerdotes & Seniores populi tanquam membra ejusdem Synedrii frequenter conjungi: A Sacerdotibus Politica & a Senioribus Ecclesiastica judicari. Πρεσβύτεροι τῶ λαῶ sunt, qui in V. T. זקני ישראל & זקני העם *Seniores Israel*, aut ראשי אבות *capita Patrum* nominantur, qui ex reliquis tribubus in Senatum Hierosol. recepti sunt.

[6] Synagoga Magna Rabb. כנסת הגדולה (cujus membra אנשי כנסת הגדולה *Viri Synagogæ Magnæ*) distincta est a Synedrio & ortu & progressu & functionibus & denique numero membrorum. Synagoga M. ortum sumsit tempore Esræ; Desiit in Simeone justo coætaneo Alexandri. Instituta erat ut Ecclesiam Hierosolymitanam & alias Judaicas restauraret, ab erroribus in fide, a vitiis in vita repurgaret & præscriberet modum, quo Scripturæ Canon integer ad posteros propagaretur: quo decenter & pie viverent. Membra erant Cxx. Glossa Bartenoriana ad Tractat. פרקי אבות cap. 1. 1. ק"ך זקנים היו זרובבל שריה רעליה מרדכי בלשן שהיו בימי עזרא כשעלו מן הגולה בבית שני ומכללם חגי זכריה ומלאכי ונחמיה בן חכליה וחבריהם ונקראו כנסת הגדולה לפי שהחזירו העטרה ליושנה *Senes erant Cxx. ex his Zerubabel, Seraja, Raalia, Mardochai Bilschan, qui cum Ezra vixerunt atque sub Templo secundo ex captivitate ascenderunt. Ex eodem numero erant Haggai, Zacharias, Malachias, Nehemias fil. Chacaliæ atque socii eorum. Nominabantur Synagoga Magna, quia coronam in pristinum decus restituerunt.*

CAPUT SECUNDUM.

De ipsorum Excommunicatione. 1

III. Gradus excommunicationis. I. נדוי.

I. TRES [2] erant *excommunicationis* gradus.

II. I. Ἀποσυναγωγὴ *ejectio ex Synagoga, Joh. IX. 22.* a Judæis dicitur נדוי *Niddui*, quæ vox significat *separationem* & *elongationem*: deducitur a verbo Pih. נדה *separavit*, hinc etiam *proscriptus*, *profligatus* aut *separatus* quispiam dicitur מנודה. *Niddui quoque dicitur significare elongationem ab omni negotiatione, vel communione viri aut fœminæ, intervallo quatuor ulnarum; separationem quoque a comestione, aut compotatione cum alio, a complexu conjugali, a tonsura, lotione, & similibus*, pro sententia Judicis, & ratione criminis. *Buxtorf. ex Rabb. epist. Heb. p.* 55. Ea separatio triginta dierum erat, poterat tamen abbreviari facta pœnitentia. [3]

Ejus tempus.

& conditio.

III. Illi, qui ita *excommunicatus* erat, licebat *cultui divino adesse*, *alios docere*, & *ab aliis doceri*, *conducere servos & conduci*, sub istius tamen *separationis* conditione. Ubi is nullam agebat pœnitentiam, pro sententia Judicis pœna ipsius ingravescebat, [4] dum aut duplicabatur, aut tempus ter augebatur, aut pœna non nisi cum vita finiebatur. Illius filii non circumcidebantur; & ubi absque pœnitentia decesserat, jussu Judicis loculo aut feretro injectus est lapis, ad ostendendum, ipsum fuisse dignum, qui lapidibus obrueretur. Non luctu solennique planctu deflevere talem, nec eum comitantes ad sepulcrum, nec eum terræ mandantes communi sepultura.

II. חרם.

IV. II. Secundus *excommunicationis* gradus est, παραδοῦναί τινα τῷ Σατανᾷ *tradere aliquem Satanæ, 1. Cor. V. 5.* qui vocatur Judæis חרם. [5]

Usus vocis חרם in Scriptura.

V. Ad magis intelligendum hoc vocabulum, scire nos oportet, quod hoc sensu non usurpatum sit in V. T. Ibi reperimus illud applicatum *personis* aut *rebus*: Si *personis*, notat *devotionem Deo præstandam morte earum. Lev. XXVII. 29.* Si *rebus*, notat *devotionem Deo præstandam separatione* earum a communi usu. Hinc *Achan* pœna affectus, quod subduxerat *devotum Jos.* VII. 11. 25.

Persona devota ἀναθέματα.

VI. *Personæ* ita *devotæ* Græcis dicebantur ἀναθέματα & *devotæ res* ἀναθήματα. *Budæus* ἀναθέματα dici tradit *homines sacros*, quorum capita inferis *dicata* sunt & *devota* ἀναθήματα vero *donaria Diis consecrata*; tempore tamen Pauli & τὸ חרם & τὸ ἀνάθεμα denotarunt tantum *secundum excommunicationis gradum*, distinctum a primo. 1. Quum ea *excommunicatio* non fieret a singulari judicio, sed ea denuntiaretur audiente tota Ecclesia. 2. Addebantur e Lege Mosis *devotiones* & *execrationes*. Quando ea denuntiabatur, cereæ accensæ sunt, finitisque *execrationibus* extinctæ, ut significarent, hujusmodi *devotam* personam emunctam esse luce cœli. Hæc *excommunicationis* species usurpabatur adversus illum *incestuosum 1. Cor. V.* 5. & adversus *Hymenæum atque Alexandrum 1. Tim.* I. 20.

III. שמתא.

VIII. III. Tertius *excommunicationis* gradus vocatur in N. T. vocabulo Syriaco Μαρὰν-ἀθά *Maran-atha*. *1. Corint. XVI. 22. h. e. Dominus venit. Maran* notat *Dominum*, & *Atha venit*. Cujus autorem dicunt *Enochum. Jud. vers.* 14. Judæi id appellant שמתא *Schammatha*.

Duplex explicatio vocis Schammatha.

VIII. Hujus vocis duplicem adducunt interpretationem; quidam ajunt tantundem significare ac *Maranatha Dominus venit*, τῷ שם notante *Dominum*, & τῷ אתה *venit*. Alii dicunt, quod sonet, *ibi* est *mors*. שם significante *ibi*, & τῷ מיתה *mortem*. *Elias Thisb. in rad.* שמתא. Hinc posset verti *destinatio ad necem*. [6] Et hæc ratio creditur esse

esse illius loquendi modi 1. *Joh. V.* 16. *Est peccatum ad mortem*, h. e. quod dignum est *devotione ad mortem*. *Bertram. de politia Jud. c. 2. c. 21.*

R. Gerson excommunicatio ob resignationem literarum.

IX. *R. Gerson* interdixit resignationem literarum sub pœna ternæ illius *excommunicationis*. *Buxtorf. ep. Hebr. p. 59.* In dorso epistolæ subjici solebat hæc abbreviatura, אסור בחרם, h. e. *probitum est per anathema*, τῷ *R. Gerson*, *luminis captivitatis* sc. resignare has literas. Et hæc vocabatur *excommunicatio in secreto nominis tetragrammati*; vide illius formam *cap. de Sadducæis*.

Excommunicatio transiit ad Ecclesiam Christianam, in qua IV. gradus.

X. Hujus censuræ quatuor gradus erant in Ecclesia Græca. *Vid. Justelli notas in cod. Canon. Eccles. univers. ad Canon. 25. Bellarm. de pœnit. lib. 1. cap. 22. & Casaub. Exercit. p.* 552. observant quintum gradum, quem ille *μέσωσιν*, alter *μέθεξιν communicationem* appellat. Verum communiter quatuor sunt. 7

1. Σύστασις.

XI. 1. Σύστασις *assistentia*. Illi hoc gradu puniebantur, quibus sola *mensa Domini* interdicta erat, licebatque intrare templum, audire verbum, cum Ecclesia preces funderе, cum reliquis Christianis adstare & intueri, quomodo aliis Sacramentum daretur, etsi ipsi illius non fierent participes, unde & vocabantur *Stantes*.

2. ὑπόπτωσις.

XII. 2. Ὑπόπτωσις *submissio*. Quod ad hanc pœnam, quidquid de ea lego, hoc est; Qui hac pœna affectus est, admissus est in templum, ipsius tamen locus erat *post suggestum*, *vid. Justell. loc. cit.* & exire debebat cum Catechumenis, h. e. talibus Gentilibus, qui Christianam fidem amplexi, non tamen plene admissi ad Ecclesiam, quoniam nondum erant sacro fonte tincti; & sic, quia cum aliis Christianis indiscriminatim precari non poterant, certus locus post chorum templi, modo cœnobiorum, ipsis assignatus erat, vocabaturque *Catechumenium*. *Hospin. de templ. p.* 88.

XIII. Hunc censeo esse locum pro hoc secundo *excommunicationis* gradu; sic, ut credam [6] vim hujus pœnæ in tribus consistere. 1. Prohibebantur a mensa Domini. 2. Non permissum ipsis erat, adstare administrationi Cœnæ Dominicæ, quod licebat primo gradui. Hocque clare liquet ex eo, quod Catechumeni plerumque dimittebantur, cum administratio fieret; ipsis enim præprimis dicebatur: *Ite, Missa est*. 3. Etiamsi liceret ipsis ὑποπίπτειν, genibus inniti, precarique, unde & nominabantur *Succumbentes*, attamen non permittebantur hoc facere in Ecclesiæ concione, sed tantum in eo post chorum & suggestum loco, Catechumenis destinato; & hac in parte secundus gradus a primo differt.

3. ἀκρόασις.

XIV. 3. Tertius gradus erat ἀκρόασις *auditio*. Is, qui hoc gradu punitus est, non nisi ad cœmeterium admittebatur, ubi Scripturam audire licebat, non autem accedere ad preces, aut ad mensam Domini; unde denominabantur *Audientes*

4. πρόκλαυσις.

XV. 4. Quartus & ultimus gradus, seu species, erat πρόκλαυσις *præfletio*, in quos hoc gradu animadversum est, penitus præcludebantur templo, lacrymis obortis flagitantes ab intrantibus, ut orarent pro se ad Dominum. Unde dicti sunt *plorantes*.

Graduum excommunicationis apud Judæos Antiquitas.

XVI. Quoniam in communi putatur *Cain* primo *excommunicationis* gradu fuisse punitus, quem dicunt *Niddui*, & quod postremus gradus, nimirum *Schammatha* ab *Enocho* institutus sit, ideoque quum inde utriusque antiquitas pateat, non audeo dicere tres *excommunicationis* gradus sumtos esse a tribus impuritatis speciebus, quæ populum præcluserunt tribus castris, etsi proportio quædam inter illorum gradus obtineat. De quibus *P. Fagius in Num. V.* 2.

Convenientia graduum excommunicationis & exclusionum extra castra Dei &c.

XVII. *Niddui* enim potest comparari *exclusioni extra castra Dei*, quæ obvenit contrectatione cadaveris pollutis. *Cherem* potest conferri *præclusioni extra castra Dei & Levitarum*, quibus ejecti, qui immundi erant *profluviis*. *Schammatha* conferri potest *præclusioni extra tria castra*, *castra Dei*, *castra Levitarum*, & *castra Israelis*; hac animadversi illi, quos lepra immundos reddidit. Credibile est Græcas & Latinas Ecclesias a Judæis suos *excommunicationis* gradus mutuatas esse.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

Annot. [1] Prudenter Sapientes Judæorum statuerant, ut malum e cœtu tolleretur, neve impune tolerando latius serperet. Non tamen delinquens prima statim transgressione duriter tractandus erat, verum varii obtinebant gradus: Excommunicationem prævertebat נזיפה *increpatio*, quando Vir sapientia aut dignitate excellens alterum male agentem corripit, cujus est spatio minimum VII. dierum objurgationem sibi factam curæ cordique habere, atque hoc ipsa testari vita. R. Levi Barselonita בתחלת התוכחה ראוי להוכיח בסתר ובלשון רכה ודבר נחת כדי שלא יתבייש ואין ספק שם לא חזר בו בכך שמכלימין החוטה ברבים ומפרסמין חטאו ומחרפין אותו עד שיחזור למוטב *Initium reprehensionis fieri debet clam, lingua molli & verbis placidis, ne in ruborem convertatur. Sine dubio tamen, si hac ratione in regiam non redeat, peccatorem publice confundunt, peccatum ejus παραδειγματίζοντες & exagitantes usque dum ad frugem redierit*. Vide hæc & alia ap. B. Avum in Jure Hebr. p. 321. 322. Illustra hinc Matth. XVIII. 15. 16.

[2] Rectius duo tantum excommunicationis gradus statuuntur. Scil. נידוי Niddui alias dictus שמתה *Schammatah* & חרם. Rationes. 1. Illi ex Judæis, qui jura optime intelligunt, duos tantum memorant. Maim. תלמוד תורה c. VII. 2. Gradum Niddui cum Scham-

Schammata eundem facit, quod ex ſequentibus evidenter patet כיצד הוא הנידוי אומרים פלוני יהיה בשמתא *Quomodo inſtituitur Niddui?* dicunt; *N. eſto in Schammata* excommunicatione. 3. Idem hæc duo, ſi ad originem attendis, notant, nam נדה notat *ſeparare*. Am. VI. 3. idem שמת.

3 Tempus triginta dierum non minuebatur, ſed augebatur Maim. l. cit. מי שישב בנידויו שלשים יום ולא בקש להתירו מנדין אותו שנייה ישב שלשים יום אחרים ולא בקש להתיר מחרימין אותו *Is, qui excommunicatus erat XXX. dies neque ut ſolvatur, rogat, is alios XXX. dies excommunicatus eſto. Si ne tum quidem, anathemati ſubjiciatur.* Sed reſipiſcens veniam conſequebatur. Formula l. cit. talis, ſi excommunicatus præſens שרוי לך או מחול לך *Venia tibi data eſt.* Si abſens: פלוני שרוי לו ומחול לו *N. veniam habeat.*

4 Hæc & plura alia in l. toties citato ut & c. VI. Ex iis pauca excerpo. 1. Viginti quatuor rationes excommunicationis dari v. gr. qui ſapientem vel jam mortuum deſpicit, qui aliquid, quod in verbis ſcribarum, multo magis Lege ſcriptum eſt, vile reputat, qui in tribunalibus Gentium adverſus Iſraelitam teſtatur, unde hic ſumtus facere cogitur, qui excommunicat hominem excommunicationem non merentem. Non expreſſa eſt illa Joh. IX. 22. vel metu, vel quia per ſe clara. 2. Excommunicatos habere poteſtatem intrandi loca ſacra, veluti Templum, quamvis ad alias introitus leges adſtrictus, ac alii. vid. tr. מורה c. II. 2.

5 Gradus חרם priori multum gravior. Ad terrorem omnibus incutiendum inflantur buccinæ promulgantur delicta, devotionibus & execrationibus horrendum in modum ἀποσυνάγωγος ſubjicitur. Ordinaria quidem formula hæc videtur פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נידוי *N. Anathematizatus & maledictus eſto. Invadat illum maledictio & juramentum atque excommunicatur.* Sed expreſſa inſuper alia apud Buxtorfium *Lex Talm.* pag. 828. quæ ſine animi horrore legi nequit. Et ſane in quem imprecationes iſtæ aut ſimiles dicuntur Satanæ traditus vere dici poteſt, & prout 1. Cor. 5. παράδοσις illa εἰς ὄλεθρον σαρκὸς fieri debebat, ita in formula cujus Celeberrimus Lexicographus meminit, legimus, והיו עליו מכות גדולות ונאמנים וחלאים רבים ומשונים *ſint ſuper ipſum plagæ magnæ & fideles, morbi magni & horribiles.* Neque enim illud *tradere Satanæ* de morte exponi poteſt, tum ob 2. Cor. II. 1. 7. tum etiam quia excommunicatus morte puniri non ſolet. Ad ἀποσυναγωγὴν reſpicit Paulus 2. Theſſ. III. 14.

6 Utraque Etymologia incerta: Certa a שמת *excludere a ſocietate humana.* Eadem radix apud Arabes *Anathematizavit, ignominia affecit.*

7 De his gradibus vide, quæ multa eruditione ſcripſit Patruus Joh. Jacobus Hottingerus in illuſtri Tigurinorum Athenæo Profeſſor Theologiæ longe Celeberrimus *in Biga Diſſ. Hiſtor. Theol. de pœnitentia primit. nec non Romanæ Eccleſiæ.* p. 49. &c.

CAPUT TERTIUM.

De Collegio ſeu Conſeſſu Civili, quas perſonas id requiſiverit.

Actiones hominum, quæ in Legem Dei, ſed non in pœnam civilem incurrunt, uti vindicta, rancor.

I. HOMINES multis in rebus poſſunt incurrere in Legem Dei, etſi non in pœnam hominum. *Non ulciſceris, & ſervabis rancorem. Levit. XIX.* 18. Quod Judæi ita exponunt: *Ulciſci eſt negare quidquam petenti, qui antea beneficium negavit alteri. Rancorem ſervare alicui, qui antea detrectavit benefacere, beneficium præſtare cum exprobratione.*

II. Iſtud hoc illuſtrant exemplo: Si *Ruben* dicat *Simeoni*, commoda mihi ſecurim tuam, & is reſpondeat, nolo. Deinde ſi *Simeon* indigeat ſecuri, & dicat *Rubeni*, commoda mihi tuam ſecurim & tum regerat ei *Ruben*, ne expectes a me eam, quam mihi negaſti. Hoc eſt נקימה *ultio*. Rurſus, ſi *Ruben* dicat *Simeoni*; commoda mihi tuam ſecurim, & is referat, nolo; ac deinde, ubi *Simeon* mutuari velit ſecurim a *Rubene*, qui reprimat; en accipe; non agam tecum, quemadmodum tu mecum. Hoc eſt נטירה *rancoris ſervatio*. Uterque hic impingit in Legem Dei, etſi non in plagam hominum.

Perſonæ Judiciorum civilium.

III. In cunctis *judiciis civilibus* quinque perſonæ ſunt. 1. *Judices* 2. *Officiales* ſeu πράκτορες. 3. *Advocati*. 4. *Scribæ*. 5. *Teſtes*.

Caput Sanhedrin.

IV. In *ſupremo judicio*, ſeu *Sanhedrin*, erat quis caput omnium *Judicum* reliquorum, Hebr. נשיא, Græce ἄρχων *Princeps*.

Teſtium numerus & pœna ſi falſi.

Scribarum numerus conſeſſus officium.

V. *Teſtium* ad minimum duo erant [1] Deut. XIX. 15. Si fuerunt falſi, *talione* repercuſſi ſunt, h. e. eadem pœna, [2] quam machinati erant in fratrem, *Deut.* XIX. 19. *Scribarum*, ſeu *Notariorum* duo erant, alter ſtabat ad dextram, ut ſcriberet ſententiam liberationis & quod dicebatur in defenſionem partis; alter ſtabat a ſiniſtra, ut exciperet ſententiam condemnationis & partium accuſationes. [3] *Moſ. Kotſ. in Sanhed.* Putat *Druſius præter. Matth. XXV.* Chriſtum loquentem de *ultimo judicio*, huc reſpexiſſe: *ſtatuet oves ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, hædos autem ἐξ εὐωνύμων*, Matth. XXV. 33.

Officialium officia.

VI. *Officiales* ſemper erant præſentes, ut exequerentur ſententias *Judicum*: quapropter virgas & lora hinc illinc ferebant, [4] quemadmodum Conſulibus Romanis virgarum faſces cum ſecuribus præferebantur, ad promptiorem juſtitiæ executionem. *Moſ. Kotſ. in Sanh.* Hebræis vocantur שוטרים, τοῖς LXX. ſubinde Γραμματεῖς, Belgis Gerechts-Dienaren, Luth. Stockmeiſter, *Lucæ* πράκτορας *Cap. XII.* 58. *Quum vadis cum adverſario tuo ἐπ᾽ ἄρχοντα ad ſupremum magiſtratus caput, in via da operam, ut libereris ab eo, ne forte pertrahat te ad Judicem & Judex* שפט *tradat te τῷ πράκτορι τῷ* שוטר *Officiali* ſeu *Moderatori, & Officialis coniiciat in cuſtodiam.*

Ut & Advocatorum.

VII. *Advocatus* dicebatur בעל ריב *Dominus* [5] *litis*. Stabat a dextra partis in jus vocatæ, ubi aut pro ea aut contra eam verba faciebat. *Stabit Dominus ad dextram egeni, ad salvandum a damnantibus animam ejus. Ps. CIX.* 31. h. e. Dominus tuebitur causam ejus. Et *Satanas stetit ad dextram Josuæ. Zach. III.* 1. h. e. ad ipsum accusandum, aut causam ipsius disjiciendam. Quando *Johannes* ait 1. *Joh.* II. 1. *Si quis peccaverit, habemus Paracletum*: tum alludit ad hunc בעל ריב seu *Advocatum*.

Judicum Sententias ferendi modus.

VIII. *Judices* inquirebant decernebantque & inquisitione facta, sententia de causis per *Judicem* hoc modo ferebatur: *Tu N. Innocens es. Tu N. obligaris. Tu Simeon justus es, Tu Ruben reus.* [6] Qua sententia lata, reus ad locum executionis tractus est. *Quum judicabitur, exeat condemnatus Psal. CIX.* 7. Hebr. יצא רשע *exeat improbus.*

Alius apud Judæos alius apud Romanos.

IX. Modus personarum sententiam ferentium in plurimis terris discrepat. Judæi absolvebant homines & condemnabant simplici sententiæ prolatione. Romani sententiam suam ferebant tabellis, quas in urnam immittebant, aut cistulam, huic rei paratam. Si quem absolvebant, tabellæ isti inscripsere literam A, quæ est prima litera in voce *Absolvo*; si quem condemnabant, miserunt in urnam literam C, in tabella exaratam, quæ est prima litera vocis *Condemno*; si autem res gravior esset, quam ut sententia ferri posset, tum injecerunt alias tabellas notatas literis N. L. significantibus *Non liquet* [7] *Rosin. Antiq. Rom. I. 9. Cap.* 24. Itidem Græci utebantur tribus in judiciis literis; Θ nota erat ac symbolum *damnationis*, unde *Persius Sat.* 4. *vers.* 13.

Alius denique apud Græcos.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

T, symbolum erat *absolutionis* [8] A, *ampliationis* seu *dilationis.*

Sententiæ condemnationis atro, sed absolutionis candido dabatur lapillo.

X. Alii annotant condemnationis sententiam latam dando *lapillum atrum* & *absolutionis* dando *lapillum candidum*; *Ovid. Met.* 15.

Mos erat antiquis niveis, atrisque lapillis,
Hos damnare reos, illos absolvere culpa.

Huc videtur allusum esse *Apocal.* II. 17. *qui vicerit, dabo ei* ψῆφον λευκὴν *calculum album*, h. e. absolvam ipsum & sententiam pro ipso feram die judicii.

Phrases judiciales.

VI. Nota hos tres loquendi modos; στῆναι εἰς κρίσιν *surgere ad judicium*, ἀναστῆναι ἐν κρίσει *surgere in judicio*, & καταδεδικασμένος ἐξελθεῖν *exire condemnatum*. Primus modus loquendi tribuitur *Judici* judicium habenti. *Quum surgit Deus ad judicium Ps. LXXVI.* 10. h. e. ad exercendum judicium. Secundus tribuitur ei, *qui in judicio causa vincit. Viri Ninivitæ*, ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει *surgent in judicio cum hac ætate, Matth. XII.* 41. h. e. justiores declarabuntur hac generatione: Tertius tribuitur *condemnato Ps. CIX.* 7. *Exeat condemnatus*, seu improbus. *Non stabunt improbi in judicio Psalm. I.* 5. Similis loquendi mos usitatus fuit Romanis; *stare in Senatu*, *causa cadere*. Puto tamen hunc Romanum loquendi morem sumtum esse ab ipsorum Gymnasiis, ubi positura corporis, qua quis parabat se defendere & digladiari cum adversario, vocabatur *Status*, aut *Gradus*; *ut cedere de Statu, Gradum vel Statum servare*. Et sic a *Gymnasiis* ad *Judicia* hæ dictiones traductæ sunt.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

Annot. [1] Tot ordinario requiri testes scripta Judæorum passim memorant. Adferam exemplum, quod simul modum examinandi docet. Mischna tract. סנהדרין c. III. 6. כיצד בודקין את העדים היו מכניסין אותן ומאיימין עליהן ומוציאין את כל האדם לחוץ ומשיירין את הגדול שבהן ואומרין לו אמור היאך אתה יודע שזה חייב לזה אם אמר הוא אמר לי שאני חייב לו איש פלוני אמר לי שהוא חייב לו לא אמר כלום עד שיאמר בפנינו הודה שהוא חייב לו מאתים זוז ואחר כך ומכניסין את השני ובודקים אותו אם נמצאו דבריהן מכוונין נושאים ונותנים בדבר Coccejo interprete. *Quomodo examinantur testes? Intro vocatis terrorem incutiunt; deinde, exactis omnibus, reliquum faciunt maximum natu testium & ita dicunt illi*. Cedo, qui nosti, hunc illi debere, *si responderit*. Ipse mihi dixit: Ego isti debeo, *aut* alius id mihi recitavit: nihil testatus est *usque eo dum dicat*. Nobis præsentibus fassus est adversario suo se ipsi debere ducentas drachmas. *Postea alterum testem intro vocatum examinant. Si horum effata consentire comperiantur, deliberant de causa*. Si vero unus aliquis adversus proximum testatur in re, cujus gratia ab accusato juramentum exigi nequit, ille loris cædendus. Unicus tamen testis ἀξιόπιστος in rebus, propter quas alioquin testimonium divinum miraculo invocandum esset, sufficit, de quo ipsa scriptura ita sentire videtur. Num. V. 13. vid. Raschius ad h. l. Alia ad testes eorumque testimonia ex cit. tract. c. III. IV. & V. desumi queunt.

[2] Si falso testi talione pœna condigna non infligitur, tum illa prudentia Judicum in aliam commutanda Tr. מכות c. I. 1. כיצד העדים נעשים זוממים מעידין אנו באיש פלוני שהוא בן גרושה או בן חלוצה אין אומרין יעשה זה בן גרושה או בן חלוצה תחתיו אלא לוקה ארבעים מעידין אנו באיש פלוני שהוא חייב לגלות אין אומרין יגלה זה תחתיו אלא לוקח ם׳ Ex Coccejana Interpretatione. *Quomodo testes pro falsariis puniuntur?* si dicunt; Testamur adversus N. quod sit filius expulsæ, aut filius ejus matris, cui calceus traditus sit; non *statuunt* Judices, ut *ille vel ille pro tali habeatur vice alterius*, de quo testati erant falso, *sed infligunt ipsi XL. plagas*. Si sic: Testamur de isto, quod exsilii pœnam demeritus sit: *non jubent* testem ipsum *exsulare, sed is XL. plagis cæditur*.

[3] Scribarum erat vota absolventium & condemnantium accurate in libris suis notare, quo Judices, si quid oblivioni traditum fuerit, cuncta bene notata rescire possent. אם טעו בדבר שני סופרי הדיינין מזכירין אותם *Si qua in re errent, duo Scribæ illis in memoriam revocant*; Mischna tract. cit. c. V. 5. Huc allusio in phrasi *liber vitæ*, præprimis Apoc. XX. 12. 13. Dan. VII. 10. Deus non ex libris fideles vel absolvet vel infideles damnabit: Ipse tanquam Omniscius illis minime

nime indiget. Verum ut constet judicium fore secundum ἀλήθειαν, phrases adhibentur a Judicio ἀκριβεστάτῳ desumtæ. Sunt plura alia, quæ convenientiam inter judicium divinum & humanum pandunt.

4 Officiales, qui modo שטרים *a circumferendis literis contractus*, modo שמשי בית דין *ministri consessuum Judicialium* &c. vocantur, a Maimonide his describuntur verbis שטרים בעלי מקל ורצועה והם עומדין לפני הדיינים המסבבים בשוקים וברחובות ועל החניות לתקן השערים והמדות ולהכות כל מעוות וכל מעשיהם על פי הדיינים וכל שיראו בו ערוה דבר מביאין אותו לב״ד *Lictores manibus tenent baculos atque lora; stant in conspectu Judicum, discurrunt quoque per fora & plateas, adeunt tabernas ad ordinanda pretia, mensuras, verberant perverse agentes: Omne autem, quod agunt, ex sententia Synedrii agunt: Mala, quæ vident, proferunt in Senatum.* in הלכות סנהדרין c. I. init.

5 Aliquando סניגור, uti in noto illo dicto *Væ illi, cujus* אוי לזה שנעשה סניגורו קטיגורו *Sanigor factus est Kattigor*. Esse vocabula origine Græca συνήγορος & κατήγορος nulla probatione indigere puto, quamvis in eorum explicatione valde Judæi cœcutiant. Huc quoque referendum פרקליט, quod est Græcorum παράκλητος v. Joh. II. 2.

6 Judicibus incumbebat ut controversias rite cognoscerent, præprimis sibi caverent, ne quemquam impune condemnarent Tract. סנהדרין c. V. 5. אם מצאו לו זכות פטרוהו ואם לאו מעבירין דינו למחר מזדווגין זוגות זוגות וממעטי׳ במאכל ולא היו שותין יין כל היום ונושאין ונותנין בדבר כל הלילה ולמחרת משכימין ובאין לבית דין המזכה אומר אני מזכה ומזכה אני במקומי והמחייב אומר אני מחייב ומחייב אני במקומי *Comperto innocentem esse, absolvunt: Sin judicium ejus in crastinum differunt, binique conveniunt atque diminuto cibo, vino non gustato toto die inter se de causa conferunt; postridie matutino curiam adeunt, tum is, qui absolvit, sic ait;* Ego absolvo & in ea sententia persevero; *qui condemnat.* Ego condemno & in ea sententia persevero. Mox additur: *Qui condemnaverat, ei licet absolvere: at qui absolverat, ei non est licitum mutata sententia pœnæ reum adjudicare*, ex Ordinaria h. tr. versione.

7 Eadem formula apud Hebræos איני יודע *Non liquet* l. cit.

8 Sunt qui huc referunt Ezech. IX. 4. *& signabis* תו qs. litera ת intelligerentur. Sed תו *signum* quodvis notat, unde תוה *signare*. Potius respectus est ad morem, quo in Oriente servos suos certo aliquo signo notabant & ab aliis distinguebant. Conf. Apoc. VII. 3.

CAPUT QUARTUM.

De Numero Curiarum Civilium.

I. JUdiciorum civilium duo erant: סנהדרין גדולה συνέδριον seu *Collegium magnum*, aut *Senatus supremus*; & סנהדרין קטנה *Judicium* seu *Collegium minus*. Sic in genere apud Rabbinos ipsa distincta reperio. Et quamvis *Collegium* posterius insuper fuerit partitum, ut liquebit inferius, attamen antiquis ætatibus solummodo duo priora erant.

Judicia civilia, majus & minus.

II. Istam divisionem videtur noster Salvator Christus secutus, appellans *judicium minus*, κρίσιν *judicium*: & *majus* συνέδριον seu *consessum majorem*. *Quicunque irascitur fratri suo temere*, ἔνοχος ἔσαι τῇ κρίσει *obnoxius erit judicio. Quicunque vero dixerit fratri suo Raca, obnoxius erit Synedrio seu Collegio supremo; quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio Matth. V.*

Huc allusio Matth V.

III. In quibus verbis, quemadmodum est peccati gradualis adscensio; 1. Est *ira*, passio animi. 2. *Raca*, [1] quod non grandis alicujus est sermo convitii, sed magis e contemtu natum, & neglectu dicentis. *Chrysost. in hom. 16. in Matth.* III. *Fatue*, convitiosum nomen; sic sunt adscendentes pœnæ gradus. 1. Κρίσις & *judicium minus*. 2. *Senatus supremus*, & *judicium majus*. 3. *Ignis gehennæ*.

IV. *Gehenna* fuit vallis horrenda duobus ignibus. 1. In ea Idololatræ sua pignora *Molocho* comburebant viva. 2. In ea perpetuus ignis lucebat ad comburenda cadavera & sordes Hierosolymarum. *Dav. Kimchi*, *Ps. XXVII.* 13. Hæc vallis typus fuit ignis infernalis, partim ob horrendum primi ignis modum, & partim ob contemtum loci, respectu secundi ignis. Possumus illum textum ita explicare; *ira* obnoxia est pœnæ minoris judicii, *Raca*, majoris, & τὸ *fatue*, obnoxium est pœnæ omnium judiciorum, imo ipsius ignis Gehennæ.

Gehenna quid?

Typus ignis infernalis.

V. Magnus Senatus ille κατ' ἐξοχὴν vocatur *Sanhedrin*, quod vocabulum derivatur a Græco συνέδριον *consessus judicii*; vocatur etiam בית דין *Dicasterium*, *Curia*, & distinguitur ab aliis judiciis. 1. Ratione *numeri Judicum*, quorum in eo LXXI. erant juxta Dei mandatum & primam Mosis institutionem. [2] *Mos. Kots. fol. 186. col. 2. Num. XI. 16. Congrega mihi LXX. viros e Senioribus Israelis, quos nosti esse Seniores populi,* ושטריו *ipsiusque moderatores, & assumes eos ad tentorium conventus, & sistent se ibi tecum.* Ex ultimis hujus textus verbis deprehenduntur LXX. præter Mosen, eoque mortuo, semper in ipsius locum elegerunt *Judicem supremum*, quem vocabant *Nasi Principem*, seu *Caput Judicum*, non accensentes ipsum τοῖς LXX.

Differentia Synedrii M. a minori I. Ratione numeri Judicum, quorum numerus sc. LXXI.

VI. Hi septuaginta creduntur electi esse, seni ex quavis tribu; excepta tribu Levi, quæ quatuor modo dederit *Jun. Analyt. expos. Num. XI.* Alii putant, modum electionis ipsorum sic se habuisse: seni ex quavis tribu sua nomina inscripserant schedulis seu pittaciis. Septuaginta harum schedularum inscriptæ erant voce זקן *senior* &

Electio tempore Mosis.

duæ

duæ reliquæ voce חלק *pars*. [3] His pittaciis ſeu ſchedulis in urnam conjectis, ſi quis extraxit pittacium tale, notatum nomine *Senior*, is relatus inter *Judices* eſt. Qui reliqua pittacia ſeu ſchedulas ſortiebantur, quibus inſcriptum erat חלק rejiciebantur. *Num. XI.* 26. Graviſſimus ætate horum ſeptuaginta vocabatur אב בית דין *Pater dicaſterii*.

Modus conſidendi.

VII. Totus *Judicum* Senatus ſedebat in ſemicirculo, Principe *Naſi* in medio conſtituto ſuperiori loco, cæteris circumſidentibus, hac forma, ut אב בית דין *Pater dicaſterii* eſſet proximus a dextris τοῦ *Naſi*. *Moſ. Kots. fol.* 186. *col.* 2. [4]

Collegium minus vel cXXIII.

VIII. *Collegium minus* diviſum erat in duas ſpecies; altera conſtabat *Senatoribus* XXIII. & ejuſmodi duo erant *Collegia* Hieroſolymæ, unum *ad portam atrii templi*, & alterum *ad montem templi*. In cunctis quoque civitatibus Iſraelis, quas incolebant centum & viginti patres familias, hujuſmodi *Collegium* virorum XXIII. jus dicebat. [5]

vel III. conſtabat.

Altera ſpecis *minoris Collegii* ſeu *Judicii* conſiſtebat *Triumviratu*; [6] idque erigebatur in minoribus oppidis, quæ non habitabantur 120. familiis.

II. ratione loci.

IX. 2. Secunda differentia inter *Collegium majus & minus* eſt reſpectu *loci*. *Septuaginta viri* tantummodo conſidebant *Hieroſolymæ intra atrium templi* [7] in cœnaculo, quod vocant לשכת הגזית *conclave caſuræ*, [8] propter *cæſos lapides*, quibus ſtructum erat. *Moſ. Kots. ibid.* Græcis tale conclave dicitur λιθόστρωτον *pavimentum; Pilatus ſedit pro tribunali in loco, qui dicitur* λιθόστρωτον *Joh. XIX.* 13. Cætera *Collegia* ſeu *Judicia* omnia conſidebant *ſub portis urbium;* Hinc quia portæ ſunt propugnacula urbium, Judiceſque ſub iis judicium exercebant, dicitur, quod *portæ inferni non ſint prævalituræ Eccleſiæ*, hoc eſt nec vis, nec aſtutia Satanæ, *Matth. XVI.* 18.

III. Ratione poteſtatis & Autoritatis.

X. Tandem 3. differunt ratione *poteſtatis autoritatiſque: Collegium virorum LXX.* accipiebat *appellationes a Judiciis minoribus*, ſed ab eo ad *majus Judicium* provocari non poterat. *Deut. XVII.* 8. Rurſus *Collegium Triumvirorum* non dijudicabat *criminalia* ſeu דיני נפשות *Judicia capitalia*, ſed tantummodo דיני ממונות *Judicia* ſeu *pœnas mulctatitias & pecuniarias*, cauſaſque minores, ut *flagellationem* &c. *Collegium* autem ſeu *Senatus* XXIII. virorum, conſtituebat de *capitalibus*, reſtricta tamen poteſtate; non enim *tota tribus*, *Sacerdos ſummus*, *& Pſeudoprophetæ*, aut aliæ ejuſmodi momentoſæ res, apud illos poſtulari judicarive poterant. [9] Hæc tantum ad *Senatum* τῶν LXX. pertinebant. Huc illud ſpectat: *Jeruſalem*, *Jeruſalem*, *quæ occidis Prophetas. Luc. XIII.* 34. *Cunæus de Rep. Hebr. cap.* XII. *lib.* I.

Medium Pſeudoprophetam tentandi.

XI. Medium, quo tentabant *Pſeudoprophetam*, hoc erat; notabant *judicia*, quæ ille minabatur, & bonum, quod prædicebat; ſi illa non irruerent, non arguebatur *Pſeudoprophetiæ*, quum Deus eſſet longanimus & miſericors, uti patet in exemplo *Hiskiæ*, & populus ſe forte converteret, quemadmodum *Ninivitæ*; verum ſi hoc, quod prædixit, non evenerit, arguebatur *Pſeudoprophetiæ*. Fundamentum ſuæ tentationis aut probationis petunt e verbis *Jer. cap. XXVIII. 9. Propheta, qui prophetabit pacem, eveniente verbo hujus Prophetæ, cognoſcetur ille Propheta eſſe, quem miſit Jehova revera*.

Quando & quamdiu Synedriũ M. exſtiterit.

XII. *Senatus iſte virorum* LXX. non tantum jus dixit ſub *Regibus* & *Judicibus*, *P. Galat. l.* 4. *c.* 5. ſed autoritas ipſorum viguit quoque in interregnis, cum nullus *Rex* aut *Judex* Iſraelem regeret, propagataque eſt, uſquedum eam Herodes tolleret, ut ſuam tyrannidem ſtabiliret. *Joſeph. Antiq. l.* 14. *c.* 17. [10]

Obj.

XIII. Hic obiici poſſet, tempore Samuelis aut hæcce dicta *judiciorum Collegia* non fuiſſe, aut ipſorum privilegium & autoritatem valde fuiſſe conciſam, *cum de anno in annum Samuel abiret Bethelem*, *Gilgalem*, *& Mizpam*, *& judicaret Iſraelem in omnibus iſtis locis*. 1. *Sam.* VII. 16.

Solv.

Ad quod reſponderi debere autumo; quod quemadmodum *Imperatores* Romani poteſtatem habebant circumequitandi, judiciaque exercendi, quod fiebat ſine ulla Senatus privilegiorum læſione; ſic *Regibus* & *Judicibus* Iſraelis par licentia fuerit, illæſa ſuarum *Curiarum* autoritate. Hæc ſpecies *Judiciorum* per *Collegia* ſeu *Senatus* vocabatur a Romanis βουλὴ κυρία *Senatus legitimus* ſeu *ſtatus*, altera βουλὴ σύγκλητος *Senatus indictus*.

NOTE AD CAPUT QUARTUM.

Annot. [1] Eſſe convitium vulgare Judæis nemo, ut puto, tam prolixe probavit ac Ligtfootus Op. T. II. 286. Ex quo teſtimonium. Tanchum fol. XVIII. c. 4. *Dixit Ethnicus Iſraelitæ: Paratum tibi apud me eſt eſculentum appoſitiſſimum. Quale nam illud? inquit alter. Cui ille, Caro ſuilla. RAKA (inquit Judæus) de beſtiis etiam mundis apud vos non comedendum &c.*

2 Hæc eſt vulgo recepta Judæorum de numero membrorum Synedrii ſententia, uti ipſe textus Miſchnicus tractatus סנהדרין caput 1. 16. סנהדרין גדולה היתה של שבעי' ואחד וקטנה של עשרי' ושלשה ומנין לגדולה שהיא שם שבעים ואחד שנ' אספה לי שבעים איש מזקני ישראל ומשה על גביהן הרי שבעים ואחד *Synedrium Magnum uno & ſeptuaginta Judicibus conſtabat, ſed minus tribus & viginti. Un-*

ti. Unde autem constat Lxxi. Judices ad Synedrium M. pertinuisse? Ex eo, quod dicitur Num. XI. 16. Congrega mihi Lxx. viros ex Senioribus Israel. *His Moses præfectus erat: Hac ratione habes prædictos Lxxi.* Vide glossam Bartenorianam.

3 Gravissime hallucinatur hic Auctor noster, vertens חלק *portio*, quum vertendum esset *glabrum*, cui nihil insculptum, prout nexus evidentissime ostendit. Rem integram dabo בשעה שאמר לו הקדוש ברוך הוא למשה אספה לי שבעים איש מזקני ישראל אמר משה כיצד אעשה אברור ששה מכל שבט ושבט נמצאו שנים יתירים אברור חמשה חמשה מכל שבט ושבט נמצאו עשרה חסרים אברור ששה משבט זה וחמשה משבט זה הריני מטיל קנאה בין השבטים מה עשה בירר ששה ששה והביא שבעים ושנים פיתקין על שבעים כתב זקן ושנים הניח חלק בללן ונתנן בקלפי אמר להם בואו וטלו פיתקיכם כל מי שעלה בידו זקן אמר כבר קידשך שמים מי שעלה בידו חלק אמר המקום לא חפץ בך אני מה אעשה לך *Illo tempore, quo Deus εὐλογητὸς Mosi præcepit*, congrega mihi Lxx viros ex Israele, *hic apud se dixit: Quid mihi faciundum? Si ex qualibet tribu sex elegero, tum duo redundabunt: si ex qualibet tribu quinque, deficient* 10. *Si sex ex hac tribu, quinque vero ex illa, tum invidiam inter tribus concitabo. Quam ergo viam ingressus est? Selegit ex singulis tribubus viros sex, & sumsit schedulas Lxxii. Lxx. inscripsit nomen* זקן *Senior, sed duas glabras reliquit* (sive duabus nihil inscripsit) *Tum commiscuit atque indidit urnæ sortitoriæ dixitque ad illos, venite atque extrahite schedulas vestras. Ad illos, qui schedulas nomen* זקן *Senior habentes extraxerunt, Moses dixerat. Deus jampridem te sanctificavit. Ad illos vero, cui obtigerunt glabræ, Deus te non vult. Quid ego faciam?* tr. cit. c. 1. f. 17. 1.

4 Uti proximus a dextra *Pater domus Judicii*, ita a sinistra חכם *sapiens* in legibus Judaicis versatissimus. Non eadem his tribus dignitas, maxima Principis, minor Patris domus Judicii, minima sapientis: Hujus tamen major dignitate reliquorum Synedrii membrorum.

5 Ratio hujus numeri datur quidem tract. סנהדרין c. I. 6. sed inepta est. Cxx familiæ ita ad c. I. in glossa Bartenoriana numerantur. עשרים ושלשה סנהדרי קטנה וג׳ שורות של כ״ג כ״ג יושבים לפניהם שאם הוצרכו להוסיף על הדיינים מוסיפים מהם ועשרה בטלנים עשרה בני אדם בטלנים מכל מלאכה שיושבים תמיד בבית המדרש ושני סופרים לכתוב דברי המזכין ודברי המחייבין ושני חזנים שמשי בית דין להלקות החייב ולהזמין בעלי הדין ושני בעלי דינין ושני עדים ושני זוממין ושני זוממי זוממין וכ׳ גבאים ושלישי לחלוק הצדק שצדקה נגבית בשנים ומתחלק בג׳ ורופא ואומן להקיז דם ולבלר ומלמד תינוקות הרי ק״ך *XXIII. Senatum minorem faciunt: Præterea tres alii ordines in conspectu illorum sedentes quorum unusquisque ex XXIII, constat, requiruntur, ex his enim, quando necesse est Judicibus alii adduntur: Insuper decem otiosi, qui ab omni opere feriantur & jugiter in schola sedent. Dein duo scribæ, quorum unus vota absolventium, condemnantium alter excipit. Nec non duo Senatus Ministri ad reos flagellandum atque litigantibus tempus indicandum. Etiam duo litigantes: Testes duo: Falsarii duo & alii duo falsariorum falsarii. Duo quoque exactores Eleemosynarum:* Tertius accedit, quando collectas distribuunt; Nam collectio a duobus fieri potest, sed distributio a tribus: Medicus: Scriba: Pædagogus. Hi faciunt Cxx.

6 Quia enim Judices numero impares ex sententia Judæorum constituendi sunt (ut scil. res in hanc aut illam partem decidi queat) consessum infra tres dari negant: hinc tract. סנהדרין mox ab initio ad causas leviores tres denominantur דיני ממונות בשלשה גזלות וחבלות בשלשה *Judicia pecuniaria a tribus: de rapinis & læsione a tribus* &c.

7 Locum Synedrii quod attinet, de illo absolute dici nequit Lxx. viros tantummodo Hierosolymæ intra atrium Templi consedisse, sed rectius ibi, ubi cultus divinus exercebatur, ut ita judices Deum jugiter ob oculos habeant atque ex reverentia erga illum vere judicent: quia ibi plurimi ex Gente convenire solebant, supremæ curiæ convenientior locus vix constitui potuisset. Ita quoque quia in Synedrio de Sacerdotibus eorumque ortu & integritate, de Propheta cognoscebatur. Primitus Synedrium M. sequebatur Tabernaculum Num. XI. 24. Deut. XVII. 8. Quando autem ejus usus cessabat, conjunctum illud erat Templo & urbi Hierosolymitanæ. 2. Cron. XIX. 8.

8 לשכת הגזית λιθόστρωτον sive conclave ex politis lapidibus constans conf. Am. V. 11. 1. Reg. VII. 9. Situm hoc erat in portione Judæ סנהדרין בחלקי היהודה *Synedrium in portione Judæ*. Talm. Babyl. tr. זבחים c. V. f. 54. (hinc מחקק Judæ assignatur Gen. XLIX. 10.) pars ejus in atrio, altera in loco communi, unde hæc proprie Senatoribus consessum dabat, non illa. Num vero ad latus Templi meridionale an septentrionale collocatum fuerit, ob codicum Mischnicorum variam lectionem tract. מדות cap. V. 3. certo asseri nequit, licet prius cum positu terræ Judaicæ magis conveniat Maim. בתחלת כשנבנה בית המקדש היו ב״ד הגדול יושבין בלשכת הגזית שהיתה בעזרת ישראל *Quando primum Templum extruebatur, locus Synhhedrii M. erat in conclavi Gazith stante in atrio Israelis*. Sub Templo secundo idem manebat locus, si exceperis, quæ *Talm. Babyl. Tr. Sanh.* c. V. f. 41. ארבעים שנה קודם חורבן הבית גלתה סנהדרי *Quadraginta annis ante Templum vastatum recessit Synedrium* e loco suo: conf. Maimon. in tract. c. XIV. fin. Hoc autem tempus incidit in annum Christi trigesimum, quo ipse munus suum auspicabatur. Tum enim, quando Schiloch venerat, ablato jam dudum sceptro, recedere quoque debebat מחקק potestas Synedrii. Ex quo autem semel locum suum reliquit, incertis sedibus vagabatur, donec tandem penitus expiravit. Talm. Babyl. ראש השנה c. IV. מלשכת הגזית לחנות ומחנות לירושלים ומירושלים ליבנה ומיבנה לאושא ומאושא לשפרעם ומשפרעם לבית שערים ומבית שערים לצפרי ומצפרי לטבריא Synedrium M. postquam discesserat *e conclavi Gazith* venit *in tabernas* (montis Templi) *e tabernis Hierosolymam; Ex Hierosolyma in Japhne: Ex Japhne in Uscham, ex Uscha in Schepharam, hinc in Bethscharim, inde in Tzipporim, & hinc in Tiberiadem.* Quando Salvator noster ad mortem condemnabatur, Synhedrium in urbe Hierosolymitana conveniebat.

9 Quæ ad probandam hanc thesin aut illustrandam pertinent, peti possunt ex Tract. סנהדרין c. l.

10 Videtur ergo Auctor noster ad illorum accedere sententiam, qui Synedrium, ex quo a Mose institutum erat, etiam sequenti tempore durasse affirmant: Nec sine ratione. 1. Quæ enim ratio Synedrii instituendi vivo Mose, ea imo major ejus conservandi tempore posteriori. Judices non minus Seniorum consilio ac auxilio indigebant, ac fidelis ille Minister, qui Deo familiariter utebatur. 2. 2. Chron. XIX. 8. Josaphatus impietate antecessorum & regni divisione collapsam regiminis formam ad Mosaicam restituit, uno forsan aut altero haud imprudenter immutato. 3. Jer. XXVI. 10. 4. Ezech. VIII. 11. Ad h. l. R. D. Kimchius ע׳ סנהדרין להראותו מה שנתן להם האל התחלה שיהיו עליהם שבעים זקנים להורותם הדרך הטובה הם היו מתעים אותם כמו שאמר ישעיהו עמי מאשריך מתעים *Intelligitur Synedrium* Lxx. *virale: Ita docetur Deum primitus dedisse septuaginta seniores, qui monstrarent viam bonam, sed illi alios potius seduxerunt* Q. D. *Jesaias* Jes. III. 12. o popule mi, qui te ducunt, te seducunt. Et quamvis Herodes in membra Synhedrii crudelissime sævierit, non tamen Synedrium penitus sustulit, uti Historia Evangelica, Apostolica, Judaica sufficienter probat.

CA-

CAPUT QUINTUM.

De qualitatibus, quæ requirebantur a Judicibus, & modo electionis.

Judicum qualitaaes ex Lege Dei.

I. LEx Dei has requirit in *Judicibus* qualitates. 1. *Sapientiam*. 2. *Prudentiam*. 3. *Justitiam*. *Deut. I.* 13. Alias insuper *Exod. XVIII.* 21. nimirum, 4. *Fortitudinem*. 5. *Timorem Domini*. 6. *Amorem veritatis*. 7. *Odium avaritiæ*. [1] Quibus addere possumus 8. Ἀπροσωποληψίαν. *Deuter. I.* 17. Has duas postremas qualitates præprimis Gentes in suis *Judicibus* requisiverunt; hinc *Thebani* pingunt *Justitiam* absque manibus & oculis, ut doceant, iniquum esse *Judici*, *accipere dona*, *aut personam*, *Plut. de Iside*.

Ex lege humana.

II. Judæi plures addunt. 1. *Ut sint sine ullo corporis vitio*. 2. *Ut calleant septuaginta linguas, ne opus sit per Interpretem audire*. [3] 3. *Ne sint vetuli, & marceant senecta*, [4] quæ qualitas itidem apud Romanos requisita fuit a *Judicibus*, unde illud proverbialiter dictum: *Sexagenarius de ponte*. Vid. *Erasm. Adag.* 4. *Ne sint eunuchi*, quum tales ament esse immites. 5. *Ut sint patres liberorum*, quibus putant plus misericordiæ inesse: 6. *Ne sint magiæ rudes*, quum sine ea nesciant judicare Magos. *Mos. Kots. in Sanh.*

Modus informandi in cognoscendis causis.

III. Ut essent semper idonei viri, qui surrogari mortuis *Judicibus* possent, erant præterea tria subsellia inferiorum, quos vocabant תלמידי חכמים *discipulos sapientum*. [5] *Mos. Kots. ibid.* Ex his eligebant, si quis deficeret, & duo ex his comitabantur condemnatum capitis, ad executionis locum.

Ritus initiandi judices per χειροθεσίαν.

IV. Ritus *initiandi Judices* duplex fuit. *Initiatio* 1. facta est ἐπιθέσει τῶν χειρῶν *impositione manuum*, juxta exemplum Mosis, manus imponentis Josuæ. Hæc *impositio manuum* non putatur fuisse licita nisi præsentibus *quinque* aut *tribus Judicibus*. *Petr. Galat. lib.* 4. *cap.* 5. 2. Postea ea fiebat recitatione certi versiculi: הנה אתה סמוך ויש לך רשות לדין אפילו דיני קנסות *Ecce tu associatus, & est tibi facultas judicandi etiam pœnas mulctatitias*. *Maim. in Sanh. c.* 4. Hinc illud *Galatini ex* Talmude: *Institutio Judicum aut manu fiebat, aut nomine tantum*.

Quis סמוך dicatur?

V. Hic nota quod סמוך. quod verti *associatus*, non semper notet hominem ad puplicum munus *manuum impositione initiatum*, nam hic tribuitur tali, qui non consecratus est *impositione manuum*.

Quare סמיכה manuum impositio?

VI. Ratio autem cur סמיכות & סמיכה ab omnibus Interpretibus in genere tam Judæis, quam Christianis exponantur *impositiones manuum*, hæc est; quia hæc assumtionis species vetustis temporibus duobus tantum hominum generibus adhibebatur in electionibus ipsorum, nimirum *Rabbinis* & *Judicibus*, nunquam autem sine ceremonia *impositionis manuum*; hinc factum est, ut duæ istæ voces expositæ sint *impositiones manuum*, etiamsi proprie nihil aliud significent, quam *sociationem*, *vicinitatem*, & *conjunctionem alicujus ad collegium seu societatem*, *cujus ille*, *qui sociationem facit*, *admittitque membrum est*.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

Annot. [1] Qualitates, quæ §. 1. recensentur, ejus naturæ sunt, ut omnibus Judicibus inesse debeant. Maim. tr. סנהדרין c. II. בית דין של שלשה אף על פי שאין מוקדקין בהן בכל אלו הדברים צריך שיהא בכל אחד בהן שבעה דברים ואלו הן חכמה וענוה ויראה ושנאת ממון ואהבת האמת ואהבת הבריות להם ובעלי שם טוב *Quod triumviros attinet, ab illis omnes recensitas qualitates* (quales ab Auctore nostro statim infra §. 2. memorantur) *non adeo accurate postulant. Tenentur tamen omnes instructi esse septem sequentibus, scil. sapientia, mansuetudine, timore, odio pecuniæ, amore veritatis & hominum, bona fama*: De quibus in Lege agi Doctissimus Magister prolixius observat.

[2] Idem Doctor ait Judices requiri בעלי קומה בעלי מראה *probæ staturæ & formæ*, nam externa multum venerationis Judicibus conciliare solent.

> πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος
> *primum quidem species digna est imperio*.

Hinc nonnullæ Gentes in Regibus eligendis ad staturam & formam attendebant, Conf. 1. Sam. IX. 2. 1. Sam. XVI. 8.

[3] Sic מנחות fol. 65. 1. יודעים ע׳ לשון שלא תהא סנהדרין שומעין מפי התורגמן Judices *edocti linguas Lxx. ut sine Interprete quæ proferuntur, intelligant*. Tot enim Judæi nationes diversis linguis utentes faciunt, quas omnes Mardochai novisse tradunt sive nugantur. Verius Maimonides noster, uti alibi sæpissime l. cit. שידעו ברוב הלשונות כדי שלא תהא סנהדרין שומעת מפי התורגמן *Intelligere debent plures linguas, ne Synhedrium interprete aliquo indigeat*.

[4] Recte ait Auctor vetulos Judices illegitimos habitos fuisse, qui neque corporis neque animi pollebant viribus, non tamen senes variis casibus exercitatos. Præprimis Præsides grandævi & cani requirebantur. Hinc notabile exemplum R. Eliazaris fil. Azariæ, qui quum sapientia excellentissimus fuisset, sed annis junior quam ut præses designaretur, arte caput ejus candificarunt. Glossa Bartenoriana ad tract. ברכות c. 1. §. 5. ad verba הרי אני כבן שבעים שנה הייתי נראה זקן ולא זקן ממש אלא שהלבינו שערותיו יום שמנו אותו

אותו נשיא כרי שיראה זקן וראוי לנשיאות *septuagenario similis videbar; apparebat senex nec tamen talis erat. Verum capillos ejus eo tempore, quo Principem constituerunt, dealbarunt, ut hac ratione senex aliis videretur, atque ad Principatum idoneus.* Quid si verba Pauli respectu ad canitiem exponeremus? verba, quæ exstant Act. XXIII. 3. τοῖχε κεκονιαμένε q. d. Nihil Judici conveniens in te cerno, canities tua te non magis Judicem declarat, quam candor murum.

[5] Prout olim Romani filios suos secum in Senatum introducebant, ut ita in causis cognoscendis informarentur; ita quoque Judæi in inferioribus subselliis discipulos suos hunc in finem collocarunt כל סנהדרי קטנה מושיבין לפניהם שלש שורות של תלמידי חכמים בכל שורה ושורה כ"ג איש שורה ראשונה קרובה לסנהדרין ושורה שנייה למטה הימנה ושלישית למטה הימנה וכל שורה ושורה יושבין בה לפי מעלתן בחכמה *Synedria minora* (XXIII. Virorum) *in conspectu suo constituerunt tria ex discipulis sapientum subsellia, quorum unumquodque XXIII. capiebat. Primum Synedrio proximum, inferius alterum infimum tertium; Unumquodque subsellium considet secundum gradum sapientiæ.* Quando opus erat, ex primo adsciscebantur in numerum Judicum, uti in sequentibus Maimonides plenius tradit tract. סנהדרין c. 1. Hæc non valent de Synedrio M. in quod Doctissimi quique per totam terram cooptabantur, uti tradit idem Magister c. II. אמרו חכמים שמובית דין הגדול היו שולחים בכל הארץ ישראל ובודקין כל מי שימצאוהו חכם וירא חטא ועניו ושפוי ופרקו נאה ורוח הבריות נוחה הימנו עושין אותו דיין בעירו ומשם מעלין אותו לפתח הר הבית ומשם מעלין אותו לפתח העזרה ומשם מעלין אותו לבית דין הגדול *Dixerunt sapientes morem obtinuisse, ut e Synedrio M. viri per universam Israelis terram mitterentur, qui inquirerent in sapientes, & qui peccata timent, mansuetos, pacatos, difficultatibus solvendis promtos, hominibus gratos. Tales primo Judices in civitatibus suis constituunt. Tum promovent ad ostium montis domus. Postea ad ostium atrii, & tandem in Synedrium M.*

CAPUT SEXTUM.

De Communibus Ceremoniis in omnibus Capitalibus Judiciis.

I. IN pœnis capitalibus sunt quædam ceremoniæ, quæ omnibus *communes* sunt.

Indicibus deliberatio causarum incumbit.

II. I. *Judices* debebant in quibusvis causis deliberationibus uti, [1] præprimis tamen in capitalibus. Quatuor sunt res, ait *Jonathan* in suo *Targum. Num. IX.* 8. quæ ad Mosen deferebantur (nullius mentionem facit specialiter, sed quales eædem fuerint res, statim discemus aliunde.) Harum duæ *ponderosæ* non erant, in iis festinabat; reliquæ majoris momenti erant, utpote concernentes vitam & mortem, in quibus moram traxit: ובאילין ובאלין אמר משה לא שמעתי *Cæterum tam de his quam de illis dicebat Moses, non audivi* scil. a Domino. Ut doceret, in omnibus sententiis ferendis ineundam esse consultationem tanquam cum Deo. Hæ quatuor res occurrunt in *Targum. Hierosol. Num. IX. 8. Minus ponderosæ* sunt: 1. *Causa immunditiei*, qua prohibebatur populus a Paschate. *Num. IX. 9.* 2. *Causa filiarum Zelaphechadi. Num. XXXVI.* 10. Res duæ *majoris ponderis* & *momenti* erant. 1. *Causa blasphemi. Lev. XXIV.* 14. 2. *Causa illius viri*, qui ligna legit Sabbatho, *Num. XV.* 35.

Abesse tamen debet temeraria procrastinatio.

III. In omnibus his judiciis exstat: *Dominus dicebat ad Mosen*. In causa prima, quæ minus momentosa censetur, quod non agatur de vita & morte in ea, Moses solenni modo populum consistere jubet; *Ego audiam, quid mihi dicturus sit Dominus*, inquiens. Nihilominus tamen *temeraria* quoque *procrastinatio* Judicem injustitiæ condemnat. Non ullum aliud crimen imputatur illi Judici injusto, cui vidua vix sententiam extorsit, quam *procrastinatio* & *dilatio*. *Luc. XVIII.* 4.

Locus partis accusatæ.

IV. II. *Pars accusata* sistebatur *in loco eminentiori*, e quo & cerni & audiri a toto populo posset: *Collocate Nabothum* בראש העם *in capite populi*. 1. *Reg. XXI.* 9.

A Judicibus & testibus manus condemnatis imponuntur.

V. III. *Judices* & *Testes* lata sententia, condemnatorum capiti manus suas imponebant, dicentes: *Sanguis tuus super caput tuum*. [2] *Drus. præter Matth. XXVII.* Huc respexit populus vociferans: *Sanguis ejus super nos & filios nostros. Matth. XXVII.* 25.

Locus executionis. Executorum nomina.

VI. IV. *Locus executionis* erat *extra portas*; [3] damnati eo ducti sunt *a duobus executoribus*, quos Rabbini vocant חזני הכנסת *Spectatores congregationis. Mos. Kots. Sanh. item Talmud. lib. Macchot. C. 3. in Mischna*. Quod nomen est periphrasis illius, quem Marcus Cap. VI. 27. nominat σπεκουλάτωρα; quæ vox, etsi eam adhibeant *Græci & Chaldaici* Interpretes, dicentes ספקולטוריא (Vid. *Uziel* & *Targum. Hierof.* Gen. XXXIX.) mere tamen Latina est, a *speculando* descendens, quia in judiciis *executores* tantum agunt *spectatores*, ad exspectandum mandatum *Judicum*.

Rei crimen publicatur.

VII. V. Cum reus ad supplicium trahitur, præcedit הכרוז הקורא seu *præco publicus, clamans; Hic vadit ad supplicium, quo subit hanc mortem, quia commisit hoc flagitium, hoc tempore, hoc loco, & N. N. sunt hujus rei testes: propterea si quis quid scit, quod huic prodesse possit, veniat & in medium proferat*. [4] *Mos. Kotf. loc. cit.* Quo fine constitutus quispiam fuit in foribus *Consistorii*, manu tenens sudarium, aut vestem lineam, ut eam, si quis illius defensionem suscepturus esset, vibraret; quo

quo viso alius, non procul insidens equo, effuso cursu revocabat damnatum. Imo ubi reus habebat, quod in sui defensionem diceret, quater aut quinquies licebat reverti, nisi vana loqueretur, quare ut accuratius illius verba in via ponderarentur, duos ei adjunxerant ex *discipulis sapientum*.

Confessio danda.

VIII. VI. Admonebatur, ut daret *confessionem*, ne exsors foret futuri seculi. Sic hortatus est *Josua Achanem.* Jos. VII. 19. *Fili mi, tribue nunc gloriam Jehovæ Deo Israelis & da ei confessionem*; cui respondit: *Achan vers.* 20. *Sane peccavi Jehovæ Deo Israelis, & hoc & illud patravi.* [5]

Potus mixtus ad cerebrum turbandum reo porrigebatur.

IX. VII. Hora executionis dabant reo קורט לבונה בכוס של יין *granum thuris in calice vini*. *Maimon. in Sanh. c.* 13. item *Mos. Kots. in Sanh.* ut turbarent cerebrum rei mentemque abalienarent, quominus cruciatum sentiret. *Marcus* hunc *calicem* vocat ὄινον ἐσμυρνισμένον *vinum myrrhatum*. *Marc. XV.* 23. Hoc factum est ex more Judæorum; sed milites illusuri admiscuerunt ὄξος μετὰ χολῆς *acetum & fel. Matth. XXVII.* 34. Quemadmodum quoque addiderunt ad illusionem majorem secundum *calicem*, *cum spongiam aceto impletam circumponerent calamo*, *Matth. XXVII.* 48. *Marcus* primo *calice* morem Judæorum refert, qui speciem habet misericordiæ, fundaturque in illo Prov. XXXI. 6. *Date siceram pereunti*. *Matthæus* meminit saltem pravæ ipsorum commixtionis contrariæ sueto mori; ita Evangelistæ se invicem explicant. Primus *calix* sic ordinarie ante executionem præbebatur, ut subinde *calix* in S. Scriptura sumatur pro ipsa morte. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste*. *Matth. XXVI.* 39.

Instrumenta mortis inferendæ conduntur

X. VIII. Tandem *arbor*, ex qua quis suspensus est, *lapis* & *gladius*, quibus quis percussus, *linteum*, quo quis strangulatus, humo condebantur; ne eadem sinistram interfecti memoriam refoderent, neve dici posset; *hæc est illa arbor*, *hic est ille gladius*, *hic est ille lapis*, *hoc est illud linteum*, *quo hic confectus est*, *Casaub. Exerc.* p 654. *ex Maim.*

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

Annot. [1] Ex tribus sententiis, quæ Synagogæ M. adscribuntur, prima hæc est הוו מתונים בדין *estote tardi in judicio* tract. פרקי אבו' cap. I. 1. conf. Joh. VII. 51.

[2] Expressa Lex ratione blasphemi Lev. XXIV. 14. quam Maimonides noster ita observatam tradit. כל העדים והדיינים סומכין אדה ידיהם אחד אחד על ראש המגדף ואומרים לו דמך בראשך שאתה גרמתה לך *Omnes testes atque judices manus suas imponebant; Unusquisque (seorsim) capiti blasphemi & dicebat. Sanguis tuus super caput tuum. Tu ipse commeritus es*. Conferre licet cum χειροθεσία offerentium.

[3] Vide supr. p. 390. Adde Num. XV. 35. 1. Reg. XXI. 13. Act. VII. 58. Idem mos etiam aliis Gentibus receptus. Hujus rei rationes dari possunt sequentes. (1) Loca eligebantur ad publicas vias, ut condemnatos plures videre, atque eorum exemplo a mala vita absterreri queant. (2) Sepulchreta habebantur extra urbes: ne ergo efferendus sit, de illo supplicium quoque sumserunt extra urbem. (3) *Ne judices cædibus delectari viderentur* מתחזין ב"ד רוצחין locum lapidationis a loco judicii semoverunt, uti Interpres habet. (4) ut ita tempus liberationis damnati reperiri posset. vid. §. seq.

[4] Formula aliquantulum variat, quam in tract. סנהדרין c. VI. 1. legimus כרוז יוצא לפניו איש פלוני בן פלוני יוצא ליסקל על שעבר עבירה פלונית ופלוני ופלוני עדיו כל מי שיודע לו זכות יבא וילמד עליו *Præco* (כרוז est Gr. κηρύσσων) *præcedebat damnatum & clamabat. Vir iste N. filius N. lapidandus ducitur ob perpetratam culpam N. T. Sunt N. & N. Quincunque vero ipsum innocentem probare potest, accedat doceatque*. Pessime mentiuntur Judæi ejusmodi præconem per quadraginta dies facinus Salvatoris nostri per totam terram promulgasse vide *Sanh.* f. 43. a. & maledicentissimum fœtum inscriptum ספר תולדות ישוע הנוצרי quum certissime constet illum nocte immediate antecedente captum fuisse. Id solum constat τίτλον effictam mortis causam exhibentem ex more Romanorum capiti ad crucem appensum fuisse.

[5] Exemplum uxoris de adulterio suspectæ tr. סוטה c. I. 4. היו מעלין אותה לבית דין הגדול שבירושלים ומאיימין עליה בדרך שמאיימין על עדי נפשות ואומרים לה בתי הרבה יין עושה הרבה שחוק עושה הרבה ילדות עוש' הרבה שכני' הרעים עושים עשי לשמו הגדול שנכתב בקדושה שלא ימחה על המים Hæc celeberrimus Wagenseil ejus ita vertit: *Adducta fuit mulier adulterii suspecta in magnum judicium Hierosolymitanum: Ibi eam territabant, simili prorsus modo, quo in causa capitali testimonium dicturis formidinem incutere solebant. Et vero, ajebant illi: Filia carissima, forsitan* (ut delinqueres) *vinum immodicum in causa aut petulantia vel etiam juventa nimia. Fortasse multitudo improborum vicinorum occasionem præbuit. Age in gratiam nominis illius Magni, quod Sanctissima Ceremonia describitur, non committe, ut id aqua delere oporteat*. Conf. aliam formulam tract. סנהדרין c. VI. 2. & Joh. IX. 24. Illi, qui nescit quomodo confessio edenda sit, talia præscribunt verba תהא מיתתי כפרה על כל עונותי *Sit mors mea expiatio pro omnibus perversitatibus meis*. Qui vero se testium mendacio gravatum putabat, dixit תהא מיתתי כפרה על כל עונותי חוץ מעון זה *Sit mors mea expiatio pro omnibus perversitatibus meis excepta hac unica*.

CAPUT SEPTIMUM.

De pœnis, & suppliciis capitalibus.

IV. Supplicia mortis.

I. ANtiquis Judæis *quatuor* solummodo *mortis genera* in usu erant. *Paraphr. Chald. Ruth. I. 17. Mikoktsi, fol.* 188. *Col.* 3. Ut I. סקילה *Lapidatio*. II. שריפה *Combustio*. III. הריגה *Decollatio*. IV. חנק *Suffocatio*.

Unum altero gravius.

II. Ex his *suppliciis* gravissima fuit *lapidatio*, *combustio* gravior *decollatione*, *decollatio* gravior *suffocatione*, *suffocatio* vero omnium minima. [1]

UbiScript. simplicem mortem nominat, strangulatio intelligenda.

III. Canonem habuerunt, quod, ubi S. Scriptura loquatur de malefico, *Morte plectetur*, nec exprimat mortis genus, intelligenda sit *strangulatio*, כל מיתה אמורה בתורה סתם אין אלא חנק *omnis mors, quæ dicitur in Scriptura absolute, nonnisi strangulatio est, R. Salom. Exod. XXI.* 16. E. G. Lex dicit de *adultero Levit. XX.* 10. *morte plectetur*; quia autem genus mortis non exprimitur, *strangulatio* intelligitur.

Ratio.

IV. Ratio hujus regulæ est, quia *strangulatio* erat *supplicium* minimum ex illis quatuor, & ubi Lex mortem non exprimit, ibi ajunt *ampliandi favores*; h. e. facienda interpretatio æqua.

Except.

V. Regula illa generalis non est, siquidem antiquis temporibus adulterium *lapidatione* expiabatur. *Judicabo te judiciis adulterarum*, dicit Dominus. Ezech. XVI. 38. & illud judicium vers. 40. exprimitur: *obruent te lapidibus*. Pariter Pharisæi dicebant Christo: *Moses præcepit nobis in Lege, ut tales lapidentur*. Joh. VIII. 5. [2]

An Judæi anno emortuali Salvatoris habuerint jus vitæ & necis? Affirmatur.

VI. Priusquam specialiter agamus de his quatuor *suppliciis*, quæritur, *num Judæis tempore eo, quo crucifigebant Salvatorem nostrum, fuerit permissum jus vitæ & necis?* Judæi dicebant Pilato *Joh.* XVIII. 21. *Nobis non licet occidere quemquam*. Et recentiores Judæi fatentur sibi omnia *judicia capitalia* 40. annis ante destructionem templi ademta fuisse. *Mos. Kots. in Sanh.* [3]

VII. Resp. *Primo*, sermo Judæorum ad Pilatum, quod ipsis non liceret occidere quemquam, non intelligi potest ita, ac si dixissent; Non habemus jus vitæ & necis in quemquam. Nam, posito, ipsis in genere fuisse ademta *judicia capitalia*, attamen in hoc singulari casu concessa ipsis erat pro præsenti potestas a Pilato. *Accipite eum vos; & secundum legem vestram judicate. Joh.* XVIII. 31. Nihilominus tamen etiam dici nequit, quod sua lege ipsum non potuerint damnare, si fuisset transgressor legis, aut quod ex sua lege non habuerint, quod objicerent; dicunt enim: *Nos habemus legem, & secundum legem nostram debet mori*.

VIII. Non ergo deerat ipsis potestas, sed temporis sanctitas jubebat ipsos dicere; *non licet nobis*. Ducebant enim illicitum esse, diebus παρασκευῆς considere, & judicare causas capitales, quemadmodum demonstratum est *Cap. de transposit. Festor.* At die *Veneris*, quo noster Salvator in crucem actus est, erat *parasceve Sabbathi*.

IX. *Secundo*, in quæstione, num *judicia capitalia* ipsis fuerint ademta a Romanis, distinguenda sunt crimina. Quædam *maleficia* arietabant legem Romanam, ut *furtum, cædes, rapina*, &c. Hæc judicandi facultas ipsis erepta erat. Alia autem *maleficia* erant contra legem Mosis, ut *blasphematio* &c. quæ judicare ipsis licebat. Paulo a Judæis ad Gallionem ducto, respondit Gallio Act. XVIII. 14. 15. Ἐι μὲν ἀδίκημά τι ἢ ῥαδιούργημα πονηρὸν ἦν, ὦ Ἰουδαῖοι, κατὰ λόγον ἠνεχόμην ὑμῶν· εἰ δὲ ζήτημά ἐστι περὶ λόγου, καὶ ὀνομάτων, καὶ νόμου τοῦ καθ᾽ ὑμᾶς, ὄψεσθε αὐτοί. *Si qua injuria aut facinus malum esset, o Judæi, quantum ferret ratio, vos tolerarem; quum autem si quæstio de sermone, ac nominibus & lege vestrate, ipsi videritis*.

Malefici lapidandi.

X. In tractatione horum quatuor *suppliciorum*, notandi sunt *malefici*, quos Judæi alicui adjudicant *supplicio*, & deinde *modus suppliciorum*. Homines *lapidandi* erant numero octodecim. *Moses Kots. fol.* 188. *col.* 4. 1. *Qui concumbit cum matre*. 2. *Aut cum patris uxore*. 3. *Qui rem habet cum nuru*. 4. *Aut cum puella desponsata*. 5. *Aut cum mare*. 6. *Aut cum jumento*. 7. *Mulier, quæ jumentum admittit*. 8. *Blasphemus*. 9. *Idololatra*. 10. *Qui dederit ex semine suo Molecho*. 11. *Pythomantis*. 12. *Hariolus*. 13. *Qui palam ad apostasiam impellit*. 14. *Qui clam ad apostasiam incitat*. 15. *Magus*. 16. *Profanator Sabbathi*. 17. *Qui maledicit patri, itemque matri suæ*. 18. *Filius contumax & rebellis*.

Modus lapidationis.

XI. *Modus lapidationis* ita habuit. [4] *Maleficus* ducebatur ad locum extra portam, qui altus erat geminam hominis longitudinem, ex quo revinctis manibus ab altero testium detrusus est, ut in lumbos caderet. Hoc casu si mortuus non esset, testes levarunt lapidem, parem robori duorum virorum, quem testium alter in pectus immisit.

ſit. Si nec hoc ictu confectus eſſet, a toto Iſraele lapidibus obruebatur. *Manus teſtium primo in illum ſit, ad ipſum interficiendum, & manus totius populi deinceps. Deuter. XVII. 7.*

Idololatræ &c. ad feſtum aſſervabantur. Lapidati aliquando etiam ſuſpenduntur. Malefici comburendi.

XII. Hinc ſententia *R. Akibæ* in genere recepta eſt, quod ejuſmodi idololatra (item alii neci addicti) cuſtoditus fuerit ad feſtum aliquod commune, quod Hieroſolymæ tota Iſraelis multitudo conflueret. [5] *P. Fagius Deut. XVII. 7.* Homo hoc *ſupplicio* affectus & interfectus ad augendam ignominiam ex arbore ſuſpenſus eſt uſque ad occaſum Solis, quo tempore & is & arbor humati ſunt. [6]

XIII. *Malefici combuſtioni* deſtinati decem erant. *Moſ. Kotſ. loc. cit.* 1. *Filia Sacerdotis ſcortata.* 2. *Qui init filiam ſuam.* 3. *Aut filiam filiæ.* 4. *Aut filiam filii.* 5. *Aut filiam uxoris ſuæ.* 6. *Aut filiam filii ejus.* 7. *Aut filiam filiæ ejus ſeu neptem.* 8. *Aut ſocrum ſuam.* 9. *Ejuſve matrem.* 10. *Ut & matrem ſoceri.*

Modus combuſtionis duplex.

XIV. *Modus combuſtionis* fuit duplex. Quoſdam *comburebant* ligno & faſciculis. Hoc vocabatur *combuſtio corporis. R. Levi Lev. X.* Alios *comburebant* liquato plumbo ori illorum infuſo, quod in viſcera deſcendens ipſos enecabat, corpore integro manente; quare dicebatur *combuſtio animæ.* Poſterior modus uſitatiſſimus fuit, & a multis ipſorum Scriptoribus ſolus memoratur.

Homines decollandi & decollationis modus.

XV. *Malefici decollandi* duum generum erant; *Moſ. Kotſ. in San.* 1. *Homicidæ.* 2. *Incolæ urbis ad idololatriam prolapſæ.* Hujus *decollationis modus* hodie eſt in uſu.

Homines ſtrangulandi.

XVI. *Malefici ſtrangulandi* ſex erant. 1. *Qui patrem matremve pulſaverat.* 2. *Qui animam ex Iſraele furatus fuerat.* 3. *Presbyter edicto Senatus ſeu Conſiſtorii obnitens.* 4. *Mendax vates & qui vaticinatur in nomine idoli.* 5. *Qui cum alterius uxore concumbit.* 6. *Qui cum filia Sacerdotis rem habet.*

Strangulationis modus.

XVII. *Modus ſtrangulationis* ita fuit. Damnatus fimo immergitur uſque ad genua, linteumque collo ejus circumdatum, a duobus executoribus hinc inde in diverſa tamdiu trahitur, uſquedum exanimatur.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

Annot. [1] Recte: Pœna graviſſima illa habetur, quæ dicta maximis criminibus, quæ directe adverſus Deum perpetrantur.

[2] An loca hæc a regula §. 3. excipienda ſint, nondum liquere puto. Quod enim attinet Ezech. XVI. 38. coll. 40. Prophetæ verba nequeunt de ordinaria adulterarum pœna exponi, vide v. 39. 40. 41. ſed illis, ut Concionatores ſolent, Eccleſiæ fornicatrici, quo tandem ad meliores fruges redeat, variæ pœnæ denuntiantur. Johan. VIII. 5. vero videtur reſpectus eſſe ad Deuter. XXII. 21. Neque enim alibi in Lege pœnalapidationis ſcortationi dicta, quum tamen diſerte dicatur. *In lege Moſes præcepit τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι ut tales lapidarentur*, ſed & hoc non prætereundum, quod dicunt τοιαύτας, quaſi fœmina illa non ex numero communium adulterarum fuerit.

[3] Scil. tr. cit. c. XIV. f. ארבעים שנה קודם חרבן בירת שני בטלו ריני נפשורת Hæc tamen Judæorum confeſſio eo non trahenda eſt, ac ſi illi XL. annis ante Templum ſubverſum poteſtate judiciorum capitalium a Romanis privati fuiſſent; Neque enim hoc indicant. Imo aliam longe poteſtatis non exercitæ iidem cauſam nos docent כיון רחזו רנפישי להו רוצחין ולא יכלי למירן *cum viderent, quod ita multiplicarentur homicidæ, ut non poſſent eos judicare, dixerunt. Præſtat nobis, ut migremus e loco in locum.* vid. Ligtfoot. op. T. II. 671. Nulli dubitamus, Judæis tempore Chriſti in rebus, quæ Religionem concernebant, morte puniendi jus relictum fuiſſe. Præter Joh. VIII. 7. ſatis luculento patet ex proceſſu criminali Salvatoris noſtri uti eum Johannes nobis deſcripſit; Chriſtus in maligno Judæorum cœtu ad mortem condemnabatur, ſed quoniam ejus apud plebem gratiam injuſtiſſimi Judices noverant, diffidebant illum abſque ingenti tumultu ad mortem duci, quare homines aſtuti excogitarunt malo huic, quod timebant, optime occurri poſſe, ſi accuſatum Pilato traderent, quemadmodum factum Joh. XVIII. 28. Tum Præſes v. 29. *Qua accuſatione hunc oneratis?* Quærebat ita naturam delicti, quoniam non omnia, ſed quædam tantum Gentis Judaicæ delicta ab ipſo cognoſcenda erant. Et quum nollent crimen deſignare, ait: *juxta legem veſtram judicate illum.* Ergo licentia Judæis conceſſa erat ſecundum propriam legem judicandi. Tum cum viderent Pilatum Chriſtum cruci non affixurum eſſe, niſi ille criminis accuſaretur, Romanis legibus adverſantis, impii mentiebantur eſſe ſeditioſum &c. conf. Luc. XXIII. 2. adeoque foro Judaico non ſubjici. *Nobis non licet quemquam judicare* hujus criminis reum. Atque hanc fuiſſe accuſationem examen Pilati probat. *An tu es Rex Judæorum?* Proſtat quoque haud unum in Actis Apoſtolicis argumentum Act. V. 33. ἐβουλεύοντο ἀνελεῖν αὐτὸν *conſultarunt interficere eum* c. VII. 59. ἐλιθοβόλουν *lapidarunt Stephanum* ex ſententia Judicii, non per tumultum. Conf. c. XVIII. 15. XXIV. 6. 7. XXVI. 10.

[4] Vid. Miſchna סנהדרין c. VI. 1. 4. Unde pauca alia, quæ huc pertinent, addam §. 2. היה רחוק מבית הסקילה עשר אמות אומרים לו התודה quæ ita Coccejus: *quando decem cubita abeſt a loco lapidationis, jubetur confiteri &* §. 3. היה רחוק מבירת הסקילה ארבע אמורת מפשיטין אותו בגדיו האיש מכסין אותו מלפניו והאשה מלפניה ומאחריה דברי רבי יהודה וחכמים אומרים האיש נסקל ערום ואין האשה נסקלת ערומת *quando a loco lapidationis abeſt quatuor cubita, veſtes ei detrahuntur. Maris anteriora velantur: mulieris & poſteriora. Sic cenſet R. Jehuda. At ſapientes ſic pronuntiant: Marem nudum lapidibus obrui: mulierem non item.*

[5] R. Akibha non tam Idololatram ad feſtum aliquod cuſtoditum tradit, quam tranſgreſſorem conſtitutionum a ſapientibus ſtatutarum. Tr. cit. c. X. §. 3. 4. חומר בדברי סופרים מבדברי תורה האומר אין תפילין כדי לעבור על דברי תורה פטור חמש טוטפות להוסיף על דברי סופרים חייב אין ממיתין אותו לא בבית דין שבעירו ולא בבית דין שביבנה אלא מעלין אותו לבית הגדול שבירושלים ומשמרין אותו עד הרגל וממיתין אותו ברגל שנ׳ וכל העם ישמעו ויראו ולא יזידון עוד דברי רבי עקיבא Eodem Interprete: *Gravius peccatur circa verba ſcribarum, quam verba Legis. Si quis dicat; Phylacteria nihili ſunt, ita ut tranſgrediantur Legem, liber eſt. Quinque capſulæ ſunt in Phylacterio, ita ut addat verbis ſcribarum reus eſt. Non occiditur a judicibus civitatis ſuæ: non a Synedrio, quod Jaſne eſt: ſed ad ſummum ſenatum Hieroſolymam deducitur atque iſthic in cuſtodia aſſervatur uſque ad feſtum &*

in

in festo interficitur. Q. D. Deut. XVII. 13. Et totus populus audiet & timebit, neque amplius præfracte agent, *verba R. Akibha*. Hinc recte conjicit Eruditissimus Huldricus *in Hist. Jesch. Naz.* pa. 90. singulari Deo consilio nec absque occulto providentiæ Numinis lusu effectum esse, ut Jesus tempore festivo in mortem traditus fuerit, ideo etiam, ut innocens falso impacta crimina lueret, eo tempore, quo consuetum erat, capite plecti, si qui erant Rabbinicarum traditionum impatientes, ut ita facile ipsa temporis circumstantia declararetur, quæ vera Judæorum proceres causa impulerit, ut vitæ Jesu Nazareni tanto inhiarent opere.

[6] Juxta R. Eliesarem quidem omnes lapidati suspenduntur, sed plerique ad duos ex memoratis maleficis §.10. c. VI. 4. restringunt חכמים אומרים אינה נתלה אלא המגדף והעובד *Sapientes dicunt nonnisi blasphemum & Idololatram* (qui prius lapidabantur, postea) *suspendi*. Modus vero statim inferius dupliciter docetur כיצד תולין אותו משקעין את הקורה בארץ והעץ יוצא ממנה ומקיף שתי ידיו זו על גב זו ותולה אותו רבי יוסי אומר הקורה מוטה על הכותל ותולה אותו כדרך שהטבחין עושין ומתירין אותו מיד ואם לן עובר עליו בלא תעשה שנ' לא תלין נבלתו על העץ כי קבור תקברנו ביום ההוא כי קללת אלהים תלוי וג'ו כלומר מפני מה זה תלוי מפני שבירך את השם ונמצא שם שמים מתחלל *Quomodo suspenduntur? Trabem terræ infigunt, unde lignum prodit & colligatis manibus (lapidatus) suspenditur. Sed R. Jose ait: Trabs ad parietem inclinatur atque tum suspenditur prout lanii facere solent: Mox solvitur. Si vero pernoctavit, violatur præceptum negativum* U. S. E. Deut. XXI. 23. non pernoctare sines cadaver ejus in ligno, sed sepelies eadem die, quoniam suspensus execratio Dei est &c. q. d. *Quare hic suspensus est? Quia maledixit Deo, quomodo nomen Dei prosanatur*.

CAPUT OCTAVUM.

De Pœnis non-capitalibus.

I. Minores seu *non-capitales pœnæ* Judæis usitatæ præprimis quatuor fuerunt. 1. *Captivatio*. 2. *Restitutio*. 3. *Talio*. 4. *Flagellatio*.

Pœnæ non capitales.

II. I. *Captivatio*. Sub ea comprehenduntur *carcer*, *ejusque catastæ*, *vincula*, *compedes*, *manicæ &c.* [1] Quæ *penarum* genera, quum parum aut nihil differant ab iis, quæ apud nos hodie in usu sunt, explicatione non indigent.

I. Captivatio.

III. Δεσμοφύλακες *carcerum custodes*, cum quis custodia ipsorum elaberetur, eadem, qua afficiendi fuerant elapsi, tenebantur pœna. Hoc colligitur ex 1. *Reg. XX.* 39. *Custodi virum istum, si desiderando desiderabitur, anima tua loco animæ ipsius erit*. Quod attinet *liberam custodiam*, quam *Drusius præt.* 2. *Tim. I.* 18. probat Romanis in usu fuisse, dubito valde, num illa apud Judæos valuerit.

Δεσμοφύλακες eorumque officium.

IV. Quod ejusmodi *captivi* Romæ interdiu exiverint ad opera sua, non adeo duris compedibus onusti, & sic vespera ad ergastulum redierint, alibi a me annotatum est. *Et eadem catena & custodiam & militem copulat*, [2] ubi nota, quod *custodia captivum*, *miles custodem* significet & quod *Drusius* exprimat sensum *Senecæ*, non verba, quando dicit: *Eadem catena tam reum quam militem tenet*. *Senec. Epist.* 5. non *in libr. de tranq.* c. 10. quemadmodum citatur a *Drusio*.

Captivi liberiores.

Modus illos custodiendi.

V. Porro nota, quod *captivi* dextra alligata fuerit *custodis* sinistræ, quia dextra fortior est, & jure libera esse debet potius *custodi*, quam *custodiæ*. Hinc illud; *Tu forte leviorem in sinistra putas catenam*. *Senec. de tranq.* cap. 10. *Custos* enim se ipsum eadem catena sponte ligat, non pœnæ ratione, sed ut eo tutior custodia *captivi* sit.

VI. II. *Restitutio*. Ea mandata est, ubi opes erant *injuste acquisitæ*, *aut per nefas retentæ*. *Exod. XXII.* fuitque triplex. 1. *Secundum idem*, quando eadem res reddebatur, quæ per nefas erat acquisita. 2. *Secundum æquale*; quando tantumdem reddebatur, opibus illis, quæ per nefas erant acquisitæ, venditis, aut amissis. 3. *Secundum possibile*, cum reddebatur pro facultatibus viri, qui nequibat omnia restituere. *Thom. Aquin. secund. sec. q.* 62.

Restitutio triplex.

VII. *Restitutio secundum idem* præprimis præcepta fuit. Hinc, si furtum, sive id bos, sive ovis fuisset, vivum apud aliquem repertum esset, *duplo* tantum rependebat. *Exod.* XXII. 4. Si autem idem vel mactatum vel venundatum esset, tum *quinque pro uno bove* reddebantur, & *quatuor oves pro parva pecude una*. *vers.* 1. 3

Restitutio secundum idem præprimis obtinebat.

VIII. Judæi hac in parte tam accurati erant, & ἀκριβῶς agebant, ut, si quis trabe vel alio ligno per nefas acquisito suam domum struxerat, domum demoliri, eamdemque trabem & lignum Domino proprio restituere non dubitarint. *Dav. Kimchi*. Huic fere convenit *Habac. cap.* II. 11. *Lapis e pariete clamabit & trabs e ligno respondebit illis*. Inter Judæos ille, qui non sufficiebat reddendo, erat vendendus. *Exod.* XXII. 3. Et *Augustinus ep.* 54. de Christianis ait; *Non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum*.

Judæorum in restitutione ἀκρίβεια.

IX. III. *Talio*. Erat ea *æqualis retributio*. *Dentem pro dente*, *oculum pro oculo*, *manum pro manu*, *pedem pro pede*. *Deut.* XIX. 21. *Talio* autem duplex est. *Talio identitatis*, seu *Pythagorica*, quæ erat secundum literam legis, cum *maleficus* multabatur

Talio.

est vel identitatis

vel ſimilitudinis.

batur *oculo*, qui alii *oculum* eruerat. Deinde *Talio ſimilitudinis* ſeu *analogica*, ut, ſi pretium *oculi*, aut alia mulcta æqua, pro *oculo* eruto, aut pro alio membro læſo reddebatur. Hebræis placet *Talio ſimilitudinis*, non *talio identitatis*, exponentes *oculum pro oculo*, *id eſt pretium oculi*. *Targum Jonath. Deut. XIX.* 21. item *R. Salom.* ibid. [4]

Hæc probatur & illuſtratur.

X. Quia *talio identitatis* in aliquibus caſibus impoſſibilis eſt; ut ſi *cæcus* erueret alii *oculos*, aut *edentulus* excuteret alii *dentes*; propterea in caſibus corporalis læſionis Magiſtri Hebræorum ſtatuunt, *partem ream* teneri *ſatisfactione quintuplici*. *Vid. Munſter. Exod. XXI.* 1. *Pro damno amiſſi membri*. 2. *Pro damno neglecti laboris*. 3. *Pro dolore & moleſtia*, quæ evenerunt ex vulnere. 4. *Pro ſumtibus & expenſis in ſanatione*. 5. *Pro ignominiæ & deformationis nota*. *Munſterus* hæc quinque ita transfert: *vid. Exod. XXI. Damnum*, *læſio*, *dolor*, *medicina*, *confuſio*. Romanorum quoque legibus jus *Talionis* exſtabat, relicta tamen malefico libertate, utrum mallet rependere multam æqualem, an itidem membrum ſibi per *talionem* rumpi. *Vid. Agell. lib.* 20. *cap.* 1.

Flagellatio duplex.

XI. IV. *Flagellatio*. Eadem duplex fuit; aut fiebat *virgis*, [5] aut *flagellis*; poſterior priore gravior eſt, uti patet ex illo dicterio; *Porcia Lex virgas ab omnium civium corpore amovit, hic miſericors flagella retulit*. Cic. *pro Rabirio*. Utraque Romanis uſitata fuit, poſterior ſola Hebræis. Hæc *flagellatio* mandata eſt Deut. XXV. 2. 3. Ubi determinatur ictuum numerus, quem tranſcendere Judici non licuit. *Quadragenis plagis flagellandum eum curabit, non addet*.

Ictuum Numerus Deuter. XXV. 2. 3.

Judæorum additamentum.

XII. Judæi multis in rebus ſtudebant ſanctiores eſſe, quam Lex ab ipſis videbatur exigere. E. G. Deus præcepit *Sabbathum*; illi addiderunt *Sabbathulum*, h. e. orſi ſunt ſuum *Sabbathum* una hora prius, & claudebant una hora tardius, quam Lex jubebat. Deus ipſis vetuit veſci idolothytis, idolorumque libamina bibere, illi veriterunt omnem prorſus compotationem cum Gentibus, quoniam incertum ſit, utrum idolis conſecratum fuerit, an non. *Thisbit. in* נסר Deus ipſos jubet tempore Paſchatis *fermentum ædibus expurgare*, ſed illi toto feſto illius nomen ore proferre metuebant. *Thisb. in* דבר. Deus ipſis prohibet *ſuillam*, verum illi horrent porci nomen appellare, vocantque ſuem דבר אחר *Rem aliam*. *Elias Thisb. ibid.* Simili modo Deus jubet inſignes, *maleficos*, verberibus dignos, 40. plagis cædi, at illi in extrema *flagellatione* tantum 39. impegerunt. *A Judæis quinquies quadragenas plagas accepi, una minus*. 2. *Cor. XI.* 24. [6]

Lora flagelli tria.

XIII. Propterea *flagellum* habebat tria lora, ita ut ſingulis ictibus trifariam cæderetur. Unde in ſeveriſſima *flagellatione* tantum 13. ictus inflicti ſunt h. e. *quadraginta minus una plaga*. Utrum autem unum ex his loris fuerit bubulum, & ambo reliqua ex pelle aſinina confecta *Talmud. lib. Maccoth. C.* 3. *in Miſchn.* aut an vitulina ſingula tria fuerint, non facit ad rem, quævis ſententia ſuos habet ſtatuminatores. *Baalturim.* Vid. *Druſ.* 2. *Cor.* XI. 24. [7]

Eorum materia.

Modus flagellationis.

XIV. *Modus flagellationis* ita habuit. Sontis ambæ manus adſtringebantur ad palum, unum & dimidium cubitum altum, ſuper quo corpus inclinabatur. *Proſternet eum Judex*. *Deut.* xxv. 2. *Palus*, ſuper quo ſons inclinabatur, vocatur עמוד *columna*. Veſtis ipſius ad lumbos detrahebatur vi, ſive ea rumperetur, ſive diſſueretur. *Talmud. ibid.* στρατηγοὶ, περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια ἐκέλευον ῥαβδίζειν *Duces*, *diſſutis Pauli & Silæ veſtibus*, *juſſerunt ipſos cædi*. Act. XVI. 22. [8]

Quinam interfuerint flagellationi?

XV. Ut lictor infligeret æquum numerum plagarum ratione delicti, *flagellatio fiebat in oculis Judicis*. *Judex eum curabit cædendum coram facie ſua*. *Deut.* XXV. 2. Judex, qui inter tres illos præſtabat, ſonantibus flagris, legebat aut recitabat illud. *Deuter.* XXVIII. 58. *Si non obſervaveris, ut facias omnia verba legis hujus, mirabiles faciet Dominus plagas tuas* &c. *Talmud. ibid. Alter Judicum* numerabat plagas; *Tertius* jubebat lictorem ferire. *Primus Judicum* finiebat, dicens; *Et miſericors expiabit iniquitatem*. *Pſ.* LXXVIII. 38.

Rigidior flagellatio.

XVI. Subinde, ut exacerbarent plagas inſignium nebulonum, certos plumbi bolos, rigidas ſpinas lororum extremitatibus annectebant. Hanc *flagellationem* Græci vocarunt μάστιγας ἀστραγαλωτὰς *flagra taxillata*. *Euſtathius*. *Item Athenæus l.* 4. In ſcriptura dicuntur עקרבים *Scorpiones*. *Pater meus vos caſtigavit ſcuticis, ego vero vos caſtigabo ſcorpionibus*. 1. *Reg.* XII. 11. *Tholoſan. Synt. Jur. Univerſ. l.* 31.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

Annot. [1] Captivatio varia quemadmodum in omni alia Gente, ita ſpeciatim Judaica. Vel captivati ſimpliciter incluſi tenentur, vel majoris ſecuritatis ergo cuſtodes illis adduntur. Rurſum aut manibus

aut

aut pedibus tantum, vel manibus pedibuſque ſimul vinciuntur, quæ omnia in Hiſtoria Apoſtolica exempla dantur, & hoc quidem ordine, ut creſcente hoſtium Eccleſiæ furore Apoſtoli fortiori cuſtodia incluſi fuerint. Act. IV. 3. V. 21. 23. XII. 7. XVI. 24. Inſuper carcerum differentia ex Hiſtoria Jeremiæ c. XXXVII. & XXXVIII. elucet. Deterrimus ille, qui בור *fovea Malkiæ fil. Hamelech* dicitur & credibiliter omni luce deſtitutus erat, uti ejuſmodi carceres eſſe ſolent. Huc reſpectus Jeſ. XXII. 7. 23. Matth. VIII. 13. XXII. 10. Ex Antiquitatibus illum memoro quem commeriti ſunt extreme impii, qui tertia vice ad idem peccatum ſub exciſione vetitum impegerunt. הוא מקום צר כפי קומתו ואינו יכול לשכב בו ונותנים לו לחם צר ומים לחץ עד שיצרו מעיו ויחלה ואחר כך מאכילין אותו שעורים עד שכריסו נבקעת *locus eſt arctus ſtaturæ hominis reſpondens, in quo (tamen) cubare nequit. Non alio cibo quam afflictionis vel aqua quam preſſuræ alitur, donec viſcera affligantur atque ipſe morbum contrahat. Poſtea cibant ipſum hordeo, ut ejus venter rumpatur.* Conf. Miſch. סנהדרין c. IX.

2 Exemplum Pauli Actor. XXVIII. 16. 20.

3 Quæ furto ablata ſunt, varie admodum reſtituuntur. Species quaſdam recenſebo א. Qui ablatum ex proprio motu reſtituit, ultra non tenetur. Maim. tr. גניבה c. I. גנב שהודה מעצמו שגנב משלם את הקרן ופטור מן הכפל שנ׳ אשר ירשיען אלהים ישלם שנים אבל המרשיע את עצמו אינו משלם שנים והואהדין לכל קנסות שהמודה בהן פטור *fur, qui furtum ſuum ipſe confeſſus eſt, reddit ſummam capitalem, & a duplo liber eſt, Q. D. E.* Exod. XXII. 9. quem condemnabunt Dii. *Verum hic ſe ipſum condemnavit, quare ad duplum non tenetur. Idem jus eſt in omnibus multatitiis, ſcil. confitentem immunem eſſe* a ſolutione dupli. ב. In aliis caſibus obtinet reſtitutio dupli. Id. Maimonid. l. cit. גנב שהעידו עליו עדים כשרים שגנב חייב לשלם שנים לבעל הגניבה אם גנב דינר משלם שנים גנב חמור או כסות או גמל משלם שנים בדמיה *Ille, adverſus quem teſtes legitimi teſtati ſunt, eum rem furto abſtuliſſe, duplum proprietario rependere debet v. gr. ſi denarium furatus eſt, duos ſolvit: ſi aſinum aut veſtimentum aut camelum, duplum ejuſdem pretii debet.* ג. In aliis reſtitutio quadrupli, veluti in ovibus Exod. XXII. 1. ד. Rurſum in aliis reſtitutio quintupli, quemadmodum in bobus l. cit. diverſitas hæc arceſſenda eſt ex natura rerum ablatarum, quæ difficulter cuſtodiuntur, majoris uſus tum in communi vita, tum in cultu ſacro, & ex quibus majus proprietario accedit damnum, graviori pœna tenentur.

4 Aliquando talio identitatis, aliquando ſimilitudinis obtinet. Illa, veluti in homicidio vid. Gen. IX. 6. Deut. XIX. 21. Hæc, qua compenſatur damnum ex arbitrio judicis. Poſterior non minus ac prior in Sacris fundata eſt, quod patet (1) ex Exod. XX. 19. 22. conf. 25. (2) inter perſonas diſpares l. & c. c. v. 26. 27. Pauperi mutilo melius conſultum, ſi a mutilante victum accipit, quam ſi & ipſe membro privatur.

5 Primitus Judæi ſontes *flagellis*, ſed poſteriori tempore aliquando etiam *virgis* percutiebant. Forſan illas a Romanis, (quorum virga graviſſime a Deo caſtigati ſunt,) in ſynedria ſua receperunt. Exc. Talm. Sanh. c. I. חוטרי וסנדלי שיפורי ורצועי *virgæ, calcei, tubæ, lora.* Pœnam virgis inflictam מכת מרדות *plagam contumaciæ*, quæ extra terram plurimum in uſu Maim. סנהדרין c. XVI. appellant. Hanc incurrunt præter alios illi, qui verba ſapientum transgrediuntur, neque, uti in flagellatione, verbera numerantur.

6 Tr. מכות c. III. 10. כמה מלקין אותו ארבעים חסר אחת שנ׳ במספר ארבעים מניך שהוא סמוך לארבעים ר׳ יהודה אומר ארבעים שלימות הוא לוקה *Quot verbera infliguntur? Quadraginta uno minus Q. D. E. Deut. XXV.* 2. 3. ad numerum quadraginta, *hoc eſt, ad numerum, qui quadragenario propinquus. R. Jehuda ait; quadraginta integro numero infliguntur.* Non dubitamus, quin poſterior propius ad mentem Legiſlatoris accedat. Attamen veriſſimum eſt priorem numerum ordinario obſervatum fuiſſe. Joſeph. Ant. Jud. l. IV. c. 8. p. 124. ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιήσας, πληγὰς μιᾶς λειπούσας τεσσαράκοντα τῷ δημοσίῳ σκύτει λαβὼν, *qui vero contra fecerint, plagas una minus quadraginta accipit.* Pro ratione delicti licitum pauciores infligere.

7 Quæ Auctor §. 13. 14. 15. tractat, illa ex Maimonide noſtro rite probari & illuſtrari poſſunt tr. cit. c. XVI. כיצד מלקין אותו כופת שתי ידיו על העמוד אילך ואילך וחזן הכנסת אוחז בבגדיו אם נקרעו נקרעו ואם נפרמו נפרמו עד שהוא מגלה את לבו שאינו מכהו על כסותו שנ׳ והכהו ולא לכסותו והאבן נתונה מאחריו שהחזן המכה עומד עליה ורצועה של עגל בידו כפולה לשנים ושנים לארבעה ושתי רצועות של חמור עולות ויורדות בו ורוחב הרצועה טפח וארכה כדי שתהא מגעת עד פי כריסו ויד של רצועות שאוחז בה ארכה טפח האיש המכה צריך להיות יתר בדיעה וחסר בכח ומגביה את הרצועות בשתי ידיו ומכה בידו אחת בכל כחו ומלקהו שליש מלפניו על חזיהו בין דדיו ושני שלישיה מאחוריו שליש על כתף זה ושליש על כתף זה המוכה אינו עומד ולא יושב אלא מוטה שנ׳ והפילו השופט והכהו לפניו שיהיו עיניו של שופט בו *Quæ flagellandi ratio? Manus vinciuntur ad columnam ab utroque latere. Lictor dein prehendit veſtes ejus, ſi rumpuntur* (extra ſuturam) *rumpuntur, ſi diſſuuntur* (juxta ſuturam) *diſſuuntur eo uſque, ut cor aperiatur. Neque enim veſtimentum ejus percutiendum.* Q. d. Deut. XXV. 2. percute illum, *non vero veſtimentum ejus. Situs eſt lapis a tergo, cui lictor inſiſtit. Hic manu tenet lorum vitulinum bifidum, quod denuo quadrifidum & duo alia lora aſinina aſcendentia & deſcendentia* (h. e. quæ contrahi & dilatari queunt.) *Lori latitudo palmaris, longitudo ea, ut pertingat ad os ventris: Manubrium, quo lora tenentur, eſt quoque palmare. Is, cujus eſt verberare, notitia pollere, non adeo viribus, tenetur. Lora duabus manibus attollit, ſed una, quantum valet, verbera infligit & quidem tertiam illorum partem pectori, tertiam huic, aliam tertiam iſti humero. Verberandus neque ſtat neque ſedet, ſed inclinatur, quemadmodum dictum eſt* Deut. XXV. 2. & proſternet illum Judex & percutiet illum in conſpectu ejus, *ut oculi Judicis verberandum aſpiciant.*

8 Mirum alicui videri poſſet, quemadmodum Apoſtoli, ſpeciatim Paulus, toties flagellati cum Judæis familiariter converſati fuerint. Et quare non potius ut infames, qui propter errores, vitia, ſæpius pœnam ſenatus incurrerunt, evitati fuerint. Sed obſervandum pœnam flagellationis inter Judæos honeſtam habitam fuiſſe, h. e. infligebatur aliquando maximis viris, quibus de dignitate nihil decedebat כהן גדול שחטא לוקה בשלשה כשאר כל העם וחוזר לגדולתו *Pontifex vapulat præſentibus tribus, quemadmodum reliqui de plebe & poſtea ad dignitatem ſuam redit.* Maim. tr. cit. c. 17.

CAPUT

CAPUT NONUM.

De ſuppliciis ab aliis nationibus adſcitis.

Supplicia peregrina.

I. SUppliciorum ab aliis gentibus adſcitorum *ſex* præprimis fuerunt. 1. *Crux.* [1] 2. *Serræ diſſectio.* 3. *Damnatio ad beſtias.* 4. Τροχὸς *Rota.* 5. Καταποντισμός *Submerſio in mari.* 6. Τυμπανισμός *Fuſtuarium.* *Primum & ultimum ſupplicium* propria Romanis erant; *ſecundum* quoque Romanis uſitatum fuit, num autem ab iis adſcitum ſit, dubitatur: *quartum & ſextum* Græcorum erant; *quintum*, quoad ſubſtantiam, *Romanis, Græcis, & Hebræis* in uſu fuit, differt tamen apud ſingulos, *modo ſubmergendi.* Neceſſe eſt de ſingulis aliquid delibaſſe.

Crucis ratio.

II. 1. *Crux.* Hæc vox ſæpius tribuitur *arbori*, ſeu *palo ſimplici*, *quo homo exanimatus eſt*. Magis tamen proprie tribuitur *ligno duplici præparato, & in crucis formam connexo.* Prior *Crux*, *vocatur Crux ſimplex*, poſterior, *Crux compacta*. Poſterior rurſus eſt triplex: 1. *Decuſſata.* 2. *Commiſſa.* 3. *Immiſſa.*

Crux decuſſata.

III. *Crux decuſſata* componebatur ex duobus lignis æqualibus, in medio ſui tranſverſe invicem junctis, forma τῆ X Romani. Et hinc vocatur *decuſſata; decuſſare enim eſt per medium ſecare, veluti ſi duæ regulæ concurrant ad ſpeciem literæ* X, *quæ figura crucis eſt. Hieron. in Jerem. XXXI.* Hæc crucis ſpecies vulgo dicitur *Crux Andreana*, quia is tali *cruce* ſuſpenſus eſſe proditur.

Commiſſa.

IV. *Crux commiſſa* eſt, ubi lignum rectum commiſſum eſt mediæ antennæ ſeu ligno tranſverſo, quod paulo brevius erat ligno recto, forma Romani T, vocaturque *Crux Antoniana*, quia ſæpius cum ejuſmodi *cruce* pingitur.

immiſſa.

V. *Crux immiſſa* erat ex ligno tranſverſo breviori, quod tranſibat rectum palum, non plane in medio, ut *crux decuſſata*, nec plane in vertice, uti *crux commiſſa*, ſed paulo demiſſius, hac forma †. Hæc putatur fuiſſe *Crux Chriſti*, *ex qua pependit benedictus Salvator noſter. Lipſius de cruce lib.* 1. *cap.* 10.

Circumſtantiæ crucifixionis.

VI. *Circumſtantiæ*, quibus in *crucifixione* Romani utebantur, hæ erant; Primo, *cædebant* ſontem, & ſubinde ipſum columnæ alligabant, cum cæderent. *Joſeph. Excid. lib.* 7. *cap.* 32. *Philo contra Flaccum.* Item *Livius lib.* 1. *Artemidorus* clarus eſt hac in re: προδεθεὶς κίονι πολλὰς ἔλαβε πληγάς *Alligatus columnæ multas accepit plagas. Plautus in Bacch.* videtur huc reſpexiſſe. *Abducite hunc intro, atque adſtringite ad columnam fortiter.* Patres antiqui produnt noſtrum Salvatorem ita alligatum columnæ cæſum fuiſſe. *Prudent. Hieron. Beda. Vid. Lipſium de Cruce lib.* 2. *cap.* 4. Scriptura utrumque tacet, nempe locum & modum *flagellationis*; in genere tantum dicitur, quod ſit cæſus: τὸν Ἰησοῦν φραγελλώσας *poſtquam flagellaſſet Jeſum, tradidit ipſum ut crucifigeretur.* Matth. XXVII. 26.

1. Flagellatio.

2. Geſtatio crucis.

Secundo, injiciebant humeris illius *crucem* [2] portandam. *Malefici cum ad ſupplicium educuntur, quiſque ſuam effert crucem. Plutarch. de ſera Num. vind. Sic Jeſus ſuam tulit.* Joh. XIX. 17. Huc reſpicitur Matth. X. 38. *Qui non ſuſcipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.*

3. Criminis promulgatio.

Tertio, ut pateret æquitas judicii & condemnationis; cauſa ejus tabulæ inſcripta & ante ſontem prælata eſt, aut alias per præconem evulgata. *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib.* 5. *cap.* 1. *Sueton. in Domit. cap.* 10. Hæc inſcripta cauſa plerumque a Romanis vocatur *Titulus*, aut *Elogium. Tertull. Apol. c.* 2. *Sueton. in Calig. cap.* 27. Sic *Pilatus* ſcripſit τίτλον ſeu τὴν ἐπιγραφὴν τῆς αἰτίας literis *Græcis, Romanis, & Hebræis*; οὗτός ἐστιν ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.

4. denudatio.

Quarto, crucifigendos veſtibus nudarunt; Sic *Chriſtus paſſus eſt nudus. Artemidor. lib.* 2. *cap.* 58.

Serræ diſſectio.

VI. II. *Serræ diſſectio.* A capite ad calcem hominem medium diſſecuerunt. Hoc *ſupplicii* genere utebantur *Romani. Sueton. in Calig. cap.* 27. & *Hebræi*. Hac pœna Menaſſes Prophetam *Eſaiam* affeciſſe creditur; eoque reſpexiſſe *Paulus Hebr. XI.* 37. ἐπρίσθησαν *diſſecti ſunt.* [3]

Damnatio ad beſtias.

VIII. III. *Damnatio ad beſtias.* Ii, qui damnati erant ad beſtias, vocabantur *Beſtiarii*. Utrum *Paulus* juxta literam *cum beſtiis depugnarit Epheſi* 1. *Cor. XV.* 32. depugnatur a doctis; quibuſdam per *Beſtias Demetrium*, alioſque, qui ipſi *Epheſi* obſtiterant, intelligentibus, ut *Theophylact. & Anſelm.*; aliis veriſimilius *beſtias literaliter* accipientibus, ut *Chryſoſt. Ambroſ.* aliiſque. Hocce *ſupplicium* plerumque Chriſtianos in primitiva Eccleſia exercuit. Hinc illa Gentilium in Chriſtianos, quibus omnis mali publici cauſam imputabant, leonina vox: *Chriſtianos ad Leones. Tertull. Apol. cap.* 40. Accedit, quod literalis expoſitio validius argumentum præbeat pro reſurrectione mortuorum,

rum, quæ est scopus textus, quam si verba interpretemur de pugna impropria adversus Evangelii annunciati hostes.

Rota.

IX. IV. Τροχὸς *Rota*. *Rex sapiens reducit super improbos* אופן *Rotam*. *Proverb.* XX. 26. Puto, quod verba hæc non importent plus, quam hoc; quod *quemadmodum rota circumagitur, ita a prudenti Rege malitia improborum revolvatur in caput ipsorum.* Quod hic intelligenda sit contritio improborum sub rota currus, quemadmodum ruricola quædam frumenta trochlea commolit, somnium Interpretum est: [4] quum nulla monumenta prodant, ejusmodi pœnam Judæis fuisse usitatam. Apud Græcos hoc *supplicii* genus in usu fuit, vocatumque est τροχὸς, non quod trochlea transierit maleficos, sed quod illos radio rotæ alligatos tantopere cæciderint; quoad confessionem extorquerent. Ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος *Rota nimirum trahebatur is, qui flagellabatur. Aristoph. in Iren.* De eadem pœna loquuntur *Demosth.* 3. *in Aphob. & Suidas.*

Submersio in Ponto.

X. V. Καταποντισμὸς *Submersio in Ponto*, multos apud populos usitata fuit, diverso tamen modo. *Romani* parricidam culeo insutum cum *cane*, *gallo gallinaceo*, *vipera & simia* in mare abjecerunt. *Senec. lib.* 5. *controv.* 4. *Juven. Sat.* 8. *vers.* 212. *Modest. Digest. lib.* 48. *ad legem Pomp. de parricid.* Vid. *Cœl. Rhod. lib.* 11. *cap.* 12. *Græci* maleficum ad Pontum damnatum *plumbo* involverunt. *Athenæus lib.* 14. *Hebræi* lapidem molarem collo damnati appendebant. [5] Hoc respectu illi intelligendi, qui statuunt alias, hoc *supplicii* genus, καταποντισμὸν scilicet Judæorum fuisse proprium. *Hieron. Matth. XVIII.*

τυμπανισμός.

XI. VI. Τυμπανισμὸς, Generali voce *Distentionis exponitur*. *Hebr.* XI. 35. 2. *Maccab.* VI. 19. Verumtamen ea vox notat *peculiarem distentionis torturæque speciem*, nimirum *fustibus examinari & corripi;* deducitur a vocabulo Τύμπανον, quod plerumque significat instrumentum bellicum sonans. Hinc quidam hanc pœnam compararunt Romanorum *Equuleo*, quasi tortus homo distenderetur veluti tympani pellis. *Magius lib. de Equuleo.* Vid. *Drus. præt. lib.* 8. Sed Τύμπανον non tantum ipsum instrumentum cavum, verum etiam bacillos denotat, quibus id pulsatur; & hinc hæcce pœna dicitur Τυμπανισμὸς, quando quis stipitibus ita pulsatus est, ut spiritus illius velut tympani malleis expelleretur. *Scholiast. Aristoph.* Τύμπανα scribit esse ξύλα, οἷς τύπτονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι *ligna, quibus feriuntur in dicasteriis illi, qui supplicio afficiuntur. In Pluto pag.* 50. Res clara est in *Eleazaro: is sponte prodiit* ἐπὶ τὸ τύμπανον *ad genus hujus supplicii*, 2. *Macc.* VI. 19. & *vers.* 30. nulla fit distentionis mentio, sed solis fustibus ei anima expulsa esse dicitur. *Junius Jer.* XXIX. 26. aliam adfert supplicii speciem, quam Hebræi vocarint צינוק; quam vocem ait esse compositam. Sine dubio componit ex צי *Navis*, *rates*, & ינק *sugere*: dicit enim ea voce significari certum supplicium, quod appellent *Naviculam sugentis*. Describit id supplicium *Plutarchus in Artaxerxe* sequenti modo; *fuisse*, ait, *carceris quoddam genus, quo duæ scaphæ, pari commensu sibi respondentes, ita compingerentur, ut hominis corpus illis inditum quasi in vagina esset, cui præbitum fuerit mel temperatum lacte, ac invito etiam in os infusum, unde viveret &c.* Et ab hac suctione mellis & lactis, pœna hæc dicta est *Navicula sugentis*. Hebræi vero dicunt quod *Tsinok* fuerit כלי מסגר לידים *instrumentum constringens manus. D. Kimchi Jerem.* XXIX. 26. Lectori libertatem relinquo eligendi, quam velit, interpretationem.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

Annot. [1] Vere Auctor noster Crucem genus supplicii apud Romanos, saltem non apud Judæos, primitus receptum nominat. Quando autem crucem voco, intelligo supplicium, quo vivi dispessis manibus cruci affiguntur. Nam א. Moses hujus mortis nullibi meminit, neque ex scriptoribus V. T. quispiam. Hinc Hebræi ne quidem nomen, quod σταύρωσιν plene & perfecte exprimit, habent. Quare loquentes de crucifixione Christi illam simpliciter perforationem Esa. LIII. 5. vel circumscriptione perfossionem manuum pedumque Ps. XXII. 17. appellant. ב. Jurisconsulti Hebræorum supplicia Gentis quatuor dixere Tract. סנהדרין c. I. 1. ארבע מיתות נמסרו לבית דין סקילה שריפה הרג וחנק *Quatuor supplicia capitalia Senatui tradita sunt: lapidatio, ustio, decollatio, strangulatio.* ג. Expresse insuper negant תתוב המסמרות ברגלי וידי אדם *clavos manibus aut pedibus hominis infigere* esse morem Judæorum. Similitudo aliqua est Deut. XXI. 22. non tamen idem mortis genus. Apud Hebræos simpliciter suspenduntur, nec vivi sed mortui antea lapidati. Sic Maim. tract. סנהדרין c. XV. dicit, suspendendos esse אחר שסקלין אותן *post quam illos lapidarunt*.

[2] Quoniam Joh. XIX. 17. βαστάζων τὸν σταυρὸν conf. Matth. X. 38. unde crucis gestatio memoratur, æquissimum, ut illam sine distinctione accipiamus, non de parte tantum, sed tota cruce. Nec quidquam huic sententiæ vere obstare video. Onus erat, fateor, sed ut tale crucifero imponebatur. Non tamen ἀβάστακτον, quum altitudo crucis vix ultra duos tresve pedes hominis staturam superaverit. Modus credibiliter hic erat. Palus rectus tergo injiciebatur: Transverso vero manus alligabantur. Huc videtur allusio Joh. XXI. 18. 19.

[3] Orientalibus, præprimis Ammonitis, serræ dissectio recepta 2. Sam. XII. 31. 1. Chron. XX. 3.

Hanc pœnam Esajam subiisse Judæi tradunt, unde etiam Patres primitivæ Ecclesiæ eandem παράδοσιν acceperunt.

4 Etiam supplicium rotæ apud Orientales in usu fuisse videtur v. 2. Sam. XII. 31. Amos. I. 3. quod tamen multum a Græcorum differebat. Illud enim a more triturandi ortum. vid. Jes. XXVIII. 27. XXV. 10. XLI. 5. &c. scil. plaustrum, quod rotis ferreis atque dentatis instructum, volvitur super frumentum. An somnium Interpretum sit, qui putant Prov. XX. 26. ad contritionem improborum sub rota currus respici, ego ignoro. Receptum erat, ut patet, supplicii genus. Commode autem Regi adscribitur, qui impios rigorosis judiciis a piis separat quemadmodum rusticus paleam a tritico.

5 Rectius alii καταποντισμὸν Syris attribuunt. Nam ejus neque in sacra neque profana Judæorum Historia certum vestigium. Syris maritimis βυθισμὸν notum ex Eusebio testatur *Illustris Grotius Not. ad Matth. XVIII.* a quibus illa loquendi ratio ortum sumsit. Qui lapis molaris Marc. IX. 42. ille Matth. XVIII. 6. ὀνικὸς dicitur, cum evidenti allusione ad molas, quæ ope asinorum circumagebantur. Ejusmodi lapides, ponderosi admodum, vi aquam dividebant atque fundum celerrime petebant.



MOSES



MOSES ET AARON

LIBER SEXTUS.

DE

RITIBUS MIXTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Circumcisione.

DUo *Sacramenta* ipsis fuerunt. 1. *Pascha*, de quo peculiari capite egimus. 2. *Circumcisio*, de qua nunc.

Duo V. T. Sacramenta.

II. *Circumcisio* erat *abscissio præputii*, *signum* atque *sigillum* fœderis, quod Deus cum populo Judaico pepigit. *Signum* vocatur a Deo in prima institutione *Gen. XVII.* Et *sigillum* ab Apostolo Rom. IV. 11. Imo vocatur & *signum* & *sigillum* a Doctore Hebræo, qui vetustate sua ipsum Talmud anteit. *Zohar.* Gen. XXII. [1]

Circumcisio quid?

III. *Circumcisio* multis gentibus, etsi non tanquam *Sacramentum*, usurpabatur, ut *Colchis*, *Ægyptiis*, *Æthiopibus*, *Trogloditis*. *Alex. ab Alex. l.* 2. *c.* 25. *Herod. l.* 2. *Diod. Sicul. l.* 2. *c.* 1. Item *lib.* 4. *c.* 3. [2]

Circumcisio multis gentibus in usu.

IV. Legimus in Scriptura de tribus aliis *Circumcisionis* speciebus in sensu figurato, quibus hic ritus sacramentalis respicitur, sic ut quatuor *Circumcisiones* memorentur. 1. *Carnis*. 2. *Cordis*. 3. *Labiorum*. 4. *Aurium*. [3]

Circumcisionis species.

V. Observabimus *Circumcisionem* in propria sua appellatione, attendentes 1. *Tempus*, quando peracta sit. 2. *Modum*, quomodo. 3. *Pœnam* neglectus.

VI. *Tempus* erat *dies octavus*, qui ita accurate observatus est, ut, licet cum Sabbatho coincideret, nihilominus eo infans *circumcideretur*. Hinc illud; *Circumcisio pellit Sabbathum*. Huic respondet illud Salvatoris nostri: *Et in Sabbatho circumciditis hominem*. *Job. VII.* 22. [4]

Tempus scil. dies octavus.

VII. Judæi superstitiose somniant, perfectionem creaturæ pendere ex sanctificatione Sabbathi ad minimum unius, dicentes, Deum propterea præcepisse diem octavum, ut prius Sabbathum quemvis transiret, quam hoc Sacramento insigniretur. Sed nos probabilius statuimus, rationes, cur Deus noluerit anticipari diem octavum, has fuisse.

Rationes.

ſe. 1. * Ad docendum, Deum in opere ſalutis nec fuiſſe, nec eſſe ſimpliciter adſtrictum Sacramentis, alias non fuiſſet minor crudelitas in prohibendo anticipationem diei octavi, quam bonitas in concedendo octavum. 2. Quia, tempore Pædagogiæ Moſaicæ, legalis impuritatis ſpecies fuit, qua creaturæ cenſebantur eſſe in ſuo ſanguine ſeptem a partu dies. Levit. XII. 2. 3. & 22. 27. Deus etiam noluit differri longius *Circumciſionem* octo diebus, ad conſolationem parentum, qua perfundebantur, quando infantes ſuos matura idoneaque initiatione fœderatos cernebant.

Modus circumcidendi. Ponitur ſella otioſa pro Elia.

VIII. *Modus circumcidendi* ita ſe habere legitur. 5 Quidam præſentium tenent ſcutellam arena plenam, in quam præputium abſciſſum projiciunt. *P. Fagius Deut. X.* Rurſus, ponunt ibi loci ſellam otioſam pro *Elia Chriſt. Caſt. in Mal. III.* quod ſit partim in honorem illius, unde, quoties incidunt in difficiliorem Scripturæ locum, dicunt: *Veniet Elias & omnia enodabit. Mercerus in abbreviat.* היקר; Sed præprimis ſit, quod putent *Eliam* ſpiritu præſentem eſſe, cujus corporalem adventum quotidie exſpectant. 6 Hæ ceremoniæ pure Judaicæ ſunt, a recentioribus Rabbinis confictæ & Salvatoris noſtri tempore penitus ignotæ. Et, ut patet ex verbis Samaritanæ, illud dictum hodie Eliæ applicatum, olim Chriſto tribuebatur. *Joh.* IV. 25. ὅταν ἔλθῃ Χριςὸς ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα.

Suſceptor. Ejus nomen.

IX. Tertio is, qui *teſtis* ſeu *ſuſceptor* aut *compater* eſt, ulnis tenet puerulum, dum *circumciditur*. 7 Hunc *ſuſceptorem* vocant *Baal-berith & Sandak*, h. e. *Dominum fœderis*. נוהגין לקרוא שמחזיק בן חברו למולו סנדק ובעל ברית *Solebant vocare eum, qui tenuit filium ſocii ſui, ut circumcidatur iſte, Sandak, & Baal-berith. Elias Thisbit. in* סנדק *Uria* Sacerdos, & *Zacharias* filius *Jeberechiæ* creduntur fuiſſe *ſuſceptores* in *Circumciſione Maher-Sahalal-Chashbazi. Eſa.* VIII. 2. *Jun. & Trem. Eſ.* VIII. 2. Hinc manavit mos *ſuſceptores* inſtituendi in baptiſmate. 8

Exemplum

ὀνοματοθεσία fit a parentibus.

X. Quarto, parentes dant infantibus ſuis ſua nomina. Tempore Zachariæ videtur, quod nomen puerulo a majoribus adſciſcere voluerint. *Et dixerunt ad illam; Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Luc. I. 61.*

Mos nominis imponendi apud Romanos.

XI. Aliis populis ſui quoque fuere ſtati dies poſt nativitatem, quibus nomina infantibus imponebant: Romani ſuis puerulis nono die, puellis octavo, dederunt nomina. *Plutarch. prob.* 10. *Macrob. Satur. lib.* 1. *c.* 16. Athenienſes inſigniverunt ipſos nominibus decimo. *Cœl. Rhodig. l.* 21. *c.* 12. Alii ſeptimo. *Ariſt. hiſt. animal. l.* 7. *c.* 12. Hos dies vocat *Tertullianus de idol. c.* 16. *Nominalia*.

Et apud Græcos.

XII. Græci præter diem decimum, quo nomen infanti impertiti ſunt, quintum etiam obſervarunt, quo obſtetrices accepto infante properarunt ad ignem, in hunc finem ſuſcitatum, ut hac ceremonia & ſe & infantem luſtrarent. *Scholiaſt. Ariſtoph. p.* 886. Item *Suidas in* ἀμφιδρομία. Hoc die proximi dona ſubmiſerunt, ſeu *munera natalitia*; a quo ritu profectum putatur, quod inter Chriſtianos *ſuſceptores* infanti tincto munuſcula præbeant. *Stuk. de conviv. l.* 1. *c.* 16. Sed redeamus ad ceremonias Judæorum.

Preces circumciſoriæ.

XIII. *Circumciſo* infante, in hæc erumpit *pater*. ברוך אתה יהוה אלוהנו מלך העולם אשר קרשתנו במצותך וצויתנו להכניסו בברית של אברהם אבינו *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, qui ſanctificaſti nos præceptis tuis & præcepiſti ut colligatur hic infans in fœdus Abrahami patris noſtri. Moſ. Kotſ. in tr. circumciſ. fol.* 115. Quem univerſa circumſtantium Judæorum caterva ita excipit: כשם שהכנסתו לברית כן תכניסהו לתורה ולחופה ולמעשים טובים *Sicut eum feciſti ingredi in fœdus, ita facias eum ingredi in legem, thalamum, & opera bona. Moſ. Kotſ. ibid.* 9

Pœna circumciſionis neglectæ.

XIV. *Pœna* neglectus hæc eſt. *Ea anima exſcindetur ex populo ſuo*. Gen. XVII. 14. 10 Exiſtimo hanc pœnam tali irrogandam, qui *Circumciſionem* aut *contemſerit* aut *proterve neglexerit*. Hoc ſenſu quæritur. 1. Quid ſignificetur hoc loquendi modo; *anima illa exſcindetur e populo ſuo*? 2. Quis ita puniendus fuerit? *puerulus, an parentes, & qui parentum loco ſunt*?

Quid ſignificet anima exſcindetur.

XV. Reſp. Quantum attinet primam quæſtionem, putem, quod, præter occultum Dei adverſus hos delinquentes judicium, Eccleſia erudiatur, quo pacto in ſua diſciplina adverſus hujuſmodi improbos procedere poſſit. Si quis per *animæ excisionem* intelligat *excommunicationem* aut *ejectionem ex Synagoga*, non movebo litem; licet plus ipſorum ſententiæ accedam, qui per eam intelligunt *mortem corporalem* θανατον tali homini immiſſam: quo ſenſu illud capitur *Exod. XXXI.* 14. *Quicunque Sabbatho fecerit ullum opus, anima illa exſcindetur ex medio populi ſui*.

Pœna hæc Parentes & ſuo tem-

XVI. Obſervatu dignum eſt, quod, cum Moſis filius *incircumciſus* eſſet, *Deus Moſen quæſiverit interficere, Exod. IV.* 24. Hoc quemadmodum oſtendit pœnam hanc fuiſſe

* Deus ex libera Sacramentorum inſtitutione poteſt ex ſua liberali miſericordia etiam adſtringi Sacramentis ſicuti ex ſua fidelitate promiſſis obligatur, ut ajunt Theologi omnes.

se *mortem corporalem*; ita evincit, quod non infans, usquedum attigisset annos discretionis, sed parentes pœnæ obnoxii fuerint. Sententia Rabbinorum circa hoc punctum hæc proditur: *Si pater ipsum non circumcidat, incumbit Judicibus eum circumcidere, & si ipsos Judices res lateat, & ipsum non circumcidant, ubi adultus factus est, tenetur se ipsum circumcidere; singulis diebus, qui ipsum transeunt adultum, & quibus se ipsum non circumcidit, ecce transgreditur præceptum. Mos. Kots. tract. circumcis. fol.* 114. *Col.* 4.

pore filios manet.

XVII. Hic quæri posset, quomodo possibile fuerit, ut quis semel insignitus *Circumcisionis* charactere & nota, istam notam obliterare & rursus evadere præputiatus potuerit h. e. præputium reducere? quemadmodum multi Judæorum metu Antiochi *sibi fecerint præputia*. 1. *Macc.* I. 16. Alii ex pudore, postquam Christo fideique Christianæ manus dederant, *sibi præputium arcessebant*. 1. *Cor.* VII. 18.

XVIII. Respondetur, quod hoc factum sit *attrahendo præputium* instrumento aliquo Chirurgi. *Epiph. lib. de mens. & pond. p.* 415. item *Celsus l. 7. c.* 25. Huc respicit *Paulus l. c.* μὴ ἐπισπάσθω, *ne attrahat* præputium. Hæc fraus *Esavo* ut primo *Auctori* adscribitur. [11]

Quomodo circumcisionis nota obliterari possit.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

Annot. [1] Simile in Talm. Hieros. f. 13. 1. *Benedictus sit, qui sanctificavit dilectum ab utero & signum posuit & filios suos* חתם באות *sigillavit sigillo fœderis sancti*. Recte autem signum & sigillum dicitur, nam circumcisio signabat semen Abrahæ ut populum, qui vero Deo obedientiam promisit, distingueret a populo Idololatrico, qui signa Idolorum in corpore gestabat: in memoriam quoque revocabat gratiam Abrahamo & semini suo factam eamque obsignabat.

[2] Herodotus l. II. μοῦνοι πάντων ἀνθρώπων κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. φοίνικες δὲ καὶ σύροι οἱ ἐν τῇ παλαιστίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' αἰγυπτίων μεμαθηκέναι *Soli omnium Colchi, Ægyptii & Æthiopes a principio pudenda circumcidebant. Phœnices autem & Syri, qui Palæstinam incolunt ipsi se consuetudinem illam ab Ægyptiis accepisse fatentur*. Tolerandum hoc in scriptore Gentili, qui veris monumentis destitutus divinum circumcisionis ortum nosse non potuit, sed pessime ex nostris illi agunt, qui mendacem Græculum secuti circumcisionem *ab Ægyptiis aut Gentibus paulo antiquioribus* profluxisse ajunt, quum constet ex Gen. XVII. Deum illam in fœderis signum instituisse atque ejus observationem sub gravissima pœna inculcasse. Non ergo Abrahamus ipse expetebat ut morem, quem in Ægypto didicit, teneret. Insuper Joh. VII. 22. *Moses dedit vobis circumcisionem, non quod illa ex Mose*, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων.

[3] Vel quinque, scil. nominatis accedit præputium arborum Levit. XIX. 23. quæ quasi circumcisæ habebantur anno quarto. Præputium in scriptura figurate notat id, quod superfluum & ea propter noxium, immundum, peccaminosum est. Circumcisio ergo remotio rei superfluæ, noxiæ, immundæ, peccaminosæ.

[4] Vide, quæ diximus p. 530. Ordinario nominatum circumcisionis tempus ἀκριβῶς observabatur. Maimon. Tract. מילה c. I. §. 9. מילה בזמנה דוחה את השבת ושלא בזמנה אינה דוחה לא את השבת ולא את יום טוב *Circumcisio statuto tempore pellit Sabbathum, sed quæ non statuto tempore neque Sabbathum neque diem festum pellit*. Admittebat tamen aliquando suas exceptiones, si Judæis fides habenda. Præter alibi allegatas nunc memoro tract. c. c. §. 16. חולה אין מולין אותו עד שיבריא ומונין לו מעת שיבריא מהוליו שבעה ימים מעת לעת ואחר כך מולין אותו *Ægrotus non circumciditur usque dum reconvalescat. Computant autem a tempore ad tempus & tum illum circumcidunt*. Certi tantum morbi justæ dilationis causæ sunt. אשה שמלה בנה ראשו' ומת מחמת מילה שהכשילה את כחו וכן מלה את השני' ומת מחמת מילה בין מבעלה הראשון בין מבעלה השני הרי זה לא ימול את השלישי בזמנו אלא ממתינין לו עד שיגדל ויתחזק כחו אין מולין אלא ולד שאין בו שום חולי שסכנת נפשות דוחה את הכל ואפשר למול לאחר זמן ואי אפשר להחזיר נפש אחד מישראל לעולם *Si uxoris cujusdam primogenitus ob circumcisionem, qua vires ejus imminutæ sunt, mortuus fuerit: Si dein eadem alterum filium ex hac causa amiserit (sive illum peperit ex primo sive secundo marito) ea tertium ordinario tempore circumcidere non tenetur, sed licet exspectare, donec creverit atque viribus polleat. Eum solum partum circumcidunt, qui a morbo liber est, quippe discrimen vitæ cuncta tollit. Circumcisio quidem post tempus peragi, sed ne unica anima in mundum hunc revocari potest*. Ejusmodi incircumcisi meminit Mischn. tract. זבחים c. II. 1.

[5] Modum circumcidendi jejune admodum tradit Auctor noster. Illum ex Maimonide tract. cit. II. §. 2. plenius sic accipe. כיצד מוהלין חותכין את כל העור המחפה את העטרה עד שתתגלה כל העטרה ואחר כך פורעין את הקרו' הרך שלמטה מן העור בצפורן ומחזירו לכאן ולכאן עד שיראה בשר העטרה ואחר כך מוצץ את הדם עד שיצא הדם ממקומות רחוקים כדי שלא יבא לידי סכנה וכל מי שאינו מוצץ מעבירין אותו ואחר שמוצץ נותן עליה אספלנית או רטייה וכיוצא בהן *Quæ ratio circumcidendi? Cutis illa, quæ obtegit glandem, tota amputatur, ut ita glans denudata sit. Postea interior tenuis pellicula ungue discerpitur atque huc illuc deducitur usque caro glandis tota conspicua sit. Abhinc sanguis ita exsugitur ut effluat e partibus remotioribus, ne alias infans in vitæ periculum incidat. Is vero, qui sanguinis exsuctionem negligit, removetur. Tum postquam sanguinem exsuxit splenium, emplastrum aut simile quid cicatrici imponit*.

[6] Reditus Eliæ statuendi occasionem sumserunt Judæi ex verbis Malach. IV. 5. non rite intellectis, nec hoc demum moderni. Quippe ex Matth. XVII. 10. constat discipulos eundem errorem ex institutione scribarum imbibisse. Communis est opinio לפני ביאת בן דוד יבא אליהו לבשר *Antequam venturus est filius David, veniet Elias ad Evangelizandum*. Quomodo Propheta hic intersit circumcisioni, confer ea, quæ notavit M. Buxtorfius *Synag. Jud. c. IV. p.* 96.

[7] Circumciditur vel a Patrefamilias vel aliquopiam artis perito. Neque enim Deus functionem hanc ad certum hominum ordinem adstrinxit. Maim. tr. מילה c. II. 1. הכל כשרין למול ואפילו ערל ועבד ואשה וקטן מולין במקום שאין שם איש אבל גוי לא ימול כלל ואם מל אינו צריך לחזור ולמול שנייה *Omnes circumcidendi jus habent: Etiam incircumcisus, servus, fœmina, minorennis, viro absente circumcidunt. Excipitur Gentilis, qui jure illo prorsus non gaudet. Quod si tamen circumciderit, circumcisio repetenda non est*.

[8] Quia enim baptismus Circumcisioni successit, mirum haud est ritus honestos, pios, εὐπρεπεῖς simul successisse. Convenientia in precibus, susceptoribus, ὀνοματοθεσίᾳ &c.

[9] Preces variæ ea solennitate dicuntur; de quibus M. Buxtorfius *Synag. Jud.* c. IV. pag. 99. Conf. quoque Maim. tract. מילה cap. III. 1. 2. 3. Ubi etiam Cele-

Celeberrimus Magiſter formulas tradit in circumciſione proſelytorum ſervorum receptas . Exempli loco ſit precatio in proſelyto circumcidendo ברוך אתה ה׳ אלהים מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצוני למול את הגרים ולהטיף מהם דם ברית שאילמלא דם הברית לא נתקיימו שמים וארץ שנ׳ אם לא בריתי יומם ולילה חוקות שמים וארץ לא שמתי *Benedictus tu Domine Deus Rex mundi , qui ſanctificavit nos præceptis ſuis atque nobis præcepit , ut circumcideremus proſelytos eliceremuſque ſanguinem fœderis : Niſi enim ſanguis fœderis , non ſubſiſterent cœlum & terra , prout ſcriptum eſt* . Si non fœdus meum, diem & noctem , ſtatuta cœli & terræ non poſuiſſem Jerem. XXXIII. 25.

[10] Pœnam כרת *excidii* quod attinet , illa certo determinari vix poteſt . Saltem diverſæ Doctorum interpretationes illam plurimum obſcurarunt . Crimina , quæ כרת attrahunt, graviſſima ſunt . E. graviſſima ſit oportet pœna . Tum enim infligi dicitur , quando vel ipſe Deus throno ſuo dejicitur atque aliud Numen colitur vel quando res Deo conſecratæ in uſum communem rapiuntur aut ſi ſacramenta gratiæ ſuæ negliguntur . Procul dubio ubi aliquod ex his criminibus ſtudio perpetratur , pœnam annexam non temporalem tantum , ſed & æternam habet . Verum ubi abeſt malitia aut dolus animi, ſola pœna temporalis intelligenda erit . Exemplum eſto Exod. IV. 24. qualem ipſe Deus variis modis, prout ſapientiæ ſuæ viſum , in ſontes animadvertit Lev. X. 1. 2. XX. 3. Non tamen prorſus excludenda eſt pœna Eccleſiaſtica aut Politica , quemadmodum incircumciſus nullum Eccleſiæ Judaicæ habetur membrum , neque adeo privilegiis , quibus reliqua gens , gaudet . Huc referenda ſunt verba in fragm. Petronii .

Ni tamen & ferro ſucciderit inguinis oram
Et niſi nudatum ſolverit arte caput
Exemtus populo Grajam migrabit ad urbem .

[11] Ut circumciſio rite peragatur, duo obſervanda ſunt א. amputatio cutis ſuperioris , quæ glandem obtegit & vulgo præputium audit ב. dein dilaceratio pelliculæ interioris *v. annot.* 8. Poſterius æque neceſſarium ac prius & incircumciſus habetur is , cujus pellicula non lacerata eſt aut lacerata poſtea coaluit. Præputium præciſum nulla arte reſtituitur , quod non filii Medicorum tantum , ſed ipſe parens Hippocrates Aph. l. VI. 19. teſtatur . ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον ἢ χόνδρος ἢ νεῦρον ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν ἢ ἀκροποσθίη οὔτε αὔξεται οὔτε ξυμφύεται *ubi præciſum eſt os aut cartilago vel nervus aut genæ pars tenuis* VEL PRÆPUTIUM *neque augeſcit iterum neque coaleſcit* . Sed lacerata pellicula , quæ non amputatur , attrahi atque vel natura vel arte coaleſcere & ita glandem tegere poteſt. De hac itaque poſteriori eſſentiali circumciſionis parte intelligimus . 1. Machab. I. 16. 1. Cor. VII. 18. μὴ ἐπισπάσθω ſcil. pelliculam , quæ infra cutem erat . ἐπισπᾶν reſpondet Hebr. משך quo in eadem Materia Magiſtri utuntur . Conf. præpr. Illuſtr. Ludolfum *Hiſtor. Æth.* p. 270. Item Grotium ad 1. Machab. I. 16.

CAPUT SECUNDUM.

De Ἀπαρχῇ *Primitiis fructuum frugumque & primogenitis* .

Fructus arborum . III. prioribus annis non comedebantur . Sed IV. Deo ſacri .

I. USUS & finis primogeniarum frugum erat *conſecratio ſequentium* .

II. I. Hoc fine ipſis præceptum erat offerre *primos arborum fructus* [1] *Lev.* XIX. 23. 24. Ubi hic ordo obſervatus eſt . Primis tribus annis , [2] ex quibus plantata arbor fuit , *cenſebantur fructus ejus præputiati & impuri* , non licebat iis *veſci* , eos *venundare , aut aliquem uſum ex iis percipere* . Quarto anno *Jehovæ ſancti* fuere , h. e. aut *dati Sacerdoti ; Num.* XVIII. 12. 13. Hinc *Aben-Eſra* in hunc loc. ait : והכהן יאכלנו *& Sacerdos eum fructum comedet* ; Aut etiam proprii domini veſcebantur iis *coram Jehova Hieroſolymæ* , quemadmodum *decimis ſecundis* ; & hæc ultima ſententia communis Hebræorum eſt [3] *Talm. Bab. in Mabasher Schenic.* 1. Poſt annum quartum ceſſerunt rurſus uſui Dominorum . Poſſumus eas *primitias* ſimpliciter vocare πρωτογεννήματα .

Quatuor ſpecies frugum primigeniarum cujuslibet anni .

III. II. Ipſis præceptum erat quotannis pendere *primigenias cujuſvis anni proventuum fruges* . Et has vocare poſſumus ἀπαρχὰς ; quarum variæ fuerunt ſpecies . 1. *Manipulus primitiarum meſſis* . *Lev.* XXIII. 10. 2. *Primitiæ duorum panum agitationis* . *Lev.* XXIII. 17. Hæ duæ ſpecies incipiebant & claudebant meſſem . *Manipulus* offerebatur in initio meſſis, decimo quinto τοῦ *Niſan* ; *duo panes* in fine , *feſto Pentecoſtes* . Et *manipulus* & *panes* communi nomine *Lev.* XXIII. vocantur תנופות , h. e. *oblationes agitatæ* . 3. *Primitiæ maſſæ* . *Num.* XV. 20. Nimirum *vigeſima quarta pars* de ea dabatur Sacerdoti חד מן עשרין וארבעה *una pars ex viginti quatuor* . [4] *Uziel. Num.* XV. 20. Quæ oblationis ſpecies obſervabantur a reverſis jamjam ex Babylonia *Neh.* X. 38. Huc alludit *Paulus Rom.* XI. 16. *Si primitiæ ſanctæ , etiam maſſa ſancta eſt* . 4. *Primitiæ frugum ex area* , quæ pendendæ erant Sacerdoti ; *Num.* XV. 20. Hæ duæ ultimæ ſpecies appellantur תרומות [5] *oblationes elevationis* . Hæc *oblatio areæ eſt ; Illa oblatio maſſæ* . *Num.* XV. 20. 21. Sub nomine *primitiarum frugum* Autores plerumque de ultima ſpecie agunt , prætermiſſis reliquis .

Quid Thenupha & Therumah ?

IV. Priuſquam progrediamur ad explicationem poſtremæ ſpeciei , nota differentiam duarum iſtarum vocum *Thenuphoth* & *Therumoth* , utraque notat *oblationes agitatas* , hoc tamen diſcrimine ; *Therumoth oblationes* erant *agitatæ ſurſum & deorſum* , h. e. *oblationes elevationis* ; ad docendum Deum eſſe Dominum & cœli & terræ . *P. Fagius in Pentat. Oblationes* autem *Thenuphoth* agitabantur *huc illuc* , a dextra ad ſiniſtram ,

ab

ab Oriente in Occidentem, ab Aquilone ad Auſtrum; qua agitatione Deum fatebantur eſſe Dominum totius mundi.

Primitiva unde?

V. Ut ſciamus quid fuerint *primitiæ frugum areæ*, Rabbini, aliique, qui eos ſequuntur, ipſas diſtinguunt in duas ſpecies. *Prior* harum erant *primitiæ ſeptem rerum*. 1. *Tritici*. 2. *Hordei*. 3. *Uvarum*. 4. *Ficuum*. 5. *Malogranatorum*. 6. *Olivarum*. 7. *Dactylorum*. Quarum rerum fertiliſſima ubertate Palæſtina nobilis erat, laudaturque *Deuteron. VIII.* 8. Harum *primitias Talmudici* vocant בכורים *R. Salom.* [6] *Deuter. XXVI.* 2. Item *Moſ. Kotſ. fol.* 201. *col.* 4. Et quando agunt de *primitiis frugum* eas & non alias hoc nomine *Biccurim* intelligunt. Hæ, ajunt, ſunt *frugum primitiæ*, quas populus toties in Lege jubetur ferre ad Sanctuarium feſto Pentecoſtes, meſſis fine, uti patet & ex hac oblatione, & ex oblatione duorum panum, *Lev. XXIII.* 17. *Poſterior* harum erant *primitiæ frumenti*, *muſti*, *olei*, *velleriſque ovium*. Deut. XVIII. 4. Num. XVIII. 12. [7] Immo omnium aliarum rerum, quas gignit terra ad alendum hominem. Ita ipſorum Doctores intelligendi ſunt, ubi dicunt; *quidquid eduliorum ex terra incrementum capit, obnoxium eſt primitiis, Therumæ, & Decimis. R. Salom. Deut.* XXXI. 2. Item *Moſ. Kotſ. fol.* 201. *col.* 4. *Moſes Ægypt. in Jad. part.* 3. *tract. de Therumoth.*

Primitiæ unde?

Hæ dicuntur Truma.

VI. Hoc nominant תרומה *oblationem elevationis*. Græci vertunt ἀφορισμὸν *ſeparationem*, quia erat *conſecratio & ſeparatio portionis Domini*. Quo reſpectu credo, quod *Paulus* ſe vocarit ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον. *Rom. I.* 1. Ἀφοριεῖ Ἀαρών *Aaron ſeparabit Levitas*. Sic vertunt Græci; ſed fons ita ſonat; הניף אהרן את הלוים תנופה *Agitabit Aaron Levitas agitationem*. *Num.* VIII. 11. Rurſus ἀφορίσατε *ſeparate mihi Barnabam & Saulum*. *Act.* XIII. 2. *Druſius* aliam dat rationem, uti dictum eſt *cap. de Phariſæis*. Sed pergamus. Hebræi hanc ſecundam *primitiarum* ſpeciem non vocant ſimpliciter *Therumah*, ſed ſubinde תרומה גדולה *Oblationem elevationis magnam*, reſpectu illarum *decimarum*, quas Levitæ Sacerdotibus ſolvebant, hæ enim vocabantur תרומת מעשר *oblatio decimarum Num.* XVIII. 26. Quæ etſi erat una pars ex decem, reſpectu ejus quod ſolvebatur Levitis, attamen erat tantum una pars ex centum, reſpectu proventuum, quos coloni Levitis *decimabant*; & ſic longe minor erat *oblatione elevationis magna*, uti ſtatim clarebit.

Vel Rabb. Truma & Gedolah.

Quantum de primitivis & primitiis ſolvendū ſit.

VII. Has *primitias*, ajunt Hebræi, non tenebantur Domini Hieroſolymæ pendere. Lex non definit, quantum, ſeu in *Biccurim*, ſeu in *Therumah*, ſolvendum fuerit; verum per traditiones tenebant, quod ad minimum *ſexageſima pars* tam ſeptem illarum rerum, quas vocant *Biccurim primitias*, quam *harum*, *quas dicebant Therumah*, ſeu *Therumah Gedolah*, fuerit dependenda. Sic diſtinguunt *Talmudici* τὰ *Biccurim* a *Therumah Gedolah*. Sed pro mea ſententia poſſunt *Biccurim* comprehendi ſub *Therumah Gedolah*; & ſane, hæc utraque nihil aliud ſunt, quam תרומת גרן *Oblatio areæ*, cujus antea meminimus ex *Num. XV.* 20.

Negatur has duas ſpecies diſtinctas eſſe.

VIII. Meæ ſententiæ rationes hæ ſunt. 1. Scriptura non indulget aliquam *primitiarum* partem retinere domi; ſi hoc probari poſſet, diſtinctio valeret. 2. Scriptura *primitias* non adſtringit his ſeptem rebus, quas ſolas vocant *Biccurim*. 3. Duæ iſtæ *primitiarum* ſpecies invicem commiſcentur; nam dicunt, quod in τοῖς *Biccurim* pendant 1. *Triticum*. 2. *Hordeum*; & quod in *Therumah* ſolvant *frumentum*; quaſi *frumento* non comprehenderentur *triticum* & *hordeum*. Reſpondebit quis, quod τὰ *Biccurim* ſolverint *ariſtis*, meſſe nondum collecta; & ſuam *oblationem Thermah*, *tritico & hordeo* jam *triturato* ac *ventilato*.

IX. Rationes huic reſponſioni has oppono. 1. Hoc pacto *ſexageſimam ſui frumenti partem* bis ſolviſſent. 2. Frumentum in ariſtis & manipulo oblatum parva erat quantitas, nec offerebatur *feſto Pentecoſtes*, quod meſſem claudit; ſed *feſto Paſchatis*, quod meſſem orditur. *Lev.* XXIII. 10. Cum tamen τὰ *Biccurim* ſemper offerrentur *feſto Pentecoſtes*. Satis hoc ad ſententiam meam ſtabiliendam.

Modo ſexageſima.

Modo quadrageſima.

Modo quinquageſima pro diverſitate animi ſolvebatur.

X. Progredior ad oſtendendam rationem cur imperata ſit in hac *oblatione areæ* ad minimum *ſexageſima pars*; fundatur ea verbis *Ezech. XLV.* 13. *Hæc eſt oblatio*, *quam offeretis*, *ſextam Ephæ de Chomer*, h. e. *ſexageſimam totius partem*, quoniam *Chomer* continet decem *Ephas*. Hinc hanc oblationum iſtarum diſtinctionem deſumunt. Quidam, ajunt, dabant *quadrageſimam* ſuorum proventuum *partem*; quæ, quia erat maxima, quæ pendebatur in hac *oblationis* ſpecie; merebatur nominari ab ipſis תרומת עין יפה *Oblatio oculi boni*. Alii (quamvis ad alterorum liberalitatem non adſcenderent, nihilominus ne exiſtimarentur ſordidi) ſolvebant *partem quinquageſimam*, quæ merebatur dici תרומה בינונית *Oblatio mediana*. Alii, quos ſordidos tenaceſque cenſebant, non plus quam *ſexageſimam partem* dabant, qua minus non licebat dare. Hoc vocitabant תרומת עין רעה *Oblationem oculi mali*. [8] Sic ut penſio harum *oblationum* fuerit deter-

determinata ab *Antiquis* inter *sexagesimam* & *quadragesimam partem*. Pharisæi autem ut sua sanctitate elucere ante alios viderentur, sui ordinis regulis vovebant dare *quinquagesimam* & *trigesimam*, adeo ut inexplebile dolium is haberetur inter ipsos, qui *quinquagesimam* dependebat, isque *illiberalis*, qui non *trigesimam*. *Epiph. contr. Pharis. p.* 11.

XI. *Modus dependendi* [9] has *primitias Biccurim* dictas, late proditur *Deuter.* XXVI. Sed tempore Prophetarum videntur fuisse receptæ aliæ ceremoniæ, de quibus Hebræorum Magistri hæc referunt. Quando *primitias* suas *offerebant*, *tum omnes civitates unius ejusdemque plagæ congregabantur in capite plagæ, ne singulæ solæque adscenderent; dictum enim est: in multitudine populi est majestas Regis Prov. XIV. 28. Et veniunt & pernoctant singulis noctibus in plateis metropolis, & non ingrediuntur ædes, metu pollutionis. Hora matutina ait gubernator, Surgite, adscendamus ad Tzionem, urbem Domini Dei nostri. Ipsos antecedit taurus, cujus cornua auro obducta sunt, redimitusque caput serto olivæ, ad significandum primitias septem rerum ac fructuum. Cantabatur quoque fistula, usquedum prope essent Hierosolymam, alias per totam eam viam ipsis cantionem hanc modulantibus. Lætatus sum propter dicentes mihi. Domum Jehovæ accedamus &c. Ps.* CXXII. *Maim. in Biccurim c.* 4. *Sect.* 16. Ad hujus aliusque modi congregationes solennes alludit Propheta, dicens: *Canticum erit vobis*, *ut* canticum *noctis*, qua *sanctificatur festum*, & *lætitia cordis*, *ut* lætitia *ambulantis cum tibia*, *ut accedat montem Domini*, *rupem Israelis*. *Esa.* XXX. 29.

XII. *Primogenitos* seu *primitias hominum & bestiarum* sibi adscribit Jehova. Exod. XII. Fundamentum hujus legis fuit, *quod Deus interfecerit omnes primogenitos in Ægypto*, *a primogenito hominum ad primogenitum bestiarum*, *parcens interea Israelitis*. In hujus beneficii æternam memoriam jussit sibi consecrari *omnes mares primogenitos*: [10] *primogeniti* illi hominum & bestiarum redimebantur *quinque siclis argenteis Sanctuarii* [11] datis Sacerdoti pro singulis ipsorum. [12] *Num.* XVIII. 15. 16. Huc respexit *Petrus*, dicens: *Redemti sumus non corruptibilibus rebus*, *auro & argento* 1. *Petr.* I. 18. *Primogenita bestiarum* mactabantur, sparso super altari ipsorum sanguine, accensoque ipsorum adipe in holocaustum, carne autem cedente Sacerdotibus.

XIII. Nota, quomodo Deus velit coli *primogenitis hominum & bestiarum*, *primitiis fructuum*, *arborum & frugum terræ*, *in manipulis*, *in area*, *in massa*, *in pane*. Scilicet omnia nos *docent consecrandas Domino annorum ætatisque nostræ primitias*.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

Annot. [1] Ad hanc legem tenentur eæ solum arbores, quæ comestibiles fructus ferunt atque certum aliquem Dominum habent, non aliæ vid. *diss. nostr. de jure plantæ* IV. *anni* §. 5. 6. 7.

[2] Initium anni in mense Tisri v. tract. ראש השנה c. I. 1. Anni tamen integri non requiruntur ex Jure Judæorum v. gr. planta, quæ XLV. dies ante Tisri plantabatur, annua habetur mense Tisri vid. *cit. diss.* §. 16.

[3] Hanc quoque *diss. cit.* §. 10. ex Magistris probavimus. Addo testimoniis ibi allegatis consentientem Josephum l. IV. c. 8. p. 123. *τῷ δὲ τετάρτῳ τρυγέτω πᾶν τὸ γενόμενον· τότε γὰρ ὥριον εἶναι, καὶ συναγαγὼν εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν κομιζέτω, καὶ σὺν τῇ δεκάτῃ τοῦ ἄλλου καρποῦ μετὰ τῶν φίλων εὐωχούμενος ἀναλισκέτω, καὶ μετ' ὀρφανῶν καὶ χηρευουσῶν γυναικῶν*. Ex interpretatione S. Gelenii. *Quarto vero anno colligat quicquid jam tempestivum & in sanctam urbem deferat & cum reliquis proventus decimis in conviviis cum amicis consumat & cum populis ac viduis*. Ab urbe remotioribus concessum erat fructus quarto anno natos redimere atque, uti in decima secunda receptum, pecuniam eorum loco Hierosolymam ferre. Hæc una cum restrictionibus deduximus, *dissert. sæpius cit.* §. 11. 15.

[4] Scriptura, ראשית עריסות חלה *primitias massæ*, *placentam* vocat Num. XV. 20. ad indicandum de massa nihil comedendum esse priusquam pars Deo data fuerit, ut partis illius formam. Hebræis communiter חלה unde tractatus Mischnicus, qui doni hujus jura tradit, idem nomen habet. Ex hoc nonnulla illustrationis gratia hic appono. c. I. 1. חמשה דברים חייבין בחלה החטים והשעורים והכוסמין ושבולת שועל ושיפון הרי אלו חייבין בחלה ומצטרפין זה עם זה ואסורין בחדש מלפני הפסח ומלקצור מלפני העומר *Ex quinque frumenti speciebus placenta solvetur scilicet ex Tritico proprie sic dicto, hordeo, spelta, hordeo sylvestri & avena. Memoratæ tenentur de placenta atque invicem conjunguntur. Quæ novæ, prohibitæ ante Pascha nec demetendæ ante messem manipuli*. Admittunt tamen exceptionem. Quia quantum Lex non determinavit, illud ordinis gratia a sapientibus in hunc modum determinabatur שיעור החלה אחד מעשרים וארבעה העושה עיסה לעצמו והעושה למשתה בנו אחד מעשרים וארבעה נחתום שהוא עושה למכור בשוק וכן האשה שהיא עושה למכור בשוק אחד מארבעים ושמונה *Quantitas placentæ est vigesima quarta pars. Qui massam vel pro se aut filii sui convivio conficit, solvit partem XXIV. Pistor vero vel etiam fœmina, quæ panem vendet, partem XLVIII. c. II.* 7. Hinc corrige ea, quæ in Buxtorfii Synagoga Jud. c. XIV. quanto definito adversantur. Addo alia jura ex c. I. §. 9. החלה והתרומה חייבין עליה מיתה וחומש ואסורים לזרים והם נכסי כהן *placenta & oblatio prima (reum) subjiciunt morti, obligant ad partem quintam, ab alienis a Sacerdotio comedi nequeunt; suntque bona Sacerdotum*.

[5] תרומה Est vocabulum pluribus donis, quæ ab Israelitis Deo data sunt, commune. Sed strictior usus in Scriptis Rabbinorum.

[6] Mischn. tract. בכורים c. I. 3. אין מביאין בכורים חוץ משבעת המינים לא מתמרים שבהרים ולא מפירות שבעמקים ולא מזיתי שמן שאינם מן המובחר אין מביאים קודם לעצרת אנשי הר צבועים הביאו בכוריהם קודם לעצרת ולא קבלו מהם מפני הכתוב שבתורה וחג הקציר בכורי מעשיך אשר תזרע בשדה *Primitiva ex septem tantum speciebus adducuntur non ex dactylis in montibus prognatis vel fructibus convallium aut olivis minus præstantibus. Primitiva non adducuntur ante festum Pentecostes*. (quare quum) *Viri e monte Tzeboim oriundi aliquando illa ante memoratum festum addu-*

adduxerunt, ſed non receperunt. Q. S. E. Exod. XXIII. & feſtum meſſis primitivorum operum tuorum, quæ in agro ſeminaſti. Eſſent plura alia de primitivis notatu digniſſima, ſed quoniam Auctor illa pertractandi occaſionem non ſuppeditat & operæ Typographicæ urgent, nunc illa addere ſuperſedemus.

[7] Rabbini vocitant תרומה גדולה *Trumam Magnam*, quæ certa eſt frugum elaboratarum pars, quam coloni Sacerdotibus ad alimentum ſuppeditant. Integer tractatus Miſchnicus תרומות dictus, ut & Maimonidianus ejuſdem nominis exſtat.

[8] Hinc illuſtrantur phraſes Scripturæ; oculus *bonus* eſt animus liberalis, ſed *malus* animus avarus, ſordidus, invidus Proverb. XXII. 9. טוב עין *benignus oculus ipſe benedicitur* Matth. VI. 22. ὁ ὀφθαλμὸς ἁπλοῦς conf. Luc. XI. 34. Matth. XX. 15. *An oculus tuus malus, quia ego bonus ſum?* conf. Deut. XV. 9. Prov. XXIII. 6. XXVIII. 22. Denominatio autem fit ab oculo, quoniam hic animi index eſt.

[9] Ad modum dependendi primitiva ſunt inſuper alia monenda ex tract. בכורים cap. III. 3. הקרובים מביאים התאנים והענבים והרחוקים מביאין גרוגרות וצמוקים *qui urbi propinquiores ficus & uvas recentes, ſed ab illa remotiores ficus ſiccas & uvas paſſas afferebant* in vaſis tamen diverſis pro diverſitate Dominorum §. 8. העשירים מביאים בכוריהם בקלתות של כסף ושל זהב והעניים מביאים אותם בסלי נצרים של ערבה קלופה והסלים והביכורים ניתנין לכהנים *Ditiores in calathis argenteis aureiſve adducebant, ſed pauperes in corbibus vimineis ex ſalicibus decorticatis. Corbes & primitiva donabantur Sacerdotibus*. Qua ſolennitate ex urbibus ſuis Hieroſolymam portata fuerint, ex Maimonide docet Auctor. Addam modum illa apportandi ex urbe in Templum & tradendi Sacerdotibus l. c. §. 3. 4. 6. הפחות הסגנים והגזברים יצאים לקראתם לפי כבוד הנכנסים היו יוצאים וכל בעלי אומניות שבירושלים עומדים לפניהם ושואלין בשלומם אחינו אנשי המקום פלוני באתם לשלום : החליל מכה לפניהם עד שמגיעין להר הבית הגיעו להר הבית אפילו אגריפס המלך נוטל הסל על כתפו ונכנס עד שמגיע לעזרה הגיע לעזרה ודברו הלוים בשיר ארוממך י"י דליתנו ולא שמחת איבי לי וכ"ו : עודהו הסל על כתפו קורא מהגדתי היום לה' אלהיך עד שגומר כל הפרשה רבי יהודה אומר עד ארמי אובד אבי הגיע לארמי אובד אבי מוריד הסל מעל כתפו ואוחזו בשפתותיו וכהן מניח ידו תחתיו ומניפו וקורא מארמי אובד אבי עד שהוא גומר כל הפרשה ומניחו בצד המזבח והשתחוה ויצא *Duces, præfecti & quæſtores* (ex urbe Hieroſolymitana primitiva adducentibus) *habita ad dignitatem illorum ratione in occurſum ibant & omnes ejus loci artifices a facie primorum ſtabant ſalutabantque* : Fratres noſtri oriundi ex N. plurimum ſalvete. *Donec attigerant montem Templi, tibi a canebant. Ex quo eo pervenerant, omnes, ipſe etiam Rex Agrippas, caniſtrum humeris ſuis ferebant atque progrediebantur in atrium. Tum Levitæ cantabant* Pſ. XXX. 2. Extollam te, o Domine, qui evexiſti me, neque conceſſiſti, ut hoſtes mei ex me lætitiam caperent. *Dum adhuc caniſtrum humeris geſtabant, recitabant* Deut. XXVI. 3. Profiteor hodie Jehovæ Deo tuo & *uſque ad finem ſectionis. At R. Jehuda dicit uſque ad verba* v. 5. Aramæus deperditus erat Pater meus. *Quando huc recitatione ſua pervenerant, depoſuerunt humeris caniſtrum atque ejus oram prehenderunt, Sacerdos vero ſuppoſuit manus. Tum agitarunt, & illi porro confeſſi ſunt* Aramæus deperditus erat Pater meus, *uſque ad finem ſectionis. Poſtea collocarunt ad latus altaris atque incurvatione facta egreſſi ſunt.*

[10] Huic legi ſubſunt non tantum primogeniti ex hominibus & beſtiis mundis, verum etiam immundis. Num. XVIII. 15. *Omnis apertura uteri quoad omnem carnem, quam adducent Jehovæ, tibi erit; ſed tamen redimendo redimes* (omnem) *primogenitum hominis* ואת בכור הבהמה הטמאה תפדה *primogenitum beſtiæ immundæ redimes*. Alibi ſcriptura ut ſpeciem beſtiæ immundæ aſinum allegat, non quod reliquæ hac lege non teneantur. Fruſtra ergo *equi, cameli* excipiuntur.

[11] Primogenitos hominum V. ſiclis, hoc eſt, circiter duobus thaleris Imperialibus & dimidio redimendos eſſe lex aperte docet Num. XVIII. 16. conf. Num. III. 47. die poſt nativitatem trigeſimo, quare ſi primogenitus 31. denatus fuerit, nec dum redemtus, pretium redemtionis Sacerdoti nihilominus ſolvendum. Conf. Luc. II. 22. 23. Redemtio hodienum obtinet v. M. Buxtorfii *Synag.* c. VI. 124. 125. &c. Sed quod ait Auctor primogenitos beſtiarum quoque V. ſiclis redimendos eſſe, neſcio unde hoc ejus aſſertum confirmari queat Exod. XIII. 13. *Omnem aperturam aſini redimes per pecudem, quod ſi non redemeris, decollabis eam*. Maim. tract. בכורים cap. XII. in שתי מצות אלו נוהגות בכל מקום ובכל זמן ומצות פריית קודמה למצות עריפה השה שפודין בו נותנו לכהן שנ' כל פטר חמור וגו' ואת בכור הבהמה הטמאה תפדה בהמה טמאה האמורה כאן היא החמור בלבד פטר חמור אסור בהנאה עד שיפדה ואם מכרו קודם פדיון דמיו אסורים ואם מת קודם פדיון או שערפו יקבר מפני שהוא אסור להנאה אף לאחר עריפתו הואיל ולא נפדה *Hæc duo præcepta* (aſinum vel pecude redimendi aut decollandi) *obtinent in omni loco & in omni tempore. Præceptum redemtionis antecedit præceptum decollationis. Pecus, qua redimitur aſinus, datur Sacerdoti* Q. S. E. Exod. XIII. 13. omnem aperturam aſini redimes & Num. XVIII. 15. primogenitum beſtiæ immundæ redimes. *Beſtia autem immunda, quæ hic memoratur, eſt nonniſi aſinus. Ex primogenito aſini, antequam redemtus fuerit, commodum capi nequit, ſi vero vendiderit ante redemtionem, pretium interdictum eſt, ſi mortuus fuerit ante redemtionem aut decollaverit illum, ſepeliendus eſt, neque enim, ut dictum, commodum ex eo capi poteſt, nequidem poſt decollationem, quandoquidem nondum redemtus erat*. Et paulo infra עין יפה לא יפחות מסלע ועין רעה בחצי סלע ובינוני' בשלשה זוזים *Qui liberalis, non infra Selah nec avarus infra dimidium Selah ſolvet. Mediocris vero tres Zuzim* (*ſcil. pro aſini redemtione*) Conf. tr. cit. Miſchn. c. I. 7. Præterea cenſuram Auctor noſter meretur, quod dicat generatim beſtias redimi, quum tamen ſolæ immundæ redimantur, non vero mundæ Num. XVIII. 17. Maim. tr. בכורות c. I. מצות להקדיש בכור בהמה טהורה ויאמר הרי זה קודש וכ"ו הכל חייבין בבכור בהמה טהורה כהנים לוים וישראלים ואף על פי שהבכור לכהן *Præceptum eſt, cujus vi primogenitus beſtiæ mundæ conſecrandus veluti dicit: Ecce fœtus hic ſanctus &c. Omnes tam Sacerdotes, Levitæ quam Iſraelitæ ad primogenitum animalis mundi tenentur, quamvis hic Sacerdotis eſſet*. Aliter vero ſe habet quoad primogenitum hominis & animalis immundi.

[12] Iſraelitæ liberum relinquebatur huic aut illi Sacerdoti primogenitum vel pretium ejus tradere, modo omnis procul eſſet fraus. Deſtinabatur certum tempus, quo fœtus primogenitus apud matrem alendus erat. Miſch. tr. בכורו' c. IV. 1. עד כמה ישראל חייבים להיטפל בבכור בבהמה דקה עד שלשים יום ובגסה חמשים יום רבי יוסי אומר בדקה שלשה חדשים *Quamdiu Iſraelitæ obligantur primogenitis operam dare? in pecore minuto uſque ad triginta dies, in magno quinquaginta dies. R. Joſe dicit, in parvo tres menſes.*

CAPUT TERTIUM.

De Decimis.

I. HIc inquirendum eſt. 1. Quænam res in genere fuerint *decimandæ*. 2. Quot *decimarum* ſpecies. 3. Tempus, quo quævis ſpecies *decimabatur*.

II. I. Annui redditus proventuſque ipſorum, aut *pecora*, aut *arborum fructus*, aut *terræ fruges* fuere. De his omnibus *decimas* ſolverunt, ad *mentham*, *anethum & cuminum* uſque. *Hæc oportebat ipſos non omittere*. *Matth.* XXIII. 23. [1] Vid. *Sixtin. Amam. de Decimis.*

II. Species decimarum.

III. 2. Species *decimarum*, quas ex arborum terræque fructibus dependebat colonus, duæ erant, & ſolvebantur hoc modo: meſſe facta omnibus congeſtis, agricola ſepoſuit ſuam magnam *Therumam*, ſeu *primitias areæ*, de quibus *cap. priore*. Poſtea ex reliquis *decimas* dedit [2] *Levitis*, haſque vocabant מעשר ראשון *decimam primam Tob.* I. 7. Hæc ſolvebatur in ſua ſpecie, & ut mihi videtur, non ferebatur a colono Hieroſolymam, ſed dabatur Levitis, qui incolebant urbes ſui diſtrictus. 3. Neh. X. 3. 37. Alii putant, quod *decimæ primæ* neceſſario, aut a colono ipſo, aut ab ejus vicario, Hieroſolymas deportandæ fuerint. *Sixt. Amam. de Dec.*

Decima ex decima a Levitis dabatur Sacerdotibus

IV. Ex his *primis decimis* deſumebant *decimam* pro Sacerdotibus *partem* Levitæ, quam vocarunt מעשר מן המעשר *Decimam ex decima Neh.* X. 38. *& Decimam ſanctitatum* 2. *Chron. XXXI. 6.* Hanc tulere Levitæ ad domum Dei. *Neh. l. c.* Hac *decima* Sacerdotibus data, Levitis ipſorumque domeſticis licebat veſci reliquiis *primæ decimæ* in omnibus locis, extraque ipſam Hieroſolymam. Num. XVII. 31.

Decima ſecunda ejuſque jura.

V. Cum *prima decima* ſoluta eſſet, colonus ex eo; quod relictum ipſi eſt, dependit *decimam ſecundam* [4] Hanc poterat colonus, aut in ſpecie, aut ratione commutationis, [5] in valore pendere. Verum, quando eam pecunia ſolvebat, addebat tum partem quintam, ita ut, quod in ſpecie erat *decem ad centum*, in pecuniæ commutatione eſſet *duodecim ad centum*. Hoc colonus tulit Hieroſolymam; exque eo paravit ἀγάπην, *ſeu convivium amoris*, invitatis ad id Sacerdotibus atque Levitis. Veruntamen non quovis *triennio* id adduxit Hieroſolymam, ſed conſumſit domi in ſuis portis cum *Levitis*, *pupillis*, *viduabus*, *& pauperibus*, *Deut. XIV.* 28.

Hæc anno III. & VI. ab anno Sabbathico domi edebatur.

VI. *Annum tertium* computabant ab *anno Sabbathico*, quo terra quieſcebat, ſic ut *prima & ſecunda decima* penderetur a colono, *primo*, *ſecundo*, *quarto & quinto anno poſt Sabbathicum*, *tertio autem & ſexto* anno ſolummodo *prima decima* data eſt Levitis, & *ſecunda* domi conſumta. *Moſ. Kotſ. tract. de decima ſecunda fol.* 199. Hinc reſpectu ſpeciei, vocatur hæc מעשר שני *Decima ſecunda Tob. I.* 7. Reſpectu vero illius, quod quovis triennio pauperibus data eſt, vocatur מעשר עני, πτωχοδεκάτη, *decima pauperum*, & מעשר שלישי *decima tertia*. *Tob. I.* 8. Iis annis, quibus ea Hieroſolymam adducta eſt, comedi debebat *in atrio templi*. *Deut. XIV.* 16. Per *decimam tertiam* intelligenda *decima pauperum* anno tertio, qui vocatur *annus decimarum*. *Deut. XXVI.* 12.

Decimatio pecoris.

VII. *Decimabant* [6] quoque ſua *pecora*. *Ex bobus & parva pecude*, [7] *& ex omnibus iis*, *quæ tranſeunt ſub virgam*, [8] *decimum quodque erat ſanctum Jehovæ*. *Lev. XXVII.* 32. Quidam Interpretum per hunc loquendi modum, *tranſire ſub virgam*, intelligunt, quod omnia *pecora* fuerint *decimanda*, quæ paſcuntur ſub cuſtodia paſtoris; quaſi eo reſpiciatur *pedum* ſeu *virga cuſtodum*, qua cuſtodiunt pecora ſua. Hebræi probabilius intelligunt per eum loquendi modum, *modum decimandi pecora*, qui ita habuit: *Is, cui fuerunt oves*, *aut boves ſic decimas ſuas ſeparavit*. *Cogit omnes oves & boves in angulum*, *in quo ponit anguſtam portam*, *quam duæ ſimul non poſſunt tranſire*. *Extra portam ſtant canes* [9] *ut oves*, *audientes ipſorum latratus*, *ordine prodeant*, *altera alteram ſequente*. *Tum quidam incipit numerare virga ſua*; *una*, *duæ*, *tres &c. & decimam rubro ſigno notare*, *ſeu ea ſit maſcula*, *ſeu fæmella*, *perfecta*, *ſeu vitio laborans*; *dicitque*, *hæc eſt pro decima*. *Salomon Jarchi Lev. XXVII.* 32. *& Maimon. de Primog. c.* 7. *Sect.* 1. 5.

Vice decimarum, hodie Judæi decimam redditũ partem egenis erogant.

VIII. Judæi, etſi in peregrino morentur ſolo, patria ſede Leviticoque Sacerdotio exuti, qui videri volunt religioſiores, vice *decimarum*, diſpertiuntur egenis *decimam* reddituum ſuorum *partem*, certo perſuaſi, quod Deus ipſorum ſorti eo ampliorem benedictionem ſit affuſurus; Tritiſſimum enim Proverbium hoc apud ipſos fertur, תעשר בשביל *Decimato propterea*, *ut diteſcas*.

IX. *Tempus* anni, a quo *decimas* computabant, varium fuit. *Ab Elul ad Elul*, h. e. ab *Auguſto* ad *Auguſtum*, numerabant annum, ut pecus rite *decimarent*.

Tisri ad Tisri, h. e. a *Septembri* ad *Septembrem*, propter frumentum, legumina & herbas supputabant. *A Schebat ad Schebat*, h. e. a *Januario* ad *Januarium*, propter arborum fructus. *Talmud. tract. de novo anno, ab initio. Buxt. Synag. Jud. cap. XII.* item *Mos. Kotf. in præcept. affirm.* 136.

Synopsis decimationis.

X. In hac *Synopsi* (quam *Sixtinus Amama* mutuatus est a *Scaligero*) ob oculos ponitur *modus decimandi* inter Israelitas usitatus.

Prædium coloni tulit {
6000. *Modios uno anno*.
100. *Modii ad minimum* a colono pendendi erant Sacerdotibus pro *primitiis areæ*.
5900. *Modii* relinquebantur colono, ex quibus duas solvebat *decimas*.
590. *Modii* erant *prima decima* pro Levitis.
59. *Modios* dabant Levitæ Sacerdotibus, qui vocabantur *decimarum decimæ*.
5310. *Modii* reliqui erant colono, ex quibus dependebat *decimam secundam*.
531. *Modii* erant *secunda decima*.
4779. *Modii*, omnibus solutis, proprii remanebant colono.
1121. *Modii* erant summa utriusque *decimæ* conjunctæ; quod plus est quam *sexta pars* totius, nempe 19. a 100.

Solutio decimarum aliquando negligebatur.

XI. Præterea sciendum est, quod corruptis temporibus cœperint *decimæ* in genere negligi, ipsius etiam *Hiskiæ* ætate, adeo ut *Inspectores* instituerentur, qui *decimationem* fidelem curarent. 2. Chron. XXXI. 12. 13. Hoc non obstante, circiter centum & triginta annis ante incarnationem Salvatoris nostri, partim incuria *Curatorum* seu *Inspectorum*, partim avaritia populi, ita corruptio invaluit, ut populus omnes in genere *decimas* negligeret; imo nemo aut pauci solverent vel *primam*, vel *secundam*, vel *pauperum decimam*; sed תרומה גדולה *oblationem magnam* tantum fideliter penderent. Ob hanc causam dicit *Mos. Kotf. fol. 199. col. 3. Diebus Johannis Sacerdotis, qui Simeonem justum secutus est* (credo quod putet *Johannem Hyrcanum*) *decrevit Senatus magnus, seu Sanhedrin, ut ordinarentur curatores decimarum.* [10]

Negligentia huic occurrit Johannes I.

Quænam res dubiæ in decimatione.

XII. Hoc tempore multæ res in dubium vocatæ sunt, utrum etiam *decimandæ* essent, an non. Quare decidit Synedrium, quod in rebus dubiis, (quas vocabant דמאי) [11] quamvis neque *primam*, neque *pauperum decimam* solverent, solvere tamen deberent *decimam secundam*, *& oblationem parvam*, nempe אחד ממאה *unam partem de centum*. *Mos. Kotf. ibid. Mentha, anethum, & cuminum* videntur fuisse *e numero dubiorum*, in quibus, etsi decretum Synedrii imperaret tantum *unam partem de centum*, Pharisæi tamen justam *decimam* persolvere satagebant. Matth. XXIII. 23. Hinc gloriantur, *se decimas dare omnium, quæ possideant*. Luc. XVIII. 12. Qua in re superant cæteros Judæos, qui utuntur privilegio a Synedrio concesso.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

Annot. [1] Scriptura de rebus decimandis aliquando generaliter loquitur Lev. XXVII. 30. *Omnis decima terræ de semine terræ, de fructu arborum Jehovæ sancta esto* Deut. XIV. 28. *decima proventus tui*. Quando autem alibi species exprimit uti frumentum, mustum, oleum, non sequitur alias legi decimationis subjectas non esse. Has memorat, quia præcipuæ sunt. Omnes aliæ, quæ seminatæ e terra procrescunt, lege illa simul tenentur. Quando igitur cuminum & alia leviora olera Magistri decimanda docent, Legi scriptæ nihil addunt. Unde & Christus diserte ait ταῦτα ἔδει μὴ ἀφιέναι, nam hocce Magistrorum statutum in virtute literæ continetur. Quæ de rebus, tempore, modo &c. decimationis Jurisconsulti Hebræorum scribunt, ea omnia appponere non licet. Dabo tamen generalem regulam huic Materiæ cognoscendæ perutilem כל שהוא אוכל ונשמר וגידוליו מן הארץ חייב במעשרות ועוד כלל אחר אמרו כל שתחלתו אוכל וסופו אוכל אף על פי שהוא שומרו להוסיף אוכל חייב קטן וגדול וכל שאין תחלתו אוכל אבל סופו אוכל אינו חייב עד שיעשה אוכל Ex Interpretatione Ordinaria. *Quicquid in escam cedit & custoditur & incrementum habet e terra, ad decimas solvendas tenetur. Porro alia etiam traditur regula: Quicquid ab initio & in fine etiam esui idoneum est, quantumvis servari solet, ut esca incrementum capiat, illud tenetur & dum parvum est & cum grande evasit. Quod autem ab initio edule non est, tandem vero in escam cedit, id non tenetur, donec esui idoneum fiat*. Mischn. מעשרות c. I. 1.

[2] Pauca quædam, quæ ad decimam primam cognoscendam ducunt, ex Maimonide excerpo אחר שמפרישין תרומה גדולה מפריש אחד מעשרה מן הנשאר וזהו הנקרא מעשר ראשון ובו נאמר כי את מעשר בני ישראל אשר ירימו לה׳ וגו והמעשר הזה ללוים זכרים ונקבות שנ׳ ולבני לוי הנה נתתי את כל מעשר בני ישראל לנחלה מעשר ראשון מותר באכילה לישראל ומותר לאוכלו בטומאה שאין בו קדושה כלל וכל מקום שנ׳ במעשרות קדש או פדייה אינו אלא מעשר שני *Postquam Trumam Magnam separarunt, ex reliquo de decem partibus unam separant & illa vocatur decima prima: De hac intelligendum* Num. XVIII. 24. Decima filiorum Israel, quam separabunt Jehovæ. *Pertinet ad Levitas utriusque sexus.* Q. D. E. c. c. V. 21. & filiis Levi ecce ego dedi omnem decimam filiorum Israel in hæreditatem. *Decima prima etiam ab Israelita & in impuritate comedi potest, utpote quæ minime sancta est: Ubicunque vero de decimis vel sanctitas aut redemtio prædicatur, ibi de decima secunda sermo instituitur.*

[3] 1. Lex Mosaica nullibi præcipit vide Num. XVIII. Procul dubio autem præcepisset, si colonus decimam primam in urbem Hierosolymitanam portare

tare debuisset. Hoc enim quoad decimam secundam factum Deut. XIV. 22. 23. II. Neh. X. 38. 39. Coloni Levitis decimam solvebant in propriis urbibus. Hi decimam de decima separabant in usum Sacerdotum (quare Sacerdos decimationi intererat) atque hanc in sanctam urbem deferebant E. decima prima in urbibus illis relinquebatur atque inter Levitas distribuebatur. III. Nihil ex ejusmodi deportatione quam ingens labos atque ingentes sumtus surgerent. Ponam enim colonum in remotioribus Cananææ finibus habitantem, cujus esset maxima molestia & multo pretio decimam primam in Templum ferre. Tum Levita ex iisdem finibus oriundus non minori molestia & pretio illam reducere deberet.

[4] Recte Auctor decimam primam a secunda distinguit I. Illa a filiis Israel Levitis penditur Num. XVIII. ut his sit hæreditaria, qua tanquam bonis, quæ hæreditate alicui obvenerunt, frui queunt. Hæc vero comedebatur a possessoribus, qui nonnisi ad convivium præter alios etiam Levitas invitabant, non ergo hæreditaria erat Deuter. XIV. 27. II. Levitæ de decima prima decimam partem rursum Sacerdotibus solvebant Num. XVIII. 28. Sed de decima secunda nihil solvere poterant, quum nonnisi ad convivium invitati fuerint. III. Decima dein prima per totam terram dependebatur, sed secunda Hierosolymam vel in natura vel saltem commutata ferebatur. Non dicam negata decimæ prima Levitas non habuisse, unde viverent. Non valet Levitas decimam ad alimentum accepisse, verum in signum gratitudinis possessores convivio excepisse, non enim ipsi invitabant, sed invitabantur.

[5] Maimon. tract. מעשר שני cap. IV. הרוצה לפדות פירות מעשר שני פודה אותן ברמיהן ואומר הרי המעות האלו או הפירות האלו מחוללות על המעות האלו ואם לא פירש אלא הפריש מעות בלבד כנגד הפירות דיו ואינו צריך לפרש ויצאו הפירות לחולין ויעלו המעות לירושלים ויוציאם שם שנ׳ וכי ירבה ממך הדרך כי לא תוכל שאתו וכן אם רצה להלל פירות המעשר על פירות אחרות יעלו הפירות השניות ויאכלו בירושלי׳ ולא יחלל ממין על שאינו מינו ולא מן היפה על הרע ואפי׳ באותו המין ואם חלל הרי הן מחוללות והפודה מעשר שני מברך אק״בה על פריון מעשר שני וכו׳ אין פודין פירות מעשר אלא בכסף שנ׳ וצרת הכסף וכן אם פדה לעצמו והוסיף חומש לא יהיה החומש אלא כסף בקרן ואין פודין בכסף שאינו מטבע אלא בכסף מפותח שיש עליו צורה או כתב ואם פדה בלשון של כסף וכיוצ׳ בו והוא הנקרא אסימון לא עשה כלום ואין פודין בפחות מפרוטה מפני שהוא כפודה באסימון וכו׳ *Qui voluerit fructus decimæ secundæ suæ redimere, redimat pretio, quo constat atque dicat: Nummi hi (forsan rectius hæc superflua habentur) aut fructus hi communes habentur pro nummis his, si vero diserte hæc non dixerit, sed solummodo nummos separaverit pro fructibus, jam sufficit, neque necesse est, ut formulam illam exprimat. Ita fructus communes redduntur, nummi vero Hierosolymam portantur, ubi illos expendit.* Q. D. E. Deut. XIV. 24. quod si tibi iter longius fuerit, ut illam ferre haud valueris. *Consimiliter si voluerit fructibus decimæ alios substituere, tum substituti in sanctam urbem adducendi atque ibi comedendi. Non tamen licitum est fructus decimandos pro alia fructuum specie communes habere, neque bonos pro malis, licet ejusdem speciei sint: Si quis tamen ita fecisset, fructus nihilominus communes habentur. Is, qui redimit, precatur: Benedictus sit Dominus Deus, qui sanctificavit nos præceptis suis atque injunxit redemtionem decimæ secundæ &c. Fructus decimandi argento tantum ex lege redimendi sunt.* Q. D. Deut. XIV. 25. & signabis argentum. *Ita quoque, qui in proprium usum redimit, quintam insuper partem addere debet, atque agnoscitur sors capitalis. Redemtio non fit pecunia, quæ nulla nota insignis, sed forma aut sculptura aliqua illi inesse requiritur. Hinc si quis redemisset ligula argentea aut simili, quod ἄσημον dicitur, ejus redemtio nulla. Nulla quoque quando pretium infra valorem Prutæ, quandoquidem hoc idem ac si pecunia non signata redemisset.*

[6] Quinam decimare debeant, tradit Maimon. noster tr. בכורות cap. VI. הכל חייבין במעשר בהמה כהנים לויים וישראלים ודין מעשר בהמה שיהיה נשחט בעזרה וזורקין את דמו זריקה אחת כנגד היסוד ומקטרין אמוריו ושאר הבשר נאכל לבעלים בירושלים כשאר קדשים קלים ואין לכהנים בו כלום אלא כולו לבעלים כפסח ואם היה בעל מום בין שנפל בו מום בין שהפרישו בתחילה במומו הרי זה נאכל בכל מקום *Omnes ad animalia domestica decimanda tenentur, Sacerdotes, Levitæ, Israelitæ. Jus ejusmodi bestiæ hoc est, ut in atrio mactetur, sanguis una effusione in fundamentum effundatur, intestina adoleantur, caro vero reliqua in Hierosolyma ad modum sacrificiorum leviorum a possessoribus tota, uti etiam agnus Paschalis, comedatur, neque quidquam Sacerdotibus cedat. Si vero bestia illa vitio, quod demum contraxit vel quo jam in separatione laborabat, affecta, ubique locorum comedi potest.*

[7] Id. l. c. מצוה להפריש אחד מעשרה מכל בהמות טהורו׳ שיולדו לאדם בכל שנה ושנה ואין מצוה זו נוהגת אלא בבקר וצאן בלבד שנ׳ כל מעשר צאן ובקר וג׳ו מעשר בהמה נוהג בחולין אבל לא במוקדשין ונוהג בארץ ובחוצה לארץ בפני הבית ושלא בפני הבית אבל חכמים אסרו לעשר בהמה בזמן הזה ותקנו שאין מעשרין אלא בפני הבית גזר שמא יאכלוהו תמים ונמצא בא לידי איסור כרת *Præceptum est, juxta quod unum ex decem de omnibus animalium purorum speciebus, quæ homini quovis anno prognata sunt, segregandum. Hoc autem præceptum tantum valet de pecore bovino & minuto.* N. S. E. Lev. XXVII. 32. omnis decima gregis & bovis &c. *Valet de animalibus communibus, non vero Sacris, in terra & extra illam, stante & diruto Templo. At Sapientes interdixerunt pecus hoc tempore decimandum esse, ordinarunt vero ut decimatio stante nonnisi Templo obtineret atque hoc ideo ne quod decimandum perfectum comedant, qua ratione violarent interdictum pœna excidii munitum.*

[8] Ut ita omnis fraus evitetur: Neque possessor, quod macilentum, vitiatum, decimam dicat. Hic quidem modus optimus. Attamen מנאם רבוצים או עומדין הרי אלו מעושרים *Si quis* (oves, boves) *cubantes aut stantes numerasset, nihilominus decimati habentur.* Misch. tr. בכורו׳ c. ult. §. 7. Virga hæc inferius miniaria erat qua bestiæ decimæ notabantur, Rasch. ad Lev. XXVII. 32.

[9] Canes extra portam stetisse neque Salomon Jarchi, (quem cum aliis per literarum compendium Raschium vocare soleo) ad l. cit. neque Maimonides tradit. Hic ex adverso matres ovium decimandarum ibi stetisse affirmat quod & convenientius אמותיהן מעמיד מבחוץ והן גועות כדי שישמעו הטלאים קולן ויצאו מן הדיר *matres earum extra stabant, atque balatis agnos ut exirent vocabant.*

[10] Quæ hac thesi & etiam subsequente indicantur, confirmari, illustrari & emendari possunt, si integrum Maim. testimonium tract. מעשר cap. IX. apposuero בימי יוחנן כהן גדול שהיה אחר שמעון הצדיק שלחו ב״ד הגדול ובדקו בכל גבול ישראל ומצאו שהכל זהירים בתרומה גדולה ומפרישין אותה אבל מעשר ראשון ומעשר שני ומעשר עני היו עמי הארץ מישראל מקילין על עצמן ולא היו מפרישין אותן לפיכך גזרו שלא יהיה נאמן על המעשרות אלא אנשים נאמנים אבל עמי הארץ פירותיהן ספק ואין נאמנין לומר מעושרין הן וזהו הנקרא דמאי והתקינו שלא יהא אדם מפריש מן הדמאי אלא תרומת מעשר מפני שהוא עון מיתה ומעשר שני שאין בזה הפסד שהרי בעליו אוכלין אותו אבל מעשר ראשו׳ ומעשר עני אין מפרישין מן הדמאי מפני שהוא ספק והמוציא מחבירו עליו הראיה לפיכך אומר ללוי או לעני הביא ראיה שאינו מעושר וטול מעשרום *Tempore Jochanan Pontificis M. Successoris Simeonis Justi Synedrium M. legatos emisit, ut inquirerent in cunctis Israelis terminis* (*de modo solutionis decimarum*) *deprehenderunt omnes in Truma M. pendenda accuratos esse; non item plebejos in solutione decimæ primæ, secundæ & quæ pauperum dicitur. Quare ordinarunt de decimis, viris nonnisi fide dignis fidem habendam esse: Ex adverso plebejorum fructus dubios ducendos, neque iis credendum, si dixerint: Jam decimati sunt. Hi sunt quos* דמאי *appellant. Constituerunt porro de rebus dubiis separandam tantum esse Trumam decimæ, seu cujus omissio commeretur mortem, ut & decimam secundam, in qua nullum damnum, etenim ipsi possessores decimam hanc comedunt. At decimam primam, ut & pauperum a* דמאי *non separant, quia illæ suspectæ habentur, & quia actori incumbit probatio, ideo possessor Israelita ad Levitam aut pauperem inquit: Proba fructus hos nondum decimatos esse atque tum decimam tolle.*

[11] Vocabulum דמאי non adeo clarum insuper illustrabo glossa Bartenoriana ad tract. דמאי c. I. I. דמאי הם התבואה והפירות הנקחים מעמי הארץ שהם חשודים

חשודים על המעשרות והחובר הלוקח פירות מעמי הארץ צריך להפריש מהם תרומת מעשר ומעשר שני בלבד אם היא שנת מעשר שני *Demai intelligendi ſunt proventus (terræ) atque fruges (arborum) a plebejis emtæ : Hi enim de decimis ſuſpecti ſunt. Igitur ſapiens, qui ab illis emet , tenetur ſeparare Trumam decimæ atque decimam ſecundam , tum ſcil. ſi fuerit annus, quo decimæ ſecundæ ſolvendæ ſunt.*

CAPUT QUARTUM.

De Matrimonio.

I. IN hoc capite de *Matrimonio* notanda veniunt. *I. Diſtinctio conjugum* ſeu *mulierum. II. Modus deſpondendi. III. Ritus nuptiarum. IV. Forma divortii.*

Patriarchis duæ uxorum ſpecies. I. נשים Rationes nominis.

II. I. Patriarchæ in V. T. habebant *duas uxorum ſpecies*; utraque ipſarum legitima cenſebatur, *uxoreſque* erant, & propterea quoque utriuſque liberi legitimi æſtimabantur. Hebræi plerumque alteras vocabant נשים *uxores præcipuas* , ductas ſolennibus nuptiarum ritibus. Quidam deducunt hanc vocem a נשה *oblitus fuit* , *quaſi obliviosæ dictæ*, quod plerumque minus memoria valeant, quam mares. Verum non hallucinari videntur, qui dicunt, quod fœminæ ita denominentur de *oblivione* , quia *paternæ familiæ oblivione premuntur & quaſi obliterantur in filiabus nuptis* . Hinc natum illud tritiſſimum Hebræorum משפחת אם אינה קראה משפחה *familia matris non vocatur familia. Aben-Eſr. Num.* 1. 2. Et e contrario *mas a memoria* dicitur זכר , quia conſervatur patris memoria in filio, juxta illud dictum *Abſalomis* : *Non eſt mihi filius* בעבור הזכיר שמי *propter memoriam nominis mei*. 2. *Sam. XVIII.* 18. Eandem prolis maſculæ rationem habitam apud Græcos, teſtatur *Euripides* . Στῦλοι γὰρ οἴκων παῖδες ἄρσενες *Fulcra domus ſunt maſcula proles.*

II. פילגשים

III. Poſteriorem ſpeciem *fœminarum* vocabant פילגשים *uxores ſecundarias* ; quam vocem quidam compoſitam eſſe ajunt ex פלג *dividere &* אשה *uxor*, quaſi *uxor diviſa & dimidia*; vertimus *concubinas* plerumque, & quidem non incommode, nam ipſa Hebraica vox notat ſubinde *obſcœnum proſtibulum*, *aut commune ſcortum.* [1]

Differentia. 1. Ratione diſparitatis in regimine familiæ. 2. Ratione deſponſationis.

IV. Differentia inter has *concubinas* & *uxores primarias* multiplex erat.

V. 1. Ratione *Diſparitatis* in regimine familiæ; *uxor primaria* erat tanquam *hera*; *concubina* tanquam *ſerva*, quæ ſolo *thori jure* fruebatur æque ac *uxor primaria* , alias in cunctis inferior. Et hoc patet ex hiſtoria *Saræ & Hagaris*.

VI. 2. Ratione *deſponſationis*. *Uxor primaria* ducebatur a marito certis donis & ſolennibus ſponſalibus, ut pignoribus contractus conjugalis . Sic diſpenſator domus Abrahami (qui veriſimiliter putatur fuiſſe *Eliezer* , cujus fit mentio Gen. XVI. 2.) nomine I*ſaaci dedit Rebeccæ inſtrumenta argentea & aurea ac veſtes* Gen. XXIV. 53. Hic ritus etiam obtinuit apud *Græcos*; qui hæc dona vocarunt ἔδνα *dona jugalia*.

Τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω
Πρὸς οἶκον Πηλῆος.

Harum quam velit dilectam ſine dote abducat ad domum Pelei. Homer. Iliad. IX. verſ. 140. Præterea *uxor primaria* accepit a marito *ſcriptum* ſeu *inſtrumentum dotale* , cum *concubinæ* neque *donum* neque *ſcriptum* daretur . *D. Kimchi* 2. *Sam. V.* 16.

3. Ratione liberorum.

VII. 3. Ratione *liberorum.* Soli liberi *uxoris primariæ* erant hæredes paternorum bonorum , liberi autem *concubinæ* dono emittebantur. *Abraham dedit Iſaac quidquid habebat , filiis autem concubinarum , quas habuit Abraham , dedit dona* . Gen. XXV. 5. 6. Hic in tranſitu notetur , quod primogeniti , jure primogenituræ , acceperint *duas paternæ hæreditatis portiones . Pater dabit ei portionem duplam ex omnibus , quæ inveniuntur ei , nam eſt initium vigoris ipſius. Deuter. XXI.* 17. [2] Hunc morem reſpexit *Eliſa*, petens *ut duplo ſuper ſe eſſet Eliæ ſpiritus* . 2. Reg. II. 9. h. e. ut ſuper ſe eſſent duæ portiones ſpiritus ejus, reſpectu reliquorum Prophetarum, ſeu potius *filiorum Prophetarum* , inter quos locum primogeniti fratris obtinebat , adeoque primogenituræ jus petebat . Sic ut putandum non ſit , quaſi ſuperciliose ambiverit majorem ſpiritus menſuram, quam ſuper Elia quieſceret , ſed quod petierit excellere reliquos Prophetarum, quibus deinde *pater* factus eſt . Hebraicus mos loquendi in utroque loco idem; פי שנים *partem duorum*.

Jus primogenituræ.

Tempus inter ſponſalia & nuptias.

VIII. II. *In modo deſpondendi* notanda ſunt. 1. *Intervallum temporis*, intercurrens *ſponſalia & nuptias* ; quod quibuſdam viſum eſt *annus plenus* , ad minimum *decem menſes* : & hoc colligunt ex hiſtoria *Rebeccæ* , cujus frater & mater reſpondent ſervo Abrahami , filiam non ſtatim commigraturam eſſe , ſed ad minimum *decem dies* poſt

ſpon-

ſponſalia manſuram. Gen. XXIV. 55. Quem textum exponunt *decem menſes*, ac per hos intelligunt שנת ימים *annum dierum*. Gen. XLI. 1. *Onkelos & R. Salom.* Sed non admittimus hanc expoſitionem, nam, etſi noſtra verſio habet, *at leaſt ten dayes*, *ad minimum dierum decadem*, convenienter τοῖς LXX. & fonti, non tamen ſequitur, quod hoc tempus capiatur pro complemento definiti ſpatii, intercurrentis ſponſalia, & nuptias; ſed potius prodit tenerum matris amorem, nolentis tam maturum diſceſſum. Hoc non obſtante, plauſibile eſt, quod interceſſerit intervallum temporis, inter *ſponſalia & nuptias* ipſas, licet id definitum non ſit, aut determinatum certo *dierum*, *hebdomadarum*, *menſiumque* numero. [3]

Tres matrimonium contrahendi ritus.

IX. 2. Secundum, quod obſervandum eſt hic, eſt *ritus contrahendi* matrimonium, qui in Iſraele triplex fuit, fiebatque contractus 1. *Argento*. 2. *Scripto* ſeu inſtrumento. 3. *Copulatione*, & hæc omnia *præſentibus teſtibus*, בכסף או בשטר או בביאת וכולן בעדים *Nummo*, *aut literis contractus*, *aut ingreſſu*, *& hac omnia coram teſtibus*. *Moſ. Kotſ. fol.* 124. [4] *Nummo*, fuerit etiam λεπτῷ aut pretium æquivalens. Eo tempore maritus his verbis & ſimilibus uſus eſt: הרי את מקודשת לי *Ecce tu es deſponſata mihi*. *Maim. in Iſchoth. cap.* 3. *ſect.* 1. [5] deditque nummum ſponſæ in oculis teſtium. *Scripto*; ſcripſit autem hacce ſequentique formula: *eſto mihi deſponſata*; quod inſtrumentum ipſi præbuit coram teſtibus, ſubſcripto illorum nomine, alias deſponſatio irrita fuiſſet. *Copulatione*; quando hæc verba orſus eſt: *Ecce*, *tu eris mihi deſponſata copulatione*. Et ſic cum ipſa unitus eſt coram duobus teſtibus; qua copulatione facta erat ipſius *conjux*. Ubi cum ea ſe commiſcuerat modo illicito, & cum nondum deſponſata, aut facta ſponſatione clancularia ſine teſtibus, non fuit hæc deſponſatio rata habita. Utcunque ſit, interdictum ipſi fuit ſecundo concubitu ante peractas rite nuptias. Et licet deſponſatio fieri poſſet ſingulis his ſpeciebus, plerumque tamen fiebat *nummo*. Sique vellent, licebat fieri *inſtrumento literarum*; aſt deſponſatio, facienda *commixtione*, interdicta erat Iſraelis ſtatutis, & qui contra iverat, cædebatur virgis, etiamſi deſponſatio in ſuo vigore ſtaret. Hi ſolennes ritus ſponſales peragebantur a marito & nova nupta ſub tentorio ſeu *papilione* [6] hunc in finem erecto, quem ſua lingua dicunt חופה *tabernaculum*, *Elias Thisb.* Huc alludit *Pſalmiſta Pſ. XIX.* 5. 6. *In iis Soli poſuit tentorium*. *Et ipſe eſt ut ſponſus*, *prodiens ex thalamo ſuo*; *alacris eſt ut heros*, *ad decurrendum iter*.

Locus rituum nuptialium. Amici Sponſi.

X. III. *Ritus nuptiales* peragebantur in concione ad minimum *decem hominum*, benedictionibus & gratiarum actionibus ad Deum, unde ipſa domus vocatur בירת הלולא & epithalamia הלולים *Hymni*. Sponſi *amici intimi*, qui comitabantur ipſum, cantantes hocce epithalamium, appellabantur υἱοὶ τȣ̃ νυμφῶνος [7] *filii thalami*. Matth. IX. 15. Tales mihi videntur fuiſſe *triginta illi ſocii*, quos aſſumſit Simſon. Jud. XIV. 11.

Preces nuptiales.

XI. Formula hujuſmodi benedictionis late deſcribitur a *Genebrardo*; cujus ſumma hæc eſt. Præcipuus horum ſociorum, ſumto calice benedicit, inquiens: *Benedictus tu Domine Deus noſter*, *Rex mundi*, *qui creas fructum vitis*; deinde pergit: *Benedictus ſit Dominus Deus noſter*, *Rex mundi*, *qui creavit hominem ſecundum imaginem ſuam*, *ſecundum imaginem ſimilitudinis ſuæ*, *& paravit eo ſibi ædificationem æternam; Benedictus ſis tu Domine*, *qui eum creaſti*. Poſtea ſequitur: *Benedictus tu Domine*, *Deus noſter*, *qui creaſti gaudium & lætitiam*, *ſponſum & ſponſam*, *charitatem & amorem fraternum*, *hilaritatem & jucunditatem*, *pacem & ſocietatem*. *Precor te*, *o Domine*, *cito audiatur in civitatibus Judæ & vicis Hieroſolymæ vox gaudii & lætitiæ*, *vox ſponſi & ſponſæ: vox exultationis in thalamo dulcior eſt omni feſto*, *& liberi ſuaviores*, *quam ſuavitas omnis cantionis*. [8] Hoc finito, propinat conjugibus novis.

Earum finis.

XII. Hic ritus celebrandi Deum hoc tempore non fuit ſupervacaneus & fruſtraneus; ſiquidem fructus ventris exſpectabatur a Deo, tanquam ſingularis benedictio, [9] quod agnoſcunt Judæi, quando dicunt: *Quatuor claves* ſunt in manu ejus, qui totius mundi Dominus cluit, quæ nec *Angelis* nec *Seraphimis* concreditæ ſunt; nempe מפתח מטרא מפתח פרנסה מפתח קבורה מפתח עקרתא *clavis pluviæ*, *clavis cibationis*, *clavis ſepulcrorum*, *& clavis ſterilitatis*. *Targum. Hieroſol.* Gen. XXX. 31. [10]

Deo IV. claves vindicantur.

XIII. Quod attinet *clavem pluviæ*, ſic loquitur Scriptura: *Aperiet tibi Dominus theſaurum ſuum bonum*, *cœlos*, *ad mittendum pluviam in terram tuam*. Deut. XXVIII. 12. Quod attinet *clavem cibationis*, ſic legitur: *Aperis manus tuas*, *& ſatias omne vivens benevolentia*. Pſal. CXLV. 16. Quod attinet *clavem ſepulturæ*, ita habetur: *Ecce ego aperiens ſepulcra tua*. Ezech. XXXVII. 12. Quod attinet *clavem ſterilitatis*: *Deus recordatus eſt Rachelis*, *& aperuit matricem ejus*. Gen. XXX. 32. Quibus docetur, quod has quatuor res Deus ſibi ſuæque poteſtati reſervarit, ſcil. *pluviam*, *alimenta*, *reſuſcitationem noſtrorum corporum*, *& propagationem generis*.

Quamdiu nuptiæ duraverint.

XIV. *Tempus nuptiarum* plerumque videtur fuiſſe *ſeptem dierum*. [11] Vid. *Thisbit. in* חתן Simſon nuptiarum ſuarum feſtum celebravit *ſeptem dies*. Jud. XIV. 13. Et de his ſe-

ſeptem nuptiarum diebus intelligunt Theologi illud *Labani* ad *Jacobum* de *Lea: comple ſeptimanam hujus, tum dabimus tibi quoque iſtam*. Geneſ. XXIX. 27. *Auguſt. Quæſt. Gen. ſuper Geneſ. cap.* 88. Quo dicto putatur petiiſſe, ne Jacob repudiaret Leam, ſed confirmaret præſens connubium, *complendo ordinarium nuptialium dierum numerum*. Ab hoc ritu ut & ab illo Joſephi, *ſeptem diebus* lugentis patrem, Gen. L. 10. ortum eſt illud inter Judæos proverbium: *Septem ad convivium, ſeptem ad luctum*.

Summus nuptiarum moderator. Formula invitandi ad nuptias.

XV. *Summus nuptiarum moderator* vocatur בעל משתה, quod nomen apte exprimitur per illud Ἀρχιτρίκλινος. Joh. II. 9. Hodierni Judæi in *Italia*, invitantes quempiam ad nuptias, hæc ajunt: *N. N. invitat te, ut teſteris conjugium filiæ ſuæ præſentia tua in nuptiis, &c.* cui regerit invitatus: מזל טוב *Stuk de conviv. lib. 2. c.* 3. Quod quidam exponunt eſſe communem gratulationem; *Fortuna bona!* verum, potius putem, quod novis conjugibus adoptata ea ſit *ſingularis benedictio in generatione prolis*; hinc annulo pronubo idem hoc inſcriptum erat; מזל טוב *Munſt. Gen. XXX.* Hebræi etiam *Planetam Jovis* vocant מזל, cujus influxum magnæ virtutis in generationem eſſe reputant. Sed *Mazal* notat alium *Planetam* aut ſydus cœli, juxta illud Hebræorum tritum: *Non eſt tibi ulla herba inferius, cui non ſit Mazal, ſydus, in firmamento; &* τὸ *Mazal ferit ipſam, & dicit ei: Creſce*. Sic, quia etiam טוב notat *bonum*, phraſis iſta ſonabit: *fiat fauſta hora*, aut *ſub bono Planeta!*

Inſtrumentum dotis, quod maritus uxori porrigit.

XVI. *Tempore nuptiarum* tradit quoque maritus uxori *inſtrumentum literarum*, ſcribente id Notario, ſolvente ſponſo. Hujus jure ſponſus ſuæ ſponſæ dat 200. *denarios*, hoc eſt 50. *ſiclos*, ſi ſit virgo; ſi autem ſit vidua, 100. *denarios*, hoc eſt 25. *ſiclos*. [12] Hæcque ſumma vocata eſt *radix*, ſeu *præcipua dotis pars*. Dos minor eſſe non poterat, ſed major, pro lubitu ſponſi, fuerit etiam talentum auri. Mentio fit contractus inter *Tobiam* & *Saram*, formati non per *Notarium*, ſed *Raguelem*, ſponſæ patrem. [13] Ubi notandum, quod ante exarationem hujus inſtrumenti literarii fuerit *traditio mulieris traditæ marito*. Verba adhibita ſunt: *Ecce ſecundum legem Moſis accipe illam*. Tob. VII. 15.

Ejus copia.

XVII. Copia hujus *inſtrumenti dotalis* ſumta eſt a *Bertramo* ex *Talmude Babyl.* Vid. *Buxtorf. Grammat. Chald. p.* 383. Summaque hæc eſt: *Sexto ſeptimanæ die, quarto menſis Sivan, anno* 5254. *a Con. M. juxta computum, quo utimur hic Maſſiliæ, urbe ſita ad mare Schoar, ſponſus Rabbi Moſes, filius R. Jebudæ, dicit ſponſæ, Claronæ, filiæ ex R. Davide R. Moſis, civis Liſabonenſis filio. Sis mihi in uxorem ſecundum legem Moſis & Iſraelis, & ego ſecundum Dei verbum te colam, honorabo, alam, regam; ſecundum morem virorum in Iſraele, qui ſuas conjuges colunt, honorant, ſuſtentant, fideliterque regunt. Do quoque tibi dotem virginitatis tuæ, 200. denarios argenteos, qui tibi debentur juxta legem, ut & alimentum, veſtimenta, & ſufficientes neceſſitates, nec non cognitionem juxta conſuetudinem univerſæ terræ*. Sic *Clarona* virgo acquieſcit hoc, fitque conjux *R. Moſis* ſponſi, Fil. *R. Jebudæ*. [14]

Officia mariti erga uxorem.

XVIII. Finitis *nuptiis* uxor a marito tria poſcere poterat. 1. *Alimenta*. 2. *Veſtimenta*. 3. *Concubitum*, ſeu jus thalami; [15] quod notant ex Exod. XXI. 10. *ſi aliam accipiet ſibi, veſtitum ejus, alimentum ejus, officium debiti conjugalis, non ſubtrahet*. Quo reſpicit Apoſtolus, id officium vocans εὔνοιαν ὀφειλομένην *debitam benevolentiam*. 1. Cor. VII. 3.

Uxoris caput tectum eſſe ſolet.

XIX. Uxor, cum primum oſtenderetur marito, texit caput *tegmine* in ſignum *ſubjectionis*. *Rebecca accepit peplum, & operuit ſe. Gen. XXIV.* 65. Propterea que (nempe in ſignum *ſubjectionis*) debet mulier ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξουσίαν ἔχειν. 1. *Cor. XI.* 10. Ubi per ἐξουσίαν *poteſtatem* Apoſtolus intelligit *velamen*. [16] Si quis quærat, cur *velamen* intelligat per *poteſtatem*, præſertim cum ſit nota ſubjectionis? Reſp. Apoſtolus, quum fuerit *Hebræus ex Hebræis*, potuit reſpexiſſe Hebraicum vocabulum רדיד, quod notat *velamen*, deſcenditque a verbo רדד *ſubdidit*, *ſubjecit*, *poteſtate uſus eſt*; [17] & ſic vox Græca ἐξουσία eodem ſenſu, quo Hebræa, ſumi poteſt. Et ſane, quid eſt illa ſub viro *ſubjectio*, niſi *poteſtas & protectio* uxoris, ſi conferamus priſtinum virginitatis ipſius ſtatum? Et proinde marito zelotypia accenſo adverſus illam, tum inter alia triſtia ſigna jubebatur quoque ſtare, ad approbationem ſuam, *nudato capite*, Num. V. 18. בלא רדיד *ſine Redid*, ἄνευ ἐξουσίας. Sic ergo interpretor verba *Maimon. in Sota. c.* 3. *ſect.* 5. Quo ſignificabatur, quod ſi ſe purgare a crimine non poſſet; ἀπὸ τοῦ νῦν & in poſterum exuenda eſſet omni poteſtate, qua antea ſub marito gaviſa eſt.

Libelli repudii nomina.

XX. IV. Peractis nuptiis perfectoque conjugio ſubinde [18] admiſſus eſt *libellus repudii*, quem Hebræi vocant ספר כריתות *Græci* Βιβλίον ἀποστασίου *libellum abſciſſionis, quia uxor hoc pacto abſcinditur a familia mariti*.

Requiſita.

XXI. Decem res cenſebantur requiſitæ fuiſſe tanquam fundamenta & rationes *repudii*. *Maim. de divort. c.* 1. *ſect.* 1. num. 1. *Ut non niſi ſponte maritus ipſam repudiaret*. 2.

Ut

Ut dimitteretur libello, non ulla alia re. 3. *Ut ſumma libelli eſſet de repudiatione & expulſione ejus ex poſſeſſione*. 4. *Ut cauſa repudii eſſet inter ipſum & ipſam*. 5. *Ut ſcriberetur cum illius nomine*. 6. *Ut uon deeſſent poſt ejus ſcriptionem actiones, præter inſinuationem*. 7. *Ut traderet ei*. 8. *Et quidem coram teſtibus*. 9. *Atque ſecundum legem repudii*. 10. *Ut maritus, aut alius in hoc munus deputatus, traderet uxori*.

Formula.

XXII. Formula *libelli* illius hæc fuit: *Die hebdomadis N. Menſis N. Anni N. a C. M. computo, quo utimur hac in urbe N. ſita ad fluvium N. in Provincia N. Ego N. filius Rabbi N. de provincia N. Sed nunc habitans in loco N. prope ad fluvium N. volui cum ſummo animi conſenſu, & abſque ulla coactione, ac repudiavi, dimiſi, atque expuli te, te, inquam, N. uxorem meam de provincia N. filiam Rabbi N. habitantis in provincia N. & nunc in loco N. ſito prope fluvium N. quæ antehac uxor mea fuiſti. At nunc te repudio, dimitto, & te expello, ut libera & tui juris ſis, abeaſque & nubere poſſis alii alicui viro, cuicunque placuerit. Et nullum virum repudies propter me, ab hodierno die uſque in perpetuum. Libera ergo & legitima es cuivis homini: Atqui hic eſto tibi a me libellus repudii, epiſtola divortii, & literæ expulſionis, ſecundum legem Moſis ac Iſraelis.*

N. Filius N. Teſtis.

N. Filius N. Teſtis.

Hæc forma reperitur apud *Moſ. Kotſ. fol.* 133. Aliud exemplar ibidem habetur, item in *Moſe Ægyptio, part. 2. fol.* 59. unde deſumta eſt hæc teſtium ſubſcriptio, quam appoſuimus.

Scriptor.

XXIII. Hic *libellus* ſcriptus eſt a Notario. [19] *Salom. Jarchi. Hoſea. I.* 10. Præterea uxor *repudiata & vidua non poterant ſecundum conjugium ingredi, priuſquam abiiſſent 90. dies poſt diem repudiationis aut mortis mariti & conjugii ultimi, eo fine, ut pateret, utrum prægnans eſſet, an non, & ut liqueret, utrum ſit ſemen primi an ſecundi mariti. Maim. de divort. cap.* 11. *ſect.* 18.

Quando repudiata rurſum matrimonium inire poſſit?

XXIV. Recepta apud Romanos conſuetudo fuit circa nativitatem Salvatoris noſtri, ut ipſæ etiam fœminæ maritos ſuos *repudiarent*, aliis pro lubitu nuberent. De hac re loquuntur Gentiles Scriptores.

Etiam fœminæ maritos repudiant.

— Sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos.

Juvenal. Sat. VI. verſ. 230.

Et nubet decimo jam Theleſina viro.

Martial. l. 6. Non conſulum, ſed maritorum numero annos ſuos computant &c. Senec. 3. *de benef.* 16. Literæ ab uxore traditæ vocabantur *γράμματα ἀπολείψεως literæ derelictionis*, non *abſciſſionis*, aut *dimiſſionis*. *Plutarch. in Alcibiad.* Eadem praxis & apud Hebræos valebat. [20] Hinc eſt illud, *Marc. X. 12. Si mulier virum ſuum reliquerit ἀπολύσῃ, & nupſerit alii, &c.*

Lex Dei repudium & connubium poſt divortium damnat.

XXV. Licet autem eo tempore ſecunda cum aliis *connubia* poſt *divortia* hæc, humanis legibus non prohiberentur, attamen Dei Lex tam *repudium* iſtud ſeu *divortium*, quam *connubium* iſtud damnat; & iſtæ perſonæ, ingredientes ſecundum thalamum poſt talia *divortia*, habentur a Deo *Digami*. Ob hanc rationem jubetur præprimis Miniſter eſſe *μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ unius mulieris vir*. 1. *Timoth. III.* 2. & mulier *ἑνὸς ἀνδρὸς γυνὴ unius viri mulier*. 1. *Tim. V.* 9. In quibus locis *nuptiæ ſecundæ* (ſi vir aut mulier e vivis abiit) non plus prohibentur, quam Poeta illis interdicit, in ſimili loquendi modo:

Unico gaudens mulier marito.

Hor. carm. 3. 14.

Dos, quam ſponſa marito adfert:

XXVI. Tandem nota, quod ſponſa ſuo marito quoque attulerit dotem, jam minorem, jam majorem; quam vocabant *Rabbini* נדוניא [21] *Elias Thisb.* item *Salom. Jarchi. Gen.* XXXI. 15. *Ita Raguel dedit ipſi Saram uxorem ipſius cum dimidio facultatum mancipiis, jumentis, & pecunia*. Tob. X. 11.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

Annot. [1] Vocem פילגש ſubinde obſcœnum proſtibulum aut commune ſcortum notare nondum liquet. Studio omnia loca (ſunt autem circiter 36.) in quibus פילגש reperitur, percurri, non tamen ullum, qui ex expoſitione Auctoris explicandus ſit, inveni. Eſt quidem clara differentia ab נשים uxoribus primariis 1. Reg. XI. 5. 2. Chron. XI. 21. (licet etiam פילגשים aliquando נשים 2. Sam. XV. 16. XX. 3. & אשה Gen. XXV. 1. dicantur) Verum non tanta. Patet inde 1. Dicitur vox de uxoribus Patriarcharum uti Abrahami, Jacobi, Calebi, quos cum obſcœno proſtibulo rem habuiſſe cogitatu impium eſt. II. Inſuper de uxoribus Regum Davidis, Salomonis, Rehabeami. Non putandum eſt Reges communia ſcorta aluiſſe, unde Iſchboſchetus 2. Sam. III. 7. *quare ingreſſus es ad concubinam Patris mei*. Sic Eſth. II. 14. illis peculiaris שמר *cuſtos* aſſignatur III. Præterea appropriatur certo alicui marito Gen. XXXV. 22. *Bilha* פילגש אביו *concubina Patris ſui* 2. *Sam. XVI.* 21. *ingreſſus eſt ad concubinas Patris*

ſui

sui &c. Non displicet descriptio, quam Vir Doctus *in Concord. Buxtorfianis* ad h. v. dat. היא האמה המיוחדת למשכב בלא חופה ובלא קרושין *serva est thoro destinata, sed sine solenni copulatione & desponsatione.*

[2] Maim. tr. נחלות c. II. in. הבכור נוטל פי שנים בנכסי אביו שנ׳ לתת לו פי שנים כיצר הניח ה׳ בנים ואחד מהן בכור הבכור נוטל שליש הממון וכל אחד מהארבעה פשוטים נוטל שתות *Is, qui primogenitus, duplicem portionem bonorum paternorum sumit, veluti si Pater quinque filios reliquit, qui inter hos primogenitus tertiam, unusquisque e quatuor reliquis sextam accipit partem.* Exemplum in Josepho, qui Rubeni in hoc primogenituræ privilegio successit 1. Chron. V. 2.

[3] Maimon. tract. אישות cap. I. in. קודם מתן תורה היה אדם פוגע אשה בשוק אם רצה הוא והיא לישא אותה מכניל לתוך ביתו ובועלה בינו לבין עצמו ותהיה לו לאשה כיון שנתנה תורה נצטוו ישראל שאם ירצה האיש לישא אשה יקנה אותה תחלה בפני עדים ואחר כך תהיה לו לאשה שנ׳ כי יקח איש אשה *Lege nondum lata is, qui in platea fœminæ occurrit atque cum illa de matrimonio convenit, introduxit eam in domum suam atque privatim cum ea concubuit eratque uxor ejus. At lege data Israelita, qui uxorem ducere volebat, eam præsentibus testibus primo sibi acquirere jubetur; Postea demum est uxor ejus.* Q. S. E. Deuter. XXII. 13. quando vir uxorem sumserit. Ergo Tempus aliquod inter desponsationem & introductionem intercedit v. Deuter. XX. 7. quantum vero sit, non certo constat. An forsan huc pertinet tempus, quo sponsa audit. R. Obad. de Bart. tractat. יומא c. VIII. 1. כל שלשים יום קרויה כלה *totis XXX. diebus dicitur sponsa.* Illustra hinc Matth. I. 18.

[4] Maimon. loc. cit. כיון שנקית האשה ונעשית מקודשת אף על פי שלא נבעלה ולא נכנסה לבית בעלה הרי היא אשת איש ותבא עליה חוץ מבעלה חייב מיתה בית דין ואם רצה לגרש צריכה גט *Postquam fœmina emta & sic desponsata est, quamvis nondum compressa aut in domum introducta fuerit, nihilominus uxor mariti cognoscitur. Hinc, qui cum illa, si maritum exceperis, congreditur, ille se reum facit mortis per Synedrium inferendæ. Ita si illam dimittere vult, libellus repudii requiritur.* Ex hoc jure Josephus cum Maria desponsatus, ἀνὴρ μαρίας, Maria vero γυνὴ τοῦ Ἰωσὴφ, vocatur. Josephus δίκαιος *clemens* voluit λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν, quia si pubblice fecisset, Maria vita plectenda fuisset.

[5] Non tamen valet, si sponsa dixerit: הרי אני מקודש׳ לך הריני מאורסת לך *Ego sum desponsata tibi.*

[6] Memoratos solennes ritus sub חופה peragi vix puto. Pertinent enim ad קידוש *desponsationem*, quæ distinguenda est a נשואים quando mutuæ promissiones sub חופה solenniter confirmantur, quando sponsa in domum sponsi deducitur. Hoc discrimen in tract. cit. passim observare licet; vide init. cap. X.

[7] Rabbinis בני חופה, qui ad nuptias invitati sunt, quales Joh. II. & distincti a שושבינים quorum erat ad fores thalami exspectare atque de signis virginitatis testari v. Joh. III. 29.

[8] Vide benedictiones has, quas a numero שבע ברכות *septem benedictiones* vocant, in M. Buxtorfii Synag. J. c. XXXIX. p. 634. atque Auctoris nostri partim supple partim emenda. Earumdem meminit Hebræus Tobias c. VII. 17. Recte Judæi monent nuptias precibus consecrandas esse, quo Benignissimum Numen novos conjuges omni benedictione perfundat.

[9] In scriptura liberi benedictionis signum habentur Ps. CXXVII. CXXVIII. Pii veteres vere judicabant hominem esse creaturam nobilissimam, imagine Dei instructam, omnes mundi thesauros pretio longe antecedere. Plurimum gaudebant, si ex lumbis propriis egressi fuerint, qui fœderati summi Dei sunt, atque ad manifestandam gloriam ejus enituntur. Mire cupiverunt, nativitatem Messiæ, atque, si ita Deo visum fuerit, unusquisque e se mediate aut immediate prognatum impense desiderabat. Ex adverso sterilitatem notam maledictionis Exod. XXIII. 26. Deut. VII. 14. XXVIII. 11. & opprobrium Luc. I. 25. habebant.

[10] Convenit Sanh. c. XI. שלשה מפתחות לא נמסרו לשליח של חיה ושל גשמים ושל תחיית המתים *Tres claves Ministro commissæ non sunt: scil. clavis vitæ, pluviæ & resurrectionis mortuorum.* Illustra Apoc. I. 18.

[11] Idem tempus nuptiis Tobiæ destinatum c. XI. v. ult. שמחה בבית טוביה שבעת ימים ex edit. P. Fagii. Sic LXX. καὶ ἤχθη ὁ γάμος τωβὶα μετ᾽ εὐφροσύνης ἡμέρας ἑπτά.

[12] Mischn. tract. כתובות c. I. 2. בתולה כתובתה מאתים ואלמנה מאה בתולה אלמנה גרושה וחלוצה מן האירוסין כתובת מאתים ויש להן טענת בתולים הגיורת והשבויה והשפחה שנפדו ושנתגיירו ושנתחררו פחותות מבנות שלש שנים ויום אחד כתובתן מאתים ויש להן טענת בתולים *Dos matrimonialis, quæ Virgini datur, ducentis Zuzim constat, sed quæ viduæ, nonnisi centum. Virgini, quæ vidua aut repudiata vel quæ calceum exuit, ex desponsatione pro dote datur summa ducentorum Zuzim, sed de virginitate quæstio movetur. Peregrinarum, captivarum & servarum, quæ redemtæ proselytissæ factæ, & in libertatem emissæ sunt quando nondum habebant tres annos & unum diem, dos matrimonialis quoque ducentorum Zuzim est, atque etiam de virginitate quæstio movetur.*

[13] Sic Lector facile colligit ex textu Hebr. edit. Munsterianæ, Lxx. virali versione ac vulgata. Textus Hebræus ex edit. P. Fagii magis ad Judaicos ritus compositus. ואמר לנער ראה בני הרי זאת מקודשת לך כדת יהודה וישראל ולך אל אביך ומיד קרא עדים וקדש אותה בפניהם וכתבו וחתמו שטר כתובתה Raguel *dixit ad Juvenem: En, fili mi, hæc tibi desponsata esto, prout mos in Juda & Israel est. Tu* (cum illa) *ad patrem tuum ibis. Mox convocavit testes atque in illorum præsentia consecravit. Scripserunt atque sigillarunt instrumentum dotis matrimonialis.*

[14] Vix dimidiam instrumenti dotalis partem tradit hic Auctor. Supplebo itaque defectum ex copia ejusmodi instrumenti apud Seldenum de Ux. Ebr. l. II. c. X. p. 120. ed. Fr. ad Od. *Assensum item præbuit illa N. ut esset illi N. in uxorem. Voluit etiam & adjecit ille illi in principalis dotis incrementum summam N. Et bona, quæ attulit ipsa sponsa* (Nedunia vocant, quod idem est cum dote in Jure Cæsareo) *æstimantur summa N. Totum autem sponso huic acceptum in ejus possessionem transit & illius fit potestatis atque ut creditum ex ejusce fide pendet. Et sic nobis dixit sponsus ille N. In me recipio præstationem totius ipsius dotis etiam & bonorum, quæ secum ipsa sponsa jam attulerit aut postmodum sibi acquisierit item & dotis incrementi conditionumque qualiumcumque ad dotem attinentium, nec in me solum, sed etiam in hæredes meos, qui mihi successerint & in omnem substantiam meam pretiosiorem possessionesque meas qualescunque sub cœlo, quæ sive nunc mihi sint, sive imposterum fuerint idque sive res fuerint mobiles sive immobiles, quæ universa pignori sint atque hypothecæ doti jam dictæ toti ac rebus, quas secum attulit, seu postmodum acquisierit sponsa & incremento dotis, ut exinde hæc præstentur, sive dum superstes fuero, sive postquam sim mortuus. Quod & de pallio super humeris meis dictum volo. Quin & obligatio omnium rerum, quæ supra scribuntur memoranturque implenda non qua probatio suppetat deficiatve seu pro libelli formulæ vi, sed juxta vim & effectum omnium libellorum dotalium, qui in usu apud Israelitas & secundum id, quod receperunt & ordinarunt Rabbini nostri piæ memoriæ. Et signavimus libellum seu syngrapham hanc dotalem tempore supra memorato. Resque tota fit manifesta, rata ac firma.*

[15] In textu Originali est עונה quod rectius *domicilium* vertis. Conf. Es. XIII. 22. Tria officia, quæ Auctor noster allegat, vir uxori juxta scripturam debet. Sunt insuper septem alia ex constitutione sapientum האחד מהם עיקר כתובה והשאר הם הנקראים תנאי כתובה ואלו הן לרפאתה אם חלתה ולפדותה אם נשבית ולקוברה אם מתה ולהיות נזונת מנכסיו ויושבת בביתו אחר מותו כל זמן אלמנותה ולהיות בנותיה ממנו נזונות מנכסיו אחרי מותו עד שתתארסנה ולהיות בניה הזכרים ממנו יורשין כתובתה יותר על חלקם בירושה שעם אחיהם *Primum ex illis est fundamentum dotis matrimonialis: Reliqua vocantur conditiones instrumenti matrimonialis, veluti quod* (a marito) *uxor ægrota sananda, captiva redimenda, mortua sepelienda, ex opibus suis alenda, domicilium a morte ejus omni viduitatis suæ tempore concedendum, filiæ quas ex marito peperit, illo mortuo ex bonis mariti quoque cibandæ usque dum desponsantur, filii, quos ex eodem progenuit, dotem matrimonialem hæreditario consequuntur ultra hæredi-*

reditatis partem, quæ ipsis cum reliquis fratribus contingit.

[16] Paulus l. c. id agit ut ostendat mulierem, quæ mariti potestati subjecta est, in signum subjectionis tecto capite esse debere, *nam omnis mulier, quæ preces fundit aut prophetat* ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ *illa caput suum dehonestat* v. 5. quod in sequentibus usque ad cap. 10. probat, & ex dictis colligit *propterea mulier debet* ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. E. vi argumentationis Paulinæ aliud sub ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς intelligere nequeo quam velamen capitis. Opponit Apostolus ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ & ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Addo legem, ad quam mulieres Judææ se componere debent. Maimonid. tractat. אישות cap. XXIV. ואי זו היא דת יהודית הוא מנהג הצניעות שנהגו בנות ישראל ואלו הן הדברים שאם עשתה אחת מהן עברה על דת יהודית יוצאה לשוק או למבוי מפולש וראשה פרוע ואין עליה רדיד בכל הנשים וכ״ו *Quænam est Judaica constitutio, juxta quam filiæ Israel modestiæ student? Si aliquod ex sequentibus violarunt, tum illam transgressæ sunt: veluti si mulier in plateam aut ambulacrum patens nudato capite sine peplo juxta morem reliquarum mulierum prodierit &c.*

[17] Male: Nam רדד notat non *dominari*, sed *expandere* 1. Reg. VI. 32. Unde Judæi recte exponere solent per פרישה & רקוע *expansum*. De peplo commode quoque dicitur.

[18] Ipsi Magistri in causa divortii danda vix conveniunt. Misch. c. IX. 10. בית שמאי אומרים לא יגרש אדם את אשתו אלא אם כן מצא בה דבר ערוה שנ׳ כי מצא בה ערות דבר ובית הלל אומרים אפילו הקריחה תבשילו שנ׳ כי מצא בה ערות דבר רבי עקיבא אומר אפילו מצא אחרת נאה הימנה שנ׳ והיה אם לא תמצא חן בעיניו *Schola Schammai ait: Uxorem non esse repudiandam, nisi in ea inventa fuerit res turpitudinis.* Q. D. E. Deut. XXIV. 1. quando repererit in illa rem turpem. *At Schola Hillelis: si vel combusserit decoctum ejus.* Q. D. E. l. c. Si repererit in illa turpitudinem rei (cujusdam) *R. Akibha dicit: Modo aliam pulchriorem invenerit.* Q. D. E. l. c. & si non invenerit gratiam in oculis suis. Schammæani per ערוה *turpitudinem* scortationem, v. Lev. XVIII. 6. sed Hilleliani rem quamvis vitiosam intelligunt. Notandum autem quod Hillelianorum (ut plurimum) sententia obtineat. Glossa Bartenoriana הלכה כבית הלל *decisio juxta domum Hillel.* Recte itaque Christus Judæos levitatis de divortio accusat, Matth. V. 31. 32. XIX. 7. atque ita se a parte Schammæanorum adversus Hillelianos stare indicat.

[19] De materia, quæ scribitur & cui inscribitur, ipso scriptore pauca ex cit. tr. c. II. 3. 5. excerpam. בכל כותבין בדיו בסם בסקרא ובקומוס ובקנקנתום ובכל דבר שהוא של קיימא אין כותבין לא במשקין ולא במי פירות ולא בכל דבר שאינו מתקיים על הכל כותבין על העלה של זית ועל הקרן של פרה ונותן לה את הפרה על יד של עבד ונתן לה את העבד וכ״ו הכל כשרין לכתוב את הגט אפילו חרש שוטה וקטן האשה כותבת את גיטה והאיש כותב את שוברו שאין קיום הגט אלא בחותמיו *Scribebant vel atramento vel auri pigmento vel minio aut Gummi vel chalcantho imo omni materia mansura, sed non licitum est scribere liquore vel aqua frugum nec ulla alia materia, quæ non manet. Sic inscribunt cuivis materiæ uti folio olivæ aut cornu vaccæ* (Maritus mulieri) *ipsam vaccam ope servi, imo & servum dat. Ad libellum divortii scribendum omnes idonei sunt, etiam surdus, stultus & minorennis. Imo mulieri proprium repudii libellum & mariti apocham scribere licet, etenim confirmatio omnis dependet a subsignatione.*

[20] Æquissimum videtur, ut, si causa justa, mulieri æque ac viro repudiandi potestas concedatur. Hebræos tamen ita sentire, quod Auctor ait, nescio. Joseph. Antiq. Jud. l. XV. c. II. pag. 532. πέμπει μὲν εὐθὺς αὐτῷ γραμμάτιον ἀπολυομένη τὸν γάμον οὐ κατὰ τοὺς ἰουδαίων νόμους. ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστι παρ᾽ ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν, γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ᾽ αὑτὸν γαμηθῆναι μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος. *Salome mox libellum repudii marito mittit præter legem Judæorum. Lex enim nostra solis maritis hoc jus permittit, mulieribus autem ne dimissis quidem fas est nubere, nisi prioris viri permissu.*

[21] Bona uxorum duplicis naturæ sunt, de quibus Maimon. tr. אישות cap. XVI. 1. הנכסים שמכנסת האשה לבעלה בין קרקע בין מטלטלין בין עבדים אף על פי שהן נכתבין בשטר הכתובות אין נקראין כתובה אלא נדוניא שמם ואם קיבל הבעל אחריות הנדוניא עליו ונעשת ברשותו אם פחתה פחתה לו ואם הותירה הותירה לו הרי זה נקרא׳ נכסי צאן ברזל ואם לא קיבל אחריות הנדוניא עליו אלא הרי היא ברשו׳ האשה אם פחתה פחתה לה ואם הותירה הותירה לה הרי זה נקראת מכסי טלוג *Bona uxoris, quæ marito suo tradit tam mobilia quam immobilia vel mancipia, licet inscripta sint instrumento, quod dotem matrimonialem continet, non tamen dos matrimonialis sunt, verum* נדוניא *vocantur. Si maritus cautionem de damno præstiterit atque bona illa suæ potestati commissa fuerint tum quando imminuuntur, damnum in maritum, si augentur, commodum in eundem redundat. Appellantur opes pecoris ferrei* (quæ nec crescunt nec decrescunt) *Si vero bonorum* נדוניא *cautionem non susceperit, sed illa in manu uxoris sunt damnum & commodum eidem cedunt. Ejusmodi dicuntur opes depilationis.*

CAPUT QUINTUM.

De Sepultura.

Ceremoniæ ante humationem.

1. Claudere oculos mortui.

I. MULTÆ ceremoniæ observabantur ante denati hominis *humationem*. [1] 1. *Proximus sanguine clausit oculos mortui. Joseph imponet manum suam oculis tuis. Gen.* LXVI. 4. Hic ritus & ipsis *Romanis* atque *Græcis* peregrinus non fuit. *Ovid.*

> *Ille meos oculos comprimat, ille tuos.*
>
> Οὐ μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.
>
> Ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι.

Non equidem tibi vel pater aut pia mater, sed quicunque prement oculos morienti. Homer. Iliad. 2.

2. Lavare cadaver Lotio triplex. 1. 2.

II. 2. *Lavabant cadaver. Tabitham* mortuam *postquam lavissent, posuerunt* ἐν ὑπερῴῳ *in cœnaculo. Act. IX. 37. Baptizatio* seu *lotio* circa tale tempus triplex fuit. 1. Βαπτισμὸς ἀπὸ νεκρῶν, *Ablutio pollutionis accersitæ ex contactu mortui, Syr.* XXXIV. 29. Ita homo nescius improvisoque casu pollutus, *lotione* aliqua mundatus est. 2. Βαπτισμὸς τῶν νεκρῶν, *ipsius cadaveris ablutio*. Sic lota est *Tabitha*. Vox autem Βαπτισμοῦ non extraordinarie applicatur *communi lotioni*, uti Marc. VII. 4. legimus de *lotionibus poculorum, sextariorum, æramentorum, lectorumque*. In Textu est vox Βαπτισμός. Prior istarum

rum

rum *lotionum* erat Judæorum propria; poſterior & Judæis fuit familiaris & Chriſtianis. *Tertul. Apol. c.* 47. *it. Euſeb. hiſt. lib.* 7. *c.* 17. & etiam Gentilibus.

Corpuſque lavant frigentis & ungunt.

Virg. Æneid. 6. v. 219. Denique 3. Βαπτισμὸς ὑπὲρ νεκρῶν *Lotio pro mortuis*. 1. *Corinth.* xv. 29. [2] Uſitata ſolum Chriſtianis haud bene inſtitutis.

3.

Qualis Baptiſmus. 1.Cor.XV 29.

III. Quæritur hic, qualis *baptiſmus* fuerit? Hunc locum, attamen cum ſubjectione judicii intelligo cum *Ambroſio in h. l. de lotione Sacramentali*, applicata quibuſdam hominibus *vivis*, nomine & cauſa amici, ſine recepto *baptiſmo* denati, ex ſuperſtitioſa opinione, quaſi *baptiſmus* in vivo peractus, nomine mortui, juvare poſſet eum, qui ſine *baptiſmo* lucem reliquit; ita ut Apoſtolus, hos ſuperſtitioſos *Corinthios* proprio gladio confecturus, reſurrectionem mortuorum confirmet ex ipſorum errore, probans, quod ipſorum anilis ritus tingendi aqua vivos, mortuorum loco, fruſtraneus vanuſque eſſet, niſi exſpectaretur mortuorum ἀνάστασις. Hinc Apoſtolus cum emphaſi diſtinguit perſonas *verſ. ſeq.* dicens; *quid & nos periclitamur omni hora?* Evincit reſurrectionem vi duplicis argumenti: *prius* ducitur a ſuperſtitioſo ipſorum ritu & *baptiſmo pro mortuis*; *poſterius de* omnium horarum periculo, quod nos, hoc eſt ipſe Apoſtolus & alii Chriſtiani, ſubimus. Ita, ſicuti Pater iſte notat, Apoſtolus non ſuffragatur ipſorum errori, ſed convincit ipſos de reſurrectione, ex ipſorum, licet vitioſa, praxi. Quod autem *vicarium tale baptiſma*, uti id *Tertullianus* vocat *de reſurrect. carnis*, in uſu fuerit apud *Marcionitas*, immo & apud *Cerinthianos*, res liquet. *Epiphan. ad Cerinth. Hæreſ.* 28. [3]

IV. Modus ejus ſic deſcribitur. *Quando aliquis Catechumenus moritur, tum vivus quidam ſubter denati lecto recumbit, accedentibus aliis, qui mortuum rogant, num baptizari velit? qui quum non reſpondere poſſit, pro ipſo reſponſum dat ſubter lecto jacens, aitque, ſe velle baptizari; & ſic baptizant ipſum vice mortui, ſcenam quaſi in Theatro agentes. Chriſoſt.* 1. *Cor. XV.*

3. Pollincire corpus.

V. Tertius ritus Judæis circa mortuos uſitatus, erat *Pollinctura* corporis, quam, uti probabile eſt, hauſerunt ab *Ægyptiis*. Reperimus enim, quod Joſephus primus ſit, qui hunc obiverit ritum. Gen. L. 2. Ægyptius *pollincturæ* modus ita habuit: *auferunt viſcera ex cadavere, purgant ac lavant vino dactylidum, & rurſus aromatibus. Poſtmodum replent inteſtina pura contuſa myrrha & caſia aliiſque aromatibus*, (præter thus) *& iterum conſuunt. Deinde condiunt corpus, 70. dies nitro abſcondentes, non diutius: poſt 70. dies lavant corpus, & byſſo gummi illitæ involvunt, quod gummi Ægyptii uſurpant pro glutine; Græci vocant ταρίχευσιν. Herod. Euterpe.*

Pollincturæ ratio.

VI. Uſus illius erat, ut conſervarentur corpora, ne tam cito putreſcerent. Quando autem non diu tardabant ſepulturam, aliam adhibebant *pollincturam*, nempe externum aromatum & ſuffimentorum illitum, retinente inteſtina ventre. Hoc vocant Græci ἐνταφιάζειν. Uſurpatur tamen τὸ ἐνταφιάζειν in Scripturis lata ſignificatione, ad denotandam utramque *condituram*. Immo ἔθαψαν *ſepeliverunt* occurrit Gen. L. 26. pro eo, quod in Hebr. exſtat, ויחנטו *& aromatibus condiverunt*. Verbum ἐνταφιάζειν adhibetur Salvatori noſtro Joh. xix. 40. Subinde *cremabant cadaver*, oſſa urna condentes. [4] *Amos* vi. 10. Ut plurimum autem *totum ſepeliebant* corpus.

Sepulcreta familiarum. Eorum forma.

VII. Vetuſti Judæi, ſi non acceperant a majoribus ſepulcretum, tum ſibi ipſis comparabant, quo ipſi olim ipſorumque familia reconderentur. Facies ejus loci hæc fuit: caverna fornicata erat ex rupe, *ſex cubitorum longa* ד׳אמות על שש *Talmud. Seder. Nez. in Bava bathra cap.* 6. & quatuor lata; in qua octo aliæ minores cellulæ ſeu cavernulæ (aut juxta alios tredecim) diſtinctæ erant pro recipiendis cadaveribus. Quoties quempiam *humabant*, ſolebant ori ſepulcri ingens ſaxum apponere. *Cavernam* ſeu *fornicem* ipſum denominabant de *humationis* actu קבר *ſepulcrum*, aut de ipſius forma מערה *ſpeluncam*. Cellulas iſtas, quibus reponebatur cadaver, vocabant כוכים *tumulos*, [5] & ſaxum גלל *lapidem volutationis*. Hæc multum lucis afferunt Evangeliſtæ: *Joſeph cum accepiſſet corpus Chriſti, involvit illud ſindone pura poſuitque illud* ἐν τῷ αὐτοῦ μνημείῳ καινῷ *in monumento ſuo novo, quod cælaverat ex petra, & advolvit ſaxum ingens oſtio ſepulcri. Matth.* xxvii. 59. 60.

Nomina ſepulchralia.

Mos ſepulchra dealbandi, de defunctis loquendi formula.

VIII. Hæc ſepulcra ſeu fornices quum ditiores pingerent, ornarent, & polirent circa os ſeu introitum eorum, hinc fluxit ille mos loquendi: *Sepulcra dealbata.* [6] Quoties occaſio erat recolendi memoriam alicujus amici mortui, aut de eo loquendi, uſi ſunt eo: זכר צדיק לברכה *memoria juſti ſit in benedictione. Prov. X.* 7. Propterea Rabbini, quoties citant aliquem venerandum Autorem, conſueverunt ſemper addere honeſtam hanc commemorationem: *N. Benedictæ memoriæ* ז״ל. Ordinaria ipſorum *epitaphia* hæc erant: נשמתו תהיה צרורה בגן עדן א א״א סלה *Anima ejus ſit colligata in hortum Eden ſeu in faſciculum vivorum. Amen Amen Amen Selah. Schindl. in voce* ערך.

Resurrectio non nisi in terra Canaan. Hinc mortui extra illam eo volutantur.

IX. Recentiores Judæi somnia fovent de *loco sepulturæ*, persuadentes sibi, quod ubi Israelita animam efflat in terra peregrina extra terram promissionis, is exsors futurus sit resurrectionis, nisi ipsi Deus *viam subterraneam* expedire dignetur, per quam ipsius corpus continua volutatione & rotatione feratur in terram Canaan. [7]

Jacobi mandatū ad Josephum ut conderetur in terra Canaan ejusque rationes.

X. Fundamentum hujus opinionis desumitur ex mandato Jacobi ad filium suum Josephum, ne ipsum conderet terra Ægyptiaca, sed Cananæa; cujus mandati tres afferunt rationes. 1. Quia Josephus per Spiritum Propheticum prænoverit, quod pulvis illius terræ postmodum commutandus sit in pediculos. 2. Quia illi, qui decederent extra terram sanctam, non resurrecturi sint, nisi prius ipsorum corpora volutatione difficili & acerba per cavam istam viam eo deferantur. 3. Ne Ægyptii ipsum adorarent idololatrice. *Salom. Jarchi. Gen.* XLVII. 20. [8]

Convivia funebria.

XI. Celebrarunt itidem *convivium funebre*, quod dicitur *panis hominum*. *Ezech.* XXIV. 17. & *calix consolationis*. *Jer.* XVI. 7. [9] Quoniam adhibebatur ad *solandum* eos, quorum cor mœstum esset. Simile est Romanorum *Silicernio*. Ex duobus his posterioribus locis observare possumus, quod in sepeliendis amicis sequentes usurparent ceremonias; quasdam ad *testandum*, & quasdam ad *ampliandum* suum mœrorem.

Lugentes seipsos secabant.

XII. 1. *Seipsos secabant*, h. e. vulnerabant, aut instrumento membrum aliquod corporis amputabant. Hanc feritatem didicerant a Gentibus, quæ non tantum ora laniabant, sed & quasdam corporis partes acu sauciabant, vel alias incidebant, atramentumque superponebant, quod in cultum dæmonum suorum fiebat. Præcipitur ergo, ne ullo pacto, sicut Gentes, ferirent carnes suas, Deut. XIV. 1. quemadmodum Sacerdotes Cybeles & Deæ Syrorum, ut refert *Lucianus*. *P. Fagius Deuter. XIV.* 1.

Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.

Virg. l. 4. *Æneid. vers.* 673.

Sibi ipsis calvitiem faciebant.

XIII. Et 2. *sibi ipsis calvitiem faciebant* variis modis, aut *tondendo* capillos, aut *evellendo* manibus, aut *exstirpando* medicamentis. Aliæ nationes solebant radere caput, & capillitium offerre mortui causa. *Ovid. Met.* 3. *vers. a fin.* 227.

Planxere sorores
Najades, & sectos fratri imposuere capillos.

Subinde solas *tondebant* genas, interdum supercilium; quæ Gentiles consuetudines proscribuntur, Deut. XIV. 1.

Ibant nudo capite.

XIV. 3. *Ibant nudo capite*, ut possent id pulvere & cinere conspergere, testantes *se indignos esse, quos terra portet*.

Ibant nudo pede.

XV. 4. *Ibant nudo pede*, ad majoris humilitatis speciem.

Obvelabant labia.

XVI. 5. *Obvelabant labia*; quod erat singularis mœstitiæ pudorisque nota: *Et pudefient videntes, & compungentur fatidici, & operient mentum omnes, quia non est responsio Dei, Mich. III.* 7. Quæritur, quomodo obvelarint sua *labia*? Resp. putantur fecisse *extremitatibus palliorum aut vestium injectis*. *D. Kimchi & Aben-Esra P. Fag. Lev.* XIV. 45.

Dissuebant vestes.

XVII. 6. *Dissuebant vestes suas*.

------------ Scissaque Polyxena palla.

Juven. Sat. 10. *vers.* 262.

Lumbos cingebant cilicio.

XVIII. Tandem 7. *Lumbos cingebant cilicio*. [10] *Gen.* XXXVII. 34. Hæ fuerunt generales luctus notæ & signa, usurpata in omnibus majoribus lugendi occasionibus.

Ad ampliandum luctum habebant Musicos.

XIX. Præterea duo insuper sunt signa, sepulturæ propria, ad ampliandum luctum. 1. *Musici*, qui sono querulo & flebili affectus populi ad ploratum movebant. [11] Horum duæ species erant; alii modulabantur *tibiis*, alii insonabant *tubis*, *Majoris ætatis* fortunæque *funera ad tubam proferre solebant, minoris vero ætatis &* conditionis *ad tibias*. *Servius Æneid.*

Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum mœsta.

Et lamentatrices.

Statius Theb. l. 6. *vers.* 121. Hoc respectu dicitur; quod Jesus, suscitans filiolam Jairi, expulerit τοὺς αὐλητὰς *tibicines Matth. IX.* 23. Et 2. *Fœminæ* eodem fine *conductæ* ad modulandum lugubre carmen, [12] & exterioribus luctus signis catervam commovendum fortius. *Vocate lamentatrices, ut veniant, & ad sapientes fœminas mittite, ut veniant Jer. IX.* 16. Has vocabant Romani *Præficas*, quasi in hoc ipsum præfectas.

NO-

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

Annot. [1] Plures conjunctas exhibet Maim. c. IV. 1. מנהג ישראל במתים ובקבורה כך הוא מאמצין עיני של מת ואם נפתח פיו קושרין את לחיו ופוקקין את נקביו אחר שמריחים אותו וסכין אותו במיני בשמים וגוזזין שערו ומלבישין אותו תכריכין תפורין בחוט של פשתן לבנים ולא יהיו דמיהם יקרים ונהגו חכמים בסודר שוה זוז שלא לבייש את מי שאין לו ומכסין פני המת שלא לבייש את העניים שפניהם מושחרין ברעב ואסור לקבור בתכריכין של משי ובגדים המוזהבין הרקומין אפילו לנשיא שבישראל שזהו גסות הרוח והשחתה ומעשה גוים *Mos circa mortuos eorumque sepulturam in Israele hic est. Claudunt oculos mortui*. (sed non priusquam vere mortuus fuerit) *Os si forsan apertum, maxillas colligant. Ablutione peracta foramina, per quæ excrementum emitti solet, obstruunt: Ungunt insuper speciebus aromatum, capillos detondent, quos vilis pretii involucro filis lineis, coloris albi consuto indunt. Sudarium ex consuetudine sapientum nonnisi unum Zuz constare debet, atque hoc ideo, ne pauper alias ignominia afficiatur. Ob eandem rationem tegunt demortuorum facies pauperum, qui fame premebantur. Sic vetitum quemdam involucris sericeis vestibus inauratis, acupictis, si vel in Israele princeps fuerit, involvere. Hoc enim esset indicium animi elati,* ἀπώλεια *& mos infidelium*. Maimon. tract. אבל c. IV. in.

[2] Hunc locum merito inter δυσνόητα Paulina referre licet: Abunde id constat ex innumeris ferme tam Theologorum quam Philologorum interpretationibus, quarum plurimas si non omnes clarissimi nominis Theologus Frid. Spanhemius F. *in peeul. Diatr. de Veterum propter mortuos baptismo*, recensuit examinavitque. Eundem haud ita pridem magna eruditione feliciter discussit Prænobilissimus, Consultissimus Parergorum Sacrorum (quæ, nisi aliunde ejus non vulgaris & forensis illa, sed exactissima Juris notitia omnibus constaret, perpetuum ejus ἔργον diceres) Auctor, Amicus noster Honoratissimus, probans Paulum loqui de iis qui Martyrium subierunt, mortem perpessi pro Christo & confessione Evangelii, rationibus ex nexu, commate 30. phrasi coll. Matth. xx. 22. 23. Luc. xii. 50. &c. desumtis.

[3] Duo præprimis in hac veterum & recentiorum quorundam expositione desiderantur. I. Minime credibile Paulum superstitioso & peccaminoso more tanquam argumento ad gravissimum resurrectionis dogma adstruendam usum fuisse. II. Morem hunc eo tempore, quo Paulus ad Corinthios scripserat, nondum obtinuisse, *v. cit. Diatr. Spanhemii*.

[4] Judæos corpora subinde cremasse dici nequit, sive enim ad leges sive exempla attendas, ex iis cadaverum sepultura clare elucebit. Et omnino fundamentum in Gen. III. *Pulvis es & in pulverem reverteris*, ponendum est. Abrahamus, Isaacus, Jacobus &c. sepeliebantur. Idem hodierna Judæorum praxis antiquitatis tenacissima comprobat. Quod l. cit. Am. VI. 10. attinet, præterquam quod vox incertæ significationis, nihilominus si vel maxime concederetur habere illam *cremandi* notionem non de cadaveris, sed rerum, quæ ejusmodi occasione tetri odoris fugandi gratia incenduntur, crematione exponendum esset. Atque hoc vel ex verbis *ad exportanda ossa e domo* satis probant. Sic. Jer. xxxiv. 5. *ita* ישרפו לך *comburent tibi* in honorem tuum. Maimon. in fine tract. אבל c. xiv. מלך או נשיא שמת יש להן לשרוף מטתו וכל כלי תשמישו *Regis aut Principis lectus & reliqua vasa utensilia comburenda sunt*.

[5] Spatium cellualarum ex sententia Sapientum in tract. בבא בתרא cap. VI. 8. tale. כוכין אורכן ארבע אמות ורומן שבעת ורחבן שש *Longitudo cellularum IV. altitudo septem, & latitudo sex cubitos tenebat*.

[6] Glossa Bartenoriana ad tract. מועד קטן c. l. 2. & quidem ad verba מציינין את הקברות *signant sepulchra* עושין ציונין על הקברות שהיו מומחין סיד ושופכין על הקבר והוא סימון להולכי דרכים שלא יעברו במקום טומאה *signabant sepulcra trullisando ea calce soluta, quo iter facientes sibi a loci immundi calcatione cavere possent*. Unde constat sepulcra ex lege dealbanda fuisse. Verosimillimum ditiores ad externum ornatum nihil intermisisse, licet sepulcra intus putidis ossibus fœtuerint.

[7] Hebræi vocant גלגול המתים *volutionem mortuorum*. Dogma hoc erroneum ortum videtur ex nimio terræ Canaan amore atque ejus præ omni alia imaginaria sanctitate præstantiaque. Insuper quia vitam Patriarcharum aliorumque virorum in sua Gente æstimatorum legentes maximum in hanc regionem desiderium, ut non tantum in illo vivere, sed & sepeliri, postulato hunc in finem juramento, expetiverint, deprehendebant existimabantque præter plura alia terræ privilegia hoc quoque numerandum esse, ibi mortuos resuscitandos esse. Insuper male exponebant Ezech. XXXVII. 12. de resurrectione in terra Canaan, quod Kimchius probe vidit מחלוקת יש בדברי ר״זל על המתים בחוצה לארץ מהם אמרו כי בחו״צ לארץ יעלו מקברותיהם ומהם אמרו מקברותיהם יעלו לא״י בגלגול ודרך מחילות והפסוק הזה מוכיח כי בחוצה לארץ יחיו כמו מיתי ארץ ישראל שהרי אמר פתח את קברותיכם והעליתי אתכם מקברותיכם ואחר כך והבאתי אתכם אל אדמת ישראל *Controversia est inter Magistros nostros de iis, qui extra terram mortui sunt. Quidam ex iis affirmant illos extra terram e sepulchris suis prodituros; sed alii ajunt volutandos esse per cavernas in terram Canaan atque ibi prodituros. At comma* (scil. 12. in c. XXXVII. Exech.) *monstrat mortuos extra terram ad vitam revocandos esse eo prorsus modo, quo moriebantur intra illam. Dicitur enim*. Ego aperio sepulcra vestra & ascendere vos faciam e sepulcris vestris *& postea* & adducam vos in terram Israel.

[8] Nulla ex allatis rationibus placet, licet tertia duabus prioribus probabilior sit. Potius dicendum Patriarchas hac ratione fidem datis de terra Canaan possidenda, de Messia in illa revelando promissionibus adhibuisse atque suo exemplo posteros ad eandem fidem validissime exhortatos fuisse.

[9] Illustre exemplum 2. Sam. III. 35. Hodienum idem mos obtinet Maim. tract. אבל cap. IV. האבל ביום ראשון בלבד אסור להניח תפילין ולאכול משלו וכ״ו ונאמר לו ולחם אנשים לא תאכ׳ מכלל שכל העם אוכלין משל אחרים ביום ראשון ואסורין לאכול משל עצמן *Lugenti prima die vetitum est vel Philacteria induere aut ex proprio edere &c. dictum est Ezech. XXIV.* 17. panem virorum (qui te consolandi gratia adeunt) non comedes. *Hinc constat populum die luctus prima ex alieno, non ex suo, vivere* &c. XIII. אין מוליכין לבית האבל המאכל שמברין בו לא בכלי כסף ולא בכלי שעם וכיוצא בהן אלא בכלי נצרים של ערבה קלופה וכיוצא בהן שלא לבייש את מי שאין לו ואין משקין בזכוכית לבנה אלא כצבועה שלא לבייש את העניים שאין יינותיהן טובות אין שותין בבית האבל יתר על עשרה כוסו׳ לכל אחד ואחד שלשה קודם אכילה ושלשה בתוך אכילה וארבעה לאחר אכילה ולא יוסיף שמא ישתכר *Cibus, quo lugentes reficiunt, non vasis argenteis aut subereis illorum ædibus infertur, sed vimineis ex salicibus decorticatis aut similibus, ne alioquin pauperes hisce destituti confundantur. Ex eadem causa potus non vitris albis, sed coloratis porrigendus est, pauperum enim vinum ignobilius esse solet. Ultra decem pocula in æde funebri a nemine ebibenda scil. tria ante convivium, tria dein super mensa & quatuor finito convivio. Huic numero nihil addendum, ne quis inebrietur*.

[10] Saccus vestis lugubris e materia vili, præprimis asperis pilis, unde Apoc. VI. 12. σάκκος τρίχινος, confectus, quem lugentes immediate super carnem Job. XVI. 15. 1. Reg. XXI. 27. induebant & corpori ope cinguli 2. Sam. III. 31. 1. Reg. XX. 32. arcte aptabant. Hinc ita amicti functiones suas obibant Judith. IV. 4. foras prodibant, ut unus alterum ad luctum permoveret. Aliquando in saccis dormiebant 1. Reg. XXI. 27. Aliquando foras prodeuntes aliam vestem superinduebant 2. Reg. VI. 30.

[11] Si quis ad mores nostri seculi attendit, ille tubas & tibias potius ad lætitiam quam luctum ampliandum pertinere diceret. Sed aliter veteribus visum. Non quidem arbitror tibiarum & tubarum usum in funeribus Judæis originarium existere, sed tamen illum antiquo jam tempore a Gentibus didicerunt 2. Chron. XXXV. 25. *omnes cantores atque can-*

cantatrices lamenta sua in Josiam dixerunt. Ævo Christi & subsequente non tantum usitatus, sed & lege injunctus Tract. כתובו' c. IV. 4. רבי יהודה אומר אפילו עני שבישראל לא יפחות משני חלילים *R. Jebuda dicit; Pauperrimus in Israele non minus quam duos tibicines* (ad deplorandum mortem uxoris) *conducet*. Duplex ergo isque oppositus memoratorum instrumentorum usus, quo alluditur. Matth. XI. 17. Hinc tract. בבא מציעא c. IV. 1. חליליך לבלה או למרת *tibiæ pro sponsa aut pro mortuo*.

[12] Elegantissimum illud mihi visum, quod Bar Abbin Auctorem habet בכו לאבלים ולא לאבידה שהיא למנוחה ואנו לאנחה *deflete lugentes, non vero defunctum: Hic enim quiescit, sed nos gemimus*.

CAPUT SEXTUM.

De Jurejurando.

Varius jurandi modus. 1. Elevando manus in cœlum. 2. Ponendo manus subter femore alterius.

I. MODUS *jurandi* sæpe fiebat elevatione manuum versus cœlum. Dixit Abraham ad Regem Sodomæ; *extuli manum meam ad Jebovam*, h. e. *juravi*, me non capturum esse vel filum, vel corrigiam calcei tui. Gen. XIV. 22. 23. Quo respicit Psalmista: *extulit manum suam*. *Ps. CVI. 26.*

II. Interdum *jurans ponebat manum suam subter femore alterius*, cui *jurabat*. Legimus ita *Abrahamum* administrasse hunc *jurandi* modum. *Gen.* XXIV. 2. & *Jacobum*. *Gen.* XLVII. 29. Quam ceremoniam quidam exponunt esse *subjectionis signum*. *Aben-Esra*. *Gen.* XXIV. 2. Alii dictitant fuisse *mysterium Circumcisionis*, cujus notam ferebant circiter eum corporis locum. *Salom. Jarchi. ibid.* Aliis videtur probabilius, fuisse *mysticum signum Christi promissi seminis* quod nasciturum esset ex lumbis Abrahæ aut femore, quemadmodum similis loquendi modus usurpatur. *Gen.* XLVI. 26. *animæ egressæ ex femore Jacobi*. *August. quæst. super Gen.* 26. [1]

3. Stando coram altari.

III. Interdum etiam *jurabant stando coram altari*. 1. *Reg.* VIII. 31. Qui etiam mos *Atheniensium* fuit. *Alex. ab Alex. l.* 5. *c.* 10. item *Carthaginensium*. *Livius Dec.* 3. *l.* 1. *Valer.* M. *l.* 9. *c.* 3. *ac Romanorum*.

> *Quantum quisque sua nummorum servat in arca*
> *Tantum habet & fidei: jures licet, & Samothracum*
> *Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper*
> *Creditur atque Deos*.

Juvenal. Sat. 3. 143.

Objectum legitimi juramenti Solus Jehova.

IV. *Objectum legitimi juramenti* fuit atque est Solus *Jehova*, [2] unde *jurans* dicitur *confiteri Deum*. Conf. *Esa. XLV.* 23. cum *Rom.* XIV. 11. Antiquus autem mos imponendi *juramentum* hic fuit. *Tribue gloriam Deo Jos.* VII. 19. *Job.* IX. 24. Deus itaque glorificatur *juramento*, quia eo fit solennis confessio Divinæ *omnipræsentiæ*, quod ubicunque præsens sit; item *omniscientiæ*, quod sint πάντα τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, abditaque quæque pernoscat; *veritatis*, quod sit *cultor veritatis* & *ultor falsitatis*; *justitiæ*, quod sit ἐκδίκος, promptus; *omnipotentiæ*, quod satis virium ipsi sit ad puniendum eos, qui Deo *perjurio* illudunt. Et quemadmodum *objectum legitimi juramenti* erat solus Deus, ita docet, quod non cito & incaute suscipiendum sit, sed tantum, si sit necessitatis vi impositum; nam & vox Hebr. נשבע passiva est, potius significans τὸ *jurari* quam *jurare*.

Non vero ulla creatura.

V. Corruptis temporibus solebant *jurare* per *creaturas*. *Allium, porrum, cœpasque inter Deos jurejurando habuit Ægyptus*. *Plin. lib.* 19. *c.* 6. *Juven. Sat.* 15. *vers.* 9. 10. Judæi autem præprimis *jurabant per Hierosolymam*, *per templum*, *per templi aurum*, *per altare*, & *donum super altari*. [3]

Korban est juramenti species.

VI. Hoc *donum* Hebr. vocatur קרבן *Corban*, eratque tempore Salvatoris nostri ex iis *juramentis* unum, quæ Scribæ & Pharisæi censebant esse plurimum obligantia. Ἐν οἷς μετά τινων ἄλλων καὶ τὸν καλούμενον ὅρκον Κορβᾶν καταριθμεῖ *inter quæ sacramenta cum quibusdam aliis etiam jusjurandum, quod Corban appellatur, enumerat*. *Joseph. contr. App. l.* 1. *p.* 147. Si quis *juraverat per altare*, nihil erat, quod si autem *per donum super eo*, tenebatur. Matth. XXIII. 18.

Qui hoc jurejurando se obstrinxit putabat se parentibus nihil commodi præstare debere.

VII. Et licet Lex Dei præcipiat & sustentationem & honorem parentibus impertiendum, nihilominus, ubi se obstrinxerant *jurejurando Corban*, scil. parentes non a se adjutum iri, putabant se lege solutos esse. De quo *Talmud. Hieros. tract. de votis c.* 10. dicit: *quivis tenetur suum patrem & matrem honorare, nisi contrarium voverit*. Et satis manifestum est, quod Judæi sæpe *solennibus promissis & juramentis* seipsos devinxerint, se huic vel illi nihil commodi præstituros. Ὅρκῳ πιστεύονται τῷ δεῖν

μὴ

μὴ παρέξειν ὠφέλειάν τινα. Jurejurando ſe obſtringunt, ſe huic vel illi non præſtituros utilitatem aliquam. Phil. Jud. de ſpecialib. legib. p. 595.

Juramentum plerumque comitatur devotio conditionalis.

VIII. Sciendum porro eſt, quod plerumque *juramentum* comitata ſit *execratio* aut *devotio* conditionalis, quæ ſic interdum ſimiliterque exprimitur: *niſi ita vel ita fecero, faciat mihi Deus ita, & ita addat.* 1. Sam. XIV. 44. 1. Reg. XX. 10. Interdum illa ſubintelligitur, ut Gen. XIV. 23. *Extuli manum meam ad Jehovam, ſi vel filum vel corrigiam calcei capiam;* tum *Dominus mihi ita faciat, & ita addat.* Hoc aut ejuſmodi quid tacite ſubintelligitur, facitque, ut prius ſonet negative, quaſi Abraham hoc modo dixiſſet; *juravi, me non capturum quidquam.* Similis ratio illius Pſ. XCV. 11. *Juravi in ira mea, ſi intrabunt in quietem meam. Hebr. III.* 18.

Hinc illuſtratur Matth. XV. 5.

IX. Hæc juvant explicationem difficilis illius loci Matth. XV. 5. ubi legitur: Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς *Oblatio ſit, quidquid ex me utilitatis ceperis.* [4] Quod ſi autem hæc verba concipiamus juxta formam *jurisjurandi Corban*, ſic ſcil. *ſi per Corban quidquam tibi profuero*, hac *execratione* ſubaudita, tum *faciat mihi Deus ita & ita addat*, ſenſus talis emerget: *Per Corban nihil tibi prodero.* Interpretor ὃ ἐὰν, *ſi quidquam* quemadmodum ὃς ἐὰν, *ſi quiſquam.* Matth. X. 14. & Matth. XXIII. 18. Cæterum ſi quis urgeat, quod in fonte ſit Κορβᾶν, non *per Korban*, vel ἐν Κορβᾶν; ſciendum, quod ſimilis ellipſis in *jurandi* formulis non ſit inuſitata; hinc המעון הזה valet במעון הזה *per domicilium hoc* vid. *Druſ. de 3. Sect. l. 2. c.* 17.

X. Hæc interpretatio tam bene collimat cum ſcopo loco iſtius, quam cum modo *jurandi* & clare docet, qua ratione Phariſæi ſuis ſtatutis & traditionibus præcepta Dei eluſerint. Deo enim mandante; *honora patrem ac matrem*, Scribæ & Phariſæi dicunt, ſi quis parentibus opem poſcentibus reſponderit: *per Corban nihil tibi prodero; non tenetur.*

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

Annot. [1] Hic jurantium ritus bis refertur Gen. XXIV. 2. XLVII. 29. quando ſervus domino & filius Patri juramentum præſtabat. Talis igitur ritus ratio danda, quæ utrique exemplo convenit. Qui morem illum arctiſſimæ neceſſitudinis Symbolum habent, iis prius; qui vero ſubjectionis ſignum, illis poſterius refragari videtur exemplum. Exiſtimen potius ירך *ſemur* ea notione accipiendum, qua Exod. I. 5. ſcil. pro genitali. Hoc autem membrum circumciſione divinitus inſtituta a Patriarchis Sacerrimum habebatur, ceu quod fœderis ſignum geſtabat. Deum eſſe Deum Abrahami, ſemen benedictum ex lumbis ejus proditurum, poſteritatem ejus hæreditaturam terram Canaan. Qui igitur manus ſub femore ponebant, teſtabantur, ſe fidem habere Deo fœderato, illum juxta fœdus datum cuncta præſtiturum, ſe quoque nihil intermiſſuros ad promiſſa divina promovenda. Ita ſervus Abrahamo jurabat ſibi curæ cordique futurum, ut Iſaacus uxorem ex fidelibus duceret. Joſephus vero juratus Patri promittebat ſepulturam in terra promiſſa q. d. quam vere credo Deum ſignum fœderis in abſciſſo præputio dediſſe, tam vere poſtulata ſancte implebo.

[2] Maim. tract. שבוע' cap. c. XL. in. מצות עשה שישבע מי שנתחייב שבועה בבית דין בשם שנ' בשמו תשבע זו מצות עשה שהשבועה בשמו הגדול והקדוש מדרכי העבודה היא והדור וקדוש גדול הוא להשבע בשמו ואסור להשבע בדבר אחר עם שמו וכל המשתף דבר אחר עם שם הקדוש ברוך הוא בשבועה נעקר מן העולם שאין שם מי שראוי לחלוק לו כבוד שנשבעין בשמו אלא האחד ברוך הוא *Præceptum affirmativum eſt, ut ille, qui in judicio ad juramentum adſtringitur, juret in nomine Dei.* Q. S. E. Deut. VI. 13. in nomine ejus jurabis. *Eſt ergo præceptum affirmativum. Etenim juramentum nomine Magni atque Sancti Dei dictum pars cultus divini eſt, Deus juramento honoratur & ſanctificatur. Probibitum eſt una in nomine Dei & re alia jurare. Hinc omnis, qui nomini Dei ſancti & benedicti aliud aliquid addiderit, ex mundo extirpabitur. Neque enim ullum nomen eſt honoris hujus capax, ut per id creatura juret. Hæc gloria ſoli benedicto Deo competit.*

[3] Judæi leviſſimis de cauſis jurabant atque ut partim nomini divino parcerent, partim ut tantam juramentum ſervandi neceſſitatem ſibi impoſitam negarent, per creaturas jus jurandum dicebant vide Matth. V. 34. 36. XXIII. 18. 21. Pleræque ex allegatis formulæ in monumentis Judæorum exſtant. Maim. tract. cit. c. XII. מי שנשבע בשמים ובארץ ובשמש וכיוצא בהן אף על שאין כונתו אלא למי שבראם אין זו שבועה *qui jurat per cœlum, aut per terram, aut per ſolem, vel ſimile quid: Licet intentio ejus ſit jurare per illum, qui memorata creavit, juramentum tamen non eſt.* Ex teſtimonio hoc inſuper patet Hebræos efferre per נשבע בשמים quos Interpretes N. Teſtamenti ſequuntur ὀμνύειν ἐν τῷ οὐρανῷ. Sic alia formula Tract. כריתות cap. I. 7. אמר רבן שמעון בן גמליאל המעון הזה לא אלין הלילה עד שיהו בדינרין *Dixit Rabban Simeon ben Gamaliel. Per Templum: non pernoctabo nocte hac, donec valeant denarios.* Gloſſa Bartenoriana המעון הזה שבועה היא *Per templum hoc: Eſt formula juramenti.* Conf. præpr. Ligtfoot. Op. T. II. p. 293.

[4] Qui Matth. XV. & Marc. VII. voti formulam agnoſcunt, illi eam ex traditionibus Judaicis facile probant, ceu in quibus frequens mentio קרבן שאני נהנה לך *Korban eſto id, quo tibi prodeſſe potero.* Vide paſſim *Korban* in votis, quæ in peculiari Miſchnæ tractatu נדרים ſive *Vota* nominantur c. I. 2 4. II. 2. Parum aut nihil intereſt, num voventium, num jurantium vocem dicas, quandoquidem votum de juramento participat. Ipſi Judæi promiſcue aliquando accipiunt, quemadmodum ex tract. נדרים c. II. 2. patet שבותה שקוקה נדר במותא הרי אלו כנויין לשבועה *Nomina Schebbutah, Schekukah, Neder (votum) Bemutah ſunt cognomina juramenti.*

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De modo ſcribendi, Maſorethis, ipſorumque opere.

Quis inventor literarum.

I. SCriptura nulla in natione ſubito perfectionem obtinuit, ſed per gradus limatior facta eſt.

II. Opiniones Veterum de autoribus ac inventoribus *literarum* diverſæ ſunt. Quidam dicunt *Cadmum* primum in Græciam intuliſſe *literarum* uſum. *Plin. lib. 7. cap. 56. Diod. Sic. lib. 6. cap.* 15. Alii *Palamedem*. *Serv. lib. 2. Æneid.* Alii produnt *Rhadamanthum* intuliſſe eas in Aſſyriam, *Memnonem* in Ægyptum, *Herculem* in Phrygiam, *Carmentam* in Italiam. *Alex. ab Alex. Genial. lib. 2. cap.* 30. Ita quoque quidam dicunt, quod *Phœnices* primi fuerint, qui noverint uſurparintque *literas*.

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Lucan. lib. 3. verſ. circit. 220. Alii dicunt primos autores *Æthiopes*. *Diod. Sic. lib.* 4. Alii *Aſſyrios*. *Plin. loc. cit.* Sed firmiore fundamento *ſtatuitur Moſes*, *quod primus docuerit Judæos literarum uſum*; & quod *Phœnices* eas didicerint a *Judæis*, & a *Phœnicibus Græci*. *Euſeb. præp. Evang. lib.* 8. [1]

Materia, cui inſcribebatur, varia.

III. Materia itidem, cui *inſcribebatur*, rudibus ætatibus diverſa fuit. Quidam *inſcribebant interioribus* arborum *corticibus*, unde & dictus eſt *Liber*, qui proprie denotat talem *corticem*. Alii literas *oſſiculo*, pennæ vice, exarabant in *Lateribus*. *Diog. Laert. in vita Cleanthis*. Alii ſcribebant *in tabulis*; [2] quæ poſtrema ſcriptura Judæis familiaris fuit. Decalogus inſcriptus erat *duabus tabulis lapideis*. Rurſus; *ſcribe illud in tabula*; *Eſa.* XXX. 8. LXX. ajunt; ἐπὶ πυξὶυ *in tabella buxea*, ac ſi tabulæ ſcriptoriæ ea tempeſtate fuerint e buxo confectæ. [3] Tum temporis non utebantur pennis, ſed inſtrumento quodam ferreo, quod dicebant *Stylum*; cujus altera extremitas acuta erat cuſpide, ad facilius incidendum literas; altera autem erat latior ut rurſum obliterarent, quod exaraſſent. Unde & natum eſt illud proverbium. *Invertere Stylum*; h. e. mutare quod dixeris aut ſcripſeris. *Eraſm. Adag. Mutatæ ſententiæ*. *Scribe ſtylo hominis*. *Eſa.* VIII. 1.

Olim libri non compingebantur ſed complicabantur.

IV. Antequam etiam libros compingere ſcirent, quemadmodum hodie, inſcribebant *voluminibus* papyri aut membranarum, quæ interdum latitudine in decem ulnas, longitudine in viginti excurrebant. Zach. V. 2. [4] Tale *volumen* vocabant מגלה *volumen*, Anglice *a volume a* גלל *volvit*. *In volumine libri de me ſcriptum eſt*. Pſal. XL. 8. Et Chriſtus librum claudens, dedit miniſtro. Luc. IV. 20. Originalis vox eſt πτύξας *complicans*, *convolvens*, *&* *verſ.* 17. ἀναπτύξας *explicans*, *evolvens*.

Scriptura in iis erat diſtincta multis columnis.

V. Hæc *volumina* non erant conſcripta continuo vocabulorum fluxu, ſed ſcriptura diſtincta in iis erat multis ſpatiis & columnis quaſi totidem areolis. [5] Hæ *areæ* ſcriptis conſitæ erant vice foliorum in libris; ſic intelligenda ſunt illa Jerem. XXXVI. 23. *Cum legiſſet Jehudi tres paginas vel quatuor*, *ſcidit id cultello Scribæ &c.* Hæ *paginæ* nihil aliud erant, niſi ſpatia repleta in *volumine*. Hodierni Judæi Legem hujuſmodi *voluminibus* & *ſpatiis* ſcriptam in ſuis Synagogis recondunt. *Buxtorf. Inſtitut. Epiſt. par.* 4.

VI. Multum depugnatur, utrum Judæi ab initio ſcripſerint cum Vocalibus & Accentibus, aut an iidem a Maſorethis additi ſint? Quod ut intelligatur, opus erit inquirere, 1. Qui fuerint *Maſorethæ*? 2. Quod ipſorum opus? Et tum decidemus, quid plauſibilius hac in re videri poſſit.

Maſora, quid?

VII. *Primo*, quod attinet *Maſorethas*, ſciendum eſt, quod מסר ſignificet *Tradidit*, & מסורה *Traditionem*, ex manu ad manum ad poſteros ſine ſcripto tranſmiſſam, quemadmodum *Pythagorici Druidæque* facere conſueti erant. Sed hic per Synecdochen ſignificat *ſcholia & notas criticas*, poſitas in Bibliorum margine. Autores harum *notarum criticarum* vocabantur *Maſorethæ*.

Quinam Maſorethæ.

VIII. De iis autem, quales fuerint, duæ ſunt opiniones. Quidam putant fuiſſe ipſos Judæos doctos, Tiberiade habitantes, proptereaque dictos *Sapientes Tiberiadis Aben-Eſra*. Vid. *Buxtorf. comment. Maſor. cap.* 3. Hi ſapientes putantur notas iſtas marginales addidiſſe Bibliis Hebr. brevi tempore poſt excuſum Talmud Babylonicum, ſcilicet circa annum Domini noſtri 506. *Elias Levita in præf. 3. lib. Maſoreth Hammaſoreth*. Verum hæc opinio concidit duabus rationibus. 1. Quia hiſtoriæ non produnt, quod ullum Collegium aut Schola tam longo temporis tractu Tiberiade perſtiterit, ſed potius quod doctrinæ gradus ibidem ceſſarint anno 400. poſt nativitatem Salvatoris noſtri.

ſtri. *Buxtorf. in Maſor. cap.* 7. Et 2. quia in utroque Talmude Maſoræ & rerum in illa contentarum mentio fit. *Buxtorf. in comment. Maſor. cap.* 8. Alii ergo veriſimilius dicunt, *Maſorethas* illos fuiſſe *Concilium Eccleſiaſticum* ſeu Collegium conſtitutum ab *Eſra*, *Haggai*, *Zacharia*, *Malachia*, aliiſque pluribus ad reformandam Eccleſiam congregatis, poſt reverſionem e Babylone. *R. Aſarias. R. Gedalia. Buxtorf. in comment. Maſor. cap.* 11. Vocabantur illi *Collegæ*, *Viri Synagogæ magnæ*.

Synagoga M. quamdiu extiterit.

IX. Iſtud *Concilium* ad minimum 40. annos perſtitit; nam *Simeon juſtus*, qui in veſtibus Sacerdotalibus occurrit, leniturus Alexandrum Magnum infeſto animo adverſus Hieroſolymam moventem, ultimus illius *Concilii* fuit. *Pirke Aboth. cap.* 1. Et hoc fuit plus 300. annis ante nativitatem Chriſti. *Eſra* erat *Præſes Concilii*, tantæque apud Judæos autoritatis, ut ipſum compararint Moſi, dicentes: *Dignus erat Eſra, quod data fuiſſet Lex per manus ejus Iſraeli, ſi non præceſſiſſet eum Moſes. Talmud. Sanh. cap.* 2. *f.* 21.

Munus virorum SynagogæM.

X. *Secundo*, advertendum eſt *munus*, ſeu *opus*, quod illi *Viri Synagogæ magnæ*, ſeu *Maſorethæ*, præſtiterint. *Opera* ipſorum *munuſque* ad hæc ſingularia reduci poſſunt.

Verſabatur circa canonem S. Scripturæ illum ab erroribus caſtigando.

Dividendo in libros. Sectiones Verſus.

Addendo notas criticas &c.

XI. Congregata Synagoga magna, cujus caput fuit *Eſra*, inſpiratione Spiritus Sancti clarus, *Collegæ* determinabant, qui libri eſſent *canonici*, qui *ſpurii* & *apocryphi*. *Buxtorf. in comment. Maſor. cap.* 11. Caſtigabant libros canonicos ab omni errore, qui tempore captivitatis in ipſos irrepſerat. *Tertull. lib. de habit. muliebr. Chryſoſt. homil.* 8. *ad Hebr. Irenæus adverſ. hæreſ. lib.* 3. *cap.* 25. *Auguſt. de mirab. Sacræ Script. lib.* 2. *circa finem*. Dividebant Vetus Teſtamentum in libros 22. pro numero literarum Hebraicarum *Genebrard. lib.* 2. *Chron.* Idque in *ſectiones magnas* & *verſus*; nam etiamſi Lex non ita citra ordinem, ſine ullo ſpatio & ſigno diſtinctionis, inter vocem & vocem, ſcripta eſſet, ut videretur eſſe unus continuus verſus, aut, quemadmodum *Kabbaliſtæ* dicunt, תיבה אחת *Dictio una*, uſque ad tempora *Maſorethарum*, attamen non ita diſtincta eadem erat in ſectiones & verſus, ut nunc habemus. Addiderunt ſuas cenſuras & notas criticas, quantum requirere videbatur irregularitas multarum vocum, reſpectu Vocalium & Accentuum. Numerabant verſus, voces, literas cujuſque libri, ut præcaveretur omnis corruptionis poſſibilitas, ævis inſequentibus; nam abhinc, dicebant, deficiet donum prophetiæ. Tandem annotabant *variantes ſcriptiones*, & *variantes lectiones*.

Illuſtratur.

XII. Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, quod in textu Hebr. multæ voces ſcribantur pluribus, multæque paucioribus, quam proferantur literis, & quod multæ voces ſcribantur, quæ non legantur. Sunt autem octo voces, quæ ſcriptæ ſunt in textu, ſed non leguntur, quas adducit *Maſor. Ruth. III.* 12. *&c.* Diverſitas in margine exprimitur; unde diverſitas in textu vocatur כתיב *Scriptio*: diverſitas in margine קרי *Lectio*, quia vox in margine notata legitur. Hæc differentia putatur a quibuſdam eſſe correctio Bibliorum juxta peculiares deſcriptiones poſt liberationem ex Babylone. Contra hos diſputat *Elias Lev. in præf.* 3. *lib. Maſ. Hammaſ.*

Diverſitates in textu originali ſunt autoritatis divinæ.

XIII. Quod autem eæ diverſitates ſint autoritatis divinæ, continentes multa myſteria Moſi patefacta, & in ſequentibus Prophetis (licet plurima illorum noſtrum ævum lateant) quodque non ſint correctiones, ſed quod ſtudio & ſummam ob rationem ab ipſis Prophetis ſanctiſque Scripturæ Scriptoribus fuerint conſtructæ, hoc ὀφθαλμοφανῶς patet ex variantibus lectionibus, quas deprehendimus in illis libris, quos conſcripſere *Haggai*, *Zacharia*, *Malachia*, *Daniel*, *Eſra*. Qui quum eſſent ſuorum librorum autores, non habebant opus correctione eo tempore, cum eſſent præſentes; & tamen in iiſdem variantes lectiones occurrunt.

Vocales ejuſdem cum vocibus vetuſtatis.

XIV. *Tertio*; Propoſitio hæc ſequitur; quia *Maſorethæ* ſuæ cenſuræ virgula multas voces propter irregularitatem Vocalium & Accentuum in iſtis notant, propterea Vocales non agnoſcunt autores *Maſorethas*, ſed redolent eandem cum ſuis vocibus vetuſtatem. Et revera alias fuiſſent *corpus ſine anima*.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

Annot. [1] Moſen antiquiſſimum ſcriptorem eſſe, cujus monumenta ad manus noſtras pervenerunt, ſatis firme aſſeri puto. Nollem tamen negare jam ante Moſen artem ſcribendi cognitam fuiſſe. Si quis enim cogitat longum tempus, quod a mundo condito ad ætatem Moſis elapſum eſt, multiplicatum genus humanum, varia negotia, ſtudia, in Ægypto præſertim exculta, neſcio qua ratione Moſen inventorem literarum nominare liceat. Non referam quod ex traditione habet Joſephus Antiq. l. 1. cap. III. p. 8. antediluvianos duabus columnis inventa ſua inſcripſiſſe ut eorum notitia ad poſteros propagaretur.

[2] לוחות *tabulæ* aliquando ex ligno, Cant. VIII. 9. plurimum ex lapide conſtare dicuntur. His nunc manſura documenta ſtylo ferreo aut ſcalpro adamantis

tis insculpebantur, Jer. XVII. 1. Lapideæ dicuntur tabulæ Legis, Exod. xxxi. 18. xxxiv. 1. Deut. ix. 9. 10. tum priores, quæ מעשה אלהים *opus Dei*, Exod. xxxii. 16. tum posteriores manu Mosis dolatæ. An ex lapidibus vulgaribus, an vero ex pretiosis factæ fuerint, non satis liquet. Neque enim quia אבן aut אבנים dicuntur, necessario vulgares intelligendi, nam nomen pretiosissimis commune. Exod. xxviii. 17. Saltem de prioribus Judæi referunt Saphirinos fuisse. Allusio Prov. iii. 3. 2. Cor. iii. 3.

[3] Ex eadem materia constabant duæ illæ sortes super duobus hircis die expiationis projectæ Tract. יומא c. iii. 9. שני גורלות של אשכרוע היו *duæ sortes ex buxo erant*. Vide exercit. nostr. ad Lev. xvi. §. 65.

[4] Sub hac forma hodie volumina nulla conspiciuntur, sed illa lata circiter sesquiulnam, longa 50. veluti Codices sacri, quibus in Synagogis suis utuntur.

[5] Hebraice דלתות proprie *januæ*: Commune nomen ob communem formam Veteres tribuerunt.

CAPUT OCTAVUM.

De metationibus tentoriorum & castris Israelitarum.

Castra Israelitarum urbs mobilis.

I. TEMPLUM Israelitarum in desertis vagantium fuit *Tabernaculum*, & domicilia *tentoria*, adeo ut *castra* ipsorum dici potuerint *urbs mobilis*.

Castra III.

II. *Castra* distinguebantur in tres partes. In centro seu in medio erat *Tabernaculum cum atriis*, quod vocabant *castra Majestatis Divinæ*. Circum ea proxime habitationes figebant Sacerdotes & Levitæ, quibus cura tabernaculi commissa, & propterea proxima habitatio commodissima erat. Hæc vocabant *castra Levi*. In extrema parte circum Levitas sua metabantur *tentoria* duodecim Tribus, vocabantque *castra Israelis*.

Similitudo illorum.

III. *Prima castra* erant instar templi cathedralis cum cœmeterio. *Secunda* instar loci privilegiati prope templum, in quo erecta sunt pro clericorum habitationibus Collegia. *Tertia* velut corpus urbis, ubi cives seu laici habitant.

Forma.

IV. Totorum *castrorum forma* verisimiliter putatur fuisse *quadrata*; quidam dicunt eadem exivisse in 12. milliarium longitudinem, & 12. milliarium latitudinem. [1] *Uziel. Num.* 23. A parte Orientali tendebant hæ tres Tribus, *Juda*, *Isaschar*, & *Zebulon*: A parte Australi, *Ruben*, *Simeon & Gad*. A parte Occidentali, *Ephraim*, *Manasse & Benjamin*: A parte Boreali, *Dan*, *Ascher & Naphtali*, & hæ Tribus constituerunt extrema, seu *Israelis castra*.

Inter singulas tribus patebant spatia.

V. Inter singulas Tribus, in singulis his quatuor partibus patebant spatia magna instar platearum, in quibus, quemadmodum in foris, emebatur vendebaturque, ac ubi institores Cereales apportabant, reducebantque. Οὐδενί τε ἄλλῳ ἢ πόλει μετανισαμένῃ καὶ καθιδρυμένῃ ἐῴκει, *nulli alii rei, quam urbi bene ordinatæ & dispositæ similia sunt*, scil. castra *Joseph. l. 3. antiq. c. 11. p.* 57.

Distantia castrorum Israelis a tabernaculo.

VI. Tradunt Hebræi, filios Israelis castra metatos fuisse in circuitu tabernaculi, ut unum milliare interfuerit, h. e. spatium mille passuum, quod est iter Sabbathi, *P. Fagius Num.* 2. 3. quod colligitur ex Jos. III. 4. ubi præcipitur spatium cubitorum 2000. inter populum & Arcam. Postea tendebant castra Levitæ: A parte Orientali *Moses & Aaron & Sacerdotes*. A parte Australi, *Cahathitæ*; a parte Occidentali *Gersonitæ*; a parte Boreali *Meraritæ*.

In meditullio erant castra Divinæ Majestatis.

VII. In meditullio erant *castra Divinæ Majestatis*. Huc allusit *David*. Ps. xlvi. 6. *Deus est in medio ejus; non movetur*. Stabilita Republica partes Hierosolymæ æquali modo distinctæ fuere. A portis Hierosolymæ ad montem templi erant *castra Israelis*; a porta montis templi ad portam atrii (quæ alias vocatur *porta Nicanoris*) erant *castra τοῦ Levi*: a porta atrii & longius erant *castra Majestatis Divinæ*. *Maimon. in Beth habechirah. c. 7. sect.* 11.

Omnibus tribubus erant quatuor vexilla.

VIII. Adhæc sciendum est, quod duodecim Tribubus fuerint quatuor principalia [2] *vexilla*; singula *vexilla* trinis Tribubus: quam ob causam Ecclesia dicitur *terribilis ut acies vexillis instructa*. Cant. VI. 4. Vocabulum Hebr. דגל *vexillum* Num. II. 2. vertunt LXX. τάγμα *ordinem*, *turmam*. Ἄνθρωπος ἐχόμενος κατὰ τάγμα αὐτοῦ *quisque juxta ordinem suum*. *Chaldæi* vocant תקס (quam vocem mutuantur a Græcis, quibus τάξις idem est) *ordinem*: ut גבר על תקסיה *quisque juxta ordinatas suas acies*. Hinc suum loquendi modum sumsit Paulus 1. Corint. XV. 23. Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι.

Eaque coloribus tincta.

IX. Singula *vexilla* putantur fuisse tribus coloribus tincta, secundum colores gemmarum in pectorali, & gestasse Patriarcharum nomina. *Jonath. Uz. Num.* II. 3. Verum hæc proportio vacillat; *nam Tribus Levi*, quæ hic reliquis Tribubus non annumeratur, suam tamen gemmam habebat in pectorali. *Joseph* autem, cujus gemma

ma in pectorali fuit *Beryllus*, hic constituit duas Tribus, *Ephraim & Manassen*, attamen ei non possunt duo colores ex pectorali tribui.

X. Singulis *vexillis* sua erat *inscriptio*. In primo exaratum erat illud Num. x. 35. *Surge Jehova, & dispergantur inimici tui, fugiantque osores tui a vultu tuo*. Praeterea putatur ab Hebraeis, quod singulis *vexillis* impressum fuerit peculiare *signum*. Dicunt in *vexillo* Ruben fuisse imaginem hominis; in *vexillo* Judae imaginem leonis; in *vexillo* Ephraim imaginem bovis; in *vexillo* Dan imaginem aquilae; *P. Fagius Num. 2. Aben-Esra ibid.* Quae quatuor animalia memorantur ab Ezech. c. 1. 10. ad definiendam Angelorum naturam; nam Angeli ex hoc versu definiri possunt, quod sint Spiritus intelligentes, ut Homo; potentes, ut Leo; Ministratorii, ut Bos; & celeres, ut Aquila *Tremell. in Ezech. I.* Hanc Cherubinorum descriptionem habes Apoc. IV. 6.

Et inscripta. Atque peculiaribus signis notata.

XI. Per quae quatuor animalia, juxta sententiam multorum, figurantur *Evangelistae quatuor*. *Hieron. ad init. sui comment. in Matth.* Item *Gregor. Homil. l. 4. Ezech. ab Hieron.* dissentit *August. in Matth.* & *Marc.* nam in leone Matthaeum, Marcum in homine putat adumbratum. *August. de consens. Evang. l. 1. c. 6.* Ita creditur, quod *Homo Matthaeum* adumbrarit, quia Evangelium exorditur *generatione* Christi secundum humanitatem; *Leo Marcum*, qui suum Evangelium inchoat voce Leonis rugientis in deserto, *Vox clamantis in deserto; Bos Lucam*, quia inchoat cum Sacerdote Zacharia; & *Aquila Johannem*, quoniam altius adscendit, initium de Deitate Christi capiens.

Signa illa quae IV. animalia figurabant Evangelistas.

XII. Sic videmus, quomodo metati sint sua *castra*; sequitur ipsorum *motio* & *progressus*, ubi annotanda 1. Ipsorum *motio* in itinere per desertum. 11. Ipsorum *eductio* in bellum. 1. Quod attinet *motionem* in itinere, aut progressi sunt, aut constiterunt ratione nubis, quae ipsos comitabatur; scil. si illa se aut moveret aut sisteret; cujus modus describitur Num. X.

Habita ad nubem ratione castra movebantur aut consistebant.

XIII. Summatim observemus, quod quando Deus nubem tolleret, Mose precato & signo ad movendum a Sacerdotibus edito, tum moverit primum *vexillum Juda* cum *Issachar* & *Zabulon*, subsequentibus *Gersonitis* & *Merarithis*, qui asseres & pelles Tabernaculi curribus ferebant. Tubis alterum signum dantibus, movebant *Ruben, Simeon & Gad*, sequentes Tabernaculum. Post hos ibant *Kahathitae* medii inter duodecim Tribus, ferentes humeris suis *arcam*, [3] *Lychnuchum*, *mensam*, *altare* aliasque res sacras. Tertio tubae signo excitum est *vexillum Ephraimi*, *Manassis*, & *Benjaminis*, sequentium Sanctuarium. Huc respexit David, orans Psal. *LXXX.* 3. *Coram Ephraimo, & Benjamine, & Manasse excita praepotentiam tuam, & veni ad salutem nobis*. Quarto signo tuba dato, prodibant cum *vexillo* suo *Dan*, *Ascher*, & *Nephtali* quibus erat demandata cura claudorum, debilium, & aegrorum, ne quis relinqueretur, sed omnes colligerentur, unde & illud *vexillum* vocatur *acies colligens*. Jos. VI. 9. quo respexit David Ps. XXVII. 10. *Pater meus & mater mea dereliquerunt me; at Jehovah suscipiet me*.

Motio castrorum in itinere per desertum.

XIV. II. Quod attinet *eductionem* in bellum. 1. Sacerdotes tubis edebant *sonum fractum Num. X. 9.* quem vocant תרועה *clangorem*, *vociferationem*. Hebraei duplicem *clangorem* esse statuunt, alterumque vocari תקיעה *clangorem*, alterum תרועה *sonum fractum*; quorum ille aequabilis est vox, hic citus concisusque fragor; ille ad convocandos coetus, hic ad accendendos militum animos facit. 2. Delectus ex toto numero Sacerdos est, qui animos populi flexanima oratione ad pugnam incitaret. Deut. XX. 2. Hunc appellabant משוח מלחמה *Belli causa unctum*. [4] 3. Ad praelium ibant *quini* in uno ordine. Exod. XIII. 18. vox חמשים hoc importat.

Eductio in bellum.

XV. Tandem observandum est, quomodo se gerere debuerint in *obsessione* urbis alicujus. Quod ut bene capiatur, duas has nota propositiones. I. *Pacem debebant offerre omnibus inquilinis & Cananaeis*. [5] Deut. XX. 10. Hoc clare patet Jos. XI. 19. 20. *Nulla fuit urbs, quae pacem iniit cum filiis Israelis, nisi Hevitae Gibeonis incolae; omnes ceperunt bello. A Jehova enim fuit, ut obdurarentur corda ipsorum*. Moab autem & Ammon hic excepti sunt. *Pacem ipsorum & bonum ipsorum*, Israeli interdictum est quaerere. Deut. *XXIII. 6. II.* Non licebat Israeli *foedus ferire cum septem populis*. Deut. VII. 2. Exod. XXIII. 32. XXXIV. 15. Licebat autem cum peregrinis Jos. IX. 7. *Forsan in medio mei habitas, & quomodo percuterem tecum foedus? Non, quomodo pacem componerem tecum?*

XVI. Si quis quaerat, quid discriminis sit inter τὸ *pacem componere* & *foedus pangere?* Resp. Duplex discrimen est. 1. *Compositio pacis* erat *nuda stipulatio* & *promissio mutua*, ad tollendam omnem simultatem dissidiumque mutuum, ut utriusque partis vita tuta esset. *Percussio* autem *foederis* erat *mutua solennisque devinctio*, de invicem praestanda illa promissione mutua, fiebatque externis ceremoniis, scil. dissecando bestiam, & inter partes transeundo. *Jerem. XXXIV.* 18. q. d. *Ita fiat ei, & ita corpus*

Discrimen inter pacem componere & foedus pangere.

ejus dissecetur, qui ruperit hoc fœdus. Hæc est causa, cur Hebræi, *fœdus facere*, dicant כרות הברית *dividere* aut *dissecare fœdus*, quemadmodum apud Latinos dicitur *percutere fœdus*, quæ locutio fluxit ab antiquo fœderis faciendi more. Sacerdos enim vel Fecialis feriebat porcum silice, dicens: *qui prior defecit dolo malo, hunc tu illo die Jupiter sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam*. *Liv. Dec.* 1. *cap.* 24. Deinde 2. Israelitæ non *componebant pacem*, nisi hac conditione; *ut populus iste fieret tributarius*, *Deut.* XX. 11. *Pecussio* autem *fœderis* stabat æqualibus terminis, sine ulla vel tributi vel servitutis conditione, uti patet ex fœdere, quod pepigit cum Gibeonitis Josua, ubi nullius omnino conditionis mentio, *Jos.* IX.[6]

Hinc illustratur Scriptura.

XVII. Hæc distinctio videtur mihi sequenda; utpote. 1. Quæ facit ad multorum Scripturæ locorum conciliationem; ut quando Deus ait: *offer omnibus pacem*, & *cum nemine pange fœdus*. 2. Ostendit, quod fraus Gibeonitarum communi opinione major sit, nam non simpliciter quæsiverunt *pacem*, sed etiam *fœdus*; *Secate nobiscum fœdus*. Jos. IX. 6. Et 3. solvit communem objectionem *pro juramentis inconsideratis*, quod illa, licet illicita, obligent. Objectio ita habet: *Fœdus, quod Josua inconsiderate pepigit cum Gibeonitis, illicitum fuit, & tamen Josua illud servavit, ruptumque a Saule Gibeonitas percutiente, ultus est Deus*. 2. *Sam. XXI.* 1. *Ergo &c.* Dico, quod solvat hanc objectionem, quia, sedulo contemplando factum Josuæ, reperiemus, quod juramenta inconsiderata eo usque & tantum eo usque sint obligatoria, quoad convenit inter ipsa Verbumque Dei. Verbum Dei requirebat, Gibeonitas debere esse tutos a vitæ periculo, quoniam pacem accipiebant, huc usque ergo fœdus illud in suo vigore mansit. Rursus Dei Verbum requirebat, Cananitas accepta pace oportere esse tributarios, hic fœdus illud nullum vigorem habuit, propterea que fecit ipsos Josua *lignorum putatores & aquam haurientes*; quod fuit tributi species, juxta locutionem Scripturæ; *tributum corporis* non *æris*; quo sensu Ægyptii præfecti, qui cuivis suam statam operam demetiebantur, in Hebr. vocantur שרי מסים *præfecti tributorum*. *Exod.* I. 11.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

Annot. [1] Idem Gemarici tract. סוטה cap. I. ajunt תנא רבי אליעזר הגדול אומר שנים עשר מיל על שנים עשר מיל כנגד מחנה ישראל היה בת קול משמיע *Traditio. R. Elieser senior dixit: Per duodecim milliaria quaquaversus secundum* (spatium nimirum, quod occupabant) *castra Israelitarum, oraculum insonuit*, uti vertit Consultiss. Wagenseilius *Sota* p. 322. Colligunt id Sapientes ex Num. XXXIII. 49. Ajunt enim tantum spatium interponi inter Beth Jeschimoth & Abel Schittim. Ut de hac castrorum dimensione æquius judicemus, notandum. א. Milliaria Judaica nostris multo minora esse. *v. cap. de mensura*. ב. Magnam Israelitarum utriusque sexus multitudinem fuisse, ג. Castra ordine disposita, ita ut inter singulos, præprimis inter tribum & tribum interstitium aliquod patuerit, ingens spatium requisivisse. ד. Sanctitatem Tabernaculi non concessisse ut Israelitæ castra sua prope castra Majestatis divinæ figerent. ה. Denique spatium maximum ad jumenta pascenda, plura alia tuto asservanda necessarium fuisse.

[2] Recte ait Goodvvinus noster duodecim tribubus fuisse quatuor principalia vexilla vid. Num. II. 3. 10. 18. 25. ad unamquamque plagam unum. Sed præter illa alia insuper signa tribum a tribu, imo familiam a familia distinguebant Num. II. 2. אתת *signa domus paternæ*, quod ordo castrensis, qualis ab Israelitis quoque observatus erat, requirebat.

[3] Valde dubito rem ita se habere quoad arcam. Nihil enim probatur Num. X. 21. Obstant alia: α. Ibi erat arca ceu thronus ubi nubes, quæ cherubinis insidebat. β. Num. X. 33. *arca fœderis Jehovæ proficiscebatur* לפניהם *coram illis ad investigandum illis requiem*. γ. Jos. III. 3. 6.

[4] Ajunt Sacerdotem hunc oleo sancto perfusum fuisse, ad gravissimam suam functionem digne & feliciter obeundum. Dignitatem ejus partim æquiparant Pontificali, partim minorem faciunt, majorem tamen Saganis. Flexanima oratio, quam Auctor indigitat, continetur Deut. XX. & ejus expositio tract. סוטה cap. VIII. 1. quam ex interpretatione Wagenseilii dabo. Sacerdos ad bellum unctus alloquitur populum Hebraice & dicit illis: *Audi Israel &c. Contra inimicos vestros* (inquam expeditionem suscipitis) *non vero contra fratres vestros. Non* (pugnabit tribus) *Judæ contra tribum Simeonis aut Simeonis adversus tribum Beniaminis, ut si in illorum manus incideritis, misericordia erga vos utantur*, prout S. E. (2. Chron. XXVIII. 15.) & surgentes homines quidam, qui expressi fuerunt nominatim, prehenderunt multitudinem illam captivam & omnes nudos eorum induerunt ex præda; cumque induissent & calceassent, cibumque & potum dedissent atque unxissent eos, deduxerunt asinis quemque labantem eorum adduxerantque Jerichuntem in civitatem palmarum ad fratres eorum, deinde reversi sunt Samariam &c. *Contra hostes*, inquam, *vestros proditis, quorum si in manus incideritis, vestri non miserebuntur*. (*Additur porro* Deut. XX. 3.) Ne mollescat cor vestrum, ne timete neque trepidate &c. (i. e.) ne mollescat cor vestrum, *ob hinnitum equorum & fulgorem ensium*: ne timete *ob collisionem scutorum & agmen cataphractorum*: Neque trepidate *ob sonum tubarum*: Neque expavescite *ob classica*. Nam Dominus Deus vester ambulat vobiscum. *Ipsi adventant robore misello humano, vos vero acceditis freti robore Dei infiniti. Venerant* (olim) *Philistæi cum robore Goliathi, quid tandem evenit? Ad postremum gladio cæsus est, & illi pariter cum eodem.*

[5] Maimonidis hac de re testimonium apponam. Legitur illud tract. מלכים ומלחמות cap. VI. אין עושין מלחמה עם אדם בעולם עד שקוראין לו שלום אחד מלחמת הרשות ואחד מלחמת מצוה שנ׳ כי תקרב אל עיר להלחם עליה וקראת אליה לשלום אם השלימו וקבלו שבע מצות שנצטוו בני נוח עליהן אין הורגין מהן נשמה והרי הן למס שנ׳ יהיו לך למס ועבדוך וכ״ו שבעה עממין ועמלק שלא השלימו אין מניחין מהן נשמה שנ׳ כן תעשה לכל וגו׳ רק מערי העמים לא תחיה כל נשמה וכן הוא אומר בעמלק תמחה את זכר עמלק ומניין שאינו מדבר אלא באלו שלא השלימו שנ׳ לא היתה עיר אשר השלימה את ישראל בלתי החוים יושבי גבעון את הכל לקחו במלחמה כי מאת ה׳ היתה לחזק את לבם לקראת המלחמה את ישראל למען החרימ׳ מכלל ששלחו להם לשלום ולא קבלו שלשה:

שלשה כתבים שלח יהושע עד שלא נכנם לארץ הראשון שלח להן מי שרוצה לברוח יברח וחזר ושלח מי שרוצה להשלים ישלים וחזר ושלח מי שרוצה לעשות מלחמה יעשה *Cum nemine bellum geritur, nisi illi prius pax oblata fuerit. Atque hoc valet in bello voluntario & quod divinitus præceptum est.* N. S. E. Deut. XX. 10. quando accedes ad urbem ad oppugnandum eam; invitabis eam ad pacem. *Si* (Gentiles) *pacem fecerunt atque susceperunt VII. præcepta, quæ filiis Noæ injuncta sunt, nemo ex illis interficitur. Verum tributa pendunt.* U. D. v. 11. sint tibi in tributum serviantque tibi &c. *Septem Cananææ nationes uti & Amalekitæ, qui pacem non inierunt, interficiendi sunt nec cuiquam vita relinquenda est:* Q. S. E. v. 15. Sic facies omnibus &c. *Verum de urbibus populorum horum non sines vivere ullam animam. Ita de Amalekitis quoque reperitur* Deut. XXV. 19. delebis memoriam Amaleki. *Unde autem constat verba non esse explicanda nisi de iis qui pacem inire detrectarunt?* Q. S. E. Jos. XI. 19. 20. Non fuit urbs, quæ pacem fecit cum Israele præter Chivæos habitatores in Gibeon; Omnes ceperunt bello. Nam a Jehova factum ut obfirmarent animum suum ad bellandum cum Israele ut devotioni darent eos. *Hinc elucet missos fuisse legatos, qui pacem offerrent, sed illam recipere noluerunt. Josua antequam terram Canaan ingressus est, tres misit epistolas. Prima indicat;* Qui fugere vult, ille fugiat. *Altera*; Qui pacem inire vult; ille ineat. *Tertia*; Qui pugnare vult, ille pugnet. Modo hisce non obstet Deut. XX. v. 16. & præprimis ratio v. 18.

[6] Valde vereor examen, quod Auctor noster inter φράσιν *pacem componere* & *fœdus pangere* instituit, ex scriptura confirmari posse. א. Nam השלים quod ille *pacem componere* vertit, idem ac כרת ברית *secare fœdus*. conf. Jos. X. 1. IX. 15. ב. Partes pacem componentes æqualibus terminis stant. 1. Reg. XXII. 45. ג. Vice versa, ubi adhibetur φράσις secare fœdus una pars tributo & servituti subjicitur. Jos. IX. 11. 1. Sam. XI. 1. 2. Sam. V. 3. Ergo discrimen Auctoris fictum.

CAPUT NONUM.

De Mensura.

I. MEnsuræ, Hebræis usitatæ ut & omnibus aliis nationibus, duarum fuerunt specierum. 1. Quædam *mensuræ applicationis*, veluti *spithama*, *ulna* &c. 2. Quædam *mensuræ capacitatis*, veluti *pintæ*, *sextarii*, & *modii* &c.

Mensura vel applicationis vel capacitatis.

II. 1. *Mensuræ applicationis*, in Scriptura occurrentes, sunt sequentes, quibus fraus omnis abesse debuit. Fundamentum harum *mensurarum* erat latitudo tot & tot granorum hordeaceorum mediocri magnitudine, juxta se positorum.

Mensurarum applicationis fundamentum.

III. אצבע *Digitus*, seu latitudo pollicis, complectebatur sex grana hordei ventre juncta. *Arias Montanus Thubal Cain.* Verum licet *digitus* per rotundam supputationem pro *pollice* sumatur, *quatuor tamen digiti*, si accurate velimus loqui, *constituunt tres pollices. Franc. Jun. in Ezech. XL.* 5. Hujus fit mentio Jer. LII. 21.

Species 1. Digitus.

IV. *Palmus*; qui duplex fuit, *palmus minor* & *palmus major*. *Minor* est *mensura* quatuor digitorum conjunctorum, seu trium pollicum; Græci vocant illam *mensuram* παλαιστὴν, Hebræi טופח. *Major* vocatur זרת, Græcis σπιθαμὴ, Latinis *spithama* & *dodrans*; & est *mensura* expassorum digitorum, a pollice summo ad digitum minimum.

2. Palmus minor. Major.

V. פעם *pes*, continet pollices duodecim, seu quatuor palmos minores, aut sedecim digitos. *P. Martyr. 1. Reg. VI.*

3. Pes.

VI. אמה *cubitus*; *ulna*. Quatuor *cubitorum* species occurrunt apud Auctores 1. *Cubitus communis*, seu distensio a flexura brachii ad extremitatem digiti medii. Continet pedem & dimidium, seu sesquipedem. 1. *Cubitus sacer*, erat virga plena, complectens duos *cubitos communes*, uti patet ex coll. 1. Reg. VII. 35. cum 2. Chron. III. 15. [1] Priori loco dicuntur columnæ altæ *octodecim cubitos*: posteriori, *cubitos triginta quinque*; quibus si addatur altitudo basis, quæ erat *pes* vel *ulna communis*, duplicatur numerus; sic ut textus prior loquatur de *cubitis communibus*, posterior de *sacris* 3. *Cubitus Regis*, qui trium digitorum longitudine superabat *cubitum communem*, qui communis proinde vocatur *cubitus viri Deut. III.* 11. quemque *Onkelos* inconvenienter vertit *cubitum Regis. Vid. Herodot. l. 2. in descript. Bab.* 4. *Cubitus Geometricus*, mensura æquans sex *cubitos communes*; juxta hos cubitos creditur *Arca Noachi* structa. *Orig. Hom. 2. in Genes.* Item *August. de C. D. lib. 15. c. 27.*

4. Ulna ejusque species.

VII. Quidam *cubitum sacrum* & *communem* ita distinguunt: *communis cubitus*, ajunt, complectitur *quindecim pollices*, seu *quinos palmos minores*; *sacer octodecim pollices* seu *sex palmos minores*. Veruntamen probavimus *sacrum cubitum* complexum esse *duos communes*. Et verisimile, est, quod, qui statuunt, eos *cubitos* tantum differre *tribus pollicibus* seu *uno palmo*, errorem suum trahant ex eo, *quia cubitum Regis habent pro sacro*.

VIII. חבר *Funiculus*, *funis*. Ejus justa longitudo ignoratur, usus fuit metiri fundos;

5. Funiculus.

dos; [2] hinc & ipſius hæreditatis nomen capit. *Funes mihi ceciderunt in amœnis. Pſ. XVI. 6.* h. e. hæreditas mea.

6. Arundo.

IX. קנה *Arundo*, *calamus*. Uſus hujus fuit ædificia metiri, longitudo æquabat *ſex cubitos*, *& palmum unum*, Ezech. XL. 5. [3] *Cubiti* hoc loco exponuntur per *cubitos Regis*. Minor in hac menſura fraus ſubeſſe poterat quam in funiculo, quia extendi plus, pluſve contrahi nequibat. Inde *Canon S. Scripturæ* myſtice adumbratur *calamo*. Ez. XL. Apoc. XXI. 15.

Menſura viarum uti paſſus.

X. His inſuper aliæ addi poſſunt *menſuræ*, quibus *menſurarunt* ſuas *vias & greſſus*, Minima hujus generis fuit צעד *paſſus*.

Stadia.

XI. Στάδιον *ſtadium*; cujus ſæpius in N. T. nunquam in V. T. mentio fit. Continet 125. *paſſus* ſeu octavam noſtrorum milliarium partem. *Iſidorus*. [4] Sunt qui putant ϛάδιον denominari *ἀπὸ τῆς ϛάσεως a ſtando*, quod Hercules tantum terræ ſpatium curſu interrupto *emenſus ſit*, *antequam ſteterit*.

Milliaria.

XII. *Milliarium* eſt *ſpatium mille paſſuum*, plurium tamen apud Hebræos, [5] apud quos vox כברה ſæpiuſcule *milliarium* transfertur, proprie tamen notat *prandium*, aut *alimentum*, a ברה, ut כ ſit Servile; applicatumque *viis* & *ſpatiis*, ſignificat tantum loci intervallum, quantum homo commode conficere poteſt die dimidio a paſtu ad paſtum. Vox ea legitur Geneſ. XXXV. 16. כברת הארץ *paſtus terræ*, iter diei dimidiæ. Græci eo loco peregrinum ſubſtituunt vocabulum χαβραθά, extra dubium confictum ex Hebr. כברה.

Menſurarum capacitatis fundamentum.

XIII. 2. *Menſuræ capacitatis* erant duum generum; quædam *menſuræ aridorum*, ut *frumentorum ſeminum &c.* & quædam *liquidorum*, ut *vini & olei &c.* Ut in utriſque *menſuris* juſta proportio obſervaretur, omnes *menſuras* ſuas deſcripſere certo teſtarum gallinacearum mediocris magnitudinis numero.

Collatio cum menſuris Wintonianis.

In rebus aridis ſpecies.

XIV. Quando hic *menſuras* cum noſtris confero, & loquor de *modiis*, *ſemimodiis*, &c. intelligo id juxta menſuras *Wintoniæ*. Talis *modius* continet *ſedecim ſextarios*; & quando loquor de *congiis*, *ſemi congiis*, *quartariis*, &c. intelligo id juxta noſtras *menſuras cerevifiarias*; qua re evito fractionem numeri.

Cabus.

XV. קב *Cabus* continebat tantum, quantum 24. *ova*, convenit cum *quartario* noſtro. *Arias Montanus Thubal Cain*. *Menſura minima in* S. Scriptura eſt *quarta pars cabi*, ſeu *6. ova*, 2. *Reg. VI.* 25. Fames in Samaria tam magna fuit, *ut quarta pars cabi excrementorum columbarum venierit quinque argenteis*. [6] Rabbinis hoc proverbium de *cabo* eſt עשרה קבין שיחה ירדו לעולם תשעה נטלו נשים *Decem cabi locutionis deſcenderunt in mundum, & novem iſtorum abſtulerunt mulieres*. *Buxt. Lex. in* היה.

1. Omer.

XVI. עמר *Omer* continet *unum Cabum*, *& dimidium Cabum & quintam partem Cabi*, h. e. *tres pintas*, *& dimidiam*, *& quintam partem ſemi-pintæ*. Erat decima pars *Ephæ Exod. XVI. 36. Alſted. præcogn. Theol. l. 2. p.* 588. [7]

3. Seah.

XVII. סאה *Seah* σάτον *ſatum*. Latini Interpretes plerumque vertunt *Modium*. Continet *ſex Cabos*, h. e. Congium & dimidium. Vid. *Buxt. Lex. in* קבב ex opere *R. Alphes tract. de paſch. c. 5. fol. 176.* In genere hanc vocem interpretamur *menſuram*. *Cras hoc tempore veniet menſura* (סאה) *ſimilæ*, *ſiclo*, 2. *Reg. VII.* 1.

4. Epha.

XVIII. איפה *Epha* continet tria *ſata*. *Arias Mont. Thubal Cain*.

5. Letech.

XIX. לתך *Lethech* continet *quindecim menſuras* ſeu *ſata*, h. e. *duos modios*, *ſex Congios*, *& ſemi-congium*. Hujus mentio Hoſ. III. 2. Ibi a noſtratibus vertitur *an half homer* ſemi-Chomer. vid. *Epiph. de menſ. & ponder.*

6. Chomer.

XX. חמר *Chomer*; dicitur a חמור *Aſinus*, quoniam hæc menſura tantum frumenti capiebat, quantum Aſinus ferre ſufficit. Continuit *decem Ephas* Ezech. XLV. 11. h. e. 45. Congios, ſeu 5. Modios & 5. Congios.

7. Corus.

XXI. כר *Corus* eadem *menſura* fuit cum *Chomer*. Ezech. XLV. 14. Non autem tantum fuit *menſura aridorum ſed & liquidorum* Luc. XVI. 7. [8]

Species in rebus liquidis.

XXII. Hæ *menſuræ*, de quibus hucuſque diſſeruimus, adhibentur ab Hebræis *in rebus aridis metiendis*. Fuerunt tres aliæ *liquidorum menſuræ*. Ut.

1. Logus.

XXIII. לוג. Continet *ſex ova*. Vid. *Buxt. l. c.* eadem *menſura* fuit cum quarta *Cabi* parte ſeu *ſemipinta*.

2. Hin.

XXIV. הין conficit 72. *ova*. *Buxt. ibid.* & juxta noſtram *menſuram* 3. *quartarios*.

3. Bathus.

XXV. בת βάτος *Bathus* ejuſdem erat quantitatis cum *Epha*, ſcil. *decima pars Chomeris*. *Ezech. XLV.* 14. Latini Interpretes plerumque vertunt *Cadus*. *Hieronymus Ez. XLV.* transfert *Vadus*: *Decima pars Cori*, inquit, *in ſpeciebus liquidis vocatur Bathus ſive Vadus*. Putaveram eſſe ſphalma typographicum, & poſitum eſſe *Vadus* pro *Cadus*; ſed invenio, Græcos adhibuiſſe vocabula Βάτος & Βάδος, pro qua poſteriori voce Pater iſte legit *Vadus*. Subinde in genere transfertur in noſtra lingua *a menſure menſura*. *Luc. XVI.* 16. continetque 4. *Congios & dimidium*. [9]

XXVI. Om-

XXVI. Omnes hæ *menſuræ* Hebræorum propriæ fuere; ſed præter eas, tres aliæ occurrunt in N. T. ductæ ab aliis gentibus Ut

Menſuræ aliarum Gentium. Sextarius.

XXVII. Ξεςός *Sextarius*, quam vocem vertimus *a pot* Marc. VII. 4. ejuſdem cum *Log* quantitatis fuit, ſi intelligimus *Sextarium Romanum*; paulo autem major eſt, ſi intelligimus *Sextarium Atticum*. Undecim *Attici ſextarii* æquabant *Romanos* duodecim. Veriſimilius ergo intelligimus *Romanam menſuram*, ſic ut continuerit *ſex ova*, ſeu *ſemipintam*. *Vid. Alſted. præcogn. Theol. p.* 561.

Chœnix.

XXVIII. Χοῖνιξ *Chœnix* menſura. Apoc. VI. 6. Proprie denotat tantam frumenti *menſuram*, quantam Servo de die paſci licuit. Hinc natum illud *Pythagoræ*: χοίνικι μὴ ἐπικαθίσαι *ſuper Chœnice non ſedeas*; h. e. *non unius diei dimenſo acquieſcendum, ſed & in craſtinum proſpiciendum*. Continebat 4. *ſextarios*, h. e. *unum quartarium*. *Budæus de aſſib. l.* 5.

Metreta.

XXIX. Μετρητής *Metreta Joh. II. 6.* Transfertur *a Firkin*. Erat *menſura Attica*, ejuſdemque quantitatis cum *Cado*; & *Cadus*, ut antea annotatum eſt, coincidit cum Hebraico *Batho*, ſic ut quoque continuerit 4. *Congios* & dimidium. *Budæus ibid.*

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

[1] Annot. [1] Cubitus hic in Antiquitate nullum fundamentum habet & ab iis excogitatus videtur, qui loca Scripturæ difficilia optime exponi poſſe putabant, ſi cubitum ſacrum duos communes continentem effinxerint. Sed novo hoc commento loca illa non indigent. Sane qui eo confugiunt, clariſſime oſtendunt, ſe textum Originalem non inſpexiſſe. 1. Reg. VII. 15. *& formavit duas columnas æneas; unam columnam octodecim cubitos altam*. At 2. Chron. III. 15. *& paravit ante domum duas columnas triginta quinque cubitorum*, ſcil. una.

[2] Vid. Joſ. XVII. 14. 2. Sam. VIII. 2. Unde etiam certus terræ tractus חבל funis dicitur *Deut. III.* 4.

[3] Auctor ſequitur Vulgatam, uti & aliæ verſiones. Textus Originalis ita legit קנה המדה שש אמות באמה וטפח *calamus menſuræ ſex cubitorum juxta cubitum & palmum* hoc eſt cubitus intelligitur, qui unum communem & præterea palmum continet. Targum Jonathanis in *manu viri calami menſuræ, ex quibus unus erat ſex cubitorum* באמתא רהיא אמא ופשך *in cubito, qui eſt cubitus & palmus*.

[4] Stadia primitus Hebræis incognita erant. Poſteriori tempore victi a victoribus didicerunt. Attamen in dimenſione non conveniunt. Stadium Hebraicum, quod ריס aut alii רוס legendum putant, 266. paſſus continet, & ſeptem cum dimidio unum milliare conſtituunt. Gloſſa Bartenoriana ad tr. יומא c. VI. 4. שבעה ומחצה ריסים לכל מיל אני שמעתי דרוס גרסינן בו"ו והם מאתים וס"ו פסיעות כחשבון רוס נמצאו ז ריסין ומחצה אלפים פסיעות פחות ה' קרוב למורה תחום שבת *ſeptem ſtadia cum dimidio unum milliare faciunt. Ego ex aliis audivi legendum eſſe non* ריס *ſed* רוס *cum* ו *atque ſtadium eſt CCLXVI. paſſuum juxta numerum, qui ineſt voci* רום. *Quomodo ſeptem ſtadia cum dimidio faciunt M. M. paſſus exceptis quinque. Prope igitur accedunt ad menſuram itineris Sabbathici*. Noli ex dictis colligere ſtadium Hebraicum Romano majus eſſe, quum contineat 266. paſſus. Nam paſſus Hebræi longe breviores ſunt Romanis. Romanus eſt 80. digitorum, ſed Hebræus nonniſi 24.

[5] Milliare Hebraicum continet ſtadia Hebraica VII. & dimidium. Dabo tabulam, unde quæ proportio inter menſuras intervallorum ſit, Lector optime noſſe poteſt.

Digitus					
1	Palmus				
4	1	Spithama			
12	3	1	Paſſus		
24	6	2	1	Stadium	
6384	1596	532	266	1	Miliare
47880	11970	3990	1995	$7\frac{1}{2}$	1

Apponam pariter tabulam earumdem menſurarum inter Romanos.

Digitus					
1	Palmus				
4	1	Pes			
16	4	1	Paſſus		
80	20	5	1	Stadium	
10000	2500	625	125	1	Milliare
80000	20000	5000	1000	8	1

Magnum ergo diſcrimen inter milliare Hebraicum & Romanum.

[6] Ingens fames Samariam premebat 2. Reg. VI. 25. quum caput aſini (animalis immundi & viliſſimi) octoginta nummis argenteis hoc eſt 40. thaleris Imperialibus & quarta pars cabi (quantum 6. ova continent) de excremento columbarum quinque ſiclis argenteis hoc eſt $2\frac{1}{2}$ thaleris conſtiterit. Bochartus quidem putat חריונים vel ut in margine legitur דביונים genus ciceris viliſſimum notare, ſed prior notio cum vocibus magis convenit. Eandem probant Veteres & recentiores verſiones Jonathanis, LXX. Vulg. Arabica, Syriaca, Tigurina, Schmidii &c.

[7] עומר *Omer* eſt cibus diurnus Iſraelitarum Exod. XVI. 16. qui edaci ſufficit. Et quemadmodum Deus unicuique Iſraelitæ ſingulis diebus Omer Mannæ cœlitus dedit, ita illi ad gratitudinem teſtandum rurſum decimam Ephæ de ſimila in ferto jugi obtulerunt Num. XXVIII. 5.

[8] Ad capacitatem menſurarum in rebus aridis facilius inntelligendum multum facit hæc tabella

	Chomer vel Corus	1						
	Letech	2	1					
	Epha	10	5	1				
	Sata	30	15	3	1			
continet	Omer	100	50	10	$3\frac{1}{3}$	1		
	Cabos	180	90	18	6	$1\frac{4}{5}$	1	
	Ova	4320	2160	432	144	$43\frac{1}{5}$	24	1

[9] Tabella menſurarum liquidarum.

	Bathus	1			
continet	Hin	6	1		
	Logos	72	12	1	
	Ova	432	72	6	1

Quæ proportio ſit cum menſuris rerum liquidarum, quibus hic, alii alibi utuntur, id, ſi quis ſcire ſupit, optime cognoſcere poterit ex capacitate ovorum mediocris magnitudinis comparata cum menſura provinciali. Circiter 38. ova continent tantum, quantum menſura Marburgenſis.

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

De Moneta ipsorum cuprea, argentea & aurea. [1]

Nummos &c. librarunt granis.

I. UT justos *nummos* & *pondera* haberent, utraque librarunt granis.

Nummi cuprei.

Nummorum cupreorum species. 1. Minutum. 2. Quadrans. 3. Assarius.

II. Λεπτὸν *minutum* seu *quadrans ultimus Luc. XXI.* 2. *Marc. XII.* 42. Recentiores Judæi vocant פרוטה *nummulum minutum*, *Syr.* שמונא *octavam assarii partem*. Pendet dimidium granum hordei פרוטה זה משקל חצי שעורה *Minutum istud est pondus dimidiæ partis hordei. Mos. Kots. fol.* 124. *col.* 4. Conficit tres partes quadrantis nostri.

III. Κοδράντης *Quadrans*, erat *nummulus Romanus*, pendens granum hordei, vel duo *minuta*: *Vidua illa pauper immisit in gazophylacium duo minuta, quod est quadrans*. Marc. XII. 42. Consequenter valet nostrum quadrantem seu c. 12.

IV. Ἀσσάριον *Assarius* vel *Assarium*, erat *nummus Romanus*, pendens quatuor hordei grana. Rabbini vocant איסר, & dicunt, quod constituerit 8. *minuta*. *Drus. in præt.* Luc. XII. 59. De eo legimus Matth. X. 29. *Nonne duo passerculi veneunt assario?* [2] Nostri legunt *for a farthing*. Si præcise loquamur, de nostro valet *qa. q.* Seu semiss.

Nummi argentei.

Argenteorum species 1. Gerah.

V. גרה *Gerah*, erat vigesima pars *sicli sacri*. *Siclus est viginti gerah*. Exod. XXX. 13. Minimus est *nummus argenteus* Hebræorum, & convenit cum nostro *Obolo*. I. *d. ob.*

2. Agorah.

VI. אגורה *Agorah*. Vertimus in genere *a piece of silver*, *particulam argenti*. I. Samuel. II. 36. Verum ex Chaldaica Paraphrasi liquet, quod ejusdem cum *Gerah* valoris fuerit, ibidem enim utrumque transfertur מעא, & a Græcis ὀβολος. Valor ergo est I. *d. ob.*

3. Keschitah.

VII. קשיטה *Keschitah*, notat *agnum* Hebræis, certumque *nummum*, cujus alteri lateri *agnus* impressus fuit. In genere vertimus *a piece of money*, *partem monetæ*. Jacob emit portionem agri *centum nummis*, *for* 100. *pieces of money*. Gen. XXXIII. 19. Hebr. *centum agnis*. Verisimile tamen est, Jacobum redemisse istum agrum *nummis*, nam Stephanus ait Act. VII. 16. emisse ipsum *pretio argenti*, juxta sententiam Rabbinorum, ejusdem valoris cum *Obolo* fuit, *R. Salom.* Gen. XXXIII. 19. Item *R. David Kimchi in lib. rad.* Item *Levi Ben Ger.* Gen. XXXIII. 19. & construit vigesimam *sicli* partem. *Drus. ad diff. loc. Gen. p.* 119. Valor ergo fuit I. *d. ob.*

4. Argenteus.

VIII. כסף Ἀργύριον *Argenteus*. Quemadmodum Romani suas *summas* numerabant *sestertiis*, sic, ut sæpe *nummus* absolute positus sit ad significandum idem quod *sestertius*; ita Hebræi suas *summas* supputabant *siclis*, Græci *drachmis*. Hinc *argenteus* in Sacra Scriptura absolute positus, cum locus agit de *nummis* Hebræorum, stat pro *siclo*; valetque τετραδραχμον seu *staterem Atticum* 2. *s.* 6. *d.* si fuerit *siclus sacer*; si vero *communis*, διδραχμον *Atticum* I. *s.* 3. *d.* Cum autem locus agit de *nummis* Græcis, ut Actor. XIX. 19. tum notatur *drachma Attica*, quæ valet *obolos* 7. *Luc. XV.* 9. *Breervvod. de num.*

5. Didrachmi.

IX. Δίδραχμον *Didrachmum Matth. XVII.* 24. [2] *The tribute money* vertimus. *Syri* legunt תרין זוזין *duo zuzin*; Hebræorum autem *zuz* convenit Romanorum *denario*; ex quo patet, quod confecerit 7. *obolos* nostros.

6. Stater.

X. Στατὴρ *Stater*. In genere interpretamur eum *a piece of money*, valet vero præcise *duo didrachma*. Nam *nummus* census a quovis dependendus, erat *didrachmum* Matth. XVII. 24. Hicque *stater* solutus est pro duobus, nempe Christo & Petro. Ejus ergo valor æquavit 14. *obolos*. 2. *s.* 6. *d.*

7. Denarius.

XI. Δηνάριον *Denarius*. Hoc erat *numisma census*, Matth. XVII. 19. Duæ species *denariorum* ipsis usitatæ erant. *Tremell.* Matth. XXII. 19. *Denarius communis*, qui valet 7. *d. ob.* septem *obolos*. Et *denarius sacer*, qui constituit διδραχμον *Atticum* seu I. 6. 3. *d.* Et posteriori sensu Matthæus l. c. intelligendus est, nam *numisma census didrachmum* fuisse ex Matth. XVII. 24. notavimus. Hoc *didrachmum* seu *dimidia sicli pars*, antiquis temporibus quotannis ab Israelitis trigesimum annum assecutis Templo datum est, Exod. XXX. 32. *Aben-Esra* Neh. X. 32. Cæsar, hunc templi *censum* suo *gazophylacio* inferens abstulit τὰ τοῦ Θεοῦ. Hinc Christus in quæstione sibi proposita: *Licet censum dare Cæsari, an non?* Respondet: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*. Hic *census* postea, vi decreti a Vespasiano facti, Capitolio Romano dependsus est. *Joseph. D. B. J. l.* 7. *c.* 27.

XII.

XII. זוז *zuz* erat *quarta pars ſicli argentei*, & ſic æquivalet noſtrorum *obolorum* ſeptem *7. d. ob.* זוז רבע שקל כסף *zuz eſt quarta pars ſicli argentei*. *Elias Thiſb.*

8. Zuz.

XIII. שקל *Siclus* duplex erat. I. *Siclus Regius*, communis uſus in negotiis civilibus, emptionibus, & venditionibus, & ejuſdem valoris cum *didrachmo*. II. *Siclus Sanctuarii*, pretio æquans τετράδραχμον, ſeu *2. ſ. 6. d.* [4] In *Siclo Sanctuarii* duo typi excuſi erant, quorum alter ubivis inter Judæos valebat. *Triginta argentei*, quos Judas accepit, creduntur fuiſſe *triginta ſicli ſacri*. Unus typus in altero latere fuit *Urna mannæ*, aut, juxta aliorum ſententiam, *thuribulum Aaronis*, cum hac inſcriptione שקל ישראל *Siclus Iſraelis*. In altero latere erat impreſſa *Virga frondens Aaronis*, cum hac inſcriptione ירושלים הקרושה *Hieroſolyma Sancta*. Poſt adventum Salvatoris noſtri, converſi ad Chriſtianam fidem Judæi, mutarunt ſuum *ſiclum*, in priori latere exarata effigie Chriſti, adjectiſque ad frontem vel os literis יש, & impoſita capiti litera ו; quæ tres literæ componunt nomen JESU, *Alſted. præcogn.* Altero autem hujus *ſicli* latere nullum erat ſignum, ſed totus orbiculus repletus erat hac inſcriptione משיח מלך בא בשלם ואור מארם עשוי חיים *Meſſias Rex venit cum pace, & lux de homine facta eſt vita*. In aliis *monetis* eodem ſenſu hæc inſcripta leguntur; אלהים עשוי ארם ὁ Θεὸς ἐγένετο ἄνθρωπος. *Siclus Regius*, tempore Davidis & Salomonis, altero latere ſignum tulit, turrim poſitam inter ירו & שלים infra quam legebatur עיר הקודש *Hieroſolyma urbs ſanctitatis*. Alterum latus totum inſcriptum erat his verbis: דוד המלך ובנו שלמה המלך *David Rex & filius ejus Salomon Rex*. *Siclus* præterea in minores *nummos* diviſus fuit, qui ſuam denominationem habuerunt a partibus ejus. Sic mentio fit *dimidii ſicli*. *Exod.* XXX. 13. & *tertiæ partis ſicli*. *Neh.* X. 32. & *quartæ*. 1. *Sam.* IX. 8.

9. Siclus vel Regius vel Sanctuarii.

Nummi aurei.

XIV. זהב quod transferimus *a piece of gold* 2. *Reg.* V. 5. alii *ſiclum auri* eſſe putant ex 1. Chron. XXI. 25. Hujus generis ſunt 1700. *nummi aurei*, quorum mentio Jud. VIII. 26. quo loco *Græci* vertunt χρυσοὶ χίλιοι &c. Pondus hujus *nummi* æquavit duas *drachmas Atticas*, valor 15. *S. Breervvod. de num.*

Nummorum aureorum ſpecies. 1. Siclus aureus.

XV. אדרכון, de quo Eſr. VIII. 27. vocatur alias דרכמון Eſ. II. 69. Utrumque hoc nomen videtur denotare eundem *nummum*, ſi non, pondus tamen idem utriuſque fuit. Græci utrumque interpretantur per δραχμὴν, ſecundum quos nos quoque utrumque transferimus *a dram of gold*; quod intelligendum de *drachma Hebræorum*, quæ æquivalet duabus *drachmis Atticis*. A Græca voce δραχμὴ videtur natum *Darkemon*. Non hariolatur, qui putat, *Adarkon* dici, quaſi *Daricon*, quod fuit *nummus aureus Perſis* uſitatus & a Rege *Dario*, cujus effigies alteri lateri impreſſa erat, ita dicta; א autem apud Chaldæos ſæpius præfigitur vocabulo, ſicut ה apud Hebræos. Valoris ejuſdem fuit cum זהב ſeu *ſiclo aureo*. *Breervvod. de num.*

2. Adarcon.

Summæ ipſorum *duæ* fuerunt.

XVI. מנה μνᾶ *Mina*, *libra* ſeu *pondo*. *Mina aurea* pendet 100. *ſiclos*. Hoc liquet ex collatione textuum. 1. *Reg.* X. 17. *Tres minas* מנים *impoſuit unicuique ſcuto*. Et 2. *Chron.* IX. 16. *legitur impoſuiſſe* 300. *ſiclos auri unicuique ſcuto*. In Hebr. quidem *ſiclus* non expreſſe legitur, ſed neceſſario ſubauditur, uti patet ex eo, quod diximus de *Zahabh*. Nam receptus eſt canon, quod *aurum* poſitum in Scriptura cum *numero* notet totidem *Siclos aureos*, & ſic *argentum* pariter &c. Pondus ergo quum ſit 100. *ſiclorum*, valor erit 74. *Lib. Mina* autem ipſorum *argentea* pendet 60. *ſiclos Ez.* XLV. 12. ſic ut valor ſit 7. *lib.* 10. *ſ.* *Schindlerus in* מנה lapſus eſt, dicens; quod pretium *minæ* mutatum ſit tempore Ezechielis, quum valuerit tum temporis 60. *ſiclos*; nam differentia illa non eſt inter *minam ſacram* & *profanam*, uti is putat; ſed inter *minam auri*, quæ ſemper valuit 100. *ſiclos*, & inter *minam argenti*, quæ pendet 60. *ſiclos* juxta citatum *Ezech.* locum. [5]

Summarum ſpecies. 3. Mina.

XVII. Secunda *ſumma* fuit ככר *Talentum*. Quod, cum eſt *talentum argenti*, continet pondus 3000. *ſiclorum*. Nam collati iſti duo verſiculi. Ex. XXXVIII. 25. 26. oſtendunt; quod dum a ſexies & centies mille capitibus, ſingulis *dimidium ſiclum* pendentibus, 100. *talentorum ſumma* tollitur, *talentum Hebræorum* valuerit 375. *lib.* Sed *talentum auri*, comparatum *argento*, duodecies ſuperabat, ſic ut apud nos conficiat 4500. *Lib.* [6] Hic, cum agimus de ipſorum *nummis*, tria obſervanda ſunt.

2. Talentum.

PECUNIA HEBRÆORUM COMPARATA INTER SE.

Pruta	Quadrans	Aſſarius	Gerah	Denarius ſ. Zuz.	Didrachma ſ. ſiclus dimidius	Siclus ſ. ſtater	Mina	Talent.
1								
2	1							
8	4	1						
32	16	4	1					
160	80	20	5	1				
320	160	40	10	2	1			
640	320	80	20	4	2	1		
32000	16000	4000	1000	200	100	50	1	
1920000	960000	240000	60000	12000	6000	3000	60	1

PECUNIA HEBRÆORUM COMPARATA CUM HODIERNA.

		Thaleri Imper.	Crucig.	Ob.
1. Talentum		1 00		
1. Mina		25		
1. Siclus		$\frac{1}{2}$		
1. Didrachma			22	2
1. Denarius	facit		11	1
1. Gerah			2	1
1. Aſſarius				$1\frac{1}{4}$
1. Quadrans.			$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{16}$
1. Pruta			$\frac{1}{8}$	$\frac{1}{32}$

Olim pecunia pendebatur, dein ſignabatur.

XVIII. 1. Quod quemadmodum Romani antiquitus uſurparunt *Æs grave* ſeu *rude*, quod in maſſa in ſuis expenſis pendebant, & deinde *Æs ſignatum*; ita Hebræi, etſi tandem receperint uſum *ſignatorum nummorum*, prius tamen ſuum *æs rude* dependebant. *Appendebat Abraham Ephroni argentum Gen. XXIII. 16.* Hinc *ſiclus* ſuum nomen traxit, nam שקל *ponderare, librare*.

Pondus ſicli duplex.

XIX. Uti *ſignatus ſiclus* duplex fuit, alter in uſum Sanctuarii, alter in uſum Reipublicæ, *ſiclusque Sanctuarii* æquavit duos *ſiclos communes*; ita pondus *ſicli* eodem modo diſtinguendum eſt. *Siclus Sacer* pendet *ſemi-unciam ponderis Trojani; communis quartam unciæ partem*. E. G. *Mucro ferreus haſtæ Goliathi pendebat* 600. *ſiclos ſacros*. 1. *Sam. XVII.* 7. h. e. 25. *pondo*. *Coma Abſolomonis* pendebat 400. *ſiclos ponderis regii*. 2. *Sam. XIV.* 26. h. e. 4. *pondo*, & 2. *uncias*. Imo etiam *ſummæ* juxta *Sanctuarium* ſumtæ dimidiam pretii partem amittunt, quando in publico uſu juxta *regium pondus* componuntur.

Minimi nummi dicebantur κέρματα.

XX. 3. Minimi *nummi* in genere dicebantur κέρματα, aut in num. ſing. κέρμα Joh. II. 15. Vox ea proprie denotat *parvam metalli particulam*, qualis ab angulis abradi poteſt. *Primo menſis Adar factum eſt præconium per Iſraelem, ut populus pararet dimidium ſuum ſiclum, qui quotannis dependebatur ad cultum templi*, ſecundum DEI præceptum. *Ex. XXX.* 13. *Moſ. Kots. Sicl. fol.* 122. *col.* 2. Die decimo quinto menſis *Adar* menſas portarunt in templum, h. e. in atrium, ubi populus ſtetit; quibus impoſuerunt ea κέρματα ſeu *minutos nummos*, ut eos juvarent, quibus opus eſſet *dimidiis ſiclis* ad oblationem, aut ad ſolvendos boves, oves, columbaſque, quæ ibidem quoque in atrio venalia exponebantur. *Moſ. Kots. ibid.*

Eorum uſus in permutatione pecuniæ. Qui ita cum fœnore permutabant vario reſpectu diverſum nomen habent.

XXI. Hæc autem *minuta* pecunia alia mutata ſunt aut ſaltem rebus aliis vice pecuniæ, non ſine fœnore. Hinc illi, qui aſſidebant his menſis, vocantur κερματισαὶ reſpectu *minutorum*, quæ commutabant, reſpectu vero hujus *commutationis* dicuntur κολλυβισαὶ, nam κόλλυβος inquit *Pollux*, eſt ἀργυρίε ἀλλαγή *Pecuniæ permutatio*. Vid. *Druſ. annot. in N. T. part. ult.* Et quod κόλλυβος Græce, hoc Latine *Cambium* ſignificat; unde illæ literæ *collybiſticæ*, quas Latini vocant *Literas cambii*, & Græci σύμβολα κολλυβιστικά *teſſeras collybiſticas*. Tandem reſpectu menſarum, quibus aſſidebant, vocabantur Talmudicis שולחנים *menſarii*, a שולחן *menſa*; ob eandem rationem Græcis ſæpe dicuntur τραπεζῖται, & apud Latinos *menſarii*. Hi erant *nummularii* iſti, quos Salvator noſter templo pepulit.

NOTÆ

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

Annot. [1] Ex hac triplici Materia pecunia Hebræorum cudebatur. vide Matth. x. 9. Marcus c. vi. 8. legit χαλκός & intelligit pecuniam ex quacunque Materia. Conf. xii. 41. Prout Latini *in ære esse*, *æs contrahere*.

[2] Assarius videtur sumi pro pretio vili. Uti apud Latinos *Assem se negat daturum*, sic tract. חולין c.ult.§.ult. מה אם מצוה קלה שהיא באיסר אמורה תורה למען ייטב לך והארכת ימים קל וחומר על מצות חמורות שבתורה *Quod si Lex* (observanti) *leve præceptum ad instar assarii* (de non capienda matre cum pullis tantum bonum promittit) ut tibi bene sit & prolonges dies. Deut. xxii. 7. *quantum manebit illos, qui gravia legis præstituri sunt*. conf. cum Matth. X. 29.

[3] δίδραχμον Matth. xvii. 24. est idem quod מחצית השקל *dimidius siclus* Exod. xxx. 13. qui annuatim a quovis Israelita pendendus erat & quidem eum in finem, ut inde sacrificia jugia, ferta, libamina eorum, manipulum, duos panes Pentecostales, panes propositionis, suffitum, & si quæ alia publico nomine sacra fiebant, emerent. v. tract. שקלים c. iv. Probabile maxime est tributum hoc usque ad excidium Templi accurate solutum fuisse, neque alias cultus ceremonialis peragi potuisset, sed Templo destructo alio impendebatur. Joseph. B. J. I. vii. c. xxvi. p. 983. φόρον δὲ τοῖς ὅπου δή ποτ' ὦσιν ἰουδαίοις ἐπέβαλε δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν *stipendium vero ubicunque degerent Judæis indixit: binosque drachmas singulis annis deferre in Capitolium jussit, ita ut antehac Hierosolymorum templo pendebant*. Nihil itaque obstare cerno, quare non interrogationem illam Matth. xvii. de tributo sacro exponam, sive ad blandam illam exactorum allocutionem, qualem a publicanis Romanorum frustra exspectas, sive ad colloquium Christi cum Petro v. 25. 26. quod ad tributum Romanorum minime convenit, attendam. Verum quidem est dimidium siclum in festo Paschatis Hierosolymæ solutum fuisse, quo respicitur Matth. xxi. sed non minus verum eundem in provinciis ante illud festum quoque exactum fuisse vide שקלים c. 1. 1. E. δίδραχμον c. XVII. cum denario c. xxii. nihil commune habet.

[4] Siclus Sanctuarii pretio æquans τετράδραχμον antiquis temporibus in Republica Judaica notus non erat, sed a recentioribus Magistris demum, tum ob frequentem appellationem *siclus sanctuarii*, tum ob loca quædam difficilia facilius exponenda, excogitatus. Vetus Historia unum solum siclum ejusdem valoris agnoscebat. Nam א. in scriptura nullum firmum fundamentum est duplicis sicli, quorum unus alterum tanto pretio superat. ב. Etiam sicli communis usus ad siclum Sanctuarii examinandi. Lev. xxvii. 25. conf. 1. Chron. xxiii. 29. ג. Siclus sacer dimidius nullibi vocatur simpliciter שקל, *siclus* aut שקל חול *siclus profanus* sed מחצית שקל *dimidius siclus*, quod tamen, si unum idemque pretium, semel vel iterum credibiliter factum fuisset. ד. Versio lxx. nullum discrimen facit: Sive locum, qui de profanis, sive qui de sacris agit, vertit δίδραχμον aut σίκλος conf. Gen. XXIII. 15. 16. Exod. XXI. 32. XXX. 13. 24. XXXVIII. 24.

[5] In re obscura illos Sequor, qui Minam 50. siclos continere ajunt.

[6] Finem annotationum faciam, comparando pecuniam Hebræorum inter se & cum hodierna.



PETRI CUNÆI

DE

REPUBLICA HEBRÆORUM

LIBRI TRES

A JOHANNE NICOLAI NOTIS ILLUSTRATI.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

D. WILHELMO FRIDERICO

Marchioni Brandeburgensi, Magdeburgensi, Prussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum ac Vandalorum, inque Silesia & Crosnia Duci, Burggravio Norinbergensi, Principi Halberstradii, Mindæ & Camini, Comiti in Hohenzollern &c.

Principi ac Domino suo Clementissimo

Vitam prolixam ac Felicitatem, pacis bellique tempore, foris domique perpetuam!

SERENISSIME PRINCEPS AC DOMINE,
DOMINE CLEMENTISSIME.

NEMO dubitat, nec unquam dubitatum fuit, quin in toto humano genere magnum discrimen conspiciatur. Nam quanta est in ipsis hominibus dissimilitudo naturarum, inclinationum, ingeniorum & voluntatum? Maxime vero elucet hoc discrimen in Heroico Vestro Genere, in quo major Excellentia naturæ, quam in cætera multitudine: Atque hæc quasi nobilitas naturæ propagatur aliquo modo etiam in posteritatem, sicut vere & eleganter inquit Poeta:

Fortes creantur fortibus & bonis.

Non igitur solum virtutibus, seu rebus fortiter & præclare gestis, verum etiam vi quadam naturæ distant Heroicæ Familiæ a promiscuo vulgo, in quo igniculi illi seminaque virtutum & animorum impetus plerumque languidiores minusque excitati sunt, quam in Heroicis naturis. Nam quemadmodum Deus vult distinctiones esse ministeriorum & ordinum in hac communi & civili societate, in qua alii imperent; alii obediant: ita etiam excitatior est indoles ac vis, seu ut Græci vocant, δύναμις naturæ in præstantibus viris, qui Imperia & Ecclesias gubernaturi sunt, quam in mediocribus. Neque vero exigua vis naturæ, magnanimitas & robur animi requiritur ad sustinendas & perferendas difficultates & onera Ecclesiæ & Imperii. Ideo singulares & divinos motus inseverit Deus Heroicis viris, ut ipsa gubernatio esset felicior inter tot miserias & difficultates, quas homo, nisi afflatu quodam divino incitaretur, perferre nequaquam posset in hac imbecillitate humanæ naturæ. Cum ita-

itaque his dotibus, *Serenissime Princeps*, satis sis instructus, quibus Respublica bene feliciterque gubernari queat, & harum omnium Respublica Hebræorum idea perfectissima sit, quæ ipso Deo Ductore ostendit, quomodo status Politicus & Ecclesiasticus sit conservandus, ut domi forisque omnia felicissime agantur; Hinc Serenitati Tuæ Celsissimæ *Cunæum* de Republica Hebræorum disserentem & annotationibus meis qualibuscunque auctum in auspiciis Regiminis Serenitatis Tuæ summa cum devotione & voto omnigenæ felicitatis, sacrum esse volui non sine singulari directione Dei; quippe hunc ob famam & Heroica facta (quæ quasi huic Celsissimæ Domui natura indita) Serenissimo Principi * nunc beato & inter Sanctos triumphanti ex subjectissima mente dedicare constitueram; Verum cum morte beata subjectis tamen acerbissima obiisse audirem; propositum meum, nescio, quo impulsu devotionis subjectissimæ meæ testandæ, non mutavi, sed ad pedes Serenitatis Tuæ pignus hoc chartaceum humillime depono, & præcipue hunc librum Tuæ Celsitudini nuncupare ideo mihi visum est, quod intelligo, EAM vere heroicis virtutibus ornatam. Hunc Serenitatis Tuæ radiis clementissime illustra, quem primis auspiciis felicissimi Imperii Tuæ Celsitudini subjectissime offerro, precibus ardentissimis Deum flagitans, ut quam diutissime quam longissime salvam & incolumem servet. Det Serenitati Tuæ vitam prolixam, imperium securum, Domum tutam, Senatum fidelem, populum probum, & quæcunque Principis vota. Quod reliquum est pro Celsitudinis Tuæ, Princeps Clementissime, & totius Celsissimæ Domus æternitate vota nuncupo, Deum Optimum Maximum obtestans, ut potenti sua dextra, post hunc mæstissimum casum, illam fulciat, quo stabilis, inconcussa, bonisque actibus florens duret perpetuum, nullis datis Felicitati ejus metis. Hæc sunt vota mea devotissima quæ Deus rata esse jubeat.

Serenit. Tuæ.

Humillimus Cliens

Dabam Tubingæ die VI. April.
MDCCIII.

JOH. NICOLAI,
Antiq. Prof. & Rect. Contubern.

AD

* Perperam promittitur salus illis, qui extra Ecclesiam Catholicam suam duxerunt vitam; *Extra Ecclesiam nullam esse salutem* ait *Cyprianus* lib. de unitate Ecclesiæ. *Extra Catholicam Ecclesiam omnia haberi posse præter salutem*, ait *Augustinus* in Serm. ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem. Si extra Ecclesiæ Catholicæ gremium nullam esse salutem ajunt SS. Patres, pro certo sequitur nullam prorsus salutis spem superesse iis, qui extra communionem Ecclesiæ Romanæ moriantur. Ecclesia quippe Romana ab Antiquis unitatis centrum passim dicitur.



AD LECTOREM.

CUM nuperrime Sigonius de Republica Hebræorum recusus lucem aspexerit publicam, mearum partium esse quoque duxi Cunæi *acutissimi libellum de Republica Hebræorum meis qualibuscunque notis augere, quem jam in Tui usum sistimus Benevole Lector. Neminem latet, quantas laudes, quanta encomia Cunæus adeptus ab Eruditis, ita, ut non opus, laudibus meis illum exornare, cum veritas ipsa loquatur. Si quid boni in annotatis deprehenderis, Benevole Lector, gratum mihi erit; Sin minus rem acu tactam inveneris, bene interpreteris, rogatum volo. Interim tamen notas dedi, in quibus antiquorum plurima expenduntur, enucleantur, explicanturque, quæ orbi literario & Sacræ Scripturæ Lectoribus lucem aliquam dare possunt, ut eo melius illam intelligere discat. Fruere his, Benevole Lector, optime & in commodum Tuum utere. Vale.*



VIRO EXCELLENTISSIMO

D. JOHANNI NICOLAI

Antiquit. in perantiqua Tubing. Prof. P. h. t. Rector.

S. P. D.

CHRISTOPHORUS REUCHLIN,

S. S. Theol. D. & P. P.

QUI A'ρχαιολογίας studiis magnopere delectantur, non una eademque incedere semita videmus. Sunt qui in Syllabarum momentis, vocabulorum minutiis, Poetarum nugis, prosanis ritibus, antiquis nummis, saxis & marmoribus omnem ætatem conterentes, rebus relictis in verbis consenescunt; cæteros tamen eruditos præ se ut plumbeos & miseros comtemnunt, bonarumque literarum Principes, Phœnices & nescio quid non salutari volunt. Sunt ex adverso, qui ad Scientiarum Augmenta, & vitæ communis usum omnia referentes, Antiquitates non modo ut laborum condimenta, & ornamenta doctrinæ, verum etiam ut Eruditionis sacræ pariter ac civilis subsidia scrutantur, atque ex hac veluti penu Philosophis, Medicis, Jurisconsultis, & Theologis egregia utiliaque quam plurima suppeditant. Illi quidem cum Aristophaneo Socrate, ἱερεῦς τῶν λεπτοτάτων λήρων merito audiunt: Horum vero industriam grata mente eruditus Orbis agnoscit, & non exiguis laudibus posteritas celebrat. Quorum in numero TE esse, cum doctissimis Tuis lucubrationibus hactenus in lucem editis, abunde demonstraveris Excellentissime NICOLAI: in Tuas hic laudes latius excurrerem, si vel Tu is esses, qui ex commemoratione ut ut vera Tuorum aucupare gloriam velles, vel ego Tua in rem literariam merita pro dignitate deprædicare, aut quam consequutus es nominis celebritatem illustrare ulla ratione possem. Facit autem illud mei loco CUNÆUS tua cura emendatior editus, doctissimisque auctus Annotationibus: qui notiorem Te faciet, quam omnis mea, quantacunque cum cura facta commendatio. De cætero Deum T. O. M. veneror, velit Te in seros usque annos salvum & incolumem præstare, ut Academiæ nostræ, Studiosæque in illa Juventutis, quin universæ Reipubl. literariæ commoda diu promovere queas. Vale.

Dab. Tubingæ d.
Michael. A. O. R.
MDCCII.



EXCELLENTISSIMO VIRO

D. JOHANNI NICOLAI

Professori Antiquitatum apud nos celeberrimo

JOH. CUNR. KLEMM,

Log. & Metaph. P. P.

S. P. D.

CUM tuas nuper inspicerem Commentationes, quibus Caroli Sigonii de Republica Hebræorum illustrasti libros, non typi modo elegantia, qui nitidissimus est; sed & florum potius, ex Antiquitate universa collectorum amœnitate summopere commendabiles: Tibi primum, deinceps & Orbi literato gratulari cepi; atque intra me vehementer optare, ut plures ejusmodi tuæ Industriæ fœtus in publicum extent. Nunc ad votum lætus percipio, Temet & in Petri Cunæi Opus de eadem Republica eruditissimum, paria non solum esse meditatum, sed & ipsum jam sub prelo sudare laborem; unde non possum non de Ingenii tui fertilitate mirum in modum gestire. Sic certe multa penes Te sunt præsidia, quibus non tantum nostra Juventus adjuvatur quam maxime; sed & omnes alii studii hujus, jucundissimi sane, Cultores ad perreptanda & pervestiganda venerandæ Antiquitatis arcana, quæ sæpius abstrusa satis sunt, suaviter pelliciuntur. Perge ita feliciter suppetias Nostris, & Bonis omnibus ferre; fructum ex eo capies uberrimum, Nominis intelligo celebritatem, quæ bonis Mentibus pabulum melle dulcius est. Certe, quoties alios tuos antehac editos Ingenii partus adspicio, e singulis peculiarem & distinctum gloriæ radium emitti arbitror. Scripsisti de Nimbis; fulgidum gloriæ nimbum id capiti tuo circumdat. Sparsisti φύλλα; ex eo virentissimam florum corollam ad famæ perennitatem Tibi chorus nectit heliconius. De Calcaribus commentatus es; Calcar id Tibi esse dixi ad grassandum in laudes. De Chirothecis rara protulisti; Chirothecam, obligationis symbolum, publicum Tibi debet. De Siglis habes lectu jucundissima; spero Nomen tuum notis ingeniosis posthac iri insignitum. Si additurus eris plura, pluribus ornaberis encomiis, & docti quique Viri ultro Tibi mecum applaudent.

Dabam Tubingæ e
Muf. 21. Aug. A.
N. C. MDCCII.



AD
VIRUM EXCELLENTISSIMUM, AMPLISSIMUM, ATQUE CLARISSIMUM
D. JOHANNI NICOLAI
In Inclyta ac perantiqua Eberhardina Antiquitatum Prof. Publ. celeberrimum ;

Patronum ac Fautorem ſuum æſtimatiſſimum.

EADEM & mihi manerent fata, quæ temerarius ille ſibi accelerat auſus, quum facem Soli accendere haud veretur, ſi in deprædicandis Tuis, Vir Excellentiſſime, in Rem literariam meritis hic excurrendi eligerem campum. Anſer inter olores obſtreperet, Icariaſque mereretur incitas: nam & me tacente per omnium Celeberrimum Tuum, Vir Excellentiſſime, Nomen ora vagatur innumeriſque cumulatur elogiis. Hinc & paginam hanc penitus fuiſſem averſatus, niſi Tuus, Vir Excell. ſingularis in me favor atque benevolentia hanc mihi obtuliſſet copiam. Cum hac, quoniam ſimul quoque inſignis Tui, Vir Excell. amoris teſſeram in ſinum meum devolvis, non poſſum non diem illum lætum mihique feliciſſimum ac candidiſſimo calculo notandum prædicare, quo dignum me affatu Tuo benigniſſimo doctiſſimoque & Eruditionis Tuæ adytis penetrandis dignum pronunciaſti. Nihil enim eſt quod quis diſcere velit, quod docere non poſſis: quam peritus & Hiſtoriæ & Politices ſanioris; quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tam profanæ quam Sacræ teneas, & noſtra Germania & Belgium in exhibendis præclaris ſpeciminibus palmam dubiam ſibi faciunt. Extendenda eſſet pagina, ſi illa ſaltem, quæ vel ſub prelo jam ſudant, vel in ſcriniis adhuc conſervantur, numerum inire vellem. Quid dicam de multitudine eorum, per quæ Celeberrimum Tuum, Vir Excell. Nomen inter eruditos innotuit? His jam accedit Opus hoc præſtantiſſimum, Cunæus nimirum emendatus ac illuſtratus, in quo quid præſtitum ſit, ad indicandum non mea opus eſt hedera. Calamum itaque pono, ac conteſtandi modo animi mei grati cauſa orbi erudito de præclaro hocce Opere gratulor; Tibi vero, Vir Excellentiſſime, perpetuam ætatem florentem voveo, ut eruditionis Tuæ gloriam jam dudum etiam apud exteros paratam & incolumis & fortis aliis ſuper alia operibus augere mihique amore, favore ac ore quam diutiſſime adeſſe poſſis. Vale!

Inclyti Nominis Tui

Scribebam Tubingæ
A. Æ. V. MDCCII.
IIX. Iduum Octobr.

Perpetuus cultor
MICHAEL MEYENREISS,
Gedanenſis.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

XXIII.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.





I. N. J.

PETRI CUNÆI LIBRI TRES DE REPUBLICA HEBRÆORUM

CUM ANNOTATIONIBUS JOHANNIS NICOLAI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De Reipublicæ Hebrææ institutis. De legislatione. Inanis Græcorum jactantia. Quis primus auctor scripti Juris fuerit. Septem præcepta Noachi filiis data. Quid in republica constituenda, nominanda, atque in legibus sanciendis Moses spectaverit.



NON nos magnopere in his libris delectu aliquo, aut accurata conquisitione utemur. Libet enim, quæ sponte se offerunt, e medio arripere, &, ut aliud ex alio in mentem nobis incidit, ita quidque persequi. Condita Hebræorum respublica [1] a divino maximoque viro Mose est, qui primus rem in terris est aggressus omnium pulcherrimam. Equidem sic existimo, cum multa extent multorum præclara facta, quæ fama olim pro maximis celebravit, longe nobilissimam fuisse eorum operam, qui conciliis cœtibusque hominum, quæ civitates appellantur, jura atque leges dictaverunt. [2] Nihil est enim præpotenti Deo, qui hunc mundum regit, acceptius. Sed ejus rei ut est magna atque excelsa gloria, ita multæ nationes [3] pridem sibi illam vindicavere. Sane Græci quidem, dum ambitiose beneficia sua cunctis nationibus imputant, legum lationem inter prima ponunt. [4] Lycurgos enim Draco-

nes, Solones, Zaleucos Locros loquuntur, aut si quæ alia sunt vetustiora nomina. [5] Sed vana est ea omnis gloriatio. Gentem enim ventosissimam conticescere Judæus jussit, Flavius Josephus, cujus apologia usque ad miraculum erudita est, quæ extat adversus Apionem, hominem Judæis inimicum quidem, sed tanta nominis celebritate, atque tanto doctrinæ strepitu viventem, merito uti *Cymbalum mundi* dictus habitusque sit. *Plin. in præfat. operis*. Ostendit ibi Flavius Græcos legislatores, si cum Mose comparentur, infimæ vetustatis [6] esse, & heri aut nudiustertius natos videri: qua enim tempestate Homerus [7] Græculorum pater vixit, ignotum illis legum nomen fuisse, neque extare id usquam in ejus poemate: dicta modo sententiolasque quasdam in omnium ore fuisse, quibus plebs regeretur: aut si opus erat, principum jussa interdictaque accessisse, quæ literis non consignabantur. Enimvero Moses, quod recte observatum a Flavio est, cum Homerum multis seculis antecesserit, propriam sibi hanc fecit laudem, quam postea concupivere tam multi. Primus enim ille leges scripsit publicavitque, [8] uti disceret populus quid jus fasque aut nefas esset, quibusque sanctionibus stabilienda ea respublica foret, quam constitui mox in Palæstina summus Deus jusserat. Ante Mosis tempestatem [9] scripta jura non agnovit orbis: etsi enim antea profecto haud plane sine legibus [10] gens hominum agitaverat; tamen neque publicis tabulis eæ [11], neque ullis monumentis erant consecratæ. Hujus generis septem præcepta [12] illa fuere, quæ Talmudici data esse filiis Noachi ajunt: ea justitiæ regulas quasdam continebant, quibus carere hominum vita nequibat: quare vis eorum tam late ad omnes pertinuit, ut qui nescirent ea, hos interficere [13] in bello, atque ex hominum communione tollere jussi Israelitæ sint. Neque id sine causa fuit: omnibus enim belluis nocentiores videbantur, qui jus nullum accepissent. Utique, quod Aristoteles divinitus dixit, deterrima sævissimaque est injustitia, quæ instructa armis est: hominem autem natura cum armis edidit, ratione atque prudentia, quibus insigniter ad perniciem valet, jura si demas. Sed dicamus de Mosis instituto. Ille rempublicam conditurus, quæ in terris sanctissima foret, summam rerum potestatem Numini detulit: &, cum alii nomina alia, ut res fert, reperiant, ac monarchiam modo oligarchiamque & interdum democratiam appellent, nihil ille horum fore pro natura atque indole intellexit tanti imperii. Igitur regiminis quendam modum constituit, quem persignificanter Flavius adversus Apionem vocari posse [14] θεοκρατίαν ait, quasi tu ejusmodi civitatem dixeris, cujus præses rectorque solus Deus sit. Quæ enim cunque gerebantur, hujus geri judicio ac numine professus est. Idque ita verum esse, claro documento probavit. Etenim, qui omnia ex se uno pendentia videbat, quique populum oratione flectebat in omnem partem, nullam ex tam bella occasione potentiam sibi, nullas opes, nullos honores quæsivit. Id quod profecto vix hominis videtur. Est enim insita mortalibus imperii cupido [15] quædam, eaque vetus hercle admodum, & cunctis affectibus flagrantior: quam, ut ego existimo, nunquam expellere ex pectore suo Moses potuisset, nisi interesse & præesse rebus gerundis Deum vidisset, cum quo in societatem regni venire extrema dementia fuisset. Jam vero, quo firmior respublica foret, ita sanxit edixitque, omnia ut ex legibus fierent. [16] Legum autem non dominos, sed custodes & ministros, esse magistratus voluit. [17] Quæ constituta ab illo rectissime sunt: cum enim homines etiam optimos ira interdum aut amor [18] transversos a recto agat, solæ leges [19] repertæ sunt, quæ cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. Atque hoc est, quod subtiliter dixisse mihi Aristoteles in libris Polit. videtur, *legem esse mentem quandam sine cupiditate*. Accedit, quod rerum omnium primum est, æterna legum stabilitas, quibus adjicere aliquid aut demere piaculare nefas fuit: non veteres aboleri, [20] non rogari novas contingit: observatio vero earum exacta ab omnibus rigidissime est, etiam inclinantibus reipublicæ fatis. Quod plane contra aliis in rebuspublicis fuit, quæ, legibus fundatæ cum essent, legibus eversæ sunt: nam & dominantium plerique, ut aliquid suum viderentur afferre, etiam recta commutaverunt; & sanctiones multæ per desuetudinem, plures (quod flagitiosius est) contemtu abolitæ securiora vitia fecere. Sed nos eam diversitatem nunquam mirati sumus. Cæterarum enim gentium leges, cum hominum excogitatæ ingeniis sint, severitas pœnæ tuetur, quæ tempore plerumque, aut dominantium socordia cessat: at, quæ Judæis observantur, æterni Numinis scita sunt, quibus nihil longa dies aut judicum derogat facilitas: manent enim, eademque sunt, &, cum secures ac virgæ non amplius timentur, terret tamen adhuc animos religio.

NOTÆ

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] *A Mose*) Hebræorum Reipublicæ conditorem Mosen fuisse asserit, cum tamen ex nonnullorum opinione probari possit, Israelitas etiam in Ægypto politiam habuisse, uti refert *Bonaventura Cornelius Bertramus de Republ. Ebræor.* & quidem primo fuisse *Aristocraticam*, vel certe mixtam ex *Aristocratia* & *Democratia*; postea vero succedentibus novis Regibus, qui merita *Josephi* & populum Hebraicum despexerunt, ortam esse tyrannicam. Sub priori politia summam potestatem fuisse penes זקנים *Seniores*, in quorum cœtu etiam fuerint שוטרים *Præfecti*. Sub posteriori autem politia Reges Ægyptios Israelitis dominatos fuisse, & judiciorum publicorum usum iis interdixisse. Viri docti verba cap. 5. hæc sunt: *Hebræos* politiam aliquam habuisse in Ægypto apparet ex eo, quod *Moses* in *Ægyptum* profecturus mandata habet a Domino, ut Seniores ipsos adeat, sicut & eos interpretatur *Aben-Ezra Exod.* IV. 29. ubi definit הזקנים quos aggregarunt *Moses* & *Aaron*, eos, qui in consilium adhibiti fuerant in ætate & ætate, i. e. anterioribus seculis. In illo Seniorum cœtu fuerunt quidam שוטרים *Præfecti*, ex ipsis *Hebræorum* popularibus, ut apparet ex *Exod.* v. 14. שוטרים seu *Præfecti* istiusmodi videntur fuisse rerum judicandarum peritiores & consultiores reliquis Senioribus & earundum judicandarum Executores: ita ut essent maximæ authoritatis apud ipsum populum, unde & *Pharaonis* publicani & Exactores iis usi sunt dirigendis Israelitarum operibus. Politiam autem hanc multum fuisse imminutam tyrannide posteriorum *Pharaonum* verisimile est: Uude judiciorum saltem publicorum administratio adempta illis fuerit. Atque illa prior Hebræorum politia in *Ægypto Aristocratica* fuisse videtur, vel certe mixta ex *Aristocratia* & *Democratia*. Posterior tyrannica fuit adversus eos. Privatam autem alteram in *Ægypto* continuatam verisimile est. Hæc *Bertramus*. In dubium tamen vocat *Constantin. L'Empereur* שוטרים judicasse, sed potius mandasse judicata exsecutioni & populum ad obsequium coegisse, probatque opinionem hoc modo: *Idcirco* passim in Sacris literis a Senioribus & Judicibus distinguuntur, ut *Deut.* XVI. 18. *Jos.* VIII. 33. ac alibi. Itaque R. *Moses de Cozi* recte observat ad *Deut.* XVI. שפטים הם הדיינים הפסקים את הדין ושוטרים הם הרודים את העם אחר מצותם במקל ורצועה: judices sunt Senatores qui decidunt causam: at Apparitores sunt, qui regunt populum ex illorum præscripto, baculo & loro. Igitur שוטרים sunt ministri Magistratuum, quibus sola rerum judicatarum & mandatarum exsecutio demandata est, conf. *Bibl. Crit. fol. m.* 757. *edit. Francofurt*. Verum an acu tetigerit *l'Empereur*, constabit ex *Conringio de Republ. Ebr. thes.* XXVI. qui vult שוטרים *esse illos ipsos Chiliarchos, Hecatontarchos & qui de tribunali pronunciabant, idque liquere, ait*, ex *Deut. cap.* I. V. 15. *Accipiens itaque primores tribuum vestrarum constitui istos primores vobis, Chiliarchos & Centuriones & Præfectos quinquagenos & decuriones & Schotrim h. e. moderatores per tribus vestras*. Et addit: *Moderatores sive Præfecti* non sunt hi alii a cæteris. Hinc in *Exodo cap.* XVII. 18. ubi eadem res memoratur, vox illa prorsus omittitur, *thes.* XXVII. Porro inquit: Ex Rabbinorum commentariis quidam depromunt, quod *Schotrim* illi fuerint lictores cum virga & flagello utpote *Wilhem. Schickard, Nicol. Fuller.* & citatus *l'Empereur*. At profecto ex lictoribus lectum esse Propheticum Collegium *Num.* XI. 15. cui persuadebitur? conf. *D. Quensted. antiquit. bibl. pag. m.* 28. Optime igitur cl. *Johann. Henric. Heidegger in Histor. Patriarch. edit. Ultraject.* 1683. *pag. m.* 54. refert, ita scribens: Sic de politia Israelitarum in Ægypto sentimus, superstite *Josepho* & *Jacobo* pristinam regiminis formam indulgente Pharaone retentam esse; at iis decedentibus res versas esse, & Israelitas pristinam libertatem cum dura servitute commutasse, donec libertati per *Mosen* ibi redderentur in deserto, & in terra Canaan novam Politiam juxta Dei præscriptum institueret. Per primam formam autem intelligit politiam, qua Patres familias cum primogenitis omnem regiminis speciem administrabant & instar Regum tam sacra quam civilia obibant. Sed tempore *Mosis* hoc primogenituræ jus elisum est. Hinc improbabile non est, continuatam fuisse hujus regiminis speciem, qua primogeniti quasi fuerunt Magistratus; Ast jura exercuisse, quæ Majestati conveniunt, nunquam legitur; alias habuissent Rempublicam in Republica.

[2] *Jura atque leges dictaverunt*) Hoc solis illis convenit, qui summa Majestate sunt præditi, his proprium & incommunicabile jus est, sunt verba *Hermanni Conringii in dissert. de legib.* §. 6. leges præscribere & velle jubere, quod civium in Republ. actiones constringat. Signanter dico, jubere, item leges præscribere. Aliud enim est scribere, aliud præscribere. Sed aliud est, deligere aliquid & præponere; quod si sanciatur lex esse possit: Aliud jubere id ipsum, atque autoritate sua, ut lex sit efficere. Hoc nemo potest, præter eum, qui summe rei præest.

[3] *Multæ nationes*) Græci Minoem & Rhadamanthum leges dedisse asserunt, & sibi hanc gloriam vendicant, uti varii Scriptores affirmant, inter quos *Homerus*, qui *Odyss. lib.* XI. *Minoem* Cretensium Legislatorem fuisse & a Jove leges accepisse, scribit. Ita etiam *Plato* verbis prodit: *Minoem* per novennium in Jovis antrum descendisse & ab illo præcepta accepisse, quæ ad homines afferret, ut legere est apud *Strabonem lib.* XVI. Vid. *Valer. Maxim. lib.* I. *c.* 2. & *Eduard Simson. fol. m.* 10. *edit. Oxon.* 1652. *part.* I. *Johann. Marsham. in canon. Chronic. Ægypt. Ebraic. Græc. edit. Lips.* 1676. *pag.* 292. Ast Minoem nullum alium, quam *Mosen* fuisse ex conformitate constat, uti fuse probarunt viri gravissimi, inter quos non ultimum meretur locum *Huetius in demonstratione Evangel.* cui adjungendus *Christian. Wormius de corruptis antiquit. Hebr. vestigiis edit. Hafn.* 1693. quam paucis hinc tangemus: *Minois* leges antiquissimas esse vult *Plato* in *Minoe*, ita & *Mosis* leges. Vacavisse Cretenses ceremoniis divinisque mysteriis sub Minoe, proditum est, uti *Judæos* sub *Mose*. *Minos* unicum fratrem habuit, habuit & unicum *Moses*. *Minos* leges dedit non a se ipso, sed Deo profectas: Leges Mosaicæ non Mosi, sed Deo originem debent. Leges in *Ida* monte *Minos* accepit, accepit & in monte *Moses*. Habuit leges suas in tabulis descriptas *Minos*, habuit & *Moses*. Libere cum Deo locutus creditur, *Minos*, uti & *Moses*. Dixisse jus fingitur *Minos* in rebus tantum obscuris, quarum spissa erat & operosa dijudicatio, ita quoque ex *Jethronis* consilio non nisi majoris momenti causas egit Moses. Has & alias plures conformitates collegerunt *Huetius* & *Wormius*, quos B. Lector adire velit, præprimis autem citatus *Wormius in corruptis Antiquit. Hebr. apud Tacit. & Martial. vestigiis. pag. m.* 46. 47. *edit. Hafn.* 1693. Ita etiam *Ægyptii* hanc gloriam tribuunt *Mercurio* teste Cl. *Hermanno Witsio in Ægypt. pag. m.* 204. *edit. Amstel.* 1683. qui ex *Josepho lib.* I. *contra Appion.* refert, quod iste Legislator fuerit, quod apposite in *Mosen* quadrat, qui Legislatorum antiquissimus & nobilissimus uti pluribus citatus *Witsius* variis in locis demonstrat. conf. *Don. Picinell. lumi riflesf. part.* I. *fol. m.* 79.

[4] *Legum lationem inter prima ponunt*) Non leve certamen fuit inter Nationes de inventione legum, quos tamen omnes Legum Magistros inter discipulorum cathedras plorare jubet *Moses*, cum ab eo didicerint, quicquid boni legibus illorum immixtum est; Hinc *Mosen Alpha* olim a *Græcis* dictum, evincet *Helladius Besantinous in Chrestomathia* cujus operis fragmenta servavit nobis *Photius*, quem edidit & notis illustravit *Meursius edit. Ultraject.* 1686. Is vero aperte φλυαρεῖ τὸν Μωσῆν ἄλφα καλεῖσθαι διότι ἀλφοῖς τὸ σῶμα κατάστικτον ἦν nugatur *Mosen* ALPHA vocari, quod corpus erat ἀλφοῖς i. e. vitiliginibus distinctum, neve unica *Besantinoi* authoritate niti credideris, en *Philemæum Hephæstionis. nov. histor. l.* 5. qui Μωσῆς, φησιν ὁ τῶν Ἑβραίων νομοθέτης ἄλφα ἐκαλεῖτο *Moses*, dicit, Hebræorum Legislator

Alpha

Alpha vocatur. ALPHA autem vocatur ille, qui primus inventor artis alicujus erat, teſte *Chriſtian. Wormio de corrupt. Hebr. veſtig. edit. Haſn.* 1694. *lib.* II. *pag. m.* 34. Audiamus *Grotium in not. ad lib.* I. de veritat. *Relig. Chriſt.* ubi ex profeſſo docet, pleraque eorum, quæ ab Ægyptiis derivat *Marshamius* ex *Moſe* petita eſſe, & ab *Hebræis* ad *Phænices*, a Phænicibus ad *Græcos perveniſſe:* qui *Pythagoram* a *Judæis* ſua hauſiſſe multis argumentis adſtruit: qui antiquiſſimas leges *Atticas* ex legibus *Moſis* originem duxiſſe variis exemplis probat. Et nullum eſt dubium, quin Græci omnia ex *Hebræorum* ſcriptis habuerint, ut nervoſe demonſtravit *Witſius in Ægyptiac. lib.* III. *c.* 13.

[5] *Vetuſtiora nomina*) Ita Ægyptii *Mnevem* Legislatorem conſtituunt teſte *Diodor. Sicul. lib.* I. *pag.* 84. qui ita diſſerit: Dicendum quoque nobis de Legumlatoribus Ægypti, qui tam aliena ab aliorum uſu, & mirabilia ſancita promulgarunt. Nam poſt antiquiſſimam in Ægypto vitæ conditionem, Deorum imperio, Heorumque ætati in fabulis aſſignatam, primus, ajunt, MNEVES vir & magni animi & inter hoc nomine celebratos de vita optime meritus, populum induxit, ut juxta leges ſcriptas vitam inſtituerent. Leges a *Mercurio* ſibi traditas ſimulavit. Quod apud *Græcos* in *Creta Minos*, apud *Lacedæmonios Lycurgus* factitavit, quorum iſte *Jovi*, hic *Apollini* ſuas vendicavit conf. *Marshami Canon. Chronic. pag.* 452. Id commenti genus apud plures quoque alias gentes adhibitum. Nam apud *Armiaſtos Zathrauſtes* bonum genium, apud *Getas Zumolxis* communem *Veſtam* legum auctorem finxiſſe perhibetur. *Artapanus* apud *Euſeb. lib.* 9. *Præp. Evangel. c.* XXVII. *Muſæum Orphæi* magiſtrum Legiſlatorem vocat conf. Witſii Ægypt. lib. II. c. XIV.

[6] *Infimæ vetuſtatis*) Moſen diviniſſimum pariter & antiquiſſimum Scriptorem eſſe, a quo ceu fonte ac ſcaturigine rerum initia reliqui deſumſerint omnes, luculentiſſimis plane teſtimoniis alii demonſtratum dedere. *Grotium* hic inter alios plures laudaſſe ſufficit, egregium hujus rei vindicem in *tract. de verit. Relig. Chriſt. lib.* I. Quem tamen *Huetius* ſuperat in *Demonſtrat. Evangel. propoſ.* IV. ubi idem argumentum omnium copioſiſſime proſequitur. De abſurda igitur *Spenceri* ſententia lubet verba eruditiſſimi & ſumma laude digni *Stephani Morini* ſubjungere, ſcripſerat quippe illi olim Regni Galliarum Secretarius *Juſtellus*, parare *Spencerum* editionem commentariorum ſuorum de *legibus Hebræorum*, cui epiſtolæ rotunde hunc in modum reſpondet *Morinus:* Nugas agat Anglus cum ſuis ſomniis de Judæorum ceremoniis ex Ægypto oriundis, quia nihil antiquius lege Moſaica, nihilque verius, quam Deum authorem ejus eſſe.

[7] *Qua enim tempeſtate Homerus*) Appion illud mundi cymbalum, incertitudinem hanc moleſte ferens umbras *Homericas* evocavit, ad percontandum, qua patria, quibuſque parentibus *Homerus* genitus eſſet. Septem itaque Urbes præcipue de patria *Homeri* contenderunt, quas *Varro* apud *Gellium lib.* III. *c.* II. ſequenti epigrammate comprehendit:

Septem urbes contendunt de origine Homeri
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ius, Argus,
Athenæ.

Quædam editiones *Gellii* pro Ἴος habent Χίος utrumque recte. De *Io* enim teſtatur *Ariſtoteles* teſte *Gellio* eodem loco. De *Chio Cicero* pro *Archia* Poeta fidem facit. Utramque Χίον & Ἴον conjunxit *Antipater lib.* IV. *Anthol. epigram.* in *Homer*. Aliæ quoque recenſentur urbes, quæ *Homerum* adſciverunt. *Heliodor. Æthiop. lib.* III. Ægyptium facit *Homerum*, *Thebis* oriundum *Hecatompylis*. *Lucian. lib.* II. *ver. hiſt.* *Babylone Homerum* ludit eſſe natum. Cæterum *Chius* & *Smyrna* reliquis omnibus in hoc certamine palmam præcipue ambiguam fecerunt. *Chii* ut publice omnibus oſtenderent *Homerum* civem eſſe ſuum, monetam ſignarunt, illinc cum ſphinge, hinc cum *Homeri* effigie, cujus generis nummi nonnulli adhuc extant. Illuſtravit abunde hunc nummum in conterranei ſui gratiam *Allatius in diatribe* ſua de patria *Homeri*. *Chii* hoc præcipue argumento *Homerum* ſibi vendicabant, quod haberent *Homeridas*, ſive familiam hoc nomine ab *Homero* deſcendentem, de qua re videatur *Ludolph. Kuſter in hiſtor. Critic. Homer. edit. Francoſ. ad Viadr.* 1696. *pag. m.* 4. *Smyrnæum* quoque hunc vatem fuiſſe communis opinio fuit. Hinc *Meleſigenes* dictus fuit *Homerus* a *Melite* fluvio Smyrnam præterlabente. *Smyrnæi* ipſi adeo perſuaſi erant, *Homerum* civem eſſe ſuum, ut nummum æreum cuderent ὁμήρειον dictum, cujus mentionem facit D. *Sphanhemius de præſtant. & uſu nomiſmat. antiq. pag.* 487. conf. etiam cit. *Kuſter. pag.* 5. ubi plura. Verum ut ut hæc ita ſe habeant, attamen incertum eſt, qua civitate vitam egerit & quo tempore vixerit. Quidam Græcorum illum ad tempora Trojani belli referunt, in quibus eſt *Dionyſ. Poeta* κυκλικὸς & *Diodorus* teſte *Tzetze*. Crates Grammaticus apud *Euſebium* in *Chron.* circa *Heraclidarum* deſcenſum ſive LXXX. circiter annis poſt Troica *Homerum* vixiſſe vult. Alii inter Græcos longius ſubmovent ab his temporibus. *Vellejus Patercul.* extremis Tiberii temporibus; vid. *diſſert. Johann. Chriſtoph. Artopæi* de *Xerxe*, *Nabucadnezare* &c. *Argentor.* 1679. *pag. m.* 50. *Voſſ. cap.* II. *de Poet. veter.* quem ſequitur *Kuſterus* ad Romuli tempora potiſſimum referendum cenſet, & pluribus in oratione de laudibus Græcæ linguæ demonſtrat, & tandem concludit, accurate definiri non poſſe, quo tempore vixerit. *pag. m.* 8. *ſeq.* conf. *Marshamii Canon. Chron. ſecul.* XV. *pag. m.* 473. *edit. Lipſ.* 1676.

[8] *Primus ille leges ſcripſit publicavitque*) Licet *Græci* aliæque Nationes de Scriptoribus ſuis ſeſquipedalia verba prodant, de quibus *Guilielm. Salden. in otiis Theolog. edit. Amſtel.* 1684. *pag. m.* 5. 6. multa; attamen tenendum, utcunque definitu arduum ſit, quod primus fuerit *Moſes*, juxta illud *Poetæ:*

Moſes erat primus qui ſacra oracula cœli
Humanis oculis conſpicienda dedit.

Non enim dubitandum eſt, ut ut etiam ſcripta quædam *Ante-Moſaica* concedantur, verum temporum injuria, duriſque rerum revolutionibus omnia illa interciderint, quin *Moſes* primus ſcripſerit. De *Chriſto* cum *Emaunticis* deambulante expreſſe refert *Lucas*, quod comites ſuos non perſtrinxerit ob magnam, quam prodebant ignorantiam & incredulitatem, ſed & Scripturam illis interpretatus ſit, incipiens a *Moſe* & omnibus *Prophetis*. Quod ſi vero quis antiquior Scriptor fuiſſet, quam *Moſes*, a vetuſtiore illo ἑρμηνείαν ſuam incipere Jeſum debuiſſet. Conſentit inter antiquos *Evagrius Scholaſticus Eccleſ. hiſtor. lib.* V. *c.* XXIV. cujus verba Græca Latinis ita explicantur verbis: *Moſes enim, qui primus hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſt, ſicut ab illis, qui ejuſmodi res collegerunt, certiſſime demonſtratum eſt, res ab ipſo mundi exordio geſtas veriſſime conſcripſit, ſicut a Deo didicerat, quo cum in monte Sinai fuerat collocutus.* Necnon *Juſtinus Martyr* haud uno loco: *Apolog.* II. *pag.* 89. inquit: Μωσῆς ὁ προφήτης, ὡς προέφημεν, πρεσβύτερος ἦν πάντων συγγραφέων, Moſes Propheta, ſicut antea indicavimus, Scriptoribus omnibus fuit vetuſtior. Et *pag.* 92. Audite verba ipſa, prout concepta ſunt, primi, ut diximus Prophetæ & omnibus Græcis Scriptoribus vetuſtioris Moſis. Plura qui deſiderat de hac materia, ille evolvat *Johannis Ovveni tract.* de natura, ortu & progreſſu veræ Theolog. *lib.* IV. *cap.* III. *edit. Bremenſ.* 1684. *Diſſert. Johann. Petr. Ludovici de hiſtoria ſine parente edit. Hal. Magd.* 1694. *Mendoz. lib. Reg. in prolegom.*

[9] *Ante Moſis tempeſtatem.*) Sunt, qui affirmant, ante *Moſen* ſcripta reperta fuiſſe, quorum ſententias adduxit vir clar. *Vockerodt Rector Gymnaſii Gothani celeberrimus in diſſertatione, quam inſcripſit hiſtoriam Societatum & rei literariæ ante diluvium edit. Jen.* 1687. Verum quam fabuloſa hæc omnia ſint, citato loco demonſtratum. Nihilominus manſit poſt tot ſecula de *Adami*, *Sethi*, *Enoſi*, *Cainani*, *Enochi*, *Noachi*, *Chami* & ſuppoſititiis ſcriptis aliis non levis etiam inter eruditos ſuſpicio, quibus ceu firmo fundamento ſuam ſuperſtruxerunt operam alii. Et quidem quod ad *Adamum* attinet, quidam illi tribuunt librum de omnibus virtutibus ſcriptum, lapidibuſque inſculptum. *Et Muhammedani* qui decem volumina ad *Adamum* referunt, adduntque famoſiſſimas iſtas columnas, quibus creationem, lapſum, & promiſſionem inſcripſerit, ut facit *Jacob. Boulduc. de Eccleſ. ante legem Moſ. lib.* I. *c.* I. & ipſe *Cario* in *Chron.*

17. Eodem errore imago *Adami* in Vaticana Bibliotheca oftenditur, cui fupra caput *literæ Ebrææ* funt. Refer. *Buxtorff. diff.* 4. conf. *Athanaf. Kircher. Obelifc. Pamphil. lib.* 1. *c.*1. *Libav. contra mag. Paracelf. Sect.* VI. *pag.* 25. & qui hos citat *Georg. Michael. in not. ad Gaffarellum*. Vid. *Salden. otia Theol. pag.* 4. §. 2. *Exercit.* 1. Sic famofa res de *Sethi* columnis eft. Agit de illis *Jofephus lib.* 1. *Antiquit. c.* III. Cum enim artes & fcientiæ temporibus *Sethi* invenirentur: omnium tamen rerum *Adamus* interitum divinaret: ne perirent eadem artes clade, duabus eas columnis infcripfiffe, altera ex lateribus, ne igne conficeretur, altera vero ex ære aut lapide factis, ne aqua eam deleret: hanc *Jofephi* temporibus in *Syria* extitiffe ipfe c. l. fcribit, cum quo *Euftathius in Hex.* confentit aliique. Et ad has columnas Jobum refpexiffe quidam exiftimant, qui cap. XIX. ℣. 24. ut æri vel lapidi calamitatum hiftoria incideretur, optavit, de qua vid. *Pineda in h. l.* Verum fabulofa peritioribus jamdudum vifa hæc funt, ob fummam Scriptorum inter fe diffimilitudinem. Nam primum de authore columnarum litem movent, quem alii *Adamum*, alii *Kainanum*, alii *Sethum*, alii ejus nepotes, alii *Noachum* aut *Chamum* faciunt. Neque in materia confentiunt, & five ex lapidibus five ex ære ea fuerit, minus fibi conftant, atque in ipfius lapidis genere determinando dum curiofi funt, multum variant &c. Quare recte *Strauchius* cum *Johanne Henrico Urfino* concludit, omnia figmenta effe. Scripta *Enofi* quidam probare conantur ex *Genef.* IV. fed fine judicio, inter quos eft *Genebrardus lib.* 1. *Chronograph. p.* 10. De *Henochi* libris *Judæ* Apoftoli teftimonium urgent, qui hos ℣. 14. citat, quod cum omni exceptione majus effe crediderunt *Tertullianus*, *Ireneus*, *Cyprianus*, *Clem. Alexandrin. Juftinus*, *Lactantius*, horum fæpius mentionem fecerunt. Omnium autem frequentiffime *Auguftinus* citavit *lib.* XIV. *de C. D. c.* XXIII. At vero recte *Salmafius* not. *ad lib.* 1. *Sulpit. p.* 11. dicit: *Judas* nullius libri ab *Enocho* fcripti, fed tantum Prophetiæ meminit. Obfcurioris nominis figmenta reliqua funt, quæ minus negotii faceffunt, de quibus videndus *M. Joh. Petr. Ludovici in differt. hiftor. fine parente*, conf. *Hermann. Witfii mifcell. facr. edit. Traject. ad Rhen. lib.* 1. *cap.* XVI. *pag. m.* 163.

[10] *Sine Legibus*.) Recte *Cunæus* nofter, fequebantur enim tempore illo ductum rectæ rationis, & jus naturæ inftar legis erat, quod tefte *Cicerone lib.* 1. *de leg.* eft ratio fumma in natura infita, quæ jubet ea, quæ facienda prohibetque ea quæ contraria. Conf. *lib.* III. *de Republ. Lactantius lib.* VI. *divin. inftitut. cap.* VI. ita defcribit. Eft recta ratio Naturæ congruens, diffufa in omnes, conftans, fempiterna, quæ vocat ad officium jubendo, vetando, a fraude deterret. *Philippus* tefte *Heidero pag. m.* 537. explicate & perfpicue in Ethicis: Leges, inquit, Naturæ funt principiorum practicorum notitiæ & conclufionum ex his extructarum, de regendis moribus, congruentes cum æterna & immota norma mentis divinæ, infitæ nobis divinitus, ut fint teftimonia, quod fit Deus, & qualis fit, & regat nos, ut congruat obedientia noftra cum voluntate Dei: Hujus juris funt: honefte vivendum: Deum colendum; fuum cuique tribuendum &c. Et fane nulla focietas fine legibus perfiftere poteft.

[11] *Neque tabulis*.) Cantilenæ quondam νόμοι feu Leges dicebantur, quod antequam literas noffent homines, eas canerent, ne oblivioni traderentur. *Ariftotel. fect.* XIX. *Problem. quæft.* XXIX. Prifci Germani Carminibus Leges fuas complectebantur, ut canerentur privatim & publice, unde ejufmodi cantilenarum partes ad hunc ufque diem lingua patria Leges, *gefetze*, vocamus. Aventin. *lib.* 1. *annal.*

[12] *Hujus generis feptem Noachi præcepta*.) Frequens mentio fit in Rabbinorum fcriptis horum mandatorum, quæ communiter שבע מצות בני נח feptem Noachidarum præcepta vocant, & fic difpefcunt, ut duo priora fint בין אדם למקום *inter hominem & Deum*, quatuor fequentia בין אדם לחבירו *inter hominum & proximum*, & hæc fex data inquiunt *Adamo*, quibus in eorum renovatione, *Noacho* feptimum additum fit, בין אדם לחי inter hominem & animal quodvis, erga quod crudelitas eo interdicitur. Cæterum ea omnia fundantur *in Talmudis Babylonici Gemara Maffech. Sanhedrin fol.* LVI. *col.* 1. 2. Quanquam & ante *Talmudis* confarcinationem *R. Jofe ben* Chilpeta, Præceptor Jehudæ Sancti, authoris *Mifchnæ*, ea recenfuerit in *Seder Holam Rabba cap.* V. *fol.* 6. *col.* 2. ubi fimul pro afferendis iis provocavit ad locum *Gen.* II. 16. cujus verba fingula, fingula præcepta fuppeditent, quod poftea *R. Bechai Comment. in Legem fol.* 12. *col.* 4. *R. Simeon* in *Jalkut Torah. fol.* VII. *col.* 3. aliique reperierunt. Non autem erat, cur hæc traduceret *Gilb. Genebrard.* in edit. fua citati *Seder Holam. p.* 6. *col.* 2. tanquam frigidas conjecturas ad elicienda feptem præcepta legis naturæ, cum nunquam in mentem Judæis venerit, argumentum inde pro confirmandis hifce mandatis petere, fed eligere faltem verfum illum, ut effet fignum memoriale traditionis fuæ, prout Cofaræorum Regi ipfummet hunc locum *R. Ifaacus Sangarus* exempli loco proponebat in *R. Jehudæ Levitæ libro Cofri p.* 3. §. 73. *pag.* 251. *edit. Buxtorf.* cum figni ejufmodi memorialis meminiffet, exemplo illud illuftraturus inquiens: *Quemadmodum* verfum illum *Gen.* II. 16. Et præcepit Dominus Deus fuper hominem dicendo &c. conftituerunt fignum memoriale feptem præceptorum, quæ data fuerunt filiis Noæ. Ipfi, quam addit, Symboli memorialis evolutioni fubjungit: Quanta vero diftantia eft inter res iftas & inter verfum illum! Verum ita populo traditum eft, ut feptem illa præcepta fuper hunc verfum effent fundata pro figno, ad juvandam & fublevandam ipforum memoriam. Locum ejus integrum exhibet plur. Reverend. *Carpzovius in not. ad* משפט המלך *Schickardi cap.* V. *Theor.* XVII. *pag. m.* 334. *feq.* quem hic adfcribere non pigebit. Præmittit primo fenfum literalem *R. Bechai*, & demum ad *fymbolum memoriale* oftendendum pergit his verbis latinitati donatis: At juxta allegoricam interpretationem populi gratia excogitatam, feptem præcepta hic comprehenduntur, illa videlicet feptem præcepta, quæ Rabbini noftri, tot paffim locis, feptem præcepta filiorum *Noæ* vocant, & funt (1) de Idololatria, (2) de benedictione (vel potius fenfu antiphraftico de maledictione) nominis divini, (3) de judicibus, (4) de effufione fanguinis feu homicidio, (5) de inceftu, (6) de rapina feu furto (7) de membro animalis vivi non comedendo. Quæ fingula fic indicantur. Τὸ ויצו Et præcepit notat præceptum de Idololatria, & in memoriam revocat illud *Hof.* V. 11. cæpit ire poft (צו) præceptum Jerobeami Idololatricum. Nomen τετραγράμματον יהוה notat præceptum de maledictione nominis divini, & in memoriam revocat illud *Levit.* XXIV. 16. & blafphemans nomen Domini moriendo morietur. Alterum Dei nomen אלהים notat præceptum de judicibus, & in memoriam revocat illud *Exod.* XXII. 28. Judicibus (qui ibi אלהים dicuntur) non maledices, τὸ על האדם fuper hominem notat præceptum de homicidio, & in memoriam revocat illud *Gen.* IX. 6. Effundens fanguinem (האדם) hominis &c. Τὸ לאמר Dicendò, notat præceptum de inceftu & adulterio, & in memoriam revocat illud in libro *Jeremiæ c.* III. 1. Dicendo, fi vir dimiferit uxorem fuam, & ipfa abierit ab eo & fuerit viri alterius. Τὸ מכל עץ הגן אכול תאכל de omni arbore horti comedendo comedes, notat præceptum de rapina & furto, revocans quafi in memoriam, de re certa denominata comedendum, non de aliena, &c. (Vid. *fæpius laudat. Carpzov. c. l.*) Tandem fequitur: De arbore fcientiæ boni & mali non comedes, notat hoc præceptum de membro vivi animalis non comedendo, cogitandum quafi dictum fuiffet, de rei alicujus parte non comedes. In Seder Holam præceptum hoc feptimum fignificatur verbis, in præcedente verficulo refiduis: אכול תאכל comedendo comedes, & in memoriam revocandum commendatur illud *Genef.* IX. 4. (Verumtamen carnem cum anima ejus, quæ eft fanguis ejus non comedetis.) En tibi feptem Noachidarum præcepta hic indicata. Huc ufque *R. Bechai*. Sunt etiam alia, quæ de his præceptis Judæi tradunt, fed ea occupavit *Seldenus de jure Naturæ & Gentium juxta difciplin. Hebr.* qui libri jufti commentarii vicem in feptem Noachi præcepta fubire poffunt. Imprimis autem legatur *lib.* 1. *cap. ult.* Confer. *Joh. Henric. Heidegger. in hiftor. Patriarch. Exerc.* II. §. 8. *pag.* 57. *Joh. Hornb. l.* VII. *contr. jud. c.* 1. *p.* 447. *feqq. Marsham. Can. Chron. fecul.* IX. *pag. m.* 160. *edit. Lipf.* 1676. *Herm. Witfii Ægypt. pag. m.* 19. *feqq.*

13 *Hos*

[13] *Hos interficere.*) Septem hæc præcepta omnes obligarunt, ita ut capitis pœna in violatores ſtatueretur teſte *Maimonid. de Regib. cap.* VIII. Præcepit Moſes Magiſter noſter ex ore τῆς δυνάμεως, cogendos eſſe quoſvis venientes in mundum, ut recipiant præcepta, quæ Noachi filiis præcepta ſunt: Quiſquis vero non recipit obſervanda necabitur. Et mox: Gentilem quemcunque, qui non recipit obſervanda præcepta filiis Noachi mandata, occidunt, ſiquidem fuerit ſub noſtra poteſtate. Conf. *Schickard.* מ"ה *cap.* V. *theor.* XVII. *pag. m.* 337. *Alting. in diſſert. de proſelyt.* Quibus conſentit *Henry Ainsvvorth Commentary upon Gen.* IX. *fol. m.* 39. his verbis ex *Maimonid. in Miſchn. tract. de reg. c.* IX. *Who ſoever in the vvord transgreſſed any of theſe ſeven commendements vvill fully, the jevves held he vvas to be killed vvith the ſvvord.* & tract. de Circumciſ. c. I. *S.* 3.6. *But if he vvill not take upon him theſe ſeven commendements, he is to kill him out of hand.*

[14] Θεοκρατίαν.) De hac Reipubl. forma elegantiſſime ſcripſit *Hermann. Witſius Theol. & Philolog. celeberrimus in oratione Goodvvino* præfiſſa, ubi fuſe & argumentis ſufficientibus θεοκρατίαν probavit. Extat *editioni Bremenſ.* 1694. *Theocratiæ* nomine autem intelligitur Dei Monarchia aut Imperium, quæ vel eſt *Naturalis* vel *Civilis*. *Naturalis* Deo jure creationis & omnipotentiæ convenit, quam in omnes creaturas ab origine prima naturaliter exercuit & ſemper exercebit: *Civilis* ea eſt, quam Deus inter Iſraelitas tenebat, jure ſolennis pacti, quo nomen Regis inter eos, & rerum omnium arbitrium, certa conditione, Deo deferebatur. Ne autem actum agere videar, eleganter hanc materiam pertractavit *Johann. Spencer. de legib. Hebr. ritualibus edit. Hagæ-Comit.* 1686. *part.* I. *a pag. m.* 175. *uſque* 205. quem benevol. Lector evolvere velit. *Theocratia* dicebatur, quia Deus peculiarem illius populi Regem ſe præſtabat, ut facile illuſtrari poteſt ex *Joſeph. lib.* II. *contr. Appion.* ubi, cum varias regiminum ſpecies deſcripſiſſet, Monarchiam per unum, Ariſtocratiam per optimos, Democratiam per multitudinem; tandem addit, compoſito, ſeu innovato vocabulo, *Theocratiam* per Deum, & hanc tribuit populo Iſraelitico, qui a Deo immediate regeretur: *Noſter*, inquit, *Legislator in nullam harum adminiſtrationum intendens*, *Theocratiam inſtituit, uni in primis Deo imperio, atque poteſtate aſſignata*. Conferatur *Franciſ. de Mendoza in expoſit. liter. in lib.* I. *Reg. fol. m.* 571. *Tom.* III. *edit. Colon.* 1634.

[15] *Imperii cupido.*) Omnibus hominibus naturaliter inſita, de qua *Strigel.* II. *Sam.* XV. Regnandi cupiditate, quæ in maximis animis, ſplendidiſſimiſque ingeniis plerumque exiſtit, nihil nec tetrius, nec fædius excogitari poteſt. In omnibus hominibus, & maxime in illis, qui ſummo loco nati, aut qui ad aliquod honorum dignitatumque faſtigium evecti ſunt, maximum plerumque eſt incendium ambitionis honorum & regni cupiditas. Cupiditate honorum temere rapti, nec humanis nec divinis parcunt legibus, imo nec ſibi, nec filiis, nec proximis &c. eos tollere ſatagunt omni ſtudio, viam ſibi per ſcelera deteſtabilia, ferro, igne & immanitate facientes. Vid. *Petr. Georg. Toloſan. lib.* VII. *de Republ. c.* XVII. *pag.* 493. Eteocles apud *Euripidem in Phœniſſis* (quam vocem Julius Cæſar ſcribitur ſemper in ore habuiſſe) inquit: *Si violandum eſt jus, regnandi cauſa violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.* Iiſdem verbis uſus *Iſmael Techmaſis* Perſarum filius teſte *Leonclavio in ſuppl. Annal. Turcic.* his verbis: Cum autem hæc fratricidia plerique & recte quidem deteſtarentur, cogitatio ſubit animum: *Nihil novi accidere inter illos, qui libidine regnandi excæcati, neutiquam turpe vel flagitioſum ducere id ſoleant, quod ipſorum cupiditatibus impedimento eſt vel ſuſpicantur eſſe poſſe.* Siquidem ut *Robert. Gaguin. hiſtor. Franc. c.* V. refert: *Nihil apud dominandi cupidos probitatis aut fidei eſt. Libidine enim habendi reges feruntur, nec amicis nec generi indulgent ſuo.* Simile protulit *Caracalla*, cum occidiſſet fratrem *Getam*: *Tam neſcia* eſt pietatis *& juris regnandi cupiditas*. Verum a Moſe hæc omnia abfuerunt, ille curavit, quæ ad Dominum ſummum pertinebant.

[16] *Ut ex legibus fierent.*) Duo ſunt vincula, quæ omnem continent Rempubl. *Præmia & pœna*, quod Solonem dixiſſe ferunt, *Stob. ſerm.* XLI. & *Lycurg.* Cicer. in epiſt. ad *Brutum* & *Lyſandrum*. *Præmia* conferenda ſunt bonis, ad excitandam virtutem. *Pœnæ* improbis irrogandæ ad reprimendam malitiam. At vero *Leges* maxime æqua lance & illa diſtribuunt & has diſpertiuntur pœnas. *Demoſthenes* contra *Ariſtogitonem*: Lex vitiorum emendatrix eſt, & commendatrix virtutum. *Cicer.* I. *de LL.* Lex incolumes ſervat cives. *Demoſt.* contra *Midiam*: Lex anima & Spiritus civitatis. *Cicer. pro Cluentio*: Lex fundamentum, quo Reſpubl. fulcitur & continetur. Denique ſine legibus homines a beſtiis nihil omnino differunt. *Plat.* IX. *de LL.* Cum itaque cives in qualibet Republ. vel boni vel mali: utriſque Leges neceſſariæ. Hinc optime *Cicero pro Cluent.* Ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege ſuis partibus & nervis & ſanguine & membris uti non poteſt. Idem *lib.* III. *de LL.* Sine lege nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Id itaque obſervans *Moſes* omnia ex legibus fieri voluit.

[17] *Magiſtratus voluit.*) Magiſtratus cuſtodes ſint legum non Domini, ut agere velint, quomodo lubeat. Huc pertinent illa, quæ in jure paſſim extant: Eum qui leges facit, pari Majeſtate legibus obtemperare convenit: & nihil tam proprium eſt Imperii, quam legibus vivere. Digna vox Majeſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem profiteri: adeo de authoritate juris noſtra pendet authoritas, & re vera majus imperio eſt ſubmittere legibus Principatum. *L. digna vox C. Leg. Gothofred. theſ.* XLIII. *l.* IV. Eandem in ſententiam *Plato lib.* IV. *de LL.* adducit: *Paratum exitium*, inquit, *civitati illi video, in qua non lex Magiſtratibus, ſed Magiſtratus legi præſunt. Salutem vero illi, ubi lex ſervientibus Magiſtratibus dominatur.* Confer. libri politic. ubi hæc controverſia deciſa legitur.

[18] *Ira aut amor.*) Sæpiſſime accidit, ut etiam optimi iræ indulgeant & ita verum examinare non poſſint. Hinc *Horat.* I. *Serm. Satyr.* IV. Affectus rem conſilio & cogitatione videre non ſinunt. *Seneca lib.* VIII. *epiſt.* LX. Non eadem videntur amantibus & odio habentibus, iratis & manſuetis, ſed aut omnino diverſa, aut magnitudine differentia. *Ariſtoteles* II. *Rhetor. c.* I. Febricitantibus amara quæ dulcia: aliter omnibus de rebus ebrii, aliter ſobrii judicant: Idem putandum evenire iis, quorum animus affectu quodam occupatus eſt. Ira enim nihil a furore differt, niſi mora temporis. *Horat. lib.* I. *epiſt.* II. *Cicer.* IV. *Tuſcul.* Conſultores peſſimi cupiditas. Ita *Saluſt. in bello jugurthin*: Furor iraque mentem præcipitant. II. *Æneid.* Inſtar habet fumi, qui oculos mordicat, & quæ ante pedes ſunt, videre non ſinit. Pari modo, qui amori indulget, pulchra putat ea, quæ pulchra non ſunt. *Theocrit.* Hallucinatur, quiſquis amat, in eo quod amat. Hinc facile etiam optimi, affectibus his moti, a recta via aberrare poſſunt, ne agant, quod honeſtum.

[19] *Solæ leges.*) Cum magna ſit humanæ mentis imbecillitas, multiplex ignorantia, frequens error, perplexitas, lex velut cynoſura quædam in hoc tam periculoſo mari adhibenda. Vid. *Plat.* IX. *de LL.* Sicut architectus normam habet, ad quam dirigit ædificationis laborem, & rectum a non recto diſcernit: Ita leges normæ immotæ juſti & injuſti ſunt. Juſtum enim eſt, non quod nobis videtur, ſed quod lex ordinat.

[20] *Veteres aboleri.*) Hic quæſtio oritur. An ſit ex uſu Reipubl. patrias abrogare leges, & novas ſubſtituere, ſi hæ meliores eſſe videntur? Hanc quæſtionem in utramque partem affirmando & negando diſceptat Ariſtoteles, uti pluribus tetigit *Heider. in Syſtem. polit. pag. m.* 555. *ſeqq.* & quidem *affirmativam* quinque rationibus, quas ibi adductas videre poſſumus; *Negativam* autem duabus rationibus. Tandemque *pag.* 558. epicriſin addit his verbis: Epicriſin hujus quæſtionis lege prudentiſſima *Zaleucus* apud *Stobæum lib.* VI. *ſerm.* XLVI. complexus eſt. *Ex conditis*, inquit, *legibus, ſi quæ videbitur non bene lata eſſe, meliorem in formam mutetur: Confirmatis & permanentibus omnes obediunto: Poſitas enim leges ab hominibus vinci non decet, neque conducit. Contra homines ſuperari a præſtantiori honeſtum ſimul & utile eſt.* Qua vero gravitate veteres olim ſuas leges tueri conſuerint, multa ſunt, quæ teſtatum faciunt. Idem *Zaleucus* apud eundem *Stobæum eod. loco*. Si quis, inquit, voluerit leges

ſan-

ſancitas loco movere, aut novam ſtatuere, is collo in laqueum immiſſo de lege verba faciet, & ſi per ſuffragia videatur legem veterem eſſe tollendam, aut eam, quæ nova infertur, bonam eſſe, indemnis maneat. Contra, ſi prior lex melius habere videbatur, aut, quæ nova proponitur, injuſta ſit, is, qui movet, infertve legem, attracto laqueo moriatur. Eandem ſententiam recitat quoque *Demoſthenes in orat. contra Timocratem* legem, quæ fuit apud Locros. Ita *Ennius* præclare canit:

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Et *Lycurgus*, ut æternitatem legibus ſuis daret, jurejurando obligavit civitatem, nihil eos, de ejus legibus mutaturos, priuſquam reverteretur, & ſimulat, ſe ad *Oraculum Delphicum* proficiſci, conſulturum, quid addendum mutandumque legibus videretur. Proficiſcitur autem *Cretam*, ibique perpetuum exilium egit, abjicique in mare oſſa ſua moriens juſſit, ne relatis *Lacedæmona*; ſolutos ſe *Spartani* religione jurisjurandi & diſſolvendis legibus arbitrarentur. *Juſtin.lib.* III. Iidem *Spartani* Leges patrias tam pertinaciter tuebantur, ut ne quidem in rebus minimis quicquam innovare paterentur. Leges itaque veteres, niſi inevitabilis nobis incumbat neceſſitas, mutari non debent: ſi tamen barbaræ ſint & ineptæ, ſtolidæ & iniquæ &c. non omnis prohibita mutatio, ſed ita tamen, ut leviora potius incommoda ferantur, quam leges innovatione crebra in contemtum adducantur. Plurimum Rebuſpublicis officiunt illi, qui rebus novandis, quam gerendis aptiores ſaltem hoc agunt, quod nihil eſt aliud, quam cornicum oculos configere, h. e. inventa vetera abrogare. Confer. qui plura deſiderat, *Richter. axiomat. polit. pag. m.* 615. 616. 617. *ſeq. edit. Jenenſ.* 1654. *Chriſt. Forſtner. not. polit. ad Tacit. p. m.* 294. *edit. Lugd. Bat.* 1650.

CAPUT SECUNDUM.

Hecatæi liber ſingularis de Judæa. Prudens legiſlatoris conſilium de agrorum aſſignatione. Non debuiſſe eos occupantium eſſe. De lege agraria, deque ejus inæſtimabili utilitate. Redemtio agrorum. Beneficium Jubilæi. Reſtitutio gratuita agrorum. Juris Talmudici quædam ſanctiones ſuper ea re. De Maimonide, ejusque luculentiſſimis commentationibus. Quid Jubilæorum celebritas ſervis contulerit. Per novem dies coronati ſervi. Saturnalium quædam imago.

SÆPE Flavius Joſephus Hecatæum Abderiten laudat, ſumma fide atque integritate virum, qui ſe Alexandro Magno olim expeditionum bellorumque comitem adjunxerat. Is, cum terras multas adiiſſet omni copiarum genere abundantes, nullam æque, ut Palæſtinam admiratus eſt. [1] Quare librum de ea ſingularem ſcripſit, ex quo multa pro Judæis Flavius adverſus Apionem recitat. Illud ad rem, de qua dicturi ſumus, pertinet, quod regionem optimam, frugumque feraciſſimam [2] habitari a Judæis ait, cujus amplitudo [3] continet τριακοσίας μυριάδας ἀρουρῶν, plane ut appareat aptiſſimas Hebræis fuiſſe ſedes has, in quas ex Ægypto illos transmiſit Numinis benignitas. Qui enim antea vitam ſemper in cultura agri, atque in pecudum paſtione [4] egiſſent, hic jam in ubere ſolo egregie ſuis ſe artibus locupletare, atque in rebus eſſe bonis poterant. Inter initia, cum promiſſam pridem Palæſtinam occupaſſet armis ſacer populus, illico Moſis juſſa ſecutus ſummus dux Joſua eſt. Univerſam enim regionem in duodecim partes diviſit, [5] atque habitandam totidem tribubus dedit. Mox ſingularum tribuum familias numeravit, & pro capitum multitudine certum cuique modum agri, [6] atque proprios fines dedit. Ita proviſum eſt, uti eadem æqualitate omnes continerentur: quæ eſſe prima cura bonis reipublicæ moderatoribus ſolet. Idem Græci poſtea Romanique, [7] cordatiſſimi mortales fecere, colonias cum deducerent. Quod ſi occupatione ſuum quidque feciſſent ii, qui primi in vacua veniſſent, jam neceſſe fuiſſet pugnas motuſque civium ingentes exiſtere. Quicquid enim ejuſmodi eſt, quod ex communi facere proprium poſſis, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum ſit ſervare ſanctam ſocietatem. Porro, quoniam ſapientis eſt, non præſentia modo ordinare, ſed ea ſtatuere etiam, quæ profutura alteri ſeculo ſunt, præclaram legem quandam Moſes tulit, qua effectum eſt, ne paucorum opulentia quandoque cæteros opprimeret, neu mutatis ſtudiis cives ad novas artes peregrinaſque ab innoxio labore ſe converterent. Ea fuit lex agraria, [8] quæ vetuit, ne quis venditione aut ullo contractu plenum dominium fundi ſui transferret in alium. Nam & iis, qui egeſtate compulſi [9] agrum vendidiſſent, redimendi jus quovis tempore conceſſit: [10] & ni redemtus eſſet, [11] reſtitui eum gratis [12] in Jubilæi celebritate juſſit. Eſt in admiratione hominum ſcriptor maximus, Rabbi Moſes Ben Maimon, is, qui Talmudicam doctrinam ſepoſitis nugamentis feliciter complexus eſt divino illo opere, quod ipſe משנה תורה appellat. Nunquam ita magnifice quidquam de illo authore dicemus, quin id virtus ſuperet ejus. Fato enim quodam & ſorte naſcendi primus ſoluſque in illa gente recte intellexit, quid hoc ſit, non ineptire. Sæpe nos in his libris eum luculentiſſimum teſtem citabimus. Atque nunc quoque in hac ipſa re, qua de agimus, perutilis erit nobis ejus authoritas. Multa ille de Jubilæi beneficio in Halacha Schemitta Veiobel tradidit,

didit, aitque id positum in eo fuisse, quod omnes agri [13] ad veteres dominos redibant, etiamsi centies emtorem mutaverant. Nec eos excipit eruditissimus scriptor, quos ex donatione acceperit aliquis: nihilo enim magis retineri eos a possessore potuisse ait. Atque hoc juris Talmudici est: & rectissimum videtur. Etiam illud prodit ex eodem jure Rabbinus iste, redemtionem fuisse illis modo permissam, qui ex lucro aliquo commodove, quod obvenisset, locupletiores facti erant. Cujus rei ratio in promtu est. Sane enim, qui pecunias mutuas ad eam rem sumebant, aut agrum unum vendebant, uti venditum alterum redimerent, [14] legi divinæ fraudem fecere: expectandus enim illis, hæredibusque illorum, Jubilæus [15] fuit, qui venditiones hujusmodi rescinderet. Quamquam poterant gentiles interim agnatique suo ære ea retrahere, quæ sine versura redimere nequiverat inops dominus. Jubilæorum solennia annus quilibet quinquagesimus [16] reduxit, cujus initium a septimo mense Tisri [17] erat. Nulla tempestas tantum gaudium publice excitavit. Non enim modo locati rursus in solido sunt, [18] qui prædia sua ante alienaverant, sed libertas quoque omnibus servis [19] est data. [20] Sed horum nihil fieri ante decimam ejus mensis lucem potuit, quæ jejuniis atque expiationum festo sacra erat. Interea temporis per novem integros dies agitata publice quædam veluti Saturnalia [21] sunt, de quibus Rabbi Maimonides illud refert, quod scitu dignum judicavimus. Ait ille in Halacha Schemitta Veiobel cap. x. מראש השנה עד יום הכפורים לא היו עבדים נפטרים לבתיהן ולא משתעבדים לארניהם ולא השדות חוזרות לבעליהם אלא עבדים אוכלין ושותים ושמחים ועטרותיהם בראשיהם: כיון שהיגיע יום הכפורים תקעו בית דין בשופר נפטרו עבדים לבתיהן וחזרו שדות לבעליהן: *Ab initio anni usque ad diem expiationum neque dimittebantur servi, neque serviebant dominis suis: sed nec agri restituebantur. Quid igitur? edebant, bibebantque servi, atque hilares erant, & coronam quisque capiti suo imposuit. Mox, cum dies expiationum venisset, Senatores Sanhedrin tubis clanxere, atque e vestigio liberi abierunt servi, & reddita dominis prædia sunt.*

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *Palæstinam admiratus est*) Eadem a *Philistæis* ita dicta ab istis Cananæis, qui eam antiquitus incoluerunt, Canaanitis, postmodum etiam terra promissionis ac terra sancta appellabatur. Hæc varie ab Autoribus delineari solet, vel ratione incolarum, quos ante ingressum & occupationem Israelitarum habuit, vel juxta duodecim Israelitarum tribus, per quas post occupationem divisa fuit, vel secundum regiones & regna, maria, torrentes, amnes, rivos, lacus, fines, limites, quibus concludebatur. Juvabit autem, huc contulisse, qui quovis eam modo descripserunt: ubivis enim occurrent, quæ cum utilitate delectabunt. Potiores sunt *Tilemannus Stella*, *Ortelius*, *Christianus Ardrichomius*, *Michael Aitzingerus*, *Henricus Bunting*, *Heidmannus*, quorum nomina jam in vulgus nota sunt, quibus successerunt, *Joh. Bissel. in Topothesia Palæstinæ*, *decad.* III. *illustrium ruinarum* subjunct. *Barth. Nihusius in tract. Chorographic. c.* V. & quorum observationes *Apparatui Biblico* inseruit *Brianus Walton*, quas inter præ reliquis eminent doctissimæ *Johann. Lightfoot. animadversiones in tabul. Chorographic. terræ sanctæ*, cujus itidem Chorographica Horis Hebraicis & Talmudicis in Evangelistas impressis, semper præmissa, memorabiliora hujus terræ loca face præsertim Talmudica perlustrant. Addi poterit *Cœlestinus lib.* II. *Clav. David. tr.* IV. *art.* II. *fol.* 212.

[2] *Frugumque feracissimam*) Hanc regionem loci opportunitate fertilissimam melle quasi ac lacte fluentem Deus *Abrahamo* promiserat, ejusque posteris Genes. XII. ℣. 5. *A goodly country it vvas, having vvater-brooks, fountaines, and springing depths, mountains and vallies, and mines, corne and vvine and oyle and hony and other fruits*. Vide *Henry Ainsvvorth fol.* 50. *in Genes.* A mellis & lactis copia commendatur Palæstina, quæ sæpissime dicitur ארץ זבת חלב ודבש terra fluens lacte & melle. Vide *Exod.* III. ℣. 8. *cap.* XIII. ℣. 5. *Num.* XIII. ℣. 28. *cap.* XIV. ℣. 6. *cap.* XVI. ℣. 24. *Deut.* VI. ℣. 3. *cap.* XXVI. ℣. 9. *cap.* XXVII. ℣. 3. quod καθ' ὑπερβολὴν dici, & summam regionis fertilitatem notare arbitramur. Nam copia lactis & mellis omnino arguit irriguam, fæcundam, & lætis pascuis ac floribus abundantem terram, unde cum armenta & greges ubera lacte: tum etiam apes cellulas suas liquido possint nectare distendere. Ad tantam terræ benedictæ fæcunditatem respexisse videtur *Ovid. de ævo aureo* ita somnians:

Flumina tunc lactis, tunc flumina nectaris ibant
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Et *Euripid. in Bacchis* ℣. 142. *seqq.* ex *versione Melanchton.*

Campus fluit lacte
Fluit etiam vino, fluit vero apum
Nectare, fumus autem inde spirat
Tanquam thuris Syriaci.

Crassum itaque errorem committunt *Strabo lib.* XVI. & *Spencerus*, asserentes, locum non satis dignum Palæstinam fuisse, quod Scripturæ contrariatur. Nam ipsius *Rabsaci*, Judæorum hostis infensissimi, testimonium evincit hoc, qui 2. *Reg.* XVIII. 32. terram frumenti & musti, terram panis & vinearum, terram olivæ, olei & mellis eam vocat. Conf. huc *Mr. Fleury les Moeurs des Israelites cap.* VII. *pag. m.* 36. *edit. Hag.* 1683. *Dieter. Antiquit. Bibl. fol. m.* 249. *Bened. Ariæ Montan. Chaleb. in Oper. Critic. edit. Francof. fol. m.* 558. Hoc tamen observandum, quod non omnis fertilis fuerit terra, de qua re *D. Carpzov. in notis ad* מ"ח *pag. m.* 285. *edit. Lips.*

[3] *Cujus amplitudo*) Quam descripserunt supra citati authores, quibus adjungatur *Dieteric. Antiqnit. Bibl. fol. m.* 288. 289. *seqq. Arias Montan. in suo Chalebo fol. m.* 560. quos benevol. Lector evolvere velit.

[4] *In cultura agri atque in pecudum pastione*) Si patriarcharum vitas perlustramus, reperimus, illos agricolas & pastores fuisse, quia agricultura est innocens & vita pastorum perfecta, cui operationi primi homines operam dederunt, uti ex *Genes.* IV. constat: Fuit *Cain* agricola & *Abel* pastor ovium. Illæ etenim res valde simplices, sed maxime etiam utiles sunt. Nam sine Agricultura nec cives esse possumus, nec rerum communicationem ad publicum decus conferre. Ea scil. agricultura nobis commendatissima est, non solum ab antiquitate, sed etiam quod viri

cum

cum ſancti, tum in Republica alioquin præſtantes eam exercere vitæque ſubſidium habere non ſunt dedignati. Inprimis vero *Adamus* de Paradiſo voluptatis emiſſus eſt, ut operaretur terram, de qua ſumtus erat. Agricolæ etiam erant *Enoch*, *Lamech*, *Noah*, quem nonnulli Ogygen, cujus *M. Varro in* 3. *de Re Ruſtic.* meminit, & *Janum* illum bifrontem appellatum eſſe putant; Cujus uſum tam neceſſarium eſſe Doctores aſſerunt, ut etiam cœtus hominum abſque illo ſuſtentari nequeant. Et apud priſcos ſine ludicris artibus atque etiam ſine cauſidicis, inquit *Columella*, felices fuere urbes. Conf. *Johann. Ferrar. in libr. de Republ. bene inſtit. fol. m.* 70. *edit. Baſil.* 1556. Quod ad pecudum paſtionem attinet, greges alebant, & in his illorum divitiæ conſiſtebant, uti prolixe diſſerit Anglus doctiſſimus *Joſeph. Caryll. in Comment.* ſuper librum *Jobi fol. m.* 14. *edit. Londin. We find*, ſcribit, *frequent mention in theſe ancient times of the riches of the Patriarchs and others in Gold and Silver. It is expreſſed concerning* Abraham Gen. XIII. 2. *that Abraham vvas very rich in Cattel, Silver and Gold. And Abraham ſervant* Geneſ. XXIV. 35. *ſaith of him: The Lord hath bleſſed my Maſter. So that is plain in theſe days Gold and Sylver and Jevvels vvere ſubſtance. Cattel in their ovvn nature are more excellent then Gold an Silver, becauſe they have liſe. Evry thing that have liſe is better in its degree, then that, vvhich hath not liſe.* Maxima itaque Patriarcharum & poſtea Hebræorum cura & occupatio erat, ut bene gregibus ſuis præeſſent, id quod ex expreſſa affirmatione filiorum *Jacobi* coram Rege Ægyptiorum *Gen.* XLVII. 3. patet. Nam cum iſti a *Pharaone* interrogarentur, quæ eſſent illorum opera? Paſtor gregis quiſque eſt, tum nos, tum majores noſtri. Non gloriantur de antiquitate generis, ſed aperte confitentur, ſe paſtores eſſe. Conf. *Poli Critic. edit. Francof. fol.* 258. *men that ſeed cattel*, ita *Henry Ainſvvorth fol. m.* 150. *So the Greeke vvel explaineth the Hebrevv phraſe, men of cattel, that is, vvhich ſeed or nouriſh them, graſiers.* Conf. *Mr. Fleury les Moeurs des Iſraelites c.* II. *pag. m.* II. *ſeqq.*

5. *Univerſam regionem in duodecim partes diviſit*) Sorte hoc factum ſtatuimus cum *Cl. nec non doctiſſimo Martino Mauritio in tract. multis antiquitatibus egregiis referto de Sortitione Veter. Hebr. edit. Baſil.* 1692. *p. m.* 403. & *Dieterico in Antiquit. Biblic. fol. m.* 399. Antiquiſſima ſortiendi ratio ab Iſraelitarum ritu in diviſione terræ promiſſæ eſt petenda. Hi vero, narrantibus Judæis, tot baculos, pro numero ſtemmatum ſumſerunt, quorum unicuique inſcripſerunt nomen ſtemmati ἴδιον; atque iterum tot baculis ſumtis inſeruerunt portiones. Quos omnes in duas diviſas partes obtulerunt *Eleazaro* ſummo Pontifici, qui dextra baculum ſtemmatis nomine & ſiniſtra portionis baculum terræ nomine inſignitum, ſimul apprehendens duos iſtos baculos conjunxit, atque ſic cuilibet ſtemmati ſuam ex ſorte dedit portionem; verum an huic in omnibus conſenſum præbere poſſimus, poſtea videbimus. Sortium autem genera fuerunt tria, *diviſoria*, *conſultoria*, & *divinatoria*, inter quæ ſortes diviſoriæ longe frequentiſſimum apud omnes gentes fuerunt. Hoc genere dividebatur terra promiſſa ipſius cœleſtis Numinis juſſu. Antiquiſſima, quæ extat ſortitio, eſt diſtributio terræ ſanctæ *Num.* XXVI. 54. *Et occupabitis terram per ſortem ſecundum familias veſtras, pro multitudine multiplicabitis hæreditatem ejus, & pro paucitate minuetis hæreditatem ejus, ſecundum quod exibit ipſi illic ſors, erit eidem.* ℣. 55. *per ſortem dividatur terra.* Et ſic factum eſſe recenſetur *Joſ.* XIV. 2. XV. 1. XVII. 1. 14. 17. XXI. 5. 6. 8. 10. 20. Imprimis hic notanda ſunt XVI. *cap.* XIX. ubi dicitur ויצא & exivit (ſors) & ejus *Synon.* ויעל & adſcendit: *cap.* XVIII. 6. 8. 10. ubi *Joſua* ad filios *Iſrael*: Et vos ſcribite terram ſeptem partibus & afferte mihi huc, & projiciam vobis ſortem hic coram Domino Deo noſtro &c. *Modus* ſortitionis hujus obſervatus deſcribitur a *Schindlero* in *Pentaglott.* voce גורל. *Sorte Iſraelitis* diſtributa fuit *terra juxta tribus Joſ.* XVIII. *Factæ ſunt duodecim partes æquales, ut quælibet tribus ſive major ſive minor reliquis, unam ſive bonam, ſive malam caperet; Baculi tribuum & baculi ſortium ponebantur coram Eleazaro, Urim & Thummim induto. Hic una manu partium, altera tribuum baculos carpebat, atque ita, quæ pars cuilibet aſſignanda eſſet, inquirebatur.* Verum enimvero vix *Schindlero* hic calculus adjiciendus, quando dicit: Factas terræ diviſiones in duodecim æquales partes, cum plane dubitemus de hac re, cum terræ partes factæ ſint novem & dimidia, ſecundum tribus novem & dimidiam. Deinde claris verbis dicitur, diviſionem terræ fuiſſe inſtituendam pro multitudine & proportione multarum tribuum, ut quomodo una tribus alteram excederet numero, ſic partes quoque eſſent ampliores vel tenuiores, uti *Henry Ainsvvorth. comment. in Num.* XXVI. *fol. m.* 170. ex *Salom. Jarchi* probat: *So the portions vvere not all equall in quantitie, but proportioned to the multitude of men in the tribes and ſamilies. To the tribes vvhich had the greater multitudes they gave the greater portion, though the portion vvere not equall: for lo every tribe had his portion according to his multitude ſaith. Jarchi* in *Num.* XXVI. *Hereupon the ſons of Joſeph complained of their ſmall portion in reſpect of their great multitude* Joſ. XVII. 14. Nec album adjicimus calculum Schindleri ſequentibus verbis: baculis ſortes inſcriptas fuiſſe, quem ſequitur *Dietericus quondam Profeſſor hujus Academiæ* in ſuis Antiquitatibus paulo ante citatis; cum ſchedis potius inſcriptas fuiſſe affirmet *Clar. Martin. Mauritius in tract. elegantiſſimo de ſortitionibus pag. m.* 406. Rationem addit: De baculis vix dicas, exiviſſe, aſcendiſſe, projectos eſſe, miſſos. Schedularum igitur opera ſortitionem factam fuiſſe, Hebræi ſentiunt, teſte *Munſtero*: *Sors fiebat ſecundum Hebræos hoc modo: Scribebantur in duodecim ſchedis duodecim nomina tribuum Iſrael: & in aliis duodecim ſchedis duodecim termini terræ promiſſionis: & hæ duplices ſchedæ mittebantur & permiſcebantur in ſcrinio: tollebantque ſinguli tribuum principes duplicem ſchedam, & qui terræ terminus cum ſcheda ſuæ tribus illi obveniebat, is illi decernebatur tribui: & hoc eſt, quod textus Hebraicus per* על פי גורל, *explicat.* His accedit ſæpe laudatus *Henry Ainsvvorth. fol. m.* 170. ubi *deſcriptionem* vocat. Confer. *Hugo Grot. in annot. ad Num.* XXVI. Audiamus *Rabbinorum* ſcripta. Sic *Talmudici* in *Baba Bathra. fol.* 122. 1. diſſerunt: *Non diviſa* terra fuit niſi per ſortem, uti dicitur: Verumtamen per ſortem: neque enim diviſa fuit, niſi per ſortem, uti dicitur: Verumtamen per ſortem: neque etiam diviſa terra fuit niſi per Urim & Thummim, uti dicitur, juxta os ſortis. Id quomodo fiebat? Eleaſar induebat Urim & Thummim & Joſua cum toto populo ſtabat coram eo (Eleaſaro): ante ipſum poſita erat urna, in qua erant nomina duodecim tribuum, ſchedis inſcripta, & alia urna, in qua erant nomina duodecim terminorum (terræ Canaan.) Tum ille (Eleaſar) intendens in Spiritum S dicebat: *Aſcendet Sebulon* & cum eo terminus Acho: tum miſcuit aliquis, *Joſua* vel *Eleaſar* ipſe, vel Princeps tribus, urnam tribuum, & manu immiſſa, ſchedam trahens, eduxit *Sebulon* ex urna prima tribuum ſcil. iterum concuſſa urna terminorum, & mixtis ſortibus, aſcendebat terminus Acho. Deinde Eleaſar iterum intendens Spiritum S. dicebat: Naphtali aſcendet cum illo, & terminus *Ginoſar* aſcendet cum illo: miſcuit ergo urnam tribuum, & aſcendebat manu ejus Naphtali; iterum miſcuit urnam terminorum, & aſcendebat manu ejus *Ginoſar*, & ſic deinceps fiebat cum omnibus tribubus. Conf. *Buxt. hiſtor. Urim & Thummim & th. p.* 303. plura qui deſiderat, evolvat prælaudatum *Martin. Maurit. pag.* 409. *Henry Ainsvvorth comment. in Num.* 26. *fol. m.* 170. qui fuſe de hac materia tractat. *Joh. Henr. Urſin. analect. tom.* II. *lib.* V. *pag. m.* 260. 261. *Benedict. Ariæ Montan. Chaleb. de terræ promiſſæ partitione fol. m.* 556. *ſeqq. Critic. Sacr. edit. Francoſ.*

6 *Modum agri*) Antiquitus diviſio agrorum fiebat per ſchœnum vel funem, cujus conſuetudinis ſatis uſitatæ, ſaltem in bello occupatis terris dividundis habetur & alibi mentio fit in *Pſalmis*: Ejecit a facie eorum gentes & ſorte diviſit eis terram in funiculo diviſionis. Quibus verbis alludit *David* ad *Joſuam*, terram Sanctam non ſolum ſorte, ſed etiam funiculo dividentem. Sic Amos VII. 17. *Et terra funiculo dividetur.* Atque in hoc more etiam commemorando crebri ſunt Scriptores exteri. *Fines dicti*, ait *Iſidor. Hiſpalenſis Etym. l.* XV. *c.* XIV. eo quod agros funiculis olim diviſerant. *Herodot. ex Orac. Apoll. l.* 1. *c.* VI. *Utque queas campum metiri fune feracem. Finitores* autem vocabantur, qui agros

hoc modo dividebant ſorte poſſeſſuris, ut *Nonius* tradit in *verb.* eorumque ſæpius meminit *Cicero in Orat. de leg. Agrar.*

Ejus nunc regionis limites, confinia
Determinabo, ei rei factus ſum finitor.

Plaut. in Pænul. Σχοῖνον vero appellabant funiculum, quo fiebant ejuſmodi diviſiones. Conf. *Job. Dougthæi analect. ſacr. pag. m.* 157.

[7] *Romani*) Inter ſex cauſas; cur coloniæ deductæ fuerint, non minima eſt, ut præmiis milites veterani afficerentur. Quacunque igitur de cauſa deducerentur, Senatuſconſulto opus fuit, ut rogatione aliqua populari, quorum utrumque uno legis nomine comprehenditur, quæ LEX AGRARIA appellata eſt. Hæc & agrum definivit, qui eſſet dividendus, & quibus, ac quam multis hominibus & quibus limitibus, præſcripſit. Vid. plur. *Antiquit. Roſini lib.* x. *pag. m.* 634. *edit. Lugdun.* 1606. confer huc Legis Agrariæ verba quædam, quæ extant in *Barnab. Briſſonii formulis antiquiſ. pag. m.* 159.

[8] *Lex agraria*) Juxta hanc legem Hebræi quidem vendere poterant fundum, ita tamen, ut dominium retinerent. Voluit itaque Deus hoc *reluitionis* jure cavere, ne res majorum, & antiqua eorum prædia ad extraneos tranſirent; Qua de cauſa jus προτιμήσεως ſeu Retractus Gentilitius, etiamſi in multis adhuc differat jus reluitionis a Retractu, introductum voluit, ur agnati, & qui ſunt de familia venditoris rem ab eo venditam ſibi reparare queant, de quo pluribus videantur JCti, qui jus retractus, ut vocant, uno fere ore fatentur, originem ſuam traxiſſe ex jure divino. *Boerius in conſuetud. Biturig. tit. de retract. lignag.* §. 1. & in jure divino fundari *Chaſſanæus in conſuetud. Burgund. tit. de retract.* §. 1. *n.* 1. *verſ. & videtur*. Et *Johann Oldendorpius*, *Antecesſor olim Marpurgenſ.* dicit, *Moſen*, autore Deo hanc legem *Hebræis* tuliſſe, ut poſſeſſiones ſingulis familiis reſervarentur, nec poſſent extra illas alienari, *Tractat. de jur. & æquit. tit.* 8. *circa fin.* Hiſce ſubſcribit *Erneſtus Cothmann. Reſponſ.* 42. *n.* 5. *vol.* 4. Jus hoc extra omnem controverſiam, ab ipſo rerum cœleſtium & terreſtrium Creatore inſtitutum eſſe; Conf. *B. Reinking. Tract. Synopt. de retractu conſanguin. p.* 8.

[9] *Egeſtate compulſi*) Agros vendere non licet, niſi ad extremam redactus fuerit paupertatem, uti *Canones* Hebræorum hoc affirmant teſte *Maimon. in Jobel. c.* XI. *ſ.* 3. cujus verba *Henry Ainsworth* Anglice ita reddidit: *A man may not ſell his houſe, or field of his poſſeſſion (although they returne again unto him after the time) unleſſe he be a poore man. Levit.* XXV. 25. *But ſell them for to put the mony in his purſe, or to make merchandiſe vvith it, or to get veſſels, or ſervants, or beaſts therevvith, he may not; ſave for food onely. Yet if hee tranſgreſſe and ſell, the ſale not vvith ſtanding is confirmtet* i. e. *Non licet homini vendere domum vel fundum*, (quamvis poſt effluxum tempus redeant) *antequam ſumma prematur pauperie Levit.* XXV. *Vendere autem bona ob hanc cauſam, ut ſcil. pecunia turgidam crumenam habeat, vel mercaturam exerceat, vaſa procuret, ſervos & beſtias ſibi comparet illa, non poteſt vendere. Licet, ob cibum tantum. Si vero tranſgreditur & vendit, nihilo minus contractus confirmatus eſt.*

[10] *Jus redimendi quovis tempore conceſſit*) Rationem addit *Maimon. in Jobel. cap.* XI. *ſect.* I. *& cap.* X. *ſect.* XVI. cujus verba Anglice ita reddidit *Henry Ainsworth. comment.* in hunc locum *ſol. m.* 158. *edit. Londin.* quæ huc adſcribere non pigebit: *the Land of Iſrael, vvhich vvas parted among the tribes may not be ſold for ever. And if a man ſelleth for ever, bot of them, the ſeller and the buyer doe tranſgreſſe aganiſt a prohibition: and it availeth them nothing; for in the jubile, the Land retourneth to the ovvner thereof.* i. e. terra Iſraelis in Tribus diviſa non vendi poterat in ævum. Si quis autem in perpetuum vendat, tam emtor quam venditor tranſgrediebatur & peccabat contra prohibitionem &c. in *Jubilæo* redibat ad proprietarium. Cum itaque in perpetuum vendi non poterat, aut per ipſum aut per alium quovis tempore redimi poterat, uti lex probat: Prædium venditum, vel a cognato proximo Domino directo eſt vindicandum vel ab ipſo, qui proprietatem habet, ſi obtingat די גאלה ſufficiens λύτρον, ſubtracto præcepti uſusfructus pretio redimendum, vel a Dominio utili in Jubilæo ſine exceptione reſtituendum. Ex hiſce patet, quod extra caſum מוך Iſrael ita non habuerit jus & libertatem uſum fructum vendendi. Notandum, quod per אחסה intelligatur modus acquirendæ poſſeſſionis ſ. apprehenſio & porro materialiter apprehenſione confirmatum dominium & poſſeſſio, ipſumque prædium, ſicut dicimus: Er hat die Poſſeſſion ergrieſſen; quin non raro externa apprehenſione ſignificatur dominium ſive directum ſive utile, ſive utrumque tranſlatum. Latius tamen vox poſſeſſionis & cum incluſione proprietatis hic ſumenda, quam in jure civili, ubi quicquid apprehendimus; cujus proprietas ad nos non pertinet, nec pertinere poteſt, poſſeſſionem vocant. *ff. tit. de verb. ſigniſ.* licet & illi derogetur per *reg.* 7. 8. *ff. de verb. ſigniſ.* Hinc אחזה etiam poſt ceſſionem uſusfructus manebat Domino directo. Prædium itaque intra annum vel uti in Jure Hebræorum biennium redimi non poterat; at illo expleto perpetuum jus redemtionis venditori manebat: Conf. *Auguſt. Varen. diſſert. de anno Sabbathic. Roſtoch.* 1651. §. 28.

[11] *Et ni redemtus eſſet*) Vel a proprietario, vel a גואל quem Anglus ſæpius citatus vocat *Kinſman, unto vvhom the right or redeeming lands doth belong*, ad quem redemtio illa pertinebat, ſtatim enim additur הקרוב אליו ſein nechſter Bluths-freund/ qui eſt, ממשפחתו, quem LXX. vocant ἀγχιστέα, vel ἀγχιστεύοντα vid. *lib. Ruth.* adeoque porro liberatorem notat vel vindicem ex jure cognationis ſeu ſanguinitatis, quomodo ſecundum excellentiam & formaliter Chriſto tribuitur. vid. *Hoſ.* 13. 14. *Eſ.* 59. 20. *Job.* 19. 25. conf. *Henry Ainsworth. ſol.* 158. *Es ſoll entvveder ſein nechſter Bluths-freund ſolches loſen, oder der Verkauffer ſelbſt, daſern er Mittel ergreifft, nach abkurtzung der genoſſenen Jahre ſolches an ſich bringen; oder aber daſern keines von dieſen beyden geſchiehet, das verkauffte gut des Kauffers biſs zum Jubel-Jahr verbleiben.* Conf. *Don Philip. Picinell. lumi rifleſſi part.* 1. *ſol. m.* 119. *ſeq.*

[12] *Reſtitui gratis*) Quod ſi vero evenerit, ut venditor jure reluitionis ſeu ſanguine junctus non potuerit; vel etiam noluerit ſibi reparare fundum venditum, annus jubilæus ipſi omnia reſtituebat gratis & ſine ullo pretio, etiamſi vel centies emtorem res donatæ vel venditæ immobiles (mobiles enim nunquam revertebantur ad venditorem) mutaſſent, in quem finem iterum ſcribit *Maimonid. in Jobel c.* 11. *ſ.* 15. Eſto, vendiderit quis fundum ſuum primo, primus vendiderit ſecundo, ſecundus tertio, ut vel centies ab uno tranſierit ad alium; tamen cum annus Jobel, reſtituit primo Domino, quia dicitur *Levit.* 27. 24. in anno *Jobel* revertetur ager ad eum, a quo emerat ipſum, ad eum, cujus erat poſſeſſio. Conf. *Dieter. antiquit. ſol. m.* 224. *Henry Ainsworth. in Levit. cap.* XXVII. *ſol. m.* 181.

[13] *Omnes agri*) Sed quid de ædificiis, quæ ſingulari privilegio gaudebant in urbe muro cincta? Hæc intra anni ſpatium, nos vocamus Jahr und Tag/ redimi poterant, ultra illum, jus omne redimendi exſpirabat, & ſic domus differebat ab agris. Verum hic quæritur. An domus in ſuburbio habeatur pro domo in urbe? ℞. In hac lege urbs muro tenus Hebr. exiſtimatur, licet aliter habeat quotidiana conſuetudo & *regula juris ff. de verb. ſigniſ.* 87. Porro quæritur, qui ſit ימים? R. Annus revolutione ſua perfectus, ita enim explicatur in textu per תום שנה item שנה תמימה ein vollkommenes Jahr/ ita ſc. ut etiam labente die ultimo, contractus redemtionis ſit validus. Recte *Raſchi*: ימים ימים שנה שלימה קרוים i. e. dies anni perfecti, vocantur ימים Jamim. conf. *Henry Ainsworth. ſol.* 159. Sic etiam quæritur: Quid juris in diverſitate לא ſcripti & לו lecti. ℞. Eſt ex quindecim לא & לו: pro lectione autem facit lex, *Targum* (קרתא די לוה שורא) *Luth.* & omnes ferme Interpretes. Denique quæritur: quid ſit, quod domus dicatur ſtare emtori ſuo in generationes ſuas? ℞. Domus ſtare emtori dicitur, cum non redemta a venditore intra terminum, in plenariam cedit emtoris proprietatem, eamque hæreditariam excluſo omni jure venditoris; Wann der Kauffer

ein Hauß erb-und eigenthumblich ohne fernere rechtliche Ansprach des Verkäuffers besitzet: Hoc volunt Hebræi, quando ita παραφράζουσι יצא מכוח המוכר ויצא אל בותו של הקונה: *Domus egreditur ex Jure venditoris in plenarium jus emtoris*. vid. *Raschi*. Ex his conjicere possumus, quod domus intra anni spatium non redemta postmodum redimi non potuerit. Testis hujus est *Maimon. in Jobel. c.* XII. *sect.* I. 7. his verbis: *Qui vendit domum in civitate muro cincta, spatio duodecim mensium a die, quo vendidit illam, redimere potest, & quidem quo tempore lubet, sit etiam ipso illo die, quo vendidit. Et quando redimit, omne pretium solvit, quod accepit, nihilque emtori detrahit. Nec cognatus redimere potuit illam, uti agros, sed id ipsum venditori competebat, si tantum habere potuit; licuitque ipsi vendere bona, ut redimat illam: verum non licebat, pecuniam mutuo accipere, qua redimat. —— Si effluxis duodecim mensibus non redemerit, tunc absolute ejus erat, qui emerat*. Conf. *Henry Ainsworth. comment. in Levit.* XXV. *fol. m.* 159. Aliter autem domus in vico seu villa habebat, quæ sequebatur naturam fundi seu agri. Secundum jus agrorum terræ illius æstimator domus vicus. vid. *August. Varenii dissert. de anno Sabbatic. edit. Rostoch.* 1651. §. 29.

[14] *Uti venditum alterum redimerent*) Hebræis non concessum erat, ut ad redimendum agrum ab alio mutuo acciperent pecuniam, vel alium venderent agrum; sed ex propriis acquisitis redimendus erat, teste *Maimonid. in Jobel c.* XI. *s.* 17. cujus verba *Henry Ainsworth fol. m.* 159. adduxit sequentibus: *From hence the Hebrevves conclude, that a man must redeeme it vvith his ovvnæ; for if he borrovveth of an other to redeeme it vvith all; they hearken not unto him.* i. e. Concludunt hinc *Hebræi*, quod ager propria acquisita pecunia redimendus, non ab alio mutuo accepta. Intelligunt autem Hebræi pecuniam post venditionem lucratam, quamobrem dicunt referente *Henry Ainsworth* ex *Maimonid. c.* XI. *s.* 17. *He that selleth a field of his possession, and hath hath other fields, and selleth of them fields, enough to redeeme the field vvhich he sold; they hearken not unto him: for it is written: And found sufficiency for the Redemption, that is, when he hath found some thing, which was not found with him, at the time of the sale.* Er durffte kein Geld von andern entlehnen / oder einen andern acker versetzen / diesen darmit einzulösen; sondern von dem erworbenen muste er ihn lösen.

[15] *Jubilæus.*) Varie disquiritur, unde annus Jubilæus nomen traxerit? Pauca itaque hic annotabimus. יובל a radice יבל, cui significatio inest *confluendi*, & in conjugat: gravi aucta confluere faciendi, *copiose* vel singulariter *adducendi*, cum qua significatione conveniunt derivata, scil. id quod adducitur e terra יבול הארץ: quod perennes adducit & volvit aquas est אובל seu יובל quod educitur quasi e corpore, sive sit verruca, sive ulcus fluens est יבלת: quod adducebat agris quietem: servis libertatem: debitoribus cum pignore, dominium utile, & fundi pignorati possessionem, erat יובל seu Jubilæus in Israel, ein allgemeines wiederbringungs Jahr. Supponimus jam, quod cuivis ex inspectione Concordantiarum patet, non reperiri expressam radicem יבל in Scripturis, sed tantum in conjugatione tertia, quam Hipphil dicimus. Adducit quidem Buxtorfius vocem ויבל, quæ est *Judic.* 19. 21. & in lectione sine ו, at in scriptione cum ו scil. ויבול. At litera י in hac voce non est Thematica, sed tertiæ personæ futuri formativa, & adeo non præteriti radicantis: sed Futuri Præteritum significantis, docet id positus ו patachati, & respectus ad verbum ויביאהו, atque adeo radix hic est non יבל: sed qua consonantes בול, qua punctationem בלל, & implicite plane ac ויבל בול, unde & ipsum ו in scriptione exstirpare nec potuerunt nec voluerunt *Masorethæ*: dari enim vocabula שני פנים sub duobus respectibus æqualiter a Spiritu Sancto intentis, atque adeo subordinatis, constat ex *Masora*. Vid. *in eod. c.* v. 3. Quem respectum pulchre expressit R. *David Kimchi*, dum ita scribit: ר״ל נתן להם מספוא שנקרא בליל שבללים והשבולת למאכל השעורים. Sensus, inquit, est dedisse Ephraimitam illum asinis Levitæ, sicuti solemus jumentis, mistum spicis pabulum: Vermenget Futter/ בול בליל nicht reinen Gersten oder Habern/ cum quo convenit Targum: Projecit pabulum asinis ejus. Concludimus ergo non dari expressam radicem יבל, nec confundendum בול cum ובל, licet analogiam in his vocibus, plane ac in aliis vel forma, vel transposita litera distantibus, mirabilem non negemus. *R. Salom. Jarchi ad c.* XXV. *Levit.* Jubilæum derivat a voce יובל, quæ arietem significat, quia scil. annus Jubilæus clangore cornu arietis promulgari solebat. Quam sententiam quoque *Maimonides in Exod.* XIX. adducit, cujus verba Rabbinica Clar. *Christian. Zoega in dissertat. Philol. de Buccina edit. Lips.* & Latina simul tradit hoc modo: *Quid significat* Jobel? *Arietem* ---- *Traditur enim: dixit R. Akibha, cum in Arabiam iter facerem vocabant illi arietem* Jobla. Plures quoque opiniones in nostris ad *Sigon. annotatis* proferuntur *pag. m.* 214. 215. Arietem itaque somniant in voce יובל *Chaldæi*, *Hebræi*, *Latini*; vid. *Targ. in Jos. c.* VI. ℣. 3. *Aben-Ezra* & alii Rabb. in *Exod. c.* XIX. *Buxtorf. in Concord.* Verum huic arieti opponimus unum arietem: Quæcunque significatio derivati, nec cum significatione radicis convenit, nec in Biblico Codice probari potest, non debet inferri, atque adeo nec alteri, quæ & cum radice & locis in Biblico Codice convenit, in nexu & fluxu significationum præferri; Atqui significatio arietis in Jobel est talis, E. & per consequens nec fingi hic debent arietes, nec Metalepses. e. g. ab ariete ad cornu arietinum, ab hoc ad buccinam, inde ad annum Jubilæum. Objiciunt Rabbini & eos secutus *Buxtorf. in Exod.* XIX. 13. ℞. Absurdum est, Angelis cornua tribuere, & illas mirabiles buccinas angelicas, planeque Majestaticas, quas inflarunt ad gloriosam Dei manifestationem in Sinai, ex cornu Arietis fingere. Objiciunt cum illis *Chaldæi Jos.* VI. 3. ubi reddiderunt, *buccinas cornu Arietis*. Verum unde & hic probabunt, illas expugnatrices Jerichuntis buccinas fuisse arietinas, &, si fuerint, id hic exprimi voce יובלים debuisset? quare non, uti rectissime *Luth.*: die sieben Posaunen des Hall-Jahrs? buccinas Jubilæorum, seu quibus intimantur Jubilæi. Hanc quoque opinionem rejicit Anglus eruditus *Henry Ainsworth in Levit.* XXV. *fol. m.* 156. *edit. Londin.* quando in hæc prorumpit verba: *The Hebrew word signifieth neither* ram, *nor horn, but hath the name of carying, or leading-along*. Job. X. 19. *and* XXI. 32. *whereuppon juball a streame, or vvatercourse, that runneth along, and carieth things vvith it*. Jer. XVII. 8. *Es.* XLIV. 4. *And thus R. Menachem on Levit.* XXV. *and the Zohar, derive the name* Jobel, *from jubal a streame or watercourse*, hæc *Ainsworth*. Conf. *Fuller. Miscell. sac. lib.* IV. *c.* VIII. *fol. m.* 194. *Critic. Sacr. edit. Francof. Masius* Jobel & Latinum *Jubilum* a *Jubal* primo inventore Musices derivat, de qua vid. annot. ad *Carol. Sigon. lib.* III. *cap.* XV. *pag. m.* 215. alii aliter. Conf. *Rivet. cit. dissert.* §. 6. ubi plura. *Dieter. antiquit. bibl. fol.* 221. *Quensted. in antiquit. bibl. p.* 858. a *confluendi significatione* derivatum vult יובל; quem vide.

[16]. *Quilibet quinquagesimus.*) *Morinus Exercit. Bibl. pag.* 219. Jubilæum e radice in *Hiphil* הוביל *adduxit*, *reduxit*, in Scriptura admodum usitata, unde יובל *proventus* derivat, & censet annum quinquagesimum inde dictum *Jubilæum*, quod unicuique proventum hæreditatis suæ apportaret & unumquemque in hæreditatem reduceret. Quo in sensu sumsisse comperimus *Greg. Nazianz. Homil. de Pentecost. pag.* 262. & *Cyprian. de Spir. Sancto pag.* 437. Annorum septimanæ apud Hebræos quinquagesimum faciunt, quem Jubilæum appellant, in quo decreto legis fit terræ remissio & servorum libertas & restitutio possessionum, quas eatenus distractio alienaverat. Itemque *Ambros. Apolog. David. c.* VIII. *pag.* 384. In lege habes, quia Jubilæus dicitur numerus quinquaginta annorum recursus, celebrabilis admodum &c. Ipse autem Deus Jubilæum instituit, nam recensito anno Sabbatico, statim subjicit solennia festi Jubilæi, numeratis septem Sabbathis annorum, sive septem annis septem vicibus, hoc est anno quadragesimo nono & quidem die decimo mensis septimi, uti *Henry Ainsworth fol. m.* 156. annotavit, ita differens: *That was the seventh seven, the ordinaire Sabbath and yeere of rest, and the yeere follovving vvas the Jubile, even the fistieth, so two holy yeers came together. Thus the Hebrew canons declareit*: teste *Maimonide in* Jobel *cap.* x. *sect.* VII. cujus verba Anglice

glice tradita recenset citatus author hoc modo: *The yeere of Jubile commeth not in the count of the yeeres of the seven, but the nine and fourtieth yeere is the Release, and the fiftieth yeere the Jubile; and the one and fiftieth yeere beginneth the sixe yeeres of the seven (following) and so in every Jubile.* Et iterum *R. Menachem* on *Levit.* XXV. *The nine and fortieth yeere it self is the yeere of Release: and after it is the Jubile in the fiftieth yeere.* Ita *Chaldæus*: *septem Schmitæ* i. e. septies septem seu XLIX. anni, & post illos consecrandus *Annus quinquagesimus* & solenni buccina intimandus in Israel. Quæstio hic gemina contra sententiam *Pontan. Brit. in tract. de Period. Sabbathica* movenda. (1) An primus Jubilæus fuerit Sabbathicus. (2) An præcedens Jubilæus in Pentecoste sequentis Jubilæi sumatur inclusive, an exclusive? Si prius, supposita quæstionis prioris affirmativa & Jubilæo Pentecostali, omnis Jubilæus erit annus Sabbathicus. Si posterius, Jubilæus annus Sabbathico erit immediate proximus: Si Jubilæus sit quadragesimus nonus, & primus supponitur fuisse Sabbathicus: *Ibi*, omnis Jubilæus est annus Ante-Sabbathicus: *hic* rursus Jubilæus est Sabbathicus. Si primus Jubilæus non fuit Sabbathicus: sed quinquagesimus, idemque in Pentecoste Jubilæa secunda sumitur inclusive, rursus Jubilæus secundus erit, Sabbathico proximus: Si exclusive, Jubilæus erit centesimus, adeoque inter Sabbathicum & Jubilæum primo intercedit unus annus civilis, inde biennium & ultra: adeoque primaria objectio *Pontani* de concursu immediato duorum Sabbathicorum, & oritur inde ab annonæ caritate (quam tamen anni præcedentis divina benedictio & sponte natorum in Sabb. & Jubilæo communio minus & non nisi L. anno metuendam faciebat) non nisi ex hypothesi inclusive sumti Jubilæi procedit: illa sublata ruit. Urgemus textum expressum, quem *Lut.* optime: ihr solt das funfftzigste Jahr heiligen / item: das funfftzigste Jahr ist euer Erlaß-Jahr. Urgemus intimationem Jubilæi, quæ fiebat x. die anni quinguagesimi &c. Et concludimus anno quinquagesimo exclusive. Instat *Pontanus*. 1. complementum Jubilæi sunt XLIX. anni. E. buccina non intimat annum Jubilæum inchoandum, sed designat jam absolutum, sc. in quadragesimo nono. ℞. (1) Sicut complement. Pentecost. erant VII. hebdom. & tamen dies immediate sequens erat [illegible]. ita illo licet supposito, tamen annus quinquagesimus incipiens esset Jubilæus. (2) Falsum buccinam intimare Jubilæum jam absolutum. (3) Falsum XLIX. annum formaliter poni Jubilæi complementum. Ut igitur controversiam hanc penitus enucleemus, ad *cap.* VI. remittimus lectorem, ubi plura.

[17] *Mense Tisri.*) Jubilæi celebritas exordium sumsit ab anno veteri & Politico, cujus primus Mensis *Tisri* est. Vid. *D. Ægid. Strauch. dissert. de comput. Rabbin.* §. 8. *Varenii dissert. de Jubil.* §. 19. Tkupha erat vel *civilis* vel *sacra*. *Civilis*, quæ incipiebat a *Tisri*, cujus neomenia singulari buccinarum clangore intimabatur. *Sacra*, quæ incipiebat a mense *Nisan* seu *Martio*. Ex his constat, duplicem apud Judæos fuisse annum seu anni computationem, quarum una, quæ vulgaris & politica dicebatur, ideo, quia Judæi ea in rebus utebantur civilibus, incipiebat a mense תשרי, qui nostro potissimum respondet *Septembri*, quo mense mundi universi machina a Deo creditur creata; Altera, quæ appellatur Ecclesiastica, eo quod ejus usus solummodo conspiciebatur in rebus sacris & Ecclesiasticis, incipiebat a Mense Nisan, qui nostro respondet *Martio*, quo mense Israelitæ Ægyptum egressi, conf. *Buxtorf. Synagog. Judaic. c.* XII. *Joseph. lib.* I. *Antiquit. Judaic.* c. IV. *Selden. de anno Civili & Ecclesiast. edit. Londin.* Hinc *R. David Kimchi in* I. *Reg.* VIII. inquit: Antequam egrederentur Israelitæ ex Ægypto, *Thisri* fuit primus mensis, quia in Thisri creatus fuit mundus, postquam autem egressi sunt Israelitæ ex Ægypto in mense *Nisan*, ipse factus est initium mensium. Atque hinc factum, ut *Jubilæum* alii in *Nisan*, alii in *Thisri* collocarint. Interim tamen communi fere omnium sententia anni Jubilæi promulgatio collocatur & conjicitur in mensem *Thisri*, teste *Maimonide in Jobel cap.* XIII. *s.* 10. cujus verba refert *Henry Ainsworth fol. m.* 155. *in Levitic.* hoc modo: *It is commanded toblow with the trompet, in the tenth day of Tisri, that is September, in the yeere of Jubile.* i. e. *Præcepit Deus buccina clangere die* x. *mensis Tisri in anno Jubilæo.* Conf. *diatrib. de caus. & origin. Fest.* Johann. *Meyeri, edit. Amstel.* 1693. *pag. m.* 411.

[18] *Locati rursus in solido sunt.*) De agris & fundis clarum & manifestum est. Dubium autem relinquitur, an debita etiam remissa fuerint? quod negare videtur *Maimonid. in* Jobel. *cap.* XI. *sect.* XIX. quem citat sæpe laudatus *Ainsworth fol. m.* 156. his verbis: *The seventh yeere is above the* Jubile, *in that the seventh yeere releaseth debts of money, which the* Jubile *doth not.* i. e. *Sabbathicus præstat* Jubilæo, *quod Sabbathicus remittit debita*, Jobel *non remittit*. Verum simpliciter affirmamus, Jubilæum attulisse non tantum remissionem servitutum & bonorum alienatorum, sed etiam immunitatem ab obligatione debitoribus, sive gratuitam debitorum omnium remissionem. Hinc *D. Varenius ad Levit. p.*162. Ad vocem præconis, inquit, libertatem sonora buccina proclamantis, reddebatur unusquisque (sive debitor, sive servus) possessioni ac familiæ suæ, & sublata per συσάχθειαν inæqualitate, quam mala fortuna induxerat, restituebatur in integrum. Confer *D. Quensted. Antiquit. Bibl. pag. m.* 859. aliosque.

[19] *Omnibus servis*) Servi duplicis generis fuerunt apud Hebræos, vel *servus Israelita*, vel *servus Cananæus* seu *gentilis*. *Servus Israelita* duplici modo servus fit, vel quia *Synedrium* ipsum vendidit, vel quia vendidit seipsum. *Synedrium Israelitas* in servos vendit, quando furtum commiserunt, nec surreptum iterum per retributionem restituere valent; servos autem tales non nisi Israelitis vendunt, non autem gentilibus. Lex illa extat *Exod.* XXI. quam *Abarbanel* per paraphrasin ita exhibet: *Jus* servi Hebræi hic memorati, illius est, quem vendidit Magistratus, si nihil ipsi sit scil. ad pensandum id, quod furatus est, tunc vendetur pro furto suo. Hic enim est, qui servit sexennium, & ineunte anno septimo egreditur liber ex servitute sua, gratis vult dicere, ut non reluat hero suo emtionis pretium, quod pro ipso expendit, neque partem illius. (*Henry Ainsvvorth in Exod. fol. m.* 79. reddit: *Without money, or moneys-worth*) At enim qui a semetipso venditur, habet potestatem semetipsum vendendi in annos plures paucioresque, pro suo arbitrio, & propterea anno septimo non exit omnino, sed demum, cum completi fuerint anni ipsius, aut si in illos inciderit Jubilæus vel moriatur herus: nam tunc exibit in medio annorum suorum, &c. Confer *Maimonid. in Mischn. tract. de servis cap.* II. *sect.* II. III. De servo autem *Cananæo* & ancilla *Cananæa* dictum est *Levit.* XXV. servient omnibus diebus suis & hæreditario jure possidebitis eos cum filiis vestris. Ut igitur clariora hæc sint, operæ pretium esse duximus, expendere *subjectum*, *causam impulsivam*, *efficientem* & *effectum* ejus. Subjectum ratione originis sit *Hebræus*. Notandum autem quod עבר עברי ambiguum sit, ut observat *R. Salomon*, qui ambiguitatem explicatione tollit: *Utrum Servus qui est Hebræus? aut qui non est, sed servus Hebræi, servus Cananæus: quem accepisti ab Israelita? atqui de eo dicit, sex annos serviet. Quid autem confirmem illo*, (*Levit.* XXV.) *& hæreditario jure possidebitis eos*, (cum eadem queat afferri distinctio) *si a gentili acceperitis; sed si ab Israelita, exibit post sex annos. Doctrinæ mens est, si vendatur tibi frater tuus Hebræus.* Non igitur in עבר עברי est constructio duorum substantivorum, quorum posterius genitivo casu reddendum, *Servus Hebræi*, sed conjunctio substantivi & adjectivi, *Servus Hebræus*. Hebræus autem ille non est alius, quam Israelita. *Aben-Ezra*: *Ecce*, inquit, *in tota Scriptura non invenimus vocabulum Hebræus usurpatum, nisi de filiis* Jacobi. Est igitur ille de quo agimus gente Hebræus, natalium jure ejusdem cum hero dignitatis. Unde observat *Maimonid. tract. de servis cap.* I. *sect.* 9. cujus verba *Henry Ainsworth. fol. m.* 161. in *Levit.* XXV. adducit, in omnibus fere æqualem fuisse servum hero. Verba ita sonant: *Every Hebrew servant or handmaid their master is bound to make them equall to himself in meat, in drinke, in clothing in dwelling as it is said* (Deut. XV. 16.) *because he is wel with thee; so that thou maist not eate white bread, and eate browne bread; or thou drinke old wine, and he drincke new; or thou sleepe on a fetherbed, and he sleepe on straw &c.*

&c. Hæc ipſa verba adducit *Jacob Alting in diſſert. Academ. diſſert.* IV. *pag. m.* 216. *edit. Groning.* 1671. Servum Hebræum aut ancillam Hebræam tenetur herus ſibi æquare in cibo & potu, in ſtrato & domicilio; hinc dixerunt: quiſquis emit ſervum Hebræum, idem facit, ac ſi emeret ſibi ipſi herum; debet enim cum ipſo more fratrum agere, ſicut dicitur *Lev.* XXV. 46. & in fratres veſtros, filios Iſraelis. Nihilominus ſervum illum oportet ſemetipſum more ſervorum agere in illis miniſteriis, quæ ipſe hero ſuo præſtat. Nunc progredimur ad *Statum* ſeu *Conditionem*, ut ſcil. ſit *ſervus*. Duplici autem via Hebræus ſeu Iſraelita in ſervitutem redigebatur, *aliena* vel *propria voluntate*, teſte *Maimonide de Servis cap.* 1. Servus Hebræus, de quo Lex loquitur, eſt Iſraelita, quem vendiderunt Magiſtratus invitum, aut qui ſemetipſum vendidit ſua ſponte. Aliena voluntate venundatum ſic ibidem deſcribit: Fur cui nihil ſuppetit ad penſandam ſortem, Magiſtratus eum vendunt: Neque quiſquam reperitur, inter Iſraelitas, quem vendant Magiſtratus, præter ſolum furem. *Idem in tract. de furto cap.* III. ſcribit: Si fur nihil habeat, nec fundum nec mobilia bona, Magiſtratus vendunt eum, & pretium ejus dant pro damno. Vir venditur pro furto ſuo, ſed non mulier, &c. Ubi iterum duo examinanda veniunt: unum, quod neget, mulierem vendi ob furtum: Alterum, quod affirmet, neminem a Magiſtratu vendi niſi furem; quæ tamen aliter ſe habere videntur, quod pluribus ex Rabbinorum ſcriptis probavit prælaudatus *Jacob. Alting. l. c. pag. m.* 217. Propria voluntate venditio ad ſervitutem *biſariam* fiebat. Primo, ſi quis ſemetipſum vendat: de hoc modo *R. Maimonid. de ſervis cap.* 1. ſcribit: *Iſraelita, qui ſupra modum pauper eſt, poteſtas ei data eſt, ut ſeipſum vendat, quod dicitur Levit.* XXV. *Cum frater tuus attenuatus fuerit apud te, & vendatur tibi.* Addit cauſas venditionis: *Non eſt permiſſa venditio ſui ipſius, ut reponatur pecunia illa, aut ut emantur pro ea merces, vel ſuppellectilia, aut ut eam det ſuo creditori: ſed tantum ſi ea indigeat ad veſcendum: neque cuiquam licet ſeipſum vendere prius, quam nihil penitus ipſi ſuperſit, ne quidem tegumentum, & tunc demum vendet ſeipſum.* Conf. plurib. citat. *Alting. pag. m.* 220. Secundo ſi quis vendat filiam. *Maim. cap.* IV. ſcil. minorennem, puberem vero vendere non poteſt pater; vid. *Otthon. Lexicon. Rabbino-Philolog. pag. m.* 597. Quidam etiam *ſervi* erant, qui vocantur עברי מלוג *ſervi uſuarii*, nam ipſorum opera & officio Dominus quidem uti poterat, ipſi vero illos divendere non licuit, aut alienare. *Jevamot. fol.* 66. 1. Alii vocantur עברי צאן ברזל, quia maritus eos ſic ſuſcipiebat, ut ſi morerentur, ipſe teneretur certa pecuniæ ſumma in literis matrimonialibus deſignata, eos redimere, eamque uxori pro iis ſolvere, ita ut illi tanquam ferrum uxori integri manerent. Vid. *Bava Kama fol.* 89. 1. *Cl. Coccej. Sanhedr. fol.* 96. Ita etiam *Servi Regis*. *R. Salom. Gen.* XV. *Servi Sacerdotum*. *Ketubboth fol.* 57. 2.

[20] *Libertas data*) Viſis ſervorum generibus, eorum libertatem cognoſcemus, ubi merito quæritur, an omnibus his ſervis libertas data fuerit? *Dietericus in Antiquitatibus Biblicis* loco ſupra citato aſſerit; non omnibus libertatem conceſſam eſſe, excipitque ſervos, qui non ex Hebræis fuerunt. Erant etiam ſervi, quorum auris ſubula perforata ab hero fuit, in teſtimonium ſervitutis. Ritum hunc nobis prolixe deſcripſit *Jacob. Alting. in diſſert. philolog. de aurium perfoſſione p.* 255. *ſeq. edit. Groning.* & hi anno Sabbathico non liberari poterant, interim tamen Jubilæo. Opinionem itaque probare videtur ex Scriptura Sacra, ubi *Levit.* XXV. conſpicitur vocabulum לעולם *in ſeculum* & Anglus legit *for ever*, & *Henry Ainsvvorth. fol. m.* 162. *in Levit.* ita explicat: *they* and their *childern after them are bondmen*. Manet igitur Servus in conditione ſua priore, quam mutare fuiſſet integrum; & manet citra ſpem certam finiendæ unquam ſervitutis. De quo poſteriore ut conſtet, venit examinanda vox לעולם, qua terminus definitur. R. *Salomo* in hæc prorumpit verba: *Utrum uſque ad Jubilæum, an non, ſed in ſeculum ſimpliciter? Doctrinæ mens eſt.* *Levit.* XXV. 10. *Unuſquiſque ad familiam revertetur; indicat quinquaginta annos vocari* עולם *Seculum*. Neque tamen hoc vult, ut ei ſerviat totos 50. annos, ſed ſervit ei uſque ad Jubilæum, ſive propinquus ſive longinquus ſit. Verum huic aſſentiri non poſſumus. Nam (1.) quo teſtimonio conſtat, ſpatium 50. annorum dici עולם ſeculum: cum de vocis uſu controvertatur in textu? Deinde quid commune habet Jubilæus cum hac lege, quæ aliquandiu ante lata eſt, cum nulla adhuc eſſet annorum Sabbathicorum vel Jubilæorum notitia aut revelatio? Non *Aben-Ezræ*, qui dicit, vocabulum עולם ſignificare *tempus*, quia non exhaurit ejus ſignificationem. Nam tempus ſignificat, cujus uterque vel alteruter ſaltem terminus occultus eſt; ſic æternitas vocatur עולם *Pſalm.* 90. Ita etiam *finitum tempus*, cujus terminus in obſcuro eſt, uti *Kimchius in Lexico* illud Pſalmi 119. לעולם explicat per כל ימי חיי ubi terminus incertus. Quapropter ſervitus illius non definitum, ſed indefinitum terminum involvit, & complectitur vitam tam ſervi, quam heri, nam mors ſolvit ejus ſervitutem. Duas igitur cauſas ſolvendæ hujus ſervitutis agnoſcit, *Jubilæum* ſcil. & *mortem heri & ſervi*: uti pluribus ex *Rabbinis* docuit cit. *Alting. pag. m.* 230. 231. Concludimus ergo Servum, cujus auris ſubula perforata, non potuiſſe in libertatem aſſeri anno Sabbathico, attamen anno Jubilæo. vid. antiq. bibl. *D. Quenſtedii pag. m.* 857. *Servus Cananiticus* autem poteſt acquirere libertatem vel liber fieri בכסף argento, vel בשטר literis, ut quando Dominus ipſi ſcribit *libellum libertatis*, cujus ſumma eſt: Ecce jam tui juris es, Nihil mihi eſt tecum: vel decurtatione membrorum. Vid. *Ottonis Lexicon Rabbino-Philolog. pag. m.* 597.

[21] *Saturnalia*) *Varro* lib. V. de LL. dicit, Saturnalia nomen habere a *Saturno*, quod ei in menſe decembri, quo dies feſtus celebratur. Olim unus tantum Saturnaliorum dies feſtus erat, iſque communis cum Ope. Nam utraque *Opalia* & *Saturnalia* incidebant in diem XIV. *Kal. Jan.* quod teſtatur *Macrob. lib.* I. *c.* X. *p.* 195. Quo cognito illud *Suidæ* facile intelligimus: Saturnalia feſtum celebratum *Saturno* & *Matri* Deum. Sed *Varro lib.* V. *de LL.* videtur huic ſententiæ adverſari, qui ait: *Saturnalia* dicta a Saturno, quod eo die feriæ ejus, ut poſt tertium diem OPALIA Opis. *Pighius* hæc conciliat & dicit: quæ de communione dierum prædicta ſunt, pertinent ad Coss. tempora & priſcam Rempublicam. Poſtquam vero *Cæſar* Calendarium correxit, menſi *Decembri* duos adjecit dies. Itaque Saturnalia non amplius XIV. die, ſed a XVI. die menſis *Decembris* numerata fuiſſe: quam feſtorum correctionem, inſpexit *Varro*: ideo feſti diem ad faſtos *Cæſaris* aptavit. Unus ergo *Saturnaliorum* dies ad *Cæſarem* permanſit, qui duos alios adjecit, ut ita tres feriarum dies haberentur. Et hoc poſtea *Auguſti* legibus cautum fuit, ut triduum ſervarentur *Saturnalia*. Quis quartum addiderit diem? incertum eſt. *Lipſius lib.* I. *c.* III. *pag.* 487. *Saturnal.* Quintum diem adjecit *Caligula* teſte *Suetonio*, qui ait in *ejus vita c.* XVII. *pag.* 141. ut lætitiam publicam in perpetuum augeret, diem adiecit *Saturnalibus*, appellavitque JUVENALEM. *Dio Caſſ. lib.* LIX. Saturnalia per dies quinque celebrari juſſit. Et quamvis quintus dies poſt Caji cædem abolitus fuerit, reſtituit tamen eum *Claudius*, teſte eodem *Dione lib.* LX. *Saturnalibus* quintum diem a *Cajo* inſtitutum, poſteaque omiſſum reſtituit. Primus qui inſtituit *Saturnalia Tullus* fuit, nam cum in bello adverſus *Sabinos* diu æquo certaretur Marte, *Tullus* prætenſis ad cœlum manibus votum Diis fecit, ſi illo die *Sabinos* vinceret, *Saturno* & *Opi* ſolennes ſe inſtituturum ferias: quas *Romani* quotannis poſt collectas terræ fruges celebrare ſolent publice. In hoc feſto *Saturnaliorum* mos erat *Romanis* præbere ſervis convivium, ſic, ut ipſi Domini officia ſervorum ſubirent. *Dio Caſſ. lib.* LX. *pag.* 677. ait: Mos eſt Saturnalibus, ut id feſtum habitu Dominorum ſervi celebrent. *Athen. lib.* XIV. *pag.* 639. Et refert *Lipſius lib.* I. *c.* II. *pag.* 484. *Saturnal.* quod ſervi in iſto feſto uſurariam quandam libertatem habuerint, imo quodammodo iis jus datum fuerit ſupra ipſos Dominos, cum quibus mutabant ipſam veſtem. Saturnalibus habitum ſervilem ſumentes feſtive agunt. Et ita ad menſam ſedebant ſervi Dominis miniſtrantibus. Veſtis autem, quam ſumebant Servi, erat *Cænatoria*, quæ non geſtabatur publice extra domum. *Lipſius dict. loco pag.* 486. Quapropter narrat *Dio* in vita *Hadriani* tanquam rem novam, quod *Fronto* nobilis Orator *Turbonis* tribunal adierit

in

in Convivali veste. Deinde cessabat *Senatus*, neque convocari poterant Patres, neque judicia ulla peragi. *Sueton. in vit. August. c.* 32. *pag.* 57. ideo nec *Causidici* in forum ventitabant; *Martial. lib.* VII. *epigr.* XXVII. vid. *Rader. pag.* 506.

Sic fora mirentur: sic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores:
Otia dum medius præstat tibi parva December
Excipe, sed certa, quos legis, aure, jocos.

Porro in Conviviis sibi invicem mittebant munera. *Rosin. lib.* IV. *c.* XIV. *p.* 47. *Antiquit. Roman.* Saturnalibus crebra convivia agitabant, & mittebant sibi invicem tum alia munera, quæ Saturnalia dicebantur: tum etiam Cereos, vel eam ob causam, quod Saturnum luminibus accensis colerent, vel ut significarent, hoc Principe ab incomi & tenebrosa vita, quasi ad lucem & bonarum artium scientiam, editos esse. vid. *Lips. lib.* 1. *c.* V. *pag.* 488. *& seq. Saturnal.* Conf. *Joh. Meyer. diatrib. de festis pag. m.* 411.

CAPUT TERTIUM.

Amplius de duplici causa legis agrariæ dictum. Ex latifundiis quam crebræ mutationes rerum. De Romana republica. Lex Stlonis. Quibus artibus veteres Hebræi se sustentaverint. Quam caute legislator providerit, ne eæ desererentur. Leges divinæ de rusticatione & re pecuaria.

VERUM age, dicamus de legis agrariæ utilitate, quam Mosi propositam fuisse supra retuli. Sane quod e duobus prius esse dicebamus, interfuit reipublicæ, ne in possessiones optime positas divisasque paucorum avaritia irrumperet. Ferme enim egentiorem quemque ditior aliquis pretio expellit: atque is, dum rura in immensum spatiis supervacuis extendit, alios necessariis excludit. Ex qua causa incessere interdum rerum conversio solet. Ita enim est profecto: plena hostibus ea respublica est, in qua cives plurimi, possessionibus avitis nudati, priscas fortunas votis expetunt. Hi odio rerum suarum mutari omnia student, neque in ea conditione, cujus eos pœnitet, diutius quam necesse sit, manent. Ac Romæ quidem, cum primores patrum omnia ad se trahebant, prope ut singuli possiderent trecentorum civium agros, lege Stolonis cautum fuit, ne quis plus quingenta jugera haberet. Sed statim evagata rectum ordinem fraus est. Primus enim ipse Stolo sanctiones suas violavit damnatusque est, quod mille jugerum cum filio tenebat, quem ob hoc emancipaverat. Et postea, quam plurimi cives diversa arte callidi sententiam legis circumvenerunt. Aliis enim ad emendum agrum submissis, ipsi possederunt. Vidit isthæc, & stabilire legem conatus est C. Lælius, insigni sapientia vir & Africani Scipionis maximus amicus: sed impar adversantium factioni, cum in contentiones discordiasque iretur, ab incepto destitit. Ita in ævum erupit licentia, neque occupandi agros modus fuit. Ac tandem sane eo deventum est, ut pauci quidam totam Italiam vicinasque provincias, velut proprium patrimonium, tenerent. Hujus rei testimonia recitare, quæ plurima ubique extant, nihil nunc necesse est. Altera, quam attigimus, legis agrariæ ratio fuit, quod summus Moses relanguescere civium animos, eorumque remitti virtutem noluit. Etenim, cum de majoribus eorum illustrissimus quisque pastoritiam vitam vixisset, atque in agris versatus fuisset in aliquo opere faciundo, omnino omnium vitiorum atque incommodorum una cautio fuit atque una provisio, uti ne posteri aliquando ea studia desererent, quæ & multum homines locupletant, & principia habent eadem, quæ mundi sunt. Sane vero nimis cito deserta ea studia neglectaque fuissent, si lex omnia coemere omnibus, atque agros adjicere agris permisisset. Ita enim fit plerumque; qui tot pascua tamque latos fundos sine modo tenent, honestissimi laboris munia, aliis quæ committunt, obire ipsi fastidiunt: & ut plurimum, qui operam illis locant, peregrini ignotique coloni sunt, & mancipia ære empta. Ipsa plebs civium, aliena rura colere indocilis, ex agris intra muros correpit, urbanas res ut usurpet. Ibi in otium se transdit, corrumpiturque, & arte molli atque illiberali inertem vitam tuetur. Profecto, ex quo tempore Romani proceres, iique haud multi, sua rura fecere, quæ plurium fuerant, ingens rusticationis oblivio non cives modo, sed omnes liberos homines cepit: qui enim agri Curios, Fabriciosque & Catones viderant, vinctis fossoribus colebantur, & compedibus sonuere. Conqueritur Marcus Terentius Varro in libris de re rust. magnanimos Romuli nepotes *non in segetibus amplius & vinetis, sed in theatro & circo manus movere.* Jam enim falcem & aratrum reliquerant, qui olim *annum*, inquit, *ita diviserant, ut nonis modo diebus urbem adirent, reliquis ut rura colerent.* Ita descitum a majorum institutis est;

quæ

quæ dum ſervabant, utrumque ſunt conſecuti, ut & agros fœcundiſſimos haberent, & ipſi eſſent quam optime animati. His malis tantis talibuſque, quæ rempublicam, ceu quædam peſtes, invadunt, bene atque ſapienter obviam ivit conſultiſſimus rerum divinarum humanarumque Moſes, cum redemtionum privilegia, atque inſuper jura ſancivit Jubilæi. Non habuit autem ullam iniquitatis ſpeciem iſthæc lex; neque fraus [1] omnino fieri emtoribus potuit: ſervata enim profecto ſemper in agrorum venditionibus ratio Jubilæi fuit, &, ut ille propius longiuſve aberat, ita pretium dependebatur majus minuſve. Hoc illud eſt, quod in Levitico, capite XXV., dicitur: *Cum vendideris aliquid proximo tuo, aut cum emeris a proximo tuo, ne circumveniat alter alterum. Secundum numerum annorum a Jubilæo eme a proximo tuo, & ſecundum numerum annorum, quibus fruges provenerint, vendat ille tibi. Pro multitudine annorum auge pretium emtionis, & pro paucitate annorum minue pretium emtionis. Nam numerum proventuum ille vendit tibi. Ne igitur decipite alter alterum.* Quod ſi vero ante Jubilæum redimere fundos [2] ſuos dominus cuperet, pariter conſtitutum ſumma æquitate fuit, ut de pretio, quod reddendum erat, tantum retineretur, quantum e fructibus [3] emtor percepiſſet. Quibus quidem rebus plane effectum eſt, ne aut damnum ex poſſeſſionum reſtitutione quiſquam ſentiret, aut facile ex civium animis vetera ſtudia, honeſtiſſimæque artes exoleſcerent. Utique illud dubitari non poteſt, qui populus qualiſque fuerit, cui diſciplinam & inſtituta Moſes præſcripſit. Ex tot enim, quas tulit, legibus, cum pleræque ceremonias religioneſque & juſti injuſtique præcepta continerent, cæteræ, quæ ad facultates rerum copiaſque, atque ad ea opera pertinent, ex quibus aliquid acquiritur, omnes ejuſmodi ſunt, ut de ruſticatione aliquid ſingulare tradant. Quam ſollicite in Pentateucho docetur populus, quando requiem [4] terræ dare, & intermittere ſementem oporteat; quid in meſſibus, [5] inque vindemiis [6] ſervandum ſit; quo anno fructum capere ex vinea fas ſit! Ad hoc, qua ſeveritate interdicitur, ne diverſa ſemina [7] uni agro mandentur; tum ne admiſſura animantium [8] fiat, quæ diſparis generis ſint, neve eæ animantes ſub eodem jugo ſint? Cætera de fœtu pecudum, de primitiis [9] frugum omnium, deque decimis [10] earum, pene infinita ſunt. Eorum plenior tractatio in opere Talmudico eſt, & ſextam partem ejus, aut amplius, tenet. Complexus autem omnia Rabbi Maimonides eſt illo libro, quem זרעים appellat, in quo rerum occultarum mira ſecreta ſunt.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *Neque fraus*) In contractibus omnis fraus abſit, id quod Deus loco citato prohibet, dicens: Nemo defraudato fratrem ſuum; cui calculum addit *jus naturæ*, per quod æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri debere locupletiorem, has quoque condemnat Chriſtus ex *Republ. Jud. Luc.* VI. 35. Confer *Auguſt. Varen. Diſſ. Philol. de Jubilæo.* §. *m.* 32. Anglus reddidit, *not oppreſſe, or not vexe, not make a prey.* Ad quæ verba *Henry Ainsworth fol. m.* 157. in *Levit.* 25. *This Moſes here ſheweth to concerne both buyer and ſeller: ſo that if a man ſold too deare, the buyer was oppreſſed; and if a man bought a thing too cheape, the ſeller was oppreſſed.* Utraque pars fraude lædi poterat, & læſio hæc inſtar rapti habebatur. Conf. *Hottinger. de Jure Hebr. leg.* 237. *pag. m.* 354. *ſeq.*

[2] *Ante Jubilæum*) Jus redemturæ, etiam extra Jubilæum permittebatur, ſed habita ratione contractus & proportionis interuſurii, ſi venditori ſit לאל ידיו, at in Jubilæo plenarie, & vel δωρεάν. Audiamus Canonem Rabbinorum, quem *Henry Ainsworth ex Maimonid. in* Jobel. *cap.* XI. *ſect.* 9. 10. 12. *fol. m.* 157. *in Levit.* adducit his verbis: *Who ſo ſelleth his field, he cannot redeeme it till after two yeers, becauſe it is ſaid, according to the number of the yeeres of the revenues, be ſhall ſell unto the. Yea thoug he that bought it would conſent, yet he may not: till after two yeers from the ſale thereof. And the buyer muſt eat two revenues of two yeeres and afterward it may be redeemed. Therefore if the ſeventh yeere be one of the two yeeres, or if it be a yeere of blaſting or meldew, it is not reckned in the number. And if he buy it one yeere before the jubile, he eateth of it the ſecond yeere after the jubile, for it is written the yeeres of the revenues.*

[3] *Quantum è fructibus*) Rem ita explicabimus ex *Maimonide in* Jobel. *cap.* XI. *ſect.* 5. Decem ſint anni uſque ad Jubilæum, & aliquis venderet agrum, acciperetque pro illo ab emtore centum thaleros; & poſtquam emtor de fructibus biennium vel tres annos comediſſet, licebat venditori, ſi vellet, redimere agrum, tenebaturque ſolvere LXXX. vel LXX. thaleros, alterque tenetur reddere agrum. Sin vero ſex annos comediſſet de frugibus, reddebatur emtori XL. thaleros, & alter reſtituebat agrum. Sin vero non redimeret & emtori uſque ad Jubilæum relinqueret, tunc abſque pretio ad proprietarium redibat. Sic etiam de ſervo res habebat, teſte *Maimonid. de ſerv. cap.* II. *ſect.* 8. notanter, *ſine pretio*, dicitur. Ne igitur in univerſum inutiles eſſent proprietates, ſemper abſcedente uſufructu, placuit ſapientiſſimo Legislatori in Republ. Iſraelis uſumfructum longiſſimi temporis exſtingui in anno Jubilæo & ad proprietatem reverti, ut *ſacratiſſimi Juſtin.* verbis hoc quodammodo exprimamus ex *Inſtit. de Uſufr.* §. 2. & *l.* III. §. 2. *ff. de Uſufructu* & *quemadm.* quis utatur, fruatur: ſicut alias de jure Civili Uſusfructus privatus vel capit. diminutione vel morte Uſufructuarii & cum perſona exſtinguitur, ibidem *l.* I. *de ſervit.* vel ſi publicus, & vel municipio vel collegio, quod nunquam moritur, legatus, centum annis expirat per *l.* LVI. *ff. de Uſufr.* & *l.* VIII. *de Uſ.* & *Uſufr.* legato.

[4] *Requiem terræ dare*) *Levit.* XXV. ℣: 4. Ita *Exod.* XXIII. ℣. 11. mandat, ut terra requieſcat quolibet ſeptimo anno: Rabbinorum ſententias vide in Jure Hebræorum *Hottingeri pag. m.* 84. *edit. Tigur.* 1655. Pari modo refert cit. autor ex *Rabbinis* legem *pag. m.* 137. aſſerentem, quod anno ſeptimo agrorum cultura ſit intermittenda, verba hæc ſunt: Explicant de anno ſeptimo, de quo injunctum nobis eſt, ne quicquam in eo laboremus in cultura agri. Diſtinguunt autem Hebræi inter ea, quæ anno hoc ſeptimo ad cultum terræ conferre prohiben-

tur ex præſcripto legis, ut ſunt, *ſerere*, *putare*, *metere*, *vindemiare*; & inter reliqua, quæ Rabbinorum interdicto ſunt fugienda, ut *ſtercorare*, *fodere*, *arborum ſtolones amputare*, *vermes ſuppoſito fumo extinguere*. Vid. *Henry Ainsworth in Exod. cap.* XXIII. *fol. m.* 29. *Hottinger. jus Hebr. leg.* 69. *pag. m.* 86. Rationem Præcepti de anno intermiſſionis *Maimonid. Mor. Nevoch. par.* III. *cap.* XXXIX. proponit, affirmans, data eſſe illa præcepta propter miſericordiam erga homines omnes in univerſum illorumque reſpirationem, juxta illud *Exod.* XXIII. 11. *Levit.* XXV. 6. 7. & ut Terra ita deſerta & relicta tanto uberiores fructus proferat: Partim in ſpecie in gratiam ſervorum & pauperum, in remiſſione argenti & manumiſſione ſervorum: Partim ad conſervationem ſuſtentationis & victus hominum perpetuam &c. *Abarbanel in Leg. fol.* 268. 3. illam ejus rationem, ut terra uberiores fructus proferat, rejicit. Sic enim inquit: Si lex de eo fuiſſet ſollicita, quod vires terræ debilitentur, pro aſſidua agricultura, ideoque neceſſe foret, ut quieſceret, difficultas oritur, cur anno ſexto debuerit proventum dare in tres annos? qui ſunt annus ſeptimus Schemittæ & annus, qui eum ſequitur ex Jubilæo, & annus, qui eum excipit, qui ſunt tres anni. Si vero ratio *Maimonidis* procederet, Deus populum ſuum non multaſſet captivitate propter intermiſſionem annorum Sabbathicorum, ſed puniendus fuiſſet colens agrum, quod eſſet maledicta terra ejus propter ipſum. Ipſe ergo alios horum præceptorum fines oſtendit, quorum primum fluere dicit ex literali ſenſu verborum: Quoniam duo beneficia maxima mundo Deus conceſſit, primo *Creationem* totius univerſi, quo omni rei dedit naturam ſuam; ſecundo *legem divinam*, quam dedit populo, eo fine Deum Iſraelitis præcepiſſe, ait, ut facerent in cultura terræ & annis duo, quæ hoc in memoriam vocarent & ſignificarent. Primum eſſe *Schemitta* ſive intermiſſionem agrorum, quæ deſignet univerſorum creationem, quod ſex diebus Deus omnia creaverit & ſeptimo quieverit; ita & *Schemitta* in ordine terræ & culturæ oſtenderet Sabbathum Creationis. Hoc eſt quod dicitur *Levit.* xxv. 4. שבת שבתון שבת ל״ה Sabbathum ceſſationis eſt, Sabbathum Domino. Vocatur etiam Sabbathum terræ, quandoquidem requies anni denotat ſeptimum diem in opere Creationis, quia eo Deus quievit ab omni opere ſuo. Vid plur. *Joh. Meyer. diatrib. de feſt. pag. m.* 386. *Henry Ainsworth. in Levit. cap.* XXV. *fol. m.* 154. *edit. Londin.* Secundum in anno Jubilæo obſervandum. Vid. *Meyer.*

5 *In meſſibus*) Expreſſa lex habetur in Scriptura de meſſe, *Levit. c.* xix. ℣. 9. & *cap.* xxiii. 22. Ubi potiſſimum tria dona pauperibus relinquebantur de frugibus in agris, videlicet *ſpicilegium*, & *oblivioni datus manipulus* vel culmus, & *angulus agri*, docente *Maimonide in Hilcoth Mattenoth gnanijm cap.* 1. §. 7. & *Miſchn Terumoth c.* ix. §. 2. Conf. *Excell. Theodor. Daſſov. LL. OO. Prof. Celeberrim. in Diſſ. de rebus in agris derelictis. edit. Vitteb.* 1696. Cujus ductu ſpicilegium ita deſcribimus, quod fuerit id, quod tempore meſſis e falce exciderit, aut quod e manu laberetur, cum colligerentur ſpicæ, ſi ſcil. una vel duæ eſſent ſpicæ, ſi vero tres ſimul exciderent, ad patrem familias pertinebant. Quod autem cadebat poſt falcem, vel poſt manum, licet unica eſſet ſpica, non pertinebat ad ſpicilegium; Interim ſi quis ſpicas evelleret, & aliqua ex manu excideret, ad ſpicilegium referebatur, ut ſcribit *Maimonid. l. c. c.* iv. §. 1. *ſeqq. fol.* 79. *p.* 2. ubi varios ſimul attingit caſus; v. g. ſi ſpicilegium cum ſpicis patris familias commixtum eſſet, diſſipante ſpicas vento, de quolibet agro, in quo ſeminari corus poterat, pauperibus loco ſpicilegii dabantur cabi quatuor; plura videri poſſunt in diſſertat. Excell. Daſſovii, ubi §. 4. de manipulis oblivioni datis agit, & hanc materiam a citato §. *uſque ad* 22. §. erudite pertractat, §. 23. de culmo inter metendum non relicto, & §. 24. *ſeqq.* de angulo agri pauperibus relinquendo. Conf. *Othon. Lexic. Rabbin. Philolog. pag. m.* 21. *edit. Genev.* 1675. qui multis verbis de hoc ritu egit. ad quem B. Lectorem remittimus. Sic haud ineleganter Anglus doctiſſ. *Henry Ainsworth fol. m.* 109. in *Levit.* xix. ex *Maimonide* ſcribunt & *Hotting. de Jure Ebr. pag. m.* 344.

6 *Vindemiis*) De his agitur *Levit.* xix. ℣. 10. Vineam tuam ne racemato & deciduos acinos vineæ tuæ ne relegito, &c. Ubi Anglus vertit: *not gather the ſingle-grapes*, quod *Henry Ainsworth* ita explicat: *the grapes which grow ſingle, and not in cluſters, ſuch the owner of the vineyard might noth gather*, i. e. botros, quorum uvæ non compactæ erant, proprietarius vineæ colligere non poterat. *Gnoleloth* ſunt grana ſingula. *Eſ.* xxiv. 13. quæ differunt a *racemis Mich.* vii. 1. Hebræi legem hanc ita explicant: עוללות (*Oleloth*) parvi racemi, qui non craſſi nec compacti erant. & quorum uvæ non invicem ſeſe conjunctæ, ſed disjunctæ & ſingulæ. Vocanturque *Gnolel*, quia reſpectu aliorum racemorum, ut vir reſpectu infantis, (conf. *Eduard. Leigh Critic. Sac. edit. Francof. & Lipſ.* 1696. *pag.* 292.) & ſingula grana dicuntur עוללות. Statuunt ergo *Rabbini*, teſte *Hottingero de jur. Ebr. pag. m.* 345. quod relinquantur in vinea omnes uvæ minores, quibus neque eſt *Ketaph* neque *Netaph. Ketaph.* i. e. racemi aliis imminentes: *Netaph* vero totæ pendentes uvæ & declinantes. Atque ſic עוללות erunt uvæ parvæ, quæ in vineis ſæpe reperiuntur, lingua vernacula גטיכוש dictæ. Conf. *Maimonid. in Muttanoth gnan. c.* iv. *ſect.* xvii. *Henry Ainsworth in Levit.* xix. *fol. m.* 109. 110. qui prolixius rem tractavit. Et hæ ad pauperes pertinebant.

7 *Ne diverſa ſemina*) Iterum præceptum hoc legitur *capite* xix. *Levitic.* ℣. 19. Non ſerenda ſunt ſemina heterogenea uſpiam in terra Iſraelis. Vel aliter in ipſo textu: Ne duo diverſa ſeminum genera ſerantur, triticum videlicet & hordeum, aut faba aut lens pariter in terra Iſrael expreſſe. De quibus legantur *Maimonid. in Kelajim cap.* 1. *ſect.* 1. & *cap.* ii. *ſect.* 1. 12. 15. *Henry Ainsworth in Levit. cap.* xix. *fol. m.* 115. *Joh. Henric. Hotting. de jure Ebræor. lege* 250. *pag. m.* 376. 377. 378. *Johann. Spencer. de legib. Hebr. ritual. part.* 1. *lib.* ii. *c.* 18. *pag. m.* 379. *ſeq. edit. Hag. Comit.*

8 *Admiſſura animantium*) Quorum congreſſus non permittendus, *Levit.* xix. ℣. 19. Animal tuum non facies coire cum diverſi generis animali. Ratio præcepti eſt, ut omnia primo Creatoris ordini, quo perfectioni creaturæ conſultum voluit, correſpondeant. Ita *Rab. Levi* teſte *Hottingero* in *lib. de Jure Hebræorum edit. Tigur pag. m.* 374. Confer *Henry Ainsworth in Levit. fol. m.* 114. Canones de hoc præcepto ſequentes obſervandi ſunt: (1.) Non præciſe beſtia tantum hoc interdicto continetur, etiam fera & volucris. Qui heterogeneas eas commiſcet, vapulat. (2.) Ne quidem Judæis per Gentiles hanc violare licet legem. (3.) Fœtum tamen heterogeneorum nec uſu nec eſu interdictum, ſi ex beſtiis fuerint mundis. De reliquis conſulatur *Talmud. Maſſ. Kilaim*, *Maim. Hil. Kil.* c. viii. videantur etiam *Henry Ainsworth.* l. c. *Johan. Spencer. de legib. Hebr. Ritual. lib.* ii. *c.* XIX. *part.* 1.

9 *Primitiis*) Videatur de his Lex *Exod.* XXIII. ℣. 19. ubi mandatur, quod primitiæ ſint offerendæ, his verbis: *Primitias primitivorum adduces*. De primitiis offerendis & quibus ceremoniis illæ ſunt offerendæ, fuſe tractarunt *D. Quenſted. in Antiquit. Bibl. pag. m.* 241. 242. *& ſeq. Hottinger. de jure Ebræor. p. m.* 90. *Henry Ainsworth. in Exod.* & alii locis plurimis.

10 *Decimis*) De his videri poteſt Scriptura Sacra variis in locis. Confer. *Quenſted. in Antiquit. Bibl. pag. m.* 249. *ſeqq. Buxtorf. in Lexic. Rabbin. Talmud. Friſchmuth. in diſſert. de Decimis, Jenæ habita. Sixtin. Amama in Antibarb. Bibl. in princip. Spencerus pag.* 129. *&* 204. *Othon. Lexic. Rabbin. Philolog. pag. m.* 151. *ſeqq. Goodwin. Moſ. & Aaron.*

CAPUT QUARTUM.

In quas angustias Judæos septimus quisque annus detruserit. Alexandri Magni beneficium huic genti concessum ob quandam vaticinationem. Judæorum rara olim commercia cum exteris gentibus. Quanta in ignoratione rerum Judaicarum versati sint Græci. Aristotelis commentum de Callanis Indiæ sapientibus. Quibus rebus vita moresque civium immutentur. Qui cives optimi. Nullis artificiis Judæos celebres fuisse; idque in laude positum. De opificibus.

TALES leges, atque ejusmodi scita Hebræi acceperunt, qui res opesque omnes sitas in agris habebant. Ex illis vel abundantia eorum, vel egestas pependit. Cujus rei ego maxima documenta hæc habeo, quod quoties pecunias illis exteri reges imperaverunt, septimus quisque annus in angustum oppido omnes eorum copias coegit, pene ut pendere eas nequiverint. Erat enim edicto legis cautum, ne per illam tempestatem terra coleretur, neve quis fruges tunc colligeret, quæ omnis pecuniæ fundamentum erant. Alexander Macedo, cum Jerosolymæ ex Danielis libro didicisset dominationem Persarum olim Græco ab homine destruendam, lætus vaticinio, quasi ad se pertineret, Judæos petere ingens beneficium aliquod jussit. Ibi illi significavere, nihil sibi posse majus dari, quam uti ne rex septimi anni tributa exigeret: idque impetrarunt. Mox id Samaritanis, multa pro se cum dicerent, negatum est. Sed omnium eorum, quæ de hoc genere afferri possunt, nihil luculentius est, quam Apioni quod Flavius Apolog. I. respondet pro popularibus suis, cum inquit; Ἡμεῖς οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὔτε ἐμπορίαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς διὰ τούτων πρὸς ἄλλους ἐπιμιξίαις· ἀλλ᾽ εἰσὶν μὲν ἡμῶν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀνῳκισμέναι, χώραν δὲ ἀγαθὴν νεμόμενοι, ταύτην ἐκπονοῦμεν. *Nos neque terram habitamus, quæ mari vicina est, neque negotiationibus gaudemus, neque earum causa nobis consuetudo cum aliis gentibus est, sed sunt urbes quidem nostræ procul a mari sitæ: ipsi autem nos regionem bonam incolentes, hanc cum labore exercemus.* Enimvero, cum diversas gentes ita negotiatio sociaverit, ut quod gentium est usquam, id apud omnes natum esse videatur; soli Judæi intra terræ suæ fines, [1] iis contenti opibus, quas illic natura producebat, vitam procul commerciis [2] agitavere. Non enim maria transibant, neque exteros visebant, & ab his non visebantur. Ex quo illud contigit, ut multa de illis falsa prodiderint Græci, aliique. Perpaucis enim notæ res eorum erant. Unus Hecatæus comperta scripsit. Cæteri, ut fama quidque & auditione acceperant, ita literis celebraverunt. Quod quam periculosum in omni historia condenda sit, vel ex illo potest existimari, quod Ephorus, clarissimus olim scriptor, Iberiam, quam non viderat, unam esse urbem dixit, admodum medius fidius ridicule. Non enim civitas, sed magna Hesperii orbis pars erat, & multis habitata populis est. Portentosum est, & cum summa inscitia conjunctum, quod Aristoteles apud Clearchum autumavit, Judæos esse ab Indiæ sapientibus propagatos, sed nomen mutavisse: quippe philosophos illos, qui apud Indos Callani appellantur, in cava Syria Judæos dici. Pudet me anilitatis, adeo hoc nihil est. Sed quod additum ibidem ab Aristotele est, neque supra fidem videtur, & apprime gloriosum sacræ genti est. Venisse enim ad se, in Asia cum esset, Judæum quendam, ait tanta eruditione atque scientia hominem, ut præ illo omnes Græci, qui aderant, trunci esse & stipites viderentur. Utique hoc longe pluris est, quam de gentis origine quod imprudenter retulit, satius enim erat, non attigisse eam, propterea quod incognita alienigenæ erat. Ac mihi quidem sane Flavius etiam gloriari de Judæorum obscuritate videtur, cum in mediterraneis locis eos agere, & nullum aditum esse ad eos mercatoribus peregrinantibusque ait. Ita enim diutissime incorruptos mores servavere, nihilque rerum ad copiam & luxum [3] pertinentium illatum est, quibus perire potentissimi populi solent. Cætera vero sic subjicit idem Flavius; ut penitus superbire eum dicas: χώραν ἀγαθὴν νεμόμενοι, ταύτην ἐκπονοῦμεν, *terram fertilem habitamus, atque in cultura ejus operam sumimus*, quasi nihil majus esse meliusve possit. Recitat Aristoteles in libris Polit. edicta quædam ab antiquissimis legumlatoribus composita, quæ Mosaicis pene similia sunt. Nam Oxylus quidem, Eliorum rex, prædia agrosque vetuit ad mutuam pecuniam opponi: & Locrensibus interdictum fuit, ne avitas possessiones venderent. Quæ illuc pertinere maximus autor naturæ verique ait, uti ne populus cultionem agrorum desereret. Quare toties illud iterat in Politicorum libris, optimam esse rempublicam, cujus cives ex re rustica [4] atque ex pastione vivunt. Cujus rei hanc causam reddit, ὅτι πολιτεύονται κατὰ νόμους. ἔχουσι γὰρ ἐργαζόμενοι ζῆν. Οὐ δύνανται δὲ σχολάζειν. *Quia ex legibus seque resque suas*

 regunt:

regunt : habent enim ex opere ſuo quantum ſatis ad vivendum ſit . Et tamen eis otioſis eſſe non licet . Cæteras reſpublicas , quas opificum 5 & mechanicorum multitudo tenet, longe deteriores judicat , cum ignava eorum hominum deſeſque vita ſit , neque ullum opus eorum cum virtute congruat . Ex quo jam fit , uti intelligatur, vanum frigidumque eſſe, quod Judæis exprobrari vulgo Flavius ait , τὸ μὴ καινῶν εὑρετὰς ἔργων παρασχεῖν, *nullos in ea gente autores* 6 *novorum operum , artificiorumque exſtitiſſe* . Laus equidem Judæorum hæc maxima, non probrum eſt . Qui enim pulchrum eſſe poteſt ea inveniſſe, quæ exercere illiberale eſt ? Utique opifices omnes in ſordida arte verſantur : & bene eos Ariſtoteles ſervitutem quandam ſervire, ſed limitatam, ait , propterea quod manibus eorum atque opera non, ut mancipiorum , ad res omnes , ſed ad unam quandam utimur . Adeo nihil ingenuum officina habet : in qua hoc inſuper mali ineſt , quod corpus animumque virilem effœminat . Quare in rebuſpublicis olim recte conſtitutis, quod ſolertiſſimus magiſter ait , opifices civitate donati non ſunt, ſed peregrini 7 erant, & corpus veluti ſepoſitum a cæteris ordinibus fuere .

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

1 *Intra terræ ſuæ fines.*) Piaculum enim cenſebant *Ebræi* extra Palæſtinam vivere. Nam , teſte *Maimonide*, ſcitum illorum vulgare fuit : Qui peregre extra ſanctam terram degit , velut ſiderum planetarumque cultor habendus eſt ; neque erat , quod excuſaret eos ; niſi fames ſterilitaſque, aut id genus alia , ſolum vertere coegiſſent . Atque inde eſt, quod nullibi legantur Judæi exilio in ſontes animadvertiſſe, ne, dum ſceleribus debitas irrogarent pœnas, religionem proderent ſuam . Sane de Phœnicum in Africam Hiſpaniamque μετοικίας dubitare, nos non ſinunt tot hiſtorici : at illis comites ſe adjunxiſſe Ebræos, & nihilominus diſtinctam ab iis gentem manſiſſe , agnoviſſeque Salomonem ſuperiorem, unde quæſo probabitur? Fatalem illam διασπορὰν ſiquis mihi objiciat, aliam rem eſſe repono . De illo enim tempore loquimur , quo res Judæorum erant in ſtatu florentiore . Vid. *Dillher. diſſert. Tom.* 1. *pag. m.* 17. Eandem quoque opinionem fovet *Mr. Fleury in tract. Gall. Mœurs des Iſraelites pag. m.* 48. *Pour les Iſraelites leur terre ſuffiſoit pour les nourrir* . Verum haud probabile videtur, cum *Zabulon* prope mare habitaverit & de mercatura vixerit . Vid. *Gen.* XLIX. Ita etiam Salomo Rex claſſem exſtruxit & alienas regiones viſitavit .

2 *Procul commerciis* .) Mercatoribus nulla carere poteſt Reſpubl. ſiquidem αὐτάρκειαν ſuam obtinere velit . Nec enim terris omnibus Deus & natura largiuntur omnia , ſed quod uni dederunt, id alteri ſubtrahunt , qui defectus importatione rerum , quarum ſumus indigi , ſupplendus . *Virgil.* 1. *Georg.* Mercatura vinculum eſt arctiſſimæ communionis inter homines , & importantur ea, quæ neceſſaria ſunt Reipubl. Ob hanc & alias cauſas Deus ipſe commercia probavit *Lev.* XIX. *Prov.* XI. 15. Salomon ipſe ſuos habuit *Mercatores* . 3. *Reg.* X. & 2. *Par.* 1. Vix itaque *Cunæo* aſſentiri poſſumus, qui plane omnem mercaturam a populo Hebræo removet , cum tamen ex citatis exemplis conſtet contrarium .

3 *Et luxum* .) Quia merces invehunt damnoſas Mercatores , quæ non ſerviunt neceſſitati, ſed ad luxum, pompam, fucum, mollitiem & voluptatem faciunt , itaque non permittendi . Verum probandum adhuc , an non maximus luxus in populo Iſraelitico in uſu fuerit , cum Deus ſæpiſſime conqueratur de illo apud Prophetas? nullum itaque firmum argumentum , quo probare conatur , Ebræos nullam mercaturam exercuiſſe .

4 *Ex re ruſtica* .) Hic quæri poſſet, an agricolæ loco civium habendi? *Ariſtoteles lib.* VII. *Polit. c.* IX. negat his rationibus, (1) quia ipſorum vita ignobilis & virtuti contraria, (2) quia nihil habeant otii ad virtutem & parandam & exercendam . Virum oportet in bellis excellere , agros colere , eſt ſervile , ſcribit *Menand. apud Stob. contra agricultur.* Conf. *Heider. Polit. pag. m.* 246. Verum contrariis rationibus probatur, quod agricolæ cives ſint habendi . Nullum enim vitæ genus agricultura antiquius . *Varr. l.* III. *de Re ruſtic. cap.* 1. Adamus ipſe huic rei dedit operam , *Gen.* II. & omnes *Patriarchæ* . *Gen.* XIII. XXI. XXVI. Imo ipſi Reges : uti ex hiſtoriis conſtat . Nec aliquid ex omnibus rebus , quibus aliquid acquiritur, agricultura melius eſt , nihil uberius , nihil dulcius , nihil homine libero dignius . *Cicer. off. lib.* 1. ita literis tradit : Sine agricultura nulla Reſpubl. conſiſtere poteſt, niſi victus expertem nos agere poſſe vitam exiſtimemus . *Ariſtotel. lib.* 1. *Pol. c.* V. Virtutem animo confert, robur & valetudinem corpori, fortunis incrementum & certiſſimum & honeſtiſſimum . Vita ruſtica , quam nos agreſtem vocamus, parſimoniæ , diligentiæ , juſtitiæ magiſtra eſt . *Cato init. de re ruſtica* . Romani cum virum bonum laudabant, eum bonum agricolam & bonum colonum vocabant . Conf. *plur. Heider. Polit. pag. m.* 246.

5 *Opificum* .) Ariſtoteles hoc loco de opificibus diſſerens, quæſtionem inſtituit . An opifices deteriorem reddant Rempubl. nec ne? ubi dicimus, non ferendos libidinum & voluptatum miniſtros , uti ſunt , *unctores* , *dulciarii* , *cupedinarii*, nec qui artes faciunt leviculas & ridiculas, uti ſunt agyrtæ, funambuli, ſaltatores &c. Plerique tamen politicorum opificibus & maxime quidem ſordidioribus Magiſtratus negant eſſe delegandos . *Plato* ſuos cives Reipubl. curam vult agere & opificia omittere . *lib.* VIII. *de LL.* Apud *Scythas*, Perſas, & Lydos ignobiles habiti , qui opificibus dediti . *Herodot. l.* II. *Spartæ* ſordidiores artes *Helotæ* faciebant , non ipſi cives ex inſtituto Lycurgi . *Plut.* in *Lycurg. Numa* cives apud Romanos ab opificiis & artibus ſellaribus lege prohibebat, eaſque ſervis delegabat . Ratio in promtu, quia fieri non poteſt , ut parvis & vilibus rebus occupati ſublimes & generoſos ſpiritus concipiant . Conf. citat. *Heider. in polit. pag. m.* 244. Verum utut hæc proferat, attamen affirmamus, opifices a jure civitatis arcendos non eſſe. Vid. *pag.* 241. ubi rationes adducuntur .

6 *Nullos autores* .) *Schickardus* in מ"ה *pag. m.* 53. ſcribit , Judæos parum honorifice de cerdonibus ſentire, & *Joſephus* in laude *Judæis* poſitum eſſe judicat . Verum contrarium opponimus *Cunæo* , & dicimus , utique artifices inter Hebræos fuiſſe, teſtatur enim id *Syr.* XXIX. & ſimul cum genere humano inventas eſſe artes Mechanicas *Geneſ.* IV. Imo Deus ipſe *Exod.* XXXI. *Bezaleelem* implet ſapientia & intelligentia ac ſcientia in omni opere ad excogitandum , quicquid fabrefieri poteſt ex auro & argento, ære, marmore, gemmis & lignis diverſis . Chriſtus habuit patrem ſeu nutritorem *Joſephum*, qui faber erat materiarius . *Matth.* XIII. & quæ alia exempla ſunt . Nulla ſine horum opera ſtare poteſt Reſpubl. in qualibet enim civitate opus alimentis, armis , veſtimentis, omnique genere ſupellectilis & inſtrumentorum, quæ non niſi ab opificibus confici poſſunt . Conf. *Ariſtot. lib.* VII. *Polit. c.* IX. *lib.* 2. *offic. Cicer.*

7 *Peregrini* .) Falli hac in re *Cunæum* , ex *Joſepho* affirmantem, nullos fuiſſe opifices inter *Iſraelitas*, certo conſtat, & hanc ſententiam refellit Gallus *Mr. Fleury* in tractatu, quem inſcripſit *Mœurs des Iſraelites pag. m.* 48. *edit.* Hag. 1683. cujus verba huc adſcribere non pigebit : *Ce n'eſt pas que les arts ne fuſſent inventez ; la plus part ſont plus anciens que le deluge : & il paroit que les Iſraelites ne manquoient pas d'excellens ouvriers, au moins du tems de Moyſe. Beſeleel & Ooliab qui firent le Tabernacle , & tout*

ce

ce qui etoit necessaire pour la service de Dieu, en sont un illustre exemple &c. Et *pag. m.* 52. hoc profert: *Il est certain que David laissa dans son Royaume un grand nombre d'artisans de toutes sortes: entr'autres des massons, des charpentiers, des forgerons, des orsevers;* (1. Par. XXII. 15.) *c'est à dire, de tous les ouvriers qui travaillent sur la pierre, les bois & les metaux. Et afin que l'on ne croie pas, que ce fussent des ETRANGERS, il est dit ailleurs.* (1.Reg. v. 13.) *que Salomon choisit de tout Israel trente mille ouvriers &c.* Ex his sane clarum, quod opifices non peregrini fuerint. Imo Hebræi ipsi hoc testantur, quod opificium sit discendum. *Tosapht.* in *Kiddusсhim cap.* 1. Patri incumbit circumcidere filium, redimere eum, docere eum legem & aliquod opificium: R. Judah dicit, quicunque filium suum non docet aliquod opificium, est ac si doceret eum latrocinium. De opificiis plura habentur in *Kiddusсhim cap. IV. in* ♈. 11. hoc dicitur: *R. Meir* dicit, det semper homo operam, ut doceat filium suum artem honestam. Conf. *Othon. Lexic. Rabbin-Philolog. pag. m.* 434.

CAPUT QUINTUM.

Ægyptiorum odium in Hebræos, & vera causa ejus. Ægyptii ignavis artibus curisque dediti. Qua solertia Sesostris eviraverit civium animos. Lex Ægyptiorum de opificum artibus ad hæredes cujusque transmittendis. De Niliaca plebe, quæ in servitute. De sacerdotibus. De pastoribus, qui tertia Ægyptiorum pars, & quam formidati cæteris Ægyptiis semper fuerint. Superstitionem Ægyptiorum nihil fecisse ad pastoritii generis odium: & male id existimari. Plebem Ægyptiam non ita agricolas execratam fuisse, ut pastores. Et causa ejus rei.

EQUIDEM illud etiam animadverto, in expedito jam esse, cur invisi semper Ægyptiis Judæi fuerint, non cum Ægyptum modo hospites incolerent, sed postea quoque, cum suas sibi sedes, atque propriam rempublicam haberent in propinqua Palæstina, quam terram a meridie Ægypto terminari, Cornelius Tacitus refert. Enimvero id odium nulla adeo ex re magis fuit, quam ex vitæ studiorumque dissimilitudine. [1] Omnis enim Ægyptiorum plebs sellulariis artibus [2] dedita, sub umbra urbium intra mœnia desidebat. Nec deerant, qui officia virilis sexus perverterent, & lanam etiam telamque tractarent. [3] Atque erant quidem illi suopte ingenio satis ad mollitiem proclives: sed auxit malum postea enervavitque porro eorum animos Sesostris rex, qui id studio sibi habuit, solertiamque & consilia, ut ipsi Ægyptii perhibent, a Mercurio didicit. Accessit lex quoque, quæ modum ingeniis finesque poneret. Nulli enim opifici aliam artem exercere, nisi paternam [5] licuit. Juvenalis quidem, cum Crispinum, hominem malis artibus & gratia Cæsaris ad summa provectum, verberare grandi convitio vult, *partem Niliacæ plebis* illum, & *vernam Canopi* appellat. Ita enim existimatum est, sacerdotes illic liberos esse, opifices vero, qui vulgus erant, servire. Sed ab illo vulgo tamen multum diversa fuit tertia quædam populi pars, quæ seorsim in campestribus Ægypti, ac prope paludes degebat: ii pastores fuere, [6] actuosi illi quidem gnavique, sed cunctis Ægyptiis execrabiles, propterea quod ignaviam eorum semper sollicitam tenebant. Sæpe enim ingentes motus dabant, atque interdum etiam reges sibi crearunt. Quare Romani postea, cum reliquam Ægyptum facile in fide retinerent, præsidium validius in illis locis ponere, ubi id hominum genus erat, coacti sunt. Cum omnia ratione animoque lustraris, hæc una res ab omni ævo pastoribus infestos Ægyptios fecit, quod vires eorum [7] vegetosque & acres spiritus homines sedentarii opificesque non ferrent. Ipse Pharao, cum crescentem Israelitarum multitudinem contundere atque deprimere constituisset, tali usus oratione ad suos est: *Israelitæ robustiores nobis sunt: quare adeste, callido consilio illud agamus, ne augescant, neve orto bello hostibus se nostris jungant, aut ipsi arma in nos capessant.* Id ego rectum verumque existimo. Neque enim illis hercle assentior, qui causam publici odii ex superstitione arcessunt, quasi scilicet Hebræos homines, pecudum armentorumque pastores, ferre ea natio nequiverit, cujus pars hæc oves, illa capras, alia alias quadrupedes mactare verita est, queis inesse quiddam divinum credebatur. Sed ea ratio mire improbabilis est. Quid enim respondebunt profecto, cum aut ex Pentateucho discent, Pharaonem immanes pecudum greges habuisse, [8] aut cum tot proferri historiarum monumenta videbunt, ex quibus constat, magnam Ægyptiorum partem, quod jam diximus, in pascuis atque inter pecora vixisse? & tamen celebre illud in sacro codice est, *Omne pastoritium genus Ægyptii horrescunt.* De agricolis non idem proditum est: neque poterat hercle eorum virtus formidari, aut invisa esse, quæ prorsus nulla erat. Omnes enim spes inertissimi mortales

tales non in manibus ſuis, neque in ruſticationis induſtria, ſed in Nilo poſuere. [9] Alebat augebatque ſegetes exundans amnis, neque fertilitatem modo terrarum, ſed ipſas dabat: quippe multo limo turbidus fluens novos agros ſubinde appoſuit prioribus, atque Ægyptum annuo incremento ſemper ultra tulit. Ita miratus opes ſuas arvaque recens nata colonus eſt, quæ ſine labore, & inopinanti obvenerant.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *Quam ex vitæ ſtudiorumque diſſimilitudine.*) Hujus opinionis quoque eſt *Spencerus de legib. Hebr. Ritual. part.* II. *lib.* III. *pag. m.* 17. *edit. Hag-Comit.* Ex quo *Hermannus Witſius Theolog. & Philolog. celeberrimus in ſuis Ægyptiacis lib.* I. *c.* X. *pag. m.* 51. 52. *edit. Amſtel.* 1683. ſequentia retulit, quorum argumenta hæc ſunt. (1) Cauſam odii fuiſſe gentis Ægyptiacæ *genium* a moribus petitum. Nimirum Ægyptii ea antiquitatis, ſapientiæ & religionis ſuæ opinione intumuere, ut gentes alias, quaſi mera hominum nomina & umbras, ingenti cum faſtidio deſpicerent. Imo vero abſurdum aliorum omnium faſtidium gentem illam ita tandem tranſverſam egerat, ut exterum aliquem communi ſecum menſa accipere, aut ulla morum rituumque ſocietate generi humano conjungi nomine & natalibus ſuis indignum duxerit. Hujus vanitatis gratia ſale comico aſperguntur ab Anaxandride apud *Athenæum lib.* VII. *Deipnoſop.* XIII. qui eos ita alloquitur.

Vobiſcum ego militare nequeo:
Nec concordes mores noſtri ſunt,
Nec leges, ſed ab invicem diſſident plurimum.
Tu bovem adoras: ego illum Diis ſacrifico:
Maximum eſſe Numen anguillam putas,
Obſonium vero nos multo lautiſſimum &c.

Inprimis autem in *Hebræos Ægyptii* omnes odio capitali & hæreditario exarſerunt: quos ut mancipia pridem ſua habuerunt. Id ipſe teſtatur *Joſeph contr. Apion. lib.* I. & odii rationes prudenter ediſſerit. *Quas multas*, inquit, pariter habuerunt: Principio quidem, quia in illorum regione noſtri progenitores potentes effecti ſunt. Deinde ſacrorum diverſitas multas inter ipſos fecit inimicitias. Ita plerumque illos contemtim habemus, a quibus moribus longe recedimus. Aſt hæ rationes vix ſufficiunt, ut Judæos Ægyptii abominationes quaſi habuerint: de vera itaque cauſa paulo poſt agetur.

[2] *Sellulariis artibus.*) Hoc argumentum iterum labili nititur fundamento, nec cauſa odii eſſe poteſt, cum contrarium potius affirmari poſſit, Ægyptios militiæ operam dediſſe, licet non omnes. Hinc *Seſoſtrim* non tantum res bello clariſſimas geſſiſſe, ſed etiam militari ordini leges inſtituiſſe, omniaque ad militiam pertinentia pulcherrime diſpoſuiſſe, ſcribit *Diodor. Sicul. lib.* I. *pag.* 59. Ita *Herodot. lib.* II. *cap.* CLXIV. Ægyptios in VII. genera diſtinguit, Sacerdotes & Milites, qui loco primi habentur: Inferioris longe conditionis ſunt Βυβῶται, Συβῶται, Κάπηλοι, Ἑρμηνέες, Κυβερνῆται a ſuis artificiis dicti. Confer huc *Marsham I. Can. Chron. pag. m.* 390. *edit. Lipſ.* Et quod opinionem noſtram confirmat, Ægyptiis contemtui habiti artifices & a militia excluſi. Vid. *pag.* 390. *cit.* autoris.

[3]. *Lanam etiam telamque tractarent.*) Intelligitur *byſſi* textura, quæ in Ægypto conficiebatur ex lini optimi genere, quod deſcribit *Schindlerus in Lexico* hoc modo: *Byſſus* genus lini optimi, tenuiſſimi, molliſſimi, candidiſſimi: quod tantum in Ægypto, præſertim circa oppidum Sombat, ſeritur ac copioſe provenit, indeque per totum orbem diſtrahitur, & ex eo veſtes conficiuntur. Vide de hoc *Martin. Lexic. Philolog. fol. m.* 211. *Cæl. Rhodig. antiq. Lect. lib.* XII. *c.* XXXI. vocatur etiam *Xylinum*, teſte Salmuth *ad Panciroll.* Linum præſtans & ſubtile producebat Ægyptus, teſte *Plin. l.* XIX. *c.* I. e quo telæ tenuiſſimæ conficiebantur. Conf. *Dieter. Antiquit. fol. m.* 588. Hinc funis Ægypti *Proverb. c.* VII. 16. denotat lintea Ægyptiaca, aut byſſina tapetia acu picta, nam claruit Ægyptus elegantiſſimis tapetibus & textilibus, quæ erant ſubtiliſſima, quorum inventionem deberi Ægyptiis, *Plinius lib.* VII. c. LVI. autor eſt. *Lucanus lib.* X. ℣. 140.

Candida Sidonio perlucent pectora filo
Quod Nilotis acus compreſſum pectine Serum
Solvit & extenſo laxavit ſtamina velo.

Sic *Martiali epigr.* VI. *lib.* X. ℣. 7. tunica Nilotis eſt tunica acu picta ab Ægyptiis, ut obſervat 30. *Adverſ. Turneb.*

Quando eques & picti tunica Nilotide Mauri.

Pari modo *Ezechiel. c.* XXVII. 5. Byſſum variam vocat, ubi Ebræum Arias Montanus ficto vocabulo vertit byſſum de racematione, quod ut plenius capias רקם eſt acupictor, qui acu veſtes intexit, quia varias formas & figuras multis coloribus effigiare novit in tapeto; cujus artificii gnari præ aliis gentibus fuere Ægyptii: unde ſimul cum arte derivatam vocem מנור conjectant, qui Ægyptiis texendi gloriam tribuunt, quam una cum hoc nomine in terram promiſſam ſecum Iſraelitas attuliſſe notat ad *Pagninum Mercerus col.* 1419. Conf. *Dieter. antiq. bibl. fol. m.* 589.

[4] *Seſoſtris Rex*) De hoc Rege contra probatorum authorum ſententias falſa prodit *Cunæus*, quod ſcil. mollitie enervaverit populum Ægyptiacum, cum tamen, teſte *Diodoro Siculo*, pueros in omnibus exercitiis inſtituerit militaribus; imo teſte eodem *p.* 35. *l.* I. viros elegerit quoſque viribus præſtantes & exercitum conſcripſerit: de quo fuſe tractavit *Marsham. in Can. Chron. p. m.* 371. 372. *ſeq.*

[5] *Niſi paternam*) Neque militibus ſolum, ſed etiam Artificibus vetitum eſt, paternum vitæ inſtitutum deſerere, teſte *Schol. Apol. Rhodii.* cui calculum addit *Herodot. l.* II. *c.* CLXV. ita ſcribens: Ex his *Hermotybies*, cum plurimi ſint, horum nemo quæſtuarii opificii quippiam didicit, ſed omnes rei militari vacant. Et *lib.* II. *c.* CLXVI. Calaſyriis fas non eſt, artificio ulli operam dare, ſed ſolum rei militari vacare, filio a patre diſcente. Dicæarchus dicit Seſonchoſidem (Seſoſtrim) leges dediſſe, neminem paternam artem relinquere. In hoc etiam cum Ægyptiis congruunt *Lacedæmonii*, teſte *Herod. lib.* VI. *c.* LX. eorum præcones, tibicines & coqui in paterna artificia ſuccedunt, & coquus e coquo, tibicen ex tibicine, præco ex præcone gignitur, neque propter vocalitatem ulli aliis inſidiantes, ſeipſos ingerunt, ſed in paterno opere perſeverant.

[6] *Ii paſtores fuere*) Paſtorum horum meminit Marshamius in *Can. Chronic. variis in locis pag. m.* 102. 138. 323. *edit. Lipſ.* & celeberrimus *Witſius p. m.* 209. *in Ægyptiac.* in hæc prorumpit verba: Deinde Regum quibuſdam nominibus interjectis, narrat *Joſephus*, gentem iſtam vocatam eſſe HYCSOS, hoc eſt, Reges Paſtores. *Hyc* enim ſecundum ſacram linguam *Regem* ſignificat; *Sos* vero *paſtorem* ſive *paſtores*, ſecundum communem dialectum: & ita compoſitum invenitur HYCSOS. Quidam vero dicunt, eos Arabas eſſe. Addit *Joſephus*: in aliis autem exemplaribus non Reges ſignificari comperi per appellationem HYC, ſed e diverſo captivos declarari paſtores. HYC enim Ægyptiaca lingua & hac, quando denſo ſono profertur, captivos aperte ſignificat: & hoc potius veriſimile mihi videtur, & hiſtoriæ antiquæ conveniens. Hinc viri docti, tanquam de Hebræis dicta magno conſenſu acceperunt: *Manethonem* quidem vel ignorantiæ vel falſi poſtulantes, quod multis quidem veritatem obſcuraverit. Et profecto multa ſunt, quæ opinionem iſtam reddunt probabi-

babilem. Ait, *pastores* quosdam extraneos e partibus Orientalibus in Ægyptum sese contulisse. At *Ebræi* extranei Ægyptiis erant & pastoritiam agebant vitam, jam inde ab Abrahamo: plura qui legere cupit, evolvat *Witsium c. l. pag. 212. seq.*

7 *Quod vires eorum &c.*) Ita *Cunæus* noster, vir alias judicii profundi & doctrinæ secretioris, teste *Ph. Carol. diss. de sceptr. Jud.* Sed nobis eorum ratio mire probabilis, imo certa est, qui causam hujus odii & aversationis ex Ægyptiorum mira superstitione deducunt, sicut ex collatione *Gen.* XLIII. ℣. 32. (ubi eadem vox emphatica *Toabhah* habetur) cum *Exod.* VIII. 26. satis clare patescit, gentem illam superstitiosissimam abhorruisse ab iis, qui bobus aut aliis animantibus, quæ ipsi pro Diis colebant, indiscriminatim vescebantur; aut ea more suo sacrificabant, uti Israelitæ fecerunt. *Onkelos* παραφράζει hunc locum: *Non possunt Ægyptii comedere cum Hebræis panem, eo quod pecus, quod Ægyptii colunt, Ebræi comedunt*, Et ℣. 26. *c.* VIII. *Exod.* Non convenit ita facere, eo quod jumentum, quod Ægyptii colunt, tollamus ad sacrificandum coram Deo nostro. Ecce, sacrificabimus pecudem Ægyptiorum, quam ipsi colunt, ipsis videntibus; an non jubebunt lapidari nos? *R. Salom. Jarchi* eandem notat causam exinde, quod pecora his Dii erant. Confer huc *Johann. Saubert. Palæstram Theolog. Philolog. edit. Altdorff.* 1678. *p. m.* 195. ita *Onkelos* per abominationem Ægyptiorum disertis verbis Deos eorundem intelligit. Vid. *c. l. pag.* 193. Notanter hic abominationes appellantur, teste *Henry Ainsworth. comment. in Exod.* VIII. *fol. m.* 26. *Because the Scripture often calleth the Gods and services of the heathens abominations. Deut.* XII. 25. & XII. 30. 2. *Reg.* XXIII. *Es.* XLIV. 19. Plura collegerunt de his superstitionibus *Dieter. in antiquit. Bibl. fol. m.* 136. 137. *Henry Ainsworth. l. c. Johannes Saubert. in Palæstra Theolog. Philolog. a pag.* 190. *ad* 196. *Beyer. in annot. ad Selden. de Diis Syris* aliique. Ne igitur actum agamus, remittimus Lectores ad citatos authores.

8 *Pharaonem pecudum greges habuisse*) Novum hic scrupulum movet *Cunæus*, asserens, qui fieri potuisset, ut ob hanc causam Hebræi Ægyptiis odiosi, quod pastores ovium fuerint, cum & ipsi immanes pecudum greges habuerint? Verum respondetur, quod non omnes pastores fuerint βδέλυγμα ipsis: id quod manifestum est ex *capit.* XLVII. 6. *Genes.* Ubi *Pharao* ad *Josephum*: Quod si nosti inter eos esse viros industrios, constitue eos שרי מקנה i. e. Principes peculii mei, quod *Onkelos* reddidit: Si nosti inter eos esse viros robustos, constituas eos principes pecorum, quæ mihi sunt. His assensum præbet Anglus ita scribens: *if thou knowest, that there be among them, men of activitie, or of ability, power, prowesse; it implieth as well fit nesse of mind as body, and so prudence, diligence, valour &c. then appoint thou them rulers of cattel over these which i have.* Vocat *rulers or masters*, & intelligit per *over these* aut *greges*, uti *Græcus* vult, aut *pastores*, quos jam habebat. Unde lapsus esse videtur *Josephus lib.* II. *Antiq. Judaic. c.* IV. qui scribit: *Ægyptiis* non fuisse licitum, greges aut pascua curare; sed ut annotat *Cornel. a Lapide in h. l.* Alebant *Ægyptii* oves & boves. (1.) ad lanam & lac, (2.) ad suam oblectationem, (3.) ad stercorationem agrorum, addimus etiam *quartum*, ad cultum. Reges quoque ipsorum initio fuisse *Pastores* nuncupatos, incerta traditio est: exin quod in S. Scriptura legatur, *Joseph* & fratres ejus in *Ægyptum* descendisse in principio pastorum, apud *Cœli. Rhodigin. lib.* XVI. *Lect. antiq. c.* III. *pag.* 719. Notanter dicimus: Abhorruisse *Ægyptios* ab iis, qui animalibus indiscriminatim vescebantur; nam & ipsi, teste *Johanne Sauberto l. c. pag.* 194. iis vescebantur, sed ita, ut certas eorum partes illibatas sanctasque servarent custodirentque, maxime qui rudi plebe erant generosiores. Conf. *Dieter. antiquit. Bibl. fol. m.* 136. *Saubert. pag.* 195. *Sext. Pyrrhonic. lib.* III. *hypotypos.*

9 *In Nilo posuere*) In Scripturis fluvius hic non uno nomine vocitatur. Communis appellatio est נחל fluvius מצרים Ægypti. Sic *Genes.* XV. 18. capiunt *R. Salomon.* & *R. Kimchi*. Quid si a נחל sit *Neel* contracte *Nel* & inde Νεῖλος? certe Nili fons in *Æthiopia Nuchul* appellatur, teste *Malach.* III. *c.* X. A Græco fonte deduxit *Heliodor. l.* IX: *pag.* 444. festive, sed frustra. Alterum nomen specialius est שיחור *Sichor*. a natura rei dicitur *Nilus*, quia est nigricans & turbidus, a שחר nigrescere, nigrum esse, vel quia inundatione oblimans & fœcundans agros, turbidas aquas secum vehat terris superfusurus: qua ratione sine dubio motus Vetus interpres de Nilo intellexit, sicut & eundem *Jer.* XVIII. per aquam turbidam intellexisse Nili aquam IX. *Observat.* XVIII. *Drusius* conjectat, quod & Pagninus habet. Sed mittimus etymologiam, quam fuse nobis exhibet *Dietericus in antiquit. Bibl. fol. m.* 593. qui videndus, & progredimur ad ejus operationes. Nilus quotannis terram renovat, effœtam terram nova fertilitate donat & pinguem facit. Mirum enim est, quod Nilus siccissimo tempore totam Ægyptum inundet, & dum in planitie Ægypti omnia solis ardore torreantur, flumini aqua subministretur. Ab illa anniversaria Nili inundatione non solum conjecerunt anni exordium Ægyptii & Israelitæ, verum etiam, cum ob agrorum terminos & limites confusos mensurari necesse esset agros, inde natam primum Geometriam volunt. Pari ratione inundatione *Nili* messis proveniebat. Dum enim per inundationem nimis effueret, damnificabat terræ culturas & fiebat caristia in Ægypto, dicente *Johanne de Mandevile c.* IX. Hinc certam mensuram observabant graduum, ad quos fluvii æstus solebant pertingere, nunc altius, nunc inferius & exinde anni ubertatem, aut sterilitatem conjiciebant, teste *Strabon l.* XVII. *Geograph.* Plura qui desiderat de fertilitate, quam *Nilus* profert, ita ut frumentis abundet Ægyptus, evolvat, quæso, *Dieter. Antiquit. Bibl. fol. m.* 596. 597. ubi plurima lectu dignissima habebit, quæ huc annotare supersedemus.

CAPUT SEXTUM.

Quando Jubilæi desierint celebrari. Cur illorum habitam esse rationem in annis sabbathicis numerandis dixerit Maimonides. Rejecta Maimonidæ opinio.

De Ægyptiis, quo ingenio fuerint, & quantum a vicinis Judæis discrepuerint, dictum satis est. Nunc a diverticulo redeundum est ad Jubilæum, de quo agere cœperamus. Intelligendum est igitur, cum lata a Mose lex agraria de possessionum restitutione sit, observatam eam summa religione fuisse usque ad sanctuarii prioris desolationem, quæ facta per Assyrios [1] est. Exin deserta incultaque Palæstina jacuit per annos septuaginta: id quod prædictum a vatibus erat. Postquam autem longa dies fatalem illum temporis orbem perfecerat, redierunt quidem in sedes suas Judæi, extructumque templum [2] de integro est, sed nunquam postea revocata lex agraria fuit, neque celebrata amplius Jubilæorum solennia sunt. Quare nec mancipiis libertatem am-

amplius jam dedit annus quiſque quinquageſimus, neque dominis reddidit amiſſas venditaſque poſſeſſiones. Hæc ſolerter animadverſa & notata a Talmudiſtis ſunt, & permultum momenti habent. Sed omnino implicatam habere atque involutam rationem videtur, quod Rabbi Maimonides in libro ſeptimo ſuæ יד in Halacha Schemitta Vejobel, cap. x. tradidit, ubi ſic inquit; אף על פי שלא היה יובל בבירה שני מונין היו אותו כדי לקדש שמיטה: *Etſi Jubilæi nulli fuere ex quo tempore templum ſecundum ſtetit, tamen numerare eos mos fuit propter remiſſiones, quæ ex lege fiebant*. Niſi hoc enodaverimus, falſum videbitur, quod de Jubilæi abolitione dicebamus. Quare explicanda nobis Maimonidæ ſententia eſt. Enimvero maximus Rabbinus, Jubilæorum ſupputationem accuratiſſime ſemper factam etiam noviſſimis temporibus, ait, non hercle, quod aut ſervi omnes tunc manumitterentur, aut agri redirent ad veteres dominos, ſed quod ex numeratione eorum penitus pependit ratio anni cujuſque ſeptimi, in quo alia quædam remiſſionum jura obſervari lex juſſerat, quæ non ante ceſſavere, quam everſa a Tito [3] deletaque Judæorum reſpubl. eſſet. Utique earum שמיטות *remiſſionum* duplex genus fuiſſe, conſtat. Nam & terra ſeptimo anno inculta jacuit, & condictio certi non dabatur ex mutuo. Sed qua ratione annum ſeptimum pependiſſe ex quinquageſimo dixerit Maimonides, libet ex ipſo audire. Is ita inquit: שנת יובל אינה עולה ממנין שני השבוע אלא שנת תשעה וארבעים שמטה ושנת חמשים יובל ושנת חמשים ואחת תחלת שש שנים של שבוע וכן בכל יובל ויובל: Nos, ne Hebræa vertendo, Romanam orationem deformemus, ſummatim modo ſententiam recitabimus maximi Rabbini. Nimirum illud ait, anni ſeptimi numerationem non ab anno quinquageſimo, ſed ab eo, qui poſt hunc primus eſt, inchoari, atque eandem ſic deinceps nulla intermiſſione fieri, donec perventum ſit ad quadrageſimum & nonum, qui propterea ſabbathicus fuit, quod ſepties ſeptenus erat. Mox autem eum, qui ſequebatur, quinquageſimum, in numero ſeptenorum non fuiſſe, ſed ſupputationem eorum rurſus initium a quinquageſimo & primo habuiſſe. Ex quo manifeſtum eſt, cur doctiſſimus Judæorum dixerit, non numerari quidem quinquageſimum, ſed celebrari tamen: abſque illo enim foret, continuandam ſeptenorum numerationem fuiſſe ſignificat, quam nunc interjectio quinquageſimi interrumpit. Atque hæc quidem Maimonidæ, & aliorum, qui Talmudicos ſequuntur, ſententia eſt. Quæ quam vera ſit, iis exquirendum relinquimus, qui Chronologiæ ſubtiliſſima momenta perveſtigant. E quibus ſunt profecto quidam ſumma doctrina atque excellenti ingenio viri, qui Jubilæorum celebritatem incidere in annum quemque quadrageſimum & nonum [4] exiſtimant. Ex quo fit, ne duos ſabbathicos annos continuari, & ſeptenorum numerationem toties interrumpi neceſſe ſit. Et ſunt, qui ex Rabbi Addæ Calendario conficere ſe, id quod volunt, poſſe autumant. Sane quod quinquageſimus annus in ſacro codice Jubilæus appellatur, id vero in neutram partem aliquid momenti habet. Nam & perſæpe popularis uſus, quem penes norma viſque omnis & arbitrium loquendi eſt, ſeptimanam octiduum appellat, & olim maximi ſcriptores paſſim Olympiadem, quæ quatuor annorum ſpatium continet, quinquennium vocavere. Equidem nos noſtra non magni intereſſe putamus, utra ſententia rectior ſit: oſtendere enim duntaxat propoſitum nobis fuit, Jubilæorum ſolennia nec inutiliter a ſummo legiſlatore inſtituta eſſe, & poſt templi prioris excidium nunquam in uſu fuiſſe. Quod tamen ad hanc ipſam rem, quam in tranſcurſu attigimus, attinet, plane ſic judicamus, multas graveſque cauſas eſſe, [5] cur viri hac ætate noſtra incomparabiles Jubilæum ſpatio annorum quadraginta & novem, non quinquaginta abſolutorum definierint. Quare opinionem eorum neque improbamus, & profecto admittimus etiam. In Levitici capite viceſimo & quinto tam de Jubilæo, quam de anno ſeptimo agitur, cautumque illic expreſſis verbis eſt, ne etiam in Jubilæis tellus coleretur. Quæ profecto ſanctio videri ſupervacanea poſſit, ſiquidem Jubilæorum jura annus quiſque quadrageſimus & nonus recepit, qui per ſe ſabbathicus erat: quippe ſepties ſeptenus fuit. Et nobis quidem in promtu eſt, quid rectiſſime dici contra poſſit: putamus tamen hanc eſſe cauſam, quæ Maimonidem in hallucinationem quandam impulit. Illud certiſſimum eſt, Hebræos ſemper non Jubilæum modo, ſed etiam ſeptimum quemque ſabbathicum annum a Tiſri numeraſſe, qui anni ſacri erat menſis ſeptimus: plane ut ſepteni omnes Jubilæique iiſdem menſibus inchoati finitique ſint. Ex quo apparet, nullam reperiri mediam viam poſſe. Neceſſe enim jam eſt, uti aut quinquageſimus quiſque [6] annus fuerit Jubilæus, aut is hercle, qui quadrageſimus & nonus eſt. Sed nobis poſterior ſententia pluris eſt; neque aſſentiri hic Maimonidæ poſſumus, cujus tamen ſcita omnia religioſiſſime alibi amplectimur. Eſt enim is vir profecto, qui paucos quoſdam hujuſmodi atque exiguos errores magnis, diviniſque virtutibus ubique, & lectiſſimarum rerum præceptionibus compenſat. Ac Judæi quidem illi, qui ad agrorum

reſtitutionem ſpatio quinquaginta annorum abſolutorum eſſe opus ajunt; curioſe tradiderunt, quid inter Jubilæum atque inter ſeptimum quemque annum interſit. Ita enim ex eorum ſententia Maimonides ait in capite decimo, in Halacha Schemitta Vejobel: יתירה שביעית על היובל שהשביעית משמטת כספים ולא יובל : ויותר יובל על השביעית שהיובל מוציא עבדים ומשמיט קרקע : יובל משמיט קרקע בתחלתו ושביעית אינה משמטת כספים אלא בסופה : *Habet illud ſeptimus annus præ Jubilæo, quod debita remittit; Jubilæus autem illud præ ſeptimo, quod ſervos a dominorum poteſtate educit, & reſtituit agros. Etiam hoc diſcrimen eſt, quod quinquageſimus annus in principio reſtituit agros, ſeptimus vero debita non remittit niſi in fine.* Ex his illud quidem, quod conditionem certi in Jubilæis dari ex mutuo negat, falſum eſt, ſiquidem Jubilæi omnes in annum quadrageſimum & nonum inciderunt. Cætera probari admittique poſſunt, & omnino ſpeciem veri habent. Nam & quædam quadrageſimus nonus annus propria ex jure Jubilæorum habuit præ cæteris ſeptenis, & ea ipſa paulo aliter uſurpata fuere quam quæ in eundem annum ob hanc cauſam concurrebant quod inter ſeptenos eſſet. Jubilæi celebritas, uti ante dicebamus, exordium ab anno vetere & naturali ſumſit, cujus primus menſis September eſt, is, qui ſacri anni ſeptimus erat. Quare Talmudicis, qui initio anni, decimo die primi menſis reſtitutionem fieri agrorum ajunt, nihil ſacer codex repugnat, qui eum menſem paſſim ſeptimum appellat. Eſt enim diverſitas ea ex duplicis anni conſtitutione. Poſtremo illud Maimonides refert: דין היובל בשביתת הארץ ודין השמטה אחד הוא לכל דבר : כל שאסור שביעית מעבודת הארץ אסור בשנת יובל : וכל שמותר בשביעית מותר ביובל: *Eadem ratio uſquequaque eſt tam Jubilæi, quam ſeptimi anni, quod ad intermiſſionem agriculturæ attinet. Quicquid in terræ cultione fas aut nefas eſt anno ſeptimo, id probibitum quoque aut licitum eſt in Jubilæo.* Non eſt hæc Judæorum conjectura, aut probabilis opinio, ſed certa indubitataque veritas, quam legislatoris vox confirmat in Levitici capite viceſimo & quinto. Quod ſi jam verum foret, quod placuiſſe Talmudicis diximus, duos annos ſabbathicos abſque intervallo fuiſſe celebratos, magna profecto & ſingularis atque nimis inuſitata res hæc eſſet. Etenim, cum totum hoc ſit a præpotente Numinis vi profectum, quod in Palæſtina ſextus quiſque annus tam uberes proventus dedit, ut ſeptimus, quem agrorum quieti & ſabbathiſmo lex deſtinaverat, nullam pareret famem, jam profecto longe majus hoc miraculum fuerit, cum duo hujuſmodi anni ſabbatharii concurrerent. Neutro enim ſementem facere aut arare fas fuiſſet. Itaque, quod dicitur in Levitici libro, *Benedictionem meam dabo vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum*, omnino geminari hæc Numinis benignitas debuiſſet, cum duorum annorum, quadrageſimi noni & quinquageſimi ſabbatha ex diverſa ambo cauſis continuarentur. Non enim trium jam, ſed quatuor annorum ſegetibus unum illum annum ſextum indui neceſſe foret. Quorum nihil aliis gentibus terriſque, quæ ſunt uſquam, conceſſum eſt. Utique ſcimus non exiguum eſſe, quod Palæſtina cœlo debuit: atque adeo fatemur, etiam multa illic contraria naturæ legibus iviſſe; ſed tamen, cum tanti & tam frequentis miraculi magnitudo nullis vatum teſtimoniis, neque hiſtoriarum prodita monumentis ſit, haud committendum profecto nobis eſt, ut credulitatis vitio temere quilibet obſtupuiſſe videamur.

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Per Aſſyrios*) Talmudici & R. Maimonides Ægyptius in tractat. de *Schemittah* aſſerunt, duabus tribubus *Ruben*, *Gad* & dimidia *Manaſſe*, in captivitatem abductis, abolitos fuiſſe annos Jubilæos, eo quod dicatur *Levit.* XXV. 10. proclamabitis libertatem in terra לכל ישביה omnibus habitatoribus ejus; Schemittoth tamen, ſive annos Sabbathicos non eſſe abolitos. Vel ut *Aben-Ezra* hunc locum explicat בכל שבלות *in omnibus viis*. Unde ea de cauſa, abductis trans-jordanitis, Jubilæi celebrationem fuiſſe intermiſſam. Maimonidis verba *c.* x. §. 1. 7. *Hil. Schemitt.* hæc ſunt: *Ex quo*, inquit, *in exilium abducta eſt tribus Ruben & tribus Gad & dimidia tribus Manaſſe, ceſſarunt Jubilæi, quia dictum eſt, proclamabitis libertatem in Terra cunctis, qui habitant in ea*, h. e. *proclamabitis libertatem in Terra eo tempore, quo cuncti habitant in ea, idque propterea, ne tribus cum tribu confundatur*. *Cunæus* vero hoc loco & alii cum eo intermiſſionem eam collocant in annum deſolationis templi & urbis ab Aſſyriis factæ, ut & abductionis pariter Regis & omnium Judæorum in captivitatem Babylonicam. Conf. Cl. *Slevogt de anno Jubil. th.* XXVII. *Hottinger. Analect. diſſ.* III. *de Jubilæo p.* 161.

[2] *Exſtructumque Templum*) LXX. annis peractis, permiſſu *Cyri* Regis Perſarum, ſecundum templum exſtructum fuit, directoribus *Zorobabele* & *Joſua*. Vid. *Carol. Sigon. de Republ. Ebr. pag. m.* 136. De hoc Cyro ſcil. minore & quis fuerit, prolixioribus argumentis ſcripſit *vir celeberrimus & eloquentiæ Profeſſor in Academ. Argentorat. in diatrib. hiſtor. de Xerxe, Nebucadnezare ac Cyro liberatore Judæorum Joh. Chriſtoph. Atropæus*, ad quem benevolum Lectorem mittimus, prodiit illa *Argentor.* 1678. Confer *Auguſt. Varen. Exercit. Sacr. in Haggæum*. Diximus directoribus *Zorobabele* & *Jehoſua*, quorum meminit *Haggæus* Propheta. Ille fuit *Princeps Judæ*, hic *Sacerdos Maximus*. Nihil autem nominibus his ſanctius, quæ priſcos Ebræos etiam in nomenclaturis ſanctitatem, præcipua ſuorum temporum memorialia, occultaviſſe, liquido docent. Dicitur autem *Serubabel* (1.) filius *Sealthiel*, cum contra 1. *Chron.* III. 17. vocetur

tur filius *Pedajah*, qui suus pater fuit, *Sealthiel* vero avus, ipso Pedaja gloriosior & celebrior in gente Judaica. Dicitur (2.) Princeps *Judæ*, qui primus post Captivitatem Babylonicam regimen tenuit, seu Dominator fuit. Alter in hoc opere fuit *Jehoschua* summus Sacerdos, filius *Jehozadak*. Hic primus domus secundæ Pontifex. Vid. *August. Varen. dissert. Sac. in Hagg.* §. 4. De hujus templi excellentia & defectibus scripserunt *Frischmuth. de glor. templi secundi. Dieter. in antiq. Bibl. fol. m.* 367. *Varenius l. c. Thom. Godwin. Moses & Aaron pag. m.* 155. *seq. edit. Bremens.*

3 *Eversa a Tito*) Id confirmant *Hieronym. in Ezech.* v. Sub Tito & Vespasiano urbs capta est, templumque eversum. Eadem profert etiam in *cap.* XXIV. Obsidente *Tito*, filio *Vespasiani*, ad salutem nemo evasit, templumque subversum est. Conf. *Joseph. lib.* VII. *Bell. Judaic. c.* I. Describit eversionem hanc & Templi operosissime *Josephus*, quem plur. *Reverend. Johannes Fechtius in dissert. de Ecclesia Judaica edit. Argentor.* 1662. citavit, *pag. m.* 59. Et *Nicephorus* refert, Urbem ita devastatam fuisse, ut ne lapis super lapidem maneret. Verum scrupulus adhuc remanet, quod citatus Josephus etiam literis tradat, *Hadriani* temporibus desolata & devastata fuisse Hierosolyma. *Josephus Scaliger in animadv. ad Chron. Euseb. num.* 2150. strenue negat hoc, nixus potissimum *Dionis Cassii* testimonio, quem *Zonaras* secutus, qui propterea pro fabulis habet, quicquid tam veteres, quam recentes Scriptores de tertio Hierosolymorum excidio tradiderunt. Scaligerum sequuntur *Valesius*, *ad Euseb. Spanhemius introduct. in Histor. Eccles. pag.* 209. *Tollius ad Appian. in Syr. Scaligeri* sententia est, a *Tito* ita deletam fuisse Hierosolymam, nec ante *Hadrianum* restituta, ut deleri amplius non potuerit. Quos oppugnat *Scaliger*, eorum fere hæc mens est, judaico bello quo *Bitter* deleta & *Ben Cozba* oppressus est, evertisse prius Hadrianum reliquias Hierosolymorum & quicquid in templo instaurando Judæi jamjam cœperant. Horum auctorum verba producemus. Appian. Alexandrin. qui sub *Hadriani* imperio vixit, Hierosolymorum clades enarrans *bell. Syr. p.* 119. a *Ptolomæo* & *Pompejo* primum eversa cum dixisset, addit: *Vespasianus iterum habitata* delevit, & rursus mea memoria *Hadrianus*. Falsus quidem in eo est, quod eversionem imputaverit *Pompejo*, cum teste *Josepho lib.* I. *ἁλωσ.* c. VIII. sola munimenta dejecerit; in hoc autem falsus esse nequit, cum præsens fuerit. Succedit *Hieronym. in Jer.* XXXI. Ultima captivitate sub *Hadriano*, quando & urbs Hierusalem subversa est. Et *in Ezech.* v. Sub *Tito* & *Vespasiano* urbs capta est templumque subversum: & post quinquaginta annos sub *Ælio Hadriano* usque ad solum incensa civitas & deleta est ita, ut pristinum quoque nomen amiserit. Eadem profert in *cap.* XXIV. Obsidente *Tito*, filio *Vespasiani*, ad salutem nemo evasit templumque subversum est: & post quinquaginta annos sub *Hadriano* civitas æterno igne consumta. Rursus in *Daniel.* IX. ℣. *ult.* Usque ad extremam subversionem Hierusalem, quæ sub *Hadriano* eis accidit, &c. Sic *Georg. Syncell. in Hadrian. pag.* 350. *edit. Paris. Georg. Cedren. pag.* 205. *edit. Basil. Nicephor. Callist. l.* III. *c.* XXIV. *Chron. Alexandrin. de Hadrian. p.* 596. *Olymp.* 224. *de Dynast. p.* 121. & *Abulpharag Arabs* de *Hadriani* copiis ita scripsit

خربوا اوريشليم. غاية الخراب

Vastarunt Hierosolyma ad extremam vastitatem. Sane hi omnes non errare potuerunt. Dicimus ergo a *Vespasiano* & *Tito* subversa quidem esse Hierosolyma, rudera tamen quædam remansisse, ad quæ accesserant casæ & tuguria, quæ *Hadrianus* in totum igne delevit. Vid. plurib. *Joh. Jacob. Haakii dissert. de excidio Judæorum & Hierosolymorum, sub Hadriano*, prodiit *Jen.* 1687. ubi plura.

4 *In annum quadragesimum & nonum*) Asserit noster author, viros Excellentes statuere, Jubilæum esse quadragesimum nonum. Amplectuntur hanc sententiam *Hugo Cardinal. Radulphus Flavia cens. Comment. in Levit. Scaliger*, *Calvisius*, *Alstedius*, *Cunæus*, paulo post, *Rutilius Benzonius* Rom. operoso tract. de anno Jubilæo, *Petavius* & alii.

5 *Causas esse.*) Hi ex multis causis moti annum quadragesimum nonum Jubilæum statuunt. Inter quas (1) quia semel tantum singulis annorum hebdomadibus intermittenda erat agricultura & messis atque vindemia, *Levit.* XXV. 4. Si autem Jubilæus non idem erat cum septimo anno Sabbathico, sequeretur duobus annis tales fuisse agendas ferias. (2) Quia benedictio divina tantum trium annorum promissa erat, ob annum intermissionis sacræ ℣. 20. 21. Ast si & distincto anno Jubilæo talis quies fuisset agenda, benedictione illa opus fuisset ad annos IV. (3) Quia *Levit.* XXV. 8. Numeratis VII. Sabbathis annorum seu XLIX. annis, traducenda dicitur buccina Jubilæi intimativa h. e. in ipso quadragesimo nono anno. Nec obstare inquiunt, quod in *Cod. Sac.* quinquagesimus annus Jubilæus nuncupetur, ut *Levit.* XXV. 10. 11. Hoc enim non de anno quinquagesimo solido, sed de ineunte & qui respectu præcedentis Jubilæi inclusive, quinquagesimus vocatur, intelligendum esse; sicut septimanam usitate octiduum appellamus, quia Dominicam utramque numeramus, quæ tamen earum altera exclusa, septem solum dies complectitur, & revera hebdomas est. Juxta hos authores annus Jubilæus idem fuit cum Sabbathico, inque illo ipso anno & promulgatum clangore buccinæ & celebratum fuit Jubilæum. Conf. *Joh. Meyer. diatrib. de fest. pag. m.* 408. *Quensted. antiq. bibl. pag.* 856.

6 *Aut quinquagesimus quisque.*) Licet *Cunæus* contrariam arripiat opinionem, attamen plures sunt, qui affirmant Jubilæum semper fuisse celebratum anno quinquagesimo exclusive a præcedente Jubilæo, nempe post hebdomadam annorum septimam; ita Doctores primitivæ Ecclesiæ magnam partem, *Cyprianus*, *Ambrosius* &c. *Lyranus*, *Cajetanus*, *Abulensis*, *Bonfrerius*, *Cornel. a Lapide*, *Beza*, *Pelargus*, alii. Inter Nostrates *Funcius*, *Bucholzerus*, *Wichman. l.* I. *Chron. Sacr. pag.* 16. *seq. Dieter. antiquit. Bibl. fol.* 220. *Johann. Meyer. in diatrib. de festis Ebræor. pag.* 398. *D. Varen. de Jubil. Sievogt. in disput. Acad. disp.* XV. *thes.* XII. *seq.* qui urgent (1) expressum textum *Levit.* XXV. 10. 11. quem Luth. reddidit: Ihr sollt das funffzigste Jahr heiligen, das funffzigste Jahr ist euer Erlaß-Jahr. Imo Scriptura diserte distinguit hunc annum Jubilæum ab anno XLIX. qui erat Sabbathicus ℣. 8. cujus verba conferenda cum capitis præcedentis XXIII. ℣. 15. 16. ubi a die XVI. Nisan, quo manipulus agitatus, sabbatha septem numerabantur, & his plene finitis, die sequente quinquagesimo offerendæ primitiæ messis triticeæ; uti hoc loco modum investigandi festum Pentecostes Deus tradidit ita *Levit.* XXV. 8. modum investigandi festum Jubilæi dedisse censeri debet, scil. ut semper septem hebdomadæ annorum numerentur, & post illos annus sequens sit Jubilæus. Si igitur Jubilæus annus esset quadragesimus nonus & perpetuo in annum Sabbathicum incurreret, superfluum foret præceptum de non seminando nec metendo, & frustra casus de sponte natis repeteretur, cum hæc esset conditio anni Sabbathici ℣. 4. 5. ubi eadem præcepta. Hæc etiam est communis sententia Hebræorum in codice ערכין *Erachin fol.* 12. 13. Nec aliter *Maimonid. Hil. Schem. Vejobal. cap.* X. §. 7. Jubilæus annus non resultat ex calculo annorum septimanæ. Sed annus quadragesimus nonus est annus Sabbathicus, & quinquagesimus Jubilæus. Annus autem quinquagesimus primus incipit sex annos septimanæ sequentis, (i. e. sequentis annorum periodi) Atque ita se res habet in singulis Jubilæis. Hæc etiam Karræorum est sententia apud *Eliam* filium *Mosis in Adderet Eliahu de Schemitta & Jubilæo c.* XX. (2) Urgent *intimationem Jubilæi*, quæ fiebat die X. anni quinquagesimi. (3) Frustra præcepta, uti dictum, de non seminando, non metendo &c. repeti, si necessario omnis Jubilæus in annum Sabbathicum seu XLIX. incideret. (4) ἀναλογίαν τ͂ πεντεκοστῆς cum Jubilæo: erant VII. hebdomadæ & tamen dies immediate sequens h. e. quinquagesimus a Paschate exclusive erat dies Pentecostes; ita complementum Jubilæi erant septem anni Sabbathici seu XLIX. quibus exactis sequens annus L. erat Jubilæus. (5) Consensum Talmudicorum: His enim placet, fatente *Cunæo*, duos annos Sabbathicos absque intervallo fuisse celebratos. Diserte *Raschi in Levit.* XXV. 11. scribit: *Annus Sabbathicus* immediate semper antecedit Jubilæum, scil. quadragesimus nonus est Sabbathicus, quinquagesimus, Jubilæus. Plura videri possunt apud sæpe laudatum *Joann. Meyer. in diatrib. de festis pag. m.* 404. *seq. Quensted. antiquit. Bibl. pag. m.* 856. *Cloppenburg. in Schol. Sacrif. pag.* 42. ubi ad argumenta opposita satis superque responsum.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

Trina consecratio Palæstinæ & urbium ejus. De jure urbium. Lex de prædiis urbanis. De urbe Jerosolyma, deque ejus privilegiis. Agrippæ impium facinus, & super eo Judæorum legatio ad Neronem. Quibus ceremoniis proferri urbis Jerosolymæ pomœria oportuerit. Jus muniendi a quibus datum. Quando rempub. suam penitus Judæi amiserint. De oppidis, quæ asyli jus habebant.

AJUNT Talmudici, qua tempestate Josua Palæstinam intravit, consecratas ab illo omnes urbes fuisse, quæ muris cinctæ erant. Eam ipsi appellant ביאה ריאשונה *ingressionem primam*. Sed, cum abductus a Babyloniis populus sacer trans Euphratem est, impurata regio ab impiis fuit. Quare mox, reversis in sedes suas Judæis, Ezras summus populi præsul solenni actu sanctimoniam urbibus reddidit, eaque erat ביאה שנייה *ingressio secunda*. Tandem Cæsar Titus, cum penitus res Judaicas afflixisset, omnia rursum prophanavit. Atque hic Talmudicos suavis error ludit. Messiam enim adhuc exspectant, [1] qui, ut ipsis placet, regnum Palæstinæ invadet, sacrabitque urbes. Eam fore ajunt ביאה שלישית *ingressionem tertiam*. Ad hoc, tradunt iidem, quibus in rebus posita urbium religio ac sanctimonia fuerit; tum & quare vicorum villarumque nulla facta consecratio sit. Quæ exequi longum foret. Cum oppida Palæstinæ singulis tribubus [2] assignarentur, etiam Levitæ suas urbes [3] accepere, quas incolerent. At ipsa regio agrique & possessiones ita dividebantur, nulla ut pars data [4] illis sit. Decimas enim [5] duntaxat primitiasque & victimas [6] cunctas habuere : inde vita illis, inde opes copiæque abunde erant. Sed illa in hoc genere præscriptio cautioque valet, quam Rabbi Maimonides adjungit, cum sic inquit in capite decimo & tertio, in Halacha Schemitta Vejobel : יראה לי שאיז הדברים אמורים אלא בארץ שנכרתה עליה ברית לאברהם ליצחק וליעקב וירשוה בניהם ונתחלקה להם : אבל שאר כל הארצות שכובש מלך ממלכי ישראל הרי הכהנים והלויים באותן הארצות ככל ישראל : *Videtur mihi hoc omne, quod diximus, locum modo habere in illa terra, quæ ex fœderis religione Abrahamo & Isaco atque Jacobo data est, quæque tenetur a filiis eorum, & divisa inter illos fuit. At in aliis regionibus, quas armis subjugunt reges quidam Israelitici, non deterior est sacerdotum & Levitarum conditio, [7] quam cæterorum Hebræorum.* De ædibus urbanis lex [8] ejusmodi lata fuit, uti, qui domum vendidisset, redimere eam posset intra annum; post autem, illo elapso, emtor eam propriam haberet. Sed nec propinquis jus redemtionis fuit, & Jubilæi beneficium hic nullum erat. Redditum autem emtori a redemtore pretium integrum fuit, etsi vendita traditaque domus ante plures menses erat. Etiam ultimo anni die redimere ædes suas dominus potuit. Et, si abesse eum, cui vendiderat, aut dolo latitare cerneret, curiam adiit, atque ibi, senatu coram, pretium, quod acceperat, posuit, egressusque diffregit fores, atque ædes suas intravit. Hæc a Talmudistis sic definita sunt. In Levitarum urbibus haud idem juris [9] fuit. Plane enim de ædibus illorum sancitum est, quod de agris deque possessionibus rusticis omnium Hebræorum constituisse Mosen diximus. Quare nec redimendi jus his anno terminabatur, & Jubilæus restituebat quicquid redemtum ante non esset. Inter omnes urbes insigniter eminuit unius Jerosolymæ sanctitas, [10] atque etiam perpetua mansit, ut Talmudici tradunt, ex quo semel eam urbem maximus rex Salomo dedicaverat. Itaque, quod postea consecravit eam rursum Ezras, fuisse supervacuum ajunt, siquidem prophanata neutiquam fuit, cum cæteræ urbes pollutæ sacrilegorum manibus sunt. Ex quo illud fieri iidem tradunt, uti in Jerosolymæ eversæ cineribus sacra facere atque victimas epulari fas fuerit. Sed quanta loci religio esset, ii Judæi significavere, quibus Hadrianus Imperator permisit, uti semel in anno adirent sanctæ urbis deformes reliquias, atque ibi lugerent deplorarentque miseram gentis suæ sortem. Hæc urbs nulli tribui assignata sorte est, sed communis omnium fuit. Quamobrem teneri illam ea lege negant Talmudici, quæ vitulæ mactatione expiari cædem jusserat, quæ clam patrata in tribuum finibus esset. Illud vero non ex superstitione, sed ex vetere & probo gentis instituto est, quod Rabbi Maimonides narrat. Ait enim, si qui cœnaculum [11] haberent paulo sublimius, unde aspici Sanctum Sanctorum posset, fas illis quidem fuisse semel in hebdomada illuc ascendere, uti sarta tecta omnia servarent, at sæpius, aut ob aliam causam, non licuisse. Ea est sententia verborum istorum in Halacha Beth habbechira, cap. VII : מקום מהיה בעלייה מקווה עד

על קדש הקדשים אין נכנסין לו אלא פעם אחת בשבוע לידע מה הוא עליה לחזק בדקו : Sane vehementer cives suos Agrippa rex offenderat, cum ex palatii edita parte prospectaret identidem sacram templi sedem, cerneretque ex alto, quid illic intus fieret. Id enim flagitium ingens arbitrati Judæi, murum celsum exstruxere, qui regem intueri non sineret, quæ in templo agebantur. Ac mox decem legati, cum Ismaele pontifice & Elcia sacri ærarii quæstore, missi Romam sunt, qui precibus a Nerone peterent, uti confirmaret quod populum facere religio subegerat. Quod autem Hecatæus Abderites apud Flavium ait, quinquaginta stadiorum fuisse Jerosolymam, quam incolebant centena vicena millia hominum, haud magni nostra interesset scire, nisi de proferendis ejus pomœrii jus quoddam esset singulare constitutum, quod ex Talmudicis libris prodidit Maimonides in Halacha Beth habbechira cap. x. Id autem ejusmodi erat. Cum amplianda urbs esset, magnus senatus Sanhedrin, rexque, & vates unus oraculum, quod Urim & Tummim vocant, consuluerunt. Mox, postquam illi de interpretatione divini responsi inter se consensissent, senatores Sanhedrin carmina duo, in queis erat gratiarum actio, recitarunt, panesque totidem fermentatos sumsere, atque egressi illico cum cymbalis nabliisque & cytharis, ad cujusque vici flexuras atque ad cippos omnes, qui erecti in urbe erant, constiterunt, effatique illa verba sunt : דליתני יהוה כי ארוממך *Exaltabo te domine*, *quoniam exaltasti me*. Tandem, cum ad locum illum venissent, quem idcirco consecrari oportuit, quod pomœriorum finis esset futurus, substitere omnes, atque illic ex duobus panibus, quos decantato gemino carmine acceperant, unum comederunt, alterum usserunt flammis. Hæc sic a majoribus accepta Talmudici literis consignavere : neque a vero abludunt, cum similia, & pene eadem sint, quæ in Nehemiæ commentariis exstant in capite duodecimo. Post tamen, cum oppressa a Romanis Judæorum erat libertas, plane hæc pomœriorum prolatio non ex magni concilii arbitrio, sed ex voluntate populi Romani pependit. Proditum vero etiam illud a Cornelio Tacito est, Judæos jus muniendi magna pecuniæ vi emisse. Ex quo apparet, reginam illam urbium Jerosolymam fuisse conditione eadem cum municipiis [12] omnibus, quæ sub ditione Romana erant, quorum muros nec refici sine principis vel præsidis autoritate, nec aliquid eis conjungi vel superponi potuisse, Ulpianus Jurisconsultus ait in *lib.* IX. §. 4. *ff. de Rerum divis.* Utique Claudius Cæsar, cum ingentis magnitudinis murum exstrui circum Jerosolymam intellexisset, Agrippæ novum opus mutavit : & rex vero statim dicto audiens fuit, susceptamque rem omisit. Ajunt Talmudici, illud eximium [13] habuisse Jerosolymam præ cæteris Judææ oppidis, quod nulla domus illic post annum propria emtoris fieret. Sed nec hortos ibi nec viridaria [14] plantari fas fuisse ajunt. Quod enim Hecatæus de templi ambitu scripsit, id ipsi verum esse de tota urbe tradunt. Cadavera, quæ aliquo transferebantur, admissa in eam civitatem non sunt, ne funestarentur sacra ejus. Sepulchra autem duo dumtaxat ibi fuere, unum Davidis, alterum Oldæ, quæ structa a priscis vatibus sunt. Major tamen religio Levitas devinxit, qui non modo in urbibus suis, sed etiam in agro suburbano sepelire [15] mortuos vetabantur. Itaque extra limites finesque regionis suæ ex edicto Numinis aliquantulum loci a cæteris tribubus accepere, in quo defunctorum ossa quiescerent. In reliquis oppidis sepeliri aliquem haud nefas fuit, si modo septem viri boni assentirentur. At semel ubi elatum urbe cadaver erat, recipi illud intra muros non licuit, etiamsi cives cuperent universi. Jerosolyma, ut ante diximus, caput gentis, [16] religionumque & ceremoniarum sedes fuit. Quare, eversa illa, [17] periit reip. Judaicæ forma tam civilis hercle quam sacra. Sane quod Flavius ante urbis excidium auditam ex templi penetralibus ait vocem ejusmodi, *Exeamus hinc*, id mihi non aliud significavisse videtur, quam delendam rempublicam, adimendumque sceptrum, [18] quod datum olim sacræ genti erat. Non diu enim postea ordines, functionesque, & ritus, atque leges pleræque cessavere, secutaque ingens confusio, vastitas atque distractio est. Jam primum Hasidæorum [19] sanctissimum collegium, quod a prophetis originem duxit, nullum amplius fuit, quia eorum institutum erat, templum quotidie adire, & voluntarios sumtus in sacrificia, atque in porticus & in muros sanctuarii facere. Cumque Moses certi cujusdam doni oblationem alienigenis [20] imperasset, qui in Judaismum se transderent, [21] differri deinde penitus ea res cœpit in illud tempus, cum sanctuarium tertium, quod adhuc exspectant, exstrueretur. Nec vero fratrum viduas amplius, quæ sine liberis, uxores ducunt. Et paschatis solenne nunquam ex illo tempore celebratum rite est, siquidem præceperat lex, uti in illo loco id fieret, in quo Deus elegisset sedem ædis suæ. Tantum unius urbis casus potuit : omnia mutavit pervertitque, & maximi rempublicam populi in ruinas egit. De cæteris Judææ oppidis nihil magnopere in mentem nobis incidit, quod dicamus, nisi quod ex illis quædam

sum-

ſummus Deus hoc jure eſſe voluit, uti perfugium illic [22] ſibi præſidiumque ſalutis haberent, [23] qui imprudenter [24] aliquem occidiſſent. Ibi lene exilium [25] illis fuit, donec pontifex maximus [26] objiſſet, cujus mors [27] ita eos omnes liberavit, ut ſi forte ante deceſſiſſent quidam, oſſa tamen eorum, [28] illo defuncto, avitos in tumulos ferrentur. Hujuſmodi oppida ſex fuere. [29] Ajunt autem Talmudici, tria adhuc illis adjectum iri, [30] cum in terras venerit maximus regum Meſſias: non enim fruſtra illud ſcriptum eſſe, ויספת לך עוד שלש ערים על השלש האלה: Etiam regionem locumque determinant. Ajunt enim delectum ad eam rem iri tria oppida ex urbibus Keniſæorum, Cadmonæorum, & Cenæorum, quas icto fœdere promiſit quidem Abrahomo Deus, ſed nunquam dedit: quocirca referri illuc debere quod Moſes inquit, *cum dilataverit Dominus Deus veſter terminos veſtros*. Hæc ſi quis nimis ſubtiliter & anxie ab illis perveſtigata dixerit, næ ille recte exiſtimat: ſed tamen tanti erat obſervationes illorum indicaviſſe. Præter ſex illas, quas diximus, urbes, etiam Levitarum oppidis, [31] quæ quadraginta & duo erant, idem privilegium datum eſt, niſi quod Talmudici negant apud Levitas tutum locum fuiſſe iis, qui legis beneficium ignorarent. Cætera, quæ de jure harum urbium dici queunt, tum & quæ Judæi commentantur de iis oppidis, quæ ערי הגירהות dicta ſunt, in quorum numero nec Jeroſolymam, nec urbes refugii poſſe poni ajunt, ideo præteribimus, quod tractata decus nullum aut nitorem habitura ſint. *De quibus Rambam in Halacha Habodat Cothabin cumazzaloth*, *cap.* IV.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Meſſiam exſpectant*) Ita articulo XII. Symboli fidei ſuæ profiteri jubentur: *Ego credo fide perfecta adventum Meſſiæ, & etiamſi tardet, nihilominus ſemper exſpectabo, donec veniat.* Quare precibus matutinis inſerunt formulas, quibus ſignificant, ſe magno deſiderio Meſſiam exſpectare. In *Seder-tphillos pag.* 7. ex verſione *plur. Reverendi Carpzovii* hæc leguntur verba: *Germen Davidis ſervi tui cito progerminare jubeas, & cornu ejus exaltes cum ſalute tua. Nam in ſalutem tuam ſperamus quotidie. Benedictus eſto, o domine! qui progerminare jubes ſalutem.* Item: *Miſericors ille confringat jugum gentium de cervicibus noſtris, & reducat nos in terram noſtram.* Alia: *Nos exultabimus & lætabimur de ſalute tua, tu autem perducito nos ad pacem, congrega exſpectantes tuos ex quatuor terræ plagis;* Et hoc tempore aureum ſeculum futurum eſſe, illi credunt, uti conſtat ex verbis *Rambam* ad *Sanhedr. c.* XI. Et erit Meſſias oppido Rex magnus & palatium in Tzion magnificabitur. Excellentius erit ejus nomen & memoria apud gentes, quam Regis Salomonis, eumque venerabuntur omnes populi &c. vide prolixioribus verbis adductum locum in *Joh. Sauberti Palæſtr.* §*Theologico-Philolog. pag. m.* 26. Hinc etiam tertium exſpectant templum, uti *Abarbanel* illud *Haggæi*, quem citat *D. Varenius* in *diſſert. ad* iſtum locum, exponit: Dieſer andere Tempel/ welchen ihr anitzo bauet/ wird annoch klein/ und gering ſeyn/ aber nach denſelben wird der dritte und herrlichſte Tempel gebauet werden/ un in denſelben wird der Herr Meſſias kommen. Unde in precibus ſæpiſſime mentionem faciunt horum verborum: *Utinam Deus me dignum habeat, ut videam ſtructuram templi ſanctitatis noſtræ, qualis olim & annis ſuperioribus fuit.* Conf. *Gent. hiſtor. Judaic.* Qui plura de hoc templo tertio legere cupit, evolvat *D. Chryſoſt. orat. tert. & quint. adverſ. Jud. Martin. Raymund. in pugion. fidei part.* II. *c.* IX. §. 14. 15. 16. *Paul. Burgenſ. in Scrutin. Scriptur. diſt.* IV. *c.* IV. *Fortalit. fid. lib.* III. *fol.* 125. *Joh. Hornbeck de convinc. & convertend. Jud. lib.* III. *cap.* II. *pag.* 255. *Joh. Muller. in Judaiſmo detecto c.* IX. §. 6. *Conſtant. L' Empereur in præſ. Codic. Middoth* alioſque.

[2] *Singulis Tribubus*) Quales & quot quælibet Tribus in partitione terræ ſanctæ ſeu Palæſtinæ acceperit, nobis ex aliis quamplurimis authoribus exhibuit *Johan. Conrad. Dieteric. in antiquitat. Bibl. edit. Giſſæ Haſſor.* 1671. *a fol.* 290. *uſque* 307. Conf. *Benedict. Ariæ Montani Chaleb. ſeu terræ ſanctæ partitionem in opere Critic. edit. Francoſ. fol. m.* 554. *ſeqq. Tom. VI.*

[3] *Levitæ ſuas urbes*) Fuerunt ex Tribu Levi familiæ tres, prima *Caath* filiorum *Aaronis* Sacerdotis, ſecunda filiorum *Gerſon*, tertia *Merari*. Primæ igitur *Caath* familiæ civitates adſcriptæ ſunt tredecim in ſortibus *Juda*, *Simeon* & *Benjamin*. *Cariath-Arbe* in montibus *Juda* cum ſuburbanis ſuis; & *Lobna* & *Jether* & *Eſthemo* & *Holon*, & *Dabir* & *Ain* & *Jera* & *Bethſemes*. Hæ novem ex Tribu *Juda* & ex *Simeon* fuere. Ex Tribu vero *Benjamin* quatuor illæ; *Gabaon* & *Gabæ* & *Anathoth* & *Almon*. His autem, qui reliqui ex eadem familia fuerant, Urbes aſſignatæ ſunt in ſorte *Ephraim*, *Sechem* cum ſuburbanis ſuis, *Gazer* & *Kibſaim*, & *Bethoron* cum ſuburbanis ſuis; atque de Tribu *Dan*, *Elthecho*, *Gabathon* & *Ajalon* & *Gath-Rimon*; de utraque Tribu quaternæ; ex dimidia Tribu *Menaſſe* duæ, *Thanech* & altera *Gath-Rimon*. Decem his in urbibus habitarunt filii *Caath* Levitici ordinis. *Gerſonis* vero familia ultra Jordanem obtinuit urbes duas: *Gaulon* in *Baſan*, & *Boſra* ſive *Heſterach*; & in tribu *Iſſaſchar* quatuor, *Cheſion* & *Dabejeth*, & *Jeramoth* & *Enganim*; ac totidem ex tribu *Aſer*, *Maſel* & *Abdon* & *Helchath* & *Rohob*; tres etiam ex *Naphtali* tribu, *Cedes* in *Galilæa* & *Hhamoth* ſive *Hhamath-Dor* & *Charan*: ita ut huic familiæ tredecim obtigerint. *Merari* autem familiæ, quæ in Levitis cenſebatur, urbes conceſſæ ſunt in Tribubus *Zebulun*, *Reuben* & *Gad* duodecim hoc pacto: Ex Tribu *Zebulun*, *Jechnan* & *Chartha* & *Danna* & *Nahalol*; ex tribu vero *Gad Ramoth* in *Gilgahd* & *Mahanaim* & *Hesbon* & *Jaſer*, atque de Tribu *Ruben*, ultra Jordanem etiam *Boſor* in vaſto campo, cui Miſor nomen a planitie factum eſt, & *Jaſer Jehtoon* & *Mephaath*. Harum omnium ſumma octo & quadraginta cum ſuburbanis ſuis per familias diſtributarum. Vid. *Henry Ainsworth. comment. in Num.* 35. *fol. m.* 203. *ſeq.*

[4] *Nulla ut pars data*) In diſtributione terræ promiſſionis ſolam Tribum *Levi* ſine ſorte manſiſſe, h. e. ſine portione terræ, quam incoleret, conſtat. *Num.* XVIII. 20. & *Joſ.* XIII. 33. expreſſe leguntur hæc verba: *Et dixit* Jehovah *Aaroni: in terra illorum ne habeto poſſeſſionem & pars ne eſto tibi inter eos.* Clarius reddidit Anglus: *Thou shalt have no inheritance in their land, neither shalt thou have any part among them.* Et hoc mandatum non ſolum ad Aaaronem, ſed omnes poſteros & Levitas pertinebat, uti *Moſes* poſtea *Deut.* XVIII. 1. demonſtrat, ubi ex verſione Junii & Tremellii hæc exſtant verba: *Ne eſto Sacerdotibus Leviticis, toti tribui Leviticæ pars & poſſeſſio cum reliquis.* Anglus legit: *inheritance*, nulla hæreditas ſit in Terra Canaan, quæ ſorte dividebatur inter alias Tribus. *Num.* XXVI. 52. *ſeqq.* Cum itaque *Levitæ* Sacerdotibus adjungerentur in miniſterium Dei, Deus noluit, ut in negotiis hujus vitæ occupati ſint, ne impedimento ſint illis ad peragenda ſervitia Domini, uti ſcriptum eſt, 2. *Tim.* II. 4.

Ita

Ita Hebræoram Magistri, teste *Maimonide de* Jubil. *c.* XIII. *s.* 12. cujus Ebraica Anglice recenset *Henry Ainsworth in Deut.* XVIII. *fol.* 69. *edit. Londin. Wherefore was not Levi counted meet to have inheritance in the land of Israel, or spoiles with his brethern? Because hee was separated to serve the Lord, and to inherit him, and to teach his strait waies, and his just judgments unto many.* Deut. XXXIII. 10. *Therefore was he separated from the vvaies of the vvorld: they vvage not vvarre as doe the rest of Israel, neither doe they inherite, nor earne for themselves with strenght of their bodies; but they are the Lords povver* (or substance) *as it is vritten* (in Deut. XXXIII. II.) *Blesse Lord his povver: and the blessed* (God) *himselfe earneth for them, as it is vvritten* in Num. XVIII 20. i. e. *Cur Tribui Levi nihil hæreditatis accedebat de terra & spoliis eum fratribus suis? quia separata erat, ut serviret Domino, hæreditas sit illius & pluribus vias & judicia vera manifestet.* Deut. XXXIII. 10. *Itaque separata erat a viis mundi: Illi* (Levitæ) *non pignore certabant, nec bella gerebant, uti reliqui Israelitarum, nec hæreditatem possidebant, nec laboribus corporis lucrum quærebant, sed virtus & substantia Domini erant, uti scriptum* Deut. XXXIII. 11. *Benedic* Jehova *copiis suis: & Deus benedictus ipse labotabat & lucrabatur illorum loco, uti literis traditum Num.* XVIII. 20. Et licet nihil de terra possiderent, attamen illis erant civitates, quas inhabitabant & suburbia. *Num.* XXXV.

5 *Decimas enim*) Expressa lex habetur *Num.* XVIII. ℣. 21. Hinc bene *Mr. Fleury* in tract. quem inscripsit *les mœurs des Israelites pag.* 24. Et Tribus Levi *n' avoit point d' autre partage que les dimes & les premices qu' elle recevoit des autres tribus.* Non aliam portionem habebat, nisi decimas & primitias, quas ab aliis Tribubus accipiebat. Non ignotum erat optimo Numini, dandam esse mercedem servis atque certum, unde viverent, stipendium. Nec ignorabat, quod universa terra, & quæ illa proferret aleretque, sua sit; atque illam dederit utendam fruendamque hominibus, verum ea lege, ut Conditori omnium rerum Autorique fructuum decimas quotannis persolverent *Levit.* XXVII. 30. ubi ex *Maimonid. tom.* III. *tract. de Decim. c.* 1. *Henry Ainsvvorth fol. m.* 183. *in Levit.* XXVII. *edit. Londin.* ita scribit: *After that they have separated the great-heave-offring, they separate one of ten out of that vvhich is left: and this is called the first tithe; and of it is spokem in* Num. XVIII. *And this tithe is for the Levites both males and females.* h. e. Postquam oblationem separarunt, una de decem residuis partibus separatur, quæ vocatur Decima prima. Et de hac loquitur textus *Num.* XVIII. quia decimam filiorum Israel, quam elevabunt Domino &c. & hæc Decima dabatur Levitis, masculis ac fœmellis. Prima itaque decima jure a quovis communi Israelita comedi poterat, & quidem in immunditie, nam hic nulla sanctitas in illa. Et ubi de decimarum sanctitate dicitur, non nisi de secundis decimis intelligitur. Et Hebræi primas decimas, ut communes res æstimant, quia dictum est *Num.* XVIII. 27. Ut imputetur vobis oblatio vestra, sicut frumentum ex area & maturus liquor ex torcularis lacu. Sicut igitur frumentum & liquor e torcularis lacu res communes sunt, ita etiam Decimæ primæ. Non solum de frugibus, sed etiam arboribus Decimæ dabanrur, uti Hebræi loquuntur, testis hujus est *Maimonid. tom.* III. *in Trumoth c.* II. *s.* 1. 2. 3. Omne esculentum, inquit, quod custoditur & ex terra capit incrementa, decimis est obnoxium, & præceptum est nobis separare has primitias Sacerdoti. *Deut.* XVIII. 4. Quemadmodum frumentum & oleum & vinum, quorum mentio *Num.* XVIII. fit, sunt esculenta & ex terra incrementa capiunt & Dominos habent, uti dictum: Frumentum tuum. E. & his similia sunt oblationi obnoxia. Viciæ licet non sint hominis cibus, verum cum tempore famis comedendus, oblationi decimarum sunt obnoxiæ. Semina hortensia, quæ non sunt hominis cibus, ut semen rapi, Cortinon, cæparum & his similia, libera sunt a Decimis, quia non esculentum hominis sunt: verum semina viridium herbarum Decimationi obnoxia sunt. Olera quamvis sint cibus hominis, tamen Decimationi non sunt obnoxia, nisi ex Scribarum decreto. De Decimarum generibus & modo tam frumenti & agrorum, quam pecorum fuse egit. *D. Quensted. in antiquit. Bibl. a pag.* 249. *usque* 256. qui evolvendus. Conf. *B. Joh. Frischmuth. dissert. de Decimis, Johan. Selden. in tract. Anglice scripto de Decimis, Joh. Henric. Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. a pag.* 151. *usque* 155. *Guilelm. Outram. de sacrif. pag.* 114. 115. *edit. Amstel.* 1678. *Henry Ainsvvorth.* variis locis.

6 *Primitias & victimas.*) Variis in locis mandadatur a Deo, ut Israelitæ primitias offerant, de quibus videndus sæpe laudatus *Quensted. in antiquit. Bibl. pag. m.* 241. 242. 243. *seq.* Utque Deus reliquis fructibus benediceret, primitias omnes sibi concedendas postulavit *Rom.* XI. 16. *Ezech.* XLIV. 30. Primo qui geniti sunt Israelitis vel e sua sobole, vel ex pecudum fœtu sibi Deus addici voluit, quoniam illis pepercerat in Ægypto. *Num.* XVIII. 15. 17. Et Hebræorum Doctores referunt, quod quilibet obligatus sit sanctissime sanctificare primitias pecorum mundorum & dicere teneatur: Ecce! hoc sanctum esto. Omnes itaque tenentur sanctificare primogenitum e pecoribus mundis, tam *Sacerdotes*, quam *Levitæ* & *Israelitæ*: quamvis primogenitum ad Sacerdotem pertineat: Tunc offerre sanguinem & adipem super altare, reliquum autem carnis comedere debebant juxta Legem de primitiis. *Maimonid. in Bechoroth. c.* 1. *sect.* XLVII. Verum si vitiosum primogenitum deprehendatur, disquiritur, quid cum illo sit faciendum? Lex *Deut.* XV. 20. 21. id demonstrat, & *Hebræi* hoc ita explicant. *Maimon. in Becoroth. c.* 1. *sect.* 2. 3. cujus verba Anglice adduxit *Henry Ainsworth fol. m.* 113. *in Num.* XVIII. *The firstling of the cleane beast is slaine in the court-yard* (of the Sanctuary) *as other light holy things: they sprinkle the bloud and burne the fat, and the residue of the flesh is eaten by the Prists. If the firstling have a blemish fall on it after it is perfect, yet it is the Priests. If he will, he may eat it in any place, or he maysell it, or feed others with it, whom he will, trough it be an heathen: fort it is common thing; as it is written* in Deut. XV. 21. 22. *And if there be any blemish therein* &c. *Thou shalt eat it alike, as the Roe-bucke and as the Hart: and loe that is the Priests Goods. Es durffte der Priester, oder Levit solches selbst essen, oder andern auch, einem Heyden geben und ihn darmit speissen, oder aber er konte es auch verkauffen, wem er wollte.* De materia, modo offerendi & aliis rebus fuse recensuerunt, *Quensted. cit. l. Joh. Henric. Otho in Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 484. *seq. edit. Genev. Joh. Henric. Hotting. de jure Hebræor. pag.* 89. 90. Ut autem intelligamus, quæ fuerint illæ primitiæ seu dona, quæ *Sacerdotibus* & *Levitis* dabantur, ex *Maimonidis Biccurim c.* 1. *s.* 1. videbimus: Viginti quatuor igitur erant dona, quæ Deus Sacerdotibus dare jusserat, & omnia exprimuntur in Lege, & quæ ad omnes pertinebant, qui in fœdere cum Aarone comprehensi erant. Octo horum Sacerdotes nullibi, quam in Sanctuario comedebant. Et quinque nullibi, quam Hierosolymis consumebant intra murum civitatis. Et quinque solummodo in terra Israel. Quinque autem tam intra, quam extra terram Israelis edebantur. Et unum a Sanctuario competebat illis. Octo dona, quæ illis non licebat alibi consumare, quam in Sanctuario, hæc fuerunt, (1) caro de sacrificio pro reatu, sive avis, sive pecoris fuerit, *Lev.* VI. 25. 26. (2) caro sacrificii pro peccato. *Levit.* VII. 16. (3) Sacrificii Eucharistici. *Levit.* VII. 18. & XXIII. 19. 20. uti *Maimonid. tract. de offer. sacrif. c.* IX. *s.* 3. & *cap.* X. *s.* 6. 7. testatur, & ubi leges & regulas explicat, quas *Henry Ainsworth* his verbis recenset: *The peace offrings are eaten the day that they are Killed, and all that night, and all the next day, untill sonne setting.* Lev. VII. 16. 17. 18. *so they are eaten two dayes and one night. —— And the same law is for the sin-offring and for the Tres pass-offring, and for peace-offrings of the congregation, and the residue of the Meat-offrings; for all are eaten that day and that night.* i. e. *Eucharistica Sacrificia eo ipso die, quo jugulabantur, comedebantur & nocte, & postero die usque ad solis occasum.* Levit. VII. *Eadem lex est in sacrificiis pro reatu, pro peccato & Eucharisticis congregationis, & in residuis libationum; nam omnia die nocteque eadem consumebantur.* (4) Reliquiæ *Omeri Levit.* XXIII. 10. ibi *Salomon Jarchi* explicat *Omer*, quod sit decima pars *Ephæ*, Hebr. עומר cujus varias significationes vid. in *Critic. Poli.*

edit.

edit. Francof. fol. 553. Non ſinguli ſingulos offerebant manipulos, ſed omnes unum e publico vel vicinia nomine totius populi. Hebræi ita referunt: In Paſchate manipulum ultra quotidianum ſacrificium offerunt a primo die uſque ad ſeptimum, juxta additionem novæ Lunæ, duos tauros & arietem & ſeptem agnos & capram ad ſacrificium pro peccatis: quæ omnia comeduntur ſecundo die Paſchatis, qui decimus ſextus dies menſis Niſan eſt vel Martii, *Num.* XXVIII. 11. 19. 24. Plus offerunt quam aliis diebus, agnum in holocauſtum cum *Omero* agitationis & elevationis. *Levit.* XXIII. 12. & hoc eſt ſacrificium comeſſationis &c. *Maimonid. in Tamid. c.* VII. & *Talmud Babyl. in Menachot. cap.* X. (5) Reſiduum in ſacrificiis libationum. *Levit.* VI. 16. (6) Duæ collyræ. *Levit.* XXIII. 17. panes agitationis duo: horum modum deſcribit *Maimonid. in Tamid. c.* VIII. *ſ.* 3. 10. (7) Panes propoſitionis *Levit.* XXIV. 9. (9) Logus leproſorum olei *Levit.* XIV. 10. uti *Maimonid. in Mechoſr. Capporah. cap.* IV. & *Talmud Babyl. in Negag. c.* XIV. *ſ.* 14. ſcribit: Reliquum olei hujus Logi non editur, niſi in atrio a maſculis Sacerdotum, uti aliæ res ſanctiſſimæ. Et hæc octo dona non comedebantur, nec concedebantur edi, niſi in Sanctuario. Sequuntur nunc alia *quinque* dona, quæ comedere nefas erat, niſi in urbe Hieroſolyma, quorum (1) erat pectus & armus in ſacrificiis Euchariſticis. *Levit.* VII. 34. Vid. *Maimonid. tract. de oblat. ſacrif. c.* X. *ſ.* 6. 7. 8. (2) Sacrificium elevationis confeſſionis. *Levit.* VII. 12. 14. ſeu gratiarum actionis. Hæc confeſſio ſeu gratiarum actio fiebat pro liberatione, quam a Deo acceperant, uti *Salomon Jarchi* in hunc locum, ac qui naufragium fecerant & liberati erant, qui iter per deſertum perfecerant, ſeu captivi ducti, ſeu lecto affixi priſtinam valetudinem recuperaverant. Hi obligati erant, gratias agere Deo, uti ſcriptum in *Pſalm.* CVII. 4. 10. 17. 21. 22. 23. Si quis igitur horum voverat Euchariſticum ſacrificium, ille tenebatur ſecum ferre panes, & hi hoc die & hac nocte comedebantur. Vid. *Henry Ainsworth comment. in Levit.* VII. *fol. m.* 38. *edit. Lond.* (3) Sacrificium agitationis & elevationis arietis Nazaræorum *Num.* VI. 17. 20. (4) Primitiæ omnium mundorum pecorum. *Num.* XVIII. 15. *Deut.* XV. 19. 20. (5) Primitiæ frugum. *Num.* XVIII. 13. Hæc omnia ſacrificiorum dona non niſi in urbe Jeruſalem edebantur, uti aſſerit *Maimonid. in Biccurim. c.* 1. *ſect.* 2. Quicunque comedit dona, in quibus ſanctitas, benedicit Deo, qui ea ſanctificavit ſanctificatione Aaronis. Sequuntur nunc alia quinque dona, quæ tantum pertinebant ad terram Iſraeliticam (1) Sacrificium agitationis & elevationis primitiarum. *Num.* XVIII. 12. (Nam hæc ſacrificia Sacerdotibus & Levitis dabantur, ut in terra Iſraelis comedant de illis. *Maimonid. in Trumoth. c.* III. *fol.* 23.) ſcil. frumenti, olei & vini. Et per hæc tria Hebræi omnis generis cibos intelligunt, qui e terra proveniunt & hominibus conducunt. (2) Sacrificium agitationis & elevationis decimarum. *Num.* XVIII. 28. (3) Primitiæ maſſæ collyræ. *Num.* XV. 20. *Maimon. in Biccur. cap.* VI. *ſect.* 3. 11. 12. 15. 16. *& cap.* VIII. *ſ.* 1. 2. 5. Et hæc tria ſancta erant. (4) Primitiæ vellerum ovium. *Deut.* XVIII. *Maimon. in Biccur. c.* X. (5) Civitates & prædia poſſeſſoria. *Num.* XXXV. Et hæc duo communia erant. Quinque Sacerdotibus ubivis locorum conveniebant, erantque (1) Donum beſtiæ mactatæ, ubi pectus, armus & ſtomachus Sacerdotibus erant. *Deut.* XVIII. 3. (2) Redemtio primogeniti. *Num.* XVIII. 15. (3) Primitiæ aſini. *Exod.* XXXIV. 20. *Num.* XVIII. qui redimebatur agno, ſive ex ovibus, ſive capris, & ille agnus ſit vel maſculus vel fœmella, & juxta Hebræorum ſententiam vitioſus vel perfectus, pinguis vel macer. *Maimon. tract. de primit. c.* XII. *ſect.* 10. (4) Reſtitutio illius, quod rapina extraneo fuerat ablatum. *Num.* V. 8. de qua re videatur *R. Chazkuni* in h. l. cujus verba hæc ſunt: *Deus ſanctus benedictus pater eſt extraneorum, & hæreditare illud vult, quod ſuum eſt: quare tradendum eſt illud* (rapina ablatum) *filio domus ſuæ, qui eſt Sacerdos*: & *Maimon. tract. de rapina c.* VIII. *ſ.* 4. 9. (5) Omnia devota. *Num.* XVIII. 14. כל-חרם omne devotum, qua voce Lucas utitur, *cap.* XXI. 5. de donis, quibus templum adornatum erat. Sæpiſſime autem hæc vox adhibetur pro deſtruere, ſeu confiſcatione bonorum. Hic autem pro re Deo vel Sacerdotibus. Vid. *Poli Critic. edit. Francf. fol. m.* 631. *Maimonid. in Erachin cap.* VI. *ſect.* 1. 4. hanc diſtinctionem profert: Qui dicit, hæc res devota erit in conſervationem Sanctuarii, ſeu devota Deo &c. devota eſt Sanctuario vel Deo. Verum quando dicit: Hoc abſolute devotum eſto, tunc ad Sacerdotes pertinebat. Deo devota igitur redimi poterant pretio: verum Sacerdotibus devota, nunquam redimi poterant. De his devotis dicitur *Levit.* XXVII. 28. NON VENDUNTUR, NEC REDIMUNTUR. Et hæc quinque dona quovis reſpectu communia erant. Donum vero, quod a Sanctuario illis conveniebat, erant pelles holocauſti. *Levit.* VII. 8. uti affirmat *Maimonid. in tr. de ſacrif. c.* V. *ſ.* 19. 20. Dona vero, quorum tam viri, quam mulieres participes erant, fuerunt quinque: (1) Sacrificia agitationis primitiarum. (2) Sacrificia agitationis decimarum (3) collyræ. (4) dona pecorum. (5) primitiæ vellerum. Conf. *Maimon. in Biccurim cap.* I. *ſect.* 1.

7 *Deterior Levitarum conditio*) Affirmat hoc loco Maimonides, quod in ſpoliis *Levitæ* parem portionem habuerint, ut cæteri Iſraelitæ. Verum huic contradicere videtur Sacra Scriptura *Num.* XVIII. ℣. 20. ubi expreſſis verbis dicitur, quod *Levitæ* nullam hæreditatem nec partem habere debeant; quæ vox ſane, teſte *Henry Ainsworthio*, ſignificat partem in ſpoliis, quando ita ſcribit: *This word though often it be ſpoken of a part or portion of Land, yet alſo it is meant of a part in the ſpoiles gotten by warre of the Canaanites, but Levi might have none, becauſe the Lord had given him his portion in the holy things, and he was to warr another warfore in the Lords Sanctuary.* Ex his ſane conſtat, nullam portionem de ſpoliis eveniſſe tribui *Levi*. Id quod ipſos Hebræos ſtatuere conſtat, teſte *Maimonide tom.* III. *tractat. de Jubil. cap.* XIII. *ſect.* X. cujus verba Anglice retulit ſæpe citatus *Henry Ainsworth. fol. m.* 114. *in Levit.* his verbis: *All the Tribe of Levi are warned that they have not inheritance in the land of Canaan, like wiſe they are warned that they take not part of the ſpoile, at the time when they conquer the cities.* Deut. XVIII. 1. *And a ſonne of Levi, that taketh a part of the ſpoile, is to be beaten.* i. e. *Univerſa tribus Levi admonetur, quod nullam partem habeat in terra Canaan, ſimiliter ne partem ſpolii poſſideat tempore illo, quo urbes vi occupantur & in poteſtatem rediguntur. Et ſi filius Levi partem aliquam de ſpoliis recipiat, flagris cæditur.* His verbis prioribus ſequentibus contradicit, quæ author noſter adduxit.

8 *De ædibus urbanis lex*) Per ædes urbanas intelligunt Hebræi tales, quæ in civitate muro cincta ſitæ ſunt. Obſervandum autem, quod civitates muro cinctæ illæ dicantur, quæ tempore *Joſuæ* & deinde *Eſræ* tales fuerunt; verum quæ poſtea muro circumdatæ fuerunt, non habentur pro urbibus, teſte *Maimonide in Jobel. cap.* XII. *ſect.* 15. ita ſcribente: Civitas *quæ non muro cincta erat, cum Joſua occuparet terram, licet deinde circumdata muro fuerit, attamen ſimilis domui in pago: Et civitas, quæ tempore Joſuæ muro cincta erat, licet jam illo careat, attamen habetur pro muro cincta.* Sic etiam tempore *Eſræ*, quæ ingreſſio ſecunda dicitur.

9 *Haud idem juris*) A communi urbanorum ædificiorum lege excipiebantur urbes Levitarum privilegiatæ, de qua re Lex ita habet: Domus in urbe Levitica a Levita vendita ſemper habet jus גאלה; ſed a Levita, non alio, eſt redimenda; vel ab emtore in Jubilæo Levitis eſt cedenda: ager vero ſuburbanus Leviticus plane non alienari, nec ejus uſusfructus locari, vel in emphyteuſin dari poteſt. Audiamus *Maimonid. in Jobel. cap.* XIII. *ſect.* 7. *Levitis & ſacerdotibus licuit omni tempore, quando illis placuerit, redimere domus in civitatibus muro cinctis, quamvis effluxis aliquot annis demum id fiat.* Obſervandum autem, quod redemtor non alius ſit, quam *Levita*. Conf. *Maimonid. in Jobel. c.* XIII. *ſ.* 8. 9. *Henry Ainsworth. comment. in Levit.* XXV. *fol. m.* 160.

10 *Jeroſolymæ ſanctitas*) Urbs hæc, quæ *Tacito lib.* V. *hiſt. cap.* II. & VIII. famoſa dicitur, caputque gentis Judaicæ; *Plinio* vero *lib.* V. *hiſtor. natur. cap.* XIV. *pag.* 101. longe clariſſima urbium Orientis, non ſacris tantum, verum etiam profanis ſcri-

pto-

ptoribus digna visa fuit. Hanc urbem juxta quasvis circumstantias declararunt *Cornel. Tacit. lib.* v. *histor. Christian. Adrichom. Delph. in descript. Jerusal. Johan. Baptist. Villalpand. in appar. urb. Sanct. Henric. Bunting. in itin. Script.* Joan. *Lightfoot. in cent. chorograph. Salmer. prolog.* XLII. *Pined. cap.* I. *Eccl. Joseph. lib.* VII. *de bell. c.* XVIII. *Serrar. c.* x. *Jud. qu.* 2. *Lorin. Act. c.* 1. 4. De hujus vocis origine & significatione annotata *in Sigon. de Republ. Ebr. lib.* I. *c.* VII. *fol. m.* 91. *seq.* consulenda.

[11] *Cœnaculum*) Apud Judæos sic tulit usus ac ratio Religionis, ut quique felicioris sortis ac sanctioris vitæ homines partem aliquam ædium suarum pietatis doctrinæque exercitiis propriam haberent. Sita illa erat in superioribus domus, proxima, ut videtur, tabulato, fenestris apertis, versus illum cardinem cœli, in quo templum locatum erat. Illuc se conferebant, non tantum quoties soli, Deo & conscientia testibus, per familiariores precationes cum Numine commercium colebant, aut feriis meditationibus rerum divinarum incumbebant, sed etiam, ubi cum aliis de Lege divina colloqui ejusque sensibus disputare, aliisque sacris exercitationibus vacare volebant. Hujus generis videtur fuisse conclave, quod *Zarephtana* mulier *Eliæ* præparaverat, ad se divertenti. 1. *Reg.* XVII. 19. Insignior etiam locus exstat *Daniel.* VI. 10. ubi ejusmodi conclavis sacri fit mentio. Cum enim *Darius* Rex triginta dierum spatio omnibus interdixisset supplicationibus apud Deum, aut hominem, præter se solum instituendis, Danielem solito more adscendisse בעליתה *in cœnaculum suum*, constat, quod erat ex *adverso Hierosolymæ*, instructum fenestris apertis. Ex his elucet privatorum oratorium, simulque adducitur forma & delineatio. Conclave, inquam, conspicitur in parte domus superiore, destinatum precibus ceterisque exercitiis sacris, cui versus Hierosolymam fenestræ fuere apertæ. Confer huc plur. different. doctissimum *Campegi. Vitring. de Synagoga vetere lib.* I. *part.* I. *cap.* VI. *pag. m.* 145. 146. 150. 51. *seqq. edit. Franeq.* 1696.

[12] *Cum municipiis*) Olim Municipia dicebantur illæ civitates externæ, quibus civitatis Romanæ jus datum erat, ita, ut muneris honorarii cum populo Romano participes essent, jus suffragiorum & Magistratuum in urbe capiendorum non haberent, cætera pari cum civibus Romanis conditione essent, suis tamen plerumque relicti legibus. Ab his municipiis differebant *Coloniæ*. Vid. *Sebastian. Almers Manuale juris edit. Brem.* 1668. *pag. m.* 266. Conf. *Martini Lexic. Etymolog.*

[13] *Eximium*) Urbs Hierosolymitana multa præclara habuit præ reliquis civitatibus privilegia. Erat sanctissima, in qua nullus mortuus poterat pernoctare. In ea comedi debebant sacra leviora & decimæ secundæ. Nullum in eo debuit esse fimetum. In ea non faciebant caminos propter fumum, nulli alebantur galli propter Sacra. *Maimonid. Hal. Beth Habech. c.* VII. Nunquam serpens aut scorpio cuiquam nocuit intra Hierosolymam. Nec dixit unquam quispiam proximo suo, arctus nimis mihi est locus, in quo Hierosolymis hospitor. *Avoth. cap. n.* 5. Hierosolymæ non occurrit Anathema, nec titubavit quispiam. Nec evenit illic conflagratio nec ruina. Nullus unquam conquestus est, se non reperiisse clibanum pro Paschate, aut lectum pro quiete. Vid. *Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 264. *edit. Genev.*

[14] *Nec hortos nec viridaria*) Non plantant in ea arbores & hortos; Qui ibi fuerunt jam a tempore priorum Prophetarum plantati fuerant. *Avoth. Rab. Nathan. fol.* 9. Rationem, quare hortos non permiserint in urbe, hanc reddunt patres traditionum in *Bava Kama. cap.* VII. Non faciunt in Jerusalem hortos aut paradisos משום סרחא propter fœtorem. Glossa. Propter fœtorem ab herbis malis, quæ projiciuntur: mosque est hortos stercorare, atque inde fœtor. Conf. *Joh. Lightfoot. Chorograph. cap.* XXI. *pag. m.* 44. *edit. Lips.*

[15] *Mortuos sepelire*) Maimonides in *Schemittah Vejobel. cap.* XIII. Suburbana urbium Levitarum erant 3000. cubitis ab unoquoque latere a mœnibus scil. urbis & extra, sicut dicitur: A mœnibus urbis & extra mille cubiti: Et mensurabitis ab extra urbem bis mille cubitos *Num.* XXXV. 4. 5. Ubi *Græcus* bis mille cubitos legit, cujus verba ita explicat *Henry Ainsworth. comment. in Num.* XXXV. *fol. m.* 202. *The Greecke saith two thousand cubits, at it is in the verse following: where the Lord speaketh of two thousand cubits: so the thousand cubits here mentioned some thinke to be meant of holy measure, double so much as the common;* Hinc Maimonid. *Mille priores suburbana erant, & bis mille posteriores erant pro agris & vineis*. Unicuique harum civitatum locum sepulturæ statuerunt extra hosce terminos; nam intra illos terminos non licuit mortuum sepelire. Rationem quæris? Non tam ad evitandam pollutionem, quæ contrahi potest a sepulcro, quam ob curiosam Scribarum interpretationem Legis, dicentis: Suburbana prædia harum civitatum Levitis data esse pro pecoribus & jumentis. Pro vivis ergo inquiunt illi, non pro mortuis aut sepultura. Conf. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 326. *edit. Genev.* Hunc ritum quoque observarunt *Romani*, quibus lege sancitum erat: *Hominem mortuum* in urbe ne sepelito. *Dodec. de Jur. Sacr.* §. 6. *cit. a* Joh. *Doughtæo in Analect. Sacr. part.* 2. *pag. m.* 51. In urbe sepeliri lex vetat, inquit *Cicero*. Similis erat Atheniensium mos, teste *Cicer. epist. famil.* 54. Conf. *tract. de luctu Græcor. Kirchmann. de funer. Rom. p.* 262. *seq. edit. Brunsvic.*

[16] *Caput gentis*) Apud Ebræos κατ' ἐξοχὴν urbs vocatur, qua Hierosolyma indicatur, uti authores hac formula sæpe utuntur. Sicut enim *Urbis* nomen simpliciter prolatum, *Romam*, apud Latinos significat, ut Quintilianus testatur; & *Athenæ* Urbis vocabulo denominantur; ita Hierosolyma apud Ebræos. Etenim erat ipsa omnium Orientis urbium longe præclarissima, ut *Plinius* affirmat, & *C. Tacitus* assentitur. Erat Urbs hæc civitas Dei, urbs perfecti decoris, gaudiumque universæ terræ. Erat ibi regia & suprema judiciorum curia. Vid. *Dilher. disp. volum. pag. m.* 92. *Dieter. antiquit.* aliosque.

[17] *Eversa illa.*) Intelligit author plenariam eversionem. Quamvis enim semel amissam in exilio Babylonico regiam & absolutam imperandi formam nunquam recuperaverint, sed semper Monarchis, primo quidem *Persarum*, tum *Græcorum* & demum *Romanorum* paruerint, semper tamen inde a captivitate Babylonica usque ad natum Christum aliquem habuerunt Principem & Ducem, qui, permittentibus Monarchis, illis juxta instituta propria Rempublicam administravit. Quorum primus *Zorobabel*, quo Duce, *Cyri* Regis indultu, *Judæi* ex *Babylonia* adscendentes *Hierosolymam* cum templo primum reædificare cœperunt. Hic successores habuit *Esram* & *Nehemiam*. Mortuo *Nehemia* ad Pontifices rerum summa pervenit, ceu ex historia *Jaddi* Pontificis, qui *Alexandro Magno Hierosolymam* obsessuro obviam processit, apparet. *Jaddum* excepere *Onias*, *Simon* cognomine *Justus*, *Eleasar*, *Manasse*, *Onias II*, *Simon II*, *Onias III*. *Jesus fil. Josuæ*, qui *Jason* appellari maluit, *Onias IV*. qui *Menelaus* vocari voluit, *Lysimachus*, *Alcimus*. Hanc potestatem in eo ordine postea בית חשמונאי *familia Chasmonæa* (ut vocant Judæi) sive *Maccabæi* (ut ab aliis appellantur) continuarunt, primusque *Maccabæorum* fuit *Matthatias*, cujus fortitudo bellica & studium in restaurando cultu divino 1. *Maccab.* 2. & apud *Joseph. lib.* XII. *antiq. Judaic.* prædicantur. Is antequam moreretur, *Judam* filium successorem constituit. Hunc a *Bacchide Demetrii Syriæ* Duce interfectum excipiebat *Jonathan* frater, cui tandem surrogatur tertius fratrum *Simon*, qui etiam *Matthæus* vocabatur, cujus auspiciis arx Hierosolymitana recepta est, *Syrorum* præsidio inde ejecto. *Simonem* sequebatur *Johannes Hircanus* dictus, huncque *Aristobolus* cognomine φιλέλλην, filius *Hircani*, qui diademate sibi imposito Regis titulum primus post *Zedekiam* resumsit, *Joseph. lib.* XIII. *c.* XIX. licet Regis potius imaginem referret, quam ut Rex verus, & quidem talis, quales priores erant, dici mereatur. Posteri quoque *Aristobuli* regium nomen usque ad *Herodem* retinuerunt, qui ex *Antipatro* Idumæo natus, tum a Senatu Romano, tum a Cæsare ipso Rex Judæorum constitutus, test. *Joseph. lib.* XIV. *c.* XVI. *& lib.* XV. *c.* X. potestatem familiæ *Chasmonææ* eripuit, & genus eorum exstinxit. Herode mortuo Regnum ejus in *Tetrarchias* ab Augusto Cæsare scissum est, ita, ut filii ejus, *Archelaus Judæam*, *Philippus* & *Antipas* reliquam re-

regionem gubernarent. Cum vero *Archelaus* ob regnum male adminiſtratum, ab *Auguſto* extruſus eſſet, *Judæa* in provinciam redacta eſt, & *Judæi* tunc Regulos quoque ſuos & Duces amiſerunt, omnique jure adminiſtrandæ Reipubl. quod per varios caſus variaque diſcrimina hactenus utcunque conſervaverant, paulatim excidentes, a Cæſaribus Romanis Procuratores, *Quirinum*, *Marcum Ambivium*, *Annium Ruſum*, *Valerium Gratum*, *Pontium Pilatum*, *Cuſpium Fadum*, *Tiberium Alexandrum*, *Cumanum*, *Felicem*, *Porcium Feſtum*, *Albinum*, *Geſſium Florum*, acceperunt. Interim, licet hoc modo patria libertas & leges domeſticæ, ut & jus vitæ & necis Judæis fuerint ademta, *Synedrium* tamen illud magnum conſtans, & ad poſtrema uſque & deſolationi proxima tempora permanſit, & jus vitæ ac necis in eos, qui vel in Deum, vel religionem blaſphemi injurii eſſent, diu uſque ad *Albinum* penultimum Præſidem retinuiſſe videtur. Apparet igitur, tempore Apoſtolorum funditus nondum deletum fuiſſe. Conf. Excell. D. *Wagenſeil in diſſert.* de loc. *Geneſ.* XLIX.

[18] *Adimendumque ſceptrum.*) Quid per ſceptrum intelligatur, fuſe demonſtrarunt Excell. *D. Wagenſeil* de re literaria optime meritus ad locum *Geneſ.* XLIX. *pag. m.* 290. 291. *tel. ign. Satanæ edit. Altdorff.* 1681. *Andr. Senert. in Exercit. Philolog. de ſceptro Judah. Witeb.* 1675. §. 3. *Dieter. in antiquit. Bibl. fol. m.* 139. *Nicol. Panec. diſſ. Philol. Witteb.* 1694. Non amiſerunt id decus Judæi, niſi poſtquam, exciſa urbe incenſoque templo, rempublicam aliquam habere ſuam, ſeque ſuis legibus regere, deſierunt. Vide, ſi lubet, quæ congeſſit *Rivet. Exercit. in Geneſ.* CLXXVIII. *Bonav. Cornel. Bertram. de Republ. Judaic. cap.* XIII. Equidem hæc ſententia, quæ Judæis uſque ad excidium Hieroſolymæ aliquod ſceptrum, ſive aliquam Rempublicam tribuit, popularior eſt, & oraculo Prophetico explicando congruentior, neque enim vaticinia ejuſmodi ex accuratiſſima ſemper & adſtricta vocabulorum ſignificatione, ſed ex communi conſuetudine loquendi, ſæpe accipienda ſunt. Alias negari nequit, ad philoſophantium ἀκρίβειαν non male convenire, quæ *Hugo Grotius* habet *de jure Belli & Pacis lib.* IV. 7. ubi negat, *Maccabæos uſos jure populi*, cui αὐτονομία deberetur. *Nam Judæi*, inquit, primum a *Nebucadneſare* devicti jure belli, ex eodem jure ſucceſſoribus Chaldæorum Medis & Perſis paruerant; quorum totum imperium ad Macedonas devenit. Hinc Judæi *Tacito* vocantur, dum *Aſſyrios* penes *Medoſque* & *Perſas* Oriens fuit, viliſſima pars ſervientium. Nec quicquam ab *Alexandro* ejuſque ſucceſſoribus ſtipulati ſunt, ſed ſine ulla conditione in eorum ditionem venerunt, ſicut ante ſub ditione Darii fuerant. Quod ſi & Judæi interdum ritus ſuos & leges palam exercere permiſſi ſunt, id fuit ex Regum beneficio jus precarium, non ex lege aliqua addita. Ad interitum ultimum Reip. ſub *Veſpaſiano Cunæus* noſter vocem illam: *exeamus hinc* (*Joſeph. bell. Jud.* VII. 12.) refert. *Tacitus* noſter illam vocem, more gentilium de Diis præſidibus atque cuſtodibus loci accepit enunciavitque: audita major humana vox: excedere Deos, ſimul ingens motus excedentium. Optime igitur Excell. *D. Wagenſeil. pag. m.* 298. *tel. ign. Satan.* ſcribit: Itaque nihil reſtabat, quam ut paulo poſt ſupremus prædictis rerum eventibus cumulus accederet, quod tum factum eſt, quando poſt Meſſiam cruci affixum, urbe Hieroſolyma capta & cum templo funditus everſa, omnino omnis ſimul eſt deleta totius *Reipubl. Judaicæ* forma ac ſpecies, non profana minus quam ſacra. Conf. *And. Sennert. diſput. Philolog.* §. 8.

[19] *Haſidæorum.*) Horum etymologiam vide in diſſert. doctiſſima *Rhodii*, *Profeſſor. Ulmenſium Gymnaſ. celeberrimi de Eſſæis*. Erant itaque, teſte *Johanne Schmidio in diſſert. de Phariſæorum Secta edit. Erffurt.* 1674. ejuſmodi homines, qui præter præcepta Dei ſeu legis, ſupererogationes, ſeu voluntarias functiones, nullo cogente, obibant. Quamdiu nunc ſupererogatio uſu tenus obſervabatur, & *Haſidim* in Templum quotidie conveniebant, atque agnum immolabant, qui dicebatur oblatio *Haſidim* pro peccato, excipiebatur tamen dies undecima *Tiſri*, poſtridie diei *Kippburim* (de qua ſupputatione vid. *Scalig. Elench. Tribæreſ. Serar. c.* XXII. *pag.* 168.) Quamdiu item *Karraim* legem, Prophetas, & hagiographa obſervabant, tamdiu Eccleſia Judaica adhuc potuit eſſe tranquilla ad tempora *Sadock* & *Boethi* ſive *Baithi*. Vid. *Druſ. lib.* 1. *de Sect.* Jud. *c.* 11. *pag. m.* 49. donec illi de pœna peccatorum & remuneratione benefactorum dubitare inceperunt hinc enata hæreſis Sadducæorum annis circiter ante Chriſtum natum 226. Vid. *Hottinger. Theſ. Phil. pag.* 34. *Bertram. de Republ. Ebr. c.* XIX. cum comment. *L'Emper. pag.* 442. Conf. *Joſeph. lib.* XIII. *antiq. lib.* XIII. *c.* VIII. *& lib.* XVIII. *c.* II. item 2. *de bell. c.* XII. Cum item ſupererogationis præcepta in canones redacta & ſcripto mandata, tunc multa dubia orta, diſputationes, item altercationes ſuccrevere, & ab illis *Haſidim* (qui erant ante σύστημα ὁσίων corporati devoti, vid. *L'Emper. annot. ad Bertram. Rempubl. Ebr. c.* XIX. *pag.* 440. & a Græcis φρατρίαι vocabantur, *Scal. Elench. Tribæreſ. cap.* XXII. *pag.* 168.) ſive *Sancti*. Vid. 1. *Macchab.* II. 42. *c.* VII. V. 13. 2. *Macchab.* XIV. 6. Huc ſpectat Liber apud Ebræos, quo dicta & facta piorum & ſanctorum Virorum exponuntur, & ab hoc ipſo nomine *Haſidim* inſcribitur. Vid. *cit. diſſert. Rhodii*. Obſervatu etiam digna ſunt, quæ *Caſaub.* in hanc rem habet in *animadverſ. ad Baron. Exercit.* 1. *pag. m.* 54. Proprie חסידים, inquit, pii omnes ſancti & benigni vocantur; neque illa appellatio ulli ſocietati magis fuit peculiaris, quam vox boni aut ἀγαθῶ· itaque liber extat inter Hebræos ſatis magnus חסידים inſcriptus, quia dicta & facta piorum ſanctorumque virorum exponuntur, non autem *Aſidæorum* duntaxat. Et apud Rabbinos familiare proverbium eſt, quo ſignificant, non poſſe filios terræ, i. e. imperitos & ignaros Legis vere pios eſſe. Poſtea cum Reges vicini vexarunt Judæos & cuperent eorum Religionem ire exſtinctum, factæ ſunt ejus populi duæ partes, unam conſtituebant οἱ ἀγαθοὶ, (ut eos appellat *Joſephus lib.* XII. *c.* XVII.) viri pii, veræ religionis retinentes, qui in libris Judæorum paſſim חסידים nominantur. Et paulo poſt: Alteram partem populi conſtituebant, qui in libro Regum Domus ſecundæ, *Gorionidæ* & aliis vocantur *impii* & *Legis proditores*. Confer. *Salden. otior. Theolog. exerc.* IX. *pag. m.* 566. Poſtea proceſſerunt *Dogmatiſtæ*, qui ſe ſanctos & tam ab *Haſidim*, quam a Vulgo ſegregatos dicebant, atque opera illa ſupererogationis ex neceſſitate præcipiebant, quod hominum genus ſucceſſu temporis dividi cœpit in *Phariſæos* & *Eſſenos*. Vid. *Druſ. integr. libro de* Haſidæis. Confer. *Scalig. Elench c.* XXII. *pag. m.* 170. *Petit. lib.* II. *Var. Lect. c.* VII. *Gorionid. lib.* IV. *hiſtor. Ebr. c.* XXIX. *Egeſippum lib.* 1. *Hiſtor. c.* 1. & alios.

[20] *Doni oblationem alienigenis*) Tertium Proſelytorum initiamentum erat *Oblatio* ſeu *Sacrificium*, quod confirmationis appellari poteſt. Cujus jus & originem, ſicut initiamenti, etiam ex aliqua inſtitutione divina ad Iſraelitas pertinente, afferre moliuntur Hebræi; & quidem ex eo, quod legem propediem acceptam, proxime *oblationes* ſeu ſacrificia comitarentur. *Exod.* XXIV. 3. ubi docetur, *Moſen* veniſſe ad populum, & omnia verba & judicia Domini narraſſe &c. Quo ipſo probare nituntur uniuſcujuſque nomine eſſe ſacrificatum, & in plenario initiationis, tam *Originariorum*, quam Juſtitiæ Proſelytorum, teſtimonium & confirmationem ſanguinem eſſe inſperſum. Confer *Selden. de Synedr. Ebr. l.* 1. *c.* III. Quamvis autem ob inſtitutionis indubitato ſanctæ defectum, ex placitis Hebræorum de mente ſatis liqueat, confirmationis hoc initiamentum, in Judaiſmum admittendo, non æque fuiſſe neceſſarium, ut duo alia, (ſcil. circumciſionem & baptiſmum;) utpote quæ tam neceſſariam ad ſe invicem, & ad Proſelyti juſti conſtitutionem, habere credebantur habitudinem, ut ſine circumciſione, talis Proſelytus nullus unquam factus fuerit, nec poſt tempus ſine Baptiſmi additamento ullum marem Proſelytum, vel illo ſolo ullam Proſelytam juſtitiæ potuiſſe proprie dici, vel eſſe, tertium tamen hoc cooptationis monumentum confirmatorium effeciſſe, ut Proſelytus ejuſmodi ſacris ex lege commeſſationibus aliquot dein, nec ante, ut *lib. cit.* loquitur *Seldemus*, haberetur idoneus, & ad Rempublicam Hebræorum florentem & Templi ſtantis ſanctitatem eſſe referendum, volunt: quo ſtante, etiam confirmationis neceſſitatem, licet non omnimodam, viguiſſe; exciſo autem, ceſſaſſe, & uſque, in ejuſdem reſtaurationem, falſo creditam, ceſſaturam: Spatio vero temporis intermedio, juſtitiæ Proſelytis ſponſionem *Oblationis*, re-

ædificato, in cerebro forſan eorum, templo, exſolvendæ, ſacrificii vices impleviſſe & implere. Quæ oblatio fuit holocauſtum ex pecore, aut bini turtures, aut bini columbarum pulli, utrique in holocauſtum. Confer *pag.* 248. 249. *Jacob Alting. diſſert. Academ. edit. Groning.* 1671.

[21] *In Judaiſmum ſe transderent*) Hi Proſelyti dicebantur, qui ex alia gente oriundi, Judaicam religionem in ſe recipiebant. Peregrini erant, qui ad conſortium Iſraelitarum, vel Religionis vel ſecularis alicujus commoditatis cauſa accedunt, atque proinde vel iiſdem fere cum Iſraelitis indigenis, vel ſolum incolatus juribus & privilegiis gaudent. Vid. *B. Clodii diſſert. de Proſelyt. pag.* 6. §. 4. *Sigonii annotat. edit. Helmſtad. Selden. de Synedr. Ebr. lib.* I. *c.* III. *Ludov. Michael. Croc. in not. ad Obad. pag. m.* 41. Quidam duorum generum fuiſſe ſtatuunt, uti citat. *Clodius* §. 5. *pag.* 7. Plurimi autem aſſerunt, triplices fuiſſe, inter quos Clar. *Hottinger. lib.* I. *theſ. Philolog. c.* I. *ſect.* III. *pag.* 18. *Leuſden. Philol. Hebr. mixt. diſſ.* XXI. *quæſt.* 2. *pag.* 143. *Selden. de Synedr. Ebr. lib.* I. *c.* III. Jacob. *Alting. diſſert. Philolog.* VII. §. 6. *pag. m.* 237. *plur. Vener. Carpzov. in not. ad Schikard. jus Reg. p.* 323. quos vide.

[22] *Perſugium illic*) Aſyla intelligit, loca, quæ quondam ſubveniebant innocentiæ in populo Judæo, dicta ſunt Ebræis ערי מקלט urbes receptus, ſive perfugii. LXX. Interpretibus φυγαδεῖα, φυγαδευτήρια, καταφυγαί. Anglus reddidit: *cities of refuge* ſeu *of gathering, becauſe the manslayer was there gathered and aud detained*. Aſylorum fit quoque mentio paſſim apud Scriptores. Ita ἄσυλος τόπος dicitur 2. *Mac.* IV. ἄσυλος γῆ apud *Euripidem*, ἄσυλος τράπεζα apud *Syneſium epiſt.* LVIII. Quamquam vero *Covaruvias lib.* II. *variar. reſolut. cap.* XX. a συρᾶν deductam velit hanc vocem, vix tamen admittendum eſſe videtur, cum commodius derivetur a verbo συλᾶν rapere, ſpoliare, violare, cui prefixa particula privativa α, deſignat vel perſonam vel rem vel locum aliquem inviolabilem, inſpoliatum & a preda immunem. Vid. *Mæbii aſylol. edit. Lipſ.*

[23] *Præſidiumque ſalutis haberent*) A vindice ſanguinis, qui perſequebatur eum. Non hic occupati erimus de voce גואל, cujus varias ſignificationes accurate pertractavit vir plur. *Reverend. Goetzius in diſſert. de redemtore Ebr. edit. Jenenſ.* 1661. גואל itaque erat, qui cædem ab injuſto occiſore ulciſcebatur. Vindicem vocamus Romano ore, a vindicta, quam exercuit, ſi non privata, certe quaſi privata, ab homine quippe privato, nec tamen prorſus authoritate privata, nec publica omnino facta. Vid. cit. *Goetzium* §. 3. Angli vocant an *Advenger.* Goel autem iſte quis fuerit, quæritur. Num itaque a veritate abberrabimus, ſi ſtatuimus, omnibus conſanguineis hoc jus adſcribendum eſſe, ex definitione ipſius Dei, qui id per הקרב אליו explicat *Levit.* XXV. 25. & variis amicorum generibus poteſtatem redimendi concedit, cum קרב ſine differentia quemlibet cognatum exprimat. Quod igitur de potentia diximus, id de remota intelligatur volumus, non proxima. Hoc enim, quod multorum erat jus, ab uno ſaltem exequendum fuit, eodemque modo exponendum cenſemus *Joſephum Antiq. lib.* IV. *c.* VII. quem *Oſiander* de *Aſyl. pag. m.* 62. & *Gelenium* ejus interpretem, quem *Seldenus de jur. N. & G. p.* 484. errare dicit, mox tamen *Philonem* eodem tenore locutum excuſans Maimonid. *Halach. Robzach. c.* I. & VI. Rab. item *Moſ. Mikotzi præcept. negat.* 160. & 161. quem *cit. laud. Goetzius* adduxit §. 5. Goelem definit per eum, qui hæres eſt futurus occiſi, deſumta definitione ex *Jerem.* XXXII. 7. 8. ubi quod prius גואל dixerat, mox per ירושה exponit Propheta. Unde *Lut.* per hæredem non uno in loco vertit Ebraicum Goel *Ruth.* II. 2. III. 9. 12. I. *Reg.* XVI. II. Idem hac lege innuit, ut, cum hæreditates ad normam propinquitatis conferri ſoleant, ita qui ſanguine propior, jure quoque potior audiat. Docet hoc *Maimonid.* hoc exemplo: *Cum pater occiderit filium ſuum*, tunc ſi occiſo ſit *filius*, ille *occidit avum ſuum, quia hic eſt vindex, ſi vero ipſi non ſit filius; nullus fratrum ſit Goel, qui occidere poſſit patrem ſuum*. Nempe quia pater propinquior eſt filio, quam frater fratri, indeque fratres vivo patre fratrum hæredes non ſunt, licet in mortui locum ſuccedant, jure quidem Judaico, quod in materia de hæreditatibus vide ſis apud *Selden. de ſucceſſ. in bona deſunct.* Cæterum unius occiſi non plures, ſed unum tantum debuiſſe Goelem eſſe, ex ſingulari, quo eum Scriptura ſemper deſignat, colligimus cum *Oſiandro de Aſyl. pag.* 63. licet argumentum, quod a Leviratus lege deducit ille, noſtrum facere nolimus, cum oppido diverſa ſit ratio uxoris, quæ communis eſſe non poteſt, æque ac dolor ex illata injuria communis eſt. Hinc ſi plures fuerint eodem gradu occiſo conjuncti, puta fratres, primogenito hoc juris adſcribendum videtur; de quo vid. laud. *Selden. l. c. c.* V. 6. *Buxtorf. Lex. Talmud. fol.* 596. Conf. prælaud. *Goetzius & Joach. Chriſt. Stoer. in diſſert. de vindic. ſang. edit. Witteb.* 1694. Ita circa perſonas diſcrimen nullum apud Judæos fuiſse deprehendimus, ſed omnis potius ad jus vindicis eſt remiſſus, dummodo ad hæreditatem eſſet aditus. Ita mulieribus privilegium concedit *Maimonid. c.* I. in defectu maſculorum. Vid. Clar. *Joach. Chriſt. Stoer.* §. 7. *c.* I. Nec Judæis ſolum, ſed etiam *Proſelytis* & gentilibus hoc privilegium conceditur, vid. §. 8. Conf. *Goetzius diſſert.* II. §. 6. *ſeqq.* Cum itaque Goel hic occiſorem occidere poſſet & quaſi obligatus eſset, licet dimittere eum vellet, uti pluribus confirmat *Plur. Rev. Goetzius diſſ.* II. §. 7. *de redemtore Ebræorum*, hinc ſe conferebat ad aſylum, ubi præſidium ſalutis habebat; illud poteſtati vindicis terminum ponebat, ultra quam lineam non poterat ſecare gladius Goeliticus, ſique hanc tranſgrederetur, gladio vindici Magiſtratus ſe ſubjiciebat. Ita enim *Maimonid.* הרגו בתוך תחום עיר מקלטו אפילו גואל הדם הרי זה נהרג עליו: *Si quis occiderit eum intra limites aſyli ſui, etſi vel ipſe Goel ſanguinis eſſet, occiditur propterea*. Vide *Mœb. de aſyl. Goetz. de redemt.* alioſque.

[24] *Qui imprudenter*) In Hebræo & Chaldæo legitur בשגגה ex errore factum homicidium, cujus homo quidem cauſa eſt, ita tamen, ut, cum actionem, ex qua proxime cædes ſequitur, vel non intenderit, v. g. ſi ſecuris ligna cædentem fallat, vel ſi intenderit v. g. Venator pro fera hominem feriens, non tamen ſub hac formali, quatenus eſt homicidium, intenderit, caſui magis atque errori, quam homini adſcribenda veniat, unde ejuſmodi factum, non delectatio, quæ alias ultimum eſt conſequens, ſed potius dolor ſequitur, quod Scriptura *Deut.* XIX. 4. quoque indigitat, requirens ut hominem odio habuerimus, idque Ebræi eo uſque extendunt, ut ſi quis oderit fratrem (quod ex triduano ſilentio colligi volunt ex *Deut.* l. c. *Maimonid.* יד חזקה *hal Roz. c.* VI. Quinam vero eſt oſor? ille, qui per triduum cum eo non colloquitur ex inimicitia, & *Kozenſ.* ספר מצוות גדול *præcept. affirmat.* 75.) etſi caſu facta ſit cædes, aſylo tamen privent, nam Maimon. *l. c.* expreſſe ſcribit: *Oſor qui occidit ex errore*, non recipitur *ab aſylo, dictum enim Deuter.* XIX. 4. *& ipſe non odio habuerit, & præſumtio contra ipſum eſt, quod ille ſit propinquus voluntario*. Vid. tract. *Joh. Adam. Oſiandri de Aſyl. edit. Tubing.* 1673. *pag. m.* 41. *ſeqq.* Homicidii igitur בשגגה ſive ex errore patrati triplex ab ipſis claſſis conſtituitur, uti ex *Maimonide Jad Chaſakah. c.* VI. conſtat: *Tres ſunt, qui involuntarie occidunt. Eſt qui occidit ex errore & ignorantia abſoluta, atque de eo dictum eſt Exod.* XXI. 13. *qui vero non inſidiatus eſt, & jus ejus eſt, ut exulet ad aſyla & eripiatur*. (2) *Eſt occiſor, ejuſque error prope accedit ad coactionem i. e. quando accidit in occiſione hac caſus aliquis mirabilis; qui non ſæpe reperitur inter caſus humanos. Hujuſque jus eſt, ut ſit liber ab exilio, & ſi eum Goel occiderit, ipſe propterea occidendus eſt*. (3) *Eſt qui erronee occidit, ejuſque error prope accedit ad voluntarium; iſque eſt, cum in facto ſit quaſi proæretica quædam peævaricatio, aut, ubi potuiſſet præmoneri, nec admonitionem admiſit. Juſque ejus eſt, ut nequeat exulare, quia delictum ejus grave eſt, nec eum expiat exilium, nec recipiunt aſyla, non enim recipiunt, niſi eum, qui ſolum exilium meruit*. Ad primam ſpeciem referunt Hebræi eum, qui de loco aliquo edito deſcendit, infelixque decidit, & hominem adſtantem interimit. Id quod non de homine tantum, ſed quolibet vaſe intelligendum; imo idem quoque ſecuri applicant, quæ inter ſcindendum attollitur, iterumque remittitur. Audiantur ipſorum verba, *Ramb. l. c. c.* VII. *Moſ. Kozenſ. præcept. affirm.* 75. *Raſchi, Bechai, Abarb.* aliorumque: *Qui evehit vas quoddam, illius in tectum attollendi gra-*

tia, idque disrupto fune in socium decidit, & occidit eum, aut qui scalam adscendit, caditque in socium suum & occidit eum, liber est ab exilio, est enim talis veluti coactus, quia hic casus non sæpe dabilis, sed veluti miraculum est. Si vero demiserit vas, idque deciderit super socium suum & occiderit eum, aut descenderit ipse per scalam, & ceciderit super proximum suum, aut devolverit per cylindrum aliquid, idque deciderit super socium suum & occiderit eum, tunc exulat, nam scriptum est (*Num.* XXXV.) *& ceciderit super eum, nempe qui ceciderit per modum descensus, ecce enim descensus deprehenditur sæpe noxius, estque res facile possibilis. Nam natura gravium est, ut descendant deorsum cum celeritate; quia igitur sibimet non prospexit, & opus suum apte ordinavit in descensu, exulat, & ita omnia huic similia. Lanio qui cædit, attollitque manum cum securi tergum versus, reducitque eam ad confringendum os aliquod ad modum mactatorum, ob eum qui interit, dum rejicit i. e. elevat antrorsum, & demittit* (Germ. dicunt: ausholen) *non exulat, propter eum vero qui perit, dum retrahit. i. e. elevat retrorsum, & demittit antrorsum* (germ. Zuhaben) *exulat. Summa. Omnis, qui in descensu suo occidit, exulat, qui non in descensu, non exulat*. Ad secundam speciem sive coactionem referunt, qui projicit lapidem, quem cum exierit ex manu, alius caput interponens intercipiat, scriptum enim est (*Deut.* XIX. 5. & tetigerit proximum suum, excepto sc. eo, qui semet ipsum tangi fecit. Item secundum sententiam eorum, qui intendit projicere lapidem horsum, & ille abeat aliorsum, aut in cujus sinu jacet lapis, ipse vero nunquam de eo rescivit & surgit, decidit vero ille & occidit; ita quoque cæcus, qui ex errore occidit, omnes hi sunt liberi ab exilio, quia prope veniunt ad coactionem. Tertiæ classi omnes eos includunt, quorum factum vel vincibilem ignorantiam, vel etiam proæresin quandam adjunctam habet. Qui projiciens lapidem in viam publicam occidit, aut, qui diruit murum suum in viam publicam, decidit vero lapis & occidit, sive diruat interdiu, sive noctu, prope accedit voluntario, nec recipiuntur ab asylo, quia hoc est quædam prævaricatio, debuisset enim prius videre, deinde projicere & diruere. Vide de his fuse disserentem *N.* Joach. *Christoph. Stoer. de vindic. sang.* Conf. Mœb. de *Asyl.* & *Osiandr.*

[25] *Ibi lene exilium*) Quamvis vero homicidium ejusmodi erroneum mortis pœna dignum non censuerit Deus, cum tamen vix sine levi aliqua culpa & imprudentia fiat, non prorsus etiam impunitum dimittere voluit, sed *exilio* sapientissime mulctatus est, urbibus certis in hunc finem constitutis, vid. *Num.* XXXV. *Deut.* XIX. *Jos.* XX. Equidem pœnam hanc hic non agnoscit R. *Abarbanel in Pentateuch. p.* 373. *col.* 2. sed beneficium potius interpretatur sequentibus: *Non præcepit Deus exilium occisoris involuntarii in pœnam ejus, non enim est pœna dignus, qui malum hoc non fecit arbitrarie. Scribit enim Philosophus, non esse æquum, ut peccator involuntarius puniatur. Non enim est pœna, nisi aut ad corrigendum peccatorem, ne peccet amplius, aut ad monendos reliquos hominum, ne idem faciant. Jam vero clarum est, omnibus etiam pœnis errorem non corrigi posse, cum non sit in potestate hominis illum impedire, igitur injustum est, illum propterea puniri. Ulterius etiam non locum habet correctio & præmonitio reliquorum in simili errore. Quare lex meminit, quod Deus homicidam involuntarium non reum fecerit exilii puniendi causa*. At vero cum peccata involuntaria etiam peccata sint, & commoratio hæc extra patriam molesta omnibus Judæis fuerit, non video, quid obstet, quo minus pœnam quoque hic agnoscere queamus, sed hoc non ex Philosopho, verum ex Scriptura Sacra erat discendum. Mittimus jam quod *Grotius* in *Num.* XXXV. 6. observat, etiam apud Græcos casus involuntarios *exilio* punitos esse, quod vero *Bechai Pirush al hattorah. parasch.* נוסעי *fol.* 205. *col.* 2. affirmet, mundi statim primordiis involuntario homicidio exilii pœnam injunctam fuisse, otiosi ingenii figmentis adscribimus. Verba ejus hæc sunt: *Judicium Legis est, ut homicida per errorem exulet, id quod etiam invenimus in primo homine, hocque est, quod dicit Scriptura* (Psal. XXV. 6.) *memento, Domine, misericordiæ & benignitatis tuæ, quia a seculo est, dicit David, o Domine mundi, misericordiæ & benignitates tuæ sunt erga occisorem, dum tu ipsi parasti civitates refugii, ut illuc confugiat, quia non occidit cum proæresi, nec etiam æquum est, ut moriatur. Hæ vero miserationes sunt a seculo, ita enim fecisti primo homini, qui mortem superinduxit omnibus posteris; Tu vero miseratus es ejus, ut esset exulans, sicut dicitur: & ejecit eum Dominus ex horto Eden, & porro: & expulit Adamum, ideo dicitur: memento Domine, &c.*

[26] *Pontifex maximus obiisset*) Mors Summi Pontificis libertatem pristinam conciliabat, & si Doctoribus Mischnicis credendum *Tr. Maccoth. c.* II. ad eosdem honores, quos ante exilium gesserat, evehebatur, quorum particulam ex annotationibus in paraphrasin *Chald. Onkel. Pauli Fagii in cap.* XXXV. *Num.* hic adjiciemus: *Homicida*, inquit ille, post obitum *Summi Pontificis domum reversus, ad pristina officia, munia*, dignitatem & potestatem, si quam antea habuit, rursus admissus fuit. Tradunt quoque Hebræi, matres Summorum Pontificum homicidis exulantibus sæpius munera misisse, & multa in eos beneficia contulisse, quo minus optarent mortem Summi Pontificis. Ferunt enim, Summum Sacerdotem eo citius mortuum fuisse, si homicidæ plures enixius mortem ejus a Deo precibus contenderent, quod illis in pœnam divinitus accidisse referunt, ut plures fierent homicidæ fugitivi, qui ipsius mortem optarent, si negligentius Pontificatum suum administravit. Istiusmodi ergo vota & preces homicidarum, matres Summorum Pontificum muneribus suis avertere conabantur. His tamen *Maimonid. l. c. c.* VII. & *Kotzens. affirm. præcept.* 75. non consentit, ita scribens: *Homicida reversus* ad urbem suam post obitum Sacerdotis magni, est sicut alius quivis homo, & si eum interemerit vindex sanguinis, occiditur propterea, jam enim expiatus sit, nunquam tamen redit in ea (urbe) ad dignitatem, in qua antea steterat, sed privatus manet per totam vitam, postquam magnum hoc infortunium per ipsum factum est. In eo vero *Mischnæ* consentit, quod oblatos etiam honores in asylo non recipere nisi coactus debeat. Nam *Ramban* & *Mos. c. l.* Occisorem exulantem ad asyla, si voluerint homines urbis ejus honore mactare, dicat eis, ego sum homicida, si dixerint ad eum, hoc non obstante accipiat ab illis.

[27] *Cujus mors*) Temporis hic nulla habetur ratio idemque mors Sacerdotis commodum attulit ei, qui vel unum modo diem asylo interfuerit, quam qui per integros viginti, & quod excurrit, annos ibidem delicti pœnam luerit, modo vivente adhuc Sacerdote damnatus sit, quin etsi plane non exularit v. g. si mors Sacerdotis fugam ejus intercipiat liber est: ita enim *Maimonides*, teste *Cl. Stoerio* §. 13. Si damnatus fuerit ad exilium, postea vero moriatur Sacerdos magnus, antequam migret ille in exilium, liber est talis ab exilio. Durior tamen eorum conditio, qui non existente Sacerdote occiderint, aliorumque, uti R. *Maimonid.* scribit: *Occisor qui damnatus est ad exilium, neque adest Sacerdos magnus; Occidens pariter Sacerdotem magnum, non existente Vicario; Ipse quoque Pontifex qui occidit: ubi non est vicarius, hi omnes exulant, nec redeunt ex asylo unquam*. Quibus paucis interjectis hæc addit: *Si damnatus sit & deprehendatur Sacerdos magnus esse filius expulsæ aut dimissæ, cessat ejus Sacerdotium, idemque est, ac si non existente Sacerdote damnatus sit, nec talis exit ex asylo unquam*. In primis hic notandum, quod sub numero eorum, quibus regressus ex asylo non datur, referant quoque occisorem *Sacerdotis magni*. Id enim ad Christum commode applicari, Judæisque causa reddi potest, cur hoc illorum exilium finiendum non sit. Id quod jam vidit *Lightfoot hor. Talm. in Matth. p.* 94. quin inter Judæos esse, qui hoc suum exilium Jesu *Nazareno* adscribant, observat *Hottinger. comp. Theol. Jud. p.* 235. Legem vero de Sacerdote ita explicant *Ramb. & Kotzens.* Sive sit Sacerdos unctus oleo unctionis, sive initiatus vestibus, sive actu munus obeat, sive sit emeritus, quilibet horum quatuor cum moritur, redire facit homicidam &c. Quænam autem fuerint causæ, cur Deus potestatem Vindicis sanguinis in homicidam præcise ad mortem Summi Pontificis extendi voluerit, varie disquirunt Doctores. *Philonis* rationes prolixe affert *Rittershus.* Præter has duas alias rationes adducit ex Rabbinorum Script. *Vir Clar. M. Joach. Christoph. Stær. in dissert.* גואל הדם *de Vindice sanguin. c.* III. §. 15. *seq.*

Plures etiam *Vir plur. Reverend. Gœtzius in* 2. *dissert. de Redemtore Ebr. seu Vindic. Sanguin.* §. 9. quas brevitatis causa hic pretermittimus. Modo epicrisin illius ex *Petro Martyre in Loc. comm.* XIV. *n.* 32. adjicimus: *Quod non licuit profugis ante mortem Summi Pontificis redire domum, procul dubio mysticum fuit. Nam eo adumbrabatur non aliter, quam per Christi mortem nobis contingere ad cœlestem patriam reditum.*

28 *Ossa tamen eorum*) Non licebat sine metu vitæ amittendæ exire, quod eo rigore observatum volunt, ut nullo pretio redimi possit. Dicunt enim: *Exulans non exit ex asylo suo unquam, etsi præcepti observandi, aut testimonii, sive in re pecuniaria, sive capitali dicendi causa, etsi alicujus suo testimonio liberandi causa, aut alicujus ex potestate gentilium, fluvii, aut ignis & diluvii eripiendi gratia, quamvis universus Israeliticus populus salutis ejus opus haberet, uti* Joabi F. *Zerujæ, non tamen egreditur exinde unquam usque ad mortem Sacerdotis magni. Si exeat, semetipsum morti exponit.* Estque hoc legis vinculum ejus roboris, ut mortuorum etiam ossa intra Asyli terminos constringat. Quare etsi Levitis sepulcrum in hisce suis urbibus concessum non fuisse, *Maimonid. c.* VII. dicat, de hujusmodi fugitivis ita scribit: *Homicida, qui damnatus ad exilium*, moritur antequam exulet, *ossa deportant illuc. Homicidam vero, qui moritur in asylo suo, sepeliunt ibi, & tempore, quo moritur Sacerdos magnus, reducunt ossa occisoris exinde ad sepulcrum paternum.*

29 *Sex fuere*) Fuerunt urbes confugii *Bosor* in solitudine, quæ sita est in terra campestri in Tribu Ruben, & *Ramoth* in *Galaad*, quæ est in Tribu *Gad*; & *Golan* in *Basan*, quæ est in Tribu *Manasse*, ut constat ex *Deut.* IV. 43. nec non *Gades* in *Galilæa* montis *Naphtali*, & *Sichem* in monte *Ephrajim* & *Kiriath Arba* sive *Hebron* in monte *Juda*, quod docet *Josua* XX. 7. Prima dicta fuit *Bosor*. Ebraice & Chaldaice בצר Bezer, & notat vel *in Angustia*, ut vult *Hieronymus*, vel ex radice בצר *Bazar* roborare, *turrim munitam*. Conf. *Bochart. Phaleg. lib.* I. *c.* XXIV. *pag. m.* 513. *edit. Francof.* Græce Βοσὸρ; postea a Pœnis dicta est *Byrsa*, quod fuit Carthaginis nomen: vid. *cit. Bochart.* Conf. *Virgil. lib.* I. *Æneid.*

> —— —— *ingentia cernes*
> *Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem*
> *Mercatique solum facti de nomine Byrsam.*

Hieronymus dicit, hanc esse *Hostram* Metropolin *Arabiæ*: Verum non legendum esse *Hostra*, sed *Botsra*, ostendit non tantum locus *Jeremiæ* XLVIII. 24. Sed & *Eusebius*, qui habet Βόζρα. Erat vero ex civitatibus Levitarum attributa filiis *Merari*, inferioris conditionis in illo ordine, ut constat ex *Josua* XXI. 34. 36. & I. *Paral.* VI. 77. & 78. & mentio illius fit *Deut.* IV. 43. *Jos.* XX. 6. XXI. 40. Commendatur præterea a magnitudine & munitione I. *Maccab.* V. 26. Distincta a *Bosra Idumæorum*, de qua *Esai.* LXIII. Dicitur hæc urbs in solitudine, quæ sita sit in terra campestri de Tribu *Ruben*, videatur *Deut.* IV. 43. & *Jos.* XX. 8. addatur etiam versiculus 78. I. *Paral.* VI. ubi quoque describitur a solitudine, in qua sita. Pluribus videndus *plur. Rev. Osiandri in tract. de Asyli. Hebr.* §. 5. Altera urbium fuit *RAMOTH* in *Galaad*, quæ quibusdam notat *Excelsum* q. d. *Specula*, quibusdam *Visionem mortis*: prior etymologia placet *Bedæ*, utramque conjungit *Hieronym.* Græcis vocatur Ραμὼθ vel etiam Ῥαμμὼθ. Distincta fuit a *Ramoth* in Tribu *Isaschar*, de qua *Jos.* XIX. 21. alias dicta *Jaramoth. Jos.* XXI. 29. & ab illa, quæ in Tribu *Juda* & *Symeonis* ad meridiem, de qua I. *Sam.* XXX. Dicitur autem cum apposito in *Galaad*, quæ est in tribu *Gad*. Erat quoque Levitica, non Sacerdotalis, ut volunt *Euseb.* & *Hieronym.* hanc quondam Syriæ Reges belli jure suam fecerunt; ex intentione vero illam recuperandi *Achabus* vitam amisit. Tertia fuit *GOLAN IN BASAN*, quæ in Tribu *Manasse*: de variatione Etymologiæ videatur sæpe cit. *Osiandri pag. m.* 9. de *Asylis*. Sita fuit hæc in *Basan*, regione pascuis pingui. Quarta fuit *KEDES* קדש Sanctitas. Fuit autem hæc Urbs Levitica, non Sacerdotalis, cujus situm descripsit *Osiandri* §. 10. *pag.* 12. Quinta *Sichem* in monte Ephraim: vid. *c. l. pag.* 13. Sexta KIRJATH-ARBA in monte Juda. Vid. *pag.* 14. §. 12. seq.

30 *Tria adjectum iri.*) Notatu digna sunt, quæ *Henry Ainsworth Anglus in Commentar. ad Deut. cap.* XIX. ℣. 9. ex *Maimonide* Anglice adduxit, *fol. m.* 77. *edit. Londin.* ita scribens: *Of this the Hebrewes say; in the dayes of King Christ, they shall adde three other cities unto these six*: Deut. XIX. 9. *And whence they shall they adde? of the cities of the Kenizites, and the Kenites, and the Kadmonites; concerning whom a covenant was made with Abraham our father.* Gen. XV. 18. 19. *And hitherto they have not beene subdued; and of them it is said in the Law, if the Lord God in large they coast.* Maimon. tract. de occisor. c. VIII. sect. 4. Et alibi in tract. de Regib. cap. II. sect. 2. *Of the cities of refuge he saith, if the Lord they God shall in large they coast, then thou shalt adde three cities moe &c. But this thing hath never been done; and the holy blessed God hath not commended it in vaine.* Hoc est: de his Hebræi referunt, in diebus Christi Regis tria alia oppida adjectum iri *Deut.* XIX. Sed unde addent? de oppidis Kenisæorum & *Cenæorum* & *Cadmonæorum*, quæ icto fœdere Deus promisit Abrahamo, sed numquam sub potestatem sunt redacta, & de his in lege dictum, si Deus terminos dilataverit. Et in secundo loco: de oppidis refugii dicit, cum Dominus Deus tuus fines extenderit, addes tria alia his &c. Verum hoc nunquam factum, & Deus benedictus hoc non in vanum præcepit. De hac adjectione fusius disserit *Osiandri in tract. de asylis* §. 14. 15. 16. *pag. m.* 18. 19. 20. 21.

31 *Levitarum oppidis.*) Opinio, quæ XLVIII. Levitarum urbes vult fuisse *Asyla*, fundamento caret. Quanquam enim videatur favere *cap.* XXI. *Josuæ.* penitius tamen inspectum nihil confert huic sententiæ. Nam (1) posito, omnes Urbes Levitarum dici ibidem Urbes confugii, nondum tamen est consequens, omnes propterea habuisse jus Asyli. Potuerunt dici urbes confugii alio sensu, ut scil. quis in illas se reciperet, pressus vel mentis scrupulo, vel adversarii cujusdam potentia, ut ibidem vel consilio, vel auxilio eidem subveniretur; (2) Quamvis nolimus negare, vocem מקלט esse emphaticam, nec generali tantum receptus nomine accipiendam, nihilominus nondum confectum erit negotium. Nam *Josuæ* XXI. in Hebræo non habetur ערי מקלט *urbes Refugii* in plurali, sed in singulari עיר, & refertur hæc vox ad urbem tantum illam proximam, quæ nominatur v. g. in ℣. 21. ad *Sichem* in ℣. 27. ad *Golan* & sic consequenter. Unde potius sententia recepta de sex Urbibus Asyli tantum existentibus in terra Canaan stabilitur, & hoc jus ad illas restringendum esse colligitur, vitiumque Vulgatæ versionis luculenter deprehenditur *, quo quidem modo etiam exponitur locus ex *Paralip.* VII. *Tertio*; ita circumscribuntur urbes Asyli, tum ratione numeri, tum ratione distantiæ, tum ratione viarum, ut attendenti facile constet, illas solas hoc privilegio, hoc jure fuisse præ cæteris omnibus gavisas. Nullum itaque præsidium in Scripturis. Rabbinorum autem num subveniant copiæ illis, qui privilegium hoc tam late extendunt, disputari potest. Sane Maimonides ex veteribus confidenter affirmat, universas urbes Levitarum fuisse urbes refugii, nullam fuisse, quæ non gavisa fuerit privilegio: *Nam*, inquit, *& in lege dicitur, Ultra has dabitis quoque* 42. *civitates, ut scil. omnes civitates sint* 48, *ita pares facit Scriptura universas simul sibi invicem, quantum ad Refugii seu Asyli jus.* An autem hoc commentum Rabbinicum sit satis liquidum & certum, merito dubitatur. Sic etiam (2) fundamentum, quo nititur *Maimonides* infirmum est, nec verba sonant, quod vult Rabbinorum Princeps; non dicitur *Num.* XXXV. 6. & *ultra dabitis* 42. *Civitates*, ut sint Asyla, sed de ipsis oppidis Levitarum, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, & exce-

* Quæ hic extant apud *Nicolai*, habentur etiam in commentariis Poeseos *Bonfrerii* ad XXXV. §. 6. Num. ubi solertissimus Interpres *Vulgatæ Versionis* lectionem egregie propugnat. Ait enim, *Textui* (sc. Hebræo) *ut nostra Versio consentiat, dicendum Interpretem nostrum illam vocem* urbes, *referre ad omnes, quas deinde recenset, at illud* refugii *ad eam duntaxat, quæ proxime nominatur, ac si diceret*, dedit illis urbes, refugii quidem hanc; *quæ explicatio adhiberi etiam debet ad l. c.* I. Paralip. VII.

exceptis his alia 42. oppida, quæ cedant Levitis. (3) Si indulgeamus aliquid Rabbinicæ fidei, distinguendum erit inter Civitates, quæ jus Asyli habuerunt *stricte* & late, nec, si quocunque modo participarunt Urbes Leviticæ reliquæ, inter asyla ordinaria erunt computandæ; id quod ipsi Hebræi observarunt, qui VI. illas urbes talia fuisse asyla afferunt & adserunt, ut nefas fuerit Vindicis sanguinis ibidem homicidam occidere; cæteras quidem potuisse recipere fugitivum, excludere tamen quoque pro arbitrio. Vid. *Osiandr. de asyl. pag. m.* 27. Confer *Celeberr. Dassov. in Manuscripto de antiq. Hebr.*

CAPUT OCTAVUM.

Quid Palæstina præ aliis regionibus habuerit. Non potuisse rempublicam Hebræam in alias sedes transferri. Explicatum Maimonidæ dictum de Babyloniensibus Judæis. Amplæ res eorum, & regnum ab illis Hyrcano oblatum. De sceptro Judæ quid existimandum sit, contra Maimonidem asseritur. Respublica Judæa ad Palæstinam alligata. Judæorum scitum de templis, quæ extra Jerosolymam a popularibus condita.

RESPUBLICA Hebræa tunc initium habuit, cum in Palæstinorum beatas sedes perductus [1] est sacer populus. Nam antea quidem, etsi in Arabum desertis de religione atque ceremoniis vir divinus Moses, deque judiciis & civium jure saluberrimas tulit leges: tamen earum omnis vis ad ea loca pertinuit, in queis & singulæ tribus sua haberent oppida, & urbs insuper constitueretur una, quæ imperii arx atque sacrorum custos foret. In Pentateuchi parte ultima sapientissimus legislator, cum summatim, quæ edixerat, repetit, non temere illud identidem sanxit expressis verbis: *Hæc sunt præcepta*, [2] *statuta, judiciaque, quæ observabitis in terra, cujus possessio hæreditaria mox dabitur vobis*. Enimvero habuit Palæstina præ aliis regionibus eximium quiddam, quod gentem sanctam, atque rempubl. uni isti solo affixit: extra eas sedes si quis populum illum abduxisset, & iisdem legibus rempublicam instituisset eandem, non jam reipubl. sua sanctimonia, non populo sua majestas stetisset. Pertinere maxime ad rem hanc, de qua agimus, quoddam Maimonidæ dictum videtur, quod extat in libro decimo & quarto Mischnæ, in Halacha Melachim, capite quinto. Id excutere nobis in transcursu libet. Est autem istiusmodi: כשם שאסור לצאת מהארץ לחוצה לארץ כך אסור לצאת מבבל לשאר הארצות: *quemadmodum nefas est Judæis ex Palæstina sedes movere, ita iisdem migrare haud licet Babylone in alias regiones*. Profecto, nisi semel hoc explicuerimus, necessum erit sæpe eos incurrere in salebras quasdam, qui Hebræorum volumina manibus versant. Enimvero Maimonides de Judæis loquitur, non omnibus sane, sed illis modo, qui ab hoste trans Euphratem abducti, Babylone atque in vicinis locis habitaverunt. Horum pars quædam expletis septuaginta annis Palæstinam repetivit, cæteri beneficentia regum, sub queis vivebant, moti, sedes Babylone suas, atque suas colonias retinuere: quæ fuit sane ingens multitudo, ac postremo in gentem excrevit. Incredibile memoratu est, quam amplas illic res tenuerint exules. Nam & Hyrcano, qui ex Parthis ad Heroden properabat, pene infulam & diadema, hoc est, pontificatum atque regnum obtulere: & commissa iisdem erant Babylonici imperii arcana, quæ sacerdos Hebræus custodiit in turri immensi operis, quæ exstructa in Ecbatanis Medorum erat. His Judæis summa conjunctio atque necessitudo cum Palæstinis fuit: non institutorum diversitas eos, non vita, non patrius sermo distinxit: omnia gemina & eadem fuere. Quare, ut Babylone illis, procul a patria, habitare permisit Deus, quod contagio ibi nulla eos peregrini moris afflaret: ita eosdem pergere ultra, atque alio habitatum ire, nec fas nec jura siverunt. Hoc Maimonides sensit, cum illud Jeremiæ dictum interpretatur, בבלה יובאו ושמה יהיו *Babylonem ducentur, atque illic erunt*: de quo dubitari jam haud potest. Postquam magnificum est, quod de Babyloniensibus senserunt quidam majorum gentium sapientes, quorum opinionem probat, sequiturque Maimonides. Visum illis est, postquam fato in pejus fluere & retro sublabi res Hierosolymitanæ cœperunt, solos Babylonienses esse, ad quos translatum sit imperii decus, quod promiserat Numinis vox in celeberrimo illo oraculo: *Non tolletur sceptrum de Juda, neque dux de femore ejus, antequam venerit Silo*. Nos, qui Maimonidæ summas virtutes suspicimus, ejus reprehendere errores neutiquam dubitabimus. Certe hic quidem fugit hominem cordatissimum ratio, dum placitis favet popularium. Non ignoro Babylonienses Judæos quandam velut rempublicam inter se agitavisse, ac jura dixisse cæteris de eadem gente, qui extra Palæstinam essent: etiam illud meminimus, principatum ibi semper tenuisse quosdam proceres, qui genus suum impermixta serie ad Davidem referrent.

rent. Sed non propterea efficitur, quod vult Rabbi Ben Maimon. Sceptrum enim, de quo proditum oraculum fuit, nihil est aliud, quam respublica Judæa, hoc est, regnum illud sacerdotale, cujus non accessio hercle aut stabilimentum, sed anima atque spiritus, fuere religiones atque ceremoniæ. Porro ceremoniarum sacrorumque custos non omnis urbs, sed una quæpiam esse debuit, in qua sanctuarium esset, quod Numinis præsentior vis, velut sedem suam suamque domum incoleret. Ea urbs primum Silo, mox Jerosolyma fuit, in medio Palæstinæ. Quod si forte quidam segreges Judæi templum aliis in terris aramve exstruxerunt, reipubl. jura atque inviolabiles leges temeravere. Extat in historiarum monumentis epistola Oniæ ad Ptolemæum & Cleopatram, in qua ille populares accusat suos, quod sanctuaria in Phœnicum urbibus, atque alibi condidissent contra jus fasque. Sed ipse interim haud in minore culpa fuit, dum summi vatis Esaiæ oraculum ambitiosis cœptis suis prætexuit falso, templumque in Heliopolitana præfectura ædificavit. Non enim hoc fieri salvis ceremoniis potuit. Fuit illud inter scita vetustissimorum Judæorum, quod Rabbi Moses Ægyptius tradit in libro octavo, in Halacha Biath hammikdasch in capite ultimo, מי שעבר ועשה בית חוץ למקדש להקריב בו קרבנו לשם אינו כבית עב"ום ואף על פי כן כל כהן ששמש בבית כזה לא ישמש במקדש לעולם וכן כלים שנשתמשו בהן שם לא ישתמשו בהן במקדש לעולם אלא יגנזו : *Si quis transgressus legem sit, ædemque exstruxerit aliam præter sanctuarium Hierosolymitanum, non est ea quidem idolorum ædes habenda, sed tamen sacerdos, qui illic sacris operatus fuerit, nunquam sacra facere in Dei sanctuario, quod Jerosolymæ est, poterit. Etiam vasa, queis usus ille est, nemo quisquam ad veri sanctuarii adhibebit ministeria, sed abscondenda erunt.*

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

[1] *In beatas sedes perductus*) Vult author, Judæos Rempublicam antea non habuisse, cum tamen constet, illam & in deserto habuisse. Observandum autem, quod Reipublicæ nomen modo *abstracte*, modo *concrete* accipiatur. *Abstracte*, cum vel (1) ordinem imperantium & parentium in civitate, iisdem legibus utente, designat, ut apud *Aristotel.* III. *polit.* IV. Vel (2) rem, quæ totius est civitatis aut societatis: vel denique (3) utilitatem ac salutem publicam, ut cum dicimus, aliquid esse vel fieri e republica. *Concrete* vero tribus itidem modis: vel enim (1) *generaliter* omnem cœtum legibus gubernatum: vel (2) *specialiter* quodcunque imperium alteri subjectum. *Tacit. hist.* I. 84. 6. vel denique (3) *specialissime* Polyarchiam, sive civitatem a pluribus gubernatam; *Tacit. An.* I. 3. 9. significat. Nos in præsenti intelligimus cœtum hominum suis legibus ac judiciis, jureque belli & pacis, fœderum & similibus utentem, nec alteri populo Principive subjectum. Con. *B. Bosii tract. de introduct. in notit. Rerumpubl. pag. m.* 14. Errare igitur videtur author, cum Rempubl. Hebræis deneget ante perductionem in terram Canaan: uti ex prædictis constat.

[2] *Hæc sunt præcepta*) Mosaicam legem varie distingui asserit in מצות Præcepta, legem moralem: חקים *statuta*, ceremonialem: ומשפטים *judicia*, forensem. De harum vocum differentia loquitur *Maimonides in More Nevoch part.* III. *cap.* XXVI. ita literis tradens: *Propterea omnia præcepta* causam habent, i. e. omnia præcepta & prohibitiones usum suum habent: ita ut quorumdam utilitas conspicua nobis sit, sicut prohibitionis homicidii & furti, quorumdam vero utilitas non explicetur, ut in prohibitione præputii & heterogeneorum in vineis. Atque hæc, de quorum utilitate constat, vulgo dicuntur משפטים judicia, quorum vero usus non apparet, appellantur חקים, statuta. Hinc semper dicunt: Quod nihil sit inane, quod si tamen inane quid sit, ex vobis est, id est, quod legislatio hæc non sit res inanis, quæ non suam habeat utilitatem; quod si tamen vobis ita videatur, præceptum aliquod tale esse, provenire illud ex defectu apprehensionis vestræ. Hæc mens aliorum etiam est Judæorum. Vid. *Drus. comment. in lib. Num. pag.* 437. & 544. Conf. *annot. ad Sigon. de Republ. Ebr. lib.* I. *cap.* IV. *pag. m.* 59. 60. *seq. edit. Helmst. Dieter. Antiq. Bibl. fol.* 187.

CAPUT NONUM.

Criminalia judicia intra Palæstinam stetisse, & Babyloniensibus Judæis aliisque negata fuisse. Ad totius commentationis hujus lucem ostensum, quamdiu respublica fuerit omnium Hebræorum, & quando Judæorum esse cœperit. Hinc sciri posse, quidnam sit sceptrum Judæ. Eusebii, & eorum, qui secuti eum sunt, erudita & plausibilis sententia confutatur. Quid sit majestas imperii, & quorum sit.

EST hoc, de sacra æde quod diximus, permagni momenti ad confutandum Maimonidem: sed proferenda alia sunt, ex quibus constet rempublicam, de qua annosus vates in extremo vitæ locutus ad Judam est, non alibi sedem, nisi in Palæstina, habuisse. Haud longe eundum erit. Ipsum Maimonidem adversus se testem citabimus. Quam crebro ille nos monet, populum sanctum, si extra patriam sit, solutum

tum esse legibus plerisque, quas maximus Moses tulit? Præclara est ejus dissertatio in Halacha Sanhedrin, in qua ille certis quibusdam finibus potestatem judicum circumscribit, tam Palæstinorum hercle, quam Babyloniensium. Utique pro vero constat, legum Mosaicarum maximam partem occupari judiciis illis, quæ Rabini דיני קנסורת, hoc est, *criminalia* appellitant. Hæc judicia, inquit Maimonides, a Babyloniensibus exerceri nusquam terrarum potuere, ne in Palæstina quidem. Palæstini autem, quemadmodum ex lege jura quælibet suis reddiderunt civibus intra patriam, ita extra eam nihil statuerunt in populares suos, nisi hoc illis aut Babyloniensium permitterent proceres, aut alii, qui exulantium Judæorum erant capita. Ex qua re illud conficimus, pronuntiasse de criminibus Palæstinos in patrio quidem solo ex vi legis semper; extra illud vero etiam interdum, sed precario: at Babylonienses de iisdem cognovisse nusquam, non in ditione sua, non in Palæstina, non vi legum, ac ne precario quidem. Et hi erunt igitur illi, obsecro, queis datum sceptri Judaici decus sit, postquam fractæ Palæstinorum res erant? Profecto aut nescivit summus scriptor quænam esset hæc sceptri dignitas, [1] aut nimis bene sensit de stramineis proceribus aliquot, qui illic de gente Davidis esse se gloriati sunt. Sed non miramur tam levem hallucinationem in Maimonide, cum cogitamus quæ interpretationum portenta pepererint alii, ut ex divina Jacobi oratione rectam sententiam eruerent. Memini ego ante annum hac de re locutum me esse cum viro amplissimo, Apollonio Scotto, supremi senatus assessore, qua tempestate Hagæ jucundissimo otio in ædibus ejus fruerer, & luculentas Rabbi Maimonidæ commentationes magno ardore percurrerem, quibus ita afficiebar, pene ut omnia transverso calamo delerem, quæ ante de rebus Judaicis notata a me erant. Ibi senator ille, quæ est ejus eruditio & summa ingenii vis, identidem significavit, videri sibi, nullum esse in sacro codice oraculum, quod magis sollicitatum ab eruditis, & minus intellectum sit. Gaudebam ego hercle, repertum a me esse, qui mecum sentiret, eum virum, cujus me autoritas & nominis existimatio compellere poterat ad convellendas quaslibet aliorum opiniones. Quare, hortatu ejus, omnino facturum me recte atque ordine puto, si in tanta conjectantium multitudine etiam ego, quid judicii mei de tam illustri oraculo sit, publicavero. Digna enim res est, in qua vires suas exerceat cujusque indoles. Certe etsi in his libris de rebus tam Hebræorum, quam Judæorum communiter agimus, ac pleraque exequimur sine discrimine, tamen ne cui incertus error illudat, semel illud ostendemus omnibus, rempublicam sacram, quæ Numinis jussu constituta a Mose est, semper quidem eandem fuisse, atque iisdem constitisse legibus, sed tamen non semper fuisse eorumdem: diu enim fuisse eam Hebræorum: mox vero, circumvolutis seculis, duntaxat Judæorum fuisse: atque adeo oraculum Jacobi, quod de sceptro Judæ est, haud pertinuisse nisi ad ea tempora, cum respublica appellari de Judæorum nomine cœpit. Cujus rei ignoratione effectum est, ut perperam hactenus intellecta admirandi oraculis vis sit. Nolo ego nunc memorare Origenis, Augustini, Epiphanii, atque aliorum hallucinationes, qui existimarunt, Jacobi vaticinatione promitti Judæis quamdam perpetuam regum ex eadem tribu, atque per idem genus successionem usque ad tempora Messiæ. Quæ qui amplexi sunt, ii profecto in multis salebras inciderunt: nesciebant enim quid dicerent, aut quo se verterent, cum cernebant a Sedeciæ quidem morte usque ad Aristobuli tempora regnum Judæorum nullum [2] fuisse, postea autem usque ad Herodis tyrannidem solos Levitas Hasmonæos regnum tenuisse. Persecutus ea nuper in Exercitationibus Baronianis bene atque feliciter est vir seculi nostri eruditissimus Isaacus Casaubonus, cui placuit Eusebii præclara de hoc oraculo sententia, quæ extat in libro octavo Demonstrationis Evangelicæ, in prima demonstratione. Nos ea omnia, quæ tam ab Eusebio, quam a Casaubono, recte dicta sunt, prætermittimus, ne actum agamus. Etiam illud fatemur, interpretationum omnium, quæ vulgatæ hactenus sunt, longe eam esse optimam, cujus autor Eusebius est. Sed quoniam nondum vel Eusebius, vel qui nuper secutus illum est, vir maximus, intellexisse mihi videtur, quodnam illud sit sceptrum, aut quando datum Judæis sit, de quo annosus vates in extremo vitæ locutus ad filium est, certe hoc jam expediendum nobis est, sed cum veniæ præfatione. Nam nec ab Eusebio dissentire voluptas nobis est, quem in maximis scriptoribus semper numeravimus, & virum, quem nominavimus, seculi nostri primarium, qui secutus Eusebium est, ita penitus veneramur, nemo ut nobis præ illo magnus sit. Est enim is profecto, cujus auspiciis hac ætate admirabilis cursus factus ad omnem doctrinæ excellentiam est. Sed nos ingenua simplicitas jubet, quid verum rectumque sit, sine affectu exquirere. Primum illud non sine errore censuit Eusebius, sceptrum esse Judæ datum jam inde a tempore Mosis, propterea quod tribus hæc inter cæteras singulari

ri dignitate ſemper excelluit, locumque tenuit honoratiorem tam hercle in caſtris, quam in eorum ordine, qui munera in templo offerebant. Me vero illud argumentum non magis movet, quam ſi Romæ aut Athenis quiſpiam ſceptri majeſtatem non apud populum Romanum aut Athenienſem, ſed apud unam dicat tribum fuiſſe, quæ cæteris nobilior florentiorque erat. Sane enim ex conſtantiſſima veterum auctorum affirmatione illud conſtat, fuiſſe utriuſque hujus populi multas diverſaſque tribus, [3] quarum aliæ erant aliis dignitate, loco, atque ordine priores. Quid eſt igitur? Equidem ego ſceptrum eſſe nihil aliud, niſi majeſtatem [4] imperii opinor, eam nempe, quæ ipſi reipublicæ aſſidet. Quare quorum reſpublica eſt, eorum & ſceptrum dici debet. Reſpublica autem Hebræa a Moſis ſeculo ad uſque Roboami regnum, non Judæorum, ſed duodecim tribuum [5] fuit. Ex quo efficitur, etiam ſceptrum per ea tempora omnium fuiſſe Iſraelitarum. Cæterum de hoc ſceptro, quod diu commune duodecim tribuum fuit, non locutus eſt divinus patriarcha in celeberrimo oraculo. Seros enim annos, & ventura ſpectavit ſecula, cum tribus Juda, ſciſſo in contrarias partes populo, ſuam ſibi rempublicam habere ſeorſim ab Iſraelitis cœpit, quam probavit dilexitque Deus, atque appellari de ſolo Judæ nomine Judaicam voluit, donec is mortalium datus cœtibus eſſet, cui imperium deſtinabatur [6] non Judæorum modo, ſed gentium omnium. Atque hanc quidem ſceptri majeſtatem, ex quo tempore ſemel eſſe Judæorum cœpit, manſiſſe eorundem dicimus, etſi mutatus interdum reipublicæ ſtatus ſit, ac penes optimates modo pontificeſque, modo penes reges principeſque ſumma fuerit imperii. [7] Nimis inepte faciunt qui hic in arctum deſiliunt, & nominis hujus honorem haud pertinere niſi ad reges autumant. Quicunque enim populus ſua quadam republica, ſuiſque legibus utitur, is recte gloriari de imperio, deque ſceptro poteſt. Memoriæ proditum eſt, Jeroſolymæ, etiam eo tempore cum populum non principes, ſed optimates regerent, in medio magni concilii, quod Sanhedrin vocant, ſceptrum pependiſſe: quæ res fuit profecto quoddam inſigne illius majeſtatis, quam * Marcus Tullius *eſſe magnitudinem quandam populi* ait *in ejus poteſtate ac jure retinendo, quæ vertitur in imperio atque omni populi dignitate*. Non reges, non principes Rempublicam Romanam, ſed conſules atque ſenatus agitavere, cum lex iſthæc fœderis data Ætolis eſt, quam Livius refert, *uti majeſtatem populi Romani conſervarent ſine dolo malo*. Atque hoc idem omnibus fuiſſe liberis populis imperatum, qui fœdere aliquo, ſed haud æquo, in amicitiam venirent Romanorum, teſtis eſt Proculus Juriſconſultus *in l. 7. ff. de captiv. & poſtlim. reverſis*. Ne illud quidem noſtra intereſſe arbitramur, qua de gente aut tribu fuerint, qui Judaicas res moderati ſint rexerintque. Etſi enim per annos ſane multos regnum tenuerint Levitæ Haſmonæi, fuit tamen nihilominus reſpublica Judæi populi. Neroni Cæſari illud ſapientiſſimus magiſter † dixit, *Non rempublicam principis eſſe, ſed principem reipublicæ*. Neque profecto alia fuit ſententia Ulpiani Juriſconſulti: is enim *majeſtatis crimen eſſe* id demum ait, *quod adverſus populum Romanum, vel adverſus ſecuritatem ejus committitur l. 1. §. 1. ff. ad legem Jul. majeſt.* Utique vixit iis temporibus Ulpianus, cum nec juſſus amplius nec ſuffragia populi eſſent, ſed imperium atque rerum ſummam Cæſares tenerent: & tamen, qui accuratiſſime definire cuncta ſolet, majeſtatem eſſe populi ait.

* *In Partit. Orat.*
† *Senec. lib. 1. de clementia.*

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

[1] *Sceptri dignitas.*) Aſſerit enim Propheta *Hoſeas cap.* III. 4. 5. quod Iſraelitæ i.e. populus Iſraeliticus, non decem tantum tribus, quod volunt Judæi in Talmud. tr. סנהדרין *c.* XXIII. ſed tota gens Iſraelitica, adeoque XII. tribus ſimul, Juda & Benjamin non excluſis, abſque rege victuri ſint. Quid per Regem intelligatur, in aprico eſt, penes quem ſit ſumma Majeſtas. Aſſerit itaque, quod abſque Rege manſuri ſint, non quidem quod ſine omni dominio liberi, ſibi ſolis relicti victuri ſint; ſemper enim poſt everſam Politiam propriam Regibus Gentium, tam Ethnicarum, quam Chriſtianarum, vel inviti ſubjecti fuere; verum quod nullum Regem ex genere ſuo, ſive ex Davidis, ſive ex aliqua alia familia, ſint habituri. Hinc Chald. vertit: *Sine Rege ex familia Davidis*, & *Kimchi: ſine Rege* & Principe ex Iſrael. Et indicat h. l. Propheta Iſraelitas non ſolum carituros Monarchia, ſed & omni alia Regiminis forma; quo forſitan intendit *Cunæus*, cum putat *ſceptrum* tunc temporis nullum apud Judæos fuiſſe, Verum fallitur *Cunæus*. Et quamvis cum *Ribera comment. in h. l. num.* 31. affirmare nolimus, Judæos tum temporis Regem proprie dictum habuiſſe *Jehojachimum*, cujus caput *Evilmerodach* extuliſſe legitur. Attamen Sceptrum illud, quod Iacobus uſque ad Meſſiæ adventum duraturum fuerat vaticinatus, non plane fuit ablatum, ſed per mediam illam Captivitatem, licet debile admodum, tum in Concilio ordinario Seniorum, tum in Principibus duravit, uti fuſe hoc probat Cl. *Adrian. Houtyn tr. de Monarch. Hebr. edit. Lugd. Bat.* 1685. *pag.* 194. 195. *ſeqq. cap.* x. Nam habuiſſe *Seniores* ex *Ezech. cap.* VIII. 1. apparet, ubi diſerte *Seniorum Judæ* mentio fit. Nec omnino ſine Principe fuiſſe, manifeſtum eſt; quia ſine his tribuum ordines tam accurate conſervari non potuiſſent. Expreſſis verbis *Eſra cap.* 1. Principum familia-

miliarum meminit, eorumque genealogiæ a *Nehemia cap.* XII. 1. recenſentur. Quid? quod non ſolum Principes Judæos pro lubitu juxta leges proprias gubernans, verum etiam talis, qui, licet in poteſtate Principis non conſtitutus, genus tamen ſuum ex ſtirpe regia ducat, hoc loco denegatur: At Principe hujuſmodi Judæos in captivitate Babylonica non caruiſſe, *Jojachimus*, *Sealthiel*, *Zorobabel*, *Daniel* & alii ex proſapia Regia orti, exemplo ſuo comprobant. Eſtque omnino probabile, quod Judæi eos in ipſa captivitate Principes ſibi conſtituerint eorumque paruerint imperio; quanquam illi metu regum Chaldæorum aperte, & eo modo, quo poſtea *Zorobabeli Cyrus* conceſſit, dominium ſuum exercere non potuerunt. Hinc Judæi integrum *Principum Captivitatum* catalogum, quo ordine videlicet ſibi invicem in imperio ſub captivitate ſucceſſerint, producunt. Vid. Talmud. tr. סנהדרין *cap.* מממנרת רעי. Conf. *R. Salom. in Gen.* XLIX. 10. Confer. *Sennert. diſſert.* de *Sceptr. Jud.* §. 9. & alibi. Cl. *Wagenſeil. diſſ. in locum Gen.* XLIX.

[2] *Regnum Judæorum nullum*) aſſerit autor a *Sedekiæ* morte, uſque ad Ariſtobuli tempora, nullam Judæis fuiſſe regnum. Verum quam veritati ſit inconveniens, oſtendit *Adrian. Houtyn a pag.* 170. uſque 175. ubi tandem concludit: Vides breviter ad captivitatem jura majeſtatis penes Judæ reges fuiſſe.

[3] *Multas diverſaſque tribus*) Tam Romani quam Græci in certas Tribus dividebantur: & quidem quod ad Romanos attinet, illi in quatuor diviſi erant tribus, quas pagos vocabant, in quibus habitantes *pagani* dicebantur, vid. *Marcell. Donat. pag. m.* 318. 319. *Thomas Godwin lib.* III. *Sect.* 1. in *Anthol. edit. Oxford.* 1625. *p.* 147. 148. Romam in tres dividit Tribus, qui numerus demum uſque ad XXXV. excreverit. Conf. *Roſin. antiq. Rom. pag. m.* 37. Unaquæque Tribus in urbe propriam ſedem habebat, *pag.* 37. & variis in locis quamplurimis, qui videndi & evolvendi ſunt. Si apud Athenienſes ſub imperio Cecropis quatuor fuerunt *Tribus*, ſcil. *Cecropis*, *Autocthon Actæa*, *Paralia*, quas aliis nominibus vocarunt, ut ſunt: *Cranais*, *Atthis Meſogæa*, *Diacris*, poſtmodum autem aliæ ſuperadditæ ſunt, uti pluribus probat Anglus doctiſſimus *Franciſc. Rous in Archæolog. Attic. edit. Oxford.* 1658. *lib.* 1. *c.* V. *pag. m.* 20. 21. 22.

[4] *Niſi Majeſtatem*) Recte huic ſententiæ potiſſimi Scriptores calculum adjiciunt, qui τὸ שבט reddunt, vel potius *figurate*, vel *metonymicῶs* ſumto vocabulo, *regnum*, *poteſtatem*, *dominium*, *juriſdictionem*, *Majeſtatem*, qualiſcunque etiam illa ſit. Cui opinioni favent (1) textus ipſiſſimus, cum quantum *antecedentia* verba expreſſa Ṿ. 8. & 9. *Juda tu es*, te te laudabunt fratres tui: & porro, incurvabunt ſe tibi; tum *conſequentia* priorum ἐξηγητικὰ hoc ipſo commate מבין רגליו ומחקק neque Legislator de pedibus ejus. (2) Eventus vaticiniorum optimus interpres. (3) Interpretes cum veteres tum recentiores plerique. *Targumici* exponunt per *Dominium*, ut *Maſſech. Sanhedr. p.* 5. *col.* 1. *R. Sal. Bibl. Maſoret. fol.* 93. *Bereshith Rabba*. *fol.* 3. *Rambam l. ult.* & *R. Bechai* in *Pentateuch. Raſchi*, *Aben-Ezra* D. *Kimchi* &c. *Patres*, *Origin. homil. in Geneſ.* XVII. *Ruffin. lib. de benedict. Patriarch. Theodoret. in Quæſt. in Geneſ. Auguſtin. contr. Fauſtum Manich. lib.* XII. *c.* XLVII. *Ambroſ. Iſidor. Hiſpalenſ. Bed. Epiphan.* aliique. Recentiores in eo omnes conſentiunt, per τὸ שבט ſceptrum ſeu *poteſtatem*, *Dominium*, *Juriſdictionem* intelligi. Diſtinguendum tamen hic eſt inter *Dominium* & *jus Dominii*, & ſermonem eſſe de jure Domini ſcribit *Remmboth in diſſert. de hac mater.* §. 23. Concludimus quippe, multi omnino ſunt viri clariſſimi, qui τὸ שבט non aliter ac de ſceptro & poteſtate Regis intelligendum eſſe putarunt; quod tolerari poteſt, ſi non accipiatur de Regis perſona, ſed de ſumma in Republ. poteſtate. Videri poſſunt *Sennert. diſſert. de Sceptro Judæ* §. 8. *Caſaubon. exercit.* 1. *ſect.* 11. *Benedict. Perer. in Geneſ. h. l. diſp.* 8. *n.* 72. *Andr. Rivet. in Geneſ. Exercit.* 179. & 180. *Sixtin. Amama Antibarb. Bibl. lib.* II. *ad h. l.* Cui itaque plura de hac re lubet, adeat *Alphonſ. Toſtat. Vatablum*, *Calvin. Paræum*, *Pellicanum*, *Druſium*, *Bullinger. Sculteturn*, *Menoch. Geſnerum*, *Flacium*, *Oſiandros*, *Gerhard. Glaſſ.* Optime etiam in hanc rem *Henricus Ainsworth comment. in Geneſ.* XLIX. *fol.* 166. *These Prophesie is of Judahs tribe to continue distinct, untill Christs comming; whereas the other tribes were ſcattered and confuſed by their captivity.* 2. *Reg.* XVII. *out of which they returned not, as the tribe of Judah with Benjamin did from Babylon. Ezra* 1. 5. *It may alſo implie the power of government which should be in this tribe.*

[5] *Sed duodecim Tribuum*) Scribit *Cunæus* Rempublicam ſeu ſceptrum non Judæorum, ſed tribuum fuiſſe, quod veritati conſentaneum non videtur. Quis enim ignorat, *Moſen Regem* fuiſſe, ipſa quippe populi ſubmiſſio probat. Sic enim populus ad *Moſen Exod.* XX. 19. dicit: Tu accedas, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus, & tu loquere ad nos, audientes tibi faciemus ea. Deinde populus *Deut.* XXXIII. 4. 5. Dedit nobis legem Moſes, erat enim Rex in Jeſchurim, congregatis etiam primoribus populi & tribubus. Ad quem locum *Seldenus de Syned. lib.* II. *c.* II. *n.* II. Erat plane Rex ſummoque ut rex imperio gaviſus. Adſtipulatur *Henric. Ainsworth comment. in Deut. fol. m.* 159. cujus verba ex Rabbinis deſumta hæc ſunt: Moſes vvas in Jeſurun a King. So the Hebrevves (as Haskum in h. l.) ſay, Moſes vvas the King: and *Maimon. in Miſn. in Beth habchir. c.* VI. *ſect.* XI. *Moſes our Maſter was a King.* Aliquanto modeſtius *Grotius*: Non quidem nomine & pompa, ſed jure regio populum gubernavit. Rex non ſemel *Philoni de vita Moſ. lib.* 1. dicitur, & imperium regnum. Imperaſſe igitur & cum ſummo imperio regio populo præfuiſſe, manifeſte apparet, & ex ipſis actibus regiis patebit, uti pluribus demonſtravit *Adrian Houtyn lib. de Monarch. Hebr. pag.* 9. *ſeqq.*

[6] *Cui imperium deſtinabatur*) Jacob vocat eum שילה. Et licet Judæi hic plurimis nomen hoc tribuant, uti *Caſaubon. cit. loc.* adduxit & Cl. *Nicola. Panecius in diſſert. de Sceptro Judæ edit. Witteb.* 1694. confirmavit: attamen nulli convenit magis, quam Meſſiæ, quod probant ſequentia: (1) Temporum noviſſimorum deſignatio, prædixit enim Patriarcha ea, quæ in poſteritate dierum eventura erant, qua phraſi tempora Meſſiæ inprimis ſolent exprimi. Vid. *Eſai.* II. 2. *Mich.* IV. 1. *Ebr.* 1. 1. *Conſ. Joh. Owen. comment. in Hebr. doctiſſimum.* (2) aggregatio gentium, quæ nemini niſi ipſi Chriſto convenit, qui ſolus eſt lumen gentium *Eſa.* XLIX. 6. (3) deſiderium gentium *Hagg.* II. 8. (4) Pretioſa generis humani redemtio. (5) SS. Miniſterii Evangel. inſtitutio (6) Novi Teſtam. explicatio. Hæc de Chriſto dici *Paraphraſ. Chald.* confirmat: *Non auferetur ille qui imperium tenet de Judah, nec Scriba de liberis, donec Chriſtus veniat, ad quem Regnum pertinet, & huic populi obedient.* Ainsvvorth. ex Targum Jeruſal. hæc profert: *Kings shall not ceaſe from the houſe of Judah, nor Doctors that teach the Law, from his childern, untill the time that the King Chriſt doe come, whaſe the Kingdome is, and all Kings of the earth shall be ſubject. unto him.* Pari modo in *Bereshith Rabb.* in voce שילה extat, quod hæc dicta ſit de Chriſto. Huc etiam referri poteſt *Reitzii* explicatio ad *Godwin pag.* 9.

[7] *Summa fuerit imperii*) Non negandum quod poſt captivitatem mutatus fuerit ſtatus. Primo Pontifices rebus gerendis præfuerunt, nullo Principis aut Regis nomine aſſumto. Inde Pontificatus *Hiſmonæorum* Levitarum inſtitutus ſub *Antiocho Epiphane Syriæ* Rege, qui omnia Judæorum jura & inſtituta pervertit. *Matathias* igitur armis ſumtis leges ſuas Judæis reddidit, & eam rem a potiori populi Judaici parte Princeps conſtitutus. Hunc excepit *Judas Maccabæus* ejus filius, qui omnium primus ſummum Sacerdotium una cum Principatu geſſit, cui in ſummo Pontificatu ſucceſſerunt fratres *Jonathas* & *Simeon*. Tandem *Ariſtobulus Hyrcani* filius Principatum ad regiam dignitatem provexit, teſte *Joſeph. lib.* XIII. *antiq. Jud. c.* XIX. ita demum Reges iterum *Judæi* accepit, ſed ex tribu *Levi*, quorum ultimus *Antigonus* fuit. Illo pulſo exciſoque Regnum *Herodes* tenuit. Ut ut hæc ſint dicta, attamen cenſemus, jus laudatum non ſemel deſcriptumque pluribus, in *formali ſuo*, ſic dicendo, tanquam Republ. libera & regia quadam reſediſſe hæſiſſeque & plene quidem ad tempora uſque nati Meſſiæ; hiatu ferme, ferme dico nullo, habitis quidem licet, fateamur, temporum & circumſtantiarum (maxime quantum ad ejuſdem ſplendorem externum) non-

nunquam rationibus suis, secundum quod forte dicitur, majus & minus. Licet enim v. g. temporibus scissionis x. Tribuum ac his porro in captivitatem Assyriacam irresolubilem deductis, hinc in & post captivitatem Babylonicam istam decantatissimam, præsertim vero temporibus *Assamonæorum*, qui de tribu cognata *Levi* erant, nec non eorundem posterorum & successorum, Sacerdotum simul & Regum, potestas hæc diminuta valde videri poterat, imo translata in alios notatos modo: attamen dicimus semel concreditam illam (a tempore nimirum concrediti, quod non opus statim in ipsa *Judæ* persona cœpisse & annatam tribui huic dignitatem & majestatem mansisse, uti *Sennert.* optime *in dissert. de Sceptro Judæ* pluribus explicat. Donec pedetentim temporibus *Au. Gabinii*, *M. Licinii*, *Crassi*, *Pompeii & Julii Cæsaris*, qui posteriores in formam Provinciæ *Judæam* redegerunt, præsertim vero temporibus *Octav. August.* ejusdem, qui ex feudo regnum habebat Vasalli Herodis alienigenæ (Antigono Assamonæorum e familia ultimo rege percusso securi, sublato item Synedrio, occisisque de Domo David judicibus) penitus deficeret dignitas & potestas.

CAPUT DECIMUM.

Nunquam duodecim tribus Hebræas de nomine Judæorum appellatas esse. Decem illas tribus, quæ ante Nabuchodonozoris tempora avectæ a Salmanassare sunt, nunquam in Palæstinam rediisse: duas duntaxat tribus, non plures, paruisse Romanis, usque ad Flavii Josephi tempora. Passim Eusebii & aliorum error notatus.

NONDUM satis confutasse Eusebium videmur, nisi palam fecerimus, in quos laqueos ipse se induerit imprudens scriptor. Extant illa verba ejus in libro quem citavimus, [1] ἀπὸ τῶν Μωσέως χρόνων καθεξῆς οὐ διέλιπον μερικοὶ μὲν αὐτῶν ἄρχοντες ἐκ διαφόρων φυλῶν ἡγησάμενοι, καθόλου δὲ ἡ τοῦ Ἰούδα φυλὴ παντὸς προεστῶσα τοῦ ἔθνους. *Jam inde a temporibus Mosis, duces quidem Israelitici, si particulatim eos intueare, ex diversis tribubus lecti imperarunt: at in universum toti genti præfuit Judæa tribus.* Hactenus sibi constat, neque pugnantia dicit. Quod autem subdit, ridiculum est: παραδείγματι δὲ καταδέξῃ τὸ εἰρημένον. ὡς γὰρ ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς οἱ μὲν κατ᾽ ἔθνος ἐπίτροποί τε καὶ ἡγούμενοι, ἔπαρχοί τε καὶ στρατοπεδάρχαι, οἵ τε πάντων ἀνωτάτω βασιλεῖς, οὐ πάντες ἐκ τῆς Ῥωμαίων ὁρμῶνται πόλεως, οὐδ᾽ ἀπὸ Ῥώμου καὶ Ῥωμύλου σπορᾶς, ἀλλ᾽ ἐκ μυρίων, ἄλλος ἀλλόθεν ἐθνῶν, ὅμως δὲ οἱ πάντες βασιλεῖς τε, καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοὺς ἄρχοντες καὶ ἡγούμενοι τὴν Ῥωμαίων ἐπιγράφονται προσηγορίαν, Ῥωμαίων τε τὸ κράτος ἐπωνόμασαι, καὶ ταύτης ἐξῆπται τῆς ἐπωνυμίας· οὕτω περὶ τῶν καθ᾽ Ἑβραίους χρὴ νοεῖν πραγμάτων· μιᾶς μὲν καθόλου τῆς τοῦ Ἰούδα φυλῆς κατὰ τοῦ παντὸς ἔθνους ἐπιπεφημισμένης, τῶν δὲ κατὰ μέρος ἡγουμένων τε καὶ βασιλέων ἐκ διαφόρων καθισαμένων φυλῶν, καθόλου δὲ τῇ τοῦ Ἰούδα τιμωμένων προσηγορίᾳ. *Exemplo facicile percipies, quod diximus. Quemadmodum enim in Romano imperio gentium singularum moderatores rectoresque & præsides, costrorumque præfecti, quique omnibus illis majores sunt, haud quidem omnes urbe Roma, neque Remi Romulique satu, sed ex innumeris aliis aliunde gentibus orti sunt; & tamen tam reges profecto cuncti, quam qui post illos sunt, præfecti ducesque, appellati sunt Romani, visque & potestas Romanorum dicitur, atque ex hoc nomine pendet: Ita de Hebræorum rebus existimandum est, quasi una quidem tribus Judæ toti genti illustre suum nomen impertiverit, particulatim vero duces ac reges creati ex diversis tribubus sint, qui tamen ex communi illa Judæorum appellatione honorem acceperint.* Vide quid non possit incogitantia. Plane enim contrarium efficit Eusebius, quam volebat. Qui enim sceptrum fuisse penes Judæos jam tum a tempore Mosis ait, argumentum ejus rei hoc adfert, quia respublica, imperium, atque totus populus, qui duodecim tribuum erat, appellationem habuere de nomine unius Judæ. Hoc argumento bis terve diversis in locis, magnifice se effert: neque ferme in tota illa dissertatione aliam rationem reperias, qua probare sententiam suam nititur. Atqui, pace Eusebii, hoc omne, quidquid est, futilissimum est. Non enim respublica, non imperium de Judæ nomine dici cœpit, nisi postquam secessionem major Israelitarum pars fecisset Hieroboami auspiciis, qui statim Samariæ regnum sibi quoddam munivit ceremoniarum atque religionum mutatione. Ego & Eusebium, & eos omnes, qui leviter sacram historiam cognoverunt, quavis sponsione provoco, ni hoc ita sit, uti dico. Sed quid illud est, quod toties & tam fidenter ait, duodecim tribus in universum fuisse Judæorum nomine appellatas? Est hoc Eusebii delirium, quod ille incautis mortalibus obtrusit: & reperti sunt quidam summa claritudine scriptores, qui defenderent. Nos id nunquam factum dicimus, sive tu tempora ista, quæ scissionem regni Israelitici antecedunt, sive ea spectes, quæ insecuta post fuere. Et Eusebius quidem, etsi mentem suam aperte non explicat, tamen, si conjicere licet, sic sensit, accidisse illud inter initia nascentis imperii, cum respublica in Cananensium sedibus institueretur, ac de nomine ejus capienda consilia essent. Sed hoc colorem veri non habet. Quare vir maximus, quem Eusebii defensorem diximus, de tempore eum aliter sentientem facit, & quod sentire eum credidit, probat ipse

ipse sequiturque. Observasse enim Eusebium ait, duodecim tribus Israeliticas appellationem accepisse de nomine Judæ, eamque appellationem tunc primum cœptam usurpari, cum regiam potestatem, quam in Sedecia tribus Judæ amiserat, pontifices maximi in se transmovissent : hanc autem rem inprimis admirationem dignam ait, quippe quæ accidit consilio Numinis. Etenim, cum Polybius non sine gravi causa existimet evenisse ut Achæi, exiguus Græciæ populus, nomen aliquando darent universæ Græciæ, sane etiam hic aliquid sublimius grandiusque spectandum esse, cum post reditum a captivitate omnes omnium tribuum Abrahamidæ vocati Judæi sint. Hunc nos errorem excusare nec possumus, nec debemus. Enimvero, cum scissum divisumque Israelitarum regnum fuit, duæ tribus, Levitæ & Benjaminitæ, Judæis se sociaverunt. Quia autem pauciores tenuioresque erant, nihil nisi accessio habiti sunt. Itaque neque respublica ab illis appellationem accepit, & ipsi pene nomen suum amisere : dicti enim tandem communiter Judæi sunt. Hæc vera rectaque fatemur : neque aliter res habet. Sed quid ista, aut quo pacto ad cæteras decem tribus pertineant, viderint ii, quibus hoc commentum placuit. Profecto, ex qua tempestate semel decem illæ Israeliticæ tribus abductæ a Salmanassare Assyrio, & dispersæ per Colchos, Parthos, Indos atque Æthiopas sunt, nunquam deinde in patrium solum redierunt aut conjunctæ iterum Judæis sunt : sed inter barbararum gentium imperia, etiam hodie, si qui adhuc ex illa colluvie supersint, improbæ defectionis graves pœnas exolvunt. Itaque in republica Judæorum esse, aut nominis honorem ab illis accipere non potuere, qui cum Judæis nullum usum nullamque consuetudinem habebant : procul enim diverso in orbe siti, aliud cœlum, alia sydera intuebantur. Est apud Flavium Josephum, inusitatæ diligentiæ autorem, memorabilis locus, [2] quem excussisse ingens pretium operæ erit : sic enim optime rem expediverimus. Fecerat Flavius primum verba de iis, qui undique ex vicinis terris Babylonem confluxere, uti cum Ezra Hierosolymam redirent : ii autem omnes erant Judæi, & qui se Judæis conjunxerant, Levitæ atque Benjaminitæ. At de Hebræis aliarum tribuum, ita subjicit; Ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν κατὰ χώραν ἔμεινε· διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑπακούοντας· αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο· μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. *Reliquus vero omnis populus Israelitarum in* [3] *sedibus suis remansit. Quare tam in Asia, quam in Europa, duas duntaxat tribus in obsequio Romanorum esse contigit : at reliquæ decem tribus, etiam hoc tempore, trans Euphratem adhuc degunt, quarum sunt infinitæ myriades, plane ut propter numerosam multitudinem nosci haud queant.* Enimvero durioribus usi fatis sunt, quos Salmanassar abduxit captos, quam ii hercle, quos avexit postea Nabuchodonozor. Nam Israelitas quidem fluvius Euphrates, quem semel transierant, semper coercuit. At Judæi, qui eundem transvecti erant, tandem reversi aliquando in Palæstinam sunt : &, cum aut angusta nimis, aut parum grata ipsa illa esset Palæstina, per Europam tandem Asiamque late sedes suas posuere. Hæc causa est, cur Josephus duas modo Hebræorum tribus ad obsequium actas a Romanis dixerit. Illa enim tempestate populus Romanus, etsi omnia pene armis subegerat, & solem utrumque currere in imperio suo cernebat, nondum tamen moverat terminos trans-Euphratem. Itaque decem Israeliticas tribus, quos fluvius ille æterno carcere claudit, haud paruisse tunc Romanis, recte proditum ab accuratissimo scriptore est.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

1 *Lib. VIII. Domonstrationis Evang. in demonstr. 1.*

2 *Lib. XI. cap. V. Antiq. Judaic.*

3 *Loquitur Flavius de iis sedibus, in quas decem Israeliticæ tribus erant asportata trans Euphratem a Salmanassare Assyrio.*



CAPUT UNDECIMUM.

Hariolatio quorundam, qui sceptrum Judaicum esse Davidi datum ajunt: admodum sero contigisse, quod dictum multo ante de Judæ sceptro erat. Quando ablatum Judæis sceptrum sit.

DIXI ingenue, quando datum Judæis sceptrum existimem, de quo oraculum extat: dein, quos cives habuerit ea respublica, quæ ortum accepit ex plebis secessione. Quæ omnia Eusebius assecutus non est: qui tamen unus inter tot interpretes recte de illo oraculo ac pene divine judicavit. Quæ cæteri commenti sunt, non referam. Plerique tamen quod Eusebius esse factum jam inde a primordiis reipublicæ Hebrææ vult, id contigisse eo tempore ajunt, cum regia potestas delata ad Davidem est, quem tribu Judæ satum sacri annales loquuntur. Sed hos tam solide tamque feliciter confutavit Eusebius, nihil ut amplius addere cujusquam possit industria. Nam & Davidis posteros per tempus oppido exiguum, usque ad captivitatem Babylonicam, tenuisse regnum docet: &, quæ dicuntur identidem de æterno ejus solio, bene atque sapienter ad Messiam retulit. Sed de his post Eusebium plura dicere, hominis sit frustra seduli. Ita enim ille defunctus hac cura est, uti otium omnibus fecerit. In fine restat ut illis sollicitudinem demamus, qui mirabuntur quid ita sero eventus exstiterit vaticinii, quod proditum de Judæa republica est. Diximus enim sub Roboamo demum cœpisse eam. Sed sciant illi, ne hoc quidem præter vatis mentem fuisse. Quippe filios suos moribundus senex extremum allocuturus, velle se illis significare ait, *quæ eventura sint in diebus novissimis*. Dein & illud meminerint, in oraculis haud curiose vestigari tempora oportere. Pleraque enim interpretanda latissime sunt. Vel ecce in hoc ipso vaticinio, cum dicitur, *non sublatum iri sceptrum, priusquam venerit Silo*, putes illud significari, statim cum apparuerit mortalibus Messias, fore ut de manibus excutiatur sceptrum genti isti. Quod plane secus accidit. Non enim amiserunt id decus Judæi, nisi postquam, excisa urbe, incensoque templo, rempubl. aliquam habere suam, seque suis regere legibus desiverunt. Neque propterea defuit oraculo infallibilis veritas. Etsi enim diu ante e terris excesserat rerum salus Messias, contigisse tamen hæc ejus ætate constat. Mihi quidem significasse illud publica voce visus semper ipse Messias est, cum de urbis templique eversione in hunc modum inquit, μὴ παρέλθῃ γενεὰ αὕτη, μέχρις ἂν πάντα ταῦτα γένηται· *non transibit hæc ætas, priusquam facta sint hæc omnia*. Hæc satis erunt bonis cordatisque omnibus. Cæteros non moramur, quibus hæsitandi causa ubique est. Equidem, qui viros maximos incertis hic fluctuare erroribus cernebam, ita paravi memet ipsum, uti quiddam certum tenerem, quod deinceps sine periculo tuerer constantissime. Persæpe enim ea res in hisce libris nostros impetus tardavisset.

CAPUT DUODECIMUM.

De Dictatoribus, judicibusque: de senatu Sanhedrin: de initiatione senatorum ἡ χειροθεσία *: item solenne carmen: qui allecti in id concilium, qualis jurisdictio eorum. De populi comitiis. De poculo Sutha. Judæorum delirium de magiæ usu. De Eleazari incantamentis.*

OSTENSUM a nobis est, rempublicam, de qua agimus, diu Hebræorum omnium, mox autem Judæorum duntaxat fuisse: quod profecto semel definire, magni nostra intererat. Nunc egressi ex molestissima disputatione, dicamus deinceps, qui sacræ genti imperitaverint, quidque de judiciis sit, & de senatu habendum. Non concesserat Mosi Numinis benignitas, uti rempublicam eam in Palæstina surgentem cerneret, [1] cujus instituta publicaverat in Arabum desertis. Datum id decus Josuæ [2] est, qui, Mose defuncto, populi Ductor cum imperio maximo fuit. [3] Domi enim militiæque, quod jussisset, jus ratumque erat. Hunc pari potestate secuti sunt, qui præeundo edicendoque prætores dici dictatoresque poterunt, etsi in sacris annalibus Judices appellantur, [4] ratione haud multum diversa. At Flavius μονάρχας vocavit: quod nomen

nomen etiam Syllæ, Cinnæ, Marioque, & aliis Dictatoribus Romanis Græci dedere. Hos Judices, in magnis motibus, necessitas creavit: & compertum negotiis atque periculis est, in bello feliciter illis rem semper processisse, cum regum temeritatem persæpe fortuna destituerit. Fuit etiam cum iidem rebus civilibus intenti agerent, caussasque audirent, [5] sed graviores. Raro enim pro tribunali sedebant. Jussus modo, imperiumque, & summa rei ad eos pertinuit. Ultimus eorum Samuel fuit is, quem reges excepere, qui, potestate & imperio non contenti, habitu insuper insignibusque & splendore fortunæ supra multitudinem se tulere. Cæterum, præter summos populi ductores, Judicesque, atque eos, qui post appellati reges sunt, non pauci alii fuere, qui de republica consultarent, jusque dicerent, & negotiorum arbitri essent. Synedria enim quædam constituta erant, in quibus qui senatores fuerint, quæve res ad illos relatæ sint, edisserendum deinceps est. Ante omnia offert se nobis concilium magnum Sanhedrin, [6] in quod adscripti assessores septuaginta erant. Id concilium, cum constitutum a Mose [7] esset, semper deinde sub judicibus, regibusque, & pontificibus usque ad extremam Judææ desolationem fuit mansitque in ea urbe, quæ sanctuarii sedes atque reipublicæ arx esset. Sed quoniam prima tempora, proximaque illis, ferme obscura sunt, & de urbe Silo nihil præcipue scitu dignum sacer codex prodidit, nos, quale id synedrium in civitate principe Jerosolyma fuerit, postquam exstructum illic templum est, ex Judæorum observatione trademus. Mox de cæteris dicetur conciliis, quæ vel Jerosolymæ, vel in urbibus singulis fuere. Concilii magni sedes [8] in ipso sanctuario fuit, ubi de divinis humanisque [9] rebus senatores septuaginta cognoscerent, non hercle de plebe hominum lecti, sed nobilissimi omnes, qui amplitudinem majorum ac prisca familiæ decora præferebant. [10] Eam sedem illis summus Moses assignaverat. Convenire enim eos in locum jussit, quem elegisset Deus, uti nomen illic suum adoraretur a populo. Ab his provocatio non erat. Quicquid decidere cæteri magistratus judicesque in Palæstinæ oppidis atque in ipsa urbe Hierosolyma nequibant, id omne ad horum jurisdictionem [11] pertinuit. Qui autoritate & honore præcellerent inter eos, duo fuere: [12] quorum unus totius synedrii caput erat, & a Talmudicis נשא בכל מקום [13] dictus est: alter huic proximus, sed minor fuit, quem אב בית הדין *patrem judicii* [14] appellavere. Cæteri inter se æquales fuerunt. Hæc senatoria dignitas, quoniam amplissima erat, nemini data sine legitimo actu est. Manuum enim impositione [15] opus fuit, quam Judæi שמיכה vocant. At Græci χειροθεσίαν dixerunt. Ita Moses Josuæ [16] & septuaginta senatoribus manum imposuit: qua solennitate peracta, statim delapsus ætheriis sedibus spiritus [17] pectora eorum implevit. Et hi porro, in hunc modum initiati cum essent, alios eadem lege auctoraverunt. [18] Non tamen potuit is ritus extra terram sanctam [19] peragi, quia vis ejus omnis conclusa Palæstinæ finibus erat. Perinsigne est, quod Rabbi Maimonides tradidit in Halacha Sanhedrin, in capite quarto. Cum enim olim solennem hunc actum pro arbitrio suo omnes [20] ii celebrarent, quibus imposita semel manus fuerat, coarctatum id jus [21] a sapientibus esse ait, constitutumque uti nemo deinceps illud usurparet, nisi cui id concessisset divinus senex Rabbi Hillel. [22] Is autem magni concilii princeps erat, & alterum sub se præsidem habuit Sameam, [23] hominem truculentum ambitiosumque, cujus sectatores, cum paulo post contra discipulos Hillelis insurrexissent, tantis studiis animos hominum concivere, pene uti totus populus pertractus in partes sit. Tandem hæc manuum impositio, quæ usitata diu fuerat, cessavit. Recitatum enim duntaxat carmen [24] quoddam conceptis verbis est, quod Rabbi Maimonides fuisse ejusmodi ait: הרי את סמוך ויש לך רשות לדון אפילו דיני קנסורת: *Ecce, manus tibi imposita est, daturque potestas tibi judicia exercendi etiam criminalia.* Præterea aliam quoque formulam Talmudistæ prodiderunt, quorum verba in Elencho Trihæresii vir illustris Josephus Scaliger retulit, sed non recte accepit. Quare nos illum locum huc transscribemus, &, ut intelligi debet, interpretabimur. Dixerant Talmudistæ de Juda Babæ filio, [25] qui vetera gentis suæ instituta tutatus acerrime est. Pene enim actum erat de judiciis criminalibus, deque manuum impositione, ni ille Atlas res labentes fulsisset. Dehinc illa subjiciunt: הסמיכה לוא דוקא ביד כמו שעשה משה ליהושע אלא אפילו בדבר בלבד די שיאמר אני סומך אותך תהיה סמוך: Nos horum verborum germanam sententiam hanc putamus: *Actus ille solennis non tantum fit manu imposita, quemadmodum Moses Josuæ fecit, sed etiam fit per formulam verborum duntaxat, cujusmodi hoc est, quod dicitur, Ego impono tibi manum, & manus imposita tibi esto.* [26] At summus Scaliger ex illis verbis collegit, esse a Juda aliud quoddam carmen repertum præter vetustissimam formulam, quæ ibi concepta est. Quorum omnium nihil Talmudistis in mentem venit, neque vera sunt. Fefellit autem hoc virum maximum, quod existimavit בלבר esse *præterquam*, cum contra in

Rab-

Rabbinismo ferme sit *duntaxat* & *solum*. Sed hoc grammaticæ pulpæ est, & relinqui aliis debet. Nos hic quædam graviora commentamur. In concilium magnum non modo cives primariæ nobilitatis, quod jam diximus, sed Levitæ quoque sacerdotesque allecti [27] sunt. Etiam Pontificem Maimonides ascitum ait אם היה ראוי בחכמה *si cordatus, & capiendis consiliis non ineptus esset:* alioqui reprobare eum fas fuit. Non enim suo jure in senatum ibat, sed admissus [28] suffragiis est. Cunctos autem assessores corpore esse integro [29] oportuit. Qui vitium aliquod habebant, arcebantur. Sed nec peregrini [30] exterive recepti in hunc ordinem sunt, nisi matre saltem Judæa [31] essent. Hos enim excipit Maimonides. Et sane æquum erat, neque secus constitutum jure Quiritium [32] est. Ait Ulpianus JC. *in l.* 1. §. 2. *ff. Ad municip.* si quis ex patre Campano, [33] matre Puteolana natus sit, eum municipem Campanum esse: nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur: tunc enim filium maternam originem [34] sequi: quare Iliensibus concessum esse, ut, qui matre Iliensi est, sit eorum municeps: & Ponticis ex beneficio Pompeji Magni competere, ut, qui Pontica matre natus esset, Ponticus esset: atque etiam Delphis hoc idem tributum & conservatum fuisse. Senatoribus Sanhedrin per omnem Judæam ire, [35] conventusque populi lustrare, in oppidis magistratus condere, cura fuit. Cumque Cabbala quædam, mysteriorumque doctrina jam inde ab initiis reipubl. tradita per manus esset, hujus vis omnis, auctoritasque penes illos [36] erat. Tum & statuta [37] de rebus sacris condere, & modos quosdam comminisci, quibus lex exponeretur, [38] illorum fuit. De qua re Maimonides accurate egit in Halacha ממרים in cap. 1. Exstant apud Talmudistas multæ juris Judaici cautiones de illo sapiente, quem ipsi זקן ממרה *senem refractarium contumacemque* appellant; qui juris sacri & Cabbalæ pridem consultus, orta mox hæsitatione aliqua, probare illud & sequi recusaret quod communiter Senatores Sanhedrin statuebant. Is dein judicio magni Synedrii capite damnabatur. [39] Huc illa Maimonidæ spectant in eadem Halacha in cap. 3. זקן ממרה האמור בתורה הוא חכם אחד מחכמי ישראל שיש בידו קבלה ודן ומורה בדברי תורה כמו שידונו ויורו כל חכמי ישראל שבארה לו מחלוקת בדין מן הדיינים עם בית דין הגדול ולא הזר לדבריהם אלא חלק עליהם והורה לעשות שלא בהוראתן גזרה עליו תורה מיתה: Quæ jam plana sunt. Porro etiam vatum causa, qui graviter deliquissent, non alibi, [40] quam in hoc synedrio, disceptabatur: idque in animo habuit servator hominum Messias, cum in Lucæ Evangelio negat fieri posse, *uti propheta quispiam pereat extra Jerosolymam*. Tum &, quod summæ potestatis est, regem quoque constituebant, [41] ac de bello gerendo, [42] deque hostibus profligandis, & de proferendo imperio [43] deliberabant. Sed quoniam hæc ejusmodi erant, in quibus salus omnium & summa reipublicæ vertebatur, consultatum [44] de his plerumque cum populo est. Indicta enim comitia [45] sunt, in quibus solis populus partem aliquam caperet regundæ reipublicæ. Et sane aliam capere partem, aut aliter, non debuit: honores enim magistratusque singulis mandantur: quare gerere eos plebs propter væcordiam imperitiamque nequit. At in comitiis sapit videtque aliquid. Quod enim subtilissime Aristoteles judicavit, omnis ea multitudo sensum aliquem habet, conjuncta si sit; atque etiam publica commoda juvat, quia cordatiores adsunt, ducuntque: at seorsim singuli sine delectu judicioque sunt. De rege igitur, deque bello, ut dixi, decreta facta interdum populo auctore [46] sunt. Cætera omnia senatores Sanhedrin per se expedivere. Neque poterant illi maximis rebus esse impares, quia delecti sunt, quibus ingenium [47] usu sapientiaque validum esset. Sane quidem summus Moses eos senes dixit, non ætate modo, sed cura experientiaque. Fatemur tamen interdum causas ejusmodi fuisse coram illis disceptatas, quas explorare vis humanæ industriæ nequit. Hujus generis faciunt Talmudistæ quæstionem, quæ in solo hoc synedrio habita in caput mulieris de adulterio [48] est, cum testimonia non adessent. Surrexit enim sacerdotum unus, qui pars senatus esset. Is collegarum jussu diram execrationem obtestationemque composuit in ream, ac mox potionem ei porrexit, quæ nocentem rumperet e vestigio, insonti autem prodesset ad valetudinem. Judæi magistri id poculum סותה appellant. Quia autem vis ejus occultior in lege horrendi carminis latet, creditum ab illis est, senatores hos cunctos fuisse magiæ peritos, [49] eamque artem tanti esse, uti, qui nescirent eam, recepti in summum illorum ordinem non sint. Hæc opinio etiam nunc verpos tenet; sed vanissima est. Jam enim diximus, sacrum quendam instinctum non defuisse septuaginta senibus, postquam solenni actu impositæ illis manus essent. Et ipse Deus in Pentateucho eundem spiritum illis promittit, qui in Mose esset. Quare profecto tam futilis scientiæ præsidio non indigebant, qui meliora certioraque edocti cœlitus erant. Nos hunc Judæorum asininum stuporem non traduceremus, nisi Flavius Josephus quoque summus scriptor, popularium commentis deceptus, similia aut stultiora delirasset. Eleazarum enim quempiam

piam majorum gentium sapientem memorat, qui coram Vespasiano incantamenta quædam fanaticis adhibuerit, quæ summus rex Salomo in hunc usum a geniis accepta transmisisset ad posteros. Multa ille ibi refert, quæ satis digne exibilari non possunt. Nos putamus Josephum, quo die isthæc scripsit, aliquod purgamentum calcavisse. Adeo infeliciter, & præter morem suum, locutus aliena est.

NOTÆ AD CAPUT DUODECIMUM.

[1] *Cerneret*) E longinquo quidem vidit terram promissam Moses in monte *Nebo*, uti constat ex *capit.* XXXII. ℣. 49. *Deut.* & XXXIV. I. universam Sanctam terram perspexit, verum non intravit. Ascendit in montem *Nebo*, scribit *Henry Ainsworth. fol. m.* 166. *in Deut. that from thence he might view the holy land, as John from an high mountaine was shewed the holy Jerusalem*, *Apocal.* XXI. 10. *Nebo* nomen montis & civitatis erat, quæ Rubenitis in possessionem dabatur. *Num.* XXXII. 37. In hoc monte itaque Moses mortem obibat, antequam Palæstinam ingrederentur Israelitæ. Diem mortis Hebræi tradunt fuisse septimum mensis Adar, quem Februarium vocamus. Ita *Jonathanis Targum* in h. loc. *Die septimo mensis Adar, Moses Magister Israelis in lucem editus, & die septimo mensis Adar iterum mundum relinquebat.*

[2] *Josua*) Typo nostri Domini Jesu Christi, de quo eleganter sæpe citatus *Anglus in Num.* XX. *fol. m.* 128. scribit: *Moses the Minister of the Law, though he guided Israel thorow the wildernesse, to the borders of the promised Land, yet could not bring the people there into; but Josua his successour gave them the possession of it; to signifie, that the Law and worke thereof cannot bring us into the Kingdom of God, but Jesus Christ.*

[3] *Populi Ductor cum imperio maximo fuit*) *Bertram. de Republ. Hebræorum fol. m.* 763. *in vol. Critic. Sacr. edit. Francof. Politiam* sub Josua ita describit, *durasse videtur*, inquit, ordo ille, qui a Mose observatus fuerat.

[4] *Judices appellantur*) Judices hos *Nicolaus Serarius* Jesuita *Comment. in lib.* Judic. *ad cap.* I. I. *quæst.* I. *pag.* 53. & *Menochius annot.* in *eundem ad c.* II. 16. hunc in modum describunt; quod fuerint Principes, qui Israeliticum populum e servitutibus & malis, quibus tum premebatur, vindicarunt, eumque toto vitæ tempore postea ex legum præscripto rexerunt &c. Diximus *Principes* fuisse ex mente *Serarii*, quia eo ipso, quod judices fiebant, principatum in populo tenebant, (2) vindicasse populum a servitutibus, quia hic fere fuit terminus, a quo inceperunt omnes, & cujus causa ad hoc munus vocabantur: (3) toto eos tempore vitæ populum gubernasse, ne principatus eorum intelligeretur certo circumscriptus tempore, ut apud Romanos *Consulatus* & *Dictatura*. Extraordinarii hi a Deo constituti *judices* dicuntur quandoque *Salvatores*, διακονικῶς scil. & *ministerialiter*, ut *Judic.* III. 9. & 15. 2. *Esdr.* IX. 27. Advertendum inquit *Augustinus quæst.* XVIII. *super lib.* Judic. ad loc. jam dict. *Salvatorem etiam dici hominem, per quem Deus salvos faciat. Ita Salvatores Israelis dicuntur Judices & alii, per quos populum ab hostibus suis liberavit.* Josephus lib. v. *Antiquit. c.* II. appellat illos modo δικαστὰς, modo ἄρχοντας, modo ἡγεμόνας, interdum στρατηγὸς & μονάρχας: *lib.* II. *c.* V. in Græco, imo etiam αὐτοκράτορας *lib.* v. *c.* IX. Imperatores. A *Chaldæo lib.* II. *Reg.* VII. dicuntur נגידין & *Ruth.* I. I. *Duces*, *Ductores*, *Principes*, imo & Reges vocantur *Judic.* IX. 6. Constituerunt Regem *Abimelechum* i. e. δικαστὴν *Judic.* XVIII. I. Mortuo *Samsone*, in diebus illis non erat Rex in Israel i. e. δικαστής. Ex quibus locis fortassis suos μονάρχας *Josephus* exstruxit, quem *Cunæus* noster hoc loco adducit & *Prætores Dictatoresque* dici potuisse existimat. Sed *fallitur*. *Dictatores* enim Romani vere regia omnia habebant, tantum potestas eorum tempore erat circumscripta. De *prætoribus* Romanorum videndus *Kipping lib.* II. *cap.* III. *pag. m.* 299. *edit. Bremens.* 1679. *antiq. Roman.* & de *Dictatoribus pag.* 294. Non fuit hic Principatus hæreditarius, neque succedebant judices immediate sibi invicem, sed post intervallum temporis, quando populus ob angustias Salvatorem petebat. *Judic.* III. 9. Hinc factum, ut per multos annos nullus omnino esset judex.

[5] *Causasque audirent*) In præcedentibus & his verbis *officia* horum judicum adducit, quæ erant (1) ut bella adversus hostes gererent, armis injurias propulsarent & erepta recuperarent. Quod vero belli gerendi & populum Dei vindicandi autoritate armati fuerint, patet ex *cap.* IV. *Judic.* ℣. 4. Nonnulli tamen judices nulla cum hostibus bella gessisse leguntur, ut *Thola*, *Abesan*, *Ahialon*, *Abdon*. Nec *Heli* exercitum ductavit I. *Sam.* IV. 13. Nec *Samuel* pugnavit armis. (2) Ut in fori tribunalibus jus dicerent & litibus populi componendis præessent. Hinc dicuntur filii Israel accurrisse ad *Deboram* judicii ergo, *Judic.* IV. 4. & *Samuel* quoque domi suæ in *Rama* judicavit Israelem cunctis diebus vitæ suæ, & singulis annis circuivit *Bethelem* & *Mitspam*, & tribus illis locis jus dixit Israelitis, ac de jure respondit. I. *Sam.* VII. de *Gedeone* inquit *Joseph. lib.* VIII. in fine: *Gedeon cum vellet imperium deponere, compulsus est id retinere per annos* XL. *dicendo jus & litibus finiendis occupatus, populo ratum habente, quicquid ille in causis controversis pronunciaret*. Falsum igitur est, quod *Cornel. Bonaventura*, *Bertram. de Republ. Ebr. cap.* IX. asserit: *Judices tempore belli autoritate valuisse maxime, post dimissos vero milites, privatos vixisse.*

[6] *Magnum Sanhedrin*) Huic vocabulo variæ etymologiæ tribuuntur; Quidam sunt, qui nugas sequuntur Magistrorum, & illud ex origine Ebræa colligere volunt, ut in *Persikhta Zotertha. fol.* 45. ubi hæc extant verba: Quod ad originationem Sanhedrin attinet, *San* denot legem, utpote quæ data est in Sinai) quasi סנ: *hedrin* autem ex eo, quod repetebant legem, eam interpretando pulchreque explicando Scripturæ locum alterum cum altero. Alii *Sanhedrin* nomen judicum esse dicunt, ideo quoniam odio habent acceptationem vultus, seu personarum in judicio. Confer *Hermann. Witsii Miscellan. Sacr. diss.* III. *pag. m.* 533. & 26. 27. *edit. Traj. ad Rhen.* 1692. Verum has derivationes frivolas esse, nemo cordatus ignorat. Nullibi siquidem in V. T. vox Sanhedrin reperitur, nec mirum, cum plane e Græca in Ebraicam linguam relata sit. Græci συνέδριον, alias γερουσίαν Seniorum vocant: item πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ *Luc.* XXII. 66. Hinc *Seldenus*, *Lucas*, ait, *tum in Evangelio, tum in Actis* πρεσβυτερίου *voce pro Synedrio Magno usus*. Talmudistæ סנהדרין Sanhedrin vel בית דין הגדול Domum judicii magnam, it. בית דין של ע"א Domum judicii septuaginta unius virorum vocant. De vocibus igitur his late differit *Selden. lib.* II. *de Synedr. Ebræor. cap.* IV. Conf. *Buxtorf. in Lexic-Rabbin-Talmud. fol. m.* 1513. *seq.* Disquiritur autem hic, an סנהדרין ipsos notet συνέδρους *Senatores*, an vero *Consessum*, sive *Concilium* ipsum *Judicum*. Definivit *Drusius* secundum Eliam *Levitam* τοὺς סנהדרין ipsos tantum συνέδρους *Senatores* significare; cui sententiæ eruditissimus *Seldenus lib.* II. *c.* IV. adversatur, etsi contrarium non probet. Quæritur igitur, an per vocabulum סנהדרין non subinde ipse etiam locus intelligatur consiliis habendis destinatus. Id vero nobis fere persuasum est tam de Hebræo סנהדרין, quam de Græco συνέδριον, de quo nullum dubium. De priori hæc sunt verba *Cohen de Lara de convenientia vocabul. Rabbin. cum Græca*. סנהדרין פי מושב הדיינין Græc. συνέδριον, Synedrium, Concilium, Consessus judicum. Locus in quem conveniunt Senatores. Certe Paraphrasis Chaldaica teste *Buxtorf. in Lexico* 1514. eo nos videtur ducere, cum locum in libro *Esthera c.* II. 21. ita explicat: *Illis diebus sedebat Mardochai* בסנהדרין *in Synedrio, ipsi ordinato a Regina Esther in porta Regis.*

gis. Verum hoc loco, affirmante *Vitringa in doctiſſimo libro de Synagoga vetere edit. Franequer. 1696. pag. m.* 105. *lib.* I. *cap.* III. videtur *τὸ* סנהדרין accipiendum pro *Schola*, in qua ſtudio Legis opera datur, & teſte citato autore dictu ſimpliciſſimum, ut per *Synedria* Legislator intellexerit *Scholas*. Græcum, pergit, *συνέδριον* ſumi pro loco conventus Judicum, præſtari a nobis poteſt ex *Herodiano*, quem locum *pag. m.* 106. adducit. Plura qui deſiderat evolvat citatum laudatum autorem. *pag. m.* 106. ſeqq.

[7] *Conſtitutum a Moſe*) Concilium hoc magnum ab ipſo *Moſe*, Dei juſſu inſtitutum eſſe, ſemperque deinde ſub Judicibus, Regibuſque & Pontificibus, uſque ad extremam Judææ deſolationem fuiſſe, manſiſſeque in ea Urbe, quæ Sanctuarii ſedes atque Reipubl. Judaicæ arx eſſet, conſtans Hebræorum traditio eſt, & communis quoque ac pervulgata Chriſtianorum ſententia, ut *Cæſar Baron. Annal. Eccleſ. ad A. C.* 31. *Carol. Sigon. de Republ. Ebræor. lib.* VI. *c.* IV. & 7. *Bonaventur. Cornel. Bertram. lib. de Republ. Ebræor. cap.* VI. *Hug. Grot. annot. ad cap.* V. *Matth.* & *lib.* 1. *de jur. Bell.* & *Pac. c.* III. *Schickard de jure Reg. c.* I. *theor.* II. *Selden. lib.* II. *de Synedr. cap.* IV. §. II. *P. Cunæi de Republ. Hebr. lib.* I. *c.* XII. *Zepper.* in Lege Moſaic. Forenſ. *explanat. lib.* V. *c.* IV. *Joſeph. de Voiſn obſervat. ad proœm. Pugion. fidei fol.* 14. *Richard. Montacut. Analect. Eccleſ. Exercit.* VI. *Sect.* V. *Cl. Salmaſ. in Apparat. ad lib. de primat. Papæ pag.* 302. *Varenii Comment. in Cenſ. pag.* 601. Natales igitur Synedrii omnino ad tempora demum poſt-Babylonica & *Eſræ* aliorumque ex captivitate ad patrios lares remeantium referendos duximus cum *Friſchmuthio de Rege eligendo & deponendo* §. 60. *Carpzovio in notis ad* משפט המלך *Schickardi, pag. m.* 10. 11. Elegantiſſima hac de re verba ſunt *Hermanni Conringii de Republ. Ebraica* §. 37. ita ſcribentis: *Veriſimilius videtur, Synedrium M. aliquod conſtitutum demum eſſe poſt captivitatem Babylonicam, & quidem maxime Haſmonæorum tempore, idque ad effigiem Senatus a Joſaphato Rege olim compoſiti, cujus fit mentio in Paralipomenis. Conſtitutum certe Synedrium demum eſſe, quo tempore Græcæ linguæ uſus inter ipſos Judæos jam invaluerat, ipſa vox ex Græco orta liquido oſtendit, illa vero lingua cæpit denique populo eſſe frequens, potientibus in Palæſtina rerum Syriæ & Ægypti regibus Macedonici ſanguinis poſt Alexandrum Magnum*. Nec alterius ſententiæ Patronis ſubſcribendum eſſe putamus: (1) quia nuſquam ante Captivitatem Babylonicam expreſſis verbis notum fuiſſe Synedrium dicitur. Nam quæ loca opponuntur, in quibus natales Synedrii quærunt alii, *Exod. ſcil.* XVIII. 22. *Num.* XI. 16. *Deut.* XVII. 8. prolixe refellit *Friſchmuth. l. c.* §. 53. 54. 55. & *ſeq.* Confer. *Conrig.* §. 25. *D. Quenſted. in antiq. bibl. pag. m.* 35. 36. Expendat modo quis paulo accuratius, quid ipſi Judæi, hoſque ſecuti Viri clariſſimi de Synedriis tradant, conferat ea cum prædictis Scripturæ locis, & videbit, quod gladio proprio ſe jugulent. Audiamus Rabbinorum Principem *Maimonid. Hilc. Sanhedr.* Senatus major, inquit, in Sanctuario erat, & vocabatur Sanhedrin M. Numerus illorum erat LXXI. Qui grandior ſapientia cæteros omnes antecellebat, eum faciebant præſidem ſeu caput conſeſſus. Is ipſus eſt, quem eruditi ubique terrarum appellant נשיא iſque præeſt loco Moſis magiſtri noſtri. At qui inter LXX. Senatores annorum ratione maximus erat, illum collocabant a dextris illius vocabantque אב בית הדין Patrem Conſiſtorii. Cæteri LXIX. ſedebant ordine promotionis ſeu dignitatis, quo quiſque major in ſapientia, quam collega ipſius, eo locabatur propius ad ſiniſtram Principis, &c. Loca Scripturæ adducta ſi perpendimus, nihil conſentanei reperire poſſumus. Nam priori loco inſtitutum judicium aliquod ad leviores dijudicandas cauſas; Synedrium autem de gravioribus judicabat. Alter locus agit de viris, qui onera ſublevarent in deſerto in diſtribuenda carne, hæc explicata vide *in antiquit. bibl. Quenſted. pag. m.* 35. Quia etiam nonnulla dicta proferri poſſunt, quæ vel nullum quandoque Synedrium in univerſa terra Iſraelitica inventum judicium, vel mulierem aliquando ad clavum ſediſſe ſatis demonſtrant. Prius aſſerit liber *Judic. cap.* XVII. poſterius idem *cap.* IV. 5. Quod ſi vero Conſeſſus ille Synedrialis tunc floruit, at cur toties, unumquemque pro arbitrio res ſuas procuraſſe, ſacer Codex commemorat? Ita etiam *Samuel* dicitur populum judicaſſe, quod ſane nullo modo factum fuiſſet, ſi Synedrii tunc temporis aliquod inventum veſtigium. Vide de hac re fuſe diſſerentem D. *Quenſted. l. c. pag. m.* 35. *ſeq.*

[8] *Sedes*) Locus, ubi hic conſeſſus haberi conſueverat, dicebatur לשכת גזית conclave cæſi lapidis. vid. *L' Empereur*, hoc nomen accurate evolvens ad *Codicem Middoth. pag.* 181. *ſeq.* Erat enim ædificium ſplendidum ex cæſis & politis lapidibus quadratis ad latus templi Hieroſolymitani exſtructum, unde *σύνεδροι* vocabantur חכמי גזית ſapientes Gazith, ipſumque *Synedrium* non ſemel apud *Hieronymum* de ſancta fide Conſiſtorium de *Gazith* & *Conſiſtorium Gazith* nuncupatur. Conclave hoc ſic exſtructum eſſe ſcribunt (verba ſunt *Johannis Seldeni Angli doctiſſimi de Synhedriis Ebræorum lib.* II. *cap.* XV. *n.* 4.) ut pars tantum altera קודש id quod Sanctum erat, ſeu aream conſecratam, ſeu Atrium, altera vero חול profanum, religione ſolutum, ſeu aream non ſacratam occuparet, unde fiebat, ut in parte ſacra non conſiderent, ſed in profana tantum. Sic *Gemara Babyl. ad titul. Joma cap.* II. *fol.* 25. Conclave *Gazith* erat ſpecie Baſilicæ magnæ, eratque dimidium ejus in loco ſancto, dimidium alterum in profano; duoque habuit oſtia, quorum unum verſus ſanctum, alterum verſus profanum aperitur; i.e. per unum oſtium in partem ſacram, per alterum in profanam introibant. Sedit Synedrium M. tantum in Conclavis *Gazith* parte profana, ſive non ſacrata. Nemini enim præter Reges familiæ Davidicæ in atrio ſedere licuit juxta *Talmudicos*. Vide *Lightfoot Centur. Chorograph. cap.* XXXI. *Adrichomium* in deſcriptione *Jeruſalem* §. 35. & in primis *Conſtantin. L' Empereur pag.* 183. *ſeq.* ubi de Conclavis hujus poſitura fuſe diſputat. *Wilhelm. Schichard. de jure Regio cap.* I. *theor.* II. *pag.* II. inquit: Senatus major in Sanctuario erat in לשכת גזית Liskat Haggazith, ſeu conclavi lapideo, quod in Azara ſeu atrio profano populi. *Seldenus l. cit. n.* 4. exiſtimat, non adeo abſonum forte eſſe ſuſpicari, conclave hoc ipſum idem eſſe, quod in Evangelio *Joh.* XIX. 13. nuncupatur *λιθόστρωτος*, locus ſaxis ſtratus —— Quod nec parum ab Ebræis ipſis firmari videtur, qui in cauſa Domini noſtri Jeſu Chriſti Synedros, quoniam alibi ab ipſis capitalem ſententiam rite ferre noluere ipſi, in Conclave Liskath hagazith rediiſſe diſerte ſcribunt. Tandem concludit, ipſum Lithoſtroton dictum fuiſſe Synhedrii Magni locum, ſeu conclave, a pavimento ſic nuncupatum. Aſt non videtur conclave *hagazith* idem fuiſſe cum eo, quod *Johannes* l. c. *λιθόστρωτον* appellat. Unde enim probabit *Johann. Seldenus* Pilatum Templi atrium ad judicia ſua exercenda adhibuiſſe? de qua re pluribus *Quenſted. pag. m.* 42.

[9] *Ubi de divinis humaniſque*) Senatus ille magnus cognoſcebat præcipue de cauſis gravioribus, Religionem ac Rempublicam attinentibus, utpote de controverſiis legalibus & anno intercalari; de Præsbytero refractario & contumace, de Pſeudoprophetis, Apoſtatis excommunicandis, de uxore adulterii ſuſpecta, de homine occiſo in confinibus reperto, de bello ultroneo, fœderibus, legatis, vectigalibus, ædificiis publicis, Magiſtratibus inferioribus &c. Bene D. *Varenius* ad h. l. referente *Quenſtedio. pag. m.* 40. Sedebant, inquit, in hoc Sanhedrin viri prudentia & ætate venerabiles, iidemque populi primores, qui majores cauſas & graviora regni judicia dijudicabant, veluti de bello & pace, de commodo & juribus publicis, de falſo Propheta, de Summo Sacerdote, de judicibus & Magiſtratibus Tribuum, unde patet, quanta hujus Sanhedrin, ejuſque נשיא fuerit eminentia. Confer. *Campeg. Vitring. lib.* II. *de Synagog. c.* XII. *pag. m.* 599.

[10] *Decora præferebant*) In Senatum magnum igitur legebantur nobiliſſimi, quique arte & doctrina celebres, moribus & legitima ætate præditi. Quoad ortum legebantur ex Sacerdotibus & Levitis Iſraelitis, quorum nobilitas ipſos aptos reddebat, cum Sacerdotibus affinitatem contrahendi. *Maimonid. Sanhedr. c.* II. Doctrinam quod attinet, debebant eſſe viri Scientiæ perfectæ & multijugæ, debebant ſcire LXX. linguas, Arithmeticam, Medicinam, Aſtronomiam, Aſtrologiam, Divinationes & Magicas artes &c.

&c. Conf. *Maimonid. c. l.* Celeberr. *Campegi. Vitringa pag. m.* 573. *de Synagog. veter. edit. Franequer.* scribit ex *Doctoribus* ad hunc gradum promotis Synedrium constitisse. Quotquot scil. inter familiares suos dignitate & eruditione eminebant, hos assumebant. *plur. vid. c. l.*

[11] *Ad horum Jurisdictionem*) Qualiscunque causa & actio Judicii non flagitabat appellationem Judicum Hierosolymitanorum, sed multæ vulgares dirimi poterant in urbibus & vicis, ubi inferioris subsellii judices ad jus dicendum ordinati erant, si modo casus in lege determinatus esset, vel saltem ex illa per consequentias perspicuas determinari posset. Verum si gravior aliqua Judicibus decidenda esset quæstio, quæ nec in ipsa lege declarata erat, nec hactenus superius illud Tribunal *Sacerdotis* aut *Judicis* exercuerat, ascendendum erat in locum, a Deo electum, & qui ibi aderant Sacerdotes & judices, Summum Synedrium constituentes, consulendi, a quorum sententia sive Doctrina & lege, vel minimum recedere, capital erat. Conf. *Henry Ainsworth. comment. in Deut. cap.* XVII. *fol. m.* 66. *edit. Londin.*

[12] *Duo fuere*) Alii tres statuunt; quorum primus præ cæteris omnibus eminuisse dicitur, diciturque נשיא בכל מקום Princeps omni loco, vel נשיא Princeps simpliciter, aut ראש caput, aut מופלא admirabilis propter insignem eruditionem, qua præditus esse debebat: ejus definitio est, *qui legis publice interpretandæ authoritatem habet*. Alter ab illo, Vice-Præses dictus אב בית דין Pater domus Judicii. Cujus sedes erat a dextra Principis & eo absente præsidebat: definitio ejus est, *Judicum antecessor*, cujus ore lites deciduntur. Tertius dictus חכם *sapiens*, & ille doctorum præstantissimus, cum quo de agendis communicabant, ut perito sensuum & rationum legis. In Senatu ad lævam Principis sedebat. Videantur de his Celeberr. *Hermani Witsii Miscell. in lib.* II. *dissert.* III. *pag. m.* 542. *Joh. Henric. Otthon. Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 630. 631. *edit. Genev.*

[13] נשיא בכל מקום (נשיא) Nasi Princeps Synedrii habitus est pro summo Scholarum Judaicarum Rectore. Vid. *Campegi. Vitring. lib.* I. *part.* I. *cap.* VII. *pag. m.* 163. *edit. Franequer.* quæ postea *Curiarum* formam acquisiverunt, ubi jura & jurisdictiones exercebantur. Disertum in hanc rem testimonium ex *Glossa* Talmudica protulit *Coccejus in not. ad Sanhedr. cap.* IV. *Num.* XIII. Nasi, inquit, seu Princeps is est, qui interpretandæ publice legis auctoritatem habet; præprimis autem hæc potestas fuit apud *Rectorem*, seu *Principem Academiæ*, quem in omnibus traditionum minutiis sic oportuit esse exercitatum; ut ad omnes quæstiones propositas expromte respondere & objectas quascunque difficultates continuo expedire & de iis disserere valeat. Conf. plur. *Campeg. Vitring. lib.* I. *part.* I. *pag.* 164. *de Synagog. Vet. edit. Franeq.* 1696. aliisque locis. Vocatur etiam ראש המשמר *caput* seu *Præsul*. Vid. *Lexic. Philolog. Othon. pag. m.* 536. *edit. Genev.*

[14] *Patrem judicii*) Hic tertium præfectum omittit *Cunæus* noster: nempe סגן *Sagan*, qui quasi-Pro-Pontifex seu Pontifex secundarius erat, dicebatur etiam אב בית דין cujus meminit Codex Joma *pag. m.* 34. *edit. ult.* ubi hæc leguntur verba: *Princeps Sacerdotum* a dextris & *præfectus patrum* a sinistris stabant Pontifici, ita ut medius Pontifex incideret. Iste autem vocabatur סגן quæ vox, ut *Sheringham. Anglus refert. pag.* 35. generalis est, & refertur (1) ad magistratus civiles; *Seganim* enim dicuntur, qui secundi sunt a rege. (2) refertur ad *Duces* militiæ; R. *Saadiah Gaon ad Dan.* III. 2. Seganim duces sunt exercitus. (3) ad *Sacerdotes*; & is inter ipsos סגן dicebatur, qui Princeps erat gregariorum Sacerdotum. Is Sacerdoti magno ministrabat, & vicarius ejus erat, si quid obvenisset, quod eum ab officio præstando detinuisset. Moses, ut in *Siphra* traditur, primus in hoc officio constitutus fuit. Vicarium Pontificis, סגן dictum, pluribus recenset *Selden. lib.* III. *cap.* VIII. *de Synedr. Hebr. pag. m.* 1119. *edit. Francof.* 1696. Confer *Quenstled. antiq. Bibl. pag. m.* 36. Tertium itaque *Cunæum* omisisse constat, cum tantum mentionem faciat אב בית הדין *patris judicii*, qui idem cum סגן, teste *Campegio Vitringa Viro Celeberrimo lib.* II. *c.* V. *pag.* 525. *de Synag. Vet.* & *pag.* 576. ubi in hæc prorumpit verba: Notum est, primum a principe Presbyterum in Senat. LXXI. virali hoc titulo honoris discretum fuisse ab aliis. Plura vid. c. l. & *pag.* 577. Conf. *plur. Reverend. Carpzov. annot. ad Schikard.* משפט המלך *pag. m.* 12. *edit. Lips.* Ut autem *tertium* addamus, vocabatur ille ראש בית אב *Princeps domus paternæ*: ut ex Rabbinis ostendit *Saubert. ad duo loca Nov. Testam. Loc.* II. §. 24. calculum huic addit *Joh. Henric. Otho in Lexic. Philolog. pag. m.* 537. *edit. Genev.* Ille qui familiæ ministranti præerat vocatur ראש בית אב caput familiæ paternæ. Hic a sinistra stabat, uti *Joma* recenset. Videri in hunc locum possunt annotat. *Scheringhamii pag.* 36. *edit. Franeq.*

[15] *Manuum impositione*) Initiatio & Ordinatio fiebat per impositionem manus, quam cum excell. *Witsio lib.* II. *diss.* III. *pag.* 541. *Miscell. Sacr.* distinctam existimamus ab ea, qua quis creabatur Senior. Qua de re summatim & optime *Maimonid. tract. Sanhedr. cap.* 4. ad vetustiorum mentem, cujus verba Latine reddidit Cl. *Selden.* in aureo libro de *Synedriis Ebreorum pag. m.* 383. his verbis: parile jus spectat ad Synedrium Magnum & ad Synedrium quod libet minus & ad forum trium-virale in hoc scil ut oporteat quemlibet eorum, qui in illa cooptantur creari per MANUS IMPOSITIONEM ab illo, qui sic ante creatus fuerit. Conf. Vitring. *de Synagog. Vet. pag. m.* 838. Conf. *Selden. de Synedr. Hebr. pag. m.* 681. *edit. Francof.*

[16] *Ita Moses Josuæ*) *Guilelm. Beveregius annot. in Can. Apost. pag.* II. Impositionem manuum originem traxisse scribit a *Josua*, qui hoc ritu ordinatus dicitur, eandemque deinceps in judicibus & Rabbinis ordinandis secundum Judæorum sententiam continuatam esse, producit testimonium *Benjam. Tudel. itin. pag.* 73. huncque ritum a Judæis usque ad annum Christi 1170. observatum esse. Cui adstipulatur *Selden.* l. c. ita differens: *Manuum* impositionis ritu, velut a *Mose* derivato, (quem ita creasse in dignitatem hanc non modo *Josuam*, sed itidem ante LXX. illos sibi in Synedrium Magnum ascitos ajunt) in creandis Presbiter. utebantur.

[17] *Spiritus*) Designatur eo collatio tam *Potestatis* actu exercendæ, in Regimine judicio aut institutione, quam *Donorum necessariorum Spiritus Sancti*, quæ ad exercitium gravissimi illius muneris requirebantur. Qui manus suas alteri imponit, is repræsentat *Deum ipsum*, a quo omnis potestas in Sacris, omnis Benedictio & dona Spiritus Sancti unice derivantur ac proin ὁ χειροθέτης semper illo Actu consideratur ut major τῷ χειροτιθεμένῳ. Potestas autem commode per *Manus* figuratur, quia potestas nulli unquam adscribitur absque respectu ad potentiam, quæ per manus exercetur, unde sub alicujus manu esse tantundem valet, ac sub ejus potestate esse. Inprimis si rationem habeamus extentarum manuum, quæ cum personam, cujus capiti imponuntur, obtegant, hoc sane symbolo pereleganter significatur tam potestas Imponentis, quam illius potestatis per impositionem communicatio. Idem illud symbolum extentarum manuum caput obtegentium egregie figurat DONA SPIRITUS SANCTI. Et Apostoli per Impositas Manus dona Spiritus Sancti non raro credentibus primi temporis conferebant. Utrumque probatur ex Scriptura Sacra *Num.* XXVII. 20. & *Deut.* XXXIV. 9. Ergo χειροθεσία secundum divinam voluntatem administrata infert communicationem donorum Spiritus & Gratiæ. Conf. *Joh. Georg. Dorschei dissert. de ordinat. ministr. Eccles. edit. Argentor.* 1645. *Selden. de Synedr. Hebr. lib.* I. *pag.* 384.

[18] *Auctoraverunt*) Fiebat hæc manuum impositio sive a Triumviris, a Synedrio ipso in eam rem constitutis; sive a Synedrio integro; sive denique a Senatore unico, alios sibi collegas adsciscente. Vid. *Selden. de Synedr. Ebr. lib.* II. *c.* VII. *pag. m.* 682. *edit. Francof.* Observandum autem, quod unusquisque eorum sit creatus & Moses, uti refert *Seldenus* ex *mente Rabbinorum* l. c. Magister noster ita creavit *Jehosuam* juxta id, quod scriptum est; manus suas ei imposuit, & præcepit ei: atque LXX. Presbyteros creavit Moses, & resedit super eos Majestas divina. Sic alii creabant alios. Et compertum est (inquit Maimonides) sic creatum fuisse alium ab alio usque in tempora Domus judicii Mosis.

[19] *Extra terram Sanctam*) Si quis promovendus erat, ambo, promovendus & promotor in terra Israelitica esse debebant. Vid. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Phi-*

Philolog. pag. m. 272. *edit. Genev.* Probari etiam potest ex *Maimonid. Hilc. Sanhedr. c.* IV. §. *6. Mos. Mikoth. præcept. affirmat.* 97. *fol.* 186. *col.* 4. Ordinare non solebant, inquit, extra terram, ne quidem ab Ordinantibus, qui intra Terram rite satis ordinati fuissent. Etiamsi Ordinantes in Terra essent, Ordinandus autem extra Terram, Ordinatio non admittenda, nedum, si Ordinantes extra terram essent, & Ordinandi intra Terram. Atque ita *Gemar. Babylon. ad tit. Sanhedr. c.* 1. *col.* 14. 1. Ordinationis actus locum haud habet extra Terram. Conf. *Selden. de Synedr. Ebr. lib.* II. *c.* VII. *pag. m.* 699. *edit. Fran.* ubi plura.

[20] *Omnes*) *Maimonid. tit. Sanhedr. c.* IV. §. 5. discrimen facit inter facultatem vetustioris & recentioris ordinationis, dum ita scribit: Antiquitus quisquis esset ordinatus, ordinabat ipse Discipulos suos. —— —— Cæterum quoad reliquos, unicuique eorum licitum fore ordinare, impetrata Principis licentia &c. Conf. *Selden. de Syned. Hebræor. lib.* II. *p.* 684. 685.

[21] *Coarctatum id jus*) Omnes olim promoti promovere poterant alios: sed a temporibus *Hillelis* principis, nemo potest promovere, nisi facultate accepta a Principe Synedrii magni. *Hierosol. Sanhed. c.* 1. *fol.* 19. 1. quibus adstipulatur *Selden. de Synedr. Ebr. cap.* VII. *l.* II. *pag. m.* 682. qui asserit, *Hillelis* tempore sive rogatione, sive gratia inolevisse ritum, ut nemo pro rite ordinato haberetur sine Principis Synedrii authoritate, uti fusius rem demonstravit in *comment.* ad *Eutychii Origines pag.* 19. *lib.* 1. & 2. adeoque ut ne ipse Princeps extra Patris Synedrii præsentiam, nec collega quisquam sine Principis licentia rite creare posset. Vid. *Othon. Lexic. Philolog. pag. m.* 272. Princeps Synedrii non potest promovere, nisi præsente parte בית דין domus judicii. Pater domus judicii quoque promovere non potest, nisi ipsi adsit Princeps Synedrii.

[22] *Hillel*) Hic Princeps erat *Israel*, id est Synedrii magni e Tribu Benjamin ex parte patris. והוא inquit R. *Abraham Zacuth.* Juchas. *fol.* 42. 2. veteres secutus: Et is Princeps seu caput erat Familiæ Principum & ex posteris Shephatiæ filii Abitalæ uxoris David, ex parte matris suæ. Audiamus *Othon. in Lexic. Philolog. pag.* 242. *Hillel* fuit ex familia Davidis *Hieros. Taanith. fol.* 68. 1. Hillel & filii ejus *Simeon*, *Gamaliel* & *Simeon* gesserunt Synedrii Principatum a centum illis annis, qui devastationem Templi præcesserunt. Vid. plur. cit. loc. Plurima etiam de hoc viro celeberrimo habet Angl. *doct.* Joh. *Lightfooth. in hor. Talmud.* 197. 198. *edit. Lips.*

[23] *Sameam*) Inter Hillelem & Scammæum semper maxima fuerunt dissidia in doctrina & traditionibus. *Hillel* fuit homo mansuetissimus. Cl. *Hottinger. Thes. Philolog. p.* 42. Contra *Schammæus* truculentus: Hinc maximum odium & dissidium inter has duas partes ortum, cujus odii & insidiarum habentur exempla in *Hierosol. Schabb. fol.* 33. & *Hierosol. Scheviit. fol.* 35. 2. Ibidem enim recensetur quomodo Schammæani quosdam Hillelianos in Camera Ben Gorionis interfecerint, & quod R. Tarphon in maximo vitæ periculo fuerit, quia ficus comederat secundum traditiones Scholæ Schammæanæ. Vid. Cl. Angl. Johan. *Lightfoot Hor. Talmud. pag. m.* 335. *edit. Lips.* Post multas altercationes בת קול *Bath Kol* in Jafne pro *Hillele* sententiam pronunciavit, omnibus notum faciens ipsius sententiam in determinationibus sequendam esse. *Hieros. Berac. fol.* 3. 2. Conf. plur. Lightfoot. loc. cit.

[24] *Recitatum carmen*) Non solum imponebant manus, si scil. præsentes essent; verum etiam sermone solo, dicendo; Ego te promoveo, absentes ordinabantur, uti ex R. *Zacuth* refert doctiss. *Vitringa in lib. de Synagog. veter. lib.* III. *pag.* 838. *edit. Franequer.* Merentur huc adscribere verba doctissimi Johannis *Seldeni lib.* II. *c.* VII. *pag.* 682. *edit. Francof.* Absentes etiam intra Terram per epistolam a nuncio intra Terram misso, ordinari possunt, adhibitis in epistola verbis illis actus creationis solennibus הרי אתה סמוך ECCE SIS TU ORDINATUS: ET TIBI SIT POTESTAS JUDICANDI ETIAM JUDICIA PŒNALIA: EGO ORDINO TE, quæ pariter manuum impositioni adhibita, idque a seculis vetustissimis.

[25] *Babæ filio*) R. *Juda Ben Baba* floruit paulo post excidium urbis Templique secundi usque in *Adriani* tempora; qui instituta tutatus dicitur, nec quicquam ab eo innovatum est circa Ordinationem, quod tamen voluerunt viri doctissimi *Nicol. Serar.* *Joseph. Scaliger* in *Elencho Trihæres. c.* X. *Abrahamum Zakuth* Juchas. *fol.* 60. 1. & 101. 1. & 108. 1. male intelligentes, cujus verba sunt: R. Jehuda Ben Baba Ordinator seu χειροθέτης, eo quod absque eo fuisset perierant ex Israel Judicia Criminalia, uti & Ordinatio. Ordinatio autem fit non solum per manuum impositionem (ut præsentibus) sed etiam verbis tantum (ut absentibus) per epistolam, Codicillum, Nuntium; etiam & præsentibus dicendo, EGO TE ORDINO, SIS TU ORDINATUS.

[26] *Imposita tibi esto*) Recenset hoc loco *Cunæus* noster verba *summi Scaligeri*, qui ex *Zachuthi* verbis temere existimavit, institutum ab eo carmen, ut vocat ille legitimum τῆς χειροθεσίας. Nec vero aliter adversarius ejus *Serarius*. Utrique plane decepti ex eo, quod verba *Zachuthii* velut de novo aliquo genere, aut additamento aliquo Ordinationis ab *Jehuda Ben Baba* instituto, capienda esse existimarunt & לבד quod *tantum* ibi significat, *præter* reddiderunt, cum manifestum sit, *Zachuthium* loqui ibi de Ordinationis formulis tam absentibus per epistolam aut Nuntium, quam præsentibus per Manus impositionem aut solenni Ordinationis voce adhiberi solitis, quod rectissime hic observavit *Cunæus*.

[27] *Allecti*) In his & sequentibus verbis differit *Cunæus* de qualitatibus eorum, qui in Synedrium fuerint recepti, & recte statuit, quod cives *primariæ nobilitatis Levitæ & Sacerdotes* assumti fuerint. Cui calculum addit D. *Quensted. in antiquit. Bibl. pag. m.* 37. Constabat Synedrium scil. ex Sacerdotibus, Levitis & Senioribus, seu primoribus populi cooptatis. Conf. *pag.* 31. ubi ex 2. *Paral.* XIX. 5. 6. *Josaphati* Concilium (si Synedrium aliter est vocandum) ita describit: Instituit judicium ex Levitis & Sacerdotibus & principibus familiarum Israelis. Pari ratione R. *Maimonid.* in *Sanhedr. cap.* 11. Constabat Synedrium e *Sacerdotibus*, *Levitis* atque *Israelitis*. Cooptabantur ergo in supremum hunc consessum *Seniores*, nobiles sapientia, prudentia rerumque usu maxime conspicui ex singulis Tribubus. Conf. *Casaubon. Exercit.* XIII. *anti-Baron. num.* V. *Selden. de Synedr. Hebr. lib.* II. *c.* VIII. *pag.* 775. *seqq.*

[28] *Admissus suffragiis*) Suffragiis electos fuisse constat ex Doctiss. Vitringa de Synagog. Veter. *pag. m.* 824. Probatur *Num.* XX. 25. Et Clar. *Witsius in Miscell. Sacr. lib.* II. *dissert.* III. *pag. m.* 541. affirmat & forte & suffragiis admissionem factam esse.

[29] *Corpore integro*) Corporis enim decor spectabatur. Unde in *Gemara Babylon. ad tit. Menach. c.* VI. *f.* 65. 1. & tit. *Sanhedr. c.* 1. *fol.* 17. 1. אין מושבין בסנהדרין בעלי קומה ובעלי מראה *Locum in Synedriis habere non debebant, quibus statura decora non erat, aut vultus speciesque decora.* Et *Maimonid. Halach. Sanhedr. c.* 11. Oportuit diligentissima inquisitione prospicere, ut essent universi (Synedri jam dicti) sessione decora statura vultuque ac specie decora. *Cunæus loco hoc* tantummodo adducit integritatem corporis, cum tamen plurima requirerentur dona. Cuncti itaque assessores debebant esse (1) *sanguine puri*, ad excludendos proselytos, etiam justitiæ, nedum domicilii, teste *Maimonid. Hal. Sanhedr. c.* 11. §. 1. Haud constituebant in Synedriis alios, præter Sacerdotes, Levitas & Israelitas genere nobilissimo, seu sanguine purissimo, & quorum filiæ legitime Sacerdotibus copulari possent. (2) *corpore integri*. Qui enim vitium habebant, arcebantur. Cæcus enim, seu utroque privatus oculo, nec in Triumvirale forum, nedum in Synedrium Majus cooptabatur. Conf. huc *Selden. lib.* II. *c.* IX. *de Synedr. pag.* 800. 801. Similiter nec senio confectum, nec Eunuchum cooptabant in Synedrium, teste *Maimonide*, ex quo *Selden. pag. m.* 793. In nullo Synedriorum cooptabant quempiam senio quasi confectum, aut Eunuchum, quoniam crudeliores solent esse utrique, aut cui proles deesset, unde fieret misericors: quam sententiam pluribus Rabbinorum scriptis stabilivit *pag.* 794. 795. *edit. Francof.* Nec idonei erant hi, qui ludere solent alea, Fœneratores, qui columbas volare docent; sed (3) *vita inculpati* debebant esse & ætate justa: de quibus videndi sunt D. *Quensted. in antiq. bibl. pag. m.* 37. *Selden. de Synedr. Hebr. lib.* II. *c.* IX.

[30] *Peregrini*) Licet proselyti Justitiæ omnia privi-

legia

legia cum Iſraelitis communia habuerint ; nihilominus conſtitutum fuit, ne quis Proſelytorum in conſeſſum Sanhedrin admitteretur. *Moſ. Ægypt. lib. V. Jad. tract. Sanhedr. c.* 11. Conf. Angl. *Godwin in Moſ. & Aaron edit. Bremenſ. pag. m.* 19. Participes quidem fiebant Juris Iſraelitici, tam civitatis, quam Sacrorum *Levit.* XIX. 34. Et *Maimon. H.* XIX. *biah. c.* XII. *n.* XVII. rem confirmat his verbis : Simul atque Proſelyti facti ſunt, & in ſe receperunt omnia præcepta legis, in omnibus rebus ſunt ſicut Iſraelitæ : qua participatione circumciſi & baptizati ex decreto Senatus, poteſtatem impetrabant, utendi, fruendi omnibus commodis, privilegiis & prærogativis, quæ civibus Reipubl. Judaicæ Originariis competebant ; cum diſcrimine tamen eo, quo Originarii Cives a prima civitatis conſtitutione, hodie in multis ſocietatibus civilibus præ adſcititiis ſunt ornati. Unde *Selden. lib.* II. *de jur. nat. & Gent. c.* II. accuratiori, pro more, obſervatione docet, in jure Iſraelitico alia fuiſſe, quæ ad vitæ rationem in officiis juxta Moſaica præſcripta, tum erga Deum, tum erga proximum præſtandis inſtituendam ; alia, quæ ad Magiſtratus & Præfecturas capeſſendas gerendaſque ſpectabant. Prioris generis non minus ad Proſelytos juſtitiæ, quam *Originarios* pertinebant. De ſecundi generis proſelytis id affirmari non poteſt, utpote quod illi a Magiſtratibus & Præfecturis, tam civilibus quam caſtrenſibus, regulariter ex jure arcerentur.

[31] *Niſi matre ſaltem Judæa*) Quilibet horum potuit eſſe judex in Judicio inferiori, & judicare de pecuniis, uti habetur in *Sanhedr. c.* IV. cui & *Maimonid. cap.* IV. *in Hilc. Melac. c.* I. cum reſtrictione conſentit אם תהיה אמו מישראל ſi matrem Iſraelitidem habuerit. Tantum ut nequeat eſſe מלך Rex, שר צבא Dux exercitus, vel נשיא Præſes Synedrii. Conf. *Slevogt. diſſert. de Proſelyt.* §. 34. Sic *Semajah & Abtalion* ex Senacheribi Proſelyti poſteris in Synedr. judicarunt. Nam matre nati ſunt Iſraelitica, adeoque ſanguine fuere ſatis ad hanc rem, pro defæcato habito, nec inter Proſelytos cenſendi. Hinc *Abraham Zacuth Juchaſ. fol.* 18. I. *Ex matre* erant Iſraelitica, adeoque fas fuit illis (in Synedr.) judicare.

[32] *Nec ſecus jure Quiritum*) Jus nuptiarum non dabatur peregrinis apud Romanos. Illæ enim quæ non contractæ erant inter cives Romanos, injuſtæ vocabantur. Juſtas nuptias deſcribit *Juſtin.* cum Romanus Romanam nuptiis intervenientibus, vel conſenſu uxorem ducit, & *Horat. lib.* I. *Sat.* VII. *Hybrida* vocat, quaſi *Semi-Romanum*, qui neſciat utrumque parentem demonſtrare Romanum.

[33] *Patre Campano*) Poſtquam civitate totus orbis Romanus donatus & jus connubiorum omnibus datum, qui Romano imperio parent, adeoque legitimæ factæ nuptiæ, quæ inter ſubditos diverſorum municipiorum contrahuntur, nunc demum locum habet, ita ut *Soboles ſequatur Patrem*, quoniam, cum nemo queat in duas civitates diſtrahi, illi adjudicanda fuit progenies, qui plus juris in eam ſibi lege naturæ & gentium attributum haberet, & hinc dicit *Ulpian.* Si quis *patre Campano* &c. Partus quippe patrem ſequitur, & quidem lege naturæ, ut colligitur ex *l. lex naturæ* 24.

[34] *Maternam originem*) Irregularis prorſus eſt illorum conſuetudo, qui ſoli maternæ origini, excluſa paterna, hoc privilegium tribuunt, ut, quod natum eſt, ſtatum, civitatem & nobilitatem ſortiatur non a patre, ſed a matre. Sic Lycii quondam, teſte *Herodot. lib.* I. nec non *Xanthii*, teſte *Plutarch. de clar. mulier.* nobilitatem contra populorum mores æſtimabant, non ex paterno, ſed materno ſtemmate, quorum conſuetudinem mitatos fuiſſe *Campanos*, Provinciam *Galliæ*, teſtantur *Forner.* II. *ſelect.* VI. & *Papon.* III. *notar.* VII. c. *d' annobliſement. Godfred. ad l.* I. *ad Mun.* ex hac cauſa, quam ſic explicuit *Connan. lib.* II. *c.* II. *n.* 6. Quod attrita quondam bellis multis & pene exhauſta ipſorum nobilitate, quo celerius eam faciliuſque nova ſobole ſupplerent, ſumma omnium voluntate conventum fuiſſe, ut matre nobili natus, quanquam a patre plebejo, ſplendorem generis conſequeretur, quod ipſis nobilibus in bonum converti. Parva enim dote poſſunt filias ditiſſimis ex plebe hominibus collocare, nobilitatis cupidiſſimis. *Connanus* vero, quod videret multa adhuc iis ſuper-eſſe veſtigia antiquæ ſervitutis, exiſtimat nobiles eorum eſſe, qui olim erant liberi : Idcirco nobilitatem ſuam ab iiſdem, quibus & libertatem, traxiſſe principiis. Vide de hac re differentem *Arniſæum cap.* V. *de mod. obtinendi civitat. pag. m.* 464.

[35] *Per omnem Judæam ire*) His & ſequentibus *Cunæus* poteſtatem & authoritatem magnam Seniorum Sanhedrin indicare voluit, & (1) quod per omnem Judæam iverint, quia Synedrium magnum, teſte *Maimonide*, quod Hieroſolymis erat, fundamentum legis oralis fuit, & ii (Senatores) columnæ traditionis, atque ipſis ſtatuta & judicia exeunt in totum Iſraelem. Conf. *Johann. Lighfoot. in hor. Talmud. ad cap.* XXIII. *Matth. pag. m.* 424. *edit. Lipſ.* (2) conveniebat illis, reprobos punire, & a communione excommunicare aliaque ſupplicia exercere, uti fuſe probat M. *Conrad. Rieſch. in diſſ. de poteſtat. Syned. Magn. habita Jenæ.* 1686. (3) Magiſtratum inſtituebat ſcil. inferiora Synedria.

[36] *Autoritas penes illos*) Autoritas hujus Synedrii longe maxima fuit, ſive res conſiderentur, quas tractabat, ſive perſonæ, circa quas verſabantur, ſive denique ſententiæ pronunciatæ valor atque efficacia. Res, ſcribit clar. *Witſius lib.* II. *diſſer.* III. *de Synedr. Hebr. pag. m.* 543. de quibus in Synedrio Magno agebatur, omnis generis erant, *privatæ*, *publicæ*, *Eccleſiaſticæ*, *politicæ*, ut utraque unum corpus conſtituerent. Senatus ille magnus cognoſcebat tantum de rebus magnis, religionem & Rempublicam attinentibus : v. g. de controverſiis legalibus, anno intercalari, Pſeudoprophetis, Apoſtatis, excommunicandis ; de rege, bello, fœderibus, legatis, vectigalibus, publicis ædificiis, Magiſtratibus inferioribus &c. quas e *cap.* I. *Maſſ. Sanhed. cap.* I. *Maſſ. Scheſu. c.* VIII. & IX. & pluribus locis *Talmud.* collegit *Maimonid. init. c.* V. *p.* 735. Conf. *Johan. Selden. tot. lib.* III. *de Synedr. Hebr.* D. Quenſted. in antiq. Bibl. *pag. m.* 40. *edit. Witteberg.* fere eadem recenſet paucis interjectis. ſcil. de uxore adulterii ſuſpecta, homine occiſo in confinibus reperto.

[37] *Statuta*) Intelligit autor his *intercalationem menſium*, *annorum*, *feſtorum*, *ſacrorumque* deſignationem. A Synedrii enim præſentia totum hoc axioma ſuſpendunt Judæi, docente *Maimonid. Kidduſch Chodeſch. c.* VIII. §. I. & vertente *Coccejo in not. ad Sanhed. c.* I. *p.* 14. Quamdiu Synedrium fuit in terra Iſraelis, ab eo pro neceſſitate aliquando, alias juxta apparitionem Lunæ capita menſium ac annorum fixa atque conſtituta ſunt. At vero ex quo tempore id abolitum eſt, Judæi certam quandam rationem accommodatam Luminarium motui medio (מהלך האמצע aut התיכון vocant etiam עיבור) certiſque regulis adſtrictam ſequuntur. Nullibi autem licet intercalare niſi Judea ; quare juxta opinionem Rabbinorum illi puniti ſunt, qui *Lyddæ* intercalare voluerunt. Vid. *Othon. Lexicon Philolog-Rabbin. p.* 279. Cum eſt intercalatum a Senatu literæ mittuntur in omnes Provincias, ut longinqui annum intercalarem factum eſſe cognoſcant ; Atque literæ ſcriptæ ſunt verbis Principis Senatus in hunc modum : *Notum vobis facio, decreviſſe me una cum meis ſociis, ut hic annus augeretur triginta vel* XXIX. *diebus. Maim. Hal. Kid. Chodeſch cap.* IV.

[38] *Lex exponeretur*) Varii fuerunt modi, quibus lex exponebatur, & horum quinque recenſet Cl. *Joh. Lightfoot in hor. Talmud. ad Luc. cap.* X. *p. m.* 791. & ſunt : מקרא Micra, qui eſt ipſe textus Biblicus, atque ejus lectio & literalis explicatio. (2) משנה *Miſchnah*, eſt doctrina traditionum atque earum elucidatio. (3) מדרש Midraſch, eſt doctrina atque explicatio Scripturæ myſtica vel Allegorica. (4) *Talmud.* (5) *Agadah*. Quoad legem ſcriptam, duplex iis erat modus eam enuntiandi, ſecundum *ſenſum literalem* eamque explicando, vel *allegorias*. Vid. cit. *loc. pag.* 792. Quoad *legem oralem* duplex iterum erat explicandi modus. Erant Doctores, qui profundius in traditiones inquirebant, earum rationes quales reddebant, de difficultatibus diſputabant, dubia ſolvebant, cujus rei ſpecimen eſt tota Gemara Talmudica. Denique inter Doctores gentis nominandi ſunt *Agadici* illi, qui profundius legem ſcriptam interpretabantur ad Cabaliſmum uſque. Vid. de his c. l. fuſe. *p.* 793. Hinc cum ſæpius in Novo Teſtamento Scribarum mentio fit, tunc vocem Scribæ ſenſu Eccleſiaſtico accipimus, qui

qui Patrem traditionum ſignificat, & hoc ſatis liquet apud *Johann. Lightfoot. Hor. Talmud. ad c.* 11. *Matth.* ℣. 4. ex hujuſmodi locutionibus: *Verba* Scribarum ſunt amabiliora, quam verba legis, i. e. Traditiones præſtant legi ſcriptæ. Et quod traditionibus illi nimium dediti fuerint, *Epiphan. Hæreſ.* XV. refert, ubi poſtquam dixerat, Scribas οὐ κατὰ νόμον μόνον, ἀλλὰ περισσότερον vixiſſe, atque plurimas traditiones narrarat, tandem ita diſſerit: *Expoſitiones autem, ſeu repetitiones apud ipſos quatuor erant: Una in nomen Moſis Prophetæ: ſecunda in Præceptorem ipſorum, Akiban appellatum, ſive Parakiban: Tertia in Andan ſeu Annan, qui & Judas: Quarta in filios Aſſamonæi. Ex his quatuor repetitionibus ſeu expoſitionibus ſunt, quæ apud ipſos receptæ ſunt ſapientiæ opinione, pleraque vero inſipientiæ nomina jactantur ac celebrantur: quædam etiam loco electæ doctrinæ prædicantur & divulgantur.*

[39] *Capite damnabatur*) Sententia Synedrii firmo ſtabat talo, ita, ut ab illa recedere non liceret, teſte *Henr. Ainsworth. comment. in Deut. fol. m.* 66. qui ex *Maimonid. de Rebell. c.* 1. hæc profert: *From whoſe judgement they held it not lawfull to decline.* Sed contumaci capitis pœna conſtituta erat: quod arceſſitur ex *Deut.* XVII. 12. *Vir autem ille qui commiſerit ſuperbe, ut non auſcultet Sacerdoti, conſtanter miniſtranti ibi Jehovæ Deo tuo, aut Judici: utique morietur vir ille.* Notanter additur *ſuperbe*, id quod *Chaldæus* reddidit *malitioſe*, ſeu in *malitia*, & opponitur ignorantiæ ſeu errori. Per *virum* hic intelligi poteſt, aut privata perſona, ſeu inferior judex, qui ſententiæ Synedrii contumaciter non obedit. Verum Hebræi potiſſimum id referunt ad Seniorem rebellem ſeu refractarium. Hic autem iterum excipiunt *Sadducæos*, qui a primis annis in Patrum ſuorum traditionibus informati, nec Phariſæorum traditiones recipiebant: hinc ex lege non capitis pœna afficiebantur ob inobedientiam doctrinæ, quam Synedrium per traditiones docebat: & ita docent, quod Senior refractarius mortis reus non ſit ob contrariam opinionem Synedrio oppoſitam, niſi doceat alios, ita agere, licet igitur a pœna mortis liber, attamen Magiſtratui licebat eum verberare, aut alia pœna afficere, *Maim. in Rebel. c.* III. *ſ.* I. Conf. *Henry Ainsworth. fol.* 67. *in Deut.* Optime in hanc rem commentatur Vir de re literaria optime meritus Cl. *Hermann. Witſius lib.* II. *Miſcell. diſſert.* III. *de Synedr. Hebr. pag. m.* 548. 549. cujus verba huc ſcribere non pigebit: Atque hinc ſcita illa Talmudica de זקן ממרא *Sene rebelli*: qui, etiamſi ipſe quoque judex eſſet, & Synedrii pars, ſi ex ſui animi ſententia, contra Synedrii ſcita, contumaciter feciſſe probaretur, morte plectendus erat. Nec profuit ei rationis contumaciæ ſuæ obtentus qualiſcunque; ne quidem, tametſi invictis argumentis evinceret, ſententiam ſuam antiquitus a Synedrio fuiſſe comprobatam, & apud majores palam obtinuiſſe. Semper enim præponendum erat recentiſſimum Synedrii decretum. Quod quomodo ex Legis divinæ verbis eliciant, prælaudatus *Autor pag.* 532. oſtendit. Idque tam ſevere urgent Juris Hebræorum conſulti, ut ipſi Synedrio fas fuiſſe negent, contumaci veniam facere: *Ne ſcil. multiplicaretur ſententiarum diverſitas in Iſraele*, ait *Maimonid. apud Selden. de Synedriis Hebræor. lib.* III. *c.* III. ad quem Benevol. Lectorem remittimus. Mortis genus autem, juxta Hebræorum opinionem, erat *ſtrangulatio*, & hi, qui eum interficiebant, erant judices ſupremi. Non inepte vero conjiciunt multi, ejuſdem criminis accuſatum *Salvatorem*, qui rancidas ipſorum traditiones nauci fecerat, populum magno ſtudio ab iiſdem abduxerat &c. quos velut genuinos refractarii characteres graphice & vivis quaſi coloribus depingit *Maimonid. Hilc. Memarim. c.* 1. his verbis: *Quicunque non facit ſecundum doctrinam ipſorum, tranſit præceptum negativum quia dicitur l. c. non recedes a verbo, quod tibi dixerint, neque dextrorſum, neque ſiniſtrorſum, neque flagellant propter præceptum prohibitivum, datum enim eſt ad præcavendum ſupplicium Synedrii, omnis enim ſapiens, qui rebellat verbis ipſorum, ſtrangulatur, juxta id quod dicitur &c.* Non autem ipſum in ipſo momento occidebant, ſed retinebant uſque ad feſtum, uti teſtatur *Abarbanel. in leg. fol.* 312. *col.* 2. וכבר אח״זל שהיו ממתינים אותו עד הרגל וממיתים אותו ברגל כדי שכל ישראל ישמעו וייראו וגו׳ i. e. *Et pridem Sapientes noſtri b. m. tradiderunt, quod retinuerint eum uſque ad feſtum, & interfecerint eum in feſto, ut omnis Iſrael audiret & videret* &c. & *Maimonid.* in *Rebell. cap.* III. *ſ.* VIII. cit. ab *Ainsworthio* cujus verba Anglice reddita hæc ſunt: *When witneſſes comes* (and teſtifie) *that he hath done according to his teaching, or that he hath taught others to doe it, they determine his ſentence of death, in the judgment hall that is in his citie, and take him and carrie him up from thence to Jeruſalem. And they put him not to death in the judgment hall that is in his citie &c. but carrie him up to the high Synedrion in Jeruſalem, and keepe him untill the feaſt, and ſtrangle him at the feaſt* &c.

[40] *Non alibi*) Vates ſi deliquiſſent, nullibi, quam coram Synedrio res illorum agebantur & a nullo, quam Synedrio judicabantur. Per vatem delinquentem intelligunt *Pſeudo-Prophetam*, qui vaticinatur, quod non audivit, & quod ipſi dictum non eſt: qui prophetat in nomine idoli his verbis, ſic dicit Jupiter, etiamſi nihil in receptis ſtatutis mutet, ſed omnia ſecundum jus judicet, tamen ſtrangulatur. Vid. *Anton. von Dale diſſert. de origin. & progreſſ. Idol. de vera & falſa Prophet. pag. m.* 228. *ſeqq. edit. Amſtel.* 1696. Huic calculum addit *Henry Ainsworth. comment. in Deut.* XVIII. 20. qui ex *Maimonid. tract. de Idol. cap.* V. *ſect.* VI. VII. lingua Anglicana hæc protulit: *The Prophet that propheſieth in the name of an Idol, as he that ſaith, ſuch an Idol, or ſuch a ſtarre ſaid unto me that we are commanded to doe this or that, or not to doe it, though it be to pronounce that uncleane which is uncleane, or that cleane which is cleane &c. he is to be ſtrangled to death.* hoc eſt: *Propheta qui vaticinatur in nomine Idoli, ac ſi dixiſſet, tale Idolum vel ſtella hæc mihi dicebat, mandatum eſt nobis, hoc vel illud facere, vel hoc vel illud non agere, licet mundum pronuntiet, quod mundum, & immundum, quod immundum &c. attamen ſtrangulandus eſt.* Pari modo idem *Maimonid. tract. de Idol. cap.* V. *ſect.* VII. VIII. de Pſeudo-propheta verba facit, quod laqueo perimendus ſit, *quamvis in nomine Dei vaticinetur, nec addat nec diminuat quicquam*, (Deut. XVIII. 20.) *an vaticinetur, quod per Propheticalem viſionem non audiverit, vel cum audiverit verba Prophetæ ſui ſocii, & dicat verba hæc ad ſe dicta fuiſſe; en! hic falſus Propheta & ſtrangulandus eſt.* Confer *Maimon. de fundam. Legis pag.* 137. *edit. Amſtel.* 1638. qui ita ſcribit: *In Idololatria non audiemus* (Prophetam), *etiamſi pro tempore* (ſuadeat) *atque etiam magna prodigia atque miracula præſtet, dicatque. Dominum ſibi in mandatis dediſſe, ut idola colantur tantum iſto die vel iſta hora; certe iſte locutus eſt rebellionem contra Deum, & de hoc præcepit Scriptura Deut.* XIII. 2. 3. *Etiamſi eveniat ſignum* &c. *Acceſſit enim, ut mendacii argueret Prophetiam Moſis; idcirco etiam certo novimus, iſtum Pſeudo-Prophetam eſſe, & quicquid facit, per incantationem aut præſtigias efficere, atque laqueo tollendus eſt.* Similiter cit. *Maimonid. pag.* 132. ex verſione *Voſſii* §. 8. *Quod ſi eradicaverit quid ex verbis, quæ traditione accepimus, vel ſi dixerit de aliquo jure legis, Deum ſibi revelaſſe, talem eſſe ſenſum, & conſtitutionem pro cujuſdam partibus ſtare, certe iſte Pſeudo-Propheta erit & laqueo perimendus eſt, etiamſi fecerit ſignum.* Nec mirum, cum inter legis abnegatores recenſeatur ille a *Maimon. in Teſchuv. cap.* III. Non abſimilia vide in *Maſſech. Avoda Zara cap.* II. Hujuſmodi obſtinatum traditionis oppugnatorem impune cujuslibet manu trucidari poſſe, aſſerit in *tract. Mamrim* ſive *de Rebell. cap.* III. etiamſi nulli adfuerint teſtes, nullum judicii vel indicii præceſſerit examen. Hebræi itaque ſtatuunt, ut *Sanhedr. cap.* X. *ſect.* IV. triplex vatum genus divina ultione perimi: ita quoque terni ex Hebræorum ſententia ſupplicio humano vel domus judicii ſubjiciuntur, videlicet, qui vaticinatur, cum non audivit, vel abſque mandato Dei Prophetiam ſuam obtrudit, ut *Zidkias.* 1. *Reg.* XXII. 11. Et qui aliter prophetat, quam audivit, quemadmodum *Chananias. Jerem.* XXVIII. 9. vel qui denique vaticinium adfert in nomine idoli, ut *Baalitæ*. Et licet quidam Judæorum velint, a quovis Pſeudo-Prophetam occidi poſſe; attamen vix illorum opinio veritati conveniens, quippe ille a nemine, niſi a Synedrio, judicari potuit, uti *Talmud. Babyl.* in *Sanhedr. cap.* I.

con-

confirmat his verbis : *Non judicatur tribus integra, neque Pseudo-propheta, neque Sacerdos Summus, nisi a Synedrio LXXI. virali*. Conf. *Henric. Ainsworth. Comment. in Deuter.* XVIII. *fol.* 74. qui itidem ex *Maimonid. tract. de Idol. cap.* V. *sect.* IX. *addit : And they judge not a false Prophet, but in the judgement hall of* LXXI. *Magistrates*. Vid. plur. Rev. *Carpzov. in annot. ad Schickard.* משפט המלך *pag. m.* 151. *edit. Lips. Joh. Henrici Otto in Lex. Philol.* —— *Rabbin. pag.* 491. *edit. Genev.* Unde, quod capitalem in Prophetam animadversionem attinet, soli Synedrio magno convenientem, respexisse huc Salvatorem *Luc.* XIII. 33. videtur, cum negat, quenquam Prophetam extra Jerosolymam perire posse. Conjiciunt *Cunæus h. l. Drus. lib. III. præter. pag.* 99. *Grot. lib. I. de jure Belli & Pacis cap. III. annot. ad* §. 21. *pag.* 77.

41 *Regem constituebant*) Cum autore nostro facit *Wilhelm. Schickard. in suo* משפט המלך *theor. II.* ubi ex *Maimonide* confirmat, jus & facultatem eligendi Reges fuisse penes Synedrium magnum. Vid. *Maimon. Hal. Sanhedr. cap. V.* §. 1. *Non constituunt Regem, nisi de sententia Synedrii magni LXXI. votorum*. Idem *Halach. Melachim cap. I.* §. 4. *Non constituebant Regem initio* (antequam res ad successionem deveniret) *nisi de sententia judicii Majoris LXX. Senum, & ex ore Prophetæ*. Idem asserit Breviarium *Pseudo-Philonis : Habuit Azarias filium Nathan, ut præesset Sanhedrin, id est Collegio Sacerdotum & Doctorum legis, penes quos erat publica potestas judiciorum, & sceptrum occidendi & vivificandi, eligendi Reges & deponendi, ut fecit Jojada Pontifex contra Athaliam*. *Carolus Sigonius* vero *lib. VII. de Republ. Hebr. cap.* 3. & *Guilielm. Barclajus lib. III.* contra *Monarchomach. cap.* 2. asserunt ; Suffragiis populi universi creatos primum Hebræorum Reges. Ait (1) nondum certum esse, Synedrium illud magnum antiquis Regum temporibus viguisse. Certe *Dionys. Petav. lib. II. de doctrina temporum cap. XXVII. fol.* 156. *D. Hermann. Conring. de Republ. Hebræor.* §. 35. *seqq.* & post hos *Frischmuth. lib. de Reg. eligendo & deponend.* §. 60. aliquot argumentis negant, Judicum, Samuelis & Regum temporibus consessum illum Synedrialem extitisse, ortumque ejus demum ad tempora *Esdræ* & cæterorum ex Babylonica captivitate redeuntium referunt. (2) constat ex historia Sacra, omnes ac singulos Hebræorum Reges, aut (1) per expressam divinam electionem creatos esse. V. gratia *Saulem* 1. *Sam.* IX. 17. X. 1. 24. *Davidem* 1. *Sam.* XIII. 14. &c. (2) aut per successionem ad imperium pervenisse, uti *Salomon*, *Rehabeam*, *Nadab* &c. qui omnes in regno suis parentibus successerunt. (3) aut regnum per vim & tyrannidem occupasse, quod fecit *Athalia* 2. *Reg.* XI. 1. aut (4) a Gentilium Regibus constitutos, prout *Pharao Joakim*. Nullum reperies sive populi, sive Magnatum aut Seniorum suffragiis primitus electum, ut late probat *Becanus* in *Analog. V. & N. T. cap. XVI. quæst. V.* Breviter D. *Carpzov. in not. ad Schickardi jus Regium, cap.* 1. *theor.* 11. *pag.* 17. Conf. *Joh. Pined. lib.* 11. *de reb. Salom. cap.* 11. *fol.* 77. *seq.* Concludimus hinc, *Cunæum* cum aliis a veritate aberrare, cum statuerit Synedrium potestatem habuisse constituendi Reges.

42 *De bello gerendo*) Vix hic *Cunæus* nobis persuadere poterit, quod Synedrium deliberaverit de bello gerendo, quippe hoc absque Synedrii Magni consensu a Regibus geri potuit. Probamus hoc (I.) a *potestate Regis absoluta*, quæ probatur iterum (1) tum ipsa petitione Israelitarum, qua, gentes vicinas æmulaturi, Regem sibi dari flagitarunt, nempe ut *Abarbanel* illorum mentem ex verbis ככל הגוים explicat *Comment. in* 1. *Sam.* VIII. qui absolutam haberet potestatem, & suo arbitratu judicaret, instar regum aliarum gentium, qui leges sanciunt, & eas servandas præcipiunt ; tum (2) ipsius Dei verbis, quibus Regis mox creandi potestatem, nulli alias adhuc Hebræo concessam, expressit. Ostensurus enim illum Samueli ait Deus 1. *Sam.* IX. 17. ille dominabitur populo meo. Sed verbum Hebræum emphasin continet & significat, *coercebit*, *coarctabit*. Vid. *Michlol Jophi ad h. l. Buxtorf. in Lexic. Frischmuth. de Rege eligendo & deponendo* §. 46. *Salmas. in defens. Reg. cap.* V. *Wandalin. de jur. Reg. lib.* I. *cap.* II. *Carpzov. ad* משפט המלך *Schickard. pag.* 160. (II.) Tribus locis palmariis *Psalm.* XVII. 2. LI. 6. *Eccles.* VIII. 4. quibus non nisi a Deo plecti regem peccatorem, nec unquam vapulare potuisse, fuse ostendunt *Carpzov. loc. cit. pag.* 162. *Wandalin. lib.* II. *cap.* VIII. *pag.* 207. (III.) Quia Rex talia patravit, quæ non nisi summam potestatem arguunt. Et quidem in Politicis ordinavit Magistratus & jurisdictionem particularem concessit in subditos & quæ alia sunt jura, quæ fuse adduxit *Danz.* Profess. Jen. LL. OO. *celeberrimus*, quem vide in *dissert. de militia Hebræor.* Concludimus ergo : Quicunque summa, cum in regimine Politico, tum Ecclesiastico, potestate polluit, is ut alia, ita bella quoque pro arbitrio suscepit, non Dei semper, multo minus populi sententiam expectans. Atqui Reges Hebræorum &c. E. Itaque hic iterum *Cunæus* a veritate aberrat, secutus *Rabbinorum* figmenta. Conf. *M. Christoph. Blechschmid. dissertat. de Monocratia Hebræor. Regum. edit. Witteb.* 1683.

43 *De proferendo imperio*) Hoc bellum Rex propria authoritate in se suscipiebat absque consilio Synedrii, quod tempore Regum vix locum habuit, & hæc bella vocabantur *bella regni*. Audiamus *Maimonid.* מלחמת הרשות היא מלחמה שילחם המלך עם שאר כדי להרחיב גבול ישראל ולהרבות בגדלתו ושמעו : i. e. *Bellum licentiæ seu ultroneum illud est, cum militat Rex cum reliquis populis, ad dilatandum terminum* (terræ) *Israel, & ad ampliandam magnificentiam famamque suam*. Conf. *Gemar. R. Obad. Bartenor. ad fin. cap.* VIII. *Misch. Mass. Sota, Mos. de Kotzi præcepto affirmat.* 118. Spontaneum bellum Hebraice vocatur מלחמת הרשות bellum licentiæ, quod pro arbitrio Reipubl. Judaicæ vel geri vel non geri potest. Unde *Schickardus* varie reddit, nunc *bellum spontaneum*, nunc *ultroneum*, quin & sæpe *bellum majestatis* vocat, respiciens procul dubio ad Maimonidis verba paulo ante adducta. *Joh. Coccejus in Mischn. Sanhedrin. cap.* 1. §. 5. *pag.* 2. reddit *bellum arbitrarium* & in notis ad *eum locum pag.* 16. πόλεμον αὐθαίρετον, cui bellum vi præcepti opponitur. Atque ita Raymundum Martini, qui *part. II. Pug. fidei IV.* §. 4. verterat *bellum licitum*, merito correxit *Josephus de Voisin*, substituens in margine *voluntarium*. At *Galatinus Raymundo* suffuratus secure retinuit *lib. IV. de Arcan. Cathol. verit. cap. V. fol.* 199. Conf. *Selden. lib. III. de Synedr. Hebr. cap. XII.* §. 1. Hoc bellum dicit *Autor* non suscipi potuisse invito *Synedrio*, cui calculum adjicit *Seldenus loc. cit.* §. 2. & ex historia Romana illustrat. Nec aliter *Joseph. de Voisin. observat. ad Pug. fid. fol.* 268. Ac constans Hebræorum est doctrina fundata in *Misch. Sanhedrin. cap. I.* §. 5. e qua passim ab Interpretibus repetitur. B. tamen *Frischmuth de Rege eligendo & deponendo*, ut alia id genus, quæ Regis potestatem ablegatione ad Synedrii arbitrium limitant, ita hanc quoque cum *Synedrio* de bello voluntario ineundo consultationem in dubium vocat, notatus propterea *Selden. loc. cit. pag.* 195. Nos præsuppositis iis, quæ de *Synedrii* natalibus ad *Esræ* ætatem referendis dicta sunt, traditioni Hebræorum & plurimorum tum Judæorum, tum *Christianorum* consensui subscribere nequimus ; si tamen de sequioribus post-Babylonicis Regibus accipiantur, quorum temporibus sibi *Synedrium* autoritate crescens potestatem subinde ampliorem de facto arrogabat, haud renuerimus, Regi non licuisse bellum citra Synedrii consensum suscipere. Atque ita Talmudicos Majorum suorum Reges eorumque potestatem æstimasse judicamus ex iis temporibus, a quibus uti propius aberant, sic pleniorem eorum notitiam habebant. Vid. *D. Carpzov. in not. ad jus Reg. Hebr. pag. m.* 313.

44 *Consultatum*) Judæos consultasse in rebus gravioribus, extra omnem dubitationis aleam ponitur, uti etiam probavit Cl. *Joh. Eric. Ostermann. in dissert. Witteberg. habit. de consultationibus veterum anno* 1649. An autem Synedrium tempore Regum hoc fecerit, est quod dubitamus, quippe eo tempore nondum fuit constitutum.

45 *Comitia indicta*) Comitia sæpissime facta fuisse ex Scriptura Sacra constat, & penes illos, apud omnes gentes fuisse, qui summam Reipubl. tenebant. Quis igitur negabit, quod & idem apud Hebræos in usu fuerit ? teste *Sigonio de Republ. Hebræor. lib. VII.* Jam autem tempore Regum Majestas non fuit penes Synedrium, sed penes Regem, uti dictum. Ergo Synedrium Comitia indicere non potuit. Patet hoc exem-

exemplis. Nam Moses & Aaron sæpius dicuntur populum congregasse, non solum in *Ægypto*, *Exod.* IV. 29. sed etiam in deserto *Num.* I. 18. Et passim alibi. *Josua cap.* XXIII. 2. vocavit omnem Israelem majoresque natu & Principes ac Duces & Magistros, Et rursus *cap.* XXIV. 1. Congregavit omnes Tribus Israel in Sichem. *Samuel. cap.* VII. & X. convocavit populum ad Dominum in Misphat. Rex David, 1. *Paralip.* XXVIII. 1. Convocavit omnes Principes, Duces Tribuum, & *Præpositos Turmarum*. Rex *Salomo*, 1. *Reg.* VIII. supponitur populum congregasse, subditur enim: Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel, cum Principibus Tribuum, & Duces familiarum filiorum Israel ad Regem Salomonem. Quam totius populi congregationem jussu Regis factam esse dubitandum non est, quamvis hoc loco non exprimatur, tamen 2. *Paral.* V. 2. exprimitur Rex *Josias* 2. *Reg. cap.* XXIII. 1. Misit, & congregati sunt ad eum omnes senes. Rex *Asa*, 2. *Paralip.* 9. Congregavit universum *Judam* & *Beniamin*. Et sic de cæteris. Ex his omnibus satis patet, jus indicendi Comitia penes eum resedisse, qui Majestatem & summum imperium habuit; Atqui penes Judices & postmodum Reges illud fuit. E. Nullibi facta mentio est *Synedrii*, quam tamen autoritatem illi tribuit *Cunæus*, forsitan figmentis Rabbinorum motus, qui Synedrium in modum extollunt, ut deprimant Regiam potestatem. De modo & ritu indicendi Comitia videndus est *Marcell. Donat. dilucid. in Æli. Lamprid. pag. m.* 968. Cum Comitia habenda essent pro lege aliqua sancienda, seu aliquo Judicio exercendo, aut Magistratu creando, edicto publico indicebantur, cujus formulas adduxit *Brisson. de formul. antiq. lib. II. pag.* 132. *seq.* & post edicta Comitia trinundini spatium relinquebatur, partim ut ad eam diem populus undique ex Italia convenire posset ad suffragia ferenda, partim ut non tantum urbanæ, sed etiam rusticanæ multitudini supplicare possent &c. Conf. plur. Ven. *Mauritii in tract. Phil. de sortit. Hebr. pag.* 366. 388. Quod attinet ad finem Comitiorum *Carthusian.* triplicem statuit, (1) ad orandum Deum, (2) ad renovandum pactum inter Deum & populum, (3) ad tractandum de communi bono. Nam ad hos omnes fines Comitia indici consueverunt. Ad orandum quidem Deum *Jos.* VII. 6. *Jud.* XX. 18. 1. *Reg.* VIII. 12. Ad renovandum pactum *Exod.* XXIV. 3. *Jos.* VIII. 33. *Jud.* II. 4. Tandem ad tractandum de communi bono *spirituali*, *Deut.* IV. 1. *Jos.* XXIV. 2. *temporali*, *Jud.* IX. 6. 1. *Reg.* XII. 1.

[46] *Populo autore*) Refert autor noster, quod decreta interdum a populo facta fuerint de bello gerendo & de Rege eligendo. Hic a parte illorum stat, qui Regum Majestatem populo subjiciunt, eosque cum summa potestate non præfuisse contendunt, objiciunt, quod in Scriptura Sacra legatur populum sæpe Reges sibi constituisse, jam autem constituentem esse superiorem constituto. Sed resp. dist. inter constitutionem alterius *supra se* & *infra se*: qua distinctione præmissa, Major ita limitatur. Quicunque constituit alterum infra se &c. sic negatur Minor, quia populus non constituit Regem infra se, alias non imperantem, sed subditum constitueret, sed *supra se*, quod expresse probatur *Deut.* XVII Conf. 1. *Sam.* VIII. & *Grot.* Deinde non negamus, populum *interdum* Deo inconsulto, imo contra ejus institutum, Regiam dignitatem nonnullis vel detulisse, ut 1. *Sam.* VIII. 4. 5. &c. vel iterum eam imminuisse, & ab ea defecisse, ut 1. *Reg.* XII. 2. *Reg.* XI. Sed hæc exempla *facti sunt*, non vero *popularis juris*; Jam vero juxta JCt. regulam: Legibus judicandum est, non factis. Declarari quidem potest potestas Regi data per populi consensum & suffragia, sed conferri ab eo minime potest. Ideoque illa Regum constitutio, quæ populo in S. literis adscribitur, plerumque non tam fuit electio, quam, ut Politici vocant, *Homagii præstatio*. Conf. *Wandal. l.* II. *c.* I. *&* V. *Arnis. de Auth. Princip. c.* I. *&* II. *Vide Rohrensee n.* 8. qui dubia ex Scriptura in contrarium allata, nervose confutavit.

[47] *Quibus ingenium*) Non enim omnes sine discrimine in Synedrium cooptabantur, sed ii tantum, qui sapientes & intelligentes. Et licet Seniores sæpius vocentur, non tam ætas, quam prudentia respicitur; provecta tamen ætas etiam necessaria erat, quæ multarum rerum experientiam habet: uti *Selden. de Syned. Ebr. & Quensted. suse testantur*. R. *Abarbanel* ita describit in sect. שופטים ad *Deut. XVII.* 18. *fol.* 365. *sub fin. &* 366. *ab init.* Domus Judicii majoris, quæ Hierosolymæ erat, constabat LXXI. Collegis, primoribus Israelis, sapientia, prudentia rerumque usu conspicuis.

[48] *In caput mulieris de adulterio*) De hac muliere videri possunt Excell. *Wagenseill. in tract. Talmud. de muliere adulterii suspecta, ubi quamplurima lectu dignissima annotavit*. *Henric. Ainsworth. Comment. in Num.* V. *fol.* 30. *seqq. Joh. Henric. Othon. Lexic. Rabbin-Philolog. pag. m.* 40. 41. *seqq. Acoluth. de aquis amar. edit. Lips.*

[49] *Magiæ peritos*) In Adsessoribus Synedrii Magni sequentia requirebantur, ut præter (1) egregiam staturam, (2) egregiam sapientiam, (3) egregiam formam, (4) *Magiæ* non rudes essent, uti asserit Cl. *Witsius in Miscell. sacr. lib.* II. *dissert.* III. *de Synedr. pag.* 540. Conf. *Selden. lib.* I. *de Synedr. Hebr. cap.* XIV. *lib.* II. *c.* IX. *Fag. ad Deut.* I. 13. Ex Hebræis R. *Mos. Mikozi in Sepher Mizvos gadol. præcept. affirmat.* XCVII. *& R. Jacob Ben Ascher in Arba Turim. Maimonid. Hal. Sanhedr init. c.* II. *Magiæ* mentionem facit, quando citante *Schickardo pag.* 128. in hæc prorumpit verba: *Non constituunt Magistratus nisi viros sapientes, prudentes, exercitatos in lege, doctos valde, scientes quoque aliquid de aliis artibus, velut Medicina, Arithmetica, Calendario, Planetis, Astrologia & modis divinationum, præstigiarum veneficiorumque*. Eadem fere profert R. *Mikozi*, qui ita illos describit, *Sunto immunes ab omni labe corporis; sunto sapientes, divites, præstigiatores, qui sciant præstigias & incantationes amoliri*. Et quamplurima extant in paginis Talmudicis. Merito admirationem meretur hoc, quod Senator Synedrii Magni debuerit esse instructus artibus Astrologorum, Præstigiatorum, Divinantium &c. ut de iis deinde reos judicare posset. Hinc eleganter exsibilat noster *Cunæus* h. l. illorum opinionem.

CAPUT

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De duobus aliis conciliis, quæ Jeroſolymæ fuere præter ſenatum Sanhedrin. De ſenatu XXIII. *virorum, qui in ſingulis oppidis. De triumvirorum collegio. Civitatum quis modus eſse debeat. De quinqueviris cædis expiandæ cauſa creatis. De ſeptemviris & triumviris, qui annis & menſibus intercalandis præerant. Tempora a Rabbi Hillele Babylonio ordinata. Vis concilii Sanhedrin a Gabinio callide imminuta.*

DE ſenatu magno diximus, quæ in mentem inciderunt. Cætera concilia quæ fuerint, & cujuſmodi, expediri paucis poteſt. Jam primum duo alia [1] fuiſſe in ipſa urbe Jeroſolyma eruditiſſimus Maimonides prodit in Halacha Sanhedrin, capite primo. Eorum deſcriptio in opere Talmudico eſt, tam in Miſna, quam in Gemara. In utroque viginti tres judices ſedebant. Quemadmodum autem magnum concilium Sanhedrin in templi parte erat, quæ Gazith [2] dicta eſt, ita e duobus his ſynedriis unum ad portam atrii [3] fuit, alterum vero ad portam quæ aditum aperuit ad montem templi. [4] Etiam dignitas utriuſque diſpar fuit. [5] Qui enim judices ad portam montis ſancti ſedebant, magnificum ſibi duxere, ſi in ſenatum adſcriberentur, qui ad portam atrii erat. Et rurſum ex hoc ſenatu in concilium Sanhedrin aſcendere, honoris gradus fuit. Quæ omnia accurate Rabbi Maimonides diſtinxit. Porro præter Jeroſolymitana hæc concilia in ſingulis quoque Palæſtinæ oppidis [6] aliquis ſenatus juri dicendo, negotiiſque publicis curandis conſtitutus eſt. Is erat viginti & trium virorum, qui de capite fortuniſque civium [7] judices ſedebant, cauſaſque omnes decidebant, exceptis paucis illis, quas ad conſeſſum Sanhedrin relatas dixi ſupra. Deſcribit Maimonides etiam triumvirorum quoddam collegium, [8] atque id fuiſſe in tali civitate ait, quæ centum & viginti incolas non haberet. Ego vero Ariſtoteli aſſentior, ne quidem eſſe eam civitatem. [9] Quemadmodum enim navis non eſt, quæ aut palmi unius ſit, aut duorum ſtadiorum: ita civitas nomen amittit, modus ſi deſit. Nam & quæ parva nimis eſt, ſuis ipſa opibus non pollet, quod civitatis proprium eſt: & magnitudine nimia non civitas, ſed gens fit. Sed non eſt tam anxie hæc ratio cum Judæo putanda. Triumvirorum fuit de injuriis, deque pecuniis [10] & bonis mobilibus judicare. Qui capitalium criminum rei erant, apud alios, quos dixi, poſtulabantur. Addit Maimonides, * res quaſdam ejuſmodi fuiſſe, quæ nec ad ſeptuaginta ſenes, neque ad collegium viginti trium judicum, neque ad triumviros pertinerent: opus enim ad eas peculiari quodam ſenatorum numero fuiſſe. Inter has cædem numerat, [11] quæ patrata in oppidi cujuſdam finibus incerto autore erat. Eam expiari oportuiſſe per quinqueviros, vitulæ mactatione, ait. Plura id genus refert, quæ prudens prætereo. Non enim dictata reddimus. Illud mireris, temporum quoque ordinationem ſelectis judicibus [12] eſſe commiſſam. Nam de anno intercalari ſeptemviros, [13] de menſe autem ſtatuiſſe triumviros ait. † Sed hanc curam poſtea omnibus popularibus ſuis ademit homo ſui ſeculi princeps, Hillel Babylonius, de quo viro honorifice illud teſtatur Rabbi Abraham Zachuth in libro Juchaſin: די הלל הנשיא תקן העיבור לכל ישראל קי'ם שתתבטל הסמיכה עד ימי המשיח: *Rabbi Hillel, magni concilii præſes, compoſuit intercalationem toti Iſraeli uſque ad tempora Meſſiæ: idque factum ab illo eſt antequam manuum impoſitionis legitimus actus abrogaretur.* Profecto ni Hillel iſte tantis malis mature occurriſſet, turbata tempora confuſaque fuiſſent. Non enim multo poſt ceſſavit χειροθεσίας ſolennitas, ſive qua ſeptemviros triumviroſque corrigendis faſtis præfectos fuiſſe, negat Maimonides, cum ait וכל אלו סמוכים *omnibus illis impoſitas manus fuiſſe*. Sed definimus aliquando, ne quis nos credat accuratum opus moliri, qui nihil hercle, niſi tumultuarias commentationes, extrudimus. Quicquid autem de conciliis dictum a nobis eſt, ad eam referri tempeſtatem cupimus, cum nondum Judæa Romanum victorem [14] acceperat. Multa enim ille poſtea mutavit [15] refixitque, non libidine aut ſævitia, ſed retinendæ dominationis cauſa. In primis Gabinius, Syriæ proconſul, cum ſtabilitas reipublicæ multo maxima in conſeſſu Sanhedrin eſſet, diſſipandam ejus vim plura per oppida exiſtimavit. Quare pari poteſtate quinque Synedria Gadaris, Amathunte, Hierichunte & Sephoris conſtituit: quinta ſedes Jeroſolyma erat, quæ jam pars ſui & acceſſio fuit. Sane quæ in cæteris urbibus poſita a Gabinio concilia ſunt, cum deteriora Hieroſolymitano non eſſent, etiam diutiſſime poſt illud ſtetere. Mihi quidem de illis loqui Juſtinianus Imperator videtur *in l. 17. C. de Jud. & Cœl.* cum canonem requirit *a primatibus, qui in utriuſque Palæſtinæ Synedriis dominabantur*. Sed in hæc nos egreſſi non ſumus. Rempubli-

* *In Hal. Sanhedrin, cap. v.* † *In eadem Hal. eod. cap.*

publicam enim veterem, & intemerata gentis inſtituta ſpectavimus. Cætera exequi velle, quæ converſa identidem ſunt, infelicis ſtudii ſit. Non enim de illis aliquid tradi certum poteſt.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMTERTIUM.

[1] *Duo alia*) Hieroſolymis poſt Summum illud *Bina* etiam Synedria minora erant. In utroque viginti & tres Senatores ſedebant. Cuncta enim Synedria vel judicia Originalia juſtitiæ regimini deſtinata ex *impari numero* conſtabant, ne ſcil. partes in ferendis ſententiis dimidiatæ eſſent, & ſic fierent æquales. Unde apud *Talmudicos* vel ſexcenties occurrit illud : *Synedrium haud æqua debet eſſe lance libratum, adeoque adjiciendus unus*, ut numerus ſit impar, ut, ſi unus diceret juſtus eſt, alter, reus eſt, requireretur tertius, qui unius ſententiam augeret & lancem deprimeret, veluti bene obſervat ex Talmud. *Joh. Buxtorf. in Lexic. Chald. Talmud. col.* 2513. Videmus itaque, quodlibet horum judiciorum XXIII. Adſeſſoribus conſtitiſſe ; unde בית דין של עשרים ושלשה *Synedrium viginti triumvirale* vocabatur. Vid. Rev. *D. Carpzov. annot. ad* משפט המלך *Schick. pag.* 13. *Joh. Henr. Otton. Lexic. Philolog.-Rabbin. pag.* 628. *Quenſted. in antiq. Bibl. pag.* 46. Celeb. Daſſov. Colleg.-MSum. *ſect.* 11. *c.* 1. *de Synedriis* §. 2.

[2] *Quæ Gazith*) Locus ubi conſeſſus Synedrii Magni haberi conſueverat, dicebatur לשכת הגזית *Liskath Hagazith*, conclave cæſi lapidis. Videatur L' Empereur hoc nomen accurate evolvens ad *Codicem Middoth. pag.* 181. *Selden. lib.* 11. *de Synedr. Ebr. c.* XV. §. 4. *Lightfoot. cent. Chorograph. c.* XXXI. ne alios fere innumeros memoremus. Erat autem ædificium ſplendidum ex cæſis & politis lapidibus quadratis ad latus templi Hieroſolymitani exſtructum, unde σύνεδροι vocabantur חכמי גזית *Sapientes Gazith*, ipſumque συνέδριον non ſemel apud *Hieronymum de ſancta fide* Conſiſtorium *de Gazith* & *Conſiſtorium Gazith* nuncupatur. גזית ſiquidem cæſum ferroque politum lapidem deſignat 1. *Reg.* v. 17. ubi Targum habet אבנין פסילין *lapides dolatos*: & *Amos* v. 11. mentio fit בית גזית domuum quadrato lapide conſtructarum. Quod autem *Gazith* ſplendidum ædificium fuerit, teſtantur Hebræorum Doctores. De hoc *Gemara Maſſ.* Jom. *c.* 11. *fol.* 25. *col.* 1. (ex verſione celeber. Carpzov.) *Liskat hagazith ſpeciem magnæ baſilicæ referebat*. Clarius R. *Salomon Ben Virga in Schebet Juda*, *f.* 43. *col.* 3. quorum verborum ſenſum luxuriante ſtylo expreſſit *Georg. Gentius in hiſtor.* Judaic. *p.* 362. *Hic famoſiſſima & toto terrarum orbe celebratiſſima fuit illa Senatorum curia, quam Hebræi ſua lingua* LISKATH HAGGAZITH *appellare conſueverunt : cujus ædificii tantus ſplendor, tantaque magnificentia fuit, ut totus terrarum orbis nihil illi ſimile aut ſecundum habere videretur*. Conclave hoc ſic conſtructum eſſe ſcribunt (verba ſunt Angli doctiſſimi Johannis Seldeni *de Synedriis lib.* 11. *c.* XV. *num.* IV.) ut pars tantum altera קודש i. e. quod ſanctum erat, ſeu aream conſecratam, ſeu Atrium, altera vero חיל profanum, religione ſolutum, ſeu aream non ſacratam occuparet, unde fiebat, ut in parte ſacra non conſiderent, ſed in profana tantum. Vid. *Quenſted. antiquit. bibl. pag.* 42. *Seldenus* loco paulo ante citato exiſtimat, non adeo abſonum forte eſſe ſuſpicari, conclave hoc ipſum idem eſſe, quod in Evangel. Joh. XIX. 13. nuncupetur λιθόστρωτος locus ſaxis ſtratus —— *Quod nec parum ab Ebræis ipſis firmari videtur, qui in cauſa Domini noſtri Jeſu Chriſti Synedros, quoniam alibi ab ipſis capitalem ſententiam rite ferre noluere ipſi in Conclave*, Liskat haggazith *rediiſſe diſerte ſcribunt*. Tandem concludit : *ipſum Lithoſtroton, ita Græce dictum fuiſſe Synedrii Magni locum, ſeu conclave, a pavimento ſic nuncupatum*. Aſt non videtur conclave *haggazith* idem fuiſſe cum eo, quod Johannes *alleg. loc.* λιθόστρωτον appellat, unde enim probabit *Seldenus*, *Pilatum* Præſidem Romanum Templi atrium, in quo erat illud conclave lapidibus politis ſeu dolatis inſigne ad judicia ſua exercenda adhibuiſſe? Fuit potius λιθόστρωτον illud *Pilati*, quod *Sebaſt. Caſtalio* novo vocabulo *Lapidipavium* vertit & *Hebr.* vel potius *Syriace* γαββαθᾶ dicitur, locus eminens & judicio accomodatus, palatio Pilati contiguus, ut putat *Lyranus* : uti pluribus demonſtrat *D. Carpzov. in not. ad jus Reg. Schikardi pag. m.* 12. Hinc bene *Edmund. Merill. in not. Philolog. ad Paſſion. Domin. edit. Helmſtad.* 1657. *pag.* 31. Erat pavimentum vel cameratio illius loci, ſeu ex opere muſivario facta, puta cruſtis aut teſſellis; vel ſolum tribunal ita factum erat, quod ſuadet Hebr. vox *Gabbatha*: id eſt, excelſus locus, quaſi tribunal Lithoſtrotum Græce dictum fuerit, eo quod teſſellatum: *Gabbatha* Hebr. eo quod excelſum ; & ut Hebraica vox ad tribunal tantum pertinet, non ad totum locum; ita & Græca vox ad tribunal tantum referenda videatur.

[3] *Ad portam atrii*) Cl. *Schickardus pag.* 13. *edit. Lipſ.* ſcribit in porta *Eſdræ* fuiſſe ; Verum male teſte *Carpzovio*, ſed potius *Haſaræ*, ſeu *Azaræ*. Hebraice פתח העזרה *porta atrii*, qua intelligitur porta Orientalis atrii Iſraelis exponente *R. Jom. Tobb.* in deſcriptione templi ad lit. א׳. Hæc verſus dextram adjunctum habebat conclave Pinehas, verſus ſiniſtram conclave frigentium in Sartaginibus ; illinc reſpiciebat in ulteriori parte atrii conclave cæſi lapidis: hinc conclave ſalis. Vid. *Joh. Henric. Otton. Lexic. Philolog.-Rabbin. pag. m.* 641. *Lightfoot Centur. Chorograph. Matth. præmiſſ. pag. m.* 63. *edit. Lipſ.*

[4] *Ad portam —— ad Montem Templi*) R. *Obadias de Bartenora ad Miſch.* Porta Montis eſt porta Orientalis, quæ pone ſe habebat antemurale, ante ſe vero atrium mulierum.

[5] *Diſpar fuit*) Promotiones in his Synedriis ita inſtituebantur, nempe a Synedrio Trium promovebantur ad Synedrium viginti trium in atrio gentium, ab hoc ad Synedrium trium & viginti in atrium mulierum, & ab hoc ad Synedrium LXXI. juxta *Maim. de Synedr. cap.* 11.

[6] *In ſingulis —— oppidis*) Præter Concilia Hieroſolymitana hæc in ſingulis quoque Palæſtinæ urbibus conſtituebatur Senatus viginti & trium virorum. Sic *Gemara Babylon. Tit. Sanhedr. cap.* x. *fol.* 88. 2. *Et reliqua Synedria* XXIII. *ſederunt in cunctis urbibus Iſraelis*. Audiamus etiam celeberrimum *Daſſovium* lit. Rabbin. peritiſſimum in Collegio *MSto. ſect.* 11. *c.* 1. §. 2. ita diſſerentem : Conſtituebatur etiam ratione loci in urbibus aliis, ſi ad minimum adeſſent cives centum viginti, quod Synedrium ſedebat in portis urbium juxta *Maim. de Synedr. c.* 1. Ubi tamen *Selden. cap.* v. *num.* 4. monet ad *Gemaræ* verba, id intelligendum eſſe, non quaſi quælibet omnino urbs, qualiſcunque eſſet, ſuum haberet ſibi Synedrium Viginti triumvirale, ſed in cunctis urbibus, ejuſmodi Synedriis, juxta doctrinam Talmudicam, idoneis i. e. quibus incolæ minimum (Patresfamilias puto) centum viginti. Vid. D. *Carpzov. annot. ad Schikard.* משפט המלך *pag.* 13. *edit. Lipſ.* Urbs itaque illa, cui deerant incolæ (vel familiæ) cxx. Synedrio viginti triumvirali indigna habebatur.

[7] *Qui de capite fortuniſque civium*) Imperium & Juriſdictio Viginti triumviralium Synedriorum verſabatur circa judicia civilia ſeu pecuniaria, item circa judicia pœnalia & capitalia, criminaliaque omnigena, exceptis ſingularibus ad ſolam Synedrii Magni juriſdictionem & imperium, ut caſibus reſervatis, attinentibus. Vid. *Miſchn. Tit. Sanhedr. c.* 1. Et *Maimonid.* ait, *Tit. Sanhedr. cap.* v. §. 2. Judicia capitalia a paucioribus, quam viginti triumviris, qui Synedria minora faciebant, exercenda non erant, ſive capitale eſſet hominis ſive beſtiæ judicium. Conf. *Selden. lib.* III. *de Synedr. Hebr.*

[8] *Triumvirorum Collegium*) Sic *Maimonid.* & *Kotzenſis*, citante *Seldeno* de *Synedriis*. In urbe cui deeſt incolarum CXX. numerus, conſtituebant tres judices, quoniam domus judicii nulla (Synedrium nul-

lum

lum ordinarium) e paucioribus constitit, quam Tribus, ut scil. haberet plus minusque (impari constaret numero) quoties inter collegas dissensus eveniret. Synedriorum vero Triumviralium alia ex *autoritate publica* in locis pagorum idoneis habebantur; etiam in Urbibus, quibus Viginti triumviralia neutiquam constituenda erant; Alia eorum pro re nata eligebantur, partim *compromisso* seu communi litigantium pactione ad similitudinem arbitrorum, ut loquuntur *Arcadius* & *Honorius*, *August. l.* 8. *C. tit. de Judæis*. Quod ad litis causa electos spectat; *Misna Tit. Sanhedr. cap.* III. §. 1. de eis; Litigantium pars altera sibi eligit unum & unum altera, & utrique illi eligunt sibi unum, seu tertium. Ita *R. Meir*. Et Sapientes dicunt; Bini judices (seu Electi) eligunt sibi unum seu tertium. Vid. *Selden.* in *Uxore Ebraic. lib.* 1. *c.* xv. & *de Synedr. lib.* I. *c.* VII. Conf. *Carpzov. annot. ad jus Regium Schikard. pag. m.* 13. Cl. *Dassov. in MSto Colleg. sect.* II. *c.* I. addit, quod, si in urbe aliqua ejusmodi homines sapientes non reperiantur, tum neque in illa Synedrium constitueretur.

9 *Ne quidem eam civitatem*) Judæi certum numerum describunt, qui civitatem faciant; an vero hic sufficiat, veritati non videtur consentaneum. Nam licet civitas non æstimanda est ex civium multitudine, attamen certus requiritur numerus, ne nimis parva, nec nimis ampla. Hinc *Aristoteles* non semel distinguit inter ἔθνος καὶ πόλιν inter gentem & civitatem, prout *Accurs. in l. provincialis* 190. de V. S. discrimen facit inter Provinciam universam & Civitatem. Nam 1. *Polit. c.* 1. *Olim*, inquit, Reges imperabant singulis civitatibus, nunc gentibus. Item 3. *Polit. c.* II. Babylon, cujus ambitus tantus fuit, ut quædam ejus pars civitatem captam, ne tertio quoque die sensisse scribatur, confluxus potius fuit gentium, quam civitas. Distinguimus ergo inter populum universæ provinciæ & civitatem, quando civitatem *stricte* accipimus pro multitudine uno in loco cohabitantium. Nam interdum civitas designat quamvis ad unius Reipubl. systema conspirantem multitudinem, quo sensu distinguimus inter *jus civile*, quod uni Reipubl. proprium est, & *jus omnium gentium*: interdum certo murorum ambitu inclusum populum, de quo proponit *Aristotel. lib.* III. *Polit. c.* II. dubitationem: *Utrum ad eum certus civium numerus requiratur?* eamque solvit *lib.* VII. *Polit. c.* IV. nimirum, quod, cum pauciores, quam par sit, homines, ad bene vivendum sibi non sufficiant, plures vero quam regi possint, non minora afferant incommoda, tutissimum sit, media via incedere, & mediocrem civium copiam seligere. Ad hæc verba intendit *Cunæus* noster & opinionem Judæorum rejicit, dicentes ad civitatem requiri centum & viginti cives, qui numerus sane nimis parvus; Quare *Aristoteli* assentitur, qui mediocrem numerum requirit, talem tamen, qui se contra illatas injurias defendere possit, uti pluribus demonstravit *Arnisæ. in exercit. Polit. c.* v. *de magnitud. civit. pag. m.* 404. 405.

10 *Deque pecuniis*) Imperio & jurisdictioni *triumvirorum* suberant tam criminales, quotquot capitales non essent, quam civiles. Illorumque fuit de injuriis, deque pecuniis & bonis mobilibus judicare. Vid. D. *Quensted. in antiq. Bibl. pag.* 48. *de Synedr. minor.* & *Selden. de Synedr. c. l.* Causas a Triumviris dijudicatas collegit vir celeberr. *Herman. Witsius in Miscell. Sacr. pag.* 523. *de Synedr. Hebr.* his verbis: Res quæ ad forum Triumvirorum pertinent, sunt generatim *judicia pecuniaria*, itemque lites de læsione, de damno vel dimidio damni: id est, an damnum integrum rependendum sit, ut hi homo aut bos testato noxius damnum dent; an solum dimidium damni dati, ut si bos mansues damnum dederit. Etiam de restitutione dupli, quadrupli, aut quintupli. De vi & seductione, i. e. de stupro per vim aut fraudem non desponsatæ illato. De diffamatione; de mensis & anni intercalatione &c. Addunt etiam flagellationis decernendæ jus triumviris fuisse.

11 *Cædem numerat*) De hac cæde legitur *Deuter.* XXI. 1. *Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tibi daturus est, hominis cadaver occisi, & ignorabitur cædis reus; egredientur majores natu, judices tui* &c. Hanc quinque viri vitulæ mactatione expiare debebant. Hi autem Seniores non erant juxta opinionem Judæorum ex Viginti triumviris nec Triumviris, sed ex Synedrio Magno Hierosolymitano, uti *Maimonid. de homicid.* affirmat, cujus verba Anglice reddidit *Ainsworth Comment. in Deut.* XXI. *fol.* 84. *When a slaine man is found fallen on the earth &c. they leave him in his place, and FIVE ELDERS come forth from the high Councell that is in Jerusalem, and they measure from him unto the cities that are round about the slaine man.* Verum vix esse potest, cum Synedrium tempore Mosis nec judicum fuerit. Ritus hos describit ex Maimonid. celeb. *Dassovius in Colleg. MSto. sect.* II. *c.* XVIII. sequentibus: Si homo mortuus in via reperiretur, & non constaret, quisnam illum occidisset, QUINQUE SENIORES ex Synedrio Summo Hierosolymitano proficiscebantur & terram metiebantur usque ad urbes vicinas circumcirca homicidam jacentes: quando constabat de urbe viciniore, sepeliebant hominem mortuum in loco suo, & Seniores revertebantur Hierosolymas. Synedrium autem illius Urbis vicinioris afferebat vitulam sive juvencam sumtibus civium illius loci emtam, dimittebantque illam in fluvium fortiter fluentem, ac ibi securi retrorsum decollabant. Omnes autem Synedrii Assessores istius urbis, utut numerosi essent, lavabant manus in loco decollationis dicebantque lingua Sancta: Manus nostra non effudit sanguinem hunc, nec oculi nostri viderunt, neque in manus nostras occisus venit, sed illum dimisimus sine alimentis & comitibus. Sacerdotes autem dicebant lingua Sancta: *Expia Domine populum tuum Israel* & abibant, ac Deus hoc modo Judæos expiabat, juxta *Maimonid. tract. de homicid. c.* IX. Non autem mensurabant Seniores nisi ad urbem in qua erat Synedrium excepta Hierosolyma, quia Hierosolyma juvencam decollare non poterat, quandoquidem non in tribus divisa erat. Si occisus reperiretur vicinus urbi Samaritanorum vel gentilium, plane illa mensuratio omittebatur, siquidem suspicabantur, quod *Samaritani* aut Gentiles illum hominem occidissent. Non etiam urbs vicinior decollabat juvencam, nisi numero civium æquaret urbem remotiorem, nam si in urbe remotiore cives essent numerosiores, urbs remotior juvencam decollare poterat. Homo autem occisus debebat esse vulneratus, alias si strangulatus vel alio modo interfectus esset, aut si non inveniretur in terra, sed suspensus esset in arbore, vel nataret in aquis non instituebatur decollatio. In eo autem loco, in quo caput projectum erat, sepeliri debebat occisus, & a loco capitis etiam instituebatur mensuratio. Quod si multi simul occisi reperirentur, urbs propinquior omnibus decollationem instituebat, ut ut autem testis unus diceret, se vidisse occisorem & decollatio institui non posset, nisi homicidium ignotum esset, si alius testis rem negaret, nihilo secius peragebatur. Juvenca illa duorum annorum esse debebat, neque illam vitia illegitimam reddebant, alias omnes illi actus, qui illegitimam reddebant vaccam rufam, illegitimam quoque faciebant hanc juvencam. v. g. Si jugum fuisset illi impositum, si opus illa peractum &c. Non etiam Juvenca decollari poterat nisi interdiu, ita tamen ut totus dies decollationi esset congruus, neque simul duæ juvencæ decollari poterant. Decollata autem sepeliebatur & inepta erat ad omnem usum, tam ante quam post decollationem juxta *Maim. l. c. cap.* x. Si homicida inveniretur antequam decollata juvenca esset, liberabatur illa a morte & debebat pascere; Si vero reperiretur posteaquam mortua esset, sepeliebatur in loco suo & homicida debebat mori. Et hæc sunt quæ de hoc ritu observanda sunt. Plura qui desiderat, ille evolvat Excell. *Wagenseil. Sota* ubi ex professo de his egit.

12 *Selectis judicibus*) Non intercalatur annus nisi per eos, qui sunt ad id officii electi. Itaque Synedrii Princeps deligit nonnullos, quibus ita dicit: Curate parati sitis in loco illo uti deliberemus ac consultemus, utrum annus intercalaris oporteat constitui nec ne. Atqui ab his solis qui sunt ad id invitati intercalatur. Ad hanc deliberationem neque Rex admittitur unquam, nec Summus Sacerdos. Ille, ne forte propter delectum habendum, aut belli administrationem ad alterutram partem vel intercalandi vel non intercalandi convocatos impellat: hic, ne ab intercalandi consilio deterreat ideo, quod si intercalaretur mensis Septembris in dies jam frigidos magno ipsius in-com-

commodo incurreret. Si *Præses* Synedrii abeſt, annus intercalatur ea conditione, ſi Principi placuerit. Vid. *Maimonid. de conſecr. Calend. & de ratione intercal. pag.* 358. 359. *edit. a Ludov. de Compiegne de Veil. Londin.* 1683.

[13] *Septemviros*) Atque ex his ſeptem juxta opinionem *Maimonid.* omnino neceſſe erat, ut unus eſſet concilii Magni Princeps. Is erat, qui in illo conſeſſu unius & ſeptuaginta judicum primum locum obtinebat. Hinc horum etiam mentionem facit *Joh. Henric. Otho in Lexic. Philolog. pag. m.* 279. Septem Seniores congreſſi ſunt ad intercalandum annum *in Valle Rimmon*, videl. R. Meir, R. Juda, R. Joſi, R. Simeon & Nehemia, R. Lazar Ben Jacob, & R. Jochanan Sandelar; Eratque illic rupes marmorea, cui unuſquiſque infixit clavum: hinc quoque hucuſque rupes clavorum vocatur: *Hieroſ. Chagigah. fol.* 78. 4.

[14] *Cum nondum Judæa victorem*) Tunc ſenſit *Judæa* ablatum ſibi ſceptrum & *Joſephus antiquit. lib.* XIV. *cap.* VIII. fatetur de *Pompeii* expeditione: τὴν ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν, καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν. Nec aliter *Ben Gorion*: Ex eo tempore excidimus majeſtate noſtra, redacti in poteſtatem imperii Romani. Inſecutum eſt civile Romanorum bellum, quo Antipater *Idumæus* a Cæſare impetravit, ut procurator Palæſtinæ *Hyrcano* adjungeretur, cui filius *Herodes* ſucceſſit *Antonii* gratia Rex a Senatu appellatus, & ab *Auguſto* poſt Actiacam pugnam in regno confirmatus. At poſterorum fata non eadem. Filiis enim paternas poſſeſſiones ita diviſerat Auguſtus Cæſar, ut *Archelaus* dimidiam partem ethnarchæ, non regis nomine (quanquam βασιλεὺς dicitur *Matth.* II. 22.) reliquas portiones ſub titulo tetrarcharum *Antipas* & *Philippus* adminiſtrarent. Sed poſt novennium excidit *Archelaus*, ſub *Caligula* etiam *Antipas* & uterque in Galliam relegatus fuit, aut *Antipas* in *Hiſpaniam* (nam ſibi non conſtat *Joſephus*) niſi cum *Scaligero* dicemus, prius in *Galliam* relegatum fuiſſe, deinde ut longius abeſſet a patria, graviuſque puniretur, inde in Hiſpaniam deportatum. Agrippa uterque regium nomen recuperarunt, ſed ut clientes Romanorum, ex horum nutu pendentes & precario regnantes. Interea *Archelai* partes ab exilio ejus uſque ad *Claudii* imperium; poſt a morte Agrippæ majoris ad excidium uſque in *Provinciæ formam Agrippæ* regnum redactum fuit, & per Cæſarum Procuratores adminiſtratum, quod ſatis argumento eſt, ablatum a Judæis ſceptrum fuiſſe, ipſoſque ceſſiſſe in Romanorum poteſtatem. Hæc & plura harum rerum geſta ex *Joſepho*, partim ex *Dione* etiam paſſim cognoſcere licet.

[15] *Multa mutavit*) Cum autore noſtro facit celeber. *Witſius in Miſcell. pag. m.* 555. qui & idem affirmat autoritatem Senatus variis modis imminutam fuiſſe. (1) per *Gabinium* Syriæ Præſidem, qui poſt Pompeii victoriam, annis LV. ante natum Chriſtum, Senatum in quinque partes diſcerpſit, ſaltem alios quatuor conſeſſus erexit, quamvis non pari cum Hieroſolymitano poteſtate. Fuerunt enim illi conſeſſus curandæ magis reipubl. quam judiciorum cauſa, inſtituti: ſub Senatu tamen Hieroſolymitano, *Joſeph. Antiq. lib.* XIV. *c.* X. (2) per *Herodem*, qui ſub Hyrcano Rege de rebus in Galilæa geſtis cauſam dicere coactus, poſtea Rex factus, illos judices & Regem quoque, ſuſtulit, excepto uno *Samea*. Vid. *Schickardi jus reg. cap.* 11. *theor.* VII. *pag. m.* 153. *ſeq. Lightfoot. hor. Talmud. p.* 202. *edit. Lipſ.* Hunc enim in honore habuit propter juſtitiam: & quia poſt, obſeſſa urbe ab *Herode* & *Soſio* (de qua *Gregor. Green hiſtor. Prof. Witteb.* in *diſſert. de rebus Herodis videndus*) admittendi *Herodem* auctor fuit, negans propter peccata eos poſſe dominatum ejus effugere, *Joſeph ibid. cap.* XVII. Validis tamen ex *Talmude* argumentis intercedit Johann. *Lightfoot*, non omnes interemtos eſſe ad *Matth.* 11-4. (3) per varias illas tranſmigrationes ex Conclavi Templi de quibus Joh *Henric. Otho in Lexico Philolog. pag. m.* 636. Vid. *Roſch. Haſchan. Babyl. fol.* 31. *p.* 1. *lin. ult.* Migravit Synedrium a Conclavi Gazith ad Jafnen, a Jafne ad Osham, ab Osha ad Sepharaanam &c. Conf. *Lightfoot hor. Talm. pag.* 458. 929. 1123. 1126. (4) per ademtam a Romanis capitalium judiciorum facultatem. Cum enim Judæa in Provinciam eſſet redacta conſtitutum eſſe videtur, quemadmodum in reliquis Provinciis Romani imperii, ne Senatus quempiam morte afficeret, niſi Romani Præſidis conſenſu, ſervata ei reliqua judiciaria poteſtate. Atque huc a pleriſque refertur Joh. XVIII. 31. Uti & Talmudicorum confeſſio de ablatis Senatui Judiciis capitalibus XL. annis ante deſtructum templum. Vide *Lightfoot hor. Talmud. pag.* 456. *edit. Lipſ.* Quod tamen interpretatur factum hoc eſſe propter homicidiorum frequentiam, in quæ cum rite animadvertere non poſſet Senatus, maluit conclave ſuum deſerere, ut omnino non judicaret. Vid. *diſſert. ſub. præſid. Cl. Danzii de Paſſ. Chriſt.* Conf. *Gemar. ad Avod. ſar. fol.* 8. *p.* 2. Cum itaque Judæi in Romanorum poteſtatem veniſſent & maxima parte dominationis & poteſtatis privati eſſent & quidem Magiſtratibus municipalibus, ſecundum leges Romanas ne de ſervo quidem ſupplicium ſumere licuit *l. magiſtratibus* 12. *D. de juriſdictione*. Hinc jus vitæ & necis ademtum fuiſſe plerique exiſtimant, idque ex libris Talmudicis, uti jam dictum, probant, qui ſcribunt jus vitæ & necis Judæis ademtum fuiſſe ante everſionem urbis. Verumtamen *Judæi*, etiam ſecundum leges patrias ad religionem pertinentes poterant aliquem interficere, ut lapidatione blaſphemos, mulieres in adulterio deprehenſas &c. Et itaque jus habebant; Aſt cum dicunt, nobis non licet, intelligunt de eo genere ſupplicii, cui Chriſtum addici poſtulabant, ſupplicio crucis Judaicis legibus incognito. Confer ſi lubet not. *Philolog. in Paſſion. Chriſti Edmundi Merilli pag.* 18.



CAPUT

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De regis creatione, & an placuerit ea Numini. Cur initio rex malus a Numine adscitus. Quas res in illo legendo spectaverit vates. Liber de regni jure in sanctuario positus. Quarum rerum potestas data regibus Hebræis sit. Quis honos illi a Pontif. maximo, a sacerdotibus atque a vatibus delatus. Locus Samuelis contra quosdam interpretes stabilitus. Sedendi jus in atrio sacerdotum soli regi datum, non ipsis sacerdotibus, nec aliis. Cujusmodi regibus paruerint primi homines, ex Aristot. Quidnam Hebræis regibus sanctitatem adjecerit. Non eam hinc esse, quia vates fuere. Solos reges & pontifices maximos unctione fuisse initiatos. Unguentum sacrum a Josia defossum, nec post repertum aut usurpatum fuisse sub templo secundo. Reges Samariæ an uncti fuerint.

AIT Rabbi Maimonides in parte postrema Misnæ, Israelitas tria mandata [1] accepisse a Numine, quæ exequerentur cum Palæstinam tenerent, e quibus primum erat, uti regem sibi constituerent; alterum, ne memoriam obliterarent Amalekitarum; tertium de templi ædificatione fuit. Mox hæc ostendit longo quidem intervallo, diversisque temporibus, sed illo tamen ordine, quo jussa erant, confecta esse, quippe creatum regem esse, priusquam bellum cum Amalekitis gereretur: templi autem structuram non cœptam esse, nisi cum invisissimæ istius gentis extremus dies venisset. Testimonia istius rei illustria Maimonides recitat, quæ huc transscribere supervacuum est. In Deuteronomii capite decimo & septimo summus Deus, cum Israelitas expetituros regem aliquem ait, causam adjungit, quæ verissima est, quod omnes in vicino gentes sub unius imperio vivebant. Ita enim est natura ingeniumque hominum, illam orbis partem qui habitant, pauci libertatem, pars magna justos dominos volunt. Nec vane apud Tacitum Claudius Civilis ad Batavos suos ait, *Servire Syriam, Asiamque, & suetum regibus Orientem.* Hoc ita cum sit, permulti mirati sunt, cur indigne tulerit Deus, summam rei a Samuele ad regem aliquem transferri, siquidem illud & probaverat antea, & futurum pro indole dixerat sacri populi. Sed illis erudite respondit Maimonides, atque indignationem Numinis ex eo esse ortam ait, ששאלו בתרעומת ולא שאלו לקיים המצוה אלא מפני שקצו בשמואל הנביא שנאמר כי לא אותך מאסו כי אותי מאסו: *quia regem concupivissent per ambiguas querelas, seditiosasque voces, non uti legis præceptum peragerent, sed quod displicebat illis sanctissimus vates Samuel, ad quem vox illa Numinis extat,* * *Non te illi, sed me fastidiverunt.* Equidem ego sic opinor, [2] atque asserere non dubito, Deum immortalem non charitate, aut Reipub. cura, imperium Sauli dedisse, sed, quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerat, comparatione deterrima gloriam Samueli quæsivisse, ut tali successore desiderabilior ille quandoque foret. Fortuita & externa videntur, sed ingens momentum habent, quæ spectata a Samuele esse in regis electione, proditum ter quaterque in sacro codice est, decora facies, [3] corpus procerum, [4] atque alia, quæ oculos omnium animosque trahunt. Hæc sunt, quæ summus vates in media concione commendavit, cum locutus in isthæc verba est. † *Videtisne, quem elegit Deus, non esse ei similem in toto populo?* Quare profecto non jam barbarorum illud duntaxat, sed hominum etiam excultissimorum est, majestatem corporis venerari, magnorumque operum illos capaces putare, quos eximia specie natura donavit. Aristotelis, maximi autoris, scitum est, si qui nascantur tanto aliis corpore excellentiores, quanto simulacris hominum antecellunt deorum imagines, dignos videri reliquos, qui his serviant. Quod si in corpore hoc verum est, multo rectius de animo id statui, sed non eadem facilitate animi pulchritudinem, atque corporis, cerni. Sed nos hæc aliorum commentationi relinquimus. Est in Biblico codice * mentio voluminis cujusdam, in quo sacrata regni jura scripsit [5] Samuel, eaque [6] sic literis tradita in tabernaculo deposuit. [7] Sed quæ referuntur illic, haud recte assecutus Flavius Josephus [8] est, credidit enim comprehensa illo libro esse omnia mala, quæ metuenda ab iniquo rege prædixerat Deus populo. Nos contra existimamus, fuisse in illo libro eas leges, [9] quæ jubebant uti justitiam atque æquitatem rex coleret, utque rempublicam bene atque ex utilitate civium moderaretur: tum ne stupris aut libidinibus principem ageret: postremo, uti in magna fortuna modestiam retineret, quæ nec summis mortalium aspernanda est, & a Deo æstimatur. Ea res his verbis tradita in Deuteronomio est: *constitue regem, quem Deus elegerit ex popularibus tuis. Ne alienigenam hominem regem facito, qui non sit de gente tua. Cum autem fuerit con-*

 stitu-

* *In lib. 1. Sam. cap. 8. vers. 7.* † *In lib. 1. Sam. cap. 10. vers. 24.* * *In lib. 1. Sam. cap. 10. vers. 25.*

ſtitutus, ne comparet ſibi equos multos queis confiſus reducat populum in Ægyptum, edictum enim vobis eſt, ne amplius eam viam repetatis. Sed nec uxores habeat plurimas, quæ pelliciant animum ejus, neque argenti vel auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio, deſcribat ſibi exemplum legis hujus, ex illo volumine, quod penes ſacerdotes Levitas eſt, habeatque illud ſecum, & legat omni vita ſua, uti diſcat vereri Deum ſuum, ejuſque ſanctiones obſervare, atque ut animus ejus non efferatur ſuperbia, contemnatve cæteros. Hæc legis verba nec obſcura ſunt, & ſummam continere ejus voluminis videntur, quod maximus vates in ſanctuarium recondidit. Diximus antea, Judæos rempublicam ejuſmodi habuiſſe, quæ in Biblico codice regnum ſacerdotale * appellatur. [10] Ex quo fit ſane, ut reges eorum non res modo civicas domi militiæque moderati ſint, ſed religionibus [11] etiam, ſacriſque, & ceremoniis præfuerint: erant enim perſonæ ἱερωμέναι, † quibus Numinis juſſus, & vatis vox, autoritatem, decus, atque imperium dabat. Quamquam profecto, quemadmodum præfectura ſacrorum, ſummaque poteſtas, & judicium ad illos pertinuit; ita miniſterium curationemque earum rerum Levitæ, hoc eſt, pontifex, ſacerdoteſque atque adjutores eorum, ſuo jure, ſibi vindicaverunt. Id enim illorum erat, victimas cædere, expiationes facere, leges divinas coram populo recitare, item alia munia in templo obire. Præclare annotatum a Talmudicis eſt, quanto major omnibus & prophetis & pontificibus rex fuerit. Nos id obiter ex Maimonide referemus, cujus hæc verba ſunt, * מצוה על הכהן גדול לכבד את המלך ולהושיבו ולעמוד מפניו כשיבא לו : ולא יעמוד המלך לפניו אלא כשישאל לו במשפט האורים : אפילו נביא עומד לפני המלך משתחוה ארצה שנאי הנה נתן הנביא ויבוא לפני המלך וישתחו למלך על אפיו ארצה : Ea ſententiam ferme habent ejuſmodi *: Sancitum fuit, uti pontifex maximus regem veneraretur, & locum illi ſuum ad ſedendum cederet, atque ipſe ſtaret, ſi quando veniret ad eum rex. At e contra, rex non ſtat præſente pontifice, niſi cum conſulit ſolenni ritu oraculum Urim. Præterea tanta regis dignitas eſt, uti vel ipſe vates, quoties ei adeſt, in terram humiliter ſe ſummittat: quippe ſcriptum eſt, Nathanem prophetam veniſſe coram rege, & ſpecie honoris prono ore procubuiſſe in humum.* Quid quod ipſe David, quem pridem antea vates regem fecerat, adeo veritus non eſt ſummi pontificis decus uſurpare, uti ſacrum ejus amiculum, quod Ephod appellant, induerit ſibi, ac mox quæſiverit ex Numine, an auſpicato educturus copias in hoſtem eſſet? Locus ille illuſtris extat in commentariis Samuelis, quem omnino perverterunt nuperi interpretes, viri hercle eruditiſſimi, ſed qui hic dormitaviſſe aliud videntur. Judices ego eos omnes fero, qui vel leviter has literas attigerunt. Ecce illa verba † ויגיש אביתר את האפוד אל דוד ſic reddita ab illis ſunt, *applicavit ſibi Ebiathar amiculum Davidis cauſa:* cum plane illud ſignificetur, quod nos diximus, Davidem, accepta Ebiatharis ſacra veſte, oraculum conſuluiſſe. [12] Sed referamus porro, quæ ex Rabbinorum ſcriptis ſublegimus. Utique etiam in illo poſitus apex dignitatis fuit, quod Rabbi Maimonides tradit in capite ſecundo in Halacha Melachim, & in cap. ſeptimo Hal. Beth Habbechira, שאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד *: nulli homini fas fuiſſe in toto templi atrio ſedere, præterquam regi, qui ex familia Davidis eſſet.* Quare & illud ibidem paulo ante ait, אם נכנס לעזרה והיה מזרע דוד ישב *: ſi intret atrium, & ſit de familia Davidis, ſeſſio ei eſt.* Erat quidem illud atrium certis ſpatiis diviſum, ut pars hæc ſacerdotibus, illa populo eſſet aſſignata: ſed tamen ne præſcriptos quidem terminos aliter ſacerdotes, quam ſtantes, [13] tenebant. Senatoribus Sanhedrin autem ſedendi jus fuiſſe, ſed בחצייה של חול : *in medio ejus loci, qui prophanum vulgus capiebat*, autor Maimonides eſt in Hal. Beth Habbechira in cap. ſeptimo. At ſacratiora atrii [14] ſpatia neminem ſedentem, niſi regem, [15] adſpexere; ut hoc ille eximium præ ſacerdotibus habuerit, quaſi Deum propius contingeret, & religionum major antiſtes eſſet. Utique, ſi ad alias gentes eatur, Ariſtoteles primos mortalium ait ferme habuiſſe eundem & regem & ſacerdotem. Id quod haud pravum videri poteſt, propterea quod illi naturam adhuc incorrupti ſequebantur, & quanto propius ab ortu & divina progenie aberant, tanto melius, quæ erant recta, cernebant. Sed ut de Hebræorum regibus dicamus, magnopere ea res conditionem illorum ſacravit, quod unctione initiati [16] eſſent. Hoc enim illis, pontificibuſque maximis [17] proprium fuiſſe Talmudici tradunt. Ex ſacerdotibus autem illud adjungit, qui [18] משוח מלחמה ab ipſis dictus eſt propterea quod auſpiciorum cauſa ungebatur, ut proſpere res bellica ſuccederet. Ea unctio celſitudinem quandam divinam [19] regibus, majeſtatemque addidit, ſacroſancti in terris ut eſſent, & commercia cum Numine haberent. Sane, quod interdum illi ea tempeſtate ceremonias, religioneſque conſtituerunt, aut reſtaurarunt,

* *De quo ſupra, in cap. VIII. & in lib. Exod. cap. XIX. verſ. 6.* † Id eſt, *ſacrata*.
* *In Halacha Melachim, cap. II.* † *In lib. 1. Sam. cap. XXX. verſ. 7.*

rarunt, nequaquam illud ex hac re factum eſt, quia vates fuerunt: perperam id exiſtimatum a quibuſdam eſt, neque probari hercle poteſt. Etenim, ſi Davidem unum, & fortaſſe etiam Saulem, exceperis, cæterorum nemo quiſquam divino afflatu futura prædixit. Sed omnino Salomo, & Joſaphatus, Ezechiaſque, & Joſias, atque alii jus & poteſtatem in res divinas exercuerunt, quia vis ſacri unguenti [20] pervaſerat ad eos. Hoc unguentum conficere Moſes juſſus eſt, ex illis aromatum generibus [21], quæ Maimonides deſcribit in Halacha Cele Hammikdaſch in capite primo. Ajunt autem Talmudici, adhibitum illud initiationi, conſecrationique fuiſſe uſque ad tempora Joſiæ, [22] qui illud in templo recondidit ſub humum in loco abdito ſecretoque, quem diu ante ſumma cura rex Salomo paraverat, [23] cum ex vatum reſponſis didiciſſet futurum olim uti templum ab Aſſyriis ſolo æquaretur. In eodem ſpecu Talmudici arcam quoque icti fœderis teſtem, & Aaronis baculum, tum lapides Urim & Tummim cum reſiduo Mannæ poſuiſſe Joſiam [24] tradunt, eorumque omnium nihil quidquam Judæis reſtitutum eſſe, cum reverſi Babylone in patrias ſedes templum ſecundum exſtruerent. Quare ex illa tempeſtate regibus, pontificibuſque haud fuit ex initiationum myſteriis eadem majeſtas. Sed nec ceremoniis pleriſque ac ſacris tam præſens adfuit Numen, [25] ut ante ſolebat. Jactant illa vulgo Judæi, quæ in libro Juchaſin refert Rabbi Zacuth: אש על המזבח רובע ככלב כי בטל כחו שחסרו חמשה דברים בבית שני ובבית ראשון היה כאריה: *Ignis ſuper altare cubabat, tanquam canis, quia vis ejus exſtincta erat, poſtquam quinque res defecere in poſteriore templo. At in priore erat ignis iſte velut leo.* Enimvero ait eruditiſſimus ſcriptor, illa quinque defeciſſe, quæ jam diximus ſic occultata a rege Joſia eſſe, nunquam ut poſtea reperta a nepotibus ſint. Ponam in extremo, quod pene me fugerat, quia leve eſt. Placuit Talmudicis, reges Iſraelis, qui, ſeceſſione a Judæis facta, ſedem imperii Samariam tenebant, haud delibutos [26] illo oleo fuiſſe, quod ex edicto Numinis confectum a Moſe erat: quare Eliam non niſi balſamo vulgari uſum eſſe, cum Joſaphati filium Jehu ungeret. Sed ipſi addunt שרבר זה מסור ביד החכמים: *id modo ſic traditum a ſapientibus eſſe*: ut jam non magnopere laboremus, quam hoc verum ſit.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUARTUM.

[1] *Tria mandata*) Habetur hæc traditio in ipſo Talmude Gemar. Babyl. Maſſech. Sanhedr. *fol. C. col.* 2. & in Beth Iſrael. *part.* 2. *fol. CLVIII. col.* 1. e quo poſteriori cum verſione eam paulo plenius recenſuit Cl. *Coccej. excerpt. Gemar. Sanhedr. pag.* 176. 177. Maimon. eandem hanc traditionem repetit in libro *Hammizvos præcept. affirm. CLXXIII. fol. LXXII. col.* 1.

2 *Equidem ego ſic opinor*) In præcedentibus verbis pluribus egit Autor noſter de controverſia illa, cur Deus ægre tulerit hoc, quod populus peteret Regem, eum tamen longe ante hoc mandarit *Deuter. XVII.* Hic omnes Interpretes tam Chriſtiani quam Judæi hos duos locos conciliare laborant variis rationibus, quæ omnes ad duos conciliationum fontes reduci poſſunt. Vel enim in loco *Deuteron.* agnoſcunt mandatum Dei, & hi in altero Samuelis loco Iſraelitas non ipſa regis petitione, aut in jure petendi, ſed in procedendi modo aut aliis circumſtantiis aberraſſe contendunt. Vid. *Franciſ. Mendoza Comment. in* 1. *Samuel. cap. VIII. fol. m.* 569. *tom.* 2. vel (2) negant in priori loco contineri mandatum & hi facilius omnem Iſraelitarum conatum ipſamque adeo petitionem peccati arguunt. Qui præceptum dicunt, eligere Regem & priorem conciliandi rationem probant, in partes iterum diſcedunt, & in determinatione peccati Iſraelitici diſcrepant. Quidam enim in Iſraelitarum animo & intentione peccatum quærunt, & quod malo fine Regem petiiſſent, non ut mandatum Dei exequerentur, ſed ut Ducem ad Idololatriam haberent: Ita veteres *in Siphre*, & R. *Neorai in Jalkut* adductus. Alii in forma regiminis & ratione ſtatus, quod deſideraſſent, & quod cupiiſſent Regem, a quo ad modum cæterarum gentium regerentur, uti expreſſe addunt. Ita veteres in *Toſiphta Sanhedr.* quos R. *David Kimchi* & R. *Levi* ben *Gerſon* ſequuntur. Nonnulli peccaſſe dicunt, quod verbis turbidis & cum querelis Regem popoſciſſent: ita uterque Moſes *Maimon. Ægyptius* & *Nachmanid. Gerundenſis*. Quidam denique, quod Regem intempeſtive poſtulaſſent, ſiquidem Deus Regis electioni certum deſtinaſſet tempus, ut primus omnium eſſet *David*, unde nec *Saulis* Imperium conſtans eſſe potuerit: ita *Cabbaliſtæ*: Atque huic priori conciliationi *Schickardus* inhæret, & ante ipſum *Cunæus noſter* hoc loco, *Maimonidem* cum primis ſecutus, & poſt eum *Hugo Grotius* in *annot. ad h. l.* quod aſſertum cum B. *Carpzovio* non probare poſſumus. Quamvis enim ipſam Regiæ gubernationis formam in ſe ſpectatam Deus in populo ſuo non aſpernaretur, utpote hoc patet Gen. XVII. 6. XXXV. 11. nullibi tamen, neque in citato *Deuteron.* neque in alio loco mandatum Iſraelitis dederat, ut vel ipſi eligerent, vel eligendum peterent Regem, ſed arbitrio & diſpenſationi ſuæ totum hoc mutandæ Reipublicæ formæ negotium reſervaverat. Falſum itaque Autoris noſtri aſſertum, aberraſſe Iſraelitas tantum in forma, quod turbidis & cum querelis, tædio Samuelis adverſus ipſum murmurantes Regem popoſciſſent. Peccarunt ergo Iſraelitæ quoad rem ipſam & quoad rei modum, uti fuſe *Mendoza in* 1. *Samuel. cap. VIII.* explicat.

[3] *Decora facies*) Hic autor recenſet primam externam qualitatem Regis eligendi. Quanquam autem ad gratiæ prærogativam parum illa valeat, coram aſpectu Dei, tamen ad honores & dignitates ſummas capeſſendas multum ſemper apud antiquos valuiſſe reperimus: Eo uſque ut formæ eximium decorem, velut præcipuum regiæ poteſtatis tum acquirendæ adjumentum, tum adeptæ ornamentum atque inſigne præclarum ubique tradiderint, uti fuſe de hac materia egimus *de Principe Chriſtiano e ſacra Scriptura*, qui proxime lucem videbit. Quod igitur ad pulchritudinem attinet, nullo modo videtur hæc in Rege contemnenda. Unde *Ambroſius lib. de Parad. c.* 7. Pulchritudo, inquit, ipſa & gratior corporis forma magis frequenter in vitium, quam deformitas trahit. Et licet elogia Pulchritudinis non optima apud Profanos authores, uti ex *Socrate*, *Euripide*, *Petrarcha lib.* 1. *de remed. utriuſque fortunæ*. *Ovid. lib.* 1. *Faſt. Propert. lib.* 3. *Joſeph. lib.* 16. *antiq. c.* 9. *Hegeſip. lib.* 10. *de excid. Hieroſol. c.* 38. *Horat. Satyr.* 10. aliiſque conſtat, quia

multa

multa vitia, ignaviam, ſuperbiam, aliaque ſecum trahat; attamen negandum non eſt, veteres hanc in eligendo Rege reſpexiſſe. Unde *Porphyr. Iſag. c.* 2. proverbialiter effert: *primum quidem ſpecies digna eſt imperio*. Et *Theoc. Idyl.* 25. *Sicut te hæc præſtans forma decet*. Agamemnonis perſonam forte contuitus *Priamus*. *Iliad.* 3. Oculis adeo formoſum, *inquit*, nondum conſpexi, aut ſic venerabilem regiam dignitatem qui præ ſe fert. Super *Homeri* verſibus his recte obſervat *Athenæus lib.* 13. in more fuiſſe apud antiquos, ut pro formæ dignitate præſtantiſſimos quoſvis in regium culmen ſubveherent. Tandem pulchritudinem habuiſſe præſtantiſſimos Imperatores Scriptores referunt. Nam ſicut peſſima forma in *Juliano Apoſtata*, ut refert *Gregor. Nazianzen. orat.* 4. contra illum; & in *Caligula*, *Othone*, *Galba* & ſimilibus, ut refert *Svetonius*, non obſcure prodidit illos peſſimos fore Imperatores; ita plane dignitas & liberalitas formæ eos optime imperaturos præmonſtravit. Quippe de *Julio Cæſare* pulchritudo affirmatur. De *Auguſto* forma fuiſſe eximia & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima. De Tito Veſpaſiano ſimile prodit *Sveton.* Hinc etiam concludit *Cunæus* noſter in rege Hebræorum eligendo *faciem decoram* requiri, quod tamen requiſitum ſæpiſſime fallit, ut frequentiſſime illi peſſimi, ſuperbiſſimi tyranni fuerint qui eleganti forma præditi. Nihil enim juvat forma externa pulchra, ſi mens interius virtutibus bonis non ſit ornata.

4. *Corpus procerum.*) Procera ſtatura in Principe maxime commendatur, (uti in tract. noſtro de Principe Chriſtiano ex Scriptura fuſe demonſtravimus) & digniſſima Imperio cenſetur, dummodo ad giganteam molem non aſſurgat. Hinc variæ *Nationes*, penes quas olim Principum electio fuit, Principatum plerumque non deferebant, niſi iis, qui procero ac robuſto corpore eminerent. Nam in *Meroe* teſte *Alexandro* ab *Alexandro lib.* IV. *dier. genial.* nemo ſummum gerebat imperium, niſi qui pervalido corpore reliquos anteſtaret. *Æthiopes* narrante *Herodoto lib.* III. *c.* XXVI. quem e popularibus maximum, & pro magnitudine validum judicabant, eum aſſumebant regem. Apud *Medos*, niſi qui corpore cæteris emineret. De *Xerſe Perſarum* Rege mirum quid tradit *Herod. lib.* VII. quod in exercitu ſuo in quo tot millia virorum eſſent, nemo fuerit, qui aut forma aut magnitudine corporis cum Xerſe ipſo poſſet contendere, tanquam dignior, qui illud imperium obtineret. Ita etiam apud Hebræos legimus *Saulem* omnem populum magnitudine ſuperaſſe. Plura qui legere deſiderat evolvat *tract. noſtr. de Principe Chriſtiano* qui mox typis excudi curabitur.

5. *Jura ſcripſit Samuel.*) Scil. regia ſeu jus regium, ſeu tractatum de jure regio ספר משפט המלוכה librum Judicii regni. *Schickardus pag. m.* 165. negat, hunc adhuc ſupereſſe, quod diverſum ſit hoc משפט ſcriptum ab eo, quod alias *Samuel* ore pronunciarat. vid. 1. *Sam.* VIII. 11. Conſentiunt alii, interque eos *Chriſt. Schotan. Tom.* II. *Bibliothec. Sacr. fol.* 569. Hic, inquit, eſt משפט המלוכה jus regni, illic משפט המלך jus regis, quæ diſcriminata ſunt. Verum nihil omnino diſcriminis inter utrumque intercedet, ſi penſitaverit, *Regem* & *Regnum* veluti relata ſe mutuo ponere & tollere. Sive enim *jus Regis*, ſive *jus Regni* dicas, ſemper dixeris *jus Regium*. Quare cum Dn. *Calovio Tom.* I. *Bibl. illuſtr. fol.* 749. nullam videmus cauſam, cur non admittamus, jus regium eodem nomine משפט *cap.* VIII. indigitatum hic deſignari literis conſignatum. Conſentiunt Hebræi, *R. Levi ben Gerſon*: משפט המלוכה *jus regni h. l. notat cum poteſtatem, quam Rex habet in populum ſuum, tum pœnam cuilibet, qui rebellaverit adverſus eum, convenientem. Et hanc ipſam literis conſignavit in libro, quem coram* Domino, *hoc eſt, apud Arcam Domini repoſuit, ut ſemper ibi inveniretur*. R. David Kimchi משפט המלוכה Jus regni illud ipſum ſtatutum & decretum regni eſt, ſuper populum, de quo *cap.* VIII. 11. ſcriptum. De eo dicitur, quod repoſuerit coram Domino h. e. in arcam *R. Sal. Aben Melech.* Jus regni notat ſtatutum regni.

6. *Eaque*) Nempe quæ in jure regni ſeu regis fuerunt comprehenſa & a *Samuele* recenſita 1. *Samuel.* VIII. Non enim erant nudæ conſuetudines vitioſæ, uti quidam volunt, ſed jura inter Regem & populum confirmata. Audito enim jure regio acquieverunt in illo, atque confirmatum fuit hoc jus, uti pluribus oſtendit B. *Oſiander in annot. ad Grot. pag. m.* 535. *edit. Tubing.*

7. *In tabernaculo depoſuit*) Sacer codex legitur coram Domino, quæ verba dupliciter explicari poſſunt. (1) accipiuntur pro omni loco, in quo peculiaris aliquis effectus divinæ præſentiæ relucet, ut ſtare coram Domino. (2) pro Sanctuario Domini, ita ut eſſe, vel facere vel ponere aliquid coram Domino, ſit idem, atque eſſe, vel facere vel ponere aliquid in Sanctuario. Quo pacto *urna mannæ* reponi jubetur *coram Domino Exod.* XVI. 33. vid. *Henric. Ainſworth fol.* 61. Et *Num.* XVII. 7. virgæ omnium tribuum ponuntur coram Domino h. e. in tabernaculo Domini. Igitur, *coram Domino* non accipitur hoc loco priori modo, quia non ſignificaretur certus locus in quo lex illa ſervaretur. Sumitur ergo poſteriori modo i. e. in tabernaculo, ut *Joſeph. Dionyſius*, *Hugo Cardinal. Cajetan. Abulenſis* & alii teſtantur: licet enim tabernaculum non fuit in *Maſphath*, ubi tunc erat Samuel, ſed in urbe Nobe, aut quavis alia civitate, eo *Samuel* duxit legem cuſtodiendam, uti *Abul.* advertit. Et confirmat idem *Abulenſis*: nam, ſi libertatem, quam Romani dederunt *Simoni Machabæo* & filiis ejus, Hebræi deſcripſerunt in tabulis æreis & poſuerunt in titulis in monte Sion. 1. *Machab.* XIV. 26. hoc eſt in templo: & ſi rurſus Hebræi paciſcentes cum *Simone* & ſupremum illi Principatum conferentes, Scripturam iſtam dixerunt ponere in tabulis æreis & ponere eas in peribolo Sanctorum in loco celebri, h. e. in veſtibulo Sanctuarii: Si igitur hujuſmodi leges humanæ non niſi in Sanctuario ſervabantur, illa, quam *Samuel* ab ipſo Deo acceperat, in hoc loco ſervata eſt. Verum hic quæritur an non Samuel legem hanc ſcriptam intra arcam Teſtamenti repoſuerit? Extat enim in textu *coram Domino*. Aſt negative reſpondemus ad hanc objectionem, qua in Arca Teſtamenti aut ſolæ tabulæ legis Moſis ut 2. *Reg.* VIII. 9. exprimitur, aut plurimum præter *illas tabulas urna aurea habens mannam* & *virga Aaronis*, ut *Paul.* ad *Hebr.* IX. 4. ſignificare videtur. Quamvis alii ſint, ſtatuentes *prope* ſeu juxta arcam fuiſſe, uti *Druſius*, *Ribera* aliique. Diſtincte ergo ad hanc objectionem reſpondit vir celeberrimus *Herman. Witſius in Miſcell. Sacr. pag. m.* 445. 446. qui evolvatur. Conf. B. *Friſchmuth diſſ. Philol. de arca fœder.* Interim tamen miramur, quod *Tertullianus* dixerit *lib.* IV. *contra Marc. c.* 13. *lapides duodecim a Joſua de Jordane electos in arca fœderis conditos fuiſſe*, cum nunquam in Scriptura de his legatur, quod hi lapides reconditi fuerint in arca. Sed recurrimus ad noſtram legem ſcriptam *Samuelis*, de qua dicitur, quod in Tabernaculo repoſita coram Domino, ut tutior ſervaretur, nam cum illa lex contineret, quæ a Rege in populum, & a populo in Regem ſervanda erant, ſi eſſet extra tabernaculum, facile quis poſſet pro arbitrio ſuo prævaricari. Hinc nonniſi in ſacerrimo Archivio debuit cuſtodiri. Verum hic iterum aliquis objicere poſſet; ſi Regi hanc ſecum afferre populoque legere licuit, ſequeretur, quod illa non in tabernaculo cuſtodita fuerit, quia illuc extrahere cuivis non licebat. Verum reſpondemus, legem hanc dupliciter deſcriptam fuiſſe, unam in tabernaculo, alteram in theſauro regio reſervatam, uti ſcriptores probati affirmant. vid. *Lyran. ad h. l.*

8 *Flavius Joſephus*) Carpit Author noſter *Flavium Joſephum* quod non recte aſſecutus fuerit hæc quæ de juribus regni ſeu jure regio dicta. Verba *Joſephi lib.* VI. *antiq. Jud.* c. V. hæc ſunt Τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι κακὰ γράψας αὐτοῖς ὁ προφήτης ἀνέγνω τοῦ βασιλέως ἀκροωμένου, καὶ τὸ βιβλίον τίθησιν ἐν τῇ τοῦ θεοῦ σκηνῇ, ταῖς μετέπειτα γενεαῖς μαρτύριον ὧν προείρηκεν. i. e. *Propheta Samuel conſcriptis in libro omnibus, quæ illis ſub regia dominatione erant eventura, recitavit ea populo Rege præſente, & librum in tabernaculum Dei repoſuit, ut eſſet apud poſteros prædictionis ſuæ monumentum*. Jam autem ſi verba *Samuelis* ad populum dicta in mentem revocamus, nil aliud concludere poſſemus, quam ut in libro contenta fuiſſent mala, quæ metuenda populo ab iniquo rege, quæ & facta ſub impiis multis probat *Mendoza Comment. in* 1. *Samuel. cap.* VIII. Hanc Interpretationem affert D. *Gregor.* ad h. l. *Tyrannorum*, inquit, *jus pro*

eo Rege scribitur, qui abjecto Domino postulatur. Crudelis ergo lex regni, ultio est, Dominum abjicientis populi: non enim injustum erat, ut agros, & vineas perderet, qui regnantem super se Dominum sponte perdebat. Cuncta ergo, quæ contra æquitatem in hoc jure regio continentur, æqua esse cernimus, si in petendo Rege, quicquid populus deliquerat, consideramus. Nam, quod magnum onus est, si filios & filias in Regis opere inviti ponerent, quos a Dei libertate inviti tulissent? Et quod inconveniens, si fierent servi hominum, qui abjiciebant super se regnantem Deum? Dum ergo lex regni scribitur, perpetuæ memoriæ pœna traditur, qua audaces puniantur. Hæc sane cum Josephi opinione conveniunt, nam in hoc jure continebantur, quo non tam erant injuriæ a Regibus inferendæ, quam pœnæ ab ipso Deo irrogandæ. Nihilominus idem *Divus Gregorius* in oppositam interpretationem & contrariam sententiam inclinat: *Fortasse*, inquit, *jus illud aliud fuit, quam lex ista, quæ scribitur. Hanc Samuel coram Rege ad populum loquitur, ut Rex sciat, a populo quid exquirat: sciat populus, quid exhibere suis Regibus debeat.* Eodem modo alii Interpretes exponunt, *Interlinearis*, *Lyranus*, *Hugo Cardinal. Dionysius*, *Brixianus* & *Vatablus*, qui rem clarioribus verbis exprimens, istius opinionis manifestum se demonstrat assertorem atque propugnatorem: Non continebat, inquit, lex illa jura Tyrannidis, sed jura regni & æquæ administrationis. Juxta hanc sententiam, non præcipiebat hæc lex vexare populum, sed placide gubernare. Probatur, quia alias non peccarent Reges vexando populum, cum ad id divina lege cogerentur: & tamen constat, illos eas omnes injurias iniquissime exercuisse, ut patet in *Achabo* vineam alienam auferente & passim aliis. Ergo hæc lex non jubebat vexare populum, sed quæ optima factu erant tam Regi, quam populo judicabat.

9 *Eas leges*) Consentit cum nostro *Cunæo Abulensis quæst.* xxv. asserens, fuisse peculiarem aliquam legem denuo institutam, ad regnum in rebus civilibus ac militaribus temperandum: nam, ubi novus regiminis status consurgit, novæ leges dari debent, uti *Richter. in axiomat. polit.* probat quibus utatur, & quibus ordinetur: ergo hæc regia administratio denuo instituta, novam legem requirebat, præter illam, quæ in monte Sinai tradita erat, & quæ ad quemcunque Reipubl. statum pertinebat. LXX. pro lege Regni transferunt *Justificationes Regis*. Quasi una eademque sit lex, qua gubernatur regnum, & qua sanctificatur Rex. Neque enim sanctus esse potest Rex, qui male administrat, neque male potest administrari regnum, qui a sancto administratur.

10 *Regnum Sacerdotale appellatur*) Vult his verbis *Cunæus* Sacerdotium summam potestatem exercuisse in Republ. Hebræorum, quare regnum Sacerdotale appellat, adducitque locum *Exod.* XIX. 6. Vos eritis mihi *regnum Sacerdotale* & *gens sancta*, putatque his verbis stabilire suam opinionem, quod unum idemque subjectum Sacerdotio & Regia majestate inter Judæos functum sit. Verum hic locus tantum probat, Israelitas præ omnibus Deo charos fore. Nam si primam originem Reipubl. Hebræorum aspicimus, nemo negabit, statum Ecclesiasticum a politico distinctum fuisse. His etiam verbis utitur *Petrus* 1. *Epist. cap.* II. *v.* 9. Ecclesiam intelligit, teste *Camerone in h. l.* quomodo Deus populum Israelem appellat מלכות כהנים *Regnum Sacerdotum*. Sed quorsum appellatur Regnum Sacerdotum? quod explicandum venit. *Chaldæus Onkelos* vertit *Reges* & *Sacerdotes*. Itaque Sacerdotium Regale nihil aliud est, quam multitudo Regum & Sacerdotum. Sed quo pacto dicuntur, qui sunt in Ecclesia *Reges* & *Sacerdotes*? Nempe כהנים h. e. Sacerdotes dicuntur respectu Dei, Reges, respectu aliorum. Quod ut plenius intelligatur, notandum est כהן *ministrum* significare, qui Regi proximus est & כהנה præcipua dignitas est. Quia igitur Deus consecraverat populum Hebræum cultui suo, hinc erat, ut Ecclesia Sacerdotium vocetur & fideles Sacerdotes. Et quia omnia subjecit; etiam vitam, etiam mortem pedibus populi sui, & voluit populum suum dominari in hostes suos, hinc fit, ut Ecclesia vocetur Regale Sacerdotium & fideles dicantur *Reges*. Non autem ut *Cunæus* noster vult, uti ex sequentibus patebit. Hinc *Justinus lib. XXXVI. Hist. C. II.* §. 16. errore manifesto scribit: *Post Mosen etiam filius ejus Arvas Sacerdos sacris Ægyptiis, mox Rex creatus*. Duos Moses habuit filios, quorum neuter *Arvas*, sed alter *Gerson*, alter *Eliezer* dictus est *Exod.* II. 21. 22. quorum neuter *Sacerdos* aut *Rex* fuit, sed inter vulgares Levitas numerati sunt 1. *Chron.* XXIV. 14. ne quidem inter Sacerdotes, cum tamen ex familia fuerint *Cahat*, non propterea, quod ex matre *Æthiopissa* nati, sed ob causas nobis incognitas Levitis annumerati sint; quod contra *Nihusium* in *orat. inaugural. de Pontificat. Mosis* propugnat B. *Frischmuth.* Sed mittimus hæc, quia non est instituti nostri, & ad *Cunæum* nostrum nos conferimus, negantes, quod *regnum Sacerdotale* Respubl. Judæorum fuerit. Licet enim ipse Deus in lege honori Sacerdotum prospexerit, quod uberius docet *Spencerus l.* 1. *de legib. Hebr. Ritual. cap. VII. sect. III. pag.* 128. id tamen falsum, quando cum Autore nostro omnem potestatem politicam tribuit Sacerdotio seu summo Sacerdoti, quam ante Reges, Judices in populo Dei ad *Samuelem* usque habuere, ut mirum sit, eundem etiam cum Gentilibus errasse errorem *Thomam Hobbesium lib. de civit. Christ. c.* XL. affirmando a *Mose*, *conditore Reipubl. Israeliticæ longe prudentissimo*, *ad Reges usque*, *summam potestatem fuisse penes summos Sacerdotes*. vid. celeb. *Joh. Franc. Buddeus de Principatu Abimelechi edit. Jen.* 1693. *c. IV.* §. 14. Volunt quidem Romano-Catohlici ut authoritatem & jus defendant Pontificium affirmare, quod *Moses* Pontifex summus fuerit ante *Aaronem*; verum Epistola ad Hebræos non *Mosen*, sed *Aaronem* & *Christum* Sacerdotes summos invicem confert; nec *Moses* in Scriptura S. Sacerdos vocatur, sed Dux populi, qui Magistratum politicum gessit * conf. *Glass. Phil. Sacr. pag. m.* 1491. *Pfeiffer. dub. vexat. cent.* 3. *Loc.* 77. *pag.* 621. *Joh. Frischm. Orat. inaugur. de Pontificat. Mos. Jen.* 1649. *Andr. Sennert. diss. Philol. de* כהנים *Hebræor. ad Psalm.* 99. 6. §. 6. & *plur. Rever. Henric. Muhle in dissert. de Messia sedente ad dextram sub præsidio Clodii. Giss.* 1687. *p.* 41. Neque *Aaron* unquam Rex fuit, aut magistratus politici munere functus est; multo minus post Mosen, qui sex mensibus Aaronis superstes fuit. *Num.* XX. 23. Ex his & aliis constat, errasse *Cunæum* statuentem Rempublicam Judaicam fuisse *Regnum Sacerdotale*.

11 *Sed religionibus*) Quod iterum falsum est. Nam a tempore *Mosis* ad *Hassamonæos* usque, Regnum & Sacerdotium inter Judæos fuisse distincta, docet catalogus summorum Pontificum inter Judæos, quem exhibent *Joseph. lib. XX. Antiq. Judaic. c. ult. Nicephor. Callist. lib.* II. *Hist. Eccl. cap. IV. Carol. Sigon. de Republ. Hebr. lib. V. cap.* II. *Bertram. de Republ. Hebr. c. XV. Frantzius in Schol. Sacrif. dispos. VIII.* §. 80 *seq. Joseph. de Voisin in observat. ad Raym. Mart.*

* Mosen fuisse Sacerdotem una simul cum Aarone non solum Catholici docent Theologi, sed ipsæ literæ Divinitus revelatæ palam testantur. *Psalm. XCVI. 6. Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Ecclesiastici purioris ævi (ut ajunt Protest.) Scriptores hoc idem sentire videntur; Nam *Augustinus* quæst. 23. in Leviticum ambos docet fuisse *Summos Sacerdotes*. *Gregorius Nazianzenus* orat. 6. sub initium ait; *ambos fuisse æque Sacerdotes*. Et *Philo* ipse Hebraicarum Traditionum, ac veteris Ecclesiæ Œconomiæ callentissimus in vita Mosis ad finem: *Hæc est*, inquit, *vita*, *hic exitus Moysis Legislatoris*, *Pontificis*, *& Prophetæ*. Egregie *Nazianz.* nuper citatus. *Moyses* (inquit) *Princeps Principum*, *& Sacerdotum Sacerdos*. Quod vero Catholici Theologi Mosen Aaroni præferant, hoc tam falsum est, ut nihil supra. *Exod. VI. 27. Iste est Aaron & Moyses*, *quibus præcepit Dominus*. *Lyranus* in hæc verba ita differit. *Aaron præponitur*, *quia Deus præviderat*, *& elegerat eum in Summum Sacerdotem*. *Mendoz.* in cap. II. lib. 1. Reg. præfatorum verborum sensum satis apposite expendit, dum inquit; *Moyses etiam fuerit Sacerdos*, *tamen Aaron hanc habuit prærogativam*, *ut in ejus posteris Sacerdotium conservaretur*, *propter quam dignus fuit*, *qui Moysi præferretur*. Nec Romani Pontificis dignitas ac summa in terris potestas ex tam futili, ac plane ficulneo momento demonstratur; adeoque *Nicolai* nimis jejunum & ignarum se prodit doctrinæ Catholicorum de ista potestate.

Mart. Pugion. fidei ad proem. f. m. 15. *seq.* aliique præsertim *Selden. de success. in Pontific. Hebr. edit. Francof. ad Oderam* 1673. *Carol. Sigon. l. c. c. VII. cap.* I. seq. *Leusden Philol. Mixt. diss.* 24. *pag.* 158. *seq.* quanquam interdum judices e tribu Levi fuerint; *Reges* vero (excepto Saule) e tribu Juda, & cum aliquando *Saul* Rex sacrificando Sacerdotis munus sibi vindicasset, gravissimis verbis *Samuel* in illum invectus est. 1. *Samuel.* XIII. 9. & *Usias* Rex cum suffitum incendendo Summi Sacerdotis partes sibi arrogare vellet, non a Sacerdotibus modo acriter reprehensus, sed & lepra a Deo punitus est 2. *Chron.* XXVI. 16. Verius *Diodorus Siculus lib.* 40. *Bibliothec. Hist. pag. m.* 1101. de Sacerdotibus Hebræorum scripsit, quod penes ipsos cultus divini ratio & administratio fuerit, quod in litibus etiam cognoverint, ostendit celeberr. *Vitringa in Synagog. veter. & nov.* cum limitatione. In eo tamen errat *Diodorus Siculus*, dum omnem potestatem politicam summo Hebræorum Sacerdoti, id enim per accidens tantum in persona *Eli* contigit, ut idem judex (non Rex) summusque Sacerdos, adeoque duplici, sacra scil. & civili potestate instructus fuerit. Judicarunt autem *Gentiles* de Regibus Hebræorum ex more gentis tempore *Hassamonæorum*, ultimis fere temporibus, contra voluntatem Dei, quorum *Jonathas* & *Simon* filii *Matathiæ* ex tribu *Levi* e familia Hassamonæorum (de qua denominatione videndus *Hottinger. in Thesaur. Philolog. l. II. c. II. sect. I. pag. m.* 523.) primi Sacerdotium & Principatum conjunxerunt I. *Machab.* IX. 28. *seq. c.* X. 20. 21. *c. XIII.* 7. 36. 42. tandem *Aristobulus* filius *Johannis Hyrcani*, nepos *Simonis*, sumta corona, primus inter Judæos Rex & Sacerdos Summus extitit. *Joseph. l. XIII. Antiquit. Judaic. c. XVIII.* & *lib. I.* de *Bell. Jud. c. II. Egesipp. lib. I. de excid. Hieros. c. II.* inaudito huc usque inter Judæos exemplo. Inter *Gentes* autem *Rex & Sacerdotio* fungi solebat, vid. Joh. Doughtæi Analect. Sacr. excuss. 116. *pag. m.* 198. *edit. Amstel.* Don *Filip. Picinell. de i lumi ristess. edit. Milan.* 1667. *fol. m.* 22. *part.* 1. Doct. *Anton. van Dale dissert. de antiq. diss. II. pag. m.* 200. *seq. edit. Amstel.* 1702. *David* quidem Propheta & Rex, non Sacerdos, *Jeremias* Sacerdos & Propheta, non vero Rex erat; *Melchisedech* quidem Rex Salem & simul Sacerdos altissimi fuit *Gen.* XIV. 18. verum ille non ex posteris Abrahami, sed ipsi *σύγχρονος* erat *Hebr.* VII. 6. Errat itaque *Strabo lib*, XVI. *Geograph. f. m.* 762. affirmans Alexandrum patrem *Hyrcani* & *Aristobuli* primum Sacerdotio regnum junxisse, nam teste *Josepho Aristobulus* hujus Alexandri frater natu maximus extiterat; verius scripsit *Tacitus*, dum non a *Mosis* temporibus, sed posterioribus seculis conjunctionem imperii regii cum Pontificatu arcessit *lib.* V. *Histor. c.* VIII. conf. *Dio Cass. lib.* 37. *Hist. Rom. pag. m.* 37. * Seductus forsitan *Cunæus* noster fuit exinde, quod Sacerdotes cum Principibus & Regibus quandoque confundantur ob ambiguitatem vocis כהן quæ non præcise Sacerdotem, sed ministrum quemvis honoratiorem, sive politicus, is sit sive Ecclesiasticus notat, uti paulo ante ostendimus. Sic *Genes.* XLI. 45. ubi *Potiphar Josephi* socer & *Exod.* II. 16. *c.* III. 1. ubi *Jethro* Mosis socer dicitur כהן quod per Principem æque ac *Sacerdotem* reddi potest, præcipue tamen de ministris Ecclesiæ, qui rebus sacris & cultui divino vacant, usurpatur; conf. *Pfeiffer. Dub. vexat. Cent.* III. *Loc.* 77. *pag.* 621. *Hulsii Theolog. Judaic. l.* 1. *part.* 1. *pag.* 109. celeb. *Braun. l.* II. *de vestit. Sacerd. Hebr. cap.* XXIV. §. 9. *pag. m.* 833. *seq.* Et *Eduard Pocock. Comment. in Joel. edit. Lips.* 1695. ad *cap.* 1. 9. *pag. m.* 41. Exemplum manifestum occurrit 2. *Sam.* VIII. 18. ubi filii *David* dicuntur כהנים *Luther. waren Priester* minus commode, erant enim ex tribu Juda, cui Moses nihil de Sacerdotio promisit. *Hebr.* VII. 14. nemini autem præter illos qui ex tribu Levi nati fas erat, Sacerdotio fungi. Itaque per כהנים primarii seu principes ad manum Regis intelligendi, i. e. regis præcipui ministri aulici. conf. *Eduard Leigh. Critic. S. part.* 1. *Drus. l.* IV. *observ. c.* 11. *Huet. demonstr. Evangel. propos.* IV. *de libr. Daniel.* D. *Henric. Muhle dissert. Philol. Sect.* II. *pag. m.* 42. *edit. Giss.*

[12] *Oraculum consuluisse*) In præcedentibus satis prolixe agit *Cunæus* noster de Regibus, quod & ipsis licuerit induere Ephod & oraculum consulere, cum tamen id muneris ad solos Pontifices pertinuerit, & quidem summum. Nam is solus sacro vestitu ornatus erat, & præter illum nullus, ut si forte aliquis ex vulgo eo uti voluisset, magnum piaculum commisisset. Sane quotquot extant exempla consulti Oraculi per *Urim* & *Thumim*, illa omnia nos docent oracula semper fuisse consulta per summum Pontificem, ut videre est *Num.* XXVII. 21. ubi legimus *Josuam stetisse coram Eleazare Sacerdote*, qui oraculum consuleret. vid. *Henric. Ainsworth. comment. in h. l. fol. m.* 175. & 1. *Samuel.* XXX. 7. ubi ipse David consuluit per *Abjatharem* summum Pontificem. Errant igitur ii, qui contendunt reliquos Sacerdotes, præsertim Reges idem jus habuisse, quod habuit Summus Pontifex. Doctissimus quidem *Spencerus* utrumque probare conatur in suo tract. de *Urim* & *Thummim cap.* VI. *sect.* II. apud totam Pontificum turbam jus fuisse nonnunquam Oraculum consulendi; verum argumenta Spenceri a viris celeberrimis diu refutata sunt. Nobis jam res est cum *Cunæo* nostro, qui affirmat, Reges jus habuisse *Ephod* & *Urim* vestiendi & per ea Summum Numen interrogandi. Et quidem suæ opinioni firmandæ adfert verba quæ extant 1. *Sam.* XXX. 7. אביתר את ויגש דוד אל האפוד quæ vult ita verti: *Et induit Abjathar Ephodo Davidem*. Adeoque *Davidem* per *Urim* Deum consuluisse contendit. Huic argumento alia addidit Doctissimus *Spencerus* loco modo a nobis allegato. Primo *Saulem* scil. Dei *Urim* in persona propria consuluisse 1. *Samuel.* XXVIII. 6. Deinde Reges etiam Ethnicorum, etsi alias per Sacerdotes oraculum adirent, nonnunquam tamen Deos consuluisse, quemadmodum Regem Babylonis consilium a Theraphim de regni dubiis quæsivisse legimus *Ezech.* XXI. 21. vide fuse *Johan. Conrad. Dieter antiquit. bibl. fol. m.* 653. 654. *seqq. edit. Giss.* 1671. Simili privilegio & Regem Israelis gavisum fuisse conjicit. Sed fallitur doctissimus *Cunæus*: Nam si vel maxime verba illa male reddita essent ab Interpretibus, verum tamen sensum eos assecutos fuisse dubitandum non est. Sed ab ipso doctissimo viro pejus esse reddita non veremur dicere. Non enim significant *Abjatharem* Ephodo induisse Davidem; sed tantum Abjatharem ad Davidem attulisse Ephodum cum *Urim*, ut Numen consuleret. Verba illa *Davidis* הגישה נא לי האפוד non significant: *applicat quæso mihi Ephodum; sed affer mihi Ephodum; sive affer pro me, mea causa*. Deinceps quando addit ויגש אביתר את האפוד אל דוד id a doctissimo *Cunæo* male vertitur: *& induit Abjathar Davidi Ephodum*, cum verti debeat: *Et attulit Abjathar Davidi* (i. e. Davidis causa) Ephodum, ut scil. oraculum ipse pro Davide consuleret. Quid opus itaque, ut dicamus, ipsum *Davidem* amicuisse *Ephodum* & oraculum consuluisse? Nunquam verbum נגש vel in hipil הגיש significare *vestire*, quemadmodum *accedere afferre* & *adducere*, legimus.

[13] *Quam stantes*) Sacerdotibus Hebræorum ubicunque locorum in templo, in atrio & in Sanctuario, cum sacra faciebant, super pavimento semper nudis pedibus standum erat, ita quidem, ut, si forte quis inter ministrandum stetisset, etiam super vestem aliquam aut aliud instrumentum, quod forte ibi jacebat, aut super bestiam, ut agnum, aut tale quid, imo vel super pedes socii sui, totum sacrificium prohibitum fuisset. Sic enim docetur *Codic. Sevach. cap.* VII. *Mischn.* 1. Si quis steterit super instrumenta, aut super bestiam, aut super pedes alterius, illegitimum reddiderit sacrificium. *Caph Nachat* hujus traditionis rationem reddit, inquiens: *Quia necesse est, ut nihil reperiatur quod pedes Sacerdotis a pavimento separet*. Debebant igitur Sacerdotes *stare super pavimento*. Vide etiam *Maim. Hilch.* ביאת המקדש *cap.* V. *Halach.* XVII. his verbis disserentem, quæ latine reddita ita sonant: *Quicunque ministerium Sanctuarii præstat, debet in pavimento sta-*

re,

* De Summi Pontificis autoritate, deque legitima ejus potestate satis tractatum est in Tom. I. Thesauri nostri; ubi plura, eaque optimæ frugis inveniet Lector.

re, ſi vero aliquid reperiatur, quod eum a pavimento ſeparet; veluti ſi ſtet ſuper aliquo inſtrumento, aut beſtia, aut ſuper pedes alterius, ſacrificium illegitimum erit. Idem quoque docere videtur *Gregor. Nyſſen. orat. in Cantic.* volens hoc ipſum, inquit, pedi Sacerdotali cultus pulcherrimi loco eſſe, quod ab omni tegumento nudus ac immunis eſſet, quia ſcil. iſtis in ſacro conſiſtendum pavimento.

[14] *Sacratiora atrii loca*) Varia fuiſſe templi atria ex Rabbinis conſtat, & *R. Maimonid. in Hal. Beth Habech. cap.* I. *lib.* XIX. quatuor recenſet, ſcil. atrium gentium, atrium mulierum, atrium Iſraelis & atrium Sacerdotum. Vid. *Joan. Henric. Othon. Lexicon Rabbino-Philolog. pag. m.* 55. *edit. Genev.* quorum unum altero ſemper ſanctius fuit, uti fuſe demonſtravit cl. *Joan. Dieter. Walther. in diſcurſ. Philolog. de adyto, ſancto, ac veſtibulo templi Hieroſol. edit. Regiomont.* 1697. §. 14.

[15] *Neminem ſedentem niſi regem*) Scitum eſt Talmudiſtarum famoſiſſimum nulli licitum eſſe *ſedere in atrio Iſraelis*, ſive in atrio interiori præter Reges prognatos ex familia Davidica, *uti Maimonid. Beth Habech. cap.* VII. confer. *celeber. Braun. de veſtitu Sacerdot. Hebr. lib.* II. *cap.* XXVI. Joan. *Henric. Otho* in Lexic. *Rabbino-Philologico edit. Genev. pag. m.* 58. 59. cl. *Schickardus in* משפט המלך *pag. m.* 235. *edit. Lipſ. & annotat. B. Carpzov. in hoc. loc. Henric. Ainsworth. Comment. in Deut. XXXI.* 10. *fol. m.* 142. *edit. Londin.* Imo *Miſch. Sot. cap. VII.* §. 8. *pag. m.* 678. *ex edit. celeberr. Wagenſeilii* certum ſuggeſtum tribuit, his verbis: *parabant Regi ſuggeſtum ligneum in Atrio, huic inſidebat.* Vid. citat. Author. annotat. *doctiſſimas pag.* 680. Hoc non contenti Rabbini, *thronum* fuiſſe putant, quem magnificis verbis *Jacob Juda Leo* deſcribit, cujus verba recitata reperiuntur apud doctiſſimum & de Republica literaria optime meritum *Campegium Vitringam in Synagoga veteri & nova pag. m.* 30. Hoc autem *Talmudiſtarum* figmentum, quod Rex ſolus poteſtatem habuerit *ſedendi* in atrio ex proſapia *Davidis* originem traxit ex loco 2. *Samuel.* VII. 18. ubi ſic habent verba de *Davide*: ויבא המלך דוד וישב לפני יהוה *& venit Rex David & ſedit coram Jehovah.* Antecedentia hæc ſunt. Deus pollicitus erat Davidi per *Nathanem* Prophetam inſignia beneficia, per quam orationem excitatus Rex ad gratias agendas Deo, *veniſſe*, dicitur, & *ſediſſe* coram Jehova, ſic enim Interpretes transferunt. Hinc illi concludunt, licitum fuiſſe Regi ex *Davidis* familia in *atrio ſedere*, ſic tamen ut hæc ſententia non caruerit oppoſitione. Audiamus R. *Abarbanel.* qui eadem pene verba habet, quæ *Kimchius*. *Abivit vero coram Arca Domini ad laudandum celebrandumque Dominum hujus rei gratia, & pro poſteritate ſua petendum ea, quæ illi ad hoc eſſent neceſſaria. Hoc vero illud eſt, quod dicunt:* וישב *& ſedit coram Jehova, hoc eſt in precibus ſupplicationibuſque. Sapientes vero noſtri beatæ recordationis hinc adſtruxerunt in allegorica Pſalmorum expoſitione, quod nullis licitum ſit ſedere in atrio, niſi Regibus, qui ex Davide orti ſunt. Sunt vero ipſorum ſententiæ diviſæ. R. Huna enim nomine Rabbi Iſmaelis defendit, quod ne ipſis quidem Regibus ex familia David ibi ſedere licitum ſit, quia Angelis, qui ſuperiora incolunt, ſedere non permittitur, ſecundum id, quod dicitur: Seraphin ſtabant deſuper. Conſentiunt loca, & omnis exercitus cœlorum ſtabat apud eum* &c. In his Abarbanelis verbis detegitur ratio, quæ robur dedit huic Magiſtrorum opinioni de prærogativa ſedendi in atrio; dein etiam hoc ex iis proficimus, quod hæc ſententia abſque contradictione recepta non fuerit apud ipſos. Quod vero ad hunc locum attinet, non videmus, quid obſtet, quo minus verba ישב לפני יהוה vertantur. *& reſtitit coram facie Jehovæ.* Belg. *Ende hy bleef voor 't aengeſichte des Heeren.* Certum eſt, verbum ישב aliquando venire in ſignificatu *permanendi*. Et ita probabile non videtur, Davidem has preces fudiſſe ſedentem. Probat ergo multis argumentis *celeberr. Campegi. Vitringa a pag.* 30. *ad* 39. *de Synagoga veteri & nova*, Reges non *ſediſſe*, ſed *ſtetiſſe*. Et ita *Cunæi* ſententia non firmo ſtat talo.

[16] *Unctione initiati*) Quidam ſunt, qui inter inaugurationis Regalis ceremonias ponunt collocationem in throno, ſeu ſolio, quam colligunt ex 1. *Reg.* I. 48. Nec vero inter præcipuas & primas inaugurationis ceremonias *Unctionem* ut antiquiſſimam & ita ordine primam ponimus. *R. Moſ. Maimon. Halacha Melach. cap. I.* §. 8. inquit: *Cum Reges inaugurant, ungunt eos oleo unguenti, ſicut dicitur* (1. Sam. X. 1.) *accepit Samuel vaſculum olei, effuditque ſuper caput ejus & oſculatus eſt.* Rex itaque ungitur oleo, ut ejus imperium de cœlo confirmatum eſſe doceatur: Hinc addit Samuel hæc verba dicens. *Ecce unxit te Dominus in Principem.* Hæc unctio propria Regibus Judæorum fuit, quam & ante *Reges* hos *Gentiles* in uſu habebant; deinde etiam hic ritus ad alios populos manavit, uti & hodienum moris adhuc eſt. *Unctione* ergo in Iſrael, & *Juda* Reges deſignabantur, inaugurabantur & initiabantur, uti apparet in *Saule*, *Davide*, *Salomone*, *Jehu* aliiſque. Quod *Unctio* longe ante hæc tempora ſcil. Saulis in uſu fuerit, teſtatur *Apologus*, quo ad *Sichemitas Judic. IX.* uſus eſt *Joatham*, ubi ℣. 8. dicitur: *Iverunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem*, & ℣. 15. *Si vero vos me ungitis.* Apologi autem & allegoricæ locutiones ex eo plerumque ſumuntur, quod magis uſitatum & notum eſt. Vid. *Serar. Comment. in h. l. quæſt. X. pag.* 254. Idem inquit *Comment. in* 1. *lib. Reg. p.* 41. *Alluſio fieri videtur ad unctionem, quæ illis temporibus uſitata jam erat, non tamen apud Judæos, cum Regem nunquam habuiſſent, ſed apud alias gentes.* De prima unctione legimus a Samuele peracta 1. *Samuel.* X. quam adhibuit in unctione Regum *Hebræorum*; Unde *Tertullian. lib. III. contra Marc.* carminibus ſcripto *cap. V.*

> *Mirificus Samuel, cui Reges ungere primum*
> *Præceptum, dare Chriſma, viros oſtendere Chriſtos*
> *Talibus in vitæ ſpatio laudabilis egit*
> *Ut quoque poſt requiem prophetica jura teneret.*

Hinc adhuc hodie Reges noſtri temporis unctione initiantur, de quo ritu videndi ſunt *Seldenus de titulis bonorum*, qui fuſe de hac re egit celeber. *Becman. de notit. dignitat. Petr. Gregor. Tholoſan. in prælud. optimi Juriſconſulti lib. I. cap. XI. pag. m.* 47. 48. *ſeqq. edit. Lugd.* 1583. *Lorin. Comment. in Levit. cap. VIII. fol. m.* 217. aliique.

[17] *Illis Pontificibuſque maximis*) Aſſerit *Cunæus* noſter unctionem tantum Regibus & Pontificibus maximis propriam eſſe, ſequiturque illorum opiniones, qui unctionem *Prophetis* denegant, & hi ſunt *Nicolaus de Lyra*, *Carthuſianus*, *Barradius* aliique, qui probabilibus rationibus oſtendunt, quod *Prophetæ* non oleo materiali uncti fuerint. Has ergo Anglus doctiſſimus & Epiſcopus *Gr. Williams* in opere anglice ſcripto vocato *the beſt religion. edit. Londin.* 1636. *fol. m.* 550. adducit ſequentibus verbis: *Becauſe* (1) *we read but of one, even* Elizæus, *that was ever bid to be annointed.* (2) *Becauſe we do not read, that* Elias *did annoint* Elizæus, *but enly threw his cloke over him, which throwing of his mantle*, Carthuſianus & Lyra *do call his annointing; and therefore they do expound the word*, unges Elizæum, *to ſignifie nothing els, but* eliges Elizæum & creabis eum Prophetam. (3) *Becauſe a little before, the phraſe of annointing was twice uſed, for the annointing of the two Kings* Hazael *and* Jehu, *and therefore the ſame phraſe was ſtill uſed to annoint* Elizæus *for the appointing of him to be a Prophet.* (4) *Becauſe God himſelfe ſeemeth to put a difference betwixt* Chriſtos *and* Prophetas, *the annointed and the Prophets, when he ſaith*, touch not mine annointed and do my Prophets no harme; *as if* Prophets *were not included in the word* Chriſtos, *mine annointed, but rather were of another Kind; and becauſe extraordinary, therefore not to be ordained with this ordinary rite, which belonged properly to the office of* Kings *and* Prieſts, *which though they were moſt excellent, yet were they* ſucceſſive *and* ordinairie. (5) *Becauſe* S. Auguſtine *ſaith, that* duæ perſonæ illo tempore ungebantur Kings and Prieſts & in duabus perſonis præfigurabatur futurus unus Rex & Sacerdos, utroque munere unus Chriſtus, & ideo Chriſtus a Chriſmate *i. e.* unctione: *and ſo both* Ruffinus *and* Cyprian *were of the ſame mind. And to theſe we may add, that* Petrus Cunæus, *ſpeaking of this annointing, ſaith*, hoc regibus Pontificibuſque maximis proprium fuiſſe Talmudici tradunt. Denique con-

cludit : *And surely , as they do not absolutely deny but the Prophets might be annointed , so do not i absolutely deny but these reasons may be true , to prove that the Prophets were not annointed* . Hæ sunt rationes , quas adducunt Scriptores , qui unctionem Prophetis negant . Interim tamen videtur hic Anglicus Scriptor his dictis non calculum album adjicere , cum paulo post in hæc prorumpat verba : *yet i am inclined with S. Clemens , Eusebius and others , to thinke , that these three sorts of men were annointed with material oyle*, i. e. attamen opinio mea est S. Clementi & Eusebio assensum præbere & affirmare , quod tria genera hominum oleo materiali uncta fuerint , scil. *Sacerdotes* . *Exod.* XXXIX. 7. (2) *Reges* , *ut Saul & David* . I. *Sam.* X. I. (3) *Prophetæ* . I. *Reg.* XIX. 16. quia hæ tres personæ exterius unctæ referebant unctionem Christi internam ad *Sacerdotem* , *Regem* & *Prophetam* . Hanc sententiam acriter defendit *Maestro Fray Facundo de Torres Abad del Monasterio de San Benito & Real de Sahagun in Philosophia Moral de Ecclesiasticos edit. Barcelonens.* 1621. *fol. m.* 42. 43. cujus verba Hispanica huc adscribere non pigebit . *Uncion tan perfeta que todas las de los Reyes , Sacerdotes y Prophetas antiguos fueron sombra y figura della . Ungir a alguno no es otra cosa que consagrarle y santificarle para & servicio de Dios : assi se collige* de Eusebio lib. IV. de præpar. Evangel. *y otros . Tres generos de personas acostumbraron a ungir los antiguos : ungieron los Sacerdotes , ungieron tambien los Reyes : Samuel ungio a Saul , y fueron ungidos David y Salomon : y veese propria mente esta ceremonia en el libro de los Iuezes , donde se dize : Ivisse ligna , ut ungerent super se Regem , que aun en elecion tan metaphorica se aprovecho del nombre de unction . Ultima mente fueron tambien ungidos los Prophetas , como consta claramante del lib.* III. *de los Reyes . Estas unciones assi materiales y exteriores eran unas sagradas ceremonias , con que se consagrava alguno , o por Sacerdote de Dios , o por Rey de su pueblo , o por Propheta y prædicador suyo , y todas ellas fueron figura de la santitad , de consegracion interior y espiritual , que se havia de allar en Christo , assi en el ser Sacerdote , como en ser Rey , Propheta y predicador* . Ex quibus & aliis satis constat , unctionem non solis Regibus & Pontificibus sed etiam Prophetis communem & propriam fuisse ; Respiciebat enim Christum , cui hæc tria officia , Sacerdotale , Regium & Propheticum conveniebant , uti ex Theologorum Scriptis & Scriptura Sacra patet ; quare necessum fuisset , ut etiam *Cunæus* noster Prophetas addidisset , quos plane omisit .

[18] משוח מלחמה) Hic erat Sacerdos castrensis , Feld-Prediger quem משוח מלחמה unctum belli vocabant . De hoc agit Cl. *Schickardus cap.* I. *Theor.* IV. *pag. m.* 77. edit. Lips. in suo משפט המלך his verbis : Et quoniam huic oleo virtutem sanctificandi tribuit Scriptura , ideo etiam extraordinarie illos ungebant , quos Respubl. in subitaneo periculo Duces belli requirebat , ut hoc signaculo ad fortitudinem animarentur , unde *Maimonidi Kel.* I. II. משוחי מלחמה uncti castrenses appellantur . *Et cap.* V. *Theor.* XVIII. *pag. m.* 369. 370. ex *Maimon. Hal. Melach. init. c.* VII. hæc recenset : *Ordinant Sacerdotem , qui loquatur ad populum tempore belli eumque ungunt oleo sacro & hunc appellant* משוח *Mesuach unctum* . Hujus mentio fit *cap.* VIII. *Mischn. Sotæ pag. m.* 839. ex edit. *celeberrimi Wagenseilii* ab initio : משוח מלחמה *Sacerdos ad bellum unctus* . Ad quæ verba notat ex *Codice MS. Ez. Hechaim , Hilchot. Melach. Umilchamotav. c.* II. *& in Smag* quoque *fol.* 192. *col.* IV. *Imperatum nobis est , constituere Sacerdotem aliquem , qui in bellum ituros alloquatur* ומושחין אותו בשמן המשחה ונקרא משוח מלחמה *atque hic oleo sacro-sancto inungitur , vocaturque Unctus bello* . Erat hujus usus , tam in bello arbitrario , quam jusso a Deo uti ex *Maimonid. Hilchot. c.* VII. §. I. recenset Anglus *Henric. Ainsworth. Comment. in Deut. cap.* XX. *fol. m.* 80. *edit. Londin.* Hic tantum minor , quoad dignitatem , erat summo Sacerdote , ut affirmat autor libri *Schilte Haggiborim fol.* 35. *col.* 4. *Iste vero Unctus scil. belli vel bello anteibat Vicarium Summi Pontificis , ob unctionis reverentiam , nam Vicarii nulla ad id munus sacro oleo inauguratio* . Hoc tamen discrimen observabatur inter summum Pontificem & Unctum bello , ut prioris filii succederent parenti , posterioris autem non succedebant in locum teste *Maimonid. in Cele Hammikdasch cap.* IV. *sect.* 21. sed instar gregariorum Sacerdotum erant . Ille ipse etiam , quando ministrabat in Sanctuario , quatuor tantum vestibus indutus , ut alii , ministrabat . conf. *Henric. Ainsworth. c. l.* sed cum *in lib.* II. *cap.* XX. hujus quoque mentio fit , cætera ad illum locum reservabimus .

[19] *Celsitudinem divinam*) Cur Reges uncti fuerint author noster hanc reddit rationem , quia unctio illa celsitudinem & majestatem addidit , ut proinde sacram quodammodo dignitatem obtinerent , ut D. *Augustin.* & *Isidor. lib.* II. *de offic.* testantur . Convenit cum his fere R. *Isaac Abarbanel. Comment. in* I. *Reg.* I. qui duplicem usum unctioni tribuit . *Unctus erat* , inquit , *ut esset signum divinæ electionis . Propterea enim , ut res aliqua , aut persona , quam eligeret Deus , distingueretur ab aliis rebus , & a fratribus suis , conveniens erat , ut fieret in ea quædam actio , qua distingueretur , & ea ipsa documento erat , electam esse . Atque idcirco ungebatur , ut illa unctio esset signum & indicium distinctionis ad exaltandum eam . Sic ergo & Regem , cujus electio juxta os Dei erat , decebat ungi , ut sciremus esse eum electum : ideo inquam ungebatur . Alter finis erat , ut disponeretur illud unctum ad accipiendum influxum divinum , & per hanc ipsam unctionem propius ei adesset providentia cœlestis . Annon enim vides , quod , ut in Mischna dicunt , super Pontifice maximo interrogante per Urim & Thummim , præsentia divina requieverit , locutusque ille sit per Spiritum Sanctum ? Id quod similiter in Regibus quoque videmus . Nam super Saulem , ut primum unctus esset , irruit Spiritus Dei & prophetavit & conversus est in virum alium , idque unctionis causa . Sic & de Davide dicitur* (I. Sam. XVI. 13.) *& unxit eum in medio fratrum ejus , & irruit Spiritus Domini in Davidem ab illo die & deinceps* .

[20] *Vis sacri unguenti*) Hic author noster expressis verbis statuit , & Reges oleo sacro unctos fuisse , id quod *Becanus Tom.* III. *opuscul.* VII. *cap.* VII. *quæst.* IV. sex argumentis impugnare conatur , asserens , *Pontifices* solum unctos esse oleo sacro & aromatico ; Reges vero oleo simplici ac communi ; Ast quid Jesuita intendat , facile subolere licet , scil. ut Pontifices Regibus præferat . *Serarius* & oleo sacro & vulgari Reges ungi potuisse ait . Verum Clar. *Schickard.* in suo משפט המלך *pag. m.* 78. *edit. Lips.* asserit ex Rabbinorum assertis scil. *Maimonide* , *Reges familiæ David oleo sancto , reges autem Israelis unguento balsamo unctos fuisse* ; cui adstipulantur *Schindlerus in Lexic.* in radic. פכה & פך qui existimat , *Saulem* balsamo tantum fuisse unctum . Conf. *Joh. Henric. Otho in Lexic. Rabbino-Philolog. pag.* 670. *edit. Genev. Genebrar. in Psalm.* LXXXVIII. ex doctrina Cabalistarum tradit quoque duplex fuisse oleum : unum a Samuele confectum & consecratum , quo unxerit Regem *Saulem* ; alterum a Mose , quo Sacerdotes tantum ungerentur . Addit vero , dispensatum fuisse a Deo , ut *David* & cæteri Reges de familia David , illo oleo per Mosen consecrato ungerentur , in gratiam Christi de illa stirpe nasciturí . Sunt qui dicunt , quod Reges oleo sacro non fuerint uncti ex hoc fundamento , quia Rex & Sacerdos diversas jurisdictiones haberent , & unius esset sacra , alterius profana . A diversitate jurisdictionis ita inferunt , quod illi , quorum jurisdictio sit sacra , oleo sacro , quorum autem jurisdictio profana , oleo profano sint ungendi . Verum quod attinet Clar. Schickardi ex Rabbinis deducta opinio , eo minus placet , quod firmum in sacris literis non habeat fundamentum , & putamus sine discrimine Reges oleo sacro unctos fuisse ; omnes enim ungebantur , non solum fideles , ut *David* , sed etiam infideles *Jehu* , uti *Lyra* , *Abulens. & Genebrar.* testantur . Et ratio esse potest duplex . *Una* , quia , licet Reges improbissimi essent , tamen ad aliqua Dei obsequia creabantur , quæ ab illis sine unctione sacra exerceri non congruebat . Altera , quia , licet persona Regis profana esset , tamen dignitas erat sacra : unde etiam Reges propter improbos mores contemnendi , tamen propter sacram dignitatem venerandi erant . Ad alterum putamus dispensationem supervacaneam esse , nam si credimus *Isidor. lib.* II. *de Eccles. offic.* omnes Reges oleo

ſancto ac de tabernaculo ungebatur; unde *Abulenſ. & Lyra* in *Exod.* & alii tradunt, eodem oleo Reges & Pontifices inaugurari ſolitos, ut utrique ad parem ſanctitatem eniterentur. Vid. *Mendoz. Comment. in* I. *Samuel Tom.* III. *fol. m.* 62. Stat ergo firmo talo, omnes ſacro oleo unctos fuiſſe. Unde *Tertullian.* lib. contra Judæos *cap.* XIII. cum de ſacro oleo loqueretur, chriſma legale appellat, haud dubie a Regibus ungendis. Et paulo poſt aſſerit, in templo fuiſſe cornu olei, de quo Reges ungebantur; in templo autem non niſi ſacrum oleum ſervabatur. At vero D. *Auguſtin. lib.* II. contra literas *Petiliani Donatiſtæ cap.* XLVII. & XLVIII. *in* VII. *Tom.* late probat, *Saulem* habuiſſe unctionis ſanctitatem: & clarius *Sulpit. Sever. lib.* I. *Hiſtor. Sacr.* Saul, *inquit*, ſacerdotali prius a Samuele unguento perfuſus, conſtitutus eſt Rex. Ergo & hic ſacro oleo unctus fuit. Accedit *D. Cyprian. lib. de oper. cardinal.* Chriſti titulo, de *unctione chriſmatis*, ubi *de ſacro oleo* locutus; *Hoc oleo*, inquit, antiquitus Sacerdotes ſacrabantur & Reges. Confer. *Johan. Lorini Comment. in lib. Pſalm. Tom.* II. *fol. m.* 844. *in Pſalm.* LXXXVIII. verſ. 21. qui eandem fovet opinionem.

[21] *Ex illis aromatum generibus*) De oleo unctionis integrum tractatum ex Hebræorum antiquitate cum biblica, tum Talmudica edidit *D. Balthaſar Scheid. Profeſſ. quondam Argentorat. Anno* 1665. qui vice commentarii eſſe poteſt in hac materia. Similiter de oleo Unctionis diſputationem *Jenæ* habuit Cl. *Waymar*, qui omnes partes bene enucleavit. Confer *Joh. Henric. Urſin. lib.* III. *hort. aromat. c.* V. *pag.* 212. *ſeqq.* Merentur etiam ut evolvantur eruditiſſimæ annotat. B. *D. Carpzovii ad Schickardi* משפט המלך *cap.* I. *Theor.* IV. *pag. m.* 64. 65. qui ex profeſſo de his aromatum ſpeciebus egit. Vid. *diſſert. Cl. Ern. Chriſtian. Boldich. de Pontifice Maximo Hebr. cap.* III. *edit. Jenenſ. Henricus Ainsworth. Comment. in Exod. cap.* XXX. verſ. 23. *ſeq. fol. m.* 129. *edit. Londin.*

[22] *Ad tempora* Joſiæ) Plurimi Doctorum figmenta & traditiones Hebræorum ſequentes ſtatuunt, unguentum ſeu oleum ſacrum *Joſiam* abſcondiſſe, vid. Cl. *Schickardi* משפט המלך *pag. m.* 69. 70. Ita Cl. *Ern. Chriſtian. Boldich.* in *diſſert. de Pontific. Maxim. Jenæ habita*, *cap.* III. §. 2. differit: Oleum enim ſacrum abſconditum eſt juxta ipſos (Rabbinos) a *Joſia* in templo ſub humum in loco abdito ſecretoque, quem diu ante ſumma cura Rex Salomo paraverat, ex vatum reſponſis de excidio templi certior factus. Sed quis vidit, quod *Joſias* abſconderit, cum & ipſi Rabbini diſcordes ſint, quis abſconderit? Quidam Jeremiam; quidam Joſiam ſtatuunt, & quis unquam aliquid certi in re dubia ſtatuet? Falſum & figmentum tantum Rabbinorum eſt, uti fuſe demonſtravit *Carpzov.* in diſſert. ſub præſidio *Sebaſtian. Schmidii*, *Quonam arca fœderis pervenerit? edit. Jenenſ.* 1676.

[23] *Rex Salomo paraverat*) Fingunt iterum Rabbini ſibi ſpeluncam quam Salomo Rex feciſſe dicitur, eum in finem, ut arca cum ſuis rebus abſconderetur. Audiamus R. *Abarbanel* fuſe differentem: *Sapientes noſtri*, inquit, *b. m. tradiderunt, Salomonem Regem, cum ædificaret templum, feciſſe ſtructuram ſub pavimento, ut illic abſconderetur arca, (quod ipſi conſtaret & perſpectum eſſet, domum illam aliquando vaſtatum iri) idque in locis occultiſſimis & profundiſſimis, lapideque ſuper impoſito texiſſe. Joſiam autem illic repoſuiſſe eam, una cum omnibus, quæ in ea erant.* Hæc *Abarbanel*, cui oppido contradicimus, quod de ſpelunca abdita minus convenienter ſtatuat. Fundamento plane lubrico innituntur: ſiquidem ad eam rem ſolum *Joſiæ* ad Levitas mandatum producunt Rabbini 2. *Chron.* XXXV. 3. *Ponite arcam ſanctitatis in domo, quam ædificavit Salomo.* Hinc Logica ſua Judaica deducunt, *Joſiam* Levitis dediſſe in mandatis, ut arcam & oleum unctionis ad ſpecus profundas detruderent. At longe alius verborum ſenſus eſt. Jubet enim Arcam quæ ab impiis Regibus atque Idololatris e loco fixo in alium fortaſſis Templi locum mota fuerat, reſtituendam in domum, quam ipſi *Salomo* confecerat, nempe locum ſuum, uti prolixe B. *Carpzovius* cit. diſſert. differit. Nec illud huc quadrat, quod habetur I. *Reg.* VI. 19. quo tamen firmiſſime nititur Rabbi: *Et adytum in medio domus intrinſecus paravit*, ad, ponendum illuc Arcam fœderis, q. d. intrinſecus, in ipſo nempe Adyto, quod in medio domus erat, & in quod ſemel ingrediebatur Summus Pontifex, decenter omnia diſpoſuit, ne quid deſit, quando arca in illud inferenda eſſet.

[24] *Poſuiſſe Joſiam*) Aſſerit ex Talmudiſtarum traditionibus, quod omnia quæ in Arca fuerint a *Joſia* abſcondita fuerint nec quicquam de his in templo ſecundo reliquum fuiſſe. Verum hic ſe opponit R. *Aſarias Edomæus* in libro מאור עינים *par.* III. *cap.* LI. aſſerens, Arcam primis annis adhuc in Templo ſecundo fuiſſe. Anſam ipſi dederat dictum Prophetæ *Hag. cap.* II. 10. *Major erit gloria domus hujus poſterioris*. Poſt varia hanc ſibi quæſtionem movet & objectionem de V. rebus, quæ dicuntur defuiſſe in templo ſecundo, quas l. h. recenſet *Cunæus*, veſtigia Hebræorum premens, quem ſequuntur plures alii Doctores tam Hebræi, quam alii, ob omiſſam literam ה in vocabulo ואכבד, quod alias legitur cum ה paragogico ואכבדה. Hinc concludunt quinque in Templo ſecundo defuiſſe. vid. *Maſſech* Joma. *Gemar. c.* I. En *Iſrael part.* I. *fol.* 158. *col.* 4. *Abarbanel Comment. ad Hagg. fol.* 277. *col.* 4. *Joſeph. Ben Gorion. fol.* 278. *col.* I. & tæderet Lectorem ſi ſingula Rabbinorum verba recenſeremus, quibus idem affirmant. Sufficiat allegaſſe R. *Bechai in Biur bathora ad Gen. Paraſch.* ויגש *& ad Deut.* X. *Paraſch* עקב. R. *Salomon Jarchi Peruſch. ad c.* I. *Hag. Tom.* 2. *Bibl. Baſil. fol.* 681. R. *D. Kimch.* ad eund. loc. R. *Lippman. lib. Nizzachon. n.* 260. *pag.* 141. *edit. Cl. Hackſpan.* 1644. Item e Chriſtianis, qui hos partim allegant, partim ſequuntur *Petrus Galatin. lib.* IV. *de arcan. Cathol. veritat. c.* IX. & XVII. *Raymund. quem Pariſiis edidit* Joſeph. *de Voiſin. par.* 2. *pugion. fidei c.* IX. *fol.* 305. 306. *Gilbert. Genebrard. Auguſt. Torniell. Tom.* 2. *Annal. Sacr. A. M.* 354. *nu.* 4. *fol.* 336. *Paul. Fag. adverſ. Onkel. Chald. ad cap.* XXVIII. *Exod. Wilhelm. Schickard. in* משפט המלך *ap.* I. *Theor.* 2. *pag.* 28. & qui alii ſunt, qui omnes ſtatuunt quinque in templo ſecundo defuiſſe. Reſpondet vero *Aſarias Edomæus* citatus, fuiſſe utique in templo ſecundo res iſtas, ſi non omnes ſaltem aliquas, non quidem, quamdiu iſtud duravit, ſed ad tempus, cui calculum addit *Bernhard. Angl.* hoc ut perſuadeat Lectoribus, adducit primo ea, quæ de igne ſacro apud Scriptores habentur, deinde de igne & Arca: tertio de Urim & Thummim, quod ad tempus habuerint &c. Verum ad hæc omnia erudite & clare reſpondit vir *celeberrimus & de re literaria bene meritus D. Joh. Braunius in exquiſito ſuo opere de veſtitu Sacerdot. Hebr. lib.* II. *cap.* XXVI. *pag. m.* 691. *ſeqq. edit. alter.* 1698. quare actum agere nolumus. Confer B. Carpzov. in diſſert. ſæpe citata *cap.* II. qui aſſerit omnia hæc igne conſumta & combuſta fuiſſe in deſtructione templi primi.

[25] *Tam præſens adfuit Numen*) Nam in templo ſecundo defecit Oraculum, uti ipſi Rabbini confitentur. Vid. *Schickard. jus regium cap.* I. *Theor.* II. *pag. m.* 27. 28. *edit. Lipſ. Buxtorſ. tract. de Urim & Thummim*, *pag.* 321. *ſeq. celeb. Braun. lib.* II. *de veſtit. Sacerdotum Hebr. pag. m.* 692. 693. *edit. nov.* qui ad hæc & ſequentia de igne verba accurate reſpondit. Et licet in templo ſecundo, quo ornatus integer eſſet Summi Sacerdotis Urim & Thummim confeciſſent, (quippe tunc temporis veſtibus tantum initiabatur Pontifex) attamen ἀνάλογον tantum erat nec uſum habebat, quia uſus reſpondendi conſulentibus e novo hoc pectorali ceſſabat, teſte R. Moſ. *Maim. Hilk. kele hammikdaſch. cap.* X. §. 10. Confer. Excell. *Wagenſeil. not. ad Sot. pag. m.* 1070. & *B. Carpzov. annot. ad Schickard.* משפט המלך *pag. m.* 28. *edit. Lipſ.*

[26] *Haud delibutos*) Cum *Cunæo* noſtro facit quoque Cl. *Schikard. pag. m.* 78. libr. ſæpe citati, his verbis de Samaritanis Regibus narrant, fuiſſe illos tantum balſamo inunctos, quod regnum illorum non ſit proprium, nec perpetuum.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quibus artibus Hieroboamus ad regnum obrepserit. Rerumpublicarum inclinatio, conversioque. Scipionis prudentia verecundiaque in lustro condendo. Carmen lustrale pro republica. Ingenium plebis quale. Cur urbem Sichemum tenuerit Hieroboamus. Religionum sacrorumque mutatio quoddam flagitiosæ dominationis arcanum. Ex decem tribuum secessione quot mala extiterint. De Sesostri falsa Herodoti narratio. Regni Samaritici eversio. Transportatio gentium cur a victoribus facta. Judæorum exilium. Ex Jerosolymæ spoliis templum Beli, & Babylonis munitio, tum pensilia nemora, murique coctiles. Græcorum futilitas, ex Beroso. Reditus Judæorum in Palæstinam. Imperium ad Levitas devolutum. Contentiones eorum de imperio.

GENTIS Hebrææ unitas, & pulcherrimi imperii contextus in duas partes dissiluit, Hieroboami, hominis gnavissimi [1] acerrimique, artibus, qui, quod apud Aristotelem Thessalus ille ait, esurire sibi visus fuit, ni imperitaret. Is, cum in bello tribui Josephi præesset, atque a vate adductus in spem regni esset, ratus, id quod res est, principatum fato dari, animum vastum cupidumque ad obtinendam dominationem [2] flexit. Jam primum fidem militum sollicitavit [3], eorumque studia, a Salomone avertere ad se conatus est. Sed cum palam esse id consilium intellexerat, supplicium ut vitaret, in Ægypto delituit [4]. Mox defuncto Salomone [5], in patriam reversus, opportunos magnis conatibus reperit transitus rerum. Ibi tributorum onera [6], exactionumque iniquitatem obtentui sumsit ad commovendam plebem, omniaque late turbavit, & maximarum calamitatum, quæ Palæstinam mox invasere, autor fuit. Enimvero est hoc ita natura comparatum, nullius ut magnæ civitatis diu eodem loco stet fortuna [7]. Pervenerat tunc ad summum felicitatis Hebræa respublica. Tutæ, tranquillæque res omnes, adfluentia opum incredibilis, reges principesque in vicino, atque etiam procul, amici erant. Neque jam ultra fuit, quo exurgeret ejus magnitudo. Quare incrementis consumtis, restabat uti fati lege decresceret [8], iretque in pejus. Id quod profecto longe est in conditione rerum humanarum miserrimum. Scipio Africanus, cum censor esset, & lustrum conderet [9], atque in sacrificio solenne carmen ei scriba præiret, quo dii immortales rogabantur, ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, satis esse eas bonas ac magnas dixit. Itaque precatus est, uti eas perpetuo incolumes servarent: ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum emendari carmen jussit. Utique videbat vir cordatissimus, neutiquam fieri, ut muneribus suis semper faveat cœlestis benignitas, aut propria ea cujusquam populi faciat. Quare conversiones vicissitudinesque formidavit, atque omnino eas causas animo suo peregit, quæ ex ipsis rebuspublicis enatæ, nullo extrinsecus impellente, turbant eas plerumque, vitiantque. Sane quidem Jerosolyma, florentissima urbium, cui David Salomoque, summa virtute atque prudentia duo reges, pacem altam & securam confecerant, haud diu quiescere potuit. Etenim, defuncto Salomone, etsi hostem foris non habebat, domi tamen reperit. Exortus est is, quem dixi, Hieroboamus, inquietissimus mortalis, qui tentatum semel infeliciter facinus, mox meliore successu perfecit. Concione enim convocata, statum publicum, temporumque conditionem, & principis acta incusavit [10] apud plebem, cui inesse semper malignum quiddam & querulum in imperantes sciret. Ipse interim libertatem, & alia id genus speciosa nomina prætexuit [11], cum nihil, nisi alienum servitium, & dominationem sibi, concupisceret. Ibi magna populi pars, quod fieri solet, violentis his vocibus inflammata, deteriori accessit [12]; seditionesque & motus civiles exstitere, quibus interire ferme aut mutari vetustissima regna [13], atque maximæ respublicæ solent. Dehinc dux turbulentissimus illas ipsas decem tribus, quas ad rebellionem sollicitaverat, procul a Jerosolymitanorum finibus detinuit, atque urbem Sichemum [14], imperii tutam sedem, sibi elegit, unde in omnia regimen foret. Cæterum, quo firmius cœptis insisteret, patria instituta multa immutavit [15], & diversum quendam Numinis cultum [16], atque alia sacra commentus est. Vitulorum enim adoratione [17] sancita, veterem superstitionem novo paxillo suspendit, populumque quem causæ bonitate retinere in officio nequivisset, religione [18], quæ rerumpublicarum quoddam coagulum est, devinxit sibi. Quare ex illa tempestate profecto, decem Israeliticæ tribus [19], dulcedine sacrorum & nectare ebriæ, fidem societatemque cum Jerosolymitanis colere, & res cum illis communes habere, quasi Numinis imperio, recusabant: & jam, ut quælibet alia causa hostilis odii abesset, summa tamen ratio videbatur, quæ pro religio-

ne faceret. Ita demum regnum constitutum est, quod Israeliticum dicebatur: a quo diversum deinceps fuit Judæorum regnum, cujus arx & caput Jerosolyma erat. Atque hæc igitur res omnium malorum causa Hebræis fuit. Defessi enim, exanguesque [20], nationibus exteris præda facti sunt, quos antea non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ movere aut contundere quibant. Statim Susacus [21] Ægyptius sacram urbem, templumque expilavit, &, ne contumelia deesset, columnas passim disposuit, in queis, fœdum dictu, incisa mulierum verenda [22] erant. Nam quod Herodotus factum id a Sesostri esse prodidit, error nominis est, uti recte Flavius judicavit. Et erant hæc quidem aspera profecto. Sed quæ postea uterque populus, Judæus Israeliticusque, multo tempore interjecto, perpessus est, graviora fuerunt. Ac primo quidem destructum penitus, eversumque decem tribuum imperium a Salmanassare [23] Assyrio est, traductaque in Mediam Persiamque [24] tota illa gens vacuas sedes Chytæis reliquis [25], hominibus profanis, quos mox deinde Esar-Caddon in Palæstinam ex Persia misit. Israelitarum ut terram incolerent; quemadmodum mos regibus ferme est, gentes pro libidine huc illuc transferre, pecudum in morem, quas pastores nunc in hibernos, nunc in æstivos saltus trajiciunt: Ita enim ingenia populorum emolliuntur, mutanturque; &, qui in suo solo quidlibet audent, placidi quietique in alieno sunt. Nunquam deinde Israelitis in patriam remeare, aut deletam perditamque instaurare rempublicam contigit. Usque adeo enim sese nefario impietatis crimine obstrinxerant, uti placare Numinis iram longa dies, revolutusque seculorum ordo nequiverit. Postquam Israelitæ in exilium abducti erant, restabat uti Judæi quoque meritam pœnam luerent. Id quod profecto factum est, sed sero admodum. Qua enim tempestate Sedecias illis imperitabat, Nabuchodonozor [26] cum ingenti exercitu Ægyptum, Syriamque armis domuit, ac Jerosolymam, & templum, quod illic erat immensæ opulentiæ, in cineres redegit. Inter quæ ille, nuntiata Nabolassari morte, cum regni hæreditatem adire magnis itineribus maturaret, negotium ducibus suis dedit, uti Judæos Babylonem, & circum ea loca deducerent. Atque ibi mox sedes illis, agrosque assignavit, in queis novi coloni vitam agerent [27]. Supersunt veneranda antiquitatis monumenta ex Berosi annalibus, in queis scriptum est, Nabuchodonozorem ex spoliis, quæ inde reportavit, templum Belo extruxisse [28], urbemque Babylonem [29] pro majestate imperii auctam coctilibus [30] cinxisse muris: ad hoc, hortos aerios [31], & nemora pensilia fecisse, in gratiam uxoris, quæ in montanis Mediæ educata, sylvas spectare, in edito quæ essent, amabat. Ex quo fit, uti vanum & nihili sit, quod magno consensu Græci tradiderunt, admiranda ea opera extructa a Semiramide [32] fuisse. Confutat enim eos apud Flavium autor omni exceptione major, Berosus Chaldæus, quem & antiquissimum esse, & summa religione ac fide res popularium suorum ad æternitatem consecrasse, creditum ab omnibus est. Judæis neque graves pœnas summus Deus, neque nimis longas inflixit. In exilio enim miti, facilique, tanquam in patriis sedibus, vixere. Ac dein, circumacto septuaginta annorum [33] orbe, redditi Palæstinæ sunt, & Jerosolymam templumque ædificarunt, constitutaque iterum respublica eorum est. Hic vero status rerum longe alius, quam ante, fuit. Etenim imperium, quod penes Davidis posteros quondam fuerat, nunc Levitæ, vario quidem illi & diverso modo identidem, sed tamen Levitæ usurparunt. Ii homines, summam potestatem nacti, rempublicam quidem ditissimam maximamque fecere, sed ipsi inter se, dum de imperio, honoribus, gloria certabant, divina atque humana promiscua habuere. Ita nihil ad pietatem modestiamque illis sanctissimum nomen religionis profuit, quos ex cæterorum civium communione selegerat sibi seposueratque olim Deus, uti inter sacra ceremoniasque, procul ambitione, ætatem agerent.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM QUINTUM.

[1] *Hieroboami, hominis gnavissimi*) Hic novus & propemodum terræ filius dissidium excitat in Reupubl. Hebræorum. Quod autem ex regia Saulis stirpe atque Simei patre ortus, necemque paternam adeo commota adversus Salomonem seditione ultus sit, putidum est Rabbini commentum, quod facræ literæ, quæ eundem *Ephrateum* dicunt, sine negotio refellunt. Dicit *Cunæus hominis gnavissimi acerrimique* & quidem recte. Nam in prima Juventutis facie egregiæ indolis ac virtutis spes prælucebat, qua ita se commendabat *Salomoni*, ut illum in aulam adsisceret, & perspecta hominis solertia & in rebus gerendis dexteritate, murorum, quibus Hierosolymas cingebat, fabricæ præficeret. Educatus in aula se prudenter gessit & favorem sibi conciliavit, & ad majorem fortunæ cultum in domo regnatrice erudiri cæpit, & principio commissam Provinciam virtutibus, quas in aula sibi comparaverat, ornavit, ita ut merito inter homines acerrimi judicii recensendus sit.

[2] *Ad obtinendam dominationem*) Ex hoc felici successu in aula & honoribus impetratis imperium atque dominationem animo agitare cœpit. Egregium profecto specimen, in quo omnia illa speciosa scelera, quibus Turbatores obrepunt ad imperium, sub uno quasi aspectu ponuntur. Ac primo qui-

quidem conſpiciendum ſe præbet familiare aulicis ambitionis crimen. Cujus enim animum ſemel occupavit immanis illa cupido regnandi, is certe pro jure quavis injuria, ſi qua datur occaſio, dominationem involat; & ſi jus violandum ſit regni cauſa violandum eſſe cum Cæſare putat. Idem eſt quod *Tacit. l.* xv. *Annal.* rotundo ore effatur: *Dominandi cupidine ullus affectus non eſt flagrantior.* Regnandi cupiditate nihil nec tetrius nec fœdius excogitari poteſt inquit *Strig.* 11. *Samuel.* xv. Nihil familiarius eſt ambitioſis, quam de dignitate certare quibuſvis artibus & machinationibus. Vide. *Peucer. in Lect. Chron.* Nam φιλαρχία ſemper fuit cauſa magnorum ſcelerum. Vid. *Georg. Richter. axiomat. Polit. pag. m.* 195. qui etiam plurimis exemplis hanc rem illuſtrat. Exemplo nobis eſt Jerobeamus hac in re. Ipſe & ſortis ſuæ ortuſque & tot beneficiorum a Rege acceptorum & omnis pene humanitatis oblitus, contra Dominum ſuum inſurgit. Multo nequior Tarquinio illo Priſco teſte *Boxhorn. diſ.* v. *de Imper. Rom.* quem ſatis humili loco natum & Corintho profugum, cum in familiam ſuam recepiſſet *Ancus*, longe imparem meritis ſuis ab eo tulit gratiam. Eo enim defuncto, liberos ejus regno detruſit, ipſeque invaſit imperium. *Jerobeamo* quidem fatum erat, regnare, & oraculo divino adducebatur in ſpem iſtam. Sed ut cupido animo nihil ſatis feſtinatur, is quoque moræ impatiens ac interea cum *Jaſone* illo eſurire ſibi, imo fame perire viſus, ni imperaret, teſte *Ariſtot. c.* III. *lib.* III. ab authore noſtro citato; ſatius duxit, rapere ſibi, quam expectare regnum. Ambitio enim ſemper fatigat, nunquam conſiſtere patitur animum, anticipat, fata, vota præcipitat, & omnia tuta timens cæco impetu fertur.

3 *Fidem militum ſollicitavit*) Quantum robur & potentia olim in militibus ſita ſit, teſtantur, Hiſtoriarum monumenta; quare hoſtium Imperatores milites ſæpe ſollicitarunt ad proditionem & defectionem, uti exemplis fuſe oſtendit *Elias Reuſner. in Stratagematographia ſeu Theſauro bellico edit. Francoſ.* 1661. *pag. m.* 409. 410. 411. Id quod a veris Politicis rejicitur, quia hi tantum hoc ſtratagemate utuntur, qui internam rebellionem excitare volunt. Hinc corruptio militum *Antonii* ad eaſdem artes pertinet, quæ reprehenſionem prudentum merentur, unde recte monet *Bæclerus Lipſium* V. *polit.* XVI. 37. non debuiſſe tam indulgenter inter laudabilia ſtratagemata referre illud: *miſſis corruptoribus exuendam ad fidem hoſtes emercari.* Recte enim hic locum habet melior Philoſophia: *neminem ad perfidiam & ſcelera ſine ſcelere impelli poſſe.* Vid. *Hug. Grot.* III. *c.* XXI. *&* XXII. Quicquid enim alicui facere non licet, ad id eum impellere aut ſollicitare non licet, ita docet & *Maimonid. in* הלכות חובל *cap.* V. *ſect.* 10. Conf. B. *Oſiandri annot. ad Grot. pag. m.* 1358. Aliud enim eſt, ſi quis ſponte fidem exuat, & ad alterum transfugiat, tum transfugam recipere licebit.

4 *In Ægypto delituit*) Cum regem ſibi infeſtum ac necem parare intelligeret, ſapientis eſſe arbitratus, ſi quis iræ ac tempori cederet, in Ægyptum longe a patria ſponte ſua abiit in exilium, ſive quod ſe tutiorem eſſe crederet a fulmine, quo eſſet ab eo remotior, eoque in loco, quo illud penetrare nequeat; ſive quod abſentiam molitionibus ſuis judicaret aptiorem: Adjutus conſilio & opibus *Suſaci*, quo nullus Rex in Ægypto fuit major aut potentior. Hic ille eſt, quem teſte *Joſepho lib.* VIII. *Antiquit. c.* IV. *Herodotus* per errorem *Seſoſtrin* vocavit, totus tamen diverſus ab eo, cujus filiam *Salomo* in matrimonio habuit.

5 *Defuncto Salomone*) Jerobeamo res opinione ſua celerius & optatius cecidit. Mortuo enim Salomone multo ante jam a populo in patriam revocatus opportunos magnis conatibus reperit tranſitus rerum. Ita enim plerumque fieri ſolet, ut Reſpubl. poſt mortem Rectoris ſuos quoque patiatur manes, multiſque motibus tanquam furiis quibuſdam agitetur. Lapſo in fugam gregis Duce, facile diſſipantur oves: Convulſo, cui domus nitebatur, tibicine, aut tota a culmine ruit, aut graviter concuſſa tremit, & ſole occaſo, non poteſt non tota natura affici. Ecqua non in obitu Principis confuſio, quæ non trepidatio & mutatio ſperanda? Quid? ſi accedat ſubditorum invidia, quando ad primum mortis regiæ nuncium pars Principem in Tiberim (quod de Tiberio Sueton. narrat) clamitant, pars terram matrem Deoſque orant, ne ſedem mortuo ullam, niſi inter impios darent. Et valde veremur, ut æquior Salomoni poſt obitum ejus ſubditorum mens fuerit.

6 *Tributorum onera*) Elucet hic iterum aſtutia Jerobeami, qui primum quidem per cuniculos quaſi expugnare civium fidem, eorum ſtudia ad ſe avertere, graviſſimas de Rege ac tributorum iniquitate querelas ſerere, aulæ magnificentiam in invidiam adducere laborat. Deinde ſtatum publicum, ſumtuoſas ædium regiarum fabricas palam incuſare apud populum, ſervitutis iniquitatem, ſacri populi libertatem & alia id genus ſpecioſa nomina, quibus nihil ad commovendam plebem efficacius, prætexere & longe lateque turbare omnia nititur. Ita ſolent novarum rerum molitores rem aggredi, ut non niſi ac in turbidis populum concitent, quo ſibi favorem concilient.

7 *Eodem loco ſtet fortuna*) Imperia quamvis optime conſtituta non ſunt durabilia. *Strigel. in Chron. pag.* 170. *&* 322. Summis negatum ſtare diu. Itaque Regna & Reſpublicæ, quibus res ex animi voto ſuccedunt, diu ſic felices perſtare non poſſunt, ſed vel a Deo, propter abuſum felicitatis, immediate ſummis calamitatibus, vel ab hominibus, magnis bellis, ſive vel ex invidia, ſive ex metu ſtatim affliguntur. *Danæ. in Aphor. polit. pag.* 196. Hinc ſunt illæ querelæ; Magna momento ruunt. Item Summis negatum eſt ſtare diu. Exemplo nobis eſt Reſpubl. Hebræorum, quæ ſub *Davide & Salomone* annis fere octoginta ſtatus regni fuit felix. Mortuo Salomone *Robeam* ex patre ſapientiſſimo ſtultiſſimus filius, amiſit decem tribus & vix retinuit duas. Ex his conſtat, fortunam haud diu ſtare eodem loco. Fortunæ enim inſtabiles ſunt vices. *Ælian. de var. hiſtor. lib.* IV. quippe res humanæ, quamvis florentes, facillime evertuntur. Fortuna generis humani incerta eſt & inſtabilis. Hinc ingens felicitas nec diuturna eſt, nec ſine aliqua inſigni calamitate. Vide de hac re differentem *Georg. Richter in axiomat. polit. pag. m.* 651. *ſeqq.*

8 *Decreſceret*) Nihil in rebus humanis eſt ſtabile. Naturale eſt, ut quæ ortum habent, conſequenter expectent citius aut tardius interitum. Omnia quæ ſub perpetuo motu cœli ſunt, varietatem & interitum experiuntur, ut generationem & corruptionem. In ſumma, nihil ſtabile in ſingularibus rebus reperitur. Multo magis nec ſtabile vel conſtans in corpore civili ſeu Republ. quæ ex talibus ſingularibus componitur. Cauſæ diverſæ diverſos producunt effectus. Corpora ægra exigunt medicinam. Populus diſſolutus indiget Superioris rigore. Princeps & Superior excedens ſuos fines, Principiſque, Dei leges, jam dignus flagello. Hoc autem a privatis inferri non poteſt, vel ſi inferatur, Deo permittente, una populus cum Principe eodem periculo involvitur, concutiuntur Reipubl. jura, fundamenta pacis & æquitatis ſubruuntur, omnia miſcentur temere, bene ſtabilita corruunt, facies Reipubl. mutatur, & dum mutata in melius reſurgere ſperat, ruit ſui ipſius viribus & mole oppreſſa. Sic mutantur regna, *ſeneſcunt*, *creſcunt*, *decreſcunt*, *intereunt* protinus, alia aliquando ex illis naſcuntur (uti hoc loco) ſed deteriora prioribus, vel tranſeundo in aliud nomen, quæ prius fuerunt, omnino amittunt, ut mutare videantur ſubſtantiam, & potius aliud, quam alteram facere. Huc faciunt verſus *Manilii lib.* 1. *Aſtron.*

Quot poſt excidium Trojæ ſunt exuta regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per orbem
Servitium Imperiumque tulit, varieque revertit?
Trojanos ci eres in quantum oblita reſovit
Imperium? fatis Aſiæ jam Græcia preſſa eſt.
Secula dinumerare piget, quotieſque recurrens
Luſtraret mundum vario Sol igneus orbe.
Omnia mortali mutantur lege creata.

Confer. *Petr. Gregor. Toloſ. lib.* XXI. *de Republ. c.* I. *p.* 1274.

9 *Luſtrum conderet*) In ea votorum nuncupatione, quæ a Cenſoribus luſtrum condentibus fiebat, inve-

nimus

nimus ante *Scipionis* ætatem solenni carmine Deos oratos esse, UT POPULI ROM. RES MELIORES AMPLIORESQUE FACERENT. Quod ab Africano emendatum institutumque deinceps rogari, UT EAS REG. PERPETUO INCOLUMES SERVARENT. *Valer. Maxim. lib.* IV. nos docuit, cujus ipsamet verba apponemus. *Africanus cum Censor lustrum conderet, in quo solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solenne ei precationis carmen præiret, quo Dii immortales,* UT POPULI ROM. RES MELIORES FACERENT, *rogabantur: Satis*, inquit, *bonæ & magnæ sunt*. Itaque PRECOR, UT EAS PERPETUO INCOLUMES SERVENT. Ac sane in tabulis publicis ad hunc modum scribi jussit: qua votorum verecundia Censores in condendis lustris usi sunt. Hanc tamen votorum mutationem obscure perstrinxit *Capitolin. in Maximo & Balbino*. Et idipsum nisi unius Valerii Maximi esset testimonio cognitum, hoc vetustas, ut alia multa oblivione obruisset. Atque hæc nimirum vota sunt, quæ in proximum lustrum suscipi moris fuisse *Sueton. in Augusto cap.* XCVII. ita tradit. *Cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare jussit. Nam se, quanquam conscriptis paratisque jam tabulis, negavit suscepturum, quæ non esset soluturus*. Plane bello Punico secundo post Romanos equestri prælio ad Ticinum amnem victos, iterumque exercitu Romano ad flumen Trebiam fuso, *Cajus Attilius Serranus* Prætor vota suscipere jussus est in hæc verba, SI IN DECEM ANNOS RESP. EODEM STETISSET STATU. & *T. Manlius* Dictator SI EODEM STATU RESP. STARET.

[10] *Principis acta incusavit*) Notum Jerobeamo erat medium, quo invisam redderet populo Regis personam; hinc omnia acta incusabat, *Gynæceum*, familiam magnificam, quam conservare sine subditorum detrimento non posset, quod experientia docuisset, quippe majora tributa populo imposuisset, quæ ferre impossibilia, & hæc seditionis causa prima populi Hebraici fuit, quod elucet ex petito populi, qui remissionem tributorum expetebat a Roboamo. Quod consilium a *Jerobeamo* populo ministratum Scriptores volunt, postulationem docens quæ populo placebat, verum a rege haud facile impetrari poterat. Deinde incusat aulæ magnificentiam, regiarum ædium, murorum admirandam fabricam & quæ aliæ erant, quibus animos subditorum ad seditionem concitare poterat. Vid. *Chockier. thes. Polit. de caus. sedition.*

[11] *Speciosa nomina prætexuit*) Astutia quoque hac præditus erat *Jerobeamus* ut *speciosa nomina* prætexeret, quibus favorem vulgi facile impetrare poterat. Hac arte utuntur omnes, qui turbare Remrat. Hac arte utuntur omnes, qui turbare Rempubl. conantur. Plerique enim libertatem & speciosa nomina prætexunt ac præferunt, obtendentes boni publici & privilegiorum ac immunitatum defensionis studium, & sese Principum immoderatis cupiditatibus opponere jactantes, uti *Catilina* teste Salustio & *Jerobeamus* h. l. Hinc bene *Pezel. in Genes. cap.* XXXIV. *pag.* 657. Familiare est multis, ut fallaces prætextus prætendant consiliis & institutis suis, simulantes, se in commune prospicere velle subditis, cum omnium maxime ad domesticas rationes suas omnia referant, quas mirificis tamen artibus occultant atque dissimulant. Nec vero alia est vulgi decipiendi ratio, quam ut spe lucri capiantur, perinde ut pisces hamo inescari & capi videmus.

[12] *Deteriora accessit*) Animi subditorum irritati difficulter frænari possunt; hinc plerumque solet accidere, ut indulgentes affectibus consilium deterius sequantur. Cupiditate & cæca spe incitati homines sæpe injusta & majora viribus movent. Vulgus enim instar torrentis est, qui vesano impetu, sicut incitatus ab aliis, ruit in negotia. Quare bene ille dixit: vulgus fertur vesano impetu, sine mente, omnia in præceps agit.

[13] *Vetustissima Imperia*) Recte author noster sentit, quod ob motus civiles maxima & vetustissima Imperia aut prorsus interierint vel mutata fuerint. Quando enim regnum debet everti, præcedunt multæ seditiones. Quia sicut ædificia paulatim per partes ruunt, sic etiam Imperia. Periodis regnorum circumactis, cum ad finem illa tendunt, ruinam proxime antecedunt, ut Appiani verbis utamur, ὕβρις ἄκροσμος καὶ νομῶν καὶ δικῶν αἰσχρὰ καταφρόνησις & discordiæ, quæ si quid reliquum est, id labefactant. Nec fere nisi fatalibus discordiis magna imperia evertuntur: cumque momenta mutationem instant, insigni petulantia accelerantur pœnæ. In *Chron. Philip. pag.* 573. Unde *Gregor. Richter. in axiomat. polit. pag. m.* 70. 71. bene differit his verbis: Plerumque discordiæ & seditiones in tantum perveniunt furorem, ut cum illis tandem subvertatur omnis Reipubl. status. Etenim per discordias civiles Reipubl. compages paulatim dissolvuntur, & aperiunt hostibus viam facilem ad subjiciendos debilitatos.

[14] *Sichemum*) Primordia regni non imprudenter ordinavit, cum ante omnia securitatis publicæ haberet curam, sibique optaret in ea regione urbem ac regiam, unde esset in omnia regimen. *Sichem* seu *Sicima* erat, ubi considere placuit, urbs antiqua satis & Patriarcharum judicumque, dum regnabant, domiciliis celebrata, sed quæ ab Abimelecho destructa quondam, æquataque solo erat. Hanc cum *Pnuela* de integro excitare, quam ædificatam ab alio insidere maluit, sive quod locus ille natura munitus, antiqua religione celebris & inter Ephraimitas, è quibus Rex oriundus erat fere in meditullo, nec tamen longius a finibus regni situs esset. Nimirum quod in corpore humano cor est, ex quo spiritus per venas atque omnes corporis partes permanant, & quod est in æthere sol, qui medium cœli decurrit iter, & omnia tamen radiis illustrat, id est in Imperio urbs illa, quam præsentia sua dignatur cohonestare Princeps. Sed & vetustas loci existimationem imperio venerationem addit, præsertim si accedat superstitio quædam & religionis antiquæ opinio. Quæ sine dubio etiam causa erat, quod prudentissimi quique Principum non facile migrarent omitterentque urbem, quæ antiquitus caput regni rerumque esset. Hoc tamen præcipue spectandum in hoc negotio, ut oppidum illud, quod ipse Rex habitat, sive natura, sive arte munitum imperio securam sedem tutumque præbeat domicilium. Hanc ergo elegit urbem, quæ requisitis his gaudebat.

[15] *Patria instituta mutavit*) Ut experientia docuit, semper cum novo Rege nova lex sequitur, novi magistratus, uti refert *Gregor. Richter. in axiomat. polit. pag. m.* 137. Lege divina cautum erat, ut unius urbis inter cæteras insigniter emineret ac perpetua maneret sanctitas, ubi sacra Israelitis facere atque victimas epulari quotannis statisque temporibus fas esset. Et non dubitamus, quin præter typi respectum ea quoque fini constitutum a Deo sit, ut unius loci sancta veneratio non modo religionis, sed & civium inter se confirmaret concordiam. Postea vero quam Deus sibi Hierosolymas cultus sui domicilium ac sedem elegerat, nulli quidem tribui sorte assignata urbs illa, sed communis omnium erat, tamen cum sita in finibus Beniamitarum esset, eam iocolebat Rex Judæorum. Quæ cum secum volutaret animo *Jerobeamus*, metuens, ne populus, si quotannis sacrorum causa iret *Hierosolymas*, recordatione meritorum *Davidis* & societate religionis ab se iterum ad *Rehabeamum* averteretur, impium consilium cepit, quo sacrorum mutatione discordias & causas odii inter Israelitas, & Judæos sereret.

[16] *Diversum quendam Numinis cultum*) Certum confessumque est, *Jerobeamum*, postquam diversum novumque Numinis cultum instituit, id effecisse, ut *decem tribus* fidem societatemque cum Hierosolymitanis colere, & res cum illis communes habere, Numinis quasi imperio recusarent, & quamvis alia sæpe causa hostilis odii esset, maxima tamen videbatur, quæ pro religione faceret. Vid. *Cunæ. in seq.* Erat hoc jam inde a primis seculis apud *Æpyptios* reges, teste *Diodor. Sicul. lib. I. cap. LXXXIX.* regnum firmandi arcanum, ut religionis discordia sibi quærerent securitatem. Et postea teste *Ammian. Marcell.* 22. 7. *Julianus* idem consilii secutus, diffidentes inter se permisit religiones, ne timere aliquando unanimem populum necesse haberet. Quanta enim diversæ religionis vis sit ad concitandas inter cives discordias, vel ex capitali odio intelligimus, quod etiam post reditum ex captivitate Babylonica Samaritani & Hierosolymorum incolæ non aliam ob causam, quam ob religionis dissensum inter se perpetuo exercebant.

17 *Vi-*

[17] *Vitulorum adoratione*) Non hic diu hærebimus in controverſia illa, quam aliqui, inter quos etiam eſt *Spencerus*, movent de vitulis Jerobeamicis, & excuſare *Jerobeamum* conantur, quia hoc ante nos præſtiterunt *vir Gregorius Michaelis Præpoſitus Reg. Flensburg. in notis ad Jacob. Gaffarelli curioſitates, edit. Hamburg.* 1676. *pag. m.* 79. 80. 81. *Beyer. annot. ad Selden. de Diis Syris pag. m.* 226. *edit. Lipſ.* aliique. Ex orco igitur revocata vitulorum adoratione, cui forte in Ægypto regis illius gratia ipſum aſſuefecerat, idololatriæ hujus apud cives ſuos eo faciliorem ſperabat excuſationem, quo antiquior illa, & jam a primo Pontifice Aarone introducta quondam in conſuetudinem erat. Cumque magnis itineribus tribus quædam Hieroſolymas peterent, ut ex juſſu legis anniverſaria ſacrificia factitarent, ea res ipſi conſilium dedit, ut opportunis iiſque locis, quæ propius abeſſent, duo fana poneret, alterum *Bethele*, quæ urbs Judææ confinis eſt, ut limes quaſi ac terminus foret ituris Hieroſolymas; alterum vero *Dane*, non procul a Jordane, ut & illis, qui cis fluvium & ultra habitarent, propinquitas ſacrorum patriæ religionis deſiderium atque memoriam ſenſim tolleret. Ut autem dominationis declinaret invidiam, palam populo, cum plurimum poſſet a facundia, ſpecioſe iiſque rationibus impium inſtitutum proponit, quibus exiſtimaret promiſcuum vulgus capi facile & circumduci poſſe. Ac primo quidem titulum utilitatis publicæ prætendit, dum ſe ægre ferre, ait, populi intolerabiles moleſtias, quas ex longinquo itinere, Hieroſolymas quotannis faciendo capiant. Has uti ſublevaret, propinquioribus locis delubra ſtatuiſſe, idque ſibi licere, quod *Flav. Joſeph. antiq. lib.* VIII. *c.* III. addit, exemplo Salomonis, quo ſe inferiorem non crederet. Deinde ne viderentur a patria religione abhorrere, ſe adhuc teneri ait ſtudio & reverentia ejus Numinis, cujus auſpiciis Iſraelitæ ex Ægypto reducti. Uti vero ejus præſentia nulla urbe circumſepta, nulloque certo concluſa loco ſit, ita ſe non dubitare, quin iis etiam locis, quæ ipſe conſecraverat, rite coli & adorari poſſe. Callidum profecto inceptum hominis, ſed quod a vera Principis prudentia quam alieniſſimum judicamus. Nam quicunque ſuo vivit ingenio Princeps & ſibi ſacra fingit formatque ad libitum, aut in ſuperſtitionis allidit ſcopulos, aut in profundam impietatis voraginem ultro ſe dabit præcipitem. Siquidem ea mutare & contumaciter repudiare, a quibus imperii conſtitutio dependet, crimen magnum eſt. Nulla quippe apud Hebræos ſanctior lex, cui Rex fidem adſtringere ſuam tenebatur, quam Numinis cultus obſervantia. Tribuimus quidem Principi Sacræ diſciplinæ inſtaurationem ſi collapſa, concedimus religionis curam. Nam curatio rerum divinarum fulcrum eſt, cui firmiter inſiſtit ſimulacrum regni, qua ſublata, tollitur generis humani ſocietas. Verum Jerobeamus ſibi a religione in Deum metuit, qui ſtabilire regnum calliditate parat.

[18] *Religione*) Ratio ſtatus in regno Jerobeami alios mores, aliam poſtulabat religionem. Itane vero? Eſtne regimen ad religionem, an religio ad regimen accommodanda? Illud profecto, non hoc videbitur prudenti ſuarum rerum Principi, niſi Deum ſibi, non ſe obſequium debere Deo ſceleſtiſſima vanitate perſuaſum habeat. Sit hoc gentibus datum, quæ neſciebant Deum, ut unaquæque comminiſceretur ſacra prout ſuæ cuique reipubl. conducibilis religio videretur. In Principe cujus mentem divinæ veritatis lux illuſtravit, hoc plane intolerabile eſt, quem omnino decet tantum de divina ſapientia confidere, ut nihil eam de cultu ſuo ſtatuiſſe aut præcepiſſe homini credat, quod cuiquam aut Reip. male vertat. Jerobeamus autem vetus illud Sacerdotium a Deo inſtitutum penitus abrogatum voluit. Hinc quemque ex omnibus tribubus ſacris muneribus præpoſuit, quibus tamen Levitæ tantum præeſſe debebant.

[19] *Decem Iſraelitarum tribus*) Miramur plane, quod maximus Iſraelitarum numerus tam cito peſſimo Jerobeamo benevolas aures præbuerit & idololatriæ locum dederit. Pleroſque ſane decepit utilitatis publicæ ſpecies, quam Rex præ ſe ferebat, cumque ut plurimum quales in Republ. Principes ſunt, tales reliqui eſſe cives, ducique a Principe flexibiles & veluti ſequaces in utramque partem ſoleant, nec ſecus Iſraelitæ impietatem ſui Regis ſecuti. Qualis itaque Rex eſt, tales plerumque ſunt Sacerdotes. Plerumque maxima multitudo ſectatur religiones Principum. Ut hæ voces ſuperioribus ætatibus uſitatæ fuerunt: Ich glaube / was mein Herr der Käyſer glaubet. Imperitum vulgus exemplis potentum judicat de Religione. Scitis uſitatum eſſe, quod multi omni tempore imitentur opiniones & facta Dominorum, ſeu bona, ſeu mala; ſed citius tamen adhærent & propagantur contagia prava, præſertim in iis, qui familiaritate aſſidua Regibus & Principibus conjuncti ſunt, illis citius contagia adhæreſcunt. Imo mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus, non tantum in moribus, ſed etiam in religionibus. Vid. *Peucer.* in *lect. Chron.* Equidem populum Hebræum in gratiam Regis tam celeriter deſciviſſe a patria religione, ei minus videbitur mirum, qui advertit, ita eſſe naturam ingeniumque hominum, orientem qui habitant, ut nimirum ſemper venerationi atque obſequio regum dediti ſint. Haud vane apud Tacitum Claudius civilis ait *lib.* IV. *hiſt. c.* XIV. ſervire Syriam Aſiamque & ſuetum Regibus orientem. Hoc ita cum ſit, Hebræa gens plus æquo prona in obſequium Regis ſui, dum luxuria Salomonis ademtam per Jerobeamum ſe recuperaſſe libertatem putat, ejus maximam partem ne ſenſit quidem, patriis moribus abrogatis, concidiſſe.

[20] *Deſeſſi enim exangueſque*) Notum imo notiſſimum eſt, quod diviſio Regni in plures, regnum infirmius reddatur, uti ex *Alexandri* imperio firmiſſimo elucet, quo diviſo non conſiſtere potuit, quod alias validum ſatis videbatur. Quod etiam in Regno Hebræorum factum diviſo. Fractis itaque Imperii viribus, civilibus bellis ſe fatigarunt Hebræi, donec feſſi gentibus, quibus antea imperaverant, præda facti ſunt juſto Dei judicio, quem peccatis irritaverant, unde ſtatim quinto imperii *Roboami* anno bello adorti ſunt Judæi, & univerſa regio vaſtata eſt.

[21] *Suſacus*) Quinto, ut paulo ante diximus, anno *Seſacus* Rex Ægypti; quem *Suſachum Joſephus*, Ægyptii *Smendez*, alias *Simandium* aut *Oſynandrum* vocant, aliis etiam eſt *Smerres*; Judæis *Seſac* teſte *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. fol. m.* 97. *edit. Rom. cap.* x. Jerobeamo olim hoſpiti amicus Regnum Juda & Hieroſolymas metropolin primum occupavit (uti citatus *Kircher. in Chronolog. Regum Ægypt.* quæ fol. 107. *Oedip. Ægypt.* extat, recenſet,) & domuit; proditione *Jerobeami* & quorundam ab ipſius partibus ſtantium. Teſtatur hoc R. *Salomo Ben Scheſet* apud *Geor. Gentium in hiſtoria Judaica* §. 1. *pag. m.* 65. his verbis: *Jerobeamus* in Ægyptum profectus contra illos Siſacum concitavit: cui ille abditiſſima Judaici Imperii arcana (fuerat enim Jerobeamus ex præcipuis Salomonis aulicis, ſecretorum Regis & Regni arbiter) aperuit, atque modum, quo urbs facile capi poſſet, oſtendit. Quippe qui in urbe ſtabant a partibus Jerobeami, illi mittebant Siſaco literas, quibus ratio expugnandæ urbis edocebatur. Seſaco reſiſtere non poterant, quia tota occupata regione Hieroſolymam deditione cepit, pœnitentiam quidem agentibus Judæis pœna mitigabatur, ſubditi tamen Siſaco eſſe jubebantur 1. *Reg.* XIV. 25. *ſeq.* 2. *Chron.* XII. 2.

[22] *Inciſa mulierum verenda*) Ne itaque contumelia deeſſet, columnas per Palæſtinam diſpoſuit, in quibus turpe dictu, mulierum verenda inciſa erant, hunc enim referente *Herodoto in Euterpe lib.* II. *pag. m.* 124. *edit. Latin. Francof.* 1595. *in* 8. *Seſoſtris* (ita male profani Scriptores vocant teſte *Kircher. fol.* 97.) ſervabat morem, ut in regionibus gentium ferociorum armis a ſe ſubactarum, ſtatuas cippoſque erigeret, quibus genitalia virorum, ad gentis animum virilem & fortitudinem indicandum, inciſa, contra iis, quæ omiſſis armis ſine prælio in ejus poteſtatem conceſſerant, columnis per regionem ipſarum diſpoſitis, pudendis muliebribus inciſis, muliebrem timiditatem animumque effœminatum exprobravit, quod & *Diodor. Siculus lib.* I. *Bibliothec. Hiſt. c.* LV. *pag. m.* 49. obſervavit, de *Seſoſtre* (quem & *Seſooſis* & *Seſonchis* vocatum dicit *cap.* LIII *p.* 47.) ſcribens: *Idcirco terminis expeditionis in Thracia conſtitutis, cippos ubique terrarum, bello acquiſitarum,*

tarum,

tarum, *erexit*, *ſacris Ægyptiorum literis*, *hoc verborum indicio inſcriptos*: HANC PROVINCIAM ARMIS SUIS DEVICIT REX REGUM, ET DOMINUS DOMINORUM SESOOSIS. *In cippis illis pudendum viri apud gentes quidem ſtrenuas & pugnaces*, *apud ignavas autem & timidas fœminæ*, *expreſſit*; *ex præcipuo hominis membro animorum in ſingulis affectionem poſteris evidentiſſimam fore ratus*; hac ratione & cum Judæis ipſum egiſſe, dubium plane nullum eſt, cum per totam *Aſiam* arma victricia circumtuliſſe dicatur apud *Diodor. Sicul.* l. c. imo *Herodot. l. c. pag. m.* 125. teſtatur, in Palæſtina Syria (Judæorum regione) ejuſmodi cippos ſe vidiſſe; *Titulorum*, inquit, *quos Seſoſtris*, *rex Ægypti*, *per ſingulas regiones erexit*, *plerique jam incolumes non exſtant*: *quoſdam in Syria Palæſtina ipſe vidi inſcriptos*, *tum quibus dixi literis*; *tum muliebribus genitalibus*; Nam quoniam Judæi non armis ſubacti, ſed deditione in ejus pervenerant poteſtatem, *verenda muliebria* cippis in Palæſtina erectis incidenda Rex juſſit, quod *Joſephus* confirmat, locumque *Herodoti* uberius explicat *lib.* VIII. *Antiq. Jud. c.* x. Nam cum ille (Rex Roboamus) ageret impie & inique, ſtudebant & illi (ſubditi ejus) non eſſe juſti, ne Rex videretur offendi. Quapropter vindicem ſuper Hebræos miſit Deus regem Ægyptiorum, nomine Suſachum; de quo narrans Herodotus, actus ejus poſtremo adjunxit. Is enim Suſachus quinto anno regni Roboam, cum multorum millium exercitu caſtra metatus eſt contra Hieruſalem. Sequebantur enim illum currus mille & ducenti, equitum vero ſexaginta millia & quadraginta millia peditum, quorum plurimos habebat Lybios & Æthiopes. Invadens igitur Hebræorum regionem, munitiſſimas Roboam civitates ſine dimicatione detinuit, & noviſſimum armatus, ad Hieroſolymam venit, ubi Roboam & ejus exercitus propter militiam Suſach tenebatur incluſus: capiens ergo Suſachus non lege bellica civitatem, ſed pactis præcedentibus *Roboam* eum ſuſcipiente propter timorem, ingreſſus fœdera non ſervavit, ſed & templum exſpoliavit, & Theſauros Dominicos & regios exhauſit, auri & argenti multo millia & innumerabilia ſecum devehens ornamenta, & nihil omnino illic derelinquens. Abſtulit autem & aureas lanceas & ſcuta quæ rex fecerat *Salomon*. Quod cum idem *Suſach* feciſſet, ad propria remeavit. Meminit autem hujus prælii & *Herodotus*, qui ſolummodo circa regis nomen erravit. Sed quia gentes alias multas invaſit & Palæſtinam Syriam ſubjugavit, capiens ſine prælio cunctos in ea regione degentes: unde palam eſt, quia noſtram gentem ſubditam Ægyptiis indicare vult. Ait enim, quomodo & ſtatuas eorum, qui ſine prælio ſe tradiderunt, reliquerit, & mulierum genitalia in eis cælaverit. Roboam etenim Rex noſter tradidit ſine prælio civitatem.

[23] *A Salmanaſſare*) Poſt *Suſakum* res judæorum tranquilliores ab exteris quidem, perpetuis tamen civilibus inter Reges Judæ & Iſraelis bellis turbatæ fuere, Syriæ tamen & poſtea Aſſyriæ Reges cladibus ſubinde ipſos affecerunt, donec *Salmanaſſar Aſſyriæ* Rex decem tribus regni Iſraelis, capta *Samaria* ſede regia, cum ipſo *Hoſea* Rege, captivas abduxit. 2. *Reg.* XVII. 1. *ſeq.*

[24] *Deductaque in Mediam Perſiamque*) Sunt aliqui, qui dicunt, Iſraelitas abductos in longa exilia, diſperſoſque per *Colchos*, *Parthos* & *Æthiopes* eſſe, ut nunquam redierint, uti vult *Ludovicus Michael Croc. in ſpecimine Philolog. ad Prophet. Obad. in not. pag. m. 67. edit. Brem.* 1673. Verum nullam rationem videmus, cur ſeceſſum faciamus a Scriptura, quæ expreſſe dicit, illos in Mediam & Perſiam eſſe abductos. Et *Benjamin Judæus Itin. p.* 96. de *Madai* refert, quod magnus numerus Judæorum ibi habitet, his verbis: *Hæc eſt Madai magna illa urbs in qua ſunt Judæorum quinquaginta millia*. Unde *Bochart. in Phaleg ſuo lib.* III. *cap.* XIV. *pag. m.* 320. *edit. Francoſ.* addit: Reliquiæ Iſraelitarum, quos in *Mediam* deportaverat *Salmanaſſar*. Nam ut hoc obiter addam, nullus capio quorſum vel in *Colchidem* & *Iberiam* vel in *Armeniam* minorem, vel in ultimam *Scythiam* ii religentur, quos Scriptura expreſſe dicit migraſſe in Aſſyriam & Mediam ſeu Medorum urbes.

[25] *Sedes Cuthæis reliquit*) *Cuthæi* dicuntur a כות regione *Perſidis* 2. *Reg.* XVII. 30. quod maxima parte inde in terram ſanctam tranſlati fuerint. Suſianam regionem כות dici, refert cl. *Samuel Bochart. in Phaleg. lib.* IV. *cap.* XII. *pag. m.* 257. *edit. Francoſ. Cuthæos* itaque e *Perſia* eſſe, apud quos ignem ſacrum fuiſſe confirmat *Strabo lib.* XV. accolas *Cuthi* Perſidis fluvii ab hoc fluvio cognominatos eſſe omnino opinatur *Seldenus l.* II. *Syntag. c.* VII. *de Diis Syr.* Idem etiam *Johann. Cunrad. Dieter. in Antiquit. Bibl. pag. m.* 554. *col.* 1. obſervavit. Gens non fuit peculiaris, ſed variarum gentium colluvies. Hinc eodem ordine cenſebantur quo Gentiles. *Joſeph. lib.* IX. *c.* XIV. ἀρχαιολ. *pag.* 325. *circa fin.* χυθὰν eſſe Perſidis fluvium ſtatuit, unde urbs *Cotamba* apud *Ptolomæum*. Ab hac regione major pars fuit ejus coloniæ, quæ in *Samariam* & vicina loca deducta eſt: hinc factum, ut qui ibi vivebant κατ' ἐπικράτειαν dicerentur כותים recenſente *Hugon. Grotio in Annot. ad l.* IV. *Reg. c.* XVII. 24. Hinc Judæi vocarunt Chriſtianos & Gentiles כותיים ut e *Maſſ. Abhod Zara. p.* 21. *col.* 2. patet; & *Maimon* in *Hilc. Mattenoth Anijim. c.* VIII. *part.* 9. *Prohibitum eſt Iſraeli*, *accipere Eleemoſynam* מן הכותים *a Chriſtianis*: *Si autem non eſt vivere ex Eleemoſyna Iſraelis*, *nec accipere clam Eleemoſynas a Chriſtianis*, *tum licitum eſt a Chriſtiano accipere*. Fuſius hanc ſententiam *Mardoch.* dictus *Jophe in Lebuſch. atheteth Zahabh. n.* 258. *par.* 1. tradit, ponitque pro כותי *Cuthæo* ע'א *idololatram* i. e. *Chriſtianum*.

[26] *Nebucadnezar*) Nebucadnezar bellicoſus & potentiſſimus Monarcha, perfidia & defectione *Zedekiæ*, Judæorum Regis, irritatus, urbem triennio 2. *Reg.* XXV. 1. 2. 3. obſeſſam graviſſime afflixit, tandemque expugnatam cum templo funditus delevit, primoribus populi occiſis, regem captum oculiſque privatum cum omni populo *Babylonem* in captivitatem abduxit. vid. *Joſeph. lib.* x. *Antiq. Jud. c.* x. Conf. Celeberrim. *Wagenſeil in Mantiſſa de LXX. hebd. Daniel.* Oppido vero fabuloſa ſunt, quæ Judæi apud *Georg. Gentium* in *Hiſtor. Jud. pag.* 39. *ſeq.* de auxiliantibus *Nebucadnezari* Regibus tradunt, *Hiſpano* & *Pyrrho*.

[27] *Novi coloni vitam agerent*) Falſam illorum eſſe opinionem, aſſerimus, ſtatuentium, Judæos a *Nebucadnezare* captivos in ergaſtula abductos, & in operas damnatos ruſticas fuiſſe. Abduxit Babyloniam non vendidit, patriam eripuit, ſed non libertatem, bello captos detinuit, ſed optimarum ſimul Provinciarum colonos eſſe voluit. Audiamus de hac re *Beroſum Babylonium lib.* III. *rerum Chaldaicar. Nebuchodonoſor* inquit, (referente *Joſepho lib.* 1. *adv. Apion.*) patris imperio in totum potitus, captivos adiit, iiſque in Babylonia oportunas colonias aſſignavit. Sic *Gelenius*. Sed Græca ἐμφατικώτερα: τοῖς μὲν αἰχμαλώτοις παραγινόμενος ἀποικίας ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τόποις ἀπέδειξε. i. e. *in commodiſſimis locis Babyloniæ colonias aſſignavit*. De hac ipſa re *Joſephus lib.* x. *c.* II. *Ceterum Rex Babylonem reverſus*, *Zedeciam in carcere uſque ad mortem ejus detinuit*, *mortuum tamen Regia funeris pompa ſepelivit*: *populo vero in Babylonia ſedes attribuit*. Patet ergo hinc, Judæos exules, in opportuniſſimas regni Babylonici colonias deductos fuiſſe, quod etiam ex Scripturis probari poteſt Propheticis. *Ezechiel* enim *cap.* III. Verſ. 15. partem populi ad flumen *Chebar* meditullium *Meſopotamiæ* coluiſſe, inibique magnas divitias, ut olim προπάτωρ illorum, *Jacobus Geneſ.* XXIX. 2. & *cap.* XXXI. Verſ. 18. acquiſiviſſe aſſerit. Sancta certe lingua pleriſque in locis Judæorum hanc in *Babiloniam* abductionem *Haggola* i. e. *tranſmigrationem*, *in colonias deductionem* appellat, ut *Jerem. c.* 1. Verſ. 3. *Ezech.* III. II. 15. & *cap.* XXIII. 1. & *c.* XL. 1. *Ezech.* VI. 10. *Eſt.* 1. 4. & *cap.* IV. 1. alibi paſſim. Hoc imitantur Helleniſtæ & N. T. Scriptores, qui Judæorum hoc exilium, æque ut *Joſephus* & *Beroſus*, ἀποικίαν & μετοικεσίαν appellant, *Matth. c.* 1. 17. *Luc. Act.* VII. Verſ. 43. Quando igitur Scriptura captivitatis Babylonicæ mentionem facit, improprie & κατά τι loquitur, reſpectu nimirum prioris libertatis, alioqui captivos & ſervos, a colonis maxime differre notum eſt. Illi ſub haſta vendebantur, hi vero tanquam cives & patresfamilias populariter in Provincias deducebantur, ſalva libertate ſalviſque plerumque ceremoniis & legibus patriis.

[28] *Templum Belo exstruxisset*) Provocat author noster ad *Berosi* annales, in quibus scriptum sit, *Nabuchadnezarem* ex spoliis reportatis templum *Belo* exstruxisse. Operæ itaque pretium esse duximus ipsius verba producere, quæ hæc sunt : *Eodem vero*, inquit, *tempore contigit, patrem ejus Nabulassarem, cum ægrotasset, in Babylonia civitate desungi, qui regnavit annis* XXIX. *Nabuchodonosor autem non post multum tempus mortem patris cognoscens & negotia Ægyptiaca disponens & captivos Judæorum & Phœnicum atque Syrorum qui in Ægypto fuerant, commendans quibusdam amicis, ut cum exercitu & impedimentis perducerentur ad Babyloniam, ipse cum paucis iter aggressus per desertum Babylonem venit &c. Ipse vero ex manubiis templum Beli ac reliqua munificentissime excoluit.* Cl. *Johan. Christoph. Artopæus* quidem vult *Nebucadnezarem Xerxem* fuisse in *dissert. hist. de Xerxe Nebucadnezare ac Cyro pag. m.* 10. 11. 12. *edit. Argentor.* 1689. Verum celeber. D. *Herman. Conring. in Advers. Chronolog. cap.* XI. satis ex Scriptura Sacra probat, *Nebucadnezarem* illum esse, qui *Judæos* vicerit, & templum *Belo* exstruxerit, cujus rudera supersint. Vid. *Plin. lib.* VI. *Diodor. Sicul. lib.* II. *cap.* IX. Conf. Celeb. *Conring. cap.* II. *advers. Chronolog.*

[29] *Urbemque Babylonem*) *Berosus lib.* III. *Chaldaic.* & ex eo *Joseph. lib.* X. volunt, *Nabonidum muros circa fluvium ex latere cocto & bitumine* adornari curasse. Vid. *Euseb. lib.* IX. *Præparat. Evangel. & Joseph. Antiq. lib.* X. Verum quicquid sit, a *Nebucadnezare* condita esse miranda illa *Babylonis* mœnia, quæ ad *Alexandri* usque ætatem duraverunt, certum est. Hinc illa vox gloriosi Regis, *Daniel.* IV. 27. Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ædificavi in domum meam in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei. Credibile autem non est, quod *Nebucadnezar* mœnia & urbem ex fundamento ædificaverit, quia ante eum *Ninus Genes.* X. hoc fecerat : de qua re *Pererius pag.* 351. videndus ; sed probabile videtur, quod *Nebucadnezar*, ut refert Joseph. c. l. solum auxerit & reparaverit antiqua urbis ædificia munito & fluminis alveo, ita ne hostes eo possent uti ad civitatis incommodum. *Tres quoque murorum ambitus*, inquit, intra urbem exstruxit, & totidem foris circumdedit. Vid. B. *Geier. comment. in Daniel pag. m.* 365. *Berosus* vult, quod veteri urbi Babel alteram extrinsecus adjecerit. Confer *Solin. cap.* LX. Falsa itaque sunt illa ab Herodoto memorata de Nitocri regina. Neque vero est, quod dicamus cum *Scaligero*, opera illa exstructa ab uxore, quo tempore furore laborabat maritus. Antequam enim fureret, jam structa erant Babylonis mœnia, uti ex Daniele manifestum est.

[30] *Coctilibus*) Mœnia Babylonis partim ex latere cocto, partim ex bitumine facta sacer textus *Gen.* XI. 3. tradit. De *lateribus* non dubitatur quia vox Hebræa לבנה pro latere notissima est. Et *Babylonis* muros lateritios fuisse tradunt omnes summo consensu. *Herodot. lib.* I. cum lateres satis multos effodissent, eos in fornacibus excoquebant. *Justin. ex Trog. lib.* I. murumque urbis cocto latere circumdedit. Sed & præter historicos apud Poetas res est tralatitia. *Aristoph. in Avib.* Circummœnire magnis lateribus coctis, ut Babylonen. *Propert. lib.* III. *Eleg.* 9.

Ut solidum cocto (latere) *tolleret aggere opus.*

Benjamin de turre Babel *Itinerar. pag.* 77. lateribus constructa est. De bitumine videatur Cl. *Bochart. Phaleg. lib.* I. *cap.* XI. *pag. m.* 45. 46. 47.

[31] *Hortos aereos*) Scil. *Nebucadnezar* plantari curavit. Ille enim habuit uxorem Medicam, referente celeb. *Hermanno Conringio in Adversar. Chronolog.* adeo sibi adamatam, ut in ejus gratiam hortum pensilem construxerit. Testatur id *Berosus* apud *Joseph. lib.* I. *contr. Apionem*. Cui potius credendum, quam *Ctesiæ*, quo auctore refert *Diodor. lib.* I. *cap.* X. hortum illum a Syro quodam Rege in gratiam pellicis Persicæ institutum esse.

[32] *A Semiramide*) omnes fere statuunt, Semiramidem mœnia Babylonica struxisse. *Propert. lib.* III. *eleg.* 9.

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem.

Vid. annot. *Simonis Abbis Gabbem. pag. m.* 716. *edit Traject. ad Rhen.* 1639. *Ovid. lib.* IV. *Metam. fab.* IV. *Martial. lib.* IX. *epigramm.* 77. E Græcis *Theocrit. Idill.* 16. *Dio in Trajan. Josephus. Aristophan. Schol. in avib. Salmuth. ad Panciroll. pag. m.* 110. *part.* I. quibus omnibus se opponit *Cunæus* noster, negans hoc ab ipsa factum, qui adstipulantem habet celeber. *Hermannum Conringium in adversar. Chronol. cap.* VIII. in fine capitis ita differentem. Ita a *Semiramide* Assyriaca fœmina constructam esse Babylonem, *Berosus* in Chaldaicis jam olim negavit, teste *Josepho lib.* I. *contr. Apionem*, *Philonis Byblii* & *Dorothei Sidonii* testimoniis confutavit idem *Julius Firmic.* Ut proinde & Assyriaca fœmina sit perperam detrusa in res Chaldæorum.

[33] *Septuaginta annorum*) Effluxis septuaginta annis, de quorum computatione fuse differunt viri celeberrimi *Herman Conringius & Wagenseilius*. Hic scil. Wagenseil. in Mantissa sua de LXX. hebdom. *Ille* in *adversar. Chronolog. cap.* XIV. qui evolvendi sunt, & reperiet B. L. multa lectu & observatu dignissima. Ex captivitate Babylonica per *Cyrum Persicæ* Monarchiæ conditorem, ut dudum prædictum fuerit *Esa. cap.* XLIV. 28. liberati sunt, 2. *Chron.* XXXVI. 22. 23. *Esr.* I. I. *seq.* tradente *Josepho lib.* XI. *Antiq. Judaic. cap.* I. *Cyrum* lecto *Esaiæ* de ipso vaticinio, quod *Daniel* ipsi indicasse videtur, motum esse ut Judæos dimitteret, uti ex edicto satis patet. Sub Persarum imperio Judæi in pace vixerunt, nunquam rebellantes, Persarum enim Reges, suos ex captivitate Babylonica vindices, & ipsis indulgentissimos Judæi semper venerati sunt, *Cyrus* patriam restituit Judæis, facta potestate ædificandi templum 2. *Chron.* XXXVI. 22. 23. *Joseph. lib.* XI. *Antiq. Judaic. cap.* I. sub *Cambyse & Magorum* interregno ædificatio Templi machinationibus finitimorum impedita. *Esr.* IV. *Joseph. l. c. cap.* II. a *Dario* Hystaspis filio iterum concessa & promota *Esr.* VI. *Joseph. c. l. c.* III. Darium excepit successor & filius *Xerxes* quem Judæos primum domuisse affirmat *Justinus*; verum Judæi dudum ante *Xerxem* cladibus affecti ac ab *Assyriæ*, *Mediæ* ac *Babiloniæ* Regibus domiti fuerunt, donec cum Imperio *Babylonico* sub *Persarum* venerunt potestatem. *Xerxem* vero Judæos armis domuisse, cum jam ei subjecti fuerint, neutiquam verum ; *Nebucadnezarem* enim, qui Judæos in captivitatem abduxisse in SS. Literis legitur, hunc *Xerxem* esse, *Cyrum* vero Juniorem, *Artaxerxis* fratrem, Judæos ex captivitate ea liberasse, persuadere nobis non potest Dn. *Joh. Christoph. Artopæus in diatribe histor. de Xerxe Nebucadnezare ac Cyro minore Liberatore Judæorum edit. Argent.* 1689. *Josephus lib.* I. *contra Apion.* testimonio *Chærili* antiqui Poetæ, probat, Judæos cum Xerxe Persarum Rege, contra Græcos militasse. Xerxem autem Judæos beneficiis affecisse non legimus, sed quæ pietatis documenta in *Esdram* & Judæos *Esr.* VII. collata *Josephus lib. c. cap.* V. de Xerxe prædicat, sed ad *Artaxerxem* Longimanum pertinere docet *Matthia in vit. Xerxis pag. m.* 223.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Reipublicæ regimen apud pontifices. Eorum flagitia, & improbæ machinationes. De Eliasibi filiis. Templum Garizitanum qua impietate exstructum sit. Oniæ detestabile scelus. Matthias Hasmonæus laudatissimus dux. Principatus Judæ Maccabæi: de Alcimo nequissimo bipedum. Judæa iterum sub regibus. De Herode: de Idumæis, & Numine eorum Cosa. Sameæ vera divinatio. Qua iniquitate Herodes imperium exercuerit. Ut Judæorum leges temeraverit.

EX Levitica gente, post templi urbisque restaurationem, primum pontifices rebus gerundis præfuerunt, [1] nullo principis aut regis nomine assumto. Apud hos omnis gratia, potentia, divitiæ, erant, aut ubi illi volebant, cæteri vulgus, erant, sine honore, sine auctoritate. Itaque tanti muneris decus non mediocribus consiliis appetiverunt, qui Levitæ modo essent: quidam pet vim, plures fraudibus, fallaciisque, at pauci vera via illuc nitebantur. Nihil turpius cogitari potest, quam quod post Eliasibi pontificis mortem duo filii fecere. Nam & Jesus summum sacerdotium, ope Bagosis, ducis barbari, per nefas fratri Janni ereptum ibat, qui rite illud, atque ex lege acceperat: & Jannes, ut acceptum retineret, majus flagitium in se admisit; illum enim ipsum Jesum, in templo Numinis, atque inter religiones, manu sua obtruncavit [2], fratrisque sanguine respersit aras. Janni non multo post successit Jaddus. Atque hujus pontificatum rursus Manasses frater speravit. Sed is Manasses, cum contra legis edictum Sanaballetæ filiam, mulierem peregrinam, in matrimonio haberet, orta hinc populi seditione, intellexit aut solvendam sibi affinitatem soceri potentissimi, aut hercle, quod secundum erat, amittendam spem esse summi sacerdotii. Hic cum diu anxiam mentem in partes varias egisset, tandem, communicatis cum socero consiliis, facinus nobile concepit, quod omnis posteritas loquitur, sed nulla probat. Templum enim ædificare in Garizin, monte Samariæ altissimo, destinavit, ejusque rei potestatem mox ab Alexandro per Sanaballeten accepit. Ita, qui Jerosolymæ fungi amplissima dignitate, propter violatam legem nequibat, in adulterino templo, saltem quo poterat pacto, pontifex fuit atque id assecutus, jam digito cœlum se putavit attingere. En cor nequissimi hominis, in quo tu dubites ambitio major, an impietas fuerit. Et tamen exile hoc videtur, præ ut alia sunt, quæ Onias quartus fecit, cupidine dominationis. Is, pontifex factus, cum imparem se Jasonis factioni cerneret, in gratiam Antiochi Epiphanis, quod illo defensore indigebat, leges Mosaicas ejuravit: pro quibus religiones & ritus suscepit Græcorum tum & ne circumcisionis notas in corpore gereret, præputium arte medica paravit, [3] suisque omnibus, idem ut facerent, author fuit. Demum Antiochi Epiphanis impietas, ministro hoc pontifice, omnia Judæorum instituta pervertit. Et jam nihil prisci integrique moris supererat, cum Matthias Hasmonæus, [4] magnus rerum restaurator, armis sumtis, leges suas Judæis reddidit, remque publicam principis nomine sub imperium accepit. Mortuo illo, principatum Judas gessit, is, qui Macchabæus dictus est. Sed vis tamen magna, auctoritasque in pontifice fuit. Quare Antiochus Eupator postea, Jerosolymam dolo ingressus, cum Oniæ diffideret, quod pendere ex illo populum & rerum momenta cernebat, pontificem in loco ejus Alcimum fecit. Sed is, sacrum honorem ubi adeptus esset, longe pravior fuit. Statim enim ad Demetrium Seleuci filium transiit, principemque Judam, quem ferre imperitantem nequibat, criminatus apud regem est; Inquieta in se res impietas est; nunquam uno scelere contenta fuit. Igitur Bacchidem regium præfectum, cum armata manu, adversus patriam adduxit: reversoque illo, re infecta, ad regem, copias militares, quas a Bacchide acceperat, concursu hominum sceleratorum auxit. Omnes undique parricidæ, sacrilegi, adulteri, quos flagitium consciusque animus exagitabat, ad Alcimum venere; & ipse blanditiis, alloquiis, largitione, omnium officia provocabat. Ad extremum, præclarus hic pontifex muros etiam sanctuarii, qui a vatibus atque ab Hasidæis erant ædificati, diruere paravit, ut hoc quoque ad ejus laudes accederet. Sed talia agentem atque meditantem mors occupavit, constitutusque in ejus loco pontifex a populo Judas est, qui omnium primus summum sacerdotium una cum principatu gessit. Hoc idem post eum Jonathas, Simon, & Jannes fecere, donec Aristobulus, [5] posito principis nomine, regem se tulit. Ita tandem, post Sedeciam extinctum, reges iterum Judæa accepit, sed Levitas utique, quorum ultimus Antigonus [6] fuit. Illo pulso occisoque regnum Herodes tenuit, quod ante a Romanis [7] acceperat, homo non her-

cle regia stirpe, neque sacerdotali familia ortus, sed de Idumæorum gente, [8] insititius Judæus. Non enim Idumæi vere Judæi erant, [9] sed habiti modo appellatique Judæi sunt, ex qua tempestate eos Hyrcanus religiones ceremoniasque suscipere veri Numinis coegit, cum antea Deum, nescio quem, Consan [10] colerent, cujus sacra semper custodierat illustris in illa natione Costobarorum domus. Celebrata est Sameæ vaticinatio, qui Herodem Judæis regem datum iri, sed in pœnam pestemque, multo ante prædixerat. Neque profecto aliter cecidit. Statim enim Idumæus ille Aristobulum pontificem, [11] admodum adolescentem; mox Hyrcanum ex Parthis allectum; [12] postremo quicquid de Hasmonæorum sanguine supererat, extinxit [13] sustulitque. Neque melius actum cum septuaginta senibus [14] est, qui assessores magni concilii erant, quod Sanhedrin appellitant. Ita submotis omnibus, unde metus aut periculum erat, paulatim insurgere, atque ex magno imperio usurpare licentiam cœpit. Patria enim Judæorum instituta mutavit, nova invexit, multa contra leges fecit; de qua re sic loquentem audire Josephum libet: ξενικοῖς ἐπιτηδεύμασιν ὑποδιέφθειρε τὴν πάλαι κατάστασιν, ἀπαρεγχείρητον οὖσαν. Ἐξ ὧν οὐ μικρὰ καὶ πρὸς τὸν αὖθις χρόνον ἠδικήθημεν, ἀμεληθέντων ὅσα πρότερον ἐπὶ τὴν εὐσέβειαν ἦγε τοὺς ὄχλους. *peregrinis studiis veterem disciplinam labefactavit, in qua nihil novi tentatum erat. Ex qua re nostris his, quæ post insecuta sunt, temporibus, non mediocriter læsi sumus. Neglectui enim habita ea omnia sunt, quæ antea multitudinem ad pietatem perducebant.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM SEXTUM.

[1] *Rebus gerendis præfuerunt*) Quod post restaurationem Reipubl. Summi Sacerdotes Rempublicam administrarint ex Jaddi historia, teste *Joseph. lib.* XI. *Antiq. Judaic. c.* IV. & iis, quæ ubique tradit, conjiciendum. *Post captivitatem*, inquit, *& dedicationem templi incoluerunt Judæi Hierosolymas. Instituta autem Republica ea forma, quæ per Optimates cum paucis administratur. Penes Pontifices enim fuit summa autoritas, donec Hasmonæorum gens, mutato rerum statu, regnum obtinuit*. Et ne forte putet B. L. non statim a reditu, sed a dedicatione templi summam potestatem in Pontifices, & tribum Levi fuisse translatam, audiat, eundem *Josephum lib.* XX. *c.* VIII. hæc clarius explicantem: *Post septuagesimum captivitatis annum Cyrus Persarum Rex dimissis Babylone Judæis, & reversis in patriam, permisit templum condere, quando Jesus Josedeci filius assumsit summum Sacerdotium. Hic & ejus posteri quindecim universi, ad Regem Antiochum Eupatora usque statum Reip. popularem rexerunt*. Hoc etiam pluribus argumentis demonstravit *Georg. Eric. Phaletran. de ablat. Sceptr. Judaic. cap.* II.

[2] *Manu sua obtruncavit*) Et hæc causa fuit, ut Judæi per *Bagoam* seu *Vagosen* mulctati fuerint septenniumque pressi, cujus rei occasio fuerat nefanda cædes *Johannis* Pontificis summi, qui fratrem *Josuam* vel *Jesum*, *Bagoæ* amicum, de Pontificatu cum ipso altercantem, in Templo occiderat, cujus rei indignitate *Bagoas* motus, cum exercitu advolat, urbem intrat, templum diripit, ac *Johanni*, impie ipsum agere dicenti, respondet, *magis impie ipsum*, quod fratrem in templo occiderit, egisse. Vid. *Matth. l. c. pag.* 290. *seq. Josephus lib.* XI. *Antiquit. Judaic. c.* VII. id refert. *Porro*, inquit, *Vagoses Dux alterius Artaxerxis, templum violavit, & tributa Judæis imposuit: nec prius permisit quotidianas offerri hostias, quam pro unoquoque anno vectigal exigeret drachmas quinquaginta. Hoc autem ex hujusmodi causa contigit: Frater erat Johannis Jesus, cui Vagoses amicus existens, promisit Sacerdotii Principatum dare. Qua confidentia Jesus altercatus in templo adversus Johannem, incitavit fratrem, ut eum interficeret, & tantum in Templo facinus Johannes in fratrem committeret, quod nunquam, nec apud Græcos, nec Hebræos, ita crudeliter vel scelerate factum est.*

[3] *Præputium arte Medica paravit*) Venire in quæstionem solet, an fieri talis repræputiatio possit, quod in eo majus sententiæ nostræ stabilimentum, probare tenemur; Judæos primum, quorum causa hic agitur, testes advocamus, & quidem ante alios *Josephum Antiq. Judaic. lib.* XII. *c.* VI. qui nobis unus instar omnium cum tali modo loquitur: Μενέλαος καὶ οἱ Τωβίου παῖδες πρὸς Ἀντίοχον ἀνεχώρεσαν καὶ τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἀπεκάλυψαν ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπίδυσιν Ἕλληνες. i. e. *Menelaus & Tobiæ filii ad Antiochum profecti sunt, & — circumcisionem adduxerunt, ut nudi essent Græcis similes*. Testatur id porro *R. Moses Maimon. Hilc.* מילה *cap.* III. §. 3. כל המפר בריתו של אברהם אבנו והניה ערלתו או משכה אף על פי שישנו תורה ומעשים טובים אין לו חלק לעולם הבא i. e. *Quicunque irritum facit fœdus Abrahami Patris nostri & relinquit præputium aut attrahit, etiamsi legem recipiat, ac bonis operibus abundet, non habet partem in seculo futuro*. Nec defuere inter sanctos Patres, qui huic sententiæ assurgere non dubitarunt, quos inter primas sibi vendicat *Epiphan. fol.* 538. inquiens: *Hoc vero adhuc gravius est, quod etiam a circumcisione præputiati fiunt ARTE QUADAM MEDICA, per instrumentum attractorium* σπαθιστῆρος *appellatum, internam membri cuticulam attrahi sinentes, futuramque admittentes & glutinatoriis circumdatis præputium rursus superinducunt*. Quid quod ipse Apostolus 1. *Corinth.* VII. 18. dicit: *Circumcisus aliquis vocatur ne attrahat*. Tales Hebræi משוכים vocant, quasi ἐπισπαστικὰς ab attractu pelliculæ scil. vid. cl. *Johann. Drusiii annot. ad h. l.* cui adstipulatur *Capellus* ita commentans: Qui præputium attraxit ad Hebræis dicitur משוך, quod exquisite respondet Græcæ voci ἐπισπασθεὶς, de quo sic *Rabba in Genes. sect.* 46. *Traditum est* τὸ ἐπισπασθέντα *non opus habere circumcisione. R. Juda dixit, circumcidatur propterea quod illius præputium est* כבושה *subactum (vel coactum.) Hieronymum* autem valde miramur, qui, quamvis Hebrææ linguæ peritus, dixerit tamen: *non esse potestatis nostræ præputium adducere post circumcisionem libr.* 1. *in Jovian.* quod veritati reclamare satis notum, etenim si priora loca a nobis adducta non sufficiant, en adhuc alium, qui occurrit in *Baal Aruch.* In Jelammedenu dicitur. Quid est circumcisus in præputio circumcidebantur & attrahebant sibi præputium, hi numero quinque erant &c. atque ita fieri posse agnoverunt gentiles: unde *Dioscorid. lib.* 3. *c.* 51. hujus rei mentionem ter injicit, primum cum de *Aloe* agit, quæ juxta ejus mentem *disrupta* puerorum præputia adglutinat. Secundo cum mel nominat *lib.* 1. *c.* CI. & tertio, cum de *Tapsiæ* succo scribit. *lib.* 4. *c.* CLVII. Hinc colligimus *arte medica* hanc attractionem præputiorum factam. Probat hoc *Drusius ex Epiphan. Erasm. ex Cornel. Cel. lib.* 7. *c.* XXV.

[4] *Matthias Hasmonæus*) Cum enim fœdum illud, & non nisi sceleribus nobile monstrum, *Antiochus Epiphanes Æeypto* subacta jam Judææ immineret, Herosolymisque captis, populo religionem patriam & omnem eripere conaretur libertatem, nemo de tribu Juda, sed *Matathias*, Johannis filius, Simeonis nepos, ab abavo Hasmonæus dictus primus ad arma conclamavit, suoque exemplo opes vitamque libertati impendere, fractos jam Judæos docuit. Fuit autem hic Matathias, ut autor histor. *Machab. c.* II. *in princ. &c.* XIV. *v.* 29. nec non *Josephus lib.*

lib. 12. *c.* 8. teſtantur, ἱερεὺς ἐξ ἐφημερίας Ἰωάριβος. Sacerdos ex vice, & ita ex familia præclariſſimi illius, & primæ ſortis Sacerdotis, Joaribi, qui ex poſteris *Eleazaris*, filii Aaronis. vid. 1. *Chron.* 24. 7.

[5] *Ariſtobulus*) Recenſet hic Autor noſter ſucceſſores ex ſtirpe Haſmonæorum, incipiens a *Matathiæ* ſucceſſore uſque ad Ariſtobolum. *Matathiæ* fatis concedenti ſucceſſit filius J*udas*, cognomento Maccabæus, qui Dynaſtiam politicam Pontificatui jungens arma & aram una manu tractare, primus inſtituit 1. *Maccab.* III. J*oſeph. lib.* XII. *c.* 12. *&* 17. Succeſſorem autem utriuſque dignitatis fratrem habuit J*onathanem*. 1. *Maccab.* IX. J*oſeph. lib.* XIII. *c.* 1. *&* 5. qui Tryphonis perfidia & captus & cæſus *Simoni* fratri Dynaſtiam & Sacerdotium reliquit 1. *Maccab.* XXIII. *& ſeq.* J*oſeph. lib.* XIII. *cap.* XV. Hic ſucceſſorem habuit J*ohannem* cognomento *Hircanum.* J*oſeph. lib.* XIII. *c.* 15. Huic vero filius *Ariſtobulus* ſucceſſit, qui primus diademate arrepto Principatum Judaicum ad priſtinam revocare majeſtatem, nomenque Regis uſurpare, auſus fuit, J*oſeph. lib.* XIII. *c.* 19. Sed admodum breve hujus gloriæ fuit gaudium. Nam vix anno elapſo omnem hanc dignitatem *Alexandro* fratri, mortis imperio relinquere coactus fuit. Hic vero duos relinquit filios, *Hyrcanum*, qui ſegnior, quam ſpiritus regios decebat, & *Ariſtobulum*, induſtrium quidem ſed temerarium & ambitioſum. *Alexandro* mortuo uxor ejus, *Alexandra*, filium Hyrcanum Pontificem conſtituit: ipſa vero prætextu teſtamenti mariti defuncti, regni ſuſcepit gubernacula, conſentientibus & filiis & populo. Fatis cum & hæc ſuccumberet, *Hircanus* regnum pontificatui more majorum rurſus conjungere nititur, cui *Ariſtobulus* reſiſtit, conſcriptoque exercitu, quod jure non poterat, armis obtinere molitur. Quæ ambitioſa *Ariſtobuli* temeritas, non tantum familiæ Aſmonæorum, ſed toti etiam regno Judaico fatale intulit excidium, uti hiſtoriæ teſtantur; vid. Nold. hiſtor. Idum. *p.* 155- 156.

[6] *Ultimus Antigonus*) Qui ab *Herode*, expugnata urbe, in vincula conjectus & ultimo ſupplicio affectus eſt. Expugnatis enim Hieroſolymis *Herodes* de Antigono tollendo potiſſimum ſollicitus fuit, veritus, ne, animis diuturnitate temporum mitigatis, in gratiam ſimul ac regnum reduceretur. Quare nunquam deſtitit *Antonium* irritare, uſque adeo, donec perpulit, ut *Antigonus*, nullo tali exemplo cognito, *Antiochiæ* capite plecteretur. Cujus rei teſtis eſt non modo J*oſephus lib.* XV. *Antiq.* J*ud. c.* 1. ſed & *Dio Caſſius lib.* XLIX. *hiſt. Rom.* ubi Antigoni ſupplicium pluribus explicat, inquiens: Ἀντίγονον ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας, καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξε: quem locum male reddit *Xylander*: *Antigonum cruci alligatum flagris cecidit & deinde jugulavit*. Nam vocem σταυρὸς *palum*, denotare, ex ἀποσφάττειν improprie a *Dione* pro ἀποτέμνεσθαι adhiberi, obſervavit *Caſaubonus Exercit*. 1. *App. annal-Baron. n. 6.* ubi ita hunc locum interpretatur: *Antigonum virgis cæſum & ad palum deligatum, poſtea etiam occidit*. Verum J*oſephus lib.* XIV. *circa fin.* & *Plutarch. in Anton.* & *Egeſippus* ſecuri tantum percuſſum *Antigonum* affirmant.

[7] *Ante a Romanis*) Antonius impenſe *Herodi* favens ob parentis *Antipatri* virtutem bellicam, in mentemque ſibi revocans, quod non inutilem parenti in bello Ægyptiaco navarit operam, cujus intuitu Herodi ſuccurrere decrevit; Quare convocato Senatu *Herodem* ob ſingulare ejus in Rempublicam Romanam ſtudium, interpretibus *Meſſala* ac *Atratino* commendarunt, & exaggerata inſuper *Antigoni* & *Parthorum* inſolentia; effecerunt, ut *Herodes* omnium ſuffragio Judææ Rex declararetur; quod Coss. C. *Domitio Calvino* iterum & C. *Aſinio Pollione* Olymp. 184. accidiſſe memorat J*oſephus lib.* XIV. *Antiq.* J*udaic. cap.* XXVI. Et licet *Euſebius lib. poſter. Chron. ad ann.* 1980. transferre velit, attamen ab *Excell. Georgio Green hiſtor. Profeſſ. Witteberg.* ad objectionem reſponſum, cujus epicriſis hæc eſt: Manet ergo, *Herodem Romæ* Regem J*udææ* eſſe renuntiatum anno U. C. C*apitolino* 713. *Varroniano* 714. &c. Calculum album his adjicit cl. *Georg. Eric. Phaletran. de ablation. Sceptr.* J*udaici*. *cap.* III his verbis. Filius huic (Antipatro) fuit *Herodes*. Hic paternis inhærens veſtigiis, calliditate ingenii, animique magnitudine tandem eo pervenit, ut *Marci Antonii* auſpiciis a S. P. Q. R. fuerit Rex Judæorum declaratus; quam dignitatem poſt victoriam Actiacam illi *Auguſtus* Cæſar confirmavit. vid. J*oſeph. lib.* XIX. *cap.* XXVI. *& lib.* XV. *c.* X. Conf. C*hriſt. Noldii hiſt. Idum. pag. m.* 25. *edit. Franequer*. 1660.

[8] *De Idumæorum gente*) Magna ſemper inter Eruditos controverſia acta eſt, qualis *Herodes* fuerit? Sunt qui exiſtimant, *Herodem* fuiſſe *Aſcalonitam*, adeoque Gentilem: hanc ſententiam multi ex Patribus tenent, *Epiphan. Ambroſi. Euſeb. conſ. Georg. Eric. Phaletrani tr. de ablation. Sceptr.* J*udaic. cap.* XI. ſecuti Julium Africanum, ut obſervat cl. *Caſaubon. Exerc. I. num.* 5. *ad append. Annal. Baron.* Sed enim vero, cum Africanus ipſe parum relationi ſuæ tribuat, eamque nullis teſtibus firmatam eſſe fateatur, non eſt, ut a J*oſephi* teſtimonio recedamus. *Nicolaus Damaſcenus*, Scriptor antiquiſſimus & ipſiuſmet Herodis contemporaneus, genus *Herodis* deducit e primatibus Judæorum, qui e Babylonia in Judæam reverſi ſunt, ut refert J*oſeph. lib.* 14. *Antiquit.* J*udaic. cap.* 2. Hujus veſtigia ſedulo legit *Auguſtin. Torniell. in Annal. ſacris & profanis ad A. M.* 4018. ubi totus in eo eſt, ut evincat, Herodem e proſapia Judæorum fuiſſe oriundum. Urget vero præter *Damaſceni* teſtimonium (1) quod, ſi Herodes fuiſſet *Idumæus*, procul dubio Judæos ad gentis ſuæ ritus traxiſſet, vel ſaltem Idumæos in priſtinæ religionis libertatem vindicaſſet. (2) Non eſſe probabile creditu, *Antipatrum*, Herodis patrem, Judæorum præcipuos adverſus *Ariſtobulum* excitare potuiſſe, ſi ipſe non fuiſſet Judæus. Nec (3) credibile eſt, *Hyrcanum* ſuam ex filia neptem dare auſum *Herodi* uxorem, ſi ſtirpis fuiſſet alienigenæ. (4) Hoc pacto J*udæos* fuiſſe ſubjectos *Idumæis*, contra vaticinium Geneſ. XXV. 23. cap. XXVII. 29. & quæ alia ſunt, quæ profert. Verum nos media incedimus via, & *Herodem* neque Gentilem, neque Judæum κυρίως ſic dictum, ſed *Idumæum* gente, religione Judæum fuiſſe aſſerimus.

[9] *Non enim Idumæi vere* J*udæi erant*) Teſtatur J*oſephus lib. XIII. Antiq.* J*udaic. cap. XVII.* quod Idumæi a J*oanne Hircano* ſubjugati, circumciſionem reliquoſque ritus admiſerint & ex eo tempore primum Judæis annumerati ſint. Obſervandum autem eſt, quod vox J*udæus* triplicem habeat ſignificationem. (1) pro eo ſumitur, qui origine talis eſt. (2) pro Proſelyto tam *juſtitiæ*, quam *domicilii*. Ita *Idumæi* ab *Hyrcani* tempore dicti Judæi, & ſic etiam *Herodes Aſcalonita*, ἐπιχώριος, *Strab. Geogr. XVI.* quin τὸ γένος ἰουδαῖος. *Antiq.* J*oſ. XX. cap. VI. Hegeſip. excid. II. cap. VIII.* (3) qui & origine & religione talis eſt. Hinc merito quæritur de *Herode*, an *Idumæus* fuerit ἀλλόφυλος? Affirmant cum *Euſebio hiſt. Eccleſ. I. cap. VI.* & *in Chron.* plurimi. *Epiphan. lib. I. adverſ. hæreſ. tom. II pag. m.* 118. *Auguſtin. lib.* 18. de Civ. Dei, *Phot. Biblioth. codic.* 238. Scaliger autem animadverſ. pag. 148. 159. 249. & *Cauſabon. Exerc.* I. poſt *Tornellum*, negat. Ratio ipſis præcipua eſt, quod *Herodes* patre natus proſelyto, & quod *Idumæi* jam inde ab *Hyrcani* tempore pro Judæis fuerint habiti. Unde ſic argumentatur Scaliger: *Nulli* J*udæi erant alienigenæ Idumæi ab annis XC. ſive ab Hyrcano, erant* J*udæi*. Ergo. Sed hæc haſta, ſtipula eſt. Idumæi non erant proprie Judæi, ſed tales, qui vel ἐπιχώριοι, ſeu nati in Judæa erant alienigenæ. Proprie enim Judæi non niſi qui tales origine i. e. Jacobitæ eſſent. Unde in argumento *Scaligeri* major procedit de Judæis primæ & tertiæ ſignificationis, non ſecundæ. Certe ſi *Herodes* proprie fuiſſet Judæus, non opus habuiſſet libros Genealogicos incendere. Teſte *Euſeb. lib. I. hiſt. Eccleſ. cap.* 7.

[10] *Coſan*) Conſtat ex J*oſepho Idumæos Coſan* ceu Deum coluiſſe, qui cum ab Hyrcano victi eſſent, huic Deo, *Coze*, renunciaſſe. Hinc *Coſtobarus*, qui etiam *Coſtabarus* apud Joſephum lib. 16. Antiq. c. 11. dicitur forte a Coze idolo Idumæorum, cujus antiſtites, majores ejus fuerant. J*oſeph. Antiq. lib.* 15. *cap.* 2.

[11] *Mox Ariſtobulum Pontificem &c.*) Reſtabant tunc de Maccabæorum ſanguine Hyrcanus Pontifex jam decrepitus illiuſque ex filia nepos Ariſtobulus & neptis Mariamne, quorum pater fuit capti Ariſtobuli filius, *Antigonus* ſive *Alexander*, qui *ſecuri* ab *Antonio* percuſſus. Hunc ſcil. Ariſtobulum, ſummoto

Ana-

Ananelo, uti *Euſeb. lib.* 1. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 7. vertente *Muſculo* teſtatur: Herodes, acceptato a Romanis regno, ſummos Sacerdotes non eos amplius conſtituit, qui eſſent ex antiquo Sacerdotum genere. Hunc abrogat Herodes referente *Joſepho lib.* 15. *cap.* 3. & Ariſtobulum decimo ſeptimo ætatis anno Summum Pontificem conſtituit; paulo autem poſt ob ſtudium gentis lacu prope Hiericho ſubmerſit. *Joſeph. Antiq.* 15. *cap.* 3. *Bell. Jud.* 1. *cap.* 17.

[12] *Hyrcanum ex Parthis allectum*) Contra jus Gentium fidemque datam *Hyrcanus* a *Parthis* captus illuc ducebatur. Hunc blanditiis iterum Hieroſolymam pertractum primum in ſummo honore habuit, adeo ut neptem *Mariamnem* connubio ſibi jungeret; verum paulo poſt *Hyrcanum* ferro ſuſtulit. *Joſeph. lib.* 14. *c.* 3. 6. *&* 10. *& lib.* 15. *c.* 13. *&* 28.

[13] *Extinxit*) Inſtigatores erant *Salome* & *Antipater*, qui conſilium dabant, ut familiam Haſmonæorum perderet. Horum calumniis Herodes incitatus *Mariamnem* Regii ſanguinis fæminam, ſuam etiam uxorem peremit. *Joſeph. Antiq.* 15. *cap.* 2. *Bell. Jud.* 1. *Euſeb. Chron. lib. prior. Hegeſipp. Excid.* 1. *cap.* 37. Addit ſcelus ſceleri & una cum ea fratrem uti diximus *Ariſtobulum* & *Avum Hyrcanum*, matrem *Alexandram*. *Joſeph.* 15. *cap.* 2. & duos ſuos ex ea filios Alexandrum & Ariſtobulum. *Joſeph.* 16. *cap.* 17. interficit.

[14] *Actum cum LXX. ſenibus*) *Herodes* regno potitus totum Synedrium exceptis paucis, referente *Lightfoot. in hor. Talmud. p.* 203. *edit. Lipſ.* ſuſtulit; Cl. Schickard in משפט המלך. p. m. 154. vult quidem totum, unico excepto *Schammai*, quem ſolum ob parrheſiam honoraverit. *Noldius in hiſtor. Idum. p. m.* 421. hæc recenſet: Quanquam vero hoc Concilium per *Herodem* tolleretur (cauſam addit *Talmud. in Bava Bathra*: Dixit *Herodes Synedrio*: *Quis legit, ex medio fratrum tuorum Regem pones ſuper te? Dixerunt ei Magiſtri. Surrexit ergo & occidit omnes Magiſtros reſervato ſibi Baba, filio Buthæ, &c.* Scil. *Herodem* ut alienigenam noluerunt agnoſcere; ut Gloſſ. ibid.) *Joſeph. Antiq.* 15. *cap.* 13. *&* 14. 17. *Pollionis* mentionem facit: Nam *Herodes* cum ſæviret in reliquos aſſeſſores, *Pollioni* huic & Sameæ pepercit.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De Meſſia, Judæorum atque gentium omnium rege. Myſticæ vocis ſcriptio in verbis Eſaiæ. Bileami vaticinium ex Judæorum interpretatione. Quid ſingulare in hoc regno. Rabbi Abrahami animadverſiones in Maimonidem. Ezechielis obſcuriſſima oracula de templo, deque ſacris in regno Meſſiæ. Nimis imprudenter in iſthæc inquiri.

ATQUE hunc quidem in modum, poſt reditum Judæorum ex Babylone, imperium ii tenuere, quorum id minime fuit, primum pontifices, mox principes Haſmonæi Levitæ, [2] dein reges ex eadem tribu, ac tandem Herodes Idumæus, is, ſub quo natus Meſſias eſt, rex regum, ex familia Davidis ortus, ad quem unum referri demum illud oportet, quod promiſerat Davidi Deus, æternum fore ſolium ejus, conſeſſuramque in illo prolem ejus. Non enim profecto de Salomone illud, neque de nepotibus ejus dictum eſt, ſiquidem illi regnum ſemel amiſſum nunquam poſt exilium Babylonienſe receperunt, & omnino vana falſaque fuiſſet Numinis promiſſio, quod cogitare ſumma impietas ſit. Quare ita habendum eſt, prolem eam eſſe Meſſiam, libertatis noſtræ vindicem aſſertoremque, de quo angelus iſtud pronuntiavit, quod ſcriptum apud Divum Lucam extat, τῆς βασιλείας αὐτῦ ὐκ ἔσαι τέλος. *regnum illius ſine fine erit*. Ea verba traduxit angelus ex Eſaiæ capite nono, ubi Rabbi Jarchi notavit, דרך דרש הסופרים שה״מם סגור בתוך המלה: *ſubtili quodam diſceptationis modo quæſitum olim a ſcribis eſſe, cur in medio vocis, contra quam fieri ſolet, poſitum a vate* ם *clauſum ſit*. Utique haud de nihilo fuit tam anxia hæſitatio, & viſum Talmudicis eſt, ſignificari ea re myſterium quoddam ingens, quod non promiſcue, nec omnibus pateret, ſed reductum, & in interiore ſacrario clauſum eſſet. Cum permulta extent in ſacro codice oracula de rege maximo Meſſia, nullum æque Judæi dignum admiratione exiſtimant, quam illud, quod Numinis inſtinctu effatur Bileamus in Numerorum capite viceſimo & quarto. Sed iidem, cum ſenſa vatis penitus introſpicerent, ſagaciter deprehenderunt, non iſthæc de uno rege dici omnia; quare ita dividendum eſſe oraculum, pars ut ejus ad Davidem, qui ex Judæa ſtirpe primus regnum tenuit, cætera ad Meſſiam pertineant, ultimum quidem ex eadem ſtirpe regem, ſed majorem cæteris, potentioremque. Quæ perſecutus accuratiſſime Maimonides eſt in fine Miſnæ. Ibidem etiam maximus magiſter eos refellit, qui alium naturæ vultum, & rerum perpetuo euntium novum curſum in regno Meſſiæ exſpectant. Non enim intellexiſſe eos Eſaiæ verba ait, quæ ſunt in capite undecimo: eſſe enim illic ænigmata quædam, quibus ſignificatum eſt, quietem piis boniſque omnibus fore inter nefarios & ſceleratos, nihil ut metuendum ab illis ſit. Nam quod Rabbi Abraham, Davidis filius, Maimonidem hic reprehendit, & ex legum Moſaicarum libris illud recitat, השבתי חיה רעה מהארץ penitus diverſum eſt, & ad tempora Meſſiæ non pertinet. Sed profecto perſæpe ſolet acris ille & diligens vitiorum Maimonidæ animadverſor quædam ejuſmodi ſublegere, quæ ſpeciem magis ſolidæ rationis, quam vim habent, & excuſſa evaneſcunt. Quoties ſacra ceremoniaſque & religio-

ligionum ſolennia perluſtro, quæ in extrema parte libri ſui ſanctiſſimus vates Ezechiel deſcripſit, ſubit animum meum cogitatio, quid ea velint, aut quo referenda ſint; adeo diverſa ſunt ab iis, quæ Moſes præcepit, neque unquam uſurpata a Judæis ſunt; id quod ipſi confitentur. Sed quid de illis habendum ſit, conſtitutum in Talmud eſt, in tractatu quem Menachoth appellant. Breviter autem rem complexus Maimonides eſt in Miſna, libro octavo, cap. 2. Neque nos pigebit verba ejus hic referre. Ait igitur. כל שיעורי הנסכים האמורים בספר יחזקאל ומנין אותן הקרבנות וסדרי העבודה הכתובים שם כולם מילוים הן ואין נוהגין לדורות אלא הנביא צוה ופירש כיצד יהיו מקריבין המילוים עם חנוכת המזבח בימי המלך המשיח כשיבנה בית שלישי: *Omnes modi libaminum, de quibus agitur in libro Ezechielis, & quæcumque illic ſcripta extant de numero oblationum, deque ordine divini cultus, nihil ſunt niſi ſacrificia pacifica, quæ mortalium ſeculis uſurpata non ſunt, neque in morem popularem tranſivere. Jubet autem exponitque vates, quo pacto peragere debeant ſacra pacifica in dedicatione novæ aræ, temporibus Meſſiæ, cum exſtruetur templum tertium.* Non eſt hoc ſomnium Judaicum, neque Talmudicorum commentum; vera certaque res eſt; aliud templum, quod in Meſſiæ regno foret, aliaque ſacra deſcripſit vates: atque etiam ſtructuram templi, atria, portas, cæteraque ad legem operis accuratam exegit. Quare Judæi ajunt, formam ejus non plane intelligi: Ezram autem, cum ædem ſecundam, ad inſtar ædis Salomonicæ, conderet, etiam illa ſecutum eſſe, quæ de tertio templo Ezechiel præcipit, ſed non ultra, quam captus hominis ſanctiſſimi fuit in re obſcura implicataque. Hoc illud eſt, quod ſignificavit ſummus Rabbinus iis verbis, quæ ſubjecimus ex cap. primo, Halacha Beth Habbechira: בניין שבנה שלמה כבר מפורש במלכים: וכן בניין העתיד להבנות אף על פי שהוא כתוב ביחזקאל אינו מפורש ומבואר ואנשי בית שני כשבנו בימי עזרא בנוהו כבניין שלמה ומעין דברים המפורשים ביחזקאל Eſt tamen Judæorum hallucinatio in eo non levis, quod exſtructum iri a Meſſia ædem ejuſmodi ſperant, quæ adſpici, adiri, & pedibus calcari poterit. Quod ſecus eſſe, nos profecto, qui in Meſſiæ regno nati ſumus, intelligimus. Omnia ea quæ de modo ædificii, deque partibus ejus dicta illic ſunt, occultiorem ſenſum habent: ſingula autem quid ſignificent, aut quo pacto ſint explicanda, difficile dictu eſt. Ego hercle, quod Xenophanes Colophonius apud Marcum Terentium Varronem ait, id omnibus hic ſuadeo, uti *quid putet quiſque, non quid contendat, ponat; hominis enim eſt hæc opinari, Dei ſcire.* Utique Judæi, cum גנוזין appellent quaſdam Biblici codicis partes, quarum interdicta lectio adoleſcentibus, juvenibuſque eſt, in earum numero illa ponunt, quæ vaticinatus in fine libri ſui Ezechiel eſt. Neque id injuria illos ſtatuiſſe exiſtimo. Eſt enim omnis ſermo ille numero Platonis obſcurior. Advocent induſtriam ſuam omnes, qui ſe divinæ ſapientiæ conſultos videri poſtulant. Sudabunt ſatis, antequam minimum quiddam earum rerum, illic quæ reconditæ ſunt, aperiant.

Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum.

Sed multa conjectanti, opinor, nihil procedet. Pro certo conſtat, hæc & alia hujus generis quædam eſſe, quæ adiri humanis animis ſummus Deus noluit. Etſi enim in hac Evangelii luce ingens progreſſio facta ad cognitionem, ſcientiamque ſit, aliquid tamen relictum admirationi eſt. Quare in his oculorum arcanis ultra id tendere, quod in expedito ſpiritus ſacer poſuit, ſtolidæ audaciæ ſit.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

[1] *Primus Pontifex*) Incuſat Author noſter (1) Pontifices, quod poſt captivitatem Babylonicam ſummum imperium tenuerint, quod ipſis non licitum fuiſſet, cum illorum munus fuerit, ſacris non politicis rebus præeſſe; quam ob rem cum hoc feciſſent pœnas incurriſſent. Jam autem ex præcedentibus annotatis conſtat, Pontifices poſt captivitatem dignitatem hanc ſibi applicuiſſe; Hinc author noſter putat, male feciſſe. Quod autem penes Pontifices ſumma regiminis poteſtas tunc temporis fuerit, probamus hoc modo. Cum enim *Alexander Magnus* ad expugnationem *Tyri Judæorum* ſubſidia ſibi expetenda eſſe judicaret, ad *Jaddum* Pontificem literas dedit, uti *Joſephus libr.* XI. *c.* VIII. teſtatur. Idem poſtea fecit *Ptolomæus Philadelphus* Rex *Ægyptiorum* & *Lacedæmoniorum* ἄρχων, *Arias*. Sic & alii plures fecerunt, uti *Joſeph. lib.* XII. *c.* II. probat. Id quod ſane hi Reges in tam arduis negotiis non feciſſent, niſi ſumma rerum penes iſtos non ſtetiſſet. Interim qui Pontifices dicti ſunt (prout omnes ante *Ariſtobulum*) ita maluerunt ipſi τὴν βασιλείαν τῆς ἱερωσύνης, &c. *Philo in Legat. ad Caj. pag. m.* 797. Licet igitur *Cunæus* noſter aſſerat Pontifices injuſto titulo imperium tenuiſſe; attamen negari non poteſt, ipſum Jehovam conſtituiſſe, quod ſceptrum de tribu Juda ablatum ad tribum *Levi* Pontificeſque transferri debuerit. Inſtante enim illa ſeculorum periodo, qua *Meſſias* in lucem proditurus humanam erat, placuit divinæ ſapientiæ, eam in populo ſuo adornare Reipubl. formam corporaliter, quam regnum Meſſiæ obtinere debebat ſpiritualiter. Quod cum igitur Rex Meſſias Eccleſiæ ſuæ, ſimul Rex (ut habetur *Eſai.* XXXIII. *v.* 22. *Matth.* IV. 7. *Daniel.* VII. 14. *Luc.* 1. 33.) ſimulque Pontifex (*Pſalm.* CX. 7. *Hebr.* 11. 17. v. 10.) futurus erat, præcipit Jehova *Zachariæ* Prophetæ Joſuam primum a ſoluta captivitate Pontificem duabus coronis ornare, atque ita illum & in illo omnes illos ſucceſſores ſacerdotes

in ſo-

in ſolio i. e. ἀνακτο-τελωνας conſtituere. *Zach. c.* VI. II. 12. Myſticum ſenſum hoc loco Prophetam reſpicere certum eſt: ſenſum vero literalem ad *Joſuam* Pontificem pertinere, illumque juſſu & inſtituto hoc Jehovæ non tantum Pontificem ſummum, ſed & ſummum Principem creatum fuiſſe, minime dubitare debemus. Vera itaque ſunt, quæ de forma Reipubl. Judaicæ reſtauratæ prodidit *Hieronym. in fin. cap.* XXI. *v.* 29. *Ezech.* In Zedekia, inquit, finitum regnum Iſrael de ſtirpe David, qui poſtea uſque ad adventum Chriſti Reges fuerunt, fuerunt pariter & ſacerdotes, & *D. Ambroſ. lib.* II. *in Luc.* Jeconia regnante, Judæi in Babylonem ducti fuerunt, neque poſtea unquam de ſeminc ejus regnum quiſque in Judæa potuit obtinere. Poſtea enim populus de captivitate dimiſſus ſub Sacerdotibus & Tetrarchis fuit.

[2] *Haſmonæi Levitæ*) Meſſiæ *Talmudici* crebro mentionem faciunt. Pernotum eſt, & paſſim in ſcriptis Anti-Judaicis obvium illuſtre illud æternæ generationis Meſſiæ teſtimonium, quod perhibetur *Maſſ. Succah. fol.* 52. *edit. Amſtel.* Tradunt Rabbini de Meſſia, Filio Davidis, qui utinam cito in diebus noſtris manifeſtaretur, dixiſſe ipſi Deum; pete quicquam a me, & dabo tibi Pſalm. II. Itaque poſtquam vidit *Meſſiam* filium Joſephi iri occiſum &c. His ſane verbis Meſſias filius *Davidis* & Meſſias J*oſephi* in ſcenam producuntur a Judæis dicentibus *Meſſiam Joſephi* moriturum in bello & occiſurum. Meſſiam Davidis autem victurum. vid. de his rebus different. Cl. *Stephan. le Moyne ad locum Jerem.* XXIII. 6. *pag. m.* 132. 133. præclar. M. Meelfuhrer. Amic. noſtr. in *diſſert. Jeſus in Talmude edit. Witteberg.* & cl. M. Nicol. Lutkens *diſſert. Solus Davidis filius Meſſias edit. Roſtoch.* 1701.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Status Judæorum poſt Meſſiæ adventum. De reſtitutione Judæorum, quæ adhuc exſpectatur. Quæ ſit dignitas etiam hodie illius gentis. Quantum Judæis noſtra debeat religio. An ſacri libri ab illis interpolati aut corrupti? de Maſoritarum diligentia & fide.

JUDÆOS ſacerdotium regium, genuſque hominum electum dici, & ſacra ſua religioneſque ab illis ſolis ſuſcipi tantiſper voluit immortalis Deus, donec ille dies illuxiſſet, qui Meſſiam terrarum orbi repræſentaret. Ex eo tempore, Dei filius beneficia cœleſtia, quæ diu propria uni genti fuerant, communia eſſe omnium voluit, idque per diſſitiſſimos populos nuntiatum ſolis profuit credentibus. Atque hic vero demum admiranda quædam fuit rerum converſio. Summum enim ſalutis auſpicem, qui cœleſtia regna reliquerat, uti rebus hominum lapſis ſuccurreret, cum gaudio & veneratione receperunt profanæ nationes. At Judæi, quem conſtituto tempore & loco venturum ſignificaverat olim non unus vates, eum veniſſe jam & adeſſe præſentem non intellexerunt. Tanta vecordiæ vis eos pervaſerat. Cæci erant oculi, cum animus alias res ageret, & videre illa recuſaret, quæ poſita in medio erant. Hinc abdicati ſpretique a Numine ſunt, atque *etiam nunc hodie lentem edunt, & amiſſam deflent primogenituram*. Delictum eorum *in duriſſimo adamante* ſcriptum eſſe, Jeremias vates ait. Neque ſane pœnam ipſi ſuam deprecati ſunt, cum illud dicerent, *ſanguis ejus ſuper nos ſit, & ſuper filios noſtros*. Admodum notabile eſt illud, quod Romanis prodidit Divus Paulus in epiſtola, quæ ſcripta ad illos eſt. Ibi * ſic inquit: *nolo vos ignorare hoc myſterium, obdurationem, quæ eſt ex parte, eveniſſe* Iſ*raeli tantiſper, dum plenitudo gentium introierit*. Profecto aderit tempus, cum Judæi in rectam [1] ſemitam reducentur, qui nunc errant miſere ignorantia viæ. Nondum omnium dierum ſoles occiderunt. Fulgebit illis quoque iterum ſua lux. Cecidiſſe eos, non excidiſſe, certum eſt. Publicavit de eadem re etiam Ezechiel quædam oracula, quæ extant in cap. XXXVI. Ait enim futurum vates, uti cœlitus cor novum illis detur, rectioreſque ſenſus in eorum pectore habitent. Tunc tolletur velamen illud, [2] quod vultui ſuo Moſes impoſuerat; convertent enim ſe ad Deum, qui vivere eos in tenebris & ſummarum rerum inſcitia ſivit, uti tandem aliquando occaſione uteretur notæ clementiæ. Atque in hunc quidem modum nos commode iuterpretamur Divi Pauli verba, † ἡνίκα δ' ἂν ἐπιςρέψῃ Ἰσραὴλ πρὸς κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα *. qui locus multis obſcuriſſimus viſus eſt, & quorundam exercuit induſtriam. Res hæc, de qua loquimur, magna eſt, & plane ejuſmodi, uti merito non poſſimus in poſterum Judæos, velut victimas publici odii, penitus averſari, cum adhuc illis tantarum rerum ſuperſit ſpes. Et profecto D. Paulus veneratur eos, & laudibus magnifice effert etiam ſic errantes. Ait enim, *Quorum eſt adoptio & gloria, & fœdera, & legis conſtitutio, & cultus divinus, & promiſſiones: quorum ſunt patres, & ex quibus Chriſtus eſt, quod ad carnem attinet*. Quæ poterat eſſe major nobilitas? Tot patriarchas, vateſque, & reges in avis proaviſque numerant, denique tot excelſos & divina virtute viros, quorum ſunt nomina cœlo conſecrata. Sunt quidem, fateor, hodie vernili atque illiberali inge-

* *In epiſt. ad Roman. cap. XI. verſ.* 25. † *Locus extat in* 2. *epiſt. ad Corinth. cap. III. verſ.* 16. * *Id eſt*, cum autem ad Dominum ſe verterit Iſrael, auferetur velamen.

ingenio cuncti Judæi; neque si vitam eorum aut studia intueare, quicquam magnopere reperias, quod sit magnis atque erectis animis dignum: sed nos ejus rei causam non miramur: habent enim hæc quoque quendam velut orbem: ut, quemadmodum temporum vices, ita & morum vertantur. Profecto, qui dies illis candidam libertatis lucem abstulit, imperiumque de eorum excussit manibus, idem ille ingenuos quoque spiritus eorum perdomuit, nihil ut amplius habeant nunc vividi vigoris. Apud Homer. optimus Eumæus regi suo Ulyssi illud divine ait.

ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα ζεὺς
ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δὔλιον ἦμαρ ἕλῃσι.

Quemadmodum arculæ, in quibus nani fasciis constricti a mangonibus aluntur, corpusculorum incrementa non prohibent modo, sed minuunt quoque, atque contrahunt: ita quælibet servitus compedes quasdam etiam ipsis animis injicit, & generosam suffocat indolem. Quid possunt sublime spirare, qui per tot annos, per totum orbem tantis fatigati contumeliis sunt? quos pueri jam olim lacinia, viri barba traxere? denique in quos omnium Cæsarum detumuit furor; Tiberius juventutem eorum per speciem sacramenti, in provincias gravioris cœli distribuit. Erat insigniter pestilens Sardinia. In hanc missa quatuor millia sunt, uti male interirent. Haud multo pauciores Titus bestiis objecit, cum Beryti, atque Cæsaraæ spectacula ederet. Ipse Trajanus, qui omnium fuit principum lenissimus, decrevit ne legem legerent; quod ab aliis quoque imperatoribus crebro factum postea est. Ea fuit maxima afflictio, & a Rabbi Zacuth inter שמדות *persecutiones* numeratur, cum ait, גזרו שמד שלא יקראו בתור' *decreverunt persecutionem, ne Judæi legem lectitarent*. Sed hæc a paganis facta sunt. Nos, qui arctiore vinculo cum illis sociamur, amemus inter nos, & hoc habeamus commune, quod jussa audimus ejusdem Numinis. Divus quidem Paulus pro illis caput suum devovere cupit: adeo impense amat gentem. Etiam illud ait, *si primitiæ sanctæ, sancta etiam est massa: &, si radix sancta est, etiam sunt rami*. Non ego nunc ambitiose eorum laudes celebrabo: quippe a nulla re magis, quam ab ineptiis, abhorremus. Sed tamen ad hæc sera tempora quod attinet, sane, si bene rationem putamus, haud exiguum est, quod illi genti nostra debet religio. Quinam sunt enim illi, qui nobis Biblica volumina sarta tecta ? servavere, nisi Judæi?* Quot menda scriptionis in sacrum codicem irrepsissent, si illius custodia solis Lactantiis, Augustinis, Gregoriis, Chrysostomis, viris sanctissimis, sed imperitis Hebraismi, mandata fuisset? Inter Græcos omnes Latinosque, qui veterem Ecclesiam rexere, unus Origenes cum Hieronymo Hebraice scivit: & ferme nimium dixi: cæteri nec elementa quidem didicerant. Quare, si quid collapsum incuria librariorum esset, non tali auxilio, nec defensoribus istis tempora tunc egebant. At Judæis unum studium, unaque omnibus cura fuit, libros Mosis, vatumque, & ea quæ Hagiographa appellantur, a temporum injuriis vindicare. Hæc laus eorum propria est. Nulla alia gens in illius gloriæ societatem se offert. In libro Juchasin, quem scripsit Rabbi Abraham Salmaticensis, admodum illustris est locus, ex quo discimus, omnia Biblica exemplaria fuisse emendata ad quendam venerandæ antiquitatis codicem, quem sua manu olim conscripserat Rabbi Hillel, summus Judæorum præsul, qui Babylone in Syriam venerat sexaginta annis antequam Deus dominusque noster Christus nasceretur. Verba ejus dignissima sunt, quæ hic recitentur, במלכות ליאון הוציאו ספר הארבעה ועשרי' אשר נקרא הביבליא שכתב אותם ר' הלל ומשם היו מנוהים כל הספרים ואני ראיתי חלק מהם שנמכרו באפריקא ובזמני היה ט' מאות שנה שנכתבו וחקמתי אמר בחלק הדקדוק בפסוק למען תזכרו שהחומש היה בטולטולא *In regno Leon eruerunt librum Arba Veesrim, qui vocatur Biblia, quem exaravit Rabbi Hillel; atque ex ejus fide emendarunt omnia exemplaria: cæterum ego vidi partem ejus, quæ venalis erat in Africa, eratque tunc meo ævo ante* DCCCC *annos scriptus. Ait Kimchi in sua Grammatica in Pasuk* למען תזכרו, *quod Pentateuchum fuit in urbe Toleta*. Erat igitur illa tempestate penes Judæos arbitrium & vis ac norma emendandi Biblicum contextum. Profecto, quam facile illis fuisset, interpolare ea loca, quæ redarguere eorum deliria videbantur, cum vix tria verba Hebraice intelligerent Christiani? sed obsta-

* Dicat, quæso, *Cunæus*, quot menda in Sacrum Codicem irrepserunt, illum ipsis Hebræis custodientibus? Criticam Sacram legat *Ludovici Cappelli* (Opus sane egregium) *lib.* 3. *cap.* 17. 18. 19. & totum librum sextum, ubi doctissimus Autor Hebræorum Codicum corruptelas, ac dissentientes lectiones in aprico ponit, salva tamen semper morum, ac Fidei doctrina. *Augustinus*, *Gregorius*, *Chrysostomus*, cæterique Ecclesiæ antiqui Patres Dei verbum custodierunt in versionibus reiteratum, quæ quidem Versiones Hebraici Archetypi ingenium unde prognatæ sunt, ita servare videntur, ut sæpenumero ex ipsis versionibus hodiernus textus Hebræus multis in locis sit emendandus, ut recte præfatus *Cappellus* citat. capit. monet, & aliquando doctissimus Vir Hebraici Codicis errata ex Vulgata versione corrigere non veretur. Uno verbo, satis fuit SS. Patribus, satis etiam Catholicæ Ecclesiæ Divinas Scripturas integras, intemeratasque conservare in iis quæ ad morum disciplinam spectant, ex quibus salutaris nostra Fides fulcitur, ac sustentatur.

bat pietas, vetabatque moveri, quæ sacra essent. Et tamen fuere, qui existimarent, mala fide eos descripsisse multa: quibus hominibus luculenter respondit Origenes in octavo volumine explanationum Esaiæ. Equidem ego, quoties Masoritarum indefessam diligentiam considero, pene obstupesco. Omnes enim Hebræi codicis partes accurate recognitas & collatas, notis quibusdam impressis obsignaverunt. Id factum est post templi secundi excidium anno plus minus quadringentesimo tricesimo & sexto. Observatum ab illis est, non modo quot commata & verba, sed etiam quot literas continerent libri singuli. Quare, quod postea, cum summa barbaries orbi incubuisset, nullus apex de præstantissimo illo scripto perierit, illorum beneficium est. Non sine causa illud a Rabbinis est dictum, המסרה סיג לתורה *Masora est velut paries & sepimentum legis*. Apud Rabbi Zacuth, quem jam modo testem laudavi, sunt ineptiæ Judaicæ, quibus (si Deo placet) colligitur, accentus atque puncta tempore Ezræ extitisse. Quod ideo retuli, uti hoc quoque adjicerent ad reliqua sua nugacissima argumenta ii homines, qui hodie negant esse hoc Masoritarum inventum. Sed moneamus illud quoque, in ejusdem Rabbini libro, eadem probatione ad Ezræ seculum referri Targum Onkelos: quod etsi futile est, & facile ostendit, quanti sit prior conjectura, reperiet tamen defensores suos, vel ob hanc saltem causam, ne alterum illud cadat. Agit jam pridem multos tam pervicax studium, uti, dum ad sententiæ suæ præsidium arripiant aliquid, quo modo aut quid arripiant, sua interesse haud putent. Nos, quod sacræ scripturæ lectio incerto in non sit, & mutari jam haud amplius possit, illis Judæis acceptum ferimus, qui sero & post templi secundi excidium vixere. Etenim, cum jam rebus magnis opulentisque excidissent, cura illis esse cœpit, uti in summa calamitate hanc saltem ex naufragio reservarent tabulam cujus esset pretium inæstimabile. Atque hoc profecto in unum illis amamus. Cætera miserationem merentur. Apices enim, literasque, & libros versant, sed versant tantum. Sacros verosque sensus nec inspiciunt, nec quærunt. Itaque quadrat hoc in illos, quod ipsi vernacula lingua sua ajunt, עשו העקר טפל והטפל עקר *Quod fundamentum rei est, accessionem faciunt: Quod accessio est, fundamentum*. Atque hoc est pessimum; infantiam ipsi suam inscitiamque non sentiunt. Etenim, cum infelicitas eorum omnis posita in divinæ legis ignoratione sit, illi amissas patrias sedes, ereptumque regnum, & alia hujusmodi causantur, quorum neque possessio quenquam beatum, & vere miserum neminem jactura facit. Harpasten, uxoris fatuam, Seneca memorat, quæ subito desiit videre, *nesciebat esse se cæcam, & subinde pædagogum suum rogabat, uti migraret: ajebat domum suam tenebrosam esse*. Idem illis quoque accidit. Circumferunt ipsi in pectore mali sui causam. Quod si quis Numinis favor illos Cananææ redderet, cœlum utique, non animum, mutarent. Comitatur eos, quocunque se verterint, sua nox, neque prius demetur, quam vecordiæ suæ, obstinationisque, dederint graves pœnas.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

[1] *In rectam viam*) De Judæorum conversione multi egerunt, inter quos *Voet. Tom. 2. Disput. select. pag.* 124. *seqq.* multum hodie disceptatur, an universalis sit futura, quod Lut. minime videtur Tom. VIII. Jen. fol. 109. Edidit etiam differt. *B. Clodius Prof. LL. OO. Giss. de speranda salute Judæorum*.

[2] *Velamen illud*) Duplex enim jam velum Judæorum oculis obductum est, prius induratæ mentis sive odii adversus Christum, posterius Legis ipsius. Nempe Christus quidem in lege traditur, sed obscurius, & veluti per nubem & involucrum. Porro duplicatum illud velum ejusque ablatio innui videtur ab *Esaja c.* XXV. *conf. Ludov. Cappell. ad h. l.*

[3] *Sarta tecta*) Pertinet huc illud eleganter ab Excell. Dno. D. *Wagenseilio* dictum *in annot. ad Sot. pag. m.* 68. Non igitur eorum sententiæ accedo, qui ab omni omnino Scripturam corrumpendi ausu Judæos penitus liberant & prorsus insontes pronunciare solent. Mihi enim alia longe mens, &c. Cæterum quæ de Masora & aliis in hoc capite occurrunt, viri *docti B. Pfeiffer in Theol. Judaica nimis prolixe* absolvit, quare repetere nolumus.

I. N. J.



I. N. J.

PETRI CUNÆI DE REPUBLICA HEBRÆORUM

CUM ANNOTATIONIBUS JOHANNIS NICOLAI.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Familia Pontificalis. De Alcimo male existimatum. Pontificis constitutio penes quos. Chalcidensium regi quid beneficii a Claudio datum. Pontificis munia. Quando nobile officium suum Pontifex objerit. Quem habitum tunc gesserit. Flavii Josephi error, ex properantia natus, qui omnes hactenus decepit. Ejus confutatio. Maimonidis recta sententia.

PROXIMUS regiæ dignitati [1] honos in summis sacerdotibus fulsit: estque Rabbinorum vetus verbum, tribus rebus [2] Israelem, tanquam coronis, fuisse decoratum, regno, pontificatu, atque lege. Nos, quoniam de regibus ea, quæ in mentem incidebant, diximus, cætera eodem pacto, hoc est, incuriose, & sine delectu exequemur. Cum sacerdotales familiæ olim a Mose duodecim, [3] mox autem a Davide essent viginti & quatuor [4] constitutæ, una modo pontificalis fuit, cujus erat præ cæteris excellens nobilitas. Apud Flavium Onias, Oniæ tertii [5] filius, pontificali genere juvenis, per indignationem [6] in Ægyptum aufugit, uti templum illic conderet, propterea quod pontificatum libidine Antiochi transferri ad Alcimum [7] videbat, hominem sacerdotali quidem familia ortum, sed non ex successione pontificatus. Hallucinatur enim eruditissimus [8] Sigonius, qui * eum ex posteris

* *In lib. 5. cap. 2.*

Levi, sed non Eleazari, aut Ithamari, fuisse prodidit. Estque is error manifestus ex Flavii verbis, quæ de hoc Alcimo extant in Antiquitatum libro vicesimo, in capite octavo. Post Alcimum [9] etiam Judas Maccabæus pontificatum, extraneus alienusque, nullo successionis [10] jure accepit, etsi sane de gente sacerdotum fuit : ut jam constet, ad hanc dignitatem non omnes Aaronis nepotes, sed duntaxat paucos quosdam pervenire per legitimos tramites potuisse. Pontifex is fuit, qui omnibus præfectus erat sacerdotibus : [11] eamque dignitatem illi universus consessus septuaginta senum conferebat, [12] in quorum judicio atque potestate totum hoc, quantumcunque erat, positum fuit. Ita enim traditum rectissime a Maimonide est, in Halacha Cele Hammikdasch, in capite quarto. Sed Herodes, cum pauca ex honesto & bono, pleraque autem contra leges & mores majorum gereret, creare pontifices, [13] amovereque, uti erat libitum, instituit. Ac tandem electio summi sacerdotis concessa [14] Agrippæ Herodi Chalcidensium regi a Claudio est : idque jus retentum successoribus ejus fuit, usque ad extrema belli Judaici. Ac Sacerdotum quidem cæterorum divisa functio erat, [15] nemo ut adolere aris honores, vel victimas cædere, nisi facta sortitione, [16] posset. Soli autem pontifici omnia sacra, & omni tempore, obire jus fasque fuit. * Non enim in ordinem cogebatur, neque vices stationesve observabat. [17] Munus pontificis nobile atque primarium fuit, templi adyta intrare, quæ Sancta Sanctorum [18] Hebræi appellitant: idque semel in anno, non amplius, fiebat, solenni expiationum die, atque ea hora tantum, quæ dicata piaculari sacro erat. Sed de ea re mox plura dicendi locus erit. Quali habitu [19] pontifex fuerit, cum venerabile illud loci secretum celeberrimo die adiret, hactenus disceptatum a nemine est. Magna enim securitate crediderunt omnes, indutum eum illo tempore fuisse duobus amiculis illis, quorum unum fuit Humerale & Ephod appellatum, alterum vero dicebatur Coschen sive Rationale, propterea quod cordis rationisque sedem, hoc est, ipsum pectus, cingeret. Non nos hic de artificiosissimo opere utriusque vestimenti disseremus. Ex auro enim, & purpura, coccoque, atque gemmis confectum fuisse, certum est, plane in eum modum, uti edicitur in Exodi capite vicesimo & octavo. Sed illud jam dicimus, nunquam iis amiculis usum [20] fuisse pontificem in templi adytis. Quare convellenda nobis opinio est, quæ jam pridem summis nixa autoribus, nunc & omnium est, & quotidie crescit. Atque utinam saltem a Josepho nobis recedendum non esset, quem virum genere ortum sacerdotali, summisque honoribus in urbe Hierosolyma perfunctum, ea transmisisse ad memoriam posterorum scimus, quæ viderat oculis suis, & comperta habebat. Sed quis tam consummatæ diligentiæ est, cui non somnus interdum in longa commentatione obrepat ? aut quid non potest festinatio & incogitantia, quæ in rebus etiam obviis improvida est & cæca ? Igitur non possumus illud ferre, quod in capite decimo & quinto libri quinti ἁλώσεως ait de veste Ephod, deque amiculo Coschen. ταύτην τὴν ἐσθῆτα οὐκ ἐφόρει ὁ ἀρχιερεὺς τὸν ἄλλον χρόνον, λιτοτέραν δ' ἀνελάμβανεν, ὁπότε δ' εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον. εἰσῄει δ' ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνον ἐν ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμέρᾳ πάντας τῷ θεῷ. *Hunc vestitum pontifex non quolibet alio tempore habebat, (viliorem quippe sumsit) sed tunc, cum intrabat in adytum, intrabat autem semel duntaxat quotannis, illo die, cum mos patrius omnes jejunio colere Deum jussit*. Contra hæc nemo hiscere ausus est, tanto consensu accepta ab omnibus sunt. Sed enimvero meminisse debebat scriptor maximus, id quod in vetustissimis Judæorum scitis est, fuisse vestimenta quatuor [21] peculiaria, eaque alba, & ex lino tantum contexta, quibus solis usus pontifex est, cum piaculare sacrum in adytis, semel in anno, faceret. Ex quo accidit ut proprio nomine בגדי לבן, *vestes laban*, id est, *albæ*, [22] a Judæis dicerentur: de quibus ita inquit Maimonides in capite octavo, in Halacha Cele Hammikdasch, ex tractatu Talmudico, qui Massechta Joma vocatur, בגדי לבן הם ארבעה כלים ששמש בהן כהן גדול ביום הכפירים וארבעתן לבנים ומן הפשתן לבדו הן : כתנת ומכנסים ואבנט ומצנפת : *Vestes laban fuere indumenta quatuor, quibus indutus pontifex sacra faciebat, die jejunii. Erant autem ea albi coloris, atque ex lino tantum : nimirum tunica, brachæ, cingulum, & infula*. Dies jejunii, est dies decimus mensis Tisri, cum in Sancta Sanctorum pontifex ibat. Hæc primi Talmudistæ odorati sunt, quibus nos sine periculo hic fidem habemus : atque adeo miramur, qua oscitantia neque Flavius Josephus, neque quisquam alius animum adverterit ad luculenta verba, quæ in Levitici capite decimo & sexto extant ; ex quibus hoc, quod diximus, evincitur. Non abs re erit locum eum descripsisse. Ita enim ibi præcipit Mosi Deus de jejunii & expiationum die : *Dic Aharoni, fratri tuo, ne quovis tempore ingrediatur in sanctuarium intra velum, ut non moriatur. Cum his autem rebus ingrediatur in sanctuarium, cum juvenco subrumo, qui sit pro peccato, & cum arie-*

* *R. Maimon. in cap. 5. Hal. Cele Hammikdasch.*

ariete, qui ſit in holocauſtum. Tunicam lineam ſanctam induito; & brachæ lineæ ſunto ſuper carnem ejus; & baltheo lineo accingitur; & inſula linea tegitor. Eæ veſtes ſacræ ſunt. Mox in extremo capitis addit, *Expiationem ſacerdos faciet, & induet veſtes lineas, veſtes ſacras.* De cæteris amiculis, quæ extra templi adyta pontifex geſſit, non jam difficile eſt dicere. Ea Talmudici בגדי זהב *veſtimenta aurea* [23] vocant, non hercle quod intextum omnibus aurum eſſet, ſed quod ornatiora eſſent. Fuere autem hujus generis indumenta octo, e quibus quatuor quidem erant communia pontifici cum cæteris ſacerdotibus, כתנת ומכנסים ואבנט ומגבעות, *tunica talaris, brachæ, baltheus, & inſula:* quatuor autem propria pontificis erant, מעיל ואפוד וחושן וציץ *pallium hyacinthinum* cum tintinnabulis & malis Punicis; item *amiculum humerale ſive Ephod*; tum *Pectorale* ſive *Coſchen;* & poſtremo *lamina* aurea, quæ inſulæ apponebatur. Neque vero dicat aliquis, ex octo iſtis indumentis, priora quatuor videri eadem eſſe cum illis, quorum uſum ante diximus fuiſſe peculiarem in Sancto Sanctorum. Nam & ex pretioſiore lino [24] erant, quæ pontifex extra adytum gerebat, & baltheus fuit opere Phrygiano. Quæ manifeſte cernet, qui contulerit quæ leguntur in Exodi capite viceſimo octavo, & quæ extant in Levitici capite decimo ſexto. Nam etſi linea ſunt, quæ deſcribuntur utrobique, tamen בד vulgare *linum* eſt, cum שש *byſſus* exquiſitiſsimi generis ſit. Sed nec illud repugnat opinioni noſtræ, quod in Exodi capite viceſimo octavo, verſu XXIX. & XXXV. jubetur Aharon cum veſte Ephod, & amiculo Coſchen, & cum tunica hyacinthina ingredi in ſanctuarium. Sane enim pro vero conſtat, ſanctuarii partes inſigniores duas fuiſſe, quarum fuit una exterior, quæ Sanctum ubique dicitur, altera vero interior erat, quæ Sanctum Sanctorum in ſacro codice, non ſemper quidem, ſed plerumque tamen, appellatur. Hæc neſcire, ſummæ imperitiæ foret. Porro de veſtibus *laban*, ſeu albis, quod diximus pontificem eas gerere, niſi in adyto, non potuiſſe, uſque adeo verum eſt, ut illo ipſo die decimo menſis Tiſri, cum ex more adytum ingrediebatur, ad ea tamen ſacra peragenda, quæ etiam extra adytum tunc fiebant, induere בגדי זהב *veſtes aureas* neceſſe habuerit. Atque hoc recte proditum in Talmud eſt, in Maſſechta Joma, in capite tertio.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

1 *Proximus regiæ dignitati*) Certe magna fuit hujus autoritas in populo Dei & dignitas, quia Hierarchiæ totius caput. A Rege ſecundum locum obtinebat, eratque penes eum Directorium totius rei Eccleſiaſticæ & arduorum maxime negotiorum. conf. *Quenſted. antiq. Bibl. pag. m.* 28.

2 *Tribus rebus*) De corona triplici ſibi data gloriantur Rabbini; *Altaris*, *Menſæ* & *Arcæ*. *Altaris* id eſt Sacerdotii, quam obtinuit *Aaron*: Menſæ id eſt regni, quam conſecutus eſt *David*; nam Reges ſolent in menſa divitias & majeſtatem ſuam oſtentare. *Arcæ* i. e. legis divinæ, quæ repoſita fuit in arca, ut peterent eam omnes. *Maimonid. Tom.* I. *Hal. Talm. Thor. cap.* III. *pag.* 20. tres itidem coronas recenſet his verbis, quæ latinis tradit *Wilhelm. Schickard. in ſuo* משפט המלך. *cap.* 1. *theor.* 1. *pag.* 3. Tribus coronis coronati ſunt Iſraelitæ, corona Legis & Sacerdotii & Regni. Videri in hunc locum quoque poſſunt *annotationes doctiſſ. Viri plur. Rever. Carpzovii*, qui authoritate aliorum Rabbinorum hanc ſententiam ſtabilit: Nullibi non, inquit, in Hebræorum ſcriptis, potiſſimum in *Medrashim*, triplicis hujus coronæ mentio: Unde & dictum R. *Simeon. in Pirke Abbot cap.* IV. *n.* 13. celebratum: *Tres ſunt coronæ, corona legis, & corona Sacerdotii & corona regni; ſed eas omnes ſuperat corona boni nominis*. Et pag. 224. *cap.* IV. *theor.* 12. interpretationem addit. Eſt is, ſcribit, in *Pirke* R. *Nathan initio cap. ult. fol.* X. *col.* 3. ibi de *corona Sacerdotii* dicitur: Etiamſi quis omne argentum aurumque ſolveret, quod in mundo reperitur, non tamen concederent ei coronam Sacerdotii, utpote ſoli Aaroni & ſemini ejus in æternum collatam. *Num.* XXV. 13. De *corona Regni* idem reperitur iiſdem verbis, nullo auro argentoque acquiri poſſe, quod ſoli *Davidi* לעולם in æternum impoſita ſit, juxta *Ezech.* XXXVII. 25. At de corona Legis additur: *res ita ſe non habet*. Suave legis onus quiſquis portare cupiat, accedat & portet, juxta illud *Eſa.* LV. 1. Has tres coronas R. *Abarbanel* in *Nachalath Avoth fol.* CXXIX. *col.* 1. præeunte in Talmudis *Maſſechet Joma*. *cap.* VII. fol. LXXII. col. 2. R. *Jochanano*, cum tribus זרים i. e. *limbis* ſeu coronamentis in tabernaculo conſpicuis comparat. *Tria coronamenta ſunt*, inquit, *coronamentum Altaris*. *Exod.* XXX. 4. *coronamentum Arcæ*. *Exod.* XXV. 11. & *coronamentum Menſæ*. ibid. *v.* 24. Coronamento Altaris dignus fuit habitus Aharon, illudque accepit, atque ejus loco in hoc R. Simeonis dicto nominatur corona Sacerdotii, &c. Verum cum *tria* tantum ſint *coronamenta*, cur addit R. *Simeon* quartum? Expreſſis enim verbis additur *Corona* boni nominis ac famæ, & ita non tres ſed quatuor coronæ eſſent, ſcil. *Legis*, *Sacerdotii*, *Regni*, *boni nominis*. Ad hanc objectionem reſpondet *Abarbanel*. fol. CXXIX. *col.* 2. *Corona bonæ famæ non eſt quarta corona, ſed eſt neceſſaria conditio indivulſe cum coronis cæteris connexa. Neceſſe enim eſt, ut cum unaquaque earum conjuncta ſit bona fama, & tunc demum merentur coronæ, poſtquam nimirum bona fama eminentiæ illarum ſupervenerit*. Plura qui de his legere cupit, ille evolvat *annotat. cit. plur. Reverend. Carpzovii*.

3 *A Moſe duodecim*) Si caput 3. *Numer.* evolvimus, certo conſtat, quod modo Sacerdotales familiæ a Moſe *octo* conſtitutæ fuerint, non *duodecim*, uti *Cunæus* noſter refert. Conſentit cum Scriptura D. *Quenſted. in antiquit. Bibl. pag. m.* 39. ita diſſerens: *Moſes* Sacerdotes ex Levitis elegit, qui Oblationes & ſacrificia facerent, eorumque *Stationes octo* conſtituit. E quibus quatuor ab *Eleazare*, totidemque ab *Ithamare* genus duxere. Audiamus etiam Angl. Doctiſſ. *Henry Ainsworth. Comment. in Num. cap.* III. *fol. m.* 15. *edit. Londin.* ubi ex *Maimonide tom.* 3. *tr. de inſtrument. Sanctuar.* ita diſſerit: *The Hebrew Doctors ſay, Moſes divided the Prieſts into eight wards (or courſes) foure of Eleazar, and foure of Ithamar*. i. e. *referunt Hebræorum Doctores, quod Moſes Sacerdotes diviſerit in octo Stationes*. Videatur in hanc rem *plur. Rever. D. Joh. Henric. Majus Profeſſor Theol. & Lingu. Oriental. celeberr. in diſſert. de Ephemeriis. pag.* 9. ubi & alias Rabbinorum rationes adfert.

4 A

[4] *A Davide* XXIV.) Postea Rex David classes hujusmodi XXIV. instituit, ita quidem, ut ex prosapia *Eleazari* XVI. principes essent, erat enim numerosior, ex Ithamari autem VIII. Pari modo *Maimonid. l. c.* uti refert *Ainsworth.* Then *David the King parted them into* XXIV. *courses*. Cui adstipulatur *Johann. Lightfoot.* in *harm.* 4. *Evangel. cap.* VI. qui cum R. *Salomone* & *David Kimchi* putat, divisionem hanc ipsum Textum, licet autorem celet, non obscure subindicare videri. Nam de Davidis divisione propter auctum illorum numerum verba 1. *Par.* XXIV. 6. tantundem valere, ac si diceretur, quod singulis classibus sub Eleazare, integra familia de novo adjuncta sit, ut propterea sint hujus Ordinis XVI. classes; At vero in ordine Ithamaris nihil innovatum, adeo, ut hujus, ut olim non fuerint ultra octo classes, unde oriatur integer viginti quatuor Classium numerus. Aliter autem sentit vir plur. Rever. *Majus* c. l. qui in suspenso relinquit, cum Scriptura sacra taceat. Interim tamen monet, quod illi, qui Mosen tantum octo classes constituisse contendunt, *Samuelem* octo addidisse existiment, adeo, ut eo tempore sedecim essent, quem denique numerum David additis iterum Octo, ad viginti quatuor auxerit. Interim tamen Davidem XXIV. classes constituisse asserit. §. 7. *pag.* 10. *cons. antiq. Bibl. Quensted. p.* 39.

[5] *Onias, Oniæ tertii filius*) Sane hic ex *Josepho* falsum statuit *Cunæus*, cum templi conditorem in *Ægypto* putat *Oniam Oniæ* tertii filium fuisse, quod cum veritate non convenit, uti prolixe demonstravit *Johann. Selden. de success. in Pont. lib.* 1. *cap.* VIII. Quippe *Onias* hic Templum in *Ægypto* exstruens non *Oniæ* tertii filius, sed Simonis justi filius fuerit, uti ex *Genealogia* Pontificum, quam citat *Selden.* adduxit *cap.* VII. *pag.* 141. clare cognoscitur. Eandem sententiam protulit *Joh. Henric. Otho* in *Lexic.* suo *Philolog. pag.* 431. *edit. Genev. Onias* filius *Simonis* justi, erat testamento & ultima Patris voluntate ad Summum Sacerdotium denominatus, sed invidit hoc ei *Simeon* frater ejus, & ita incruduit contentio, ut *Onias* tandem ad montem Regium & deinde in *Ægyptum* fugeret, ubi condidit sanctuarium, recitans illud Prophetæ: In illo die erit altare *Domini in medio Ægypti*. vid. *Juchas. pag.* 15. Eadem confirmat R. *Obad. Bartenor*, cujus totam historiam *Selden. pag.* 146. *seq. de Success. in Pontif.* recenset. Cæterum *Onias* Templi hujus conditor apud *Josephum*, uti refert autor noster, est *Onias* Oniæ tertii Pontificis non *Simonis* justi filius, uti etiam apud *Eusebium*. Verum quam mire locus & tempus discrepent prolixis verbis demonstrant *Selden. c. l.* Quare tandem hæc profert: Video viros summos templum ab *Onia Oniæ* tertii filio conditum idem esse cum illo, quod apud *Josephum Oniæ* Simonis F. tribuitur, oscitanter nimis existimare. Vide sis *Joseph. Scaliger.* ad *numer. Euseb.* M. D. LVI. Tempus, locus, persona utriusque invicem discrepat. Et Judæis extra patriam degentibus, non solum in Ægypto, sed alibi etiam fuisse templa complurima, manifesto liquet ex *Oniæ*, *Oniæ* tertii filii libello supplice Philometori, apud *Josephum* de templo *Leontopolitano*, porrecto. - - - Videtur igitur Talmudicorum בית חוניו *Templum Oniæ* idem fuisse cum *Heliopolitano* illo ab *Onia Simonis*, apud *Josephum*, filio exstructo. Et quia in Alexandriæ præfectura positum est, forte illud *Alexandriæ* situm dicebant. Quin certe *Oniæ*, qui *Oniæ* tertii filius, Templum, velut per excellentiam *Oniæ templum* appellatur in lemmate græco *cap.* 6. *lib.* 13. *Josephi*.

[6] *Per indignationem*) Qualis hæc fuerit, silentii pede transit autor noster, illam tamen recensent ex *Bartenor. Seldenus de success. in Pontific.* & Cl. *Braun.* in libro suo erudite scripto *de Vestitu Aaronis part.* 2. *pag. m.* 821. Pontifex Maximus Simeon justus ad plures abiturus, cum animadvertisset stupiditatem filii sui *Semai*, qui erat major natu, pontificatum postulavit pro minori natu *Onia*, quem doctum & sacrorum rituum peritum prædicabat. At renuentibus patribus, quod esset contrarium legi Mosis, qua sancitum, ut major natu semper Pontificatu Summo fungeretur, & Simeone jam fatis defuncto, *Onias*, ut Pontificatum obtineret, fratrem *Semai*, qui revera sanæ mentis vix dici poterat, ludibrio Sacerdotibus totique populo exponere ausus est, causaque fuit, ut publice piaculum committeret in vestiendis sacris vestibus. Primum eum induit tunica linea viliori, quali carnem suam tegere solent mulieres, postea pro balteo cinxit eum funiculo parvo & hoc apparatu eum ad altare adduxit, tanquam sacris functurum. Cum autem speraret *Onias* fore, ut hoc modo frater *Semai* occideretur - - - plane contrarium accidit. Judæi enim animadvertentes *Semai* simplicitatem, malitiamque *Oniæ*, hunc pro illo justis pœnis afficere quærebant. Quod cum rescivisset *Onias* aufugit in Ægyptum &c. Causam aliam reddit *Seldenus* pag. 150. quod *Onias* in *Ægyptum* fugerit; & illa hæc est: *Onias igitur* Oniæ filius patrui cæde perterritus in Ægyptum ad *Ptolomæum Philometorem* Regem profugit, ubi humanissime acceptus cum omni hæreditate prodeundi spe excusatus esset, veniam & urbem & Templum, quod Hierosolymitanum imitaretur, in agro Heliopolitanæ præfecturæ prope *Memphim* exstruendi impetravit. vid. *Joseph. lib.* 12. *c.* 15. quæ posterior probabilior videtur sententia, quippe *Antiochus* ex libidine Pontificem instituit remoto alio vel occiso.

[7] *Ad Alcimum*) Hic alio nomine teste *Josepho* Ἰάκειμος dicebatur. Hujus mentio apud *Gorionidem* Scriptorem rerum Hebraicarum *fol.* 42. *col.* 3. *Et profectus est ad ipsum* (Demetrium) *Alcimus Sacerdos homo nequam, qui comederat suillam & mutaverat legem suam in diebus Antiochi crudelis*. Hic cupiebat Sacerdotio fungi i. e. pontificatu, qui tunc vacabat occiso *Onia*. De cujus cæde vid. *brev. Jason.* 13. 4. *Joseph.* 12. 15. quem etiam accepit ab *Antiocho*, uti Josephus literis tradit: Pontificatum dedit *Alcimo*, qui non erat ex genere Pontificali seu Pontificum, persuasus nempe a Lysia, ut dignitatem transferret in aliam domum.

[8] *Hellucinatur Sigonius*) Quod habet Sigonius, eum ex posteris *Levi*, minime vero sive ex *Eleazari* sive *Ithamari* fuisse, id ex locutione apud Eusebium male accepta natum esse non dubitamus. Videri de his possunt annotat. nostræ ad *Sigonium*. Conferatur etiam *Selden. de Success. in Pontific. lib.* 1. *c.* IX. *pag.* 150. 151.

[9] *Post Alcinum*) Alcimo post exactum in Pontificatu quadriennium demortuo, dignitas, suffragio populi, *Judæ Maccabæo* ex domo Hasmonæorum decernitur. *Joseph. lib.* XII. *cap.* XVII. *Mortuo Alcimo* Pontificatum populus Judæ tradidit. *Eusebius Hieronymus* Cum omnium Judæorum favore Judæ Macchabæo Sacerdotium decernitur. Et *Joseph.* in extremo libro XII. de Juda.

[10] *Nullo successionis jure*) Hic quædam in antecessum adducenda esse ratum putamus, & dein videbimus, an *Cunæus* noster veritatem scripserit. *Judas* igitur erat filius *Mathathiæ* Sacerdotis, filii *Joannis*, filii *Hasmonæi*, atque ex Statione Sacerdotali *Joaribi*. vid. 1. *Macchab.* II. I. De *Hasmonæorum* cognominis ratione consulas, si placet *Drusium ad lib. Maccab. Scalig. lib. in Canon. pag.* 324. Utrum autem classis *Joaribi* fuerit ex *Eleazaridis*, an ex *Itamaridis* non satis liquet. Argumento tamen est *Hasmonæos* ex *Eleazaridum* stirpe fuisse, tum quod adeo pronus eis Pontificatum deferebat populus, tum quod in oratione *Mathathiæ* ad filios habita legitur: *Phinees pater noster zelando zelum accepit fædus Sacerdotii æterni*. Nam *Eleazaridum* domus etiam *Phiniesi* dici solebat. Quin & primæ Sacerdotum classi, quæ *Joaribi* erat, singularem dignitatem agnitam esse, comperimus apud *Josephum*. vid. *Selden. pag.* 153. *l. c.* Ex his satis elucet jus successionis non denegari potuisse & *Cunæum* hac in re errorem committere.

[11] *Qui omnibus præfectus Sacerdotibus*) Hinc Hebræis dicebatur Sacerdos Summus הכהן הגדול ἱερεὺς ὁ μέγας. 2. *Reg.* XXIII. 4. *Judith.* IV. 10. *Nehem.* III. I. & הכהן הראש cui concredita erat ἡ τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονία i. e. in alios Sacerdotes imperium, uti loquitur *Joseph. lib.* 2. *contr. Appion.* Græcis ἀρχιερεὺς cui contradistinguebantur ἱερεῖς δευτερεύοντες, & stricte sumtum nomen Summum Sacerdotem designabat. Summus igitur Sacerdos non solum omnibus Sacerdotibus præfectus erat, uti *B. Dillherr. Tom.* 1. *Disp. pag.* 496. multis probat; sed etiam omnes quoad *qualitates* superare debebat, uti *Maimonid. in Cele Hamikdasch. cap.* 5. refert. *Summus Sacerdos*, inquit, *debet omnes reliquos Sacerdotes superare*

perare

perare pulchritudine, robore & divitiis, item sapientia & externo aspectu. Si pecunias non habet, omnes reliqui Sacerdotes ex suo aliquid conferre debent, donec inter ipsos sit ditissimus. confer *Sheringham. annot. Jom. cap.* 1. *pag. m.* 6. *edit. Franeq. D. Saubert. de sacrific. cap.* VI. *pag.* 147. *Cl. Witsi. Miscell. Sac. p.* 480.

[12] *Conferebat*) Prioribus temporibus veritati conveniens non videtur, quippe tempore Mosis & sequentibus temporibus Pontifices fuerunt, nihilominus hanc dignitatem a Synedrio collatam illis legimus, cum nondum fuerit, uti supra probatum fuit. Imo ultimis etiam temporibus res probatu difficilis est, cum Pontificatus venalis fuerit, & a Regibus collatus, qui maximam pecuniæ summam solvebat. *Seldenus* quidem *lib.* 2. *cap.* 6. *de Synedriis Hebræorum*, ex *Maimonide* sententiam hanc probare vult, qua a consessu Pontificem creatum asserit his verbis: *Qui sapientia præstabat constituebant eum super se Caput, adeoque is erat Consessus seu Synedrii caput, atque idem quem Sapientes appellitant ubique Principem. Constituebant etiam virum ex Septuaginta reliquis eminentiorem*, &c. Similiter iterum *Maimonid. in Cel. Hamik. c.* IV. 15. ita literis tradit: אין מעמידים כהן גדול אלא בב״ד של אחד ושבעים *Non creant Pontificem M. nisi authoritate Synedrii Septuaginta Virorum*. Non denegabimus quidem huic asserto omnem fidem, cui fortasse sequiori tempestate rebus Judæorum ad interitum se inclinantibus veritas sua constitit; at adduci vix possumus, ut credamus salvo Regum & Imperii Judaici vigore morem hunc obtinuisse, aliud persuadet exemplum Abjatharis 1. *Reg.* II. 27. cui munere suo dejecto *Zadocum* surrogavit Salomo. Nec vero tanti nobis (cum Cl. Frischmuth. loquimur) est authoritas Talmudistarum Majestatis Regiæ inimicorum, ut in hoc negotio ipsis fidem adhibeamus.

[13] *Creare Pontifices amovereque*) Postquam Pontificatus Venalis factus, & Seniorum Majestas obsolesceret, *Herodes* Synedros sustulit, & pro lubito Pontifices creavit, creatos amovit, aliosque substituit. Ut autem propositum suum eo melius perficeret, tabulas illas tam Sacerdotum, quam aliorum genealogicas flammis consumsit, uti ex *Patricid. Patriarch. Alexandr.* constare dicit; ne haberent, quo genealogiam adducerent. vid. *Selden. de Success. in Pontif. lib.* II. *c.* II. *pag.* 203. Hinc sublato Synedrio duos Pontifices *Aristobulum Mariamnes*, Conjugis suæ fratrem & *Hyrcanum Alexandræ* filium occidit, quatuor alios officio deposuit, divina humanaque nihil pensi nihil moderati habens, idque unice agens, ut voluptatibus suis & libidini regnandi indulgeret. vid. *Joseph.* antiq. XV. *c.* III. & IX. & XV. *c.* III. & XVIII. *c.* 6 Deinceps in exemplum fere abiit immoderata Ascalonitæ licentia, ita ut tandem nulla ratione habita juris ac legum ex arbitrio Principum Romanorum, haud raro quoque efferatæ plebis ad Pontificiam dignitatem eveherentur genere obscuri, vita perditi, iique pro lubitu deturbarentur iterum.

[14] *Herodi Chalcidensium Regi*) Idque jus retentum successoribus ejus usque ad extrema belli judaici. Videsis R. *Maimonid. Hal. Cele Hammikdasch. in c.* IV. *Caipham* quod spectat, fuisse cum summum Pontificem anno *Tiberii* 15. *Josephi* historia ostendit *in lib.* XVII. *c.* III. Constituit eum in honorem istum *Valer. Gratus Pilati* prædecessor, ac totos annos septem fuit hic Pontifex Maximus & aliquanto amplius. Eidemque postea successit *Jonathan Annæ* frater, constitutus a *Vitellio* qui anno *Tiberii* 20. Consul fuit cum *Fabio Prisco*. vid. Casaub.

[15] *Divisa functio erat*) Quædam enim officia communia habebant Sacerdotes reliqui cum Pontifice Maximo: quædam illi propria erant. Communia erant (1) *offerre victimas* seu *sacrificia super altare holocausti*. *Levit.* 1. 3. (2) Singulo mane ligna igni jugi imponere, in eodem altari holocaustorum, eumque nutrire, ne exstinguatur. *Levit.* VI. 12. 13. *Levit.* IX. 24. (3) Bis quotidie mane & vesperi ponere & adolere incensum in altari thymiamatis. *Exod.* XXX. 7. (4) affuso selectissimo olivæ tusæ oleo concinnare lucernas in aureo, purissimeque servando candelabro, lex proposita est. *Exod.* XXVII. 29. 21. *Levit.* XXIV. 1. 2. 3. (5) Singulis Sabbathis XII. panes propositionis conficere & ordinare. *Levit.* XXIX. 5. 10. (6) *Discernere* inter lepram & lepram. *Levit.* XIII. 2. (7) expiare seu mundare leprosos, puerperas, menstruatas & seminifluos. Levit. XII. XIV. XV. (8) Legem Dei interpretari & alios docere. *Malach.* II. 7. uti hæc omnia pluribus exposuit D. *Quensted. in antiquit. bibl. pag. m.* 29. 30. 31. *edit. Witteberg.*

[16] *Facta sortitione*) Modum recenset tract. Talmud. *Tamid. cap.* III. *edit. Franequer.* 1680. quem in latinum sermonem transtulit *Michael Arnold.* Cum itaque tempus suffitum faciendi, & victimas mactandi accessisset, Præfectus dicebat: Venite & sortimini, quis sit mactaturus, quis sparsurus, quis cinerem ab altari interiori abducturus, quis lucernas purgaturus, quis membra ad ponticulum portaturus, caput & pedem & duas manus, spinam dorsi & pedem, pectus & gulam, duas costas & intestina, similam & frixa & vinum sortiti sunt, is obtinet, cui sorte obtingit. Quomodo autem sortiendi ritus factus, ostendunt viri celeberrimi *Martin. Mauritii in tract. Philol. de sortitione Hebr. edit. Basil.* 1692. *cap.* XXIV. *pag. m.* 313. *seq.* & *Robert. Sheringham. in annotat. ad Cod. Jom. cap.* II. *pag. m.* 14. *edit. Franequer.* affirmantque digitis factam esse sortitionem, qua unum vel duos digitos excepto pollice attulerint. Cupidum lectorem itaque ad illos remittimus. Quatuor autem sortes in Sanctuario fuisse docetur *in Joma* l. c. quarum prima erat de decineratione altaris exterioris: vid. cit. *laudat. Maurit. pag.* 315. *Arnold. ad Tamid.* Altera sortitio erat, quis mactaret (Sacrificium juge matutinum) quis spargeret sanguinem, &c. Notandum autem sortitionem non ad quemvis actum repeti, sed sufficere, sorte aliquem notatum, qui esset primus & mactet, tum enim ordine quisque e consortibus noverat, quæ functio ipsi peragenda, ut in *Joma* & *Tamid*, in Gemara & Glossa habetur, & R. *Maimonid.* in Parush suo exponit, qui etiam rem istam in *Jadh part.* 3. *hilch. kele hammikd.* plenius & planius hoc modo recenset: *Sorte* secunda tredecim Sacerdotes eligebantur secundum ordinem stationis suæ. Quomodo hoc fiebat? Præfectus dicebat illis, micate digitis; atque is tunc numerabat modo quo exposuimus (digitis sublatis.) Qui vero sorte prima erat designatus is mactabat juge matutinum. Secundus, qui primo huic a latere stabat, accipiebat sanguinem jugis sacrificii & spargebat illum. Tertius secundo proximus cinerem removebat in altari interiori, quod erat altare suffitus. Quartus a latere tertii stans, decinerabat candelabrum & aptabat luminaria: &c. vid. *Sheringham. in not. ad Jom. pag. m.* 17. *edit. Franeq.* confer. *Michael Arnold. annot. ad Tamid. c.* III. Tertia sors erat, quando Præfectus dicebat ad omnes collegas familiæ, cujus eo die erat ministrare; Qui nunquam adhuc per vitam suam adolevit suffitum, veniat ut sortiatur! Tum convenerunt ad Præfectum & sortiebantur. Et quem sors tum designabat, is erat primus & dignus suffitum faciendo. *Fol.* 25. 2. *in Gemara* & *Glossa* docetur, suffitum hunc requirere duos Sacerdotes: alterum qui suffimentum templo inferret & adoleret: alterum qui caperet prunas de altari exteriori, ut super illis fieret suffitus. Hic vero eum tantum sortiri oportuisse, qui suffitum ipsum accendebat, alterum vero huic adjunctum, sortitione non habuisse opus, cum utrumque fuerit unus cultus, neque omnes partes cultus sacri singulari sorte fuisse distributas, sed præcipua tantum quasi capita & partes principales: forsan hic adjunctus erat his, qui in sortis primæ consortio comprehendebatur. Huic Sacerdos suffitum faciens dicebat: *Tu mecum dignus esto administrando suffitum per thuribulum*, curando thuribulum. Quod vero dicitur, novos oportuisse accedere ad sortiendum super suffitu faciendo, id ubique docent veteres Hebræi, nullum Sacerdotem bis hoc ministerio fuisse defunctum docet hoc in *Gemara teste Michael. Arnol. in annot. ad Tamid.* Traditur, quod nemo unquam suffitum adolebat, quænam est ratio? dixit Rab. Papa ad Abai, fortasse, quia scribitur, benedic Domine substantiæ ejus. Novi ergo semper accedere debuerunt & adolere suffitum, ut benedictio ista ad universos derivaretur.

[17] *Stationesque observat*) Quoniam varia peragenda

da erant ſacra, ne confuſio oriretur, cuilibet in familia ſua ſorte ſuum obtingebat officium. Hos ordines *Ephemerias* ſeu ſtationes vocabant, de quibus erudite *plur. Rev. D. Majus Patronus noſter in diſſertat. Giſſæ habita* 1692. *de Ephemeriis cap. II. pag.* 30. *ſeqq.* Tenebantur itaque omnes obſervare ordines, uti ſors ceciderat, excepto Pontifice, uti *Cunæus noſter* ex *Maimonide* adduxit, cujus verba, quia ibi omiſſa, huc adſcribemus: ואינו עובד בפיים אלא בכל עת שירצה להקריב כל מה שרצה: *Neque ipſe* (Sac. M.) *cultum adminiſtrat per ſortem: verum quovis tempore, quo volupe ipſi fuerit ſacrificare, ſacrificat quidquid voluerit*: cæteris autem Sacerdotibus omnibus, magnis & minoribus, ordines ſui & munia ſorte deſignanda, ut nulla eſſet inter eos æmulatio. Sic *Kimchius*. *Non enim David quenquam illorum altero ſuperiorem conſtituit, cum omnes æque fuerint Principes Sanctuarii & divini ex filiis Eleaſar, & filiis Ithamar; ideo non unum alteri antetulit & præfecit, ut alter altero eſſet major, ſed quemadmodum ſors unicuique eorum aſcendit & aſſignavit, ita etiam ſe habebant: excepto ſolo Sacerdotio ſummo, quod erat ex filiis Eleaſar oriundis*.

[18] *Sancta Sanctorum*) Autor noſter in allatis verbis recenſet munus Pontificis, quod ſcil. Sanctum Sanctorum ſemel in anno die expiationis intrarit. Notatu igitur digniſſimus eſt ſolennis ac peculiaris ſuffiendi ritus, quem Sacerdos M. die הכפורים ſeu expiationum, qui erat decimus menſis Tiſri, in Sancto Sanctorum peragebat, & quidem ea hora, qua expiatio fiebat, uti docet *Maimon.* Hal. בית הבכירה cap. 7. בית קדש הקדשים מקודש מבין ההיכל שאין נכנס לשם אלא כהן גדול ביום הכפורים בשעת העבודה: *Sanctum Sanctorum eſt ſacratius reliqua parte templi, quia nemo illud adit, niſi Sacerdos Summus expiationum ipſa ſacrificii hora*. Lex divina de hoc inter alia exſtat. *Levit. XVI.* 12. 13. Et in N. T. *Hebr. IX.* 6. 7. Sicuti vero Summus Sacerdos immolati vituli & hirci ſanguinem in Sanctum Sanctorum portabat; ita etiam ſemper ſecum afferebat ſuffitum aromatum. Quod præter Scripturam etiam R. *Bechai* in *Pentat. fol.* 137. comprobat ſeq. לא יבא בכל עת אל הקדש מבית לפרכת אלא בקטרת כענן וכו: *Non ingreditur Sacerdos Summus ullo tempore in Sanctuarium intra velum, niſi cum ſuffitu ad inſtar nubis* &c. Confer. *Quenſted. antiquit. pag. m.* 31. *Henry Ainsworth. in Levit. XVI. fol. m.* 96.

[19] *Quali habitu*) Removet hic autem erroneam opinionem eorum ſtatuentium *Rationali* & *Ephodo* Pontificem indutum fuiſſe; quam probare conantur ex *Exod. cap. XXVIII.* 30. Et erunt ſuper cor Aharonis, cum ingredietur coram Domino &c. Verum quidem eſt locum docere: Sacerdotem Summum Urim & Thummim geſtaſſe in ſolo templo & non alibi; ſed in qua parte non exprimitur clare. Certum etiam eſt, eum Pectorale cum reliquis omnibus veſtibus aureis geſtaſſe; & in atrio & in loco Sancto quotidie; non autem in Sancto Sanctorum, cum locum iſtum non ſit ingreſſus niſi ſemel in anno, ſcil. magno die expiationis, quo die omnia veſtimenta aurea, ideoque Pectorale deponere debebat. Deinde *Moſes* in illo loco non dicit expreſſis verbis, Summum Pontificem intrare coram Deo, ut conſuleret *Urim* & *Thummim*, ſed de munere Sacerdotali quotidiano verba illa intelligi poſſunt. Nihilominus a quibuſdam de oraculis intelliguntur. Volunt enim Judæi Summum Pontificem interrogaſſe coram arca Dei, i. e. facie verſa verſus arcam atque id in loco Sancto. Vehementer itaque deceptus eſt *Epiphanius in libell. de duodec. lapid.* ubi expreſſis verbis docet, Summum Pontificem ingreſſum fuiſſe in Sanctum Sanctorum cum Adamante, quem putant fuiſſe *Urim* & *Thummim*; unde patet, eum credidiſſe interrogationem factam fuiſſe in ipſo adyto, ſive Sancto Sanctorum. Verum hic virique alii doctiſſimi errant, inter quos etiam doctiſſimus *Buxtorf. in hiſt. de Urim & Thum. cap. III.*

[20] *Nunquam iis uſum*) Ferendi igitur non ſunt illi, qui ſcriptis ſuis tradere, aut pro concione effutire audent, Pontificem Maximum veſtibus aureis adyta intraſſe ut Deum per *Urim* & *Thummim* interrogaret, aut etiam decimo die *Tiſri*, ad ſolennem iſtam expiationem cum duodecim gemmis, quibus inſcripta erant nomina duodecim tribuum, ut hoc modo duodecim tribus coram Deo ſtarent, utque expiarentur. Non miramur præcones verbi divini in feſto aſcenſionis pro concione ediſſerere: Chriſtum illo die in cœlum aſcendiſſe, tanquam in Sanctum Sanctorum, ut coram Deo pro omnibus electis oraret, eodem modo quo Pontifex Maximus magno illo die expiationis intravit in Sanctum Sanctorum cum pretioſis lapidibus. Quamvis veriſſimum ſit Sanctum Sanctorum fuiſſe typum cœli, & ingreſſum Summi Pontificis in Sanctum Sanctorum aſcenſionis Chriſti in cœlum: falſo tamen fundamento omnia hæc nituntur, quod ſcilicet Pontifex cum duodecim lapidibus pretioſis Sanctum Sanctorum intraverit, ut duodecim tribus Deo ibi repræſentaret. Sed multo magis miramur, quod viri docti eodem luto hæſerint, ut crediderint Summum Pontificem aureis veſtibus ingreſſum fuiſſe Sanctum Sanctorum. Inter quos reperimus *Auguſtinum*, *Epiphanium*, *Hieronymum*, *Bertramum*, *Sigonium*, *Buxtorfium*, *Magium*, *Dallæum*, alioſque cum nunquam aureis veſtibus intraverit. Vid. *Braun. de veſtit. Sacerd. Hebr. lib. I. cap. II. pag.* 28. *§.* 6.

[21] *Veſtimenta quatuor*) Scil. *Fæminalia*, *tunica*, *Balteus* & *Cidaris*. Hoc die Pontifex Maximus lino tantum veſtitus erat. Nam cum totus Sacerdotum cœtus habuerit balteum, cui lana ineſt, Summus Sacerdos balteum habuit ex lino tantum, ut non fuerit mixtæ materiæ, nec quicquam intermixtum habuerit. Balteus igitur Summi Pontificis diei expiationum eſt ex byſſo tantum. Atque ſic die illo, totus lineus eſt Pontifex Maximus. Ita *Maimonid. Halach. Kele Hammikd. cap. VIII.* Veſtes albæ ſunt quatuor veſtimenta quibus Pontifex Maximus operatur die expiationum, & omnes quatuor albæ ſunt & ex lino tantum. *Barzelon. præcept.* XCIX. ubi de veſtibus albis: *Quatuor*, inquit, iſtæ ſunt veſtes ex lino tantum. Horum quatuor veſtimentorum mentio fit *Levit.* XVI. ℣. 4. Ubi *Henry Ainsworth.* bene addit: *Theſe foure were made of ſixe double twiſted threed, and they were of flaxe onely. It figured the baſe eſtate of Chriſt here on earth, and how he ſhould without wordly glory performe the worke of our redemption*. Verum obſtare videntur Rabbini huic numero, dicentes: Pontificem, die expiationum, cum adytum intrabat duplici veſtimento uſum fuiſſe. Aliis enim veſtibus mane induebatur, aliis vero veſperi, aliæ etiam aliis pretioſiores fuere; matutinæ enim dicuntur valuiſſe octo minas, veſpertinæ vero duodecim, ut docet codex *Joma cap. III. halach.* 7. ubi etiam animadvertendum eſt Miſchnicos Doctores loqui tantum de veſtibus in genere, ita ut merito inde quis concludere poſſit, omnes veſtes albas eum duplices habuiſſe, i. e. *duas tunicas*, *duo fæminalia*, *duos balteos*, & *duas Cidares*. Apparet igitur alias veſtes Pontificem habuiſſe mane, alias veſperi, cum adytum ingrederetur. Verum utrum omnes & ſingulas quatuor iſtas veſtes veſpere mutaverit, an vero tunicam tantum *Mishna* non exprimit. *Maimonides* id tantum videtur intelligere de tunica כתונה, quaſi duas tantum habuiſſet tunicas, non vero duas *brachas*, *duos balteos*, & *duos pileos*, de quibus fuſe celeber. *Braun. in tract. de veſtit. Sacerdot. Hebr. pag.* 27. Verum enim vero cum Scriptura quatuor veſtium tantum faciat mentionem, non opus eſt, ut numerum harum augeamus. Nec neceſſitas nos cogit, nam non tota die his albis veſtibus indutus fuit Pontifex Maximus, ſed tantum cum expiationem faceret, uti ex Maimonide optime deſcripſit *Henry Ainsworth* in *Levit. XVI. fol.* 89. cujus verba huc adſcribere non pigebit: *Untill at breake of the day, they begam to kill the daily ſacrifice; then they hanged a fine-linnen cloth, between the high Prieſt and the People. And he put off his common clothes, and washed himſelfe, and put on the golden clothes* (those eight mentioned in Exod. XXVIII.) *and ſanctified* (that is washed) *his hands and feet, and killed the daily ſacrifice, and tooke the blood and ſprinkled it on the altar. After that he went into the holy place, and burned the incenſe of the morning, and trimmed the Lampes, and burned the fleſh of the daily ſacrifice, and the meat offering and drinke-offering of the ſame, an was done every day. After the daily ſacrifice, he offered the bulloke and the ſeven lambes, which were appointed more for that day* (Num. XXIX. 8.) *After wards he ſanctified his hands and his feet, and put off his golden*

gar-

garments, and washed himſelfe, and put on HIS WHITE GARMENTS, and ſanctified his hands and his feet, and came to his bulloke (ſpoken of in verſ. *6.*) *Maimon. in* Jom. *Hakippurim cap.* 1. *ſ.* 6. *& cap.* 4. *ſ.* 1. *& Talmud. Babyl. in Jom. cap.* 3. Ex his ſane conſtat, quod non tota die veſtibus his albis inceſſerit indutus Pontifex, quare non opus, ut diſtinguamus in veſtes matutinas & veſpertinas.

[22] *Albæ*) Albæ vocantur, quia revera albæ erant, ſcil. ex lino albiſſimo ſimul & tenuiſſimo. Et quamvis veſtes omnium Sacerdotum albæ fuerint & ex lino albo, ac ſatis tenui, nihilominus albæ non vocantur. Sed quotieſcunque Magiſtri in Talmude & alibi loquuntur de בגדי לבן *veſtibus albis* ſemper intelligunt veſtes Pontificis diei piacularis, non vero veſtes univerſi ordinis. Albæ igitur dicuntur, quia revera albæ ſunt ex lino albo. Albæ reſpectu cæterarum veſtium Pontificis, quæ זהב *aureæ* vocabantur, & propter aurum & colores, albæ minime vocari poterant. Denique albæ etiam vocabantur, ſi quis eas contulerit cum ipſis veſtibus lineis Pontificis, quas per totum annum ferebat, & quas etiam aureis adnumerant, quamvis nihil auri eis infuerit, & cum veſtibus Sacerdotum turbæ. Multo enim illis erant puriores vel propter ſolum balteum: nam in omnibus veſtibus Sacerdotalibus, cum Pontifici, tum toti ordini communibus, balteus ſemper acu pictus erat, & duplicis materiæ ex lino & lana. Sed in veſtibus לבן *albis* Pontificis nulla erat omnino lana, nam ex lino tantum conſtabant, & quidem ipſe balteus.

[23] *Veſtimenta aurea*) Hæc procul dubio בגדי זהב vocantur ob quatuor iſtas veſtes, quas ſibi peculiares habebat Pontifex M. veluti מעיל, ואפוד, וחשן, וציץ, pallium, Ephod, pectorale, & lamina, quia vel ſolido auro conſtabant, vel aurum ſolidum appenſum habebant, ut pallium tintinnabula aurea, vel fila aurea intexta ut Ephod & pectorale. Sed & ipſa *cidaris* aliquo modo aurea dici poteſt, cum ob ornamentum vittarum hiacynthinarum, tum ob auream laminam, quam etiam annexam habebat. Tandem aureæ merito dici poſſunt ob ingens pretium gemmarum & aurearum catenularum in pectorali & Ephodi humeralibus. Ob quatuor ergo iſtas veſtes, quas Pontifex ſolus geſtabat, reliquæ omnes aureæ vocabantur, quæ octo erant, ſi adduntur *ſeminalia*, *tunica*, *balteus* & *Cidaris*, quæ aureæ neutiquam erant. Hinc eſt, ut quidam autores graviſſimi per veſtes aureas quatuor ſolummodo intellexerint: inter quos eſt eruditiſſimus *Selden. lib.* 2. *de ſucceſſ. in Pontiſ. Hebr. cap.* VII. qui veſtes Sacerdotales in tria diſtinguit genera; veſtes primi generis quatuor fuiſſe aſſerit, *tunicam*, *ſemoralia*, *pileum* & *cingulum*. Secundi generis quatuor veſtes fuiſſe aſſerit, quas vocarunt aureas, *pallium* cui appenſa tintinnabula & mala punica, *Ephod*, *pectorale* & demum *Laminam*, cui nomen tetragrammaton inſcriptum. En hic tantum recenſet veſtes aureas. In eadem ſententia fuerunt etiam Judæi ut *Barzel. præcept.* 99. Erant, inquit, præterea quatuor aureæ, quarum nomina ſunt: *Pectorale, Ephod, pallium & Lamina*. Sed errat doctiſſimus Selden. cum omnibus Hebr. Magiſtris, a quibus deceptus. Aſſerit & idem Cl. *Johann. Friſchmuth. in diſſert. de veſtitu ſeu re Veſtiar. Pontiſ. Hebr.* §. 5. Optimo jure ergo a doctiſſimo *Scheringhamio ad Maſſechet Joma c.* III. erroris arguuntur. Nam etſi in quatuor iſtis pretioſis veſtimentis tantum aurum reperiatur, nihilominus tamen octo omnes aureæ vocantur. Exſertis enim verbis *Maimonid. Octo* numerat: ſic enim ille: *Veſtes aureæ ſunt veſtes Pontificis* & quidem octo. Sed ne quis dubitet, quænam ſint illæ octo ſtatim addit: *Quatuor ſcil. omnibus Sacerdotibus communes & præter has, pallium, Ephod, pectorale & lamina*. Sed per totum Opus *Talmudicum*, quotieſcunque Pontifex dicitur veſtes aureas induere, id ſemper intelligendum eſt de octo veſtibus, quas omnibus diebus totius anni induit, præter diem expiationum. Videatur præſertim *Codex Jom. c.* III. & *Torah Cohanim Paraſ. Achare Moth. cap* VI. In eadem opinione etiam fuit *Cunæus* noſter *hoc loco*.

[24] *Pretioſiore lino*) Sunt qui credunt & putant, veſtes Pontificis, quibus per totum annum veſtitus miniſtrabat, pretioſiores fuiſſe, veſtibus albis, quas induebat die Expiationum: Ideoque quamvis ex lino tantum fuerint, nec quicquam auri admixtum habuerint, tamen aureas vocari ob pretium, quia fuerunt ex שש, quod *byſſum* interpretantur, cum veſtes albæ diei expiationum & cæterorum Sacerdotum dicantur fuiſſe ex בר, quod linum vulgare & minus pretioſum fuiſſe exiſtimant. In hac ſententia eſt *Cunæus noſter* hoc loco. Et videtur doctiſſimus vir alios autores minime vulgares decepiſſe, ut *Scheringhamium*, celeberr. *Leuſden. Phil. Hebr. pag.* 179., 180. alioſque alias accuratiſſimos. Sed pace doctiſſimorum virorum dictum ſit. Nam illas veſtes, quæ aureæ vocantur, & tamen nihil auri admixtum habebant, cæteris ornatiores & ſplendidiores fuiſſe, nondum probatum eſt. Nec ſcimus, cur doctiſſimus *Cunæus* dicat loco citato, veſtes quas Pontifex extra adytum gerebat, ex pretioſiore lino fuiſſe, quam veſtes albæ, cum contrarium ſit veriſſimum. Nam ſi Magiſtris Hebræorum ſtandum eſt (& nullam rationem videmus, cur ab eorum ſententia recedendum) adeo verum eſt, veſtes albas diei Expiationum ex pretioſiore lino fuiſſe, quam linum cæterarum veſtium extra adytum, quam quod eſt veriſſimum. Docent enim Doctores *Miſnici Maſſechet Joma c.* III. *halach.* VII. veſtes albas conſtitiſſe ex *lino Peluſiaco & Indico*, quo pretioſius nullum reperitur. Nihil etiam omnino probant eo, quod linum veſtium albarum dicatur בר, alterum vero שש. Non enim בר ſemper linum vulgare ſignificat, nec שש *byſſum* exquiſitiſſimi generis, uti ſermocinatur doctiſſimus *Cunæus*, utrumque enim byſſum ſubtiliſſimam ſignificat, ut vel ex ſolo *Maimonid.* conſtat *Halach. kele Hammikdaſch c.* VIII. *ſect.* XIII. Ubicunque in lege dicitur שש aut בר linum ſignificatur & quidem byſſus. Ergo nulla differentia inter utrumque.

CAPUT SECUNDUM.

Pontificis ſacra veſtis modo a Romanis, modo a Judæis aſſervata. De Pontificis galero. De ſacerdotum pileis. Lapides Urim & Thummim, in quibus vis oraculi fuit. Quando ii amiſſi ſint. Cur alii facti, & adhibiti poſtea ſint, cum eorum nulla vis amplius eſſet. Quis fuerit modus conſulendi oraculum Urim & Thummim. Quibus de rebus reſponderit Pontifex.

QUAM pulchro & admirando opere fuerint indumenta, quibus adornatus pontifex extra adytum erat, ex illo manifeſtum eſt, quod Flavius refert τὴν ἱερὰν ἐσθῆτα *ſacram pontificis veſtem* magna cura ſervatam [1] in turri fortiſſima fuiſſe, quam in parte templi Septentrionali olim ab Haſmonæis conditam, Herodes tandem Antoniam [2] de Marci Antonii nomine appellaverat. Utique pergslorioſum fuit illam veſtem cuſtodire. [3] Quare eum honorem identidem Romani ſibi vendicaverunt: [4] ac

 rurſus

rursus Judæis eum, sed beneficii loco concessere. Diximus ex octo tegminibus, quæ aurea Talmudici vocant, quatuor fuisse, quæ communia Pontifici cum reliquis [5] sacerdotibus erant. Inter illa galerus, [6] seu infula fuit. Pontificibus enim, sacerdotibusque nudo capite [7] sacra curare fas non erat, quemadmodum nec flaminibus Romanorum [8] id licuit. Pontificis galerum non penitus similem fuisse sacerdotum pileis, Judæi tradunt. Maimonides fascias quasdam ait Pontificis capiti ita circumdatas fuisse, quemadmodum membrum contritum aut fractum obvolvitur; Sacerdotum autem pileos velut galeas fuisse: unde & מגבעות eos dici, quod instar collium exsurgerent. Ab hoc dissentit Rabbi Abraham Ben David, cujus השגות *animadversiones* extant in Maimoniden. At enim ille, pileos quidem sacerdotales, quasi galeas fuisse, at pontificum infulas longe altiores [10] fuisse, fasciis in orbem sic circumactis, ut sunt hodie Arabum tiaræ. Hoc idem ait accuratissimus author Rabbi Joseph, cujus commentationes, quæ כסף משנה *corona Misnæ* inscribuntur, inæstimabiles sunt. Lapides Urim & Thummim, qui vestimento pontificis indebantur, absconditos a Josia [11] in templo priore fuisse, neque postea repertos in templo secundo [12] esse, dictum a nobis supra est. Facti tamen alii lapides, [13] & inditi in amiculum Choschen sunt, non quod jam eorum ope amplius oracula pontifex [14] ederet, sed ut consummatus earum rerum numerus esset, quas maximus Moses ad pontificem rite ornandum præscripserat. Nam si quid vel minimum forte deerat, utique pontifex מחוסר בגדים *defectus vestibus* dicebatur, & sacris operari non magis poterat, quam si de prophana plebe unus esset, quem talia conantem lex divina capitis damnat. * Sed quid illud est, cur nec consuleretur in templo secundo pontifex, nec responsa redderet? Disputarunt de ea re Judæorum cordatissimi, & visum illis est, id adeo ex hac causa esse, quod Spiritus sanctus Numinisque præsentior vis illinc abscessisset; mentem autem humanam fati & futuræ sortis nesciam esse, nisi instinctus divinus afflatusque accesserit. Quo nihil existimari rectius potest. Refert hæc omnia Maimonides in Halacha Cele Hammikdasch, capite decimo: ubi morem etiam edisserit, quo oraculum illud consulebatur antea. Stabat enim pontifex, & vultum componebat arcam versus, [15] erat autem a tergo, qui responsum petebat: [16] Is, cum sciscitatus de successu rei esset, quam apud animum suum proposuerat, ibi pontifex statim, spiritu cœlesti concitus, amiculum Coschen inspexit, atque ex literis [17] mira vi illic protuberantibus, quid futurum esset, didicit, respondItque. Ea consulendi ratio non privatis, aut de plebe hominibus, sed regibus duntaxat, [18] summisque judicibus, ut iis, qui publice missi a populo essent, usurpata fuit. Quoties enim res magna agebatur, itum illuc est. Privatorum negotia votis precibusque relicta sunt, ne oraculi sanctitas evilesceret.

* *Rabbi Maimon. in Hal. Beth Habbechira, cap. 4. & in Hal. Cele Hammikdasch, cap. 10.*

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

1 *Magna cura servatam*) Ob ingens istud pretium sacra vestimenta in thesauro recondita erant, tanquam Κειμήλιον rarissimum & pretiosissimum: *Maimonid. Halach kele Hammikd. cap.* VIII. docet: Pontificem Maximum habuisse proprium conclave in templo, in quo tanquam in thesauro vestes aureas occluderet. *Pontifex Maximus*, inquit, reponebat vestes suas aureas in conclavi suo, noctu aut tempore, quo exibat e Templo. Non solum autem summi Pontificis, sed etiam cæterorum Sacerdotum vestes in thesauro servatas fuisse colligi potest ex *capite* 2. *Esdræ v. 69.* Et *Nehem.* VII. 70. Erat enim in Templo conclave aliquod tanquam *Vestiarium*, sive thesaurus sacrarum vestium. Singulum autem vestimenti genus suam arcam habuit; ita ut omnes brachæ in una arca reconditæ fuerint, & ista arca inscriptum habuerit vocabulum מכנסים *brachæ*. Sic & omnes *tunicæ* suam peculiarem habebant arcam, cui inscriptum erat vocabulum כתונות *Tunicæ*. Baltei in sua arca erant &c. Hæc traduntur in Misna *Tamid. cap.* 5. ubi hæc leguntur: *Arcæ autem erant illic, quibus inscriptum erat usus vestium.* Ad quæ verba *Michael Arnoldi* in *edit. Franequ.* 1680. notat sequentia: Arcæ erant, quibus imponebat vestes, ubi reconditæ erant braccæ, ibi braccæ nomen erat inscriptum, ubi pileus, ibi pilei, tunica, tunicæ, cingulum, cinguli nomen legebatur. Ordinem autem, quem tenuerunt Sacerdotes in induendis vestibus sacris ex *Maimonide* cognoscimus: Femoralia linea induet super carne sua, deinde induet tunicam, deinde applicabit cingulum, & circumdabit capiti pileum. Sic etiam *Maimonid. Hal. kele Hammikdasch. cap.* VIII. docet, non tantum quodlibet genus vestimenti suam habuisse arcam propriam, cum suo Titulo, sed quamlibet cohortem Sacerdotum quatuor arcas habuisse. Et cum fuerint XXIV. cohortes sive classes Sacerdotum colligit XCVI. fuisse arcas, uti recenset *Joh. Henric. Otho in Lexic. Philolog. pag. m.* 643. conf. celeb. *Braun. lib.* 2. *cap.* XXIV. *pag.* 837. *de vestit. Sacerd. Hebr.*

2 *Antoniam*) Ad conclave hoc respexit *Josephus Antiquit. Jud. lib.* XV. *cap.* XIV. & *lib.* XX. *c.* I. sed *arcem Antoniam* vocat. Narrat ibi *Josephus* vestimenta sacra Pontificis Max. custodita fuisse in certa quadam turri sive arce Templi, in Septentrionali latere, ab Asmonæis ædificata, & postea ab *Herode* in gratiam *Antonii*, *Antonia* vocata.

3 *Illam vestem custodire*) Cunæus dicit pergloriosum fuisse. Olim quidem erat sub sigillo ipsius Pontificis Maximi & gazophylacio præfectorum, qui pridie solennis festi adibant Arcis & Præsidii Romani Præfectum, & recognito prius sigillo, stolam accipiebant; ac mox peracto festo, eam reportabant in eundem locum, & in conspectu arcis Præfecti obsignatam deponebant. Et magna quidem gloria

erat,

erat, vestem illam servare, & in sua habere potestate: ut etiam propter ejus custodiam magnæ subortæ fuerint contentiones inter Judæos & Romanos, ut eodem loco testatur *Josephus*.

4 *Romani sibi vendicarunt*) Prius Herodes in ista arce vestem servavit, sed post ejus obitum in Romanorum potestate erat, usque ad tempora *Tiberii*, sub cujus imperio *Vitellius* Syriæ Præses, ab Hierosolymitanis honorifice receptus, in signum grati animi Judæorum precibus custodiam sacræ stolæ concessit. *Agrippa* autem Rege fatis jam defuncto, *Cassioque Longino Syriæ* Præside, & *Cuspio Fado Judææ* Procuratore, coacti sunt Judæi stolam denuo in *Antoniam* deponere, ut esset in Romanorum potestate, quemadmodum fuit antea. Tandem Legati missi sunt ad Imperatorem *Claudium*, qui intercedente *Agrippa* Juniore, jus sacras vestes custodiendi iterum obtinuerunt. Credibile est Romanos custodiam harum vestium tam anxie ambiisse, non tantum ut hac ratione testarentur, Pontificatum in sua esse potestate, & ut Pontifex M. sub specie Religionis nil contra Majestatem Romanam moliretur; sed præcipue ut tam magnus thesaurus suis manibus non eriperetur.

5 *Quæ communia cum reliquis*) Quatuor fuerunt vestes, quas Sacerdotes cum Pontifice Maximo communes habebant, *tunica*, *subligacula*, *pileus* & *baltheus*. Hoc Moses distinguit *Exod.* XXVIII. 40. in *vestes honorarias* & *necessarias*. De *honorariis* ait, ℣. 40. *Facies filiis Aaron* (i. e. reliquis vulgaribus Sacerdotibus a Summo distinctis) *tunicas*, *facies quoque illis cingula & pileos ad gloriam & decorem*. De *necessariis* ait. ℣. 42. Facies & feminalia linea ad operiendum carnem turpitudinis suæ a lumbis usque ad femora. Ex his constat, quod quatuor vestimenta vulgarium Sacerdotum fuerint. Sic enim *Maimonid. kele Hammikdasch. c.* VIII. Vestes Sacerdotibus communes sunt quatuor: *Tunica*, *feminalia*, *Pileus* & *baltheus*. Hæc desumta sunt ex *codice Joma cap.* VII. ubi hæc extant: Pontifex operabatur in octo vestibus, sed reliqui Sacerdotes in quatuor, scil. in *Tunica*, *feminalibus*, *pileo* & *baltheo*. Non hic referemus formas illarum vestium, cum tales ex professo descripserint *Braun.* de *vestit. Sacerd. Hebr. per tot. Frischmuth. diss. de re vestiaria Pontif. Hebr. Scheringham. in not. ad Cod. Jom. cap.* VII. *pag.* 86. *seq. edit. Franequer. Outram de sacrif. Joh. Henric. Otho in Lex. Philolog.* aliique.

6 *Galerus &c.*) Scribit *Cunæus* vestimenta quatuor communia fuisse & Pontifici & Sacerdotibus, & paucis interjectis dicit: inter illa *galerus* seu *infula* fuit. Sunt tamen qui differentiam quærunt, ut *Rabbinorum* plures & cum illis *Seldenus* volunt. Audiamus D. *Quensted. in antiquitat. bibl. pag. m.* 48. ita differentem: Tunicæ inferiorum Sacerdotum non variabant a tunica Pontificis. Inter *Baltheos* vero eorum, quibus nempe tunicas cingebant & *Baltheum* Pontificis aliquam fuisse differentiam, sed de hac nihil legimus in *Mose*. Dicunt tamen *Tiaras* diversas esse. *Tiaram* enim Pontificis involutam esse, ut notat R. Levi dictum מצנפת nec habere acumen in summo; Vulgarium Sacerdotum *Tiaram* alterius formæ & nominis fuisse מגבעות confer. Cl. *Frischmuth. in dissert. de re vestiar. Pontif. Heb.* §. 3. sed de hac differentia paulo post pluribus agetur.

7 *Nudo capite*) Licet apud veteres multa sacra nudo capite facta sint, uti sacra erant *Bacchi* teste *Porphyrio ad lib.* II. *Odar. Saturni* & *Honoris*. *Plutarch. Quæst. Rom.* Attamen plures sunt, qui in sacris caput summa cura velare solebant. *Herculis* sacra velato capite fiebant, uti refert Sil. *Ital.*

> *—— velantur corpora lino*
> *Ex Pelusiaco præfulget stamine vertex.*

En! plane tiaram eandem ex lino Pelusiaco; qualem & Hebræorum Sacerdotes habere solebant. Idem pluribus confirmat *Plutarch. quæst. Græc.* ubi de *Herculis Sacerdot.* Et *Dacorum* Sacerdotes tiaras gestasse docet *Jornandes de reb. Getic. cap.* XI. Et *tiaras* Sacerdotum tegumentum fuisse ex vetere *Scholiast. Juvenal.* De iisdem procul dubio *Virgil. Æneid. lib.* III. *Ovid. Trist. lib.* IV. 4. confer. *Saubert. de Sacrific. cap.* X. *pag. m.* 216. *seq.* Non tantum *pileis*, *mitra*, *Kurbasia &c.* veteres Sacerdotes capita tegebant, sed & ipsis nonnunquam vestibus, quibus amicti erant. Sacrificaturi & vota suscepturi prætextam capiti injiciebant, quod fecisse *Vespasianum* testatur *Joseph. de bell. Judaic. lib.* VII. Et hunc quidem morem, auctorem habuisse *Æneam* multi testantur. Audiamus *Virgil. lib.* III. *Æneid.*

> *Purpureo velare comas adopertus amictu*
> *Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum.*
> *Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.*

Docet enim *Servius Virgilium* per hostilem faciem intelligere *Diomedem*, qui *Æneam* sacrificantem invenit: ne autem *Æneas* ab ipso agnosceretur, neque sacrificii ordinem rumperet, quod piaculum fuisset, amictu suo caput texisse. Addit *Servius* & hæc verba: *Sciendum est*, sacrificantes Diis omnibus caput velare consuetos ob hoc, ne sc. inter Religionem vagis aliquid oberret obtutibus. *Plutarchus*, inter alias multas rationes, cur sacrificantes caput velaverint hæc annotavit: *Deos autem operto capite* adorarunt, vel quod hoc tegumento capitis se humiles ostenderent, aut potius ne qua vox mali ominis audiatur, ideo usque ad aures vestem sursum trahunt. Hoc etiam vult *Outram lib.* I. *c.* V. *de sacrif. edit. Amstel. pag. m.* 54. quod Deus Sacerdotes suos operto capite ministrare voluerit, quia apud Gentes Orientales caput opertum reverentiæ, nudum audaciæ signum. Manifestum itaque est, Sacerdotes & Sacrificantes ideo capita velasse, ne inter sacrificandum turbarentur mala aliqua cogitatione, quo facto piaculum commisissent. Sane eadem cura & Hebræorum Sacerdotes non parum sollicitavit: animo enim liberrimo sacrificare tenebantur, nullis cogitationibus implicito; adeo quidem ut vel minima cogitatio sacrificium polluere & irritum reddere crederetur.

8 *Nec Flaminibus Romanorum*) Flamines ut vult *Varro lib.* IV. de LL. dicuntur quasi *Filamines*, a filo, quo caput habebant cinctum. Ita & *Sext. Pompej.* Flamen dictus est, quod filo assidue veletur. vide de his fuse differentem *Saubert.* de Sacrif. *cap.* VI. *pag. m.* 127. conf. *Rosin. in Antiq. Roman. variis in locis* Joh. Henric. Kipping. antiq. Rom. Angl. *Godwin in Romanæ histor. anthologia edit. Oxford.* 1625. *pag.* 54. qui tamen nomen *Flaminum* a *flamma* deducere vult. Verum enim vero melior sententia illorum, qui dicunt a *filis* nomen trahere, quippe illis non licuit nudis capitibus sacrificare. Semper enim vittis seu infulis in sacrificiis ornati erant. Audiamus itaque *Isidor. Orig. lib.* XIX. *c.* XXX. ubi de infula, apice & pileo, sive galero differit. Infula, inquit, est fasciola Sacerdotalis alba in modum diadematis, a qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ infulam vinciunt. Unde & vittæ dictæ sunt, quod vinciant. Infula autem plerumque lata erat, plerumque tortilis de albo & cocco. Hinc & sacratæ infulæ dicuntur a *Seneca in Agam. Act.* 3.

> *Sed cur sacratas diripis capiti infulas*

Festus. Infulæ sunt filamenta lanea, quibus Sacerdotes & hostiæ templaque velabantur. Flaminem Dialem album galerum habuisse, docet *Aul Gell. lib.* X. *c.* XIV. Nihil autem magis notum, quam Flaminum *Apex*, pileus scil. formæ acuminatæ, cum apice in summo. De Saliorum apice videatur *Dionys. Halicar. lib.* II. conf. *Braun.* de vestit. *Sacerd. Hebr. pag.* 538. *Servius* ad *lib.* 2. *Æneid.* dicit: Proprie dicitur apex in summo Flaminis pileo virga lanata. i. e. cujus extremitati modica lana est, quod primum constat apud Albam Ascanium constituisse, modo pro summitate pilei intelligimus. Et alibi ad lib. VIII. *Æneid.* Flamines in capite habebant pileum &c. Ab ejusmodi apicibus pileus apex dictus est. Quod autem *Servius Flamines* quasi *Pilamines* vocet, non discrepat a Plutarcho, qui eadem animadvertit in *Numa.* vid. celeb. *Braun. l. c. pag.* 539. *seqq. Saubert. de Sacrific. cap.* X. *pag.* 217. 218.

9 *Abraham ben David*) Autor noster in præcedentibus differit pluribus verbis, galerum Pontificis diversum ab aliorum sacerdotum galeris fuisse, & distinguit inter מצנפת & מגבעות *Miznepheth* & *Migbaoth*. Hinc quærimus an *Miznepheth* summi Pontificis a *Migbaoth* differat? Si itaque Josepho

pho credimus, magna ſane erit differentia inter utrumque. Is enim *lib.* III. *antiq. cap.* VIII. docet: Summum Pontificem pileum habuiſſe qualem & cæteri Sacerdotes, ſed ſuper illum extitiſſe alium pileum conſutilem ex hyacinto variatum. Verum hoc nemo præter *Joſephum* dixit, & reliqui Hebræorum doctores non conſentiunt, nec nos calculum adjicere poſſumus, cum *Moſes* ne γρῦ quidem de hoc habeat. Maxima pars Hebræorum Doctorum diſcrimen inter *Migbaoth* omnium Sacerdotum, & *Miznepheth* Summi Pontificis in hoc putant conſiſtere, quod *Migbaoth* capiti profundius imponeretur pauloque altior eſſet, quam caput, ſuperne in mucronem exiens inſtar *galeæ*, uti *Cunæus* etiam putat: ſed *Miznepheth* frontem vix tegeret inſtar dimidiatæ ſphæræ, magis ad formam capitis aptatus depreſſior & magis humilis, quam *Migbaoth*. Ita ſane nobis occurrit totum iſtud diſcrimen, quando legimus verba *Maimonid. Hal. Kel. Hammikd. cap.* VIII. cujus verba Latine tradidit Cl. *Braun. lib. II. cap. XXI. de veſtit. Sacerd. Heb. pag. 796. Et tiara, de qua mentio fit, ubi de Pontifice Maximo agitur, eadem eſt, quæ & reliquorum Sacerdotum, niſi quod Summus Pontifex ea involvat (caput) inſtar alicujus membri fracti: ſed illius filii involvunt inſtar galeæ*. Scil. *Tiara* Pontificis non in altum nec oblonga ſuis involucris formabatur, ſed volucrum volucro imponebatur in orbem circa caput tantum, ut eo non altius ſurgeret, eodem modo, quo vulnus aut membrum fractum ligari & linteo obvolvi ſolet.

[10] *Longe altiores*) Sententia R. Abrahami Ben Davidis eſt, quæ Maimonidi contradicere videtur, ſed re vera, quamvis velit non contradicit. *Ego*, inquit, dico, *alterum pileum alteri non eſſe ſimilem. Miznephet valde longum erat & convolutum multis volucris, inſtar volucrorum Iſmaelitarum* (id eſt inſtar pileorum Turcarum.) *At opus Migbaoth erat inſtar noſtrorum pileorum, ſcil. acuti ſuperius & breviores erant*. Hinc poſteriorem Sacerdotes habuiſſe ſtatuit. Verum non contradicit Maimonidi, niſi voluerit Rabbi Abraham pileos minorum Sacerdotum non fuiſſe compoſitos ex longa aliqua faſcia, ſed inſtar noſtrorum pileorum abſque volucris & plicaturis caput cinxiſſe. Si autem hæc illius mens fuit, deceptus eſt valde, quem hic ſequitur *Cunæus* noſter. Ut ut ſit quoad formam non differunt. Contrarium potius *Cunæo* opponimus & ſtatuimus cum celeber. *Braunio* de *veſtit. Sacerdotum Heb. lib.* II. *cap. XXI. pag. m.* 797. Pileum minorum Sacerdotum paulo altiorem fuiſſe, ideo & ad hunc uſque diem Judæi Germani *Migbaoth* vertere ſolent, *einen hohen Hut* pileum altum: Summi autem Pontificis *tiaram depreſſiorem* fuiſſe & majori mole circa tempora multis volucris obvolutam. Non bene itaque intellexit *Abrahamum ben Davidem* ad *Maimonidem Hal. Kele Hammikd. cap.* VIII. doctiſſimus *Cunæus* hoc loco, ubi dicit, cum docuiſſe, Pontificum infulas longe altiores fuiſſe pileis reliquorum Sacerdotum. Hoc ſane non dixit Abraham filius Davidis, ſed tantum *Miznepheth* Summi Sacerdotis longiorem fuiſſe telam, qua caput ejus involvebatur: quamvis & ipſe Rabbi erret, cum utrumque & Summi Sacerdotis tiara & reliquorum Pontificum pileus longa & quidem XVI. ulnarum faſcia fuerit: ſed diverſa tantum forma plicata & convoluta.

[11] *Abſconditos a Joſia*) Hic iterum *Cunæus* noſter figmenta & deliramenta Judæorum ſequitur, ſtatuentium, arcam cum Urim & Thummim abſconditam fuiſſe a *Joſia* Rege uti in *Jalkut part.* II. *fol.* 162. *col.* 3. hæc verba legimus: *Ecquis illa* (ſcil. arcam & reliqua vaſa) abſcondit? JOSIAS. Quam ob rem? ſcriptum invenit (Deut. XXVIII. 36.) abducet te & Regem tuum &c. Hinc occultavit, quia dictum eſt (2. Paral. XXXV. 3.) & dixit ad Levitas erudientes Iſraelem: ponite arcam Sanctitatis in domo, quam ædificavit *Salomo*. Eo uſque hæc ſententia inter Judæos invaluit, ut etiam doctum *Maimonidem* in partes ſuas traxerit. Sic enim ille *Tom. 3. operis Jad Hilkoth Beth Habechira, cap.* 4. §. 1. loquitur: *Poſtmodum juſſu Joſiæ* arcam in iſtam (ſcil. ſpecum) repoſuerunt. Verum hanc erroneam opinionem Rabbinorum rejecit *Johan. Friſchmuth. in diſſert. Philol. de non ſperanda arcæ fœderis reſtitutione cap.* III. §. 5. *edit. Jenenſ.*

[12] *Repertos in templo ſecundo*) Sunt qui dicunt *Urim* & *Thummim* etiam in templo ſecundo fuiſſe & Deum reſpondiſſe ſub templo ſecundo & deſiiſſe tantum ducentis annis antequam hiſtoriam ſuam ſcriberet *Joſephus*, irato ſcil. Deo ob violatas leges. vid. *Joſeph. Antiquitat. lib.* III. *cap.* IX. Repeiuntur alii, ut R. *Azarias in Meor Enaim. cap.* 1. qui affirmare audent ſub Templo ſecundo *Urim* & *Thummim* extitiſſe, eo magis quod tunc temporis vixerint Prophetæ *Haggæus*, *Zacharias* & *Malachias*. Sed cum dona Prophetica in *Haggæo*, *Zacharia*, *Ezra* & *Malachia* quadraginta tantum annis viguerint, ut docet *liber Coſri part.* 3. §. 65. Urim & Thummim ultra id tempus non duraſſe credibile. Sed & hoc dubium. Nec probari poteſt ex *Ezra cap.* II. 63. & *Nehem. cap.* VII. 65. Unde quidam colligunt, in ſecundo Templo debuiſſe reperiri *Urim* & *Thummim*, ſi non ſemper, ſaltem aliquot annis; nihilominus illi ridentur a doctiſſimis Gemaricis. Illi ſtatuunt, plane non exſtitiſſe in Templo ſecundo. Videatur Codex Sota *cap.* IX. *Jarch.* ad *Ezr. cap.* II. Quod *Urim* & *Thummim* ſub Templo ſecundo plane nullum uſum habuerint, teſtatur *Joſeph ben Gorion* a *Friſchmutho in diſſert. Philolog. de re veſtiaria Pontific. edit. Jenenſ.* citatus *cap.* V. *fol.* 15. *edit. Cracov. col.* 4. Cum enim *Alexander Magnus* peteret a Summo Pontifice ut Oraculum conſuleret, utrum pugnaturus eſſet cum Dario? tunc reſpondit ei Pontifex Maximus: *A die exilii domus hujus in Babel abſcondita ſunt a nobis Urim* & *Thummim*, conferatur huc celeb. *Carpzov. not. ad Schickardi* משפט המלך *pag. m.* 27. 28. *edit. Lipſ.* Ex his conſtat *Urim* & *Thummim* ſub Templo ſecundo non fuiſſe; Imo probari poteſt, quod *Urim* & *Thummim* ſub Templo primo non oracula ediderint uſque ad ruinam illius. Hoc factum fuiſſe ante tempora *Salomonis* conſtat, ſed poſt illius regnum nullum habemus exemplum. Et ſane *Miſch. Cod. Sot. cap.* IX. docet *Urim & Thummim* ceſſaſſe cum Prophetis prioribus *Davide*, *Samuele* & *Salomone*. *Abarbanel* rationem reddit, cur ſub templo ſecundo *Urim* & *Thummim* non reſponſa dederint? quia non omnes tribus duodecim exſtiterint. Quæ opinio, licet non ſit ſatis evidens, attamen juxta *Friſchmuth.* l. c. & *Braunii* opinionem, non plane contemnenda.

[13] *Facti tamen alii lapides*) Fatendum quidem eſt, quod in Templo ſecundo ſimulacrum pulcherrima imitatione effictum, adeoque ἀνάλογον Pontifices geſſerint ex Rabbinorum Scriptis exhibuit celeberr. *Wagenſeil. Patron. noſter magnus in not. ad excerpt. Gemar. Sot. pag. m.* 1070. ubi expreſſis verbis confirmat, quod quidem Pontifex ſub ſecundo templo Pectorali indutus fuerit, verum ornatus tantum gratia, nec oraculi vicem amplius præſtiterit. *Maimonid. Hilch. Beth Habbech cap. IV.* §. 1. ex verſione *Wagenſeil. Pectorale, quo in ſecundo templo amictus erat Pontifex, non edidit reſponſa per Spiritum Sanctum, nec fuit conſultum, unde & apud Nehem. VII. 6. legimus*: Donec exiſteret Sacerdos cum oraculo pectorali. *Non igitur in alium finem parabatur, quam ut octonarius numerus veſtium, quibus indui oportebat Ponrificem, eſſet integer, & ne quid debiti ornatus deficeret*. Iterum in *Hilch Kele Hammikd. cap. X.* §. 10. inquit: *Paratum fuit in Templo ſecundo Pontifici Pectorale, ad complendum octonarium numerum veſtium* (quibus ex mandato Dei indutus eſſe debet) *etſi in conſulendo nullius erat uſus. Sed quare non fuit conſultum? quia defecerat Spiritus Sanctus, ſcilicet Sacerdos, qui ex Spiritus Sancti afflatu non loquitur quique Divinitatem non habet præſentiſſimam, de futuris non conſulitur*. Quod fortaſſe e *Toſephoth Maſſ. Joma fol.* 21. *col.* 2. hauſit, ubi diſerte: *Urim & Thummim fuerunt*, (ſcil. in templo ſecundo) *ſi enim hoc non eſſet, defectum paſſus fuiſſet Sacerdos maximus veſtibus ſuis, ſed tamen non dabat reſponſa interrogantibus*. Atque ita ſine dubio intelligi voluit R. *Abarbanel. in Leg. fol.* 200. *col.* 1. conf. cl. *Friſchm. diſſert. cit. in fin.* Carpzov. in not. ad משפט המלך. pag. 28. cl. *Braun.* aliique. Verum etiam ſunt, qui dicunt: *Urim & Thummim* vetus illud Moſaicum ſimul cum Aaronico novo tempore templi ſecundi non fuiſſe, neque ſecundum materiale neque formale, quia Chriſtus ut Lux & Splendor Majeſtatis oraculum certiſſimum fuit. Vid. diſ-

ſertat.

ſertat. de imagine veritatis Fatidica & Juridica ſub *præſid. plur. Rev. Maj.* a cl. *Chriſtoph. Mauritio*, *edit. Giſſ. 1696.* ubi plura legi poſſunt.

[14] *Pontifex*) Sine cujus interventu neque conſultum legimus oraculum, neque reſponſum editum. Hic ſolus *Spencerus in tract. de legib. Hebr.* in diverſum abit, putatque non tantum Sacerdotes quoslibet, quibus prima poſt Pontificem Sacrorum cura demandata erat, Deum aliquando & extra ordinem per *Urim* conſuluiſſe *pag.* 429. Sed etiam Reges, ſi voluerint, faciles & immediatos ad oraculum Dei aditus habuiſſe *pag.* 430. & opinionem ſuam partim ex Scriptura, partim rationibus probare conatur. Verum quia pro nobis reſpondit vir *Excell. Georg. Otho Profeſſ. Græc. Ling. in Academ. Marburg. celeberrimus*, ad illum Lectorem remittimus, *qui pag.* 27. 28. 29. diſſert. *de Urim & Thummim* docte de his diſſerit, quam imbecillia argumenta *Spenceri* ſint.

[15] *Arcam verſus*) *Spencerus* iterum rationibus his perſuadere conatur, per arcam hoc loco non intelligi arcam fœderis, ſed aliam arcam inſtrumentis ſacris, Ephodo imprimis & pectorali cum Urim & Thummim peregre deportandis, inſervientem, (1) quod non appelletur *arca fœderis* Dei, ſed ſimpliciter arca Dei. Verum reſpondemus: Negando conſequentiam. Nam eodem modo 1. *Sam.* XIII. 17. 18. 19. 21. 22. IV. II. expreſſe ארון ברית אלהים arca fœderis Dei dicitur & alibi. Sic enim ſimpliciter ארון 1. *Sam.* VI. (2) Quod arca tunc temporis non in manibus *Achiæ*, ſed in domo *Aminadabi* fuerit 1. *Sam.* VII. R. Negando conſequentiam, potuit enim accerſi in caſtra, uti factum fuit antea 1. *Sam.* IV. 3. poſteaque ſub Davide 2. *Sam.* XI. 2. (3) Quia eam ſine ſpeciali Dei mandato de loco ſuo transferre non licebat. Reſp. Excipiendus ſemper caſus neceſſitatis, uti ex Scriptura conſtat, & quæ alia ſunt, quæ refutata ſunt ab Excellent. cit. *Othone pag. m.* 23. *diſſert. de Urim & Thummim*. Cum autem arca fuerit in Sancto Sanctorum, hinc infert cl. *Braunius de veſtitu Sacerdot. lib.* 2. *cap.* 20. §. 29. *pag. m.* 784. quod Deus in Sancto Sanctorum conſultus non fuerit, ubi deceptum ait *Epiphan. in libello de* duodecim lapidibus, quando expreſſis verbis doceat, ſummum Pontificem ingreſſum fuiſſe in Sanctum Sanctorum cum Adamante, quem putat fuiſſe *Urim* & *Thummim*, unde pateat, eum crediſſe interrogationem factam fuiſſe in ipſo adyto ſive Sancto Sanctorum. Additque in eodem errore verſari multos alios viros doctos. Inprimis autem miratur ipſum Buxtorfium etiam hic dormitaſſe, cum dixerit in Sancto Sanctorum Pontificem ſummum interrogaſſe per *Urim* & *Thummim*. Ipſe contra vult præcedente §. 28. Deum non in Sancto Sanctorum, ſed in Sancto tantum a Pontifice interrogatum, ita tamen ut faciem verſus arcam verterit, quæ erat in Sancto Sanctorum. Unde & paulo ſuperius §. 15. craſſiſſimum errorem vocat, quod *Epiphanius* dicat: S. Pontificem S. Sanctorum ingredi cum humerali & pectorali gemmato, cum illud nunquam ingreſſus fuerit, niſi indutus veſtibus albis & biſſinis. *vid. lib.* 1. *cap.* 2. & 5. & lib. 11. cap. XX. §. 28. & XXV. §. 10. Verum cum pace viri hujus celeberrimi dictum ſit. Nos non videmus tam liquido hinc ſequi, quod inde inferat, nefas fuiſſe Pontifici in adyto ſe ſiſtere coram Deo aliis veſtimentis, quam albis, ut ait, *lib.* 1. *c.* 11. & VI. aut peccatum ab eo commiſſum, ſi veſtibus aureis illud fuiſſet ingreſſus. *lib.* 11. *cap.* XXV. §. 10. Nam (1) nihil aliud *cap.* XVI. Levit. præcipitur, quam, ne quovis tempore S. Sanctorum ingrediatur, ſed ſemel tantum in anno, die decimo menſis ſeptimi, ad ſuffitum faciendum coram Domino & inferendum ſanguinem juvenci & hirci, & expiationem faciendam pro loco ſancto &c. Sed quid hoc ad ingreſſum Sacerdotis ad conſulendum Deum per Urim & Thummim? Cum hic ingreſſus alterius naturæ & extraordinarius fuerit, cum intra plures annos vix ſemel acciderit: Ita ab ipſo Deo mandatus videtur *Num.* XXVII. 12. Sic ergo ingreſſus ad ſuffiendum ingreſſum ad conſulendum, ordinarius extraordinarium non excludit, agnoſcente ipſo cl. viro עריך גדול *caſum neceſſitatis* ex *Mikotz.* præcept. affirm. CLXXIII. accedente præcipue monitu & juſſu Dei *lib.* 11. *c.* XXV. §. 8. Si (2) arca toties de loco in locum deportata fuerit, uti ex variis Scripturæ locis patet, & ipſe celeberr. *Braun. lib.* 2. *c.* XX. §. 31. concedit; certe Sacerdos Summus S. Sanctorum ſæpius ingreſſus, niſi credere velimus, illum non niſi ſtatuto tempore & die כפורים *expiationis* inde per ſummum Sacerdotem deportatam fuiſſe quod tamen vix eſt probabile. Satis (3) apparet ex Levit. XVI. quod ingreſſus ad Dominum in adytum non ſimpliciter, ſed tantum ad ſuffitum faciendum & ſanguinem offerendum certo tempori adſtrictus, aditus autem ad conſulendum Deum de Republ. quippe fortuito & caſu accidere ſolebat nunquam incluſus fuerit, ut adeo Cl. Vir a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter arguere viros clariſſimos fruſtra damnare videatur.

[16] *Reſponſum petebat*) Interrogatio oraculi fiebat expreſſis verbis, non ſola mente, nec ſola demurmuratione intra os vel guttur, ſed clara voce, ut & Pontifex & alii aſtantes audierint. Hoc enim mandatum Dei & exempla conſulti Oraculi paſſim innuunt, a quorum propria ſignificatione non eſt recedendum, donec probetur contrarium. vid. Excell. *Georg. Otho in cit. diſſert. pag.* 31. *edit. Marburg.*

[17] *Literis*) Sunt qui dicant per literas protuberantes Oraculum reſponſa dediſſe, uti Rabbinorum Doctores & alii. Vid. clariſſ. *Braun. pag.* 174. *ſeqq.* Aliter ſentit cl. Mauritii diſſert. ſub præſidio plur. Rev. *Maji* Fautoris noſtri maximi *Giſſ. habit. de imagine veritatis fatidica & juridica pag.* 31. ubi Commenta Rabbinorum rejicit & deſcriptionem *Urim* & *Thummim* ita format: *Urim & Thummim fuit aliquid peculiare intra pectorale abſconditum, quod & ipſum in reddendo oraculo luxerit & virtute ſua divinitus inſita, lapides pectoralis, velut novum Urim & Thummim illuminaverit, luce ſeu ſplendore prorſus ſupernaturali, in divinitatis certiſſimum indicium, atque ſimul Spiritus Sancti inſpiratione Sacerdotem interius quoque illuſtratum, & externa voce inter Cherubin prodeunte ad reddendum reſponſum informatum.* Ex quo elucet, Deum clara voce reſponſum dediſſe. Recte itaque cl. *Spencerus* cum *Chriſtophoro* a *Caſtro* reſponſa per Urim edita, non per ſplendorem ſolito jucundiorem, ſed ſermonem perſpicuum, data eſſe. Et licet celeb. *Braunius* cum aliis Rabbinorum ſententiam ſequatur; attamen probabilius ex ſupra allata deſcriptione videtur, & vivam vocem a Deo ab arca redditam, illamque a conſulente ipſo auditam aſſerimus. Hic enim loquendi modus cum Moſe aliiſque Deo pro Philantropia ſua in infantia, pueritia & adoleſcentia Eccleſiæ ſuæ ſatis uſitatus fuit. Sic Protoplaſt. locutus dicitur *Gen. I.* 28. 29. 30. *II.* 16. 17. 18. *III.* 9. 11. 13. 16. 17. 18. 19. *Caino Gen. IV.* 6. 7. 9. 15. *Noach. Gen. VI.* 13. 21. *VII.* 1. 4. & ſic infinitis locis ab Excell. Othone allatis hæc demonſtrata fuit ſententia, donec per exhibitum mundo Meſſiam ille Eccleſiam de voluntate plene inſtruxerit. Optime etiam de voce audita diſſerit Anglus *Scheringham. in notis ad Cod. Jom. cap.* 7. *p. m.* 93. *edit. Franequer.*

[18] *Sed regibus duntaxat*) Perſona oraculum hoc conſulens fuit vel Dux populi, vel cætus ac concilium Seniorum, vel Rex Iſraelis. In hac concluſione mirus eſt interpretum omnium conſenſus. Ipſe *Spencerus* hoc prolixe domonſtrat pag. 322. & ſeqq. Sic doctiſſ. *Braun. pag.* 790. diſſerit: *Non pro quolibet oraculum conſuli ſolebat: ſed pro Rege, pro Principe, pro Præſide Synedrii aut pro alio aliquo dignitate & auctoritate conſpicuo viro inter Iſraelitas.*

CAPUT TERTIUM.

Vestimenti laceratio quatenus Pontifici permissa. Item quatenus sacerdotibus. De Caipha. Lex conjugii alia pontifici, alia sacerdotibus posita. Matrimonium virginis, viduæ, vitiatæ, & per divortium dimissæ. Polygamia. Habitatio Pontificis. De Augusto Cæsare.

NUNC referamus alia quædam summi Pontificis jura. Inter quæ illud est, quod ei vestem lacerare in animi dolore fas haud fuit. [1] Quod præceptum tamen Talmudici ad lacerationis modum restringunt, ut Pontifici disrumpere vestem [2] quidem, sed infra tantum [3] circum pedes licuerit; supra vero, & ad sinum pectoris, vetitum sit, at cæteris sacerdotibus jus esse lacerandi a summa parte deorsum ajunt. Ita definitum in fine ejus tractatus est, quem Massechta Horajoth appellant. Quæ si vera sunt, nullo necessario argumento colligitur, id quod interpretes volunt, Caipham contra legem fecisse, cum ad Messiæ augustam vocem ipse togam sibi per impatientiam discinderet, uti proditum a Divo Matthæo est in capite vicesimo & sexto. Hæc ultra exquirere, nostrum non est. Cum enim diligentissime in his operam posuerimus, restabit, ut nobismet irascamur, qui pedibus fimum scalpturimus, unde nullum granum eruitur. In Levitici capite vicesimo & primo edicitur pontifici maximo, uti virginem duntaxat [4] in matrimonium petat. Quod profecto non sine mysterio [5] est. Non enim sacerdotibus posita eadem lex fuit, quippe viduam [6] illi uxorem rite duxerunt, dum modo ab iis abstinerent, quæ corpore quæstum faciebant, aut per divortium expulsæ a marito erant, quibusve oblatum vitium fuit. In Talmud, in Messechta Joma, [7] in capite primo, traditur, nefas Pontifici fuisse uxores duas simul in matrimonio habere, quod si haberet, utique cum altera faciendum illi divortium fuisse ante diem decimum mensis Tisri, ni id fecisset, obire eum piaculare sacrum solenni illo die in templi adytis nequivisse. Enimvero hoc singulare fuit. Nam cæteris hercle Judæis plures uxores ducere per legem licuit: Idque infra ostendemus, cum res ipsa feret. In Masechta Middoth scriptum extat, ædiculam fuisse Pontifici in templo exstructam, in qua ille interdiu mansitavit ferme, eamque לשכת כהן גדול *conclave Pontificis*, [9] esse dictam. De domo vero, quæ extra sanctuarium illi erat, ita Maimonides tradit, debuisse eam Jerosolymæ, atque in ipsa urbe, non alibi, esse. At Romanorum legibus cautum fuit, uti Pontifex maximus in domo publica habitaret. Quare Octavius hercle, M. Lepido mortuo, cum tanti nominis honorem adeptus esset, & domum publicam accipere a senatu per modestiam recusaret, suarum ædium partem ipse publicam esse jussit, quo satis factum legi esset.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

[1] *Haud fas fuit*) Judæi duabus potissimum in rebus vestimenta scindebant: in *luctu* ut *Gen.* XXXVII. 29. & 34. XLIV. 13. *Num.* XIV. 6. & *Judic.* XI. 35. Deinde cum aliquam contra Deum blasphemiam audirent. Hinc 2. *Reg.* XIX. 1. Rex *Ezechias* auditis blasphemiis Sennacherib vestimenta scidisse legitur. Rabbini in libr. præceptorum hanc tradunt regulam: qui blasphemantem Israelitam audit, debet lacerare vestes suas, si alius est puta gentilis non lacerat. conf. Johann. *Henric. Othon. Lexic. Philolog. pag. m.* 317. *edit. Genev.* Quod autem *Eliakim* & *Sobno* vestes disruperint, 2. *Reg.* XVIII. id factum est inde, quia Rabsaces erat Israelita Apostata, qui Patrum religionem ejuraverat. *Caiphas* ergo laceravit sibi vestimenta ad Christi vocem, quam putabat plane impiam & blasphemam, exclamans: *blasphemavit*: & cum hoc signo indignationem declaravit. Sed mox satis significavit verbis suum, ob extortam confessionem ejus, unde illum accusare possent, gaudium. Lacerationem hanc singulare factum fuisse contra legem notat hic *Cunæus* & ex eo *P. Caroli in gust. Philol.* S. Super qua re, quæ sit mens *Casauboni*, vide in ejusd. *Exercit.* 16. confer. *Dillher. disput. Academ. pag. m.* 132.

[2] *Disrumpere vestem*) Concedimus libenter Pontifici nefas fuisse scindere vestes Pontificias, quod *Caipham* fecisse putant multi. Verum cum extra officium & ministerium Pontifices vulgares vestes gestarint, ut a reliquis discerni non potuerint, uti constat ex *Actis c.* 11. Hinc merito errant illi, qui putant *Caipham* vestes Sacerdotales lacerasse in signum lacerati & aboliti Sacerdotii.

[3] *Infra tantum*) Laceratio vestium fieri potest excepto *pallio exteriori* & *interula* in omnibus reliquis vestibus etiamsi decem essent. Rumpebatur autem vestis aliquo usque deorsum, ita ut pars illa rupta ad aliquot dies pendula relinqueretur: Alii inferius in loco, ubi non multum noceret ad manus latitudinem, idque ad dies septem. Vox χιτὼν, quam LXX. adhibent, dicitur vestis interior, a qua distinguitur τὸ ἱμάτιον exterior, quod discrimen accurate observat Johannes: de quo videatur D. *Gerhard. in histor. Pass.* 14. *f.* 682. Casaubon. ad *Baron. Exercit.* 16. conf. *Buxtorf. Lex. Talm. fol.* 2146.

[4] *Virginem duntaxat*) Tenebatur Summus Sacerdos ducere uxorem in virginitate sua, *a Wife in her virginities, a Wife that is a Virgin*, γυναῖκα παρθένον *mulierem virginem* & quidem non extraneam, sed contribulem vel certe popularem, i. e. virginem de populo, quæ aut ex tribu Levi, vel alia tribu populi Israelitici, uti *Ainsworth. fol.* 128. *in Levit.* ostendit. Confer *celeber. Wagenseil. not. ad Sot. cap.* 4. *pag. m.* 560.

[5] *Non sine mysterio*) Recte autor noster statuit non sine mysterio esse, quod Pontifex virginem in matrimonio habere teneatur. Ipse etenim Pontifex

figura

figura Christi erat, *Hebr.* III. 1. & mulier, quæ virgo esse debebat, typus erat *Ecclesiæ*, quæ casta, pura & sancta esse debet, juxta Apostoli epistolam ad Corinthios scriptam 2. *Cor.* XI. 2. *ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ χριστῷ* i. e. adjunxi enim vos uni viro ut virginem castam exhiberetis Christo. *Jun.* & *Tremell.* ita reddunt verba: Aptavi enim vos; quos uni viro, ut virginem puram sistam, nempe Christo. Videatur Revel. Johan. *cap.* XIV. 4.

6 *Quippe viduam*) Hic adducere lubet verba celeberrimi D. Wagenseilii Patroni nostri magni, quæ rem optime explicabunt, & leguntur *pag.* 555. *not. ad Sot. cap.* 4. Magnum Pontificem apud Hebræos id proprium & peculiare habuisse, ut præter fœminas, quas Sacerdotibus quibuscunque ducere nefas erat, ipse solus in matrimonio habere non posset ex *Levit.* XXI. 14. concordissime, quantum mihi compertum, non tantum Judæi, sed & Christiani colligunt interpretes. Quod ad Judæos attinet, sexcentis amplius ex *Talmude* ostendere possem testimoniis, nunquam de eo fuisse dubitatum. Sufficiat Lectorem relegare ad *Mischna Sanhedrin. c.* II. §. 1. itemque *Misch. Maccoth. c.* III. §. 1. porro ad *Gemar.* Jebamot. *fol.* 92. & præcipue *Kidduschin fol.* 77. *seq.* quæ loca si consulet, vera nos dixisse haud vocabit in controversiam. Jam nec inter Recentiores quisquam est, qui dissentiat, & pro omnibus satis clare loquitur *Maimonid. in More Nevoch. p.* 507. edit. *Buxtorf. Hilch. Ischut. c.* 1. §. 7. *Hilch. Issure Bia.* 17. §. 1. seqq. Illi addimus *Mosen Kozensem Præc. Negat.* CXXIV. cujus verba afferre non pigrabimur: E præceptorum negantium numero est illud, quo Summus Pontifex prohibetur ducere viduam: Scriptum enim est *Levit.* XXI. 14. Viduam, aut repudiatam, aut profanatam meretricem istiusmodi non ducito. Atque docetur in Jebamot, Viduam hic loci accipiendam, tam eam, cujus maritus, quam, cujus sponsus (fato concessit) Summum quoque Sacerdotem intelligere oportet eum, tum qui oleo sancto unctus, tum, qui solis vestibus Pontificalibus inauguratur, tum quoque eum, qui bello est initiatus. Nam sic in *capit. ult. Horajoth* docent. Cæterum de causa, cur Pontifici vidua prohibita fuerit, ratiocinantur *Abarbanel. Comm. in leg. fol.* 259. *col.* 4. *&* *Zenna Renna fol.* 86. *col.* 2. quorum verba legi possunt *pag.* 556. cit. autoris. Judæorum de vidua soli Pontifici non ducenda, sententiæ accedunt Christiani Doctores communiter, e quibus tantum nominamus *Selden.* in *Uxore Hebr. lib.* 1. *c.* 7. & *de Successf. l.* 2. *c.* 2. *Calixt. de conjug. Cler. pag.* 58. Cæteris autem Sacerdotibus licebat ducere viduas, dummodo a meretricibus, repudiatis, & profanis, h. e. quacunque ratione stuprum passis abstinerent, & sic fieri potuit, ut S. Sacerdos antequam ad Pontificalem sedem eveheretur viduam a Sacerdote relictam, ut *Ezech.* XLIV. 22. præscribitur duxisset. vid. *Quensted. antiq. bibl. pag.* 36. *Ainsworth. Comment.* in *Levit.* XXI. *fol.* 128. Plura legi de hoc loco possunt apud Excel. *Wagenseil. pag. m.* 558. qui erudite de illo scripsit.

7 *In Talmud Massechet Joma*) Citat autor noster Codicem Jom. & ex eo probare conatur, Pontifici non licuisse duas habere uxores, quod sane ibi non extat. Verba enim Codicis ex versione Scheringhamii hæc sunt: Constituunt etiam aliam uxorem; si uxor ejus moriatur. Non autem quod duas simul habuerit.

8 *Per legem licuit*) Sed quæso ubi lex in Scripturis reperitur, ubi Deus mandaverit, plures habere uxores. Judæi ex traditione polygamia usi sunt eadem licentia, qua uxorum repudio & dimissione. *Maimonid.* in אישות *cap.* X. 14. Multas simul habere uxores licet, etiam quotquot velis: at decreverunt Sapientes nostri, ne quis ultra quatuor habeat. In *Gemar. Bab. ad Jebhamot. cap.* VI. Rabbini plures permittunt uxores ducere, modo quis supra recitatum Maimonidis temperamentum retinuerit. Hanc Judæorum sententiam fovent *Selden.* in *uxore Hebr.* & *de jure naturæ & Gent. Hebr. lib.* V. *c.* VI. *Grot. de jure bell. & Pac. lib.* II. *cap.* V. *§.* 8. 9. Potius statuimus polygamiam per legem esse prohibitam. Ipsi enim Rabbini confitentur, ante diluvium morem fuisse unam tantum ducere uxorem, uti *Jarchius ad Genes.* IV. 19. *Bereshith Rabba sect.* 23. Est quippe Polygamia primæ creationi contraria, & repugnat ordini divinitus instituto, (cujus violatorem impium, Caini abnepotem Lamech omnium primum fuisse sacra docet pagina *Gen.* IV. 19.) qui postulat, ut conjugium sit unius viri & mulieris conjunctio: item ut duo sint, non plures in carnem unam *Genes.* 2. * Licet igitur Patriarchæ, Abraham, Jacob, David olim in V. Testamento, uno tempore pluribus juncti uxoribus fuerint, & probabile sit, aliis quoque licuisse: Non tamen propterea putandum Deum illam consuetudinem probasse, sed tolerasse tantum, haud secus atque maculas & nævos alios in sanctis hærentes pro benignitate sua paterna, iisque condonare consuevit: idque potissimum eam ob causam, quia utile sit, primis temporibus genus humanum magis magisque propagari, ut pietas incremementum caperet. Quæ verba Chrysostomi sunt *homil.* 55. *in Genes.* At Christus adveniens, veterem illam consuetudinem, quæ revera labes fuit seculi illius prorsus abolevit. *Matth. cap.* XIX. V. 4. 5. Commendamus de hac materia post *Gerhard. Tom.* VII. *LL. Theol. pag.* 328. seq. *Meisner. part.* 1. *Philos. Sobr. Sect.* II. *c.* V. *q.* 1. *pag.* 630. seq. *Tarnov. lib. de Conjug. cap.* XXV. *p.* 654. *Brochman.* Salden. Oti. *Theol. exercitat.* VI. *lib.* II. *pag.* 358. 359. seqq. Imprimis Dn. *Michael Siric.* uxorem unam Gissæ Hassorum *edit.*

9 *Conclave Pontificis*) Postquam Sacerdotes magni apud *Hebræos* mutabantur, ut binos in singulos annos constituerent Conclave Sacerdotis, quod primo לשכת בולווטי conclave consiliariorum, postea לשכת פלהדרין sive לשכת פרהדרין *Conclave assessorum* dicebatur. Ubi autem hoc conclave fuerit merito disquiritur. Fallitur vir Clariss. *Constantin l'Empereur* qui probare conatur, *Conclave Parhedrorum* idem esse ac Conclave loci lapidum, & sic prius vocatum, quod multum ibi vasis lapideis utebantur, posterioribus autem temporibus conclave Parhedrorum nominatum. In quo sane vehementer erravit, cum Conclave loci lapidum non fuerit conclave Sacerdotis Magni, sed Sacerdotis, qui vaccam rufam comburebat. Duo itaque conclavia Sacerdotis magni & Sacerdotis comburentis vaccam distincta fuerunt, ut ex *Gemara* patet: Nihil est inter Sacerdotem qui vaccam comburebat, & Sacerdotem magnum in die expiationis, nisi quod separatio hujus erat in locum sanctum, & fratres ejus Sacerdotes veniebant ad eum: Separatio autem illius erat in locum mundum, & fratres ejus Sacerdotes non veniebant ad eum. Duo de illo asseruntur, primo, ædificatum fuisse e regione domus Abtines; secundo proximum fuisse domo lotionis: vid. Cl. *Scheringam. not. ad Cod Jom. pag. m.* 3. *edit. Franequer.*

* Sancti Patriarchæ Abraham, Jacob, David, cæterique Veteris Testamenti viri propter eximias virtutes commendati ne in minimo quidem Dei legem sunt prævaricati propter uxorum pluralitatem. Nam Dei lex nunquam prohibuisse legitur Polygamiam. Deuter. XXI. ait Moyses: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam*, ibi loquitur de re nota & passim omnibus indiscriminatim concessa. S. Augustinus lib. 3. de doctr. Christiana vocat *inculpabilem consuetudinem*; lib. 22. contra Faustum cap. 47. *Quando mos erat*, inquit, *crimen non erat*. Sanctos Patriarchas, cæterosque probatissimos V.T. viros Essius non modo a crimine, sed ab omni prorsus labecula vendicat in 4. Sentent. tract. de Matrimonio.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Contra Divum Augustinum, atque contra Carolum Sigonium disceptatur de Pontificis ingressu in Sancta Sanctorum. Locus in epistola ad Hebræos male a Sigonio intellectus. Altare suffituum non fuisse in Sancto Sanctorum, contra quam Divus Augustinus sensit.

LIBET postliminio ad id redire, quod intermissum a nobis est. Diximus enim Pontificem in templi adyta introiisse solenni expiationum festo, quod die decimo mensis Tisri [1] celebratum quotannis est. Ita Judæi omnes, & qui Græcorum Latinorumque eruditissimi sunt, magno consensu tradidere. Neque nos profecto aliter statuimus. Non enim alio tempore, neque aliam ob causam visere ei [2] secretissimum locum fas fuit. Et tamen in illa ipsa erudita antiquitate unus extitit Augustinus, summa sanctitate atque eruditione vir, cui ita visum est, pontificem quotidie Sancta Sanctorum ingressum esse, uti thura adoleret: [3] quod autem semel duntaxat introivisse dicatur, id ad anniversariam expiationem retulit, quæ sanguine purificationis fiebat. Huic sententiæ Carolus Sigonius, cum applauderet, aliud insuper præsidium addidit, existimavitque, Pontificem quotidie quidem adyta esse ingressum, sed sacerdotum comitatu stipatum; semel autem in anno [4] solum, id est, sine sacerdotibus. Profecto non est committendum nobis, ut tam crassum errorem non refellisse videamur. Ac Sigonius quidem, ut de illo prius dicamus, manifesto sophismate aut deludere nos voluit, aut hercle imprudenter delusus ipse est. Sine dubio enim verba Apostoli in animo habuit, quæ in epistola ad Hebræos extant in cap. IX. εἰς τὴν δευτέραν σκηνὴν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μόνος ὁ ἀρχιερεὺς εἰσῄει οὐ χωρὶς αἵματος. *Secundum tabernaculum semel quotannis solus pontifex ingressus est non sine sanguine.* Enimvero illa verba sententiam ejusmodi habent, Pontifici semel in anno duntaxat, & quidem soli, adyta introire fas fuisse. Sigonius autem in aliam mentem hæc distorsit, scilicet quasi semel quidem quotannis solus, at quotidie cum aliis intraverit. Qua quidem interpretatione nihil excogitari futilius potest. Omitto Talmudicorum omnium Rabbinorumque gravissima judicia, quæ semper apud omnes cordatos permagnum pondus habuere, quoties de patriis ritibus eorum, ceremoniisque orta disceptatio est: ex quorum sensu illud est, quod Maimonides ait in Halacha Beth Habbechira, in capite septimo. בירת קדש הקדשים מקודש מבין ההיכל שאין נכנם לשם אלא כהן גדול ביום הכפורים בשערת העבודה: *Sanctum Sanctorum est sacratius reliqua parte templi, quia nemo illud adit, nisi Pontifex, die Expiationum, ipsa sacrificii hora.* Nihil nunc opus est a Judæis testimonium eblandiri tam manifestæ rei. Ajo nullum sacri codicis locum esse, ex quo colligi probabiliter possit, quemquam hominem rite illud loci arcanum adiisse, uno pontifice excepto. At ipse pontifex quam sæpe adyta intraverit, ex illo discimus, quod in Levitici capite decimo & sexto scriptum est: *Dic Aharoni, ne quovis tempore ingrediatur in sanctuarium, quod est intra velum ante operculum propitiatorium, quod est super arcam, ut non moriatur. Nam in nube apparebo super operculum illud. Sed cum his rebus ingrediatur Aharon in sanctuarium, cum vitulo & ariete in holocaustum. A cœtu autem Israelitarum accipiat duos hircos in peccatum, & arietem in holocaustum: cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro se, ac domo sua, duos hircos constituat coram Domino, in ostio tabernaculi testimonii, & mittat super utrumque hircum sortes, sortem unam Domino, alteram capro emissario.* Ecce, sanctuarium, quod intra velum esse dicit, nihil aliud est, quam Sanctum Sanctorum, ubi & arca fuit cum operculo propitiatorio. Quæ autem fieri illic præcipit summus Deus, omnia ejusmodi sunt, quæ duntaxat decimo die mensis Tisri agebantur, celebri expiationum festo. Ex quo consequitur, nunquam pontificem, nisi quo die ista fierent, adyta intravisse. Id enim plane edicitur. Quare facessat Sigonii hariolatio. Non enim est pro indole tanti viri, quem alibi nos sæpe admirati sumus. Sane enim, quod sperare improbum erat, bene ille atque feliciter in summa Hebraismi ignoratione res Judæorum composuit. Sed quid Augustino respondebimus, qui aram incensi fuisse in adytis existimat, [5] ad quam pontifex thura adoleverit quotidie? Enimvero in magno errore versatus homo sagacissimus est, neque subtile illud & peracre judicium suum hic adhibuit. * Omnino enim locus ille, in quo erat altare incensi, separa-

* Cum Augustino plerique alii nec infimi subsellii Interpretes sentiunt, ut Origenes, Œcumenius, Rupertus, & alii apud Theophilactum, nec non recentiores aliqui Dei verbi Expositores. Totius disputationis ratio & caput est, an suffimentorum altare fuerit intra ipsius Sancti Sanctorum adyta, atque adeo post velum sepa-

paratus velo ab ipſis adytis fuit. Quare cum in Levitici capite XVI. ſanctuarium, quod intra velum eſt, appelletur ipſum adytum, contra de incenſi & ſuffituum ara dicitur in Exodi capite triceſimo, fuiſſe eam ante velum illud: plane ut in medio oppanſum velum inter adyta aramque ſuffituum eſſet. Recitantibus verba ex capite triceſimo Exodi, ne lectorem ſuſpenſum teneamus. Ita enim ibi dicitur, *Fac aram incenſi e lignis Schittim, atque eam auro obduc, pariterque latera ejus & cornua. Pone autem eam ante velum, quod ante arcam teſtimonii, atque ante operculum propitiatorium eſt, ut adoleat ſuper illud Aharon ſuffitum aromatum unoquoque mane.* Profecto, niſi ſtupor aut pituita ſenſus noſtros tardat, illud intelligimus, aram incenſi ante velum, at velum ipſum ante arcam teſtimonii fuiſſe; ut aram incenſi ab arca teſtimonii, atque ab operculo propitiatorio diſtinxerit veli interjectio. Equidem fateor in quadrageſimo Exodi capite, verſu ſexto, edici, *ut ara incenſi aurea coram arca teſtimonii collocetur*: ſed, quod ibi de medio velo expreſſum non eſt, mox paucis interjectis additur, *aram auream in tentorio conventus ante velum eſſe poſitam.* Quare iſta ratio hercle apud me nauci non eſt.

ſecundum una ſimul cum Arca teſtimonii. Fuiſſe ait S. Auguſtinus, cujus opinionem Divina Scripturæ teſtimonia non pauca confirmant. Nam Exod. cap. XXX. verſ. 6. ait Deus Moyſi: *Poneſque altare contra velum, quod ante Arcam pendet teſtimonii, coram propitiatorio, quo tegitur teſtimonium.* Si coram propitiatorio; igitur intra ea ipſa ſpatia ubi erat Arca teſtimonii. Et poſt pauca, hoc eſt verſ. 10. ejuſdem capitis ſic Dominus alloqui pergit: *Et deprecabitur Aaron ſuper cornua ejus ſemel per annum*, eo ſcilicet die quo Sanctuarium introibat Sacerdotem ſummum ſemel in anno oraſſe pro ſuis & populi delictis in ipſius Sancti Sanctorum penetralibus jam ſatis ex textu conſtat. Libro inſuper Reg. III. verſ. 6. Altare aureum, hoc eſt Altare incenſi vocatur *Altare Oraculi*. Summi Numinis oracula intra Sancti Sanctorum adyta coram ſtante ſummo Sacerdote fundi ſolita ſatis ſuperque patet. Accedit etiam Apoſtoli ad Hebræos IX. verſ. 6. luculentiſſimum teſtimonium. Nam poſtquam in primo Tabernaculo, id eſt in anteriori Tabernaculi ſpatio poſitum fuiſſe candelabrum una ſimul cum menſa propoſitionis (nulla facta mentione Aræ thurificæ) dixiſſet, mox addit: *Poſt velamentum autem ſecundum Tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam Teſtamenti.* Si thuribulum hic ſuffituum altare ſignificat, nullus ſupereſſet ambigendi locus de Auguſtini ſententia. Nomine Thuribuli Aram Thuris ſignificari doctiſſimi Interpretes ferme omnes conveniunt, ut Eſſius, Benedict. Juſtin. Bonfrerius, atque alii bene multi. Joſephus lib. 3. Antiquit. cap. 7. hanc incenſi aram vocat perinde ac Apoſtolus. Suffragatur etiam ipſa verſio Syriaca, ubi eandem hanc vocem reddit *domum aromatum*. His igitur teſtimoniis ſuffulti Origenes, Auguſtinus, & alii haud temere docuerunt, altare thymiamatis intra velum in ipſo Sancto Sanctorum fuiſſe collocatum. Multa in hanc rem lectu & obſervatu digna extant apud Benedict. Juſtin. in explanat. cap. IX. ad Hebræos, ubi Lector ſtudioſus ſi ea cuncta conferat quæ habet doctiſſimus Author facile conjiciet Auguſtini opinionem non eſſe flocci faciendam, ſuamque habere probabilitatem, eo vel maxime, quod ſi Thuribulum non ſignificaret apud Apoſtolum Altare thuris, Apoſtolus recenſendo ea quæ erant in Sancto, ac Sancto Sanctorum, oppido omiſiſſet Altare thymiamatis, quod longe videtur improbabile, ac ab Apoſtoli inſtituto alienum, quamvis ultro fatemur adverſam communiorem ac veriſimiliorem eſſe ſententiam: Si hæc omnia tamen Cunæus ſecum ante conſuluiſſet Auguſtinum virum (ut ipſe ait) ſubtilis & peracris judicii tam craſſi erroris reum non egiſſet.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Decimo menſis Tiſri*) Quærit *Abarbanel in Pentat. fol.* 265. 1. 3. cur hic dies Expiationis & remiſſionis peccatorum incidat in menſem ſeptimum Tiſri? ℟. (1) quia in Tiſri mundus eſt conditus juxta R. *Elieſerem* & Doctores noſtri per traditionem didicerunt die decimo a mundo condito Adamum primum reſipiſcentiam egiſſe peccati ſui, eodemque die eſſe expiatum. Quamvis enim non ſit reductus in paradiſum, Deus tamen ipſi reconciliato poſſidendam dedit vitam futuri ſeculi, ideoque hoc die ſtatutum eſt tempus beneplaciti coram Iſraelitis, ut converſi ad Deum imitarentur ejus exemplum & miſericordiam a Deo in cœlis impetrarent. (2) Quod eo die Abraham circumciſus & filii ejus propter hoc ſanctificati. (3) Dicunt R. Elieſer, Moſen primo die menſis Elul adſcendiſſe ut acciperet tabulas ſecundas, illicque manſiſſe 40. dies & noctes, quæ completæ ſunt die Expiationum. (4) Quod hoc die Moſes ſederit in cavitate petræ. Vide fuſe verba Rabbini adducentem *Cl. Mejerum. de feſtis pag.* 324. ubi in ſequentibus ſimul ſententias Karræorum adduxit aliorumque Rabbinorum, & denique §. 18. mentem explicat & ſententiam adjicit ſuam, quod Moſes jejuniis factis remiſſionem filiis Iſraelis impetraverit & renovatis tabulis legis, deſierit in diem decimum menſis Tiſri, quo cum reconciliationis nuncio deſcenderit.

[2] *Viſere ei*) Voluit Cunæus noſter tritam hic ſequi opinionem illorum, ſtatuentium, Summum Pontificem modo certo tempore ſcil. decimo menſis Tiſri intraſſe Sanctum Sanctorum, quod probabile non videtur. Sæpius enim ipſi intrare licuit, cum tabernaculum de hoc ad alium locum deportatum fuit. Aut igitur deportatio facta eſt die expiationis, aut alio die. Si alio die potuit intrare & partes tabernaculi dividere & ad portandum accommodare. Ita etiam cum conſulere vellet *Urim & Thummim*, faciem verſus arcam & propitiatorium vertere tenebatur, quæ fuit in Sancto Sanctorum. Aut igitur conſulere potuit Urim & Thummim omni loco aut non. Prius contrariatur Scriptis Rabbinorum uti *Cap.* 2. demonſtratum. Ergo poſterius erit affirmandum, quod ubivis locorum potuerit conſulere *Urim & Thummim*, quod vix probabile erit. Hinc ſequitur, quod neceſſitate cogente viſere potuerit Sanctum Sanctorum.

[3] *Uti thura adoleret*) Plane hic Auguſtinus errat aſſerens, quod altare thymiamatis in Sancto Sanctorum fuerit. Et licet quidam ſint, qui hoc affirment, ut citatus *Auguſtin. quæſt.* 173. *in Exod. Arius Montanus* arbitratur: Altare incenſi fuiſſe intra adytum ante arcam ipſam. *Ita Origen. hom.* 9. *in Levit.* Attamen probabilius videtur extra Sanctum Sanctorum fuiſſe. Clare hoc patet *Exod.* XI. 26. *Levit.* XVI. 12. Conſentiunt viri docti, *Beda lib.* III. *de Tab. c.* XI. *&* XII. *Cornel. a Lapide in Exod. pag.* 600. *Walther in Harmon. Bibl. pag.* 229. *&* 1279. *Varen. Decad. Moſ. in Exod. pag.* 420. D. *Oſiander. Comment. in Exod. pag.* 305. *&* 396. *Andr. Willet Comment. in Exod. cap.* XXX. *fol. m.* 567. *Annotations in the ſecond book of Moſes cap.* XXX. *Petr. Redan. Comment. in lib. Maccab. lib.* 1. *c.* 1. *fol. m.* 239. Horum ſententiam clara dicta Scripturæ confirmant hic verſ. 6. *Exod.* XXX. jubetur poni לפני הפרכת ante velum, quod erat ante arcam teſtimonii. Nec obſtant verba, ante propitiatorium, quod eſt ſuper teſtimonium, quæ eodem verſu ſubſequuntur. Vere enim, dicente Cl.

Varenio, fuit לפני הכפרת sed mediante הפרכת post quod פרכת proximum fuit cum arca testimonii propitiatorium: Unde הפרוכת dicitur fuisse על ארן העדת altare autem לפני פרכת & hoc mediante לפני הכפרת. Id quod etiam luculentissime videre est ex divina ordinatione, secundum quam Tabernaculum erigebatur *Exod.* XL. Primum enim arca cum Propitiatorio ponebatur in S. Sanctorum, *Parochet* seu aulæo interiori id terminante ℣. 2. 3. Deinde post *Parochet* locabatur mensa cum panibus propositionis, candelabrum cum lucernis suis & altare thymiamatis, hocque lacandum *ante arcam testimonii*, intercedente scil. velo & medium locum inter candelabrum & mensam obtinebat juxta *Joseph. lib.* III. *antiq. c.* VII. Postea velum etiam hic appendebatur, per quod Sanctum hoc ab atrio distinguebatur ℣. 4. & 5. Tandem post hæc secundum tegmen erigebatur altare holocausti & labrum æneum, & iterum prætendebatur velum, quod esset porta atrii. Adeoque tria distincta vela dabantur. Ita altare thymiamatis immediate erat ante Parochet vel ostium Sancti Sanctorum, & adeo velo tantum intercedente erat ante arcam & propitiatorium. Rem optime delineavit figuris celeb. *Witsius in Miscell. pag.* 403. *seqq.*

4 *Semel in anno*) Scil. ordinarie ad suffiendum. Alium modum etiam extraordinarium ad consultandum fuisse in casu necessitatis non negamus, cum locus *Levitic. cap.* XVI. non simpliciter agat de omni aditu. Et licet Autor cum aliis *Augustinum* & *Sigonium* erroris accuset, quod hic anniversariam expiationem; alter vero ad ingressum Sacerdotibus stipatum referat; attamen inde concludi non potest semel tantum ingressum Sacerdotem Summum. Non negamus quod Pontifex stipatus introierit interdum ex necessitate, nam consulens oraculum per Urim & Thummim cum eo erat. Nunquam autem stipatum ingressum esse die expiationis constat. Statuunt ipsi Hebræi, Pontificem non quidem quotidie, aliis tamen diebus, quando ex re nata necessarium id fuerit ad consulendum Deum, & quater solenni expiationis die intimum sacrarium intrasse. Ita enim R. *Moses Kotzens. fol.* 83. *col.* 2. scribit: *Quoties ingressus est die expiationis? quater. Si quinquies ingrederetur cœlitus morte est affectus*: quem sequitur *Grotius in Comment. ad Heb.* IX. *Quistorpius in Comment.* ad *Levit.* ter intrasse existimat. Verum cum id Scripturæ Sacræ contrarium sit, asserens: *Semel in anno* tantum intrasse Pontificem, concedimus, scil. die expiationis determinato, ut sanguinem inferret & suffimenta perageret, uti *c.* II. diximus. A dicto igitur secundum quid ad dictum simpliciter non argumentandum. Hoc etenim die solus & quidem semel in anno ingrediebatur. Inde non simpliciter alii ingressus excluduntur, quos faciebat ad consulendum Deum de Reipublicæ commodis.

5 *In adytis existimat*) Asserunt quidam in templo secundo factum altare incensi in Sancto Sanctorum fuisse, uti Henric. *Ainsworthius* hanc etiam opinionem defendit in Commentario Anglice scripto in *Exod. cap.* XL. *fol. m.* 155. *edit. Londin.* ad verba: *Altar of gold, figuring Christs mediation for his Church, whereby they and their prajers are presented as sweet odours unto God. These all being in the most holy, and holy places, hidden with veiles from the eies of the people.* Verum probabilius est, quod extra Sanctum Sanctorum fuerit quod indicant *Ribera lib.* II. *de templo cap.* VIII. *Azor. lib.* VI. *institut. Moral. c.* XLVI. *q.* 3. *Cornel. a Lapide*; *Andr. Willet Comment. upon Exod. fol.* 567. his verbis: *The Altar of incense was not placet in the holy of holies where the Mercy seat flood, for thither came onely the High-Priest and but once a year; but in te place next unto it, called the holy place, and separated from it onely by a Vail, into which inferiour Priests went daily to burne incense.* vide annot. ad Sigon. lib. II. c. III. Cl. *Weymar. dissert. de suffitu Aromat. edit. Jenens.* 1678. excell. *Danz. diss. de funct. Pontif.* aliosque.

CAPUT QUINTUM.

Philonis Judæi quædam loca excussa, & explicata. Lapsus Philonis: Item ejus, qui librum primum Machabæorum scripsit. Post reditum Judæorum ex Babylone, legem non plane servatam fuisse in templi ædificatione. Argumenta quædam dissentientium rejecta. Quid Mosi præ Pontificibus concessum fuerit.

NIMIS indiligenter hic sumus, qui Philonis Judæi illustrem locum nondum produximus, qui, cum Sigonii oculos non fugerit, admonere illum poterat, quam sit inconsulta Augustini hæsitatio. Ait scriptor gravissimus in libro, qui περὶ θυόντων extat; Ὁ νόμος προσέταξε δύο κατασκευασθῆναι βωμοὺς καὶ ταῖς ὕλαις, καὶ τοῖς τόποις, καὶ ταῖς χρείαις διαφέροντας, ὁ μὲν γὰρ ἐκ λίθων λογάδων ἀτμήτων ἀνῳκοδόμηται, καὶ ἐν ὑπαίθρῳ παρὰ ταῖς τοῦ νεὼ προβάσεσιν ἵδρυται, καὶ γέγονε πρὸς χρείαν τὴν τῶν ἐναίμων· ὁ δὲ χρυσοῦ μὲν κατεσκεύασαι, ἵδρυται δ' ἐν ἀδύτῳ εἴσω τοῦ προτέρου καταπετάσματος, ὃς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐστὶν ὁρατὸς ὅτι μὴ τοῖς ἁγνεύουσι τῶν ἱερέων, καὶ γέγονε πρὸς χρείαν τὴν τῶν θυμιαμάτων. *Lex duas poni aras jussit, quæ materia, loco, atque usu differrent, quippe una ex lapidibus selectis,* [1] *sed impolitis tamen, exstructa est, atque sub dio sita* [2] *est, prope templi vestibulum,* [3] *ejusque usus positus in victimarum immolatione est; altera vero aurea,* [4] *intra primum velum,* [5] *in loco inaccesso est, quam videre nemini mortalium licet, nisi sacerdotibus, cum in casto sunt: facta autem est in usum suffituum.* Omnino ait, aram hanc intra primum velum fuisse, quod oppansum Sancto erat; plane ut diversum fuisse ab illo velum secundum significet, quod Sanctum Sanctorum a Sancto separabat. Utique, quemadmodum Sanctum Sanctorum sacerdotes non recepit, sed Pontificem duntaxat: ita Sanctum, in quo suffimentorum ara erat, plebem arcebat, sacerdotes autem solos una cum Pontifice admisit. Apud Divum Lucam quidem Zacharias, qui sacerdotis, non Pontificis erat dignitate præditus, ad hanc ipsam suffituum aram odoramenta flammis ustulat. At de plebe ita scriptum extat, * πᾶν τὸ

πλῆθος

* *Luc. I. vers.* 10.

πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσευχόμενον ἔξω, τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος. *Tota multitudo populi foris precabatur, tempore suffituum.* Et mox rursum, † ἦν ὁ λαὸς προσδοκῶν τὸν Ζαχαρίαν, καὶ ἐθαύμαζον ἐν τῷ χρονίζειν αὐτόν. *Exspectabat Zachariam populus, miratusque est eum diutius morari.* Quoniam jam citare Philonem testem cœpimus, libet alia quædam ex illius commentationibus adferre. Enimvero, qui in Sanctum, quod intra primum velum est, non introivisse nisi solos sacerdotes [6] dixit, is alibi disertis verbis Sanctum Sanctorum, quod intra secundum velum est, non a sacerdotibus, sed a Pontifice adiri, & quidem semel duntaxat in anno, ait. Verba ejus de hac re in libro secundo περὶ μοναρχίας hæc extant, quæ itidem Sigonius, cum vidit, officere proposito suo non intellexit· ὁ νεὼς παντὸς λόγου κρείττων, ὡς ἐκ τῶν περιφαινομένων ἔστι τεκμήρασθαι τὰ γὰρ ἐντὸς ἀόρατα, παντί τῳ, πλὴν ἑνὶ τῷ ἀρχιερεῖ, *templum omni prædicatione est pulchrius, ut quidem ex iis, quæ apparent, colligi potest: nam quod ad ea pertinet, quæ in penetralibus sunt, ea nemini visuntur, nisi uni, hoc est, Pontifici maximo.* Nunquam Sigonius effugiet: ita manifeste tenetur. Addit illud ibidem Philo de Pontifice: καὶ τούτῳ μέντοι δι' ἔτους ἐπιτετραμμένον ἅπαξ εἰσιέναι πάντ' ἐστιν ὁρατά. *Atque huic tamen omnia cernere licet, cum quotannis & semel duntaxat intrare fas sit.* Oratio medius fidius languida & elumbis, quæ corrigere aliquid velle eorum, quæ dicta sunt, videtur, cum nihil minus efficit. Quid enim diversum hic, aut contrarium supra dictis est? Non magnus labor est, sententiæ vim suam reddere, atque ita locum constituere, καὶ τούτῳ μέντοι δι' ἔτους ἐπιτετραμμένον ἅπαξ εἰσιέναι, πάντ' οὐκ ἔστιν ὁρατά. Sane hoc longe aliud est. Postquam enim dixerat, pontificem unum solumque adyta templi videre, mox revocans ipse se, *Atqui huic ipsi*, inquit, *cum quotannis duntaxat semel intrare fas sit, non tamen omnia cernere licet.* Dehinc ejus rei ratio sequitur, quæ sane notabilis est; πυρεῖον μὲν γὰρ ἀνθράκων πλῆρες καὶ θυμιάματος εἰσκομίζει· πολλῆς δ' ἀναδιδομένης, ὡς εἰκός, ἀτμίδος, κατέχεται τὰ ἐν κύκλῳ πάντα, καὶ ἡ ὄψις ἐπισκιάζεται, καὶ ἀνακοπὴν ἴσχει, πρόσω χωρεῖν ἀδυνατοῦσα. *Etenim thuribulum ignitis carbonibus & odoramentis plenum illuc infert: omnia autem circumcirca tenentur multo fumo, qui, ut consentaneum est, excitatur: Tum vero & visus quoque obtenebratur, inhibeturque, neque longius sese ferre quit.* Hoc igitur illud est, quare Pontificis ipsius oculis non omnia lustrari posse ait, quæ in adytis sunt. Atque hactenus luculenter ista Philo, atque etiam divine. Quanquam illud non sine errore dixit, quod antea ex libro ejus περὶ θυόντων recitavimus, aram alteram, quæ prope vestibulum templi sub dio posita sanguinem victimasque accepit, constructam *lapidibus integris, impolitisque*, [7] fuisse, *ex legis edicto.* Contra enim, lignea ut sit, atque ære obducatur, [8] Numinis placitum est in Exodi capite XXVII. quod & Moses exequitur mox in capite XXXVIII. & diu post maximus rex Salomo, [9] cum templum conderet, non neglexit, ut est in libro II. Chronicorum, capite IV. & in libro I. Regum, cap. VIII., [10] vers. LXIV. Quod vero de ara ex cespite aut saxis facienda edicitur in Exodi capite XX. id ad ea tempora pertinet, cum populus sacer, per vasta terrarum [11] spatia & hostili solo circumerrans, sedem religionibus stabilem, & domicilium certum non haberet. Scio ego, qua tempestate templum secundum stetit, aram hanc quoque ex lapidibus fuisse: sed quam multa id genus alia enumerare possum, in quibus servata tunc veterum legum præscriptio non est? Sane atroci & formidoloso reipublicæ tempore, cum incerta sæpe omnia metu hostium, & dissensionibus civicis essent, in ædificanda æde secuti duntaxat legem aliquatenus sunt homines sanctissimi. * Nam quod in primo libro Machabæorum, in cap. IV. dicitur, *Acceptis lapidibus integris secundum legem, ædificatum esse altare novum ad formam ejus, quod fuerat prius:* oppido leve est. Nos enim eum authorem, quisquis fuit, non magis veremur erroris [12] reum facere, quam Philonem Judæum. Uterque verbis illis deceptus est, quæ in Exodi capite XX. extare diximus. Sed in hæc divertere, nihil necesse erat. De ara suffituum agere definiemus, si id dixerimus, in quo maximum momentum est. Jubet in Exodi capite XXX. immortalis Deus cornua hujus aræ semel quotannis vituli sanguine rigari, [13] illo die, qui constitutus jejuniis & expiationi erat. Sed eum sanguinem prius in Sancta Sanctorum [14] inferri, ac mox exire illinc Pontificem, & conspergere aræ cornua necesse fuit. Ita enim

† *Luc. I. vers.* 21.

* Non alia de causa Cunæus authorem librorum Machabæorum non veretur, nisi quia nihil prorsus veretur Ecclesiæ Catholicæ definientis judicium. Authorem horum librorum Divino afflatum Spiritu Machabæorum Historiam edidisse antiqua docet Traditio; cujus Traditionis locupletissimi Testes Sancti Ecclesiæ Patres exsistunt. Hos igitur Cunæus consulat, si recte sentire velit de librorum sanctorum authoritate. Cum vero nostri instituti non sit polemicas tractare controversias, qui dignoscere cupit quam firma sit horum librorum fides, adeat Nicolaum Serrarium in Præfat. ad hos libros, & Joannem Maldonatum tom. 2. de Purgatorio, ubi veritatem probe stabilitam, ac adversariorum conatus egregie difflatos inveniet. Ea vero quæ librorum Machabæorum author narrat de altari ex rudibus impolitisque lapidibus constructo, quam vera sint, ac Mosaicæ legi consentanea, optime demonstrat ipse Nicolai in hoc ipso capite Nota 9. & 12.

enim ſancitum in Levitici decimo & ſextu capite eſt. Quare jam rem confecimus, nihil ut opus argumentis amplius ſit. Etenim profecto, ſi exire ex adytis Pontifex ad riganda aræ cornua debuit, aram eam in adytis non fuiſſe [15] certum eſt. Hæc contra Divum Auguſtinum, &, qui aſſenſit illi, Carolum Sigonium, excutienda erant, ut illud omnibus perſuaſum eſſet, quod Hebræi veteres, Græcorumque & Latinorum cordatiſſimi prodidere, Pontificem ſemel duntaxat quotannis ſecretum ſanctiſſimi loci adiiſſe. Ajunt quidem Talmudici, id quod ſupra retulimus, Pontificem, cum oraculum ex gemmis Urim & Thummim peteret, facie ad arcam obverſa ſtetiſſe: ſed id fieri in qualibet templi parte [16] potuit: ne jam forte credat quiſpiam, toties eum adyta intraviſſe. Atque hic eſt ille conſulendi oraculi modus, de quo ſcriptum eſt in libro Judicum, cap. I. & capite XX. tum & in priore Samuelis commentario, in cap. X. De Moſe aliter habendum eſt: quippe is ad arcam teſtimonii, prope ipſos Cherubinos, & ad operculum propitiatorium, verba voceſque commutavit cum Numine, quod ex cap. XXV. Exodi, verſ. XXII, atque ex Numer. cap. VII. verſ. ult. neutiquam obſcurum eſt. Verum quæ dementia eſſet, Aharoni cæteriſque pontificibus tranſſcribere, quæ uni Moſi contigere? Sane enim virum ex communi mortalium conditione Deus exemerat, poſtquam loqui coram, & una eſſe cum illo, atque ab illo aſpici etiam dignatus eſt. Quæ omnia eſſe negata aliis, annotatum in ſacro codice eſt. Sed jam non amplius verbum addimus. Qui enim pauca delibare de multis conſtitueramus, pene præ ſtudio omnia exhauſimus.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *Ex lapidibus ſelectis ſed impolitis*) Sic *Hecatæus* apud Joſephum. Ἐν ᾧ κωμὸς ἐςὶ τετράγωνος, ἐκ τμητῶν ἀλλ᾽ ἐκ τῶν ἀργῶν λίθων ὅτω συγκείμενος i.e. in quo eſt altare quadratum, non ex ſectilibus ſed ex rudibus lapidibus fortuito congeſtum. Rabbini propius rem explicant *Sebhach fol.* 54. a. Ajunt enim adhibita fuiſſe leves lapides recentes ſive magnos, ſive parvos, & calcem & plumbum & picem, quæ omnia miſcentur. Etiam locum notant, unde ſumendi fuerunt lapides. *Schilte Haggib. cap.* XXVIII. Afferre ſolebant eos ex loco, qui vallis domus vineæ dicebatur, nam ibi lapides integros & eximios reperire erat, atque effodere infra in fundo virgine, hoc eſt, tali, ubi ante nunquam foderant. vid. Cl. *Joh. Jacob. Cramer. de ara exteriori templi ſecundi cap. II. pag. m.* 18. *edit. Lugd.* 1697. conf. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Philolog. Rabbin. pag. m.* 26.

[2] *Sub dio ſita*) Tempore Moſis quadruplex erat altare, *terreum* extra tabernaculum *Exod.* XX. 24. Ligneum portatile ſub dio. *Exod.* XXVII. æneum holocauſtorum & ſacrificiorum in atrio tabernaculi *Exod.* XL. aureum thymiamatis in Sancto Tabernaculi *Exod.* XL. vid. plur. Rev. D. *Johann. Fabrit. diſſ. de altaribus edit. Helmſt.* 1698. Deinde autem tabernaculo & templo conſtituto duæ tantum aræ fuerunt, altera ſub dio, altera in Sancto. confer. *Poli Critic. in Exod.* XXVII. *edit. Francoſ. fol.* 417. vid. annot. ad *Sigon. lib.* II. *cap.* III. *pag.* 113. *edit. Helmſtad.* Gentiles hunc ritum imitantes altaria conſtituunt ſub dio, quod *Diodor. Sicul.* obſervavit lib. XXXIV. *Bibliothec.* Ex altari ſubdiali autem fumi columna feliciter vertice ſydera ferire, atque ab omnibus late conſpici potuit; *Lucian. de ſacrif. Nidor ille divinus* & ſacer ſurſum fertur, & in ipſum uſque cœlum ſubvectus paulatim diffunditur. Forte etiam ſub cælo eſſe debuit, ut eo magis hoſtia cœli Monarchæ dedicata eſſe oſtenderetur: nam quod ſub dio eſt, maxime Dei eſſe creditur, inquit *Plutarchus*, & *Lucianus* l. c. Ad aram hoſtiam ducunt, & ob oculos Dei jugulant. vid. Cl. *Joh. Jacob. Cramer. tract. erudit. de ara exteriori templi ſecundi pag. m.* 15.

[3] *Prope templi veſtibulum*) Ita etiam *celebris H. Witſius in Miſcell. ſacris* erudite diſſerit; de loco hujus nervoſe ſcripſit cit. *Cramer. pag.* 13. 14. ratio dari poteſt, cur in area collocata fuerit, ut Numinis præſentia Symbolica religionem ſacrificantibus & ἀλλάβειαν incuteret; vel ut inde quam proximus in Sanctuarium, quo aliquando ſanguis deferendus fuit, tranſitus foret.

[4] *Aurea*) Hæc ex lignis *Setim* ad adolendum exſtructa erat, thymiama, & differebat ab altera longitudine & altitudine, quippe altare thymiamatis longum uno cubito erat, holocauſti vero quinque: hoc auro obductum: alterum ſanguine ſacrificiorum aſpergebatur. Rationes cur aureum dictum, videndæ ſunt in notis ad *Carol. Sigonii lib.*2. *c.*3. *pag. m.* 113. 114. *edit. Helmſtad.* Altare Moſis thymiamatis ex ligno Setim, Salomonis ex cedro auro obducto. vid. *Poli Critic. in* I. *Reg. cap.* VII. 48. *pag. m.* 1594. conferatur huc cl. *M. David Gertmann. diſſert. de Hebræorum altari ſuffitus edit. Witteberg.* 1690. §. 3. Verum hic quæritur an non præter aurum & lignum lapides materiam altaris hujus ingreſſi fuerint? Hæc ſane R. David Kimchii & R. Levi Ben Gerſon. de Salomonis altari conjectura. Quorum ille in I. *Reg.* VI. 20. ita: Non indicat quid fuerit altare antequam illud obduxit tabulis cedrinis, fortaſſe autem lapideum quid fuit. Hic vero in *cap. cit. v.* 22. Arbitror hic ſignificari, quod antea conſtruxerit altare ſuffitus ex lapidibus, eoſque obduxerit lignis cedrinis, quemadmodum fecit, in parietibus templi, qui erant ex lapidibus, texit vero eos cedro, poſteaque obduxit auro. Extra dubium autem hoc ponit *Sanctius in* I. *Reg. f.* 1043. hoc altare, inquiens, ſine dubio conſtructum erat ex lapidibus, alioqui cur tegeretur cedro? Haud alio forte ſenſu ſcripſit cl. *Pfeiffer. dub. vex. pag.* 424. altare ſuffitus in Tabernaculo ligneum in templo lapideum fuiſſe, utrumque auro puro obductum.

[5] *Intra primum velum*) Erroris incuſat cl. *Cunæus* Philonem, quod ſtatuerit aram ſuffitus intra primum velum poſitam fuiſſe, quod tamen, ſi accuratius examinamus, veritati non repugnat. Loquitur hic *Philo* aut de templo primo aut ſecundo, & ut conjecturare licet de ſecundo, quippe *Cunæus* in ſequentibus aſſerit, quod ædificatores templi ſecundi non tam accurati fuiſſent. Si igitur Rabbinorum & Doctorum ſcripta evolvimus duo tantum vela reperimus. Maimonid. *in Kele Hammikdaſch. c.* VII. ſcribit, duo inter Sanctum & Sanctiſſimum fuiſſe vela. Cui calculum adjicit plur. *Rever. Daſſovius* in Collegio MSto §. 8. de templo. Confer etiam *Scheringham. not. ad Cod. Jom. cap.* V. *pag. m.* 52. Audiamus etiam Anglum doctiſſimum *Hammondum*, qui in annotationibus in N. T. ita diſſerit: *fol. m.* 264. For of this is certain, that there Were two veiles or high walls, the one that covered or encloſed the Sanctuary from the eyes and approach of the people, who were permitted to go no farther, then the court of jews, and only the Prieſts admitted in to the Sanctuary and thither the Prieſts went daily and offered incenſe, the people mean

while

while ſtagnig without and praying every one privately by him ſelf. The other was wich encloſed. Sanctuary, and thither none entred but the high Prieſt once a year. Recte itaque ſtatuit poſt primum velum, ſcil. illud quod diſcernebat Sanctum a Sanctuario aram thymiamatis poſitam eſſe. Videatur etiam *Ainſworth. comment. in Exod. cap.* XXVI. *fol.* 106. *edit. Londin.*

[6] *Solos Sacerdotes*) Recte hic *Cunæus* ſtatuit aſſerens, quod Sanctum poſt primum velum nemini intrare licuerit, quam Sacerdotibus. Sed quæſo cur in prioribus verbis negat, aram ſuffitus poſt primum velum poſitam eſſe, cum ipſe tantum duo vela agnoſcat? Poſt primum cuivis Sacerdoti intrare licebat, ſoli autem Pontifici poſt alterum in Sanctum Sanctorum. Myſticam ſignificationem adduxit *Ainſworth. comment. in Exod.* XXVI. *fol. m.* 106.

[7] *Lapidibus integris impolitiſque*) In hoc negotio hic cl. *Petrus Cunæus* eſt, quod Judæos legis violatæ accuſet, quod altare e lapidibus exſtruxerint, cum tamen inſontes fuerint & ex lege fecerint. Nam aram e ſaxo fieri vel juſſit Deus, vel quod ſufficit, conceſſit Deus *Exod.* XX. 22. Si altare lapideum exſtrues mihi, non facies illud ex lapidibus cæſis. De hoc, credimus, nemo ambigit. Illud ſibi Judæi perſuadent, ſæpe enim inculcant verbis illis: ואם מזבח אבנים אינו רשות אלא חובה *& ſi altare lapideum &c. non habetur permiſſio, ſed præceptum*. Neque hoc ſine omni analogia id affirmare ſibi videntur. Traditio enim extat citante cl. *Cramero pag. m.* 19. *cap.* 2. *de ara exteriori*. R. Iſmael ait: Quotieſcunque in lege vocula ſi occurrit, permiſſio ſolum eſt, exceptis tribus vicibus, ubi mandatum continet. Primum in textu noſtro, quod præcepti eſſe ex *Deut.* XXVII. 6. probant. Alterum extat *Exod.* XXII. 24. Atque *Levit.* II. 14. tertium habetur.

[8] *Ære obducatur*) Cunæus noſter duo adducit loca, ex quibus probare conatur, pugnare cum mandato divino lapideam exſtruere aram, cum Deus juſſerit ligneam eſſe & ære obductam. Verum *Cunæus* hoc loco non habet, quod vult. Moſes equidem מזבח עצי שטין fecit & ære obduxit *Exod.* XXVII. 1. & XXXVIII. 1. Sed nihil ſecius etiam מזבח ארמה ubi corpus ipſum terra fuit, quam lignum primum & deinde æs ambierunt, eſſe potuit, imo debuit; ſi juſſui divino *Exod.* XX. 24. ſua conſtet authoritas. Nam ſi cum de Moſis ara non capias, nunquam ei obſequium a quoquam præſtitum eſſe legimus. Juſſit etiam Deus altare ibi v. 8. *cavum tabularum* h. e. fartura lignea vacuum a *Bezaleele* confici. *Raſchi ad Exod.* XXVII. 8. *Tabulæ e ligno Schittim ab omni latere eſſe debebant & cavitas in medio, neque totum lignum unum eſſe poterat quinque cubitos latum longumque*. Quam ob rem ita ſollicite hoc cavit Deus? ut a *Moſe* juxta legem ante latam terra repleri poſſet. Quid quod parietes aræ ab interiore latere muniri debuerunt, ne eos favillæ, cineres, prunæ, quæ continuo per rete æneum in aræ fundum delapſæ fuiſſe a pleriſque cenſentur, incenderent, adurerentque. Nemo melius quam *Lyra* ſenſum explicat loci *Exod.* XXVII. qui ita ſcribit: *Concavitas autem altaris cum ſituabantur caſtra & altare, implebatur terra uſque ad ſummum & ſupra ſuperficiem illius terra intra tabulas altaris incluſive fiebat ignis & offerebantur & cremabantur hoſtiæ ſecundum id, quod dictum fuit c.* XX. *altare de terra fac. Et quando commovebantur caſtra, amovebatur altare prædictum de tabulis factum & remanebat terra. Et iſta explicatio concordat literæ, quæ ad hoc poteſt facile applicari*. Atque hanc opinionem firmat antiquiſſima traditio, uti *Raſchi in Exod.* XXVII. & *Jonath. ben Uziel* referunt.

[9] *Rex Salomo*) Provocat *Cunæus Salomonem*, qui *æneum altare* confeciſſet; ſed non ſecus *æneum*, ac Moſis altare ſuffitus aureum, aut holocauſti æneum fuerat. Ita nimirum dicitur, quia laminis æneis undique muniebatur, cætera ſaxeum. Eo plane modo, quo de ara *Siluntis* traditur *Sebh.* 61. *b. Ara Silunte ænea fuit, ſed cava, eoque lapidibus farta*. Sufficiebat corpus lapideum ære obduci. Et ſane phraſis מזבח נחשת ſi ejus uſum ſpectes æque *ære tectum*, ac *ex ære conſtans* ſignificat. Sic *Salomon* fecit מזבח & להיכל זהב הזהב ודלתי הבית 1. *Par.* IV. 19. 22. Quæ aurata ſolum fuiſſe, non aurea, nemo niſi fungus ignorat. Accedit, quod ara nunquam ex *opere fuſo* fuiſſe dicatur, quod non ſemel de rebus per omnia æneis repetitur 1. *Reg.* VII. 16. 24. 3. 2. *Par.* IV. 2. 3. Cum tamen de ara potius id inculcandum fuiſſet, quam totam æneam credere minus proclive eſt, quam reliqua omnia. Quod ſi porro ara ex ære integra fuiſſet, non dubium; quin mature a Regibus curtæ ſuppellectilis ablata, vel in dona Regibus exteris, vel in alios uſus impenſa fuiſſet, neque ad Menaſſem uſque farta & incolumis manere potuiſſet: *Sanhedr. c.* XI. Quanquam hanc traditionem incertam eſſe agnoſcamus. Neque explicare opus fuit, quod ara intus ſaxea fuerit, ſatis ſuperque id docente lege *Exod.* XX. quanquam in eo plerique oppido fallantur, quod omne æs inde arceant, eam ex lapidibus ſolis compoſitam exiſtimantes.

[10] *In libro* 1. *Regum cap.* VIII.) Magna hoc loco controverſia eſt inter doctos, an altare hoc lapideum vel æneum fuerit? Lapideum plurimi Rabbinorum ſtatuunt, uti refert. cl. *Cramer. de ara exter. cap.* 2. *pag.* 30. 31. *edit. Lug.* & ejuſdem epicriſin vide pag. citat.

[11] *Per vaſta terrarum ſpatia*) Putat doctiſſimus *Cunæus* legem hanc ad ea tempora pertinere, quibus populus per vaſta terrarum ſpatia & in hoſtili ſolo erraret. Verum enim vero iſti legi multi homines ſanctiſſimi, imo θεόπνευστοι poſt obſecuti ſunt, quam in patriam ſe appulerunt. *Jeſua* Pontifex, & omnes, quos templum ſecundum habuit homines, ob mandatum iſtud aram ſuam lapideam inſtituerunt. Atque ut ne leviſſime dubitemus, quin ante Machabæos ea e ſaxo conſtiterit, in atrio templi conclave & quidem tertium in בית המוקד oſtendo, ubi Haſmonæi lapides altaris, quos Reges Græci inquinaverant, condiderunt. *Jom. fol.* 16. *a. Maimonid. Hilk. Beth. v.* §. 10. & alii. conf. 1. *Mach.* IV. 45. 46. Elias etiam XII. lapides ſumſit ad aram conſtruendam 1. *Reg.* XVIII. 31. vel potius inſtaurandam ut verſ. 30. dicitur, quod ideo attendo, quia ea forte a tempore antiquo v. g. *Saulis*, quando aris privatis uti fas fuit, ſuperſtes manſerat, ex lapidibus pariter excitata. vid. *Kimch. in h. l.* Sic *Philo* aram Iſaaci ſaxeam fuiſſe autumat. Et ſane hujus legis, & moris fama mature inter gentes percrebuit, cui morem ſemper geſſiſſe conſtat, uti ex Gentilium ſcriptis probat prælaudatus *Cramer. pag. m.* 20.

[12] *Non magis veremur erroris*) Vix erroris accuſabit, quoniam cauſam aræ lapideæ non aliunde petere videmus, quam a lege *Exod.* XX. 24. 25. uti ad oculum demonſtravit cl. *Cramer. pag. m.* 21. *ſeq. conf. Ainſworth. in h. l.* Illud tantum prohibet Deus, ne lapides politos ferro adhibeant, uti etiam Machabæi obſervarunt. Ainſworthius comment. in *Exod.* XX. *fol.* 78. *ex Græco* & *Chaldæo Hebraicam* phraſin exprimit: *of hewing, of ſuch the altar might not be built, but of whole ſtones over which no man had left up any iron*. Lapides itaque Altaris, uti refert *Johann. Henric. Otho in Lexico Phil..og. pag. m.* 29. ferro nec ſcindi nec tangi debebant, ne Iſraelitæ eo devenirent, ut in lapidibus formarent imagines. *Abarbanel.* in *Exod.* Cl. *l' Emper. in Middot. p.* 115. Plures etiam cauſas adduxit cit. *Cramer. pag.* 34. ubi & hanc addit non ineleganter: Voluiſſe Deum aram ſuam invenuſtam & ut Junius loquitur, abjectam, ut Meſſiam noſtrum eo clarius referret, cui neque forma, neque decor, & quando intuemur illum, non eſt ſpecies, cur deſideremus eum *Jeſ.* LIII. 2. An potius eo notatur altare hoc noſtrum eſſe lapidem in Sione a Deo fundatum *Eſ.* XXVIII. 18. & præciſum ſine manibus *Dan.* II. 34. cui in redemtione & merito homo neque complementum, imo nec ullum opus afferre poſſit.

[13] *Vituli ſanguine rigari*) Sacra Scriptura *Levit.* XVI. 18. expreſſis verbis hoc teſtatur, quod Pontifex Maximus cum Sancto Sanctorum egreſsus fuerit, ſe ad altare ſuffitus contulerit, uti optime *Ainſworthius* expoſuit: *ſhall goe out from the moſt holy place, to the Altar of incenſe which slood in te holy place*, ibi cornua vituli rigaverit. vid. *Cod. Jom. cap.* V. *pag. m.* 60. *edit. Franequer*. Poſtquam ſanguines miſcuiſſet, altare quod erat coram Domino, hoc eſt altare thymiamatum expiabat. Et hoc

ex

ex mandato Dei, qui jussit, ut sanguinem cornibus ejus imponeret, & si hoc omisisset, aut quicquam aliud, quod ad sparsionem sanguinis spectabat, totum opus, ut in *Sabachim* dicitur, irritum fuisset, ne delicta populi expiasset. Modum sanguinem cornibus imponendi describit Angl. *Scheringham.* in notis ad *Codic. Jom. pag. m. 60.* his verbis: Manum superne elevabat usque ad summitatem cornu, sanguinemque ei imposuit, incipiendo a summo ejus vertice, & descendendo usque ad imum, id est, dabat מלמעלה למטה non autem manum inferne collocabat, incipiendo ab imo, & sic rursum adscendendo usque ad summitatem, id est, non dabat מלמטה למעלה. Eandem sententiam adduxit quoque *Ainsworth comment. in Levit. fol. m. 92. his verbis, so this was a striking of his finger with the blood upon te hornes.* Circumibat altare incipiendo a cornu orientali vergente ad aquilonem, & inde pergebat ad cornu aquilonare, quod occidente claudebatur, ibat deinceps ad cornu occidentale quod propendebat ad meridiem, & postremo cornu meridionale petebat, quod versus Orientem porrigebatur, & singulis cornibus, ut ei propius accessit sanguinem prædicto modo imposuit.

14 *Prius in Sancta Sanctorum.*) Omnia sub veteri lege Deus sanguine purgari voluit, ut sanguis victimarum typus sanguinis Christi esset. vid. *Henric. Ainsworth. comment.* in *Levit. XVI. fol. 92.* Hinc Summus Sacerdos sanguinem in Sanctum Sanctorum inferebat ut ibi spargeret, (de sparsione videndus *Scheringham in notis ad Codic. Jom. cap. V. pag. m. 57. edit. Franequer.*) Elucet igitur ex textu Pontificem sanguinem spargere debuisse in superficiem propitiatorii: uti Cl. *Nicol. Moller in dissert. de ritibus festi expiationum quæst.* v. demonstrat. Clarissimæ huic Scripturæ literæ promte substringunt aures *Aben-Ezra* & ceu videtur R. *Salom. Jarchi.* Duces hosce sequuntur *Polus*, *Junius*, *Varenius* & *Dn. Danz.* de *funct. Pontif. in adyt.* Jam quid statuendum sit de sententia Talmudist. *in T. 1. Jom' c. V. §. 3.* & *4. Maim.* qui hisce suum adjiciunt calculum *Scheringham. in annot.* qui, propitiatorium ipsum sanguine conspersum esse negant: Qua cautione adhibita legendus sit *Joseph. antiq. Judaic. lib. 3. c. X.* ubi duplicem committit errorem, dum omisso propitiatorio tectum tabernaculi septies totidemque vicibus pavimentum aspersum esse contendit. Cum tamen partim ex textu contrarium pateat, partim manifesta torsio a *Maimonide*. Illatus igitur prius sanguis fuit a Pontifice ut sit typus cœli, quorsum Christus abiit. Hic spargebatur sanguis in expiationem. Hinc bene *Ainsvorthius fol. m. 92. the Altar, Arcke and Sanctuaryit selfe was defiled in the sight of God, and could not be cleansed without blood: so our sinnes doe defile Gods Church, and his most holy ordinances therem, and doe come up into te heaven it selfe Wherem we can have no entrance but by the blood of Christ, cleansing us and our way and purging our consciences.* Merentur etiam legi verba clar. *Jacob. Rhenferdii* de comparatione expiationis anniversariæ Pontificis V. T. *cum Christo. Cod. Jom. annexa pag. m. 128.* conf. *Ainsworth Comment. in Levit. VI. fol. m. 35.*

15 *Aram in adytis non fuisse*) Hæc ex præcedentibus illustrari possunt, quæ sane demonstrant falsam *Cunæi* opinionem: Ara thymiamatis quippe in Sancto fuit, cujus cornua & ipsa ara sanguine e Sancto Sanctorum elato aspergebantur. vid. annot. *Scheringham. ad Cod. Jom.*

16 *In qualibet templi parte*) Cum *Cunæo* nostro facit celeberr. *Braunius* in *lib. eruditiss. de vestitu Sacerdotum lib. II. cap. XX. §. 28.* ubi hæc leguntur: Deum non in Sancto Sanctorum, sed in Sancto tantum a Pontifice interrogatum, ita tamen ut faciem verterit versus arcam, quæ erat in Sancto Sanctorum. Verum hanc opinionem erroneam esse censet excell. *Georg. Otho Profess. Marburg. in dissert. de Urim & Thummim pag. m. 25.*

CAPUT SEXTUM.

Vicarius Pontificis sub decimum diem mensis Tisri constitutus. Quot gradus dignitatum inter pontificatum & sacerdotium interpositi fuerint. Jusjurandum solenne quotannis Pontifici delatum sub templo secundo: & causa ejus. Hæresis orta de suffitu in adytis adolendo. Hircus in desertum missus. Mons Hazazel. Judæorum scita quædam super ea re.

QUONIAM Pontificis nobile munus in iis esse rebus positum diximus, quæ die decimo mensis Tisri agebantur, idoneum visum est plura exequi quæ huc pertinent. Scribit Maimonides in Halacha Habodat Jom Haccippurim, in capite primo, solum Pontificem omnia sacra obiisse, [1] quæ illo die fiebant, ne illis quidem exceptis, quæ propria illius festi non erant: quare illa quoque, quæ quotidie sacerdotes etiam curabant, commissa tunc Pontifici fuisse. Ait præterea, quo tempore festum hoc instabat, septem continuos dies [2] custoditum eum publice magna cura fuisse, ne qua res fortuita eum contaminaret, prohiberetque solenni sacro. Quæ traducta ex initio tractatus Talmudici sunt, quem Massechta Joma vocant. Tum & illud prodit ibidem maximus Rabbinus, quod relatu dignum est, de Pontificis vicario, [3] qui quotannis creatus sub diem jejunii est: מתקינין לו כהן גדול אחר שאם יארע בזה פיסול יעבוד האחר תחתיו. בין שאירע בו פיסול קודם תמיד של שחר בין שאירע בו פיסול אחר שהקריב קרבנות זה שנכנס תחתיו אינו צריך הינוך עבר יום הכפורים הרי הראשון חוזר לעבודתו והשני עובר. ואם מת הראשון זה השני מתמני תחתיו: Nos sententiam, non verba exprimemus. *Positum in more fuit*, inquit, *ut Pontifici constituerent quendam alterum Pontificem. Nam si quid ei contigisset, quo impuratus videretur, alter ille vice ejus rem sacram faciebat. Cæterum vicario huic, qui pro illo in adyta ibat, non opus initiatione fuit, sive contaminari Pontificem ante juge sacrificium matutinum, sive post oblationes peractas contigisset. Quam primum autem dies expiationum præteriisset, prior ille redibat ad munia sua: vicarius autem se abdicabat. Quod si prior moriebatur, alter ille in ejus locum substitutus est.* Non multum ab his abludit, quod traditum a Flavio [4] est in libro decimo septimo Antiquitatum, in capite VIII. Is enim quendam

dam Josephum Ellemo prognatum refert, qui unum diem functus pontificatu sit, cum summus sacerdotum Matthias immundo visu per somnium se inquinasset, illa ipsa nocte, quæ expiationis festum antecessit. Hujusmodi vicarium Maimonides סגן [5] appellat in Halacha Cele Hammikdasch, in capite IV. aitque sub imperio ejus cunctos sacerdotes esse : ex quibus tamen duo sunt, quos vicario eandem operam præstare ait, quam Pontifici ipse præstat, eosque קתיקולין appellat : [6] ac rursus quendam ordinem illis inferiorem facit, in quem sacrificulos septem adscribit, qui אמרכלין [7] dicti sunt, & claves atrii custodiebant, nemo eorum ut aperire illud posset, ni una omnes adessent. Rursum his subesse tres גזברין, [8] id est, thesaurarios, sive sacro ærario præfectos, ait : quos sequitur ראש השמר, qui custodiis templi [9] præest : tum is, qui ראש בית אב [10] dicitur : ac tandem proximus ab his dignitatis locum tenere cæteram sacerdotum plebem ait. Hoc ferme pacto sacerdotum gradus distincti a Talmudicis sunt : nisi quod iidem inter Pontificem maximum, atque inter vicarium ejus constituunt quendam diversi generis sacerdotem, quem משוח מלחמה, hoc est, *prælii causa unctum* [11] appellant. Sed de hoc infra dicemus. Nunc de expiationum festo, quæ in promtu sunt, addamus. Apud Maimonidem, * legati a senatu missi [12] juramentum [13] quotannis solenni more a Pontifice exigunt, pridie [14] quam peragendum piaculare sacrum erat. Id adeo fieri ex hac causa consuevit, quod sub templo secundo caput extulisset hæreticus quidam, ex quo prognata Sadducæorum secta est. Is odoramenta, queis suffumigandum adytum erat, imponi ignibus primum, ac mox inferri in adytum voluit, quum Judæis per manus traditum jam inde a Mosis ævo esset, accendi demum ea in ipsis adytis oportere : idque profecto legis sententia etiam arguit in Levitici capite XVI. versu XII. & XIII. Sed novatorem illum ea verba movebant, quæ exstant in ejusdem capitis initio : בענן אראה אל הכפרת *in nube apparebo super propitiatorium*. Quæ certe adeo nullum præsidium ad ipsius causam adferunt, ut plane id stabiliant, quod in versu XII. & XIII. expressum esse diximus. Et tamen nihilominus crescebat quotidie tam improbabilis opinio, lateque animos hominum pervaserat. Quare, cum metus ingens esset, ne in illum errorem sese Pontifex quoque transderet, institutum fuit, ut pridie decimum diem Tisri solenniter eum legati jurejurando obstringerent : cujus formulam Maimonides in hæc verba conceptam refert, משביעין אנו עליך במי ששכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל דבר שאמרנו לך : *Nos te jurare jubemus per eum, cujus nomen in hac æde habitat, ne quid immutes eorum, quæ dixerimus tibi*. Dein cætera subjecere, de quibus cautum esse intererat omnium. Ad celebritatem hujus festi maxime pertinuit religiosa sortitio [15] illa, qua ex duobus hircis unus destinatus aris fuit, alter vero in vicinum desertum ad montem quendam Hazazel [16] dimittebatur, ut illinc præceps rueret. [17] Tradunt Judæi cum hircum magno molimine in desertum ab alienigena [18] quopiam deductum, ac mox de summo monte detrusum ad ima esse. De tabernaculis [19] quoque ab urbe Jerosolyma usque ad desertum dispositis, nescio quid, loquuntur, in queis consederunt, qui hircum identidem esca reficerent. Tum & funiculum, [20] cujus pars altera cornibus hirci, altera deligata ad scopulum fuit, atque etiam colorem funiculi, [21] & id genus multa alia describunt, quæ profecto mecum ignorant. Quare nos hæc in medio relinquimus, propterea quod rationibus conjecturisque melioribus destituta, vim haud capiunt ex ipsa fragilitate.

* *In cap. I. Hal. Habodat Jom Haccippurim.*

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Omnia sacra obiisse*) Posteaquam media nocte purgatum altare esset, circa initium auroræ mactabatur juge Sacrificium, in quo cum occuparentur Sacerdotes, velum byssinum expandebatur inter Sacerdotem Summum & populum, pone quod sacerdos summus vestes ordinarias detrahebat & lavabat corpus, ac vestes aureas induebat lavabatque manus & pedes. Quibus peractis juge-sacrificium mactabat exceptumque sanguinem ad altare exterius aspergebat, aspersoque illo intrabat templum, ubi suffitum quotidianum adolebat, lucernasque candelabri sacri incendebat. Quibus incensis membra juge-sacrificii ac munus similæ cum illo conjunctum comburebat, vinumque libaminis ad illud spectans, in altaris basin effundebat, sicuti fieri quotidie consueverat. juxta *Maim. de die expiat. c.* I. *&* *Mischn. de die expiat. c.* II. III. IV. Expedita oblatione juge-sacrificii Sacerdos Summus denuo lavabat corpus & manus & pedes super cameram pellium in parte australi atrii Israelitarum sitam, supra quam etiam reliquas lotiones excepta prima peragebat, finitaque lotione offerebat juvencum & septem agnos in holocaustum, de quibus *Num.* XXIX. 8. *vid. h. l. Ainsworthium*. Et apud *Maimonid. de die expiationis c.* I. *&* IV. Holocaustis illis oblatis denuo lavabat manus & pedes & exuebat vestes aureas ac iterum lavabat & induebat vestes linteas ac rursus manus & pedes lavabat, & ad juvencum quem pro peccato suæ personæ offerebat, accedebat. Atque hinc juvencum collocabat inter porticum & altare, ut caput austro, faciem occidenti obverteret ; tum Sacerdos ipse stans in Oriente, facie autem Occidenti obversa impositis juvenco manibus, confessionem peccati sui ipsius & familiæ suæ recitabat his verbis: Quæso Domine, condona nunc peccata, iniquitates & rebelliones, quibus pec-

peccavi, inique egi & rebellavi coram Te, ego & domus mea &c. Impositio autem hæc ita fiebat, ut ambas manus inter cornua ponerent & vehementi cum oppressione ad terram fere usque premerent. Tunc sortem projiciebat sacerdos summus in hircos duos, quorum unus mactandus, alter dimittendus in desertum erat; Alligabatque vinculum coccineum fronti hirci dimittendi, illumque collocabat versus locum unde dimittendus, mactandumque collocabat versus locum, ubi mactandus, & regressus ad juvencum secunda vice impositis manibus eandem confessionem peccati recitabat, nisi quod præmitteret verba: & *Filii Aaronis populus sanctus tuus*. Confessione finita juvencum mactabat & sanguinem exceptum alii Sacerdoti movendum dabat, ne coagularet ac de altaris exterioris acervo lignorum versus cornu occidentale australe structos carbones in thuribulo aureo tres cabos continente inferebat ac in scamno quarto atrii Sacerdotum deponebat. Quibus exactis pugillum thuris capiebat & vasi impositum manu sinistra ac carbonum thuribulum manu dextra in Sanctum Sanctorum deportabat, factoque ibidem suffitu exibat, acceptumque juvenci sanguinem ab eo cui dederat, in Sanctum Sanctorum deferebat, ac inter vectes arcæ ad propitiatorium octo vicibus digito aspergebat, semel sursum ac septies deorsum, juxta *Maimon. de die expiat. c.* IV. & *Mischn. c.* IV. & V. ac in eadem *Bartenor. & Abarbanel. in Levit. fol.* 249. *col.* 2. His ministeriis peractis mactabat Sacerdos Summus hircum pro peccato Ecclesiæ oblatum, qui expiabat omnia peccata contra legem tam levia, quam gravia, tam ex ignorantia, quam pro hæresi commissa, & sanguinem ejus in Sanctum Sanctorum delatum aspergebat octo vicibus inter vectes arcæ ad propitiatorium eodem modo, ut aspergebat sanguinem juvenci. Deinde in templo aspergebat velum. Tum sanguinem juvenci cum sanguine hirci in cratere uno commiscebat, & sanguine commixto altare aureum circum circa cornua aspergebat. Quibus expeditis cineres altaris aurei hinc inde dimovebat, quod VII. vicibus in latere aquilonari sanguine commixto aspergebat & denique reliquias sanguinis ad basin altaris exterioris effundebat. Hæc & alia munia solus summus Pontifex die expiationis peragebat, quæ *Henric. Ainsworthius commentar. in Levit.* XVI. *fol.* 89. ad Christum refert his verbis: *The high Priest and his worke this day figured Christ and his worke of reconciling the Church unto God. Hebr.* IX. 7. 8. 11. 12. *and in that the high Priest performed all the services him self, it signified how Christ should by him selfe purge our sins Hebr.* I. 3. *and shewed the weaknesse of the legall priesthood, wich served but untill the time of reformation, and then should be abolished. Heb.* IX. 10. & VIII. 4. 5. 6.

[2] *Septem continuos dies*) Eadem habet Codex Joma *cap.* I. Mischna I. שבעת ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו i. e. *Septem diebus ante diem Expiationis separant Sacerdotem magnum a domo sua*. Summus itaque Sacerdos septem ante diem expiationis dies a domo sua separabatur, quia præcipue sacra administrare obstringebatur ut *Lev.* XVI. 32. dicitur: Et expiabit Sacerdos. Eum autem septem dies ante diem expiationis a domo sua separabant, ne forte cum uxore menstrua ignarus concumberet, quæ juxta legem *Levit.* XV. septem dies immundum reddebat. vid. not. *Scheringham. pag. m.* 2. Illis vero septem diebus Sacerdos Summus sanguinem juge-sacrificii spargebat ipse, caput ejusdem & pedes offerebat adolebatque suffitum & lucernas incendebat. (2) Septem illis diebus a Synedrii magni Senioribus informabatur in ritibus expiationis juxta *Levit.* XVI. peragendis. (3) Vespera diem expiationis præcedente in juvencis, arietibus & agnis offerendis exercebatur, ut ut cæteris diebus ex illis septem edere licite & bibere posset, nocte tamen festum præcedente parcissime cœnabat, ac a cibis somnum inducentibus cavebat, ut tota vigilare nocte posset, ne dormiens pollueretur: Unde solebat disputare de ritibus festi expiationis. Confer. annot. *Scheringham. ad Cod. Jom. a pag.* 5. *ad* 11. *edit. Franequer.*

[3] *De Pontificis Vicario*) Sunt qui affirmant *Saganem* seu Vicarium Pontificis perpetuum fuisse & ita juxta ordinem enumerant, ut sit Pontifex, Nasi, Sagan, imo omnes fere Rabbinorum libri *Saganem* clamant. Ita *Scheringham. in not. ad Codic. Jom.* uti in dissertat. nostra de Sagane pluribus demonstravimus. Quam ob rem Scaliger acutissimus in prolegomen. ad Chronol. Eusebii in hæc prorumpit verba. Sagan ea de causa Summo Sacerdoti socius dabatur, ut si per morbum, aut propter aliam causam sonticam, ille non posset obire ea munia, quæ neminem præter solum Pontificem obire fas esset, Vicarius eam necessitatem expleret, præsertim in decima Tisri, quando Sacerdos in Sancta adyta ingrediebatur, in quæ nulli alii Sacerdoti præterquam ipsi ingredi liceret, aut Vicario ejus, si ille morbo impeditus id præstare non posset. Hæc si ita essent juxta opinionem *Scaligeri Sagan* alter Pontifex fuisset & proximum locum ad adipiscendum Pontificatum habuisset. Hinc officium Saganis æque venale fuisset tempore status perturbati; sed nunquam hoc legimus. vid. cit. dissert. An autem ex *Cunæi* nostri verbis perpetuus Sagan erui possit, quæ ex Maimonide adduxit, judicent eruditi. An opus fuit *Vicario* perpetuo peragendis unius diei functionibus? Itaque nullum nisi ἐφήμερον Pontificis Vicarium novimus, qui, cum opus erat, in vicem Summi Sacerdotis sufficiebatur sacris adytorum peragendis, quod ad munus, nullum jus potestasve ex sanguinis cognatione nisi ex æquo & bono conferebatur, sed pendebat ex eligentium nutu & arbitrio.

[4] *A Flavio Josepho*) Non hoc loco Josephus Vicarium perpetuum agnoscit, uti Autor noster putat, sed potius hoc munus perpetui Saganis illi ut Sacerdoti insolens fuit, imo argumenta suppeditavit, quibus funditus evertitur atque perimitur. *Matthiæ* Summo Sacerdoti accidit alium Pontificem ad unum diem substitui, qua Judæi populariter jejunium celebrant. Quid est refellere Saganis perpetui munus si hoc non est? Contingit, ut alius Pontifex ad unam diem constitueretur. Atqui nec ullus constitui debuit, cum Sagan vi muneris sui Pontificis *Matthiæ* vices implevisset; nec in diem constitui debuisset, si unus ad vitæ totius curriculum Vicarius eligeretur.

[5] *Sagan*) Saganem proximum a Pontifice fuisse Rabbini fingunt, eique tantam authoritatem tribuunt, ut omnes Sacerdotes sub eo sint, uti ex Maimonide Author noster & alii plures. *Sagan* scribit *Johannes Henricus Otho in Lexico Philolog. pag. m.* 547. Candidatus erat Summi Sacerdotii, ita R. *Salomoh in Num.* XIX. Eleazarum filium *Aaronis* סגן vocat, & notant Juchasin fol. 57. & Aruch in radic. illum non fuisse rite ad Pontificatum promotum, qui prius non erat Sagan. Ille Sagan sæpius vocatur Præfectus cultus, ut in *Joma cap.* III. 1. item *Sanhed. fol.* 19. 1. Appellatur etiam Sagan Sacerdotum in *Jom. fol.* 8. 2. *Schekal. c.* III. Rationem dat *Maimonid.* in *Kele Mikd. cap.* IV. Quia omnes Sacerdotes illi ut Pontificis vicario subjecti erant; Hinc etiam ἀρχιερεὺς vocari posset, quod nomen tamen incommode perpetuo Sagani inureretur. Nam vox ἀρχιερεὺς a viris doctis dupliciter accipitur vel ἁπλῶς ut absolutam sui muneris plenamque Pontificalem dignitatem exhibeat, sic *Aaron* erat: vel κατά τι Summus Sacerdos ille est, qui classis Sacerdotalis præfectus est Princeps. Qua igitur ratione *Sagan* nomen ἀρχιερεὺς occupabit? eritne simpliciter Summus? At Majoris vicarius. An certo respectu, quatenus classis Princeps fuit? At munus Saganicum id necessario non involvit. Confer. *dissert. nostra de Sagane perpetuo Hebr.* ubi plura.

[6] קתילוקין *appellat*) Cl. *Buxtorfius in Lexic. Rabbin. Talmudico fol. m.* 2164. Catholicos Thesaurarios vocat. *Talmud. Hierosol. in Schekal. c.* V. Liceat nobis hic pauca verba referre Cl. *Johannis Lightfooti de minister. templi pag.* 688. Aut ipse *Maimonides*, aut ejus librarius duplicem exhibuit hujus vocis lectionem. Legimus enim modo קתקולין modo קתלוקין. Atque ad hanc posteriorem lectionem magis accedit Talmud Hierosolymitanum, aliique Judæi, qui vocem sic efferunt Katholikin, Catholici. Glossa interpretatur ממנים על אוצרות *præfectos Thesauris*. Et apud alios quidem autores occurrit aliquando ad significandum præcipuos thesaurarios, aliquando vero præcipuos ministros seu amicos Principis. *Katholicani* olim apud Jurisconsultos dicebantur

Ratio-

Rationum præfecti, ut observatum fuit ab eruditissimo Buxtorfio. Duo erant viri, qui amplissimo munere in Templo fungebantur, & quibus superiores erant tantum duo alii, nempe Summus Sacerdos & Sagan. Et cum essent tres præfecti Ærario templi, hi duo erant præcipui præfecti Ærario, qui rationem repetebant a tribus illis. *Maimonides* & ex eo *Cunæus* brevem hanc tradit descriptionem horum Catholicorum: Constituebant Cathicolin ut essent τῷ Sagan, quod ipse Sagan erat Summo Sacerdoti, Vicarii nempe ejus, adjutores, & dignitate & honore proximi. Verum si rem accuratius pensitemus, unum tantum custodem ærarii deprehendimus. Nam si duo Catholici fuissent, id Josepho non latuisset. Atqui nonnulla memorat, quæ unum fuisse Ærario impositum. Nam cum mentionem fecisset immanis avaritiæ *Crassi* Hierosolymitano thesauro inhiantis in hæc prorumpit verba *lib.* XIV. *antiq. c.* XII. Hanc ei trabem tradidit Sacerdos sacri thesauri custos Eleazar. Dicendum itaque fuisset, alter custodum ærarii, si duo muneri præpositi fuissent. Nullum autem socium habuisse *Eleazarum* ostendunt verba Josephi: *Hæc trabs inserta erat trabi cavæ ligneæ, quod cæteris omnibus ignotum, solus sciebat Eleazar*. Sic *antiquit. lib.* XX. *c.* VII. iterum unius tantum meminit. Quod vero tam peregrinum auribus, quam phrasis *Josephi*, si *Catholicanos* probe cognitos habuisset? Alterum Quæstorem Ærarii, vel primum custodem discriminis causa dixisset, non simpliciter custodem; quibus apparet *par illud Catholicanorum* somnium esse Rabbinorum, cui fides adjungi non debuit. In Scriptura sane duorum Ærario præfectorum neque vola neque vestigium. Eo magis BINI illi CATHOLICANI fabulam redolent, quod finguntur esse τῷ Sagan, quod ipse Sagan erat Summo Sacerdoti. Jam vero Saganis perpetuum munus ad Judæorum commenta relegandum plurimis argumentis demonstratum est in dissert. de Sagane perpetuo.

[7] אמרכלין) Amarcalin fuerunt septem officiarii templi, qui habebant claves ad septem portas atrii, ita tamen, ut nullus posset absque altero aperire. *Schekal. cap.* 5. vid. *Joh. Henric. Othon. not. Maimonid. in Kele Mikd. pag.* 4. Conf. cl. *Buxtorfii Lexic. Rabbino-Talmud. pag.m.* 127. Alii addunt prope septem portas fuisse septem conclavia ad vasa & vestimenta sacra includenda, & hos septem operam dedisse, ut omnia rite ibi procederent. Vid. *Tosaph. ad Schekal. cap.* 5. *&* *R. Salomon. in* 2. *Reg.* 12. *R. David Kimchi* verba in 2. *Reg.* 12. 10. hic quoque adducere lubet, qui ita commentatur. Quid sunt AMARCALIN? Custodes utensilium vel vasium templi; כל enim nomen generale & denotat indiscriminatim omnia vasa ad cultum adhibita. Jonathan שומרי סף interpretatur אמרכלין, qui fuerunt Summi Thesaurarii, & qui alios adhuc sub se habent. Probabile est hos officiarios fuisse perpetuos & ordinarios. Sed aliquis dicere posset in *Middot. cap.* 1. legimus: claves atrii magni fuisse in potestate זקני בית אב Seniorum classis paternæ, quomodo igitur claves τοῖς *Amarcalin* tribui possunt? Verum respond. Omnino verum esse, Seniores custodiæ habuisse claves, non autem primario sibi commissas, sed ab *Amarcalin*, quibus nec possibile nec etiam honorificum erat semper reclusioni portarum præesse pro tempore concreditas.

[8] גזברין) Eadem refert Cl. *Buxtorf. in Lexic. Rabbino-Talmudic. fol. m.* 127. גזברים ministri erant rerum sacrarum præfecti exigendis pecuniis capitationis sive tributi in singula capita, item rebus per anathemata devotis & aliis sacratis, quæ singula in suos fiscos intulerunt. In Talmud. *Schekal. c.* V. sumitur pro Thesaurariis Ecclesiasticis, qui pecuniis publicis Ecclesiæ præfecti sunt. De variis Eleemosynis unde collectores pecuniam exegerint, vid. *Joh. Lightfoot.* in Hor. Talmud. ad cap. VI. Matth. pag. m. 290. 291. & ex eo *Joh. Henric. Oth.* in *Lexico Rabbino-Philolog. pag. m.* 164.165. conf. Cl. *Campegi* Vitringæ tract. varia eruditione refertum de Synagoga *veter. & nov. pag.* 544. & *aliis locis*. Optime *de his plur. Reverend. Dassovius in Collegio MSto* agit, quando ita literis prodit: גזברין erant substituti Camerariorum, & curabant ea, quæ ad templi thesauros pertinebant, v. g. ut bestias redimendas redimerent, vel dimidium siclum quotannis reciperent, vel vasis templo dicatis præessent, vel decimas acciperent, vel quæ ad templi reparationem pertinebant, curarent, aut ad vestes Sacerdotum, ad instrumenta templi & hujusmodi alia attenderent: unde & Consistorium Sacerdotale vocabatur, & Cameram habebant, dictam Consiliariorum in atrio Israelitarum sitam *Maim.* & *Talm. Babyl. de Siclis cap.* V. & II. Uberius de his egit. *Guil. Outram. de sacrif. pag. m.* 48. *edit. Amstel.*

[9] *Custodiis Templi*) גזברים sequebantur Sacerdotes viginti quatuor Præsides viginti quatuor custodiarum templi. Tribus in locis uti *Middoth c.* I. refert, Sacerdotes excubias agebant in templo: nempe in *Beth Abthines*, *Beth Nitsots & Beth Mokad.* confer. annotat. *L' Empereur* ad h. l. Levitæ quoque locis viginti uno. Cum itaque hæ custodiæ vel excubiæ constiterint unaquæque ex multis excubitoribus, erat quidam, qui unicuique custodiæ præficeretur, qui dicebatur איש הר הבית Montis templi Præfectus qui caput erat omnium capitum excubiarum. Autor noster vocat ראש המשמר. Describitur secundum R. Schemaja איש הר הבית præfectus templi ממונה על כל משומרים *Præfectus omnibus custodum excubiis*. Illius officium erat perlustrare singulas custodias, & quando illud agebat, prælucebant ei faces: unumquemque autem custodem, qui pedibus non insistebat, his verbis compellabat שלום עליך *pax tibi*. Si enim dormire animadvertebat, baculo percutiebat, imo aliquando vestimenta ejus comburebat; Hinc etiam in usu erat apud cives Hierosolymitanos, quando aliquem clamorem ex templo percipiebant dicere: *Quæ vox in atrio magno?* vox Levitæ vapulantis, cujus vestimenta comburuntur. *Middoth. c.* I. II. *Maim. Hal. Beth Habech. c.* VIII. confer. *Joh. Lightfoot. Hor. Talmud. in Luc. cap.* XXII. *pag.* 879. *edit. Lips. L' Empereur not. ad Middoth. cap.* V. *edit. Franequer.* 1680.

[10] ראש בית אב) Mentionem hujus facit *Codex Joma cap.* III. §. 9. *pag. m.* 34. *edit. Franequer.* Ibat ad orientem atrii & septentrionem altaris. Princeps Sacerdotum a dextris, וראש בית אב משמאלו & *præfectus* patrum stabat a sinistris, ubi notandum ex primo capite *Tamid.* custodes templi in duas classes divisos fuisse, qui ex altera classe erant, juvenes Sacerdotii (vid. Michael Arnoldi ad Tamid.) qui ex altera, זקני בית אב seniores domus paternæ vocabantur, hi atrii claves tenebant, & mane altare purgabant, ut innuunt *Salomon Jarchi* & Bartenora ad initium capitis secundi hujus codic. qui his præsidebat ראש בית אב caput domus paternæ dicebatur. conferantur *Saubert. Palæst. ad loc.* 2. *N. T. pag. m.* 286. *D. Quensted. in antiquit. Bibl. pag. m.* 36. plur. Rever. Maurit. in tract. de *Sortitione Hebr. pag.* 281. *Guil. Outram. de sacrif. pag. m.* 49. *edit. Amstel.* 1678.

[11] *Prælii causa unctum*) Erat hujus usus, tam in bello arbitrario, quam in iis expeditionibus, quæ jussu divino peragi debebant, ceu *Maimonid.* in *Hilc. c.* VII. §. I. memoriæ prodidit: ejusque in Sacro ordine tanta fuit dignitas & existimatio, ut uno solo minor esset Summo Pontifice. Unde Autor libri *Schilte Haggibborim fol.* 35. *col.* 4. Templo primo superstite, unctus quoque fuit Sacerdos, qui exercitum alloquebatur, quique ideo unctus belli dictus est. Iste vero Unctus bello anteibat Vicarium Summi Pontificis, ob Unctionis reverentiam, nam Vicarii nulla ad id munus sacro oleo inauguratio. confer. celeb. *D. Wagenseil. not. ad Sot. pag. m.* 842.

[12] *Legati a Senatu missi*) Hi fuerunt Seniores Sacerdotes a Senioribus Synedrii magni missi, qui Sacerdotem magnum in domum *Abthines* evehebant. Ubi autem hæc domus fuerit & unde dicatur hic adducere operæ prætium esse duximus. Tradunt igitur Hebræorum magistri, domum *Abthines* dictam fuisse ab ejusdem nominis viro, qui aliquando iis præfectus fuerat, qui præparandi suffitus munere defungebatur, & certum est, quod in illa domo præpararent suffitum, contunderent eum & miscerent aromata ejus. vid. *Salom.* Jarchi *ad vers.* 5. *c.* I. *tr. Jom.* Præterea hæc domus una fuit ex conclavibus Sacerdotis magni, in quod ingrediebatur, ut erudiretur, quomodo solenni expiationis die, pugillum suffimento impleret. Duo etenim Pontifici erant conclavia, uti Gemara & ex illa Scheringham. in not. ad Cod. Jom. pag. 3. docet: Unum conclave

Parhedrorum & alterum conclave domus *Abthines*. Incertum autem esse dicunt Rabbini, an ad Septentrionem vel ad Austrum Sanctuarii hæc domus fuerit, vid. Michael *Arnoldi ad Tamid. edit. Franequer.* Hoc tamen non negandum quod apud Hebræos hæc familia *Abthines* multum celebretur, eo quod in præparando suffitu, omnes alios antecelleret, in hanc rem memorabilis & jucunda est historia, quæ habetur in *Talmude Babylonico ad vers.* XI. *c.* III. *Cod. Jom.* quam propterea non pigebit enarrare, ita autem *Gemara* nos ibi docet: *Docent Rabbini, eos qui erant ex familia Abthines fuisse expertos in opere suffitus, sed noluisse docere: Quapropter miserunt Sapientes & adduci curarunt artifices ex Alexandria Ægyptiorum, qui æque ac illi sciebant præparare suffitum, sed nesciebant efficere, ut fumus recta adscenderet æque ac illi, istorum suffitus faciebat columnam & adscendebat instar baculi recti, horum autem diffindebat se hinc inde, quod ubi intellexerunt sapientes, dixerunt, omne quod creavit Deus, ad honorem suum condidit, secundum illud quod dicitur* Prov. XVI. *reversa est domus Abthines ad locum suum &c.*

[13] *Juramentum*) Postquam Sacerdotem Magnum in domum Abthines deportassent, juramentum ab eo de suffimento adolendo exigebant. Saducæorum hæresis hanc primo consuetudinem induxit, dicebant enim Saducæi, suffire extra velum, deinde intrare oportere, quod contra apertam sacri textus authoritatem *Levit.* XVI. 12. 13. affirmabant. Sacramentum igitur a Sacerdote Magno Sacerdotes seniores deposcebant, ne forte Saducæus esset, & eorum more adoleret. *Gemara* Hierosolymitana: Adjurabant eum propter Saducæos, qui dicebant, suffiet extra, & adytum intrabit. Vid. differt. Cl. *M. Daniel. Weymar. de suffit. Aromat.* §. 8. *cap.* 11.

[14] *Pridie*) Codex Joma legit cap. 1. ערב יום הכפורים Vespera diei expiationis. Vespera hæc pridie diei expiationis erat, die scil. nono, dies autem expiationis erat dies decimus. Dicitur autem vespera diei expiationis, quia pridie diei expiationis ante occasum solis jejunium inchoabant, ita ut tota vespera ad Sabbathum pertineret; & ex hoc reconciliari possunt duo illa mandata de die expiationis celebrando, quæ videntur inter se pugnare: Locis enim *Levit.* XVI. & *Num.* XXIX. mandavit Deus, ut diem expiationis decima mensis observarent, at *Levit.* XXXIII. 32. mandavit ut nona mensis eundem celebrent, ex hoc, inquam, pugna hæc dirimi potest, jejunium enim totusque diei cultus decima mensis absolvebatur: nonam tamen quodammodo celebrasse videantur, quia ante occasum solis incipiebant jejunare. vid. *Menass. Ben Israel ad Levit. quæst.* 4.

[15] *Religiosa sortitio*) Hic multa notanda erunt, quia autor noster duobus vocabulis multa comprehendit, quæ explicatione opus habent, & (1) quidem disquiritur de personis, quæ sortem jecerunt, quas Scriptura nominat, *Aaronem* scil. Pontificem, cui *Talmudici* alios principes sacerdotum adjungunt, unum a latere dextro, alterum a sinistro. Sic enim in *tracta. in Jom. c.* III. vid. plur. Rever. *Martin. Maurit. tract. de sort. veter. Hebr. edit. Basil.* 1692. *cap.* XXII. §. 3. *pag.* 282. (2) Observanda sunt instrumenta sortitionis hujus sacræ quæ erant *urna* & *sortes*. Una Hebræis vocatur קלפי. vid. *Joann. Frischmuth. dissert.* 1. *de hirco emissario* §. 1. *edit. Jenens.* cui consentit *Mischn. tract. Jom.* קלפי generaliter vas omne significat, in quod sortes conjiciuntur. *Aquinas* קלפי *arcam* vocat. Græca dictio Κάλπη & Κάλπις urnam significat, cui sortes injicere solebant. In *Lexico Talmudic.* vertitur hæc vox *arcula*, pyxis. *R. Moses Maimon. Perush hammischn.* exponit vas ligneum concavum. De materia & capacitate ejus disputant in *Gemara* Jom. *fol.* 39. 1. & dicunt capacitatem duarum manuum fuisse, uti citatus celeb. *Mauritii. pag.* 283. ex *Gemara* recenset, ubi simul errorem in Lexic. Talmud. scriptum, exposuit. Quod ad sortes attinet, illæ primo ligneæ, deinde aureæ erant, uti *Talmudici* tradunt. Legimus de his in *Joma. c.* III. In illa urna duæ erant sortes ex asceroa, cedro & buxo. Filius *Gamla* autem fecit eas ex auro, quod cum laude de eo prædicabant. Confer. *Mauritii elegans tract. de sortitionibus Hebr. pag. m.* 285. 286. Has sortes Pontifex in urna agitabat uti *Cod. Jom. cap.* IV. & *Scheringham in notis pag. m.* 41. fuse ostendunt. Conf. *Johan. Frischmuth. dissert.* 1. *de hirco emissar.* §. 2. Locum ubi sortitio hæc facta refert *Maimonid. in* Jad. *Chass. part.* 3. *Hilc.* Jom. *Hakkip. c.* III. §. 2. vid. *cit. Maurit. pag.* 287.

[16] *Hazazel*) Sequitur hic Cunæus noster communem Hebræorum sententiam, qua statuunt, hircum in maximæ altitudinis montem fuisse eductum, atque eundem voce עזאזל significari persuasum habent. Ita enim R. *Bechai* fol. 138. col. 4. com. in *Levit.* XVI. cujus verba latine recensuit Cl. *Frischmuth* in *dissert. de hirco emissario* §. 17. *edit.* Jen. Secundum sensum literalem vox עזאזל idem notat ac difficile, ex significatione verbi עזז. Fuit enim mons altus & rupes eo significatu, quo scriptum est ארץ גזרה Terra abscissa: Atque in libro תורת כהנים invenimus, quod omnium montium altissimus fuerit. Sane præter R. *Salom.* R. Jon. R. Lipman. R. Arama R. Geson. & alii ita interpretantur. Arabs in Opere Anglicano reddit: *in monte Asasa.* R. *Aben-Ezra* in Comment. montis quoque mentionem facit. Etsi vero R. *David Kimchi* a vero non aberrat, dum ex duabus vocibus compositum dicit; attamen in eo hallucinatur & alii Hebræorum, qui vocem עזאזל significare ajunt לקשה הורך. Scribit enim ita: Ita vocatur mons ille in quem caper ille abiit. Ex Christianis similiter *Oleaster*, *Vatablus*, *Schindlerus* aliique secuti *Kimchium* de monte interpretantur, quam sententiam etiam *Cunæus* amplexus est. Verum cum in textu authentico nullum habeant fundamentum Hebræi, Christiani vero Judæos secuti id largiantur, non Dei mandatum, sed Rabbinorum statutum fuisse ut hircus emissarius de rupe detruderetur; nempe ne, si rediret e deserto vivus, tristia præsagiret. Rectius itaque facimus, si עזאזל caprum emissarium dicamus non montem altum, ut bene observarunt. *Johannes Frischmuth. in dissertat.* 1. *de hirco emissar.* Cl. M. *Nicolaus Mollerus in diss. de ritib. fest. expiationis. pag. m.* 19. 20. 21.

[17] *Præceps rueret*) Meminerunt sane Judæi ex traditione sua loci alicujus צוק dicti, e quo dejectus fuerit hircus a viro, qui eum adduxit: Præcipitavit inquit *Mischna* ipsum hircum. Quamvis vero R. *Obad. de Bartenora* scribat: כל הר נבוה תקיף קרוי צוק omnis altus mons vocatur Zuck; R. tamen Maimonid. locum aliquem certum designans, pro nomine proprio habere vocem illam videtur, dum Comment. in h. l. ait: inter Hierosolymam & locum illum Zuck dictum duodecim erant milliaria, quæ nonaginta stadia conficiunt. Verum cum de præcipitatione nullum Dei mandatum, nec præceptum habeamus, statutum Rabbinicum fuisse asserimus.

[18] *Ab alienigena*) Ita Rabbini fingunt, quorum figmenta secutus *Cunæus* noster, qui ab alienigena deductionem factam asserit. Verum recepta in se peccatorum omnium mole eum abducere debebat איש *Vir*. Ad quam vocem R. *Maimonid.* in *Comment. ad Mischn.* monet: *Traditio est* quod Deus, quia voce איש usus est, indicare voluerit, etiam extraneum id perficere posse. Est sane vox איש generalis & de extraneo accipi potest, quia tamen de illo, qui intra castra recipiendus lotione opus habebat, sermo legislatoris est, Israelitam quoque potuit respexisse, saltem eum non exclusit, unde in *Mischna c.* VI. n. 3. hæc legimus: אמר רבי יוסי מעשה והוליכו ערסלא מצפורי: *Dixit R. Jose, factum esse, ut Arsela Zipporensis duceret, qui Israelita fuit.* R. tamen *Moses Kotzens.* ספר מצות גדול, *Hilkot Jom Hakkippurim fol.* 222. ita ex Mischna loquitur: Postquam super hirco est confessus, tradidit eum alicui, qui eum abduceret. Omnes erant apti ad educendum, Sacerdotes tamen sanxerunt, ne quis Israelitarum eum educeret, confer. *Joh. Henr. Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 187. plur. Rev. *Dassov. in Colleg. Manuscripto*. Erat quivis idoneus, nisi quod Sacerdotes illud non libenter Israelitis concederent. Dicitur vero non simpliciter איש sed etiam עתי. Quam vocem *Junius*, *commodus*, *Buxtorfius*, *tempestivus* reddidit Syrus ܓܒܪܐ ܕܡܛܝܒܐ Arabs مُعَدٌّ لَهُ paratus ad illum. LXX. ἕτιμος. Chald. גבר ד׳זמן למהך. Vir ad eundem paratus. Luth. der fürhanden ist.

[19] *De Tabernaculis*) Judæi decem Tabernacula in via exſtructa fuiſſe commemorant, in quibus illi, qui hircum comitarentur, pernoctarent. Nempe ut Miſchna ait vel ut Bartenor. explicat, מחשובי de nobilioribus Hieroſolymitanis quidam ad primum uſque tabernaculum *cum comitabantur*; inde alii ad ſecundum, alii inde ad tertium &c. quo ſe pridie diei expiationis contulerant. Quandoquidem vero illo feſto non niſi bis mille paſſus ire ipſis licebat, qui terminum Sabbathici itineris conſtituunt, factum, ajunt, ut, qui ultimo tabernaculo fuerant, non ſe conferrent cum hirco ad ipſnm Zuck, ſed e longinquo conſiſterent. Verum iterum hæc traditio Rabbinorum eſt, cum in Scriptura nil quicquam de his reperire licet.

[20] *Funiculum*) Occurrit in *Codic. Joma cap.* VI. *Num.* 6. hic ritus, ubi hæc leguntur verba: *Quid faciebat ille? nimirum*, qui hircum Emiſſarium ducebat, *linguam coccineam dividebat, dimidium ad rupem, dimidium inter cornua ejus alligabat, & impellebat eum retrorſum, & ipſe volvebatur & deſcendebat, nec ad medium montem pervenerat, antequam ſingula membra fracta erant*. Illa lingua coccinea non primo capiti hirci alligabatur cum in deſertum perveniſſet, hoc fiebat cum primo coram Deo, in atrio templi ſiſtebatur. Unde hæc legimus *Codic. Jom. cap.* IX. §. 2. ubi etiam memorari videtur, quod non tantum hirci Emiſſarii capiti, ſed etiam hirci mactandi, & cujus ſors erat ליהוה, illius inquam capiti lingua coccinea etiam alligabatur. Hæc enim ibi leguntur, quæ vir doctus ita reddidit: *Alligabat linguam coccineam ad caput hirci emiſſarii, & ſiſtebat ad eum locum ad quem erat emittendus, & alligabat linguam alteram ad cervicem hirci mactandi*. Sed revera quis dicere poſſet linguæ coccineæ capiti hirci mactandi alligandæ nullam hic fieri mentionem, nec ibi dici tali lingua coccinea ornatum fuiſſe hircum mactandum. Sed liuguam coccineam alligatam capiti hirci emiſſarii, & deinde Sacerdotem curaſſe, ut ambo hirci ſiſterentur, unus verſus locum ad quem dimitti debebat, alter verſus locum & domum mactationis. Quicquid ſit de iſta interpretatione, variavit alligatio illius linguæ coccineæ apud Hebræos; cum enim ritus iste ſit mera traditio & nullo Scripturæ fundamento innixus, non mirum, ſi de eo varia & non bene cohærentia inveniantur apud Judæos. Audiatur *Gemara* in locum *Miſch. Codic. Jom. c.* IV. Tradunt Rabbini, quod in principio alligabant linguam coccineam ad oſtium veſtibuli exterioris, ſi albeſceret lætabantur, ſi non albeſcebat, dolebant & contundebantur. Statuerunt ut alligarent eam ad oſtium veſtibuli interioris & tunc introſpiciebant. Si albeſcebat lætabantur, ſi non albeſcebant, dolebant & contundebantur. Statuerunt, ut dimidium ad rupem & dimidium inter illius cornua alligarent. Quis non videt variare hac in re opiniones Rabbinorum.

[21] *Colorem funiculi*) Coccineam particulam fuiſſe affirmant, coloremque rubrum exuiſſe, hirco in deſertum educto. Pro miraculo cap. VI Maſſechet Joma, recenſent Judæi: *Cum hircus ille in deſertum veniſſet, lingua illa albeſcebat, quia dictum eſt Eſai.* I. 18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, inſtar nivis albeſcent*. Hinc *Scholiaſtes Talmudicus fol.* 105. *en Iſrael.* Alligabant illam linguam hirco emiſſario, atque illa ſua ſponte albeſcebat, quod ſignum Iſraeli a Deo datum erat. Quin tempus quoque determinant, quo hoc ſingulare divinæ clementiæ & remiſſorum peccatorum ſignum ceſſaverit, nempe *fol.* 105. *col.* 3. ita legimus: *Tradiderunt Dd. noſtri, quadraginta annis ante excidium templi lingua coccinea non amplius albuit*. Quod cum *Hebr.* IX. convenire videtur, quo loco Apoſtolus aſſerit, Chriſtum per proprium ſanguinem in Sanctum Sanctorum ingreſſum & reconciliationem feciſſe. Unde magni nominis Viri non parum huic traditioni tribuunt, uti *Stephan. de Moyne in variis Miſcell. Sacr. pag. m.* 676. *edit. Lugd. Bat.* 1685. Aſt ſi accurate rem conſideramus fabulæ ſimilior, quam hiſtoriæ eſſe conjicimus, quippe *Joſephus* hujus rei nullam mentionem facit. Deinde doctiores Judæorum *Abarbanel & Kimchi* cum in hujus dicti Prophetici ſenſum inquirunt, ſilentio id prætereunt. vid. Cl. *Joh. Friſchmuth. diſſert. de hirco emiſſar.* I. §. 5. 6. ubi plura.

CAPUT SEPTIMUM.

Initiatio Pontificis duplex, & qualis. Quando altera ceſſaverit. Quando Pontifex ab juvenci mactatione, quam lex præſcripſit, immunis fuerit.

CONSECRATIO [1] Pontificis duas res præcipue habuit, veſtitum unctionemque. Sancitum enim a Numine fuit, uti, qui ſummum ſacerdotium geſturus eſſet, tunicis amiculiſque ſacris per ſeptem dies indueretur, atque oleo lineretur, [2] quod confectum [3] ad eam rem ratione quadam ſingulari erat. Talem Pontificem Talmudici מתרבה בגדים *auctum inauguratumque amictu*, & מתרבה משחה *auctum atque initiatum unctione* dixere. Ipſe autem actus ſolennis dictus ab illis eſt ריבוי בגדים ומשחה *acceſſio majeſtatis ex amiculis & unctione*. Sed enimvero, poſtquam ſacrum oleum periit, quod in priore templo conditum eſſe ab Joſia in ſpecu [4] quodam, & nunquam poſtea repertum ab Ezra aliiſve in poſteriore templo diximus, ab illa tempeſtate hercle Pontificum initiatio peracta ſine unctione [5] eſt. Satis enim fuit, ſolo veſtitu eos inaugurari. Veſtiendi autem modus [6] ejuſmodi fuit, qualem Talmudici deſcripſere in tractatu, qui Maſſechta Joma dicitur, in capite primo. Amicula octo erant, [7] quibus Pontifex per dies ſeptem continuos mane quidem induebatur, veſperi autem exuebatur; totidemque per dies fieri unctio ſolita fuit, antequam amiſſum oleum eſſet. In Maſſechta Horajot, in capite ultimo, traditum eſt, nullam fuiſſe differentiam inter pontificem, cujus conſecratio unctione fiebat, atque inter eum, qui ſolo amictu initiatus erat, niſi quod is, qui unctus eſſet, mactare Numini juvencum lege jubebatur, ſi ita deliquiſſet, ut unius culpa peccatum ab omnibus eſſet. Hac neceſſitate ſolutus fuit, qui ſine unguento erat veſtibus inauguratus: cæteris autem rebus omnibus ambo pares fuere. De juvenci mactatione quod obſervaruut Talmudici, erutum eſt ex Levitici capite IV. Summam vero eorum omnium, quæ ad initiationem pertinere diximus, complexus eſt illis verbis maximus Rabbinus Ægyptius in capite

IV. in Halacha Cele Hammikdaſch. ממנין כהן גדול הוא רשא לכל הכהנים ומושחין אותו בשמן המשחה ומלבישין אותו בגדי כהונה גדולה : ואם אין שם שמן המשחה מרבין אותו בגדי כהונה גדולה בלבד . כשם שמתרבה בשמן המשחה כך מתרבה בבגדים : כיצד מרבים אותו בבגדים . לובש שמנה בגדים ופושטן וחוזר ולובשן למחר שבעה ימים יום אחר יום וכשם שריבוי בגדים שבעת כך משיחה בשמן שבעה יום אחר יום : Sequitur dein illud, paucis interjectis, אין בין כהן משוח בשמן המשחה למרובה בגדי' אלא פר שמביא כהן המשוח אם שגג באחד מן המצו' שחייב עליהן חטא . Non libet nobis, hæc vertendo, tempus atque operam conterere, propterea quod eorum ſententia jam relata a nobis abunde ſupra eſt.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

1 *Conſecratio*) *Cunæus* noſter hoc loco duo tantum requirit ad conſecrationem ſeu inaugurationem Pontificis contra expreſſam Scripturæ literam. Plura enim, ſi S. Scripturam perluſtramus, requirebantur, ſi ſcil. primam inaugurationem *Aaronis* aſpicimus, ubi (1) requirebatur *Sacer locus*, ſcil. Orientalis atrii pars, qua ingreſſus patebat Tabernaculi. *Exod.* XXIX. 4. *Levit.* IX. 6. (2) *Lotio*. Comparandi erant ad ſolennem illam inaugurationem lotione aquæ. *Exod.* XXX. *conſ. Ainſworth. in h. l. D. Quenſted. Antiq. bibl. pag m.* 49. *Num.* VII. (3) *Veſtium Sacrarum induitio*. *Exod.* XXVIII. 41. *cap.* XXIX. 5. *Levit.* VIII. ubi inveſtitura Aaronis & filiorum ejus deſcribitur. Conf. *Quenſted. pag.* 50. (4) *Unctio*, quæ fiebat oleo ſacro *Exod.* XXX. 7. (5) Victimarum immolatio, qua Pontificis & Sacerdotum conſecratio complebatur. Quando autem conſecrationem Pontificis ſub templo primo intelligit, *duobus* inaugurabatur, *unctione* ſcil. & *veſtium induitione*. vid. *Quenſted Antiq. Bibl. pag.* 56.

2 *Oleo lineretur*) De oleo unctionis integrum tractatum ex Hebræorum antiquitate tum biblica, tum Talmudico-Rabbin. edidit D. *Balthaſar Scheid. Anno.* 1665. Varia ex aliis autoribus ad illuſtranda hæc congeſſit *Johan. Henric. Urſin. lib.* 3. *hort. aromat. c.* V. *pag.* 212. *ſeqq.*

3 *Quod confectum*) Cum variæ aromatum ſpecies ad oleum hoc requirerentur, modo certo conficiebatur. Quinque autem commemorantur ſpecies : de quibus fuſe egerunt, celeber. D. *Carpzov. in not. ad* משפט המלך *pag. m.* 64. *Henric. Ainſworth. comment. in Exod. XXX. fol.* 129. *edit. Londin. Cl. Zoega. Zigra de unction. Pont. Cl. Weymar. in diſſert. de unct. Pontiſ.* quos benevolus Lector evolvere velit. De modo conficiendi loquitur Scriptura duabus voculis מעשה רקח, quod confectum ſit *opere pigmentarii* nach der Apothecker kunſt. Angl. reddit : *Apothecarie or compounder of ointments*. addit *Ainſworth.* l. c. *Such in the ages following were of Prieſts Sonnes* 1. *Chron.* 9. De hoc tamen in *Talmude* ſæpius R. *Jehud.* & R. *Joſe* curioſi admodum ſunt & ſequenti modo inter ſe diſceptant : Tradiderunt Rabbini noſtri de oleo unctionis, quod elixarint radicalia, hæc ſunt verba R. Jehudæ. Dixit ei R. Joſe: Certe ad unguentum radicalia tantum ipſum oleum olivæ non ſufficiens fuiſſet ; quomodo igitur factum eſt ? aſſumſerunt radicalia, & elixarunt in aquis; poſtea vero ſuper illa inſtillarunt oleum, ut reciperet odorem, tuncque ſuſtulerunt. Huic tamen ſententiæ contradicit *Jehuda*, ad quam reſpondet R. Joſe, quorum verba adducta leguntur in diſſert. *Cl. Weymari Fautoris noſtri magni* §. 5. Rambam vero *Hal. Kele* Hammikdash. c. 1. v. 2. ſpecialius hunc modum deſcribit, cujus verba Anglice adduxit *Ainſworth. Comment.* in *Exod.* XXX. *fol. m.* 129. *Accipit de tribus* (rectius de duabus ſpeciebus) 500. *ſiclos & de Calamo & Cinnamomo* 250. *atque contundit ſingula ſeorſim ; deinde miſcet omnia, & macerat in aquis puris ac dulcibus, donec extrahatur omnis virtus illorum, poſtea affundit ſuper aquas olei olivæ Hin, quæ menſura duodecim Logos facit & coquit ſimul ad ignem, uſque dum exhalent aquæ & remaneat unguentum idque aſſervat in vaſe ad poſteritatem.* Oleum itaque hoc *Bezaleel* confecit, uti *celeb. D. Carpzov. in not. ad* משפט המלך *pag. m.* 68. *edit. Lipſ.* affirmat.

4 *Ab Joſia in ſpecu*) Rabbinorum ſententia erronea eſt, licet plurimi hoc ſtatuant: Sic *Maſſech. Jom. cap.* V. *Maſſech. Horajoth. Maſſech. Schekalim c.* VI. *fol.* 9. *col.* 4. *Edit. Venet.* qui omnes uno quaſi ore confitentur *Joſiam* oleum unctionis in ſpecu abſcondidiſſe. Expreſſe *Abarbanel* citante *celeb. Friſchmuth.* de oleo unctionis agit in *commentario ſuper Thorah ad Paraſh.* vid. diſſ. *quo arca fœderis pervenerit? pag. m.* 14. *edit. Jenenſ.* Verum neceſſitas nulla cogit, ut affirmemus hanc Rabbinorum ſententiam ex tripode quaſi dictam eſſe, cum plane argumenta fundamento lubrico nitantur ; nec quicquam e loco 2. *Chron.* XXXV. probari poſſe de ſpecu oſtendit prælaudatus *Friſchmuth*, qui in ſequentibus §. opiniones lubricas examinavit & plane rejecit.

5. *Sine unctione*) Quia ob defectum olei unctionis, Unctio inauguralis fieri non poterat, veſtibus tantum Pontificalibus inauguratio peragebatur. Sic docet *Gloſſa Talmud. in tit.* מגלה. *Veſtitu inſignes ſunt Pontifices, qui in templo ſecundo miniſtrarunt & etiam in primo ante mortem Joſiæ & poſtea ; quoniam abſconditus eſt Lecythus olei unctionis.* Et *Maimonid. Kel. Mikd. l.* 11. בבית שני שלא היה שם שמן המשחה היה כהן גדול מתרבה בלבישת בגדים בלבד שהיה לובש בגדי כהונה גדולה : id eſt *In domo ſecunda, quoniam ibi non fuit oleum ſacrum, Sacerdos magnus inaugurabatur veſtibus tantum, debebat enim veſtiri veſtibus Sacerdotis magni.* Hucque maxime ſpectat, quod in *Gloſſa Talmudic. ad tit.* מכות *cap.* 3. *pag.* 11. legitur : *Sacerdos M. alius fuit unctus oleo unctionis, ſicuti ſunt omnes Sacerdotes magni, qui vixerunt ante tempora Joſiæ. Et alius Sacerdos Magnus fuit inſignis veſtitu ; Atque ſunt, qui miniſtrarunt a tempore Joſiæ & deinceps. Quoniam abſconderunt oleum unctionis, uti dictum eſt in Horajoth cap.* 3. *p.* 2. *Et amplius non uncti ſunt Sacerdotes, neque adjudicari poterat Sacerdos Magnus, niſi ex pluralitate veſtium, miniſtrans enim octo veſtibus indutus.* Hinc *Jonathan Haſmonæus* Pontifex deſignatus, Archieraticam ſtolam ſeu habitum Pontificium induit in feſto σκηνοπηγίας ſeu Tabernaculorum, conſecrationis ſuæ ritu uſus, ut habetur 1. *Machab.* X. 21. & apud *Joſeph. lib.* XIII. *Antiquit. cap.* 5. Ac cum *Agrippa* Rex Pontificatum denuo *Jonathæ Anani* F. reddere volebat, ἅπαξ inquit ille renuens, ſemel mihi ſacrum illum amictum ſumſiſſe ſatis eſt.

6 *Veſtiendi modus*) Hunc optime deſcripſerunt *celeber. Braunius in tract. erudito de veſtitu Sacerdotum Hebr. edit. Amſtelod.* 1680. *pag. m.* 821. *ſeq. lib. II. c.* XXIII. Cl. *Joh. Friſchmuth. in diſſert. de re veſtiar. Summi Pontiſ. Jen. habita* 1669. *Scheringham. in not. ad Cod.* Jom. *cap.* 7. *pag. m.* 87. *edit. Franequer. D. Quenſted. in antiquit. Bibl.*

7 *Octo erant*) *Legimus in codice* Joma *cap.* 3. §. 4. Sacerdotes adduxiſſe veſtes aureas, ubi ex mente Scheringhamii in *notis pag. m.* 28. octo veſtes aureæ intelliguntur. Et *cap.* 7. *pag.* 85. §. 5. dicitur : Sacerdos Magnus in octo veſtibus miniſtravit, intellige de miniſteriis in Sanctuario peractis, uti refert *Johan. Henric. Otho in Lexico Rabbino-Philolog. pag. m.* 544. *edit. Genev.* Unde *R. Levi Barſel. in Paraſ. Tſav.* ſcribit : Et in omnibus octo miniſterium obiit, quod exterius peragebatur, quod vero interius præſtitit, non niſi lineis veſtibus peractum eſt : (vid. *celeb. Braun. de veſtit. Sacerdot. lib. II.*) & poſtquam in illis uno die expiationis adminiſtraſſet, nunquam

iterum

iterum in illis ministravit. Octo hæ vestes, quibus Summus Sacerdos ordinarie Sacris interfuit, vocantur aureæ, non quod singulis aurum intextum esset, sed quod cæteris ornatiores & splendidiores fuerint. Vid. *Godwin. de ritibus* Judaic. *lib.* I. *cap.* 5. *Frischmuth de re vest. Pontif.* Hinc *Maimonid. in Hil. Kele Hammikdash cap.* 8. *Vestes aureæ vestes sunt Sacerdotis M. & ipsæ octo sunt, quatuor communes gregario Sacerdoti &c.*

CAPUT OCTAVUM.

Sacerdotum stationes & ἐφημερίαι. *Qui judicaverint de vitiis sacerdotum. Damnati sacerdotes qua conditione fuerint. Lignile. Antigoni in Hyrcanum facinus.*

CUM hactenus de Pontifice maximo, qui sacerdotum princeps erat, diximus, plane fieri in tanta rerum vicinitate nequiit, quin multa attingeremus quoque, quæ ad ipsos sacerdotes, atque ad munia eorum pertinent. Quæ profecto iterare nunc propositum nobis non est. Fuere sacerdotes ex Levitis selecti, uti oblationes & sacrificia facerent: eorumque erant VIII. stationes a Mose [1] constitutæ: e quibus quatuor ab Eleazare, totidemque ab Ithamaro gentem suam deduxere. Postea summus rex David [2] stationes hujusmodi viginti & quatuor fecit, ut ex Eleazari posteritate sexdecim, ex Ithamari octo essent: quas omnes Flavius Josephus incolumes [3] usque ad Jerosolymæ eversionem fuisse prodit, nunquam ut permixta earum successio sit. Quod tamen verum est, si ab Encæniis Machabæi [4] per insequentia tempora retro descenderis. Atque id profecto vel sic etiam incredibile ferme est in tanta rerum Judaicarum sursum ac deorsum euntium mutatione. Sed penes autorem fides esto. Istæ viginti quatuor classes per vices suas singulæ Jerosolymam veniebant, & in templo hebdomadam unam [5] sacris operabantur. Itaque post centesimum & sexagesimum octavum diem cuique stationi suus ordo rebibat: nisi quod per tria celeberrima festa, quæ Judæi רגלים appellant, fas fuit omnibus stationibus simul in templo sacra obire, illa præscriptione, ut votivas spontaneasque hostias, & jugia sacrificia ii duntaxat curarent, quorum functio tunc in orbem recurrebat. Hæ sunt stationes illæ, quas D. Lucas, de Zacharia cum loquitur, ἐφημερίας [6] appellat. Quæ omnia divine pertractavit vir illustris Josephus Scaliger in Isagogicis Canonibus, quos in Eusebium publicavit. Itaque in his operam non ponemus. Multo enim satius nobis est illa exequi potissimum, quæ prætermissa ab aliis, aut certe tradita incuriose sunt: idque jam secuti ab initio sumus. In tractatu Talmudico, quem Massechta Middoth appellant, traditum est, potestatem & jurisdictionem senatorum, qui adscripti in magnum synedrium erant, sitam præcipue in hoc fuisse, quod in parte templi, quæ Gazith dicta est, judices de sacerdotibus [7] sedebant, quibus familiæ & generis mota controversia est: qui, siquidem causa cecidissent, vestibus induti nigris, atque exauctorati, cum ignominia ex atrio excessere: sin vicissent, albati [8] per hominum ora se extulerunt, atque e vestigio munus sacrum cum collegis administrarunt. In capite secundo ejusdem tractatus Talmudici scriptum est, cognovisse etiam eosdem senatores de vitiis, moribusque, queis adfecti sacerdotes, tanquam mali ominis res, ex legis edicto reprobabantur. Ii damnati, deinceps in parte templi degebant, quæ לשכת העצים [10] dicta est, quasi tu *lignile* appelles; atque illic ligna findebant, quæ in altari struerentur. Etsi autem mulctati sacerdotio erant, tamen nihilominus illis jus fuit cum sacerdotibus ejus stationis, in qua ipsi fuerant, adhuc de sacris epulari. Atque id proditum etiam a Flavio Josepho est, in libro V. ἁλώσεως, in capite XV. Porro, quæ ex Talmud * jam diximus, relata etiam a Maimonide sunt iis verbis, quæ subjecimus. בית דין הגדול היו יושבין בלשכת הגזית ועיקר מעשיהם התדיר שהיו יושבין ודנין את הכהונה ובודקין הכהנים ביוחסין ובמומים : כל כהן שנמצא פסול בייחוסו לובש שחורים ומתעטף שחורים ויוצא מן העזרה : וכל מי שנמצא שלם וכשר לובש לבנים ונכנס ומשמש עם אחיו הכהנים : מי שנמצא כשר בייחוסו ונמצא בו מום יושב בלשכת העצים ומתלע עצים למערכה וחולק בקדשים עם אנשי בית אב שלו ואוכל : Horum sententia plana ex supra dictis est, ut opus versione non sit. Neque vero sacerdotes solos, sed etiam pontifices corpore esse integerrimo lex jussit. Utique apud Flavium Antigonus Hyrcanum captum utrisque auribus truncat. [11] Ita provisum abunde fuit, ne fungi in posterum sacratissimo honore posset: atque id monere eum amici non destiterunt, cum ex Parthia Judæam stolido consilio repetebat, ut illic Herodis ope pristinum teneret statum dignitatis. Res poscere videbatur, ut diceremus, quæ

* *In Hal. Biath Hammikdasch cap. 6.*

quæ jura connubiorum poſita ſacerdotibus ſint, deque ſortitione, [12] quæ ſingulis munia functionis ſuæ quotidie, viceſque aſſignabat: tum, quibus gradibus diſtincti fuerint, ut alii קתיקולין, pars אמורכלין, quidam גזברין dicerentur, cæteri autem numerus & plebs eſſent: ſed hæc, cum de Pontifice ageremus, indicata a nobis in tranſcurſu ſunt. Atque etiam illic de indumentis quatuor diximus, quæ communia illis cum Pontifice maximo erant. Propria enim non habuere. Quare hæc omittimus.

NOTÆ AD CAPUT OCTATUM.

[1] *Octo a Moſe*) Ita Rabbini & cum illis multi Chriſtianorum Doctorum, uti *Johan. Herinc. Otho in Lexico-Philolog. pag. m.* 533. affirmat. Recepta eſt opinio, inquit, ordines Sacerdotum primum a Moſe conſtitutos ipſumque quatuor ſumſiſſe ex filiis Eleazaris & quatuor ex proſapia Ithamaris. Cui adſtipulantur D. *Quenſted. in antiq. bibl. pag. m.* 39. Hos ſecutus *Cunæus* noſter. Fuſius hæc tractat Cl. *Johann. Selden. de ſucceſſ. in Pontiſ. l.* 1. *c.* 1. ubi adducit, quoſdam tradere, Moſen in Octo, alios in ſedecim, ut ſingulæ familiæ diſtribuerentur, diviſiſſe. Sed plures ſunt qui in octo ſtatuunt: Diverſimode rem enarrant *Talmudici in Taanith. ſ.* 27. 1. *Rabh* dicebat, Moſen Iſraelitis ordinaſſe octo cuſtodias. Sed ſtatim illa traditio aliter recenſetur. In hac igitur Rabbinorum ambiguitate pro certo quid affirmare non poſſumus, cum Scriptura taceat. vid. plur. *Rev. D. Maii diſſert. de Ephemer, pag.* 9. §. 6. Conf. celeb. *Mauritii tr. de Sort. p.* 297.

[2] *David.* XXIV.) Liquidior res eſt diſtributio claſſium ſacrarum a *Davide* facta, utpote ſatis aperte in hiſtoria S. conſignata 1. *Paral.* XXXIV. XXV. 4. 5. Succincte etiam *Carol. Sigonius de Republ. Hebr. lib.* V. *c.* III. totam rem complectitur. vide vero ſi plura petis *Selden. l. c. celeber. D. Wagenſeil. Sot. pag.* 944. *D. Quenſted. in antiq. bibl. pag. m.* 39. *Lightfoot. hor. Talmud.* & *celeb. D. Majum*. Hic ordo a Davide conſtitutus permanſit ad tempora combuſti templi primi per ſecula quatuor & dimidium. vid. Cl. *Mauritii tract. de Sortit. Veter. Hebr. pag.* 278.

[3] *Incolumes*) Sunt qui dicant *claſſes* has incolumes manſiſſe uti *Joſephus*, licet numerus a Davide inſtitutus in captivitate Babylonica ruptus eſſet, veluti doctus *Ligtfoot ex Talmud. Hier. Thoſaphot ad Taanith.* refert; attamen ab *Eſra* numerum hunc reſtitutum. Qui dicunt Eſram hoc præſtitiſſe, ut omnes ordines ſcundum nomina & numeros ſuos ad priſtinas familias & claſſes redierint, producunt potiſſimum locum *Luc.* 1. 5. ubi *Zacharias* ex ordine & claſſe *Abiæ* dicitur fuiſſe, quæ octava. Confer. 1. *Paral.* XXIV. 2. *Paral.* XXIII. 8. *Eſr.* VI. *Nehem.* XII. ubi ordinem a *Moſe* & *Davide* reſtauratum legimus. Accedit teſtimonium *Joſephi* qui *l.* VII. *c.* II. expreſſe ait: ϗ διέμενεν ὗτος ὁ μερισμος ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας, &c. diſtributionem a Davide factam intelligens; Idem *Joſephus* alibi meminit familiæ ſeu claſſis Jojaribh omnium ut vidimus primæ: nam in vita ſua ſe oriundum gloriatur ex familia omnium præcipua & prima: Similiter *lib.* XII. *antiq. c.* VII. *ex* Jojaribh ſcribit fuiſſe *Mathatiam*, Aſſamonæi nepotem, quod & *lib.* I. *Maccab. cap.* II. 1. *cap.* XIV. 29. legitur. Talmudici quoque templi primi & ſecundi vaſtationem contigiſſe ſcribunt, cum claſſis *Jojaribh* adminiſtraret. Quibus veſtigiis inſiſtentes *Joſeph. Scaliger*, *Carol. Sigon.* & clariſſimi alii viri, eundem ordinem fuiſſe ἐφημερίδαν templi ſecundi aſſeverant, & celeb. *D. Wagenſeil. in Sota* hoc tanquam certum poſitum ſibi ſumit, non falli Scaligerum & Calviſium, claſſes ſacras ita ſtatuendo, ut inde ceu ex principio liquido ad tempus nativitatis ſalvificæ concludant. Vid. etiam *Druſ. ad Luc.* I.

[4] *Ab Encæniis Macchabæi*) Huic ſententiæ allatæ non ſuffragatur hoc loco *Cunæus* in verbis adductis. In quibus *Cunæus* de nunquam interrupto ſucceſſionis & adminiſtrationis ordine dubitat, non negat ordinem ipſum XXIV. claſſium a *Davide* conſtitutum ab Eſra autem reſtitutum. *Clariſſ. Selden.* ordinem eundem in iiſdem familiis, templi ſecundi temporibus permanſiſſe adeo negat, ut miretur id aſſerentium cnnfidentiam *lib.* 1. *de ſucceſſ. in Pontiſ. c.* 1. & XI. Confirmat ſuam ſententiam ex *Nehem.* XI. 10. & XII. 1. luculentius firmat ex *Talmud. Hioroſolym.* Fatemur quidem, ſi *Eſræ* & *Nehemiæ* capita diligentius inveſtigentur, non omnes familias XXIV. adſcendiſſe e Babylone, nec omnes potuiſſe tuto aſſerere, ex quanam familia originem trahant; ſed primitus modo quatuor familiæ reduces acceſſerunt. Hæ cum iis omnibus, qui ſimul adſcenderunt in XXIV. claſſes diſponebantur, quæ recenſentur *Nehem.* XII. Verum hi quidem fuerint Principes & capita familiarum Sacerdotalium, ſed non nomina claſſium ſeu ordinum XXIV. quæ ἐφημερίαι diccuntur, quia *Paſchur*, *Charim*, & *Immer* hic prorſus non memorantur, quæ tamen familiarum ſacrarum primariæ ſecundum *Talmud.* Jedajah contra bis extat. Cum ergo in Sacra hiſtoria non exprimantur ordines XXIV. ſuis nominibus, aliunde, ſi poteſt fieri, illi erunt eruendi & nominibus certis notandi: quod vix niſi a *Talmude* ſperandum: In utroque autem Babylonico & Hieroſolymitano unanimiter refertur, claſſes Sacerdotales *Eſræ* tempore primo conſtitiſſe ex quatuor Principibus *Jedajah*, *Charim*, *Paſchur* & *Immer* deinde ex ſe feciſſe XXIV. claſſes, ſic *Talm. Bab. in Taanith.* f. 27. 1. 2. & *Erach. ſol.* 12. 2. de modo & ratione videndi ſunt *Cl. Lightfoot.* & *Mauritii de Sort. vet. Hebr. pag.* 306. celeb. *D. Maii diſſert. de Ephemer. pag.* 32. 33. Et ut brevibus nos expediamus, dicimus: *Eſram* ordinem XXIV. claſſium ad exemplum claſſium Davidis innovaſſe, ita, ut quamvis neſciret, qui Sacerdotes reduces ex captivitate, & ad quam claſſem veterem pertinerent, retinuiſſe autem & numerum & nomina & ordinem veterum claſſium, uti pluribus demonſtrarunt celeb. D. *Majus*, *Mauritius*, *Lightfoot*, & inter hos maxime celeberrimus *Wagenſeil. in Sota*. Ex quibus colligimus claſſem Jehojaribh templi primi fuiſſe eandem, quæ templi ſecundi ſaltem nominetenus; quod ex eo magis firmatur, quia Joſephus atteſtatur, hanc diſtributionem a Davide factam permanſiſſe ad ſua uſque i. e. templi ſecundi vaſtati tempora.

[5] *Hebdomadam unam*) Cum claſſes fuerint XXIV. & quælibet ſemper ſeptimanam unam, a Sabbatho ad Sabbathum adminiſtrarit, teſte *Maimonid. in Hil. Kel. Hammikdaſch cap.* IV. §. 4. Adſcendebant Hieroſolyma ad miniſterium ſacrum claſſes ſingulæ Sabbathis ſingulis: a die Sabbathi ad diem Sabbathi permutabant vices ſuas, ita ut una ἐφημερία functione ſua peracta, exiret, & ſequens eam ordine ingrederetur: donec in orbem redierit totus ſacer ordo; tot ergo hebdomades ponendæ ſunt, quot erant claſſes Sacerdotum. Ita ut poſt CLXVIII. dies vel XXIV. ſeptimanas cuique ſtationi ſuus ordo rediret. vid. Cl. D. *Quenſted. in antiq. Bibl. pag.* 40. *D. Maii diſſert. de Ephemer. pag.* 40. & *pag.* 36. ubi fuſe.

[6] *ἐφημερίας appellat*) Notum eſt Ephemeriam origine Græcam eſſe, ortam a particula ἐπὶ inflexa ob ſequentem in voce ἡμέρα vocalem & Spiritum aſperum, in ἐφ & ἡμέρα dies, & ſic vi vocis nihil aliud ſignificat, quam id quod fit in die. Hinc Ἐφημέριος unicum diem durans, a quo ἐφήμερος quotidianus, unde ἐφημέροι unius diei homines. Et ἐφημερία quod notante Eraſmo idem ac certa & præſcripta claſſis. Sic & hoc loco voce ἐφημερία ſignificantur vices & claſſes, non quidem ſtricte unius diei, ſed totius ſeptimanæ. Erudite itaque de hac voce egerunt plur. *Rev. D. Majus in ſæpe laudata diſſert. de Ephemer. pag.* 5. 6. 7. *Quenſted. antiq. bibl. pag.* 40. *conſ. Sigon. not.* quos evolvere autores velit Lector, qui plura ſcire de hac re cupit.

7 *Ju-*

7 *Judices de Sacerdotibus*) Modus inaugurationis & admissionis Sacerdotum ad omnes partes cultus talis erat. Synedrium Magnum singulis diebus sedens in conclavi Gazith judicabat de Sacerdotibus, qui ad legitimam ætatem pertigerant, an ex legitima prosapia, & ita an admittendi ad cultum essent nec ne. (Nam nemo rite Sacerdotio fungi poterat, nisi *Aarone* ortus. Alii omnes hoc in munere a Judæis זרים extranei dici solent.) Si probarunt, se legitime natos esse, (de Sacerdotum matribus legitimis vid. *Kiddufchin c.* 4. 5. Generalem de illis hunc habuerunt Canonem: Ne inquiratur ulterius, si pater ejus conscriptus fuit in Catalogo Jaschanæ Zipporiensis: ille Jaschana enim accuratam Genealogiam conscripserat.) Si aliquis perfecte non poterat probare, se ex stirpe Sacerdotali natum esse, induebatur vestimento nigro & obvolvebatur velo nigro & ita pullatus dimittebatur, nec unquam reverti poterat. vid. *Braun. de vestit. Sacerdot. Hebr. lib.* 2. *cap.* XXVI. *pag.* 901. Hinc generis totius Sacerdotalis census aliquoties habiti. *Ezr.* II. 61. 62. 63. Hinc, quod docet *Moses Ægyptius in Biath Hammikdasch c.* XXVI. cujusque familia explorata, priusquam in Sacerdotium cooptaretur. Verba ejus latina recenset *Outram. in lib. de Sacrif. pag. m.* 62. *edit. Amstel.* hoc modo: *Senatus Magnus in Conclavi lapidum cæsorum sedet, idque negotii, præsertim quotidiani, habet, ut de Sacerdotum familiis vitiisque judicet. Sacerdos quisque, cujus familia a Sacerdotio aliena reperta est, pullam sibi vestem induens, pulloque velo caput obnubens, e Sanctuario mox egreditur.*

8 *Albati*) Eadem confirmat *Moses Ægyptius l. c.* his verbis: Cujus autem & familia legitima & corpus integrum judicatur, is, albas continuo vestes induens, abit, & cum fratribus suis ejusdem familiæ Sacerdotibus, ministrat. conf. celeb. *Braun. de vestit. Sacerd. Hebr. lib.* II. *cap.* XXVI. *pag.* 901. *Johann. Henric. Otho in Lexic. Rabbino-Philolog. pag.* 534. 535. *edit. Genev. Henric. Ainsworth. Comment. in Levit.* XXI. ℣. 24. *fol.* 130. *edit. Londin.*

9 *De vitiis morbisque*) Explicite in S. Scriptura *Levit.* XXI. 17. asseritur, quod Sacerdos vitio notatus non potuerit fungi Sacerdotio. Pro vitiis autem in Sacerdotio apud Judæos haberi solent non hoc solummodo, quæ hac in lege enumerantur, sed & alia his similia, qualia *Maimonides in Biath Hammikdasch. c.* VIII. centum & quadraginta numerat. conf. D. *Quenfted. Antiq. Bibl. pag. m.* 33. *seq. Ainsworth. comment. in Levit.* XXI. *fol.* 128. 129. *edit. Londin.* Quæ vero in lege exponuntur, reliquorum exempla fuisse statuunt, quemadmodum idem Maimonides docuit *tr. cit. c.* VI. Sacerdotes vitiant non tantum maculæ in lege scriptæ, sed & aliæ quæcunque in corpore apparent. Quia dictum est in lege *Levit.* XXI. 22. Omnis qui habuerit maculam. Maculæ autem in lege expositæ pro reliquarum exemplis proponuntur.

10 לשכת העצים) Qui vero sufficienter probassent lgitimum suum ortum & tamen aliquo laborarent vitio, relegabantur ad Conclave lignorum, ut finderent: hique etiam adhibebantur ut ligna a vermibus purgarent. Audiamus hic *Maimonid. in Biath. Hammikdasch. c.* VI. ita scribentem: Qui legitima familia ortus judicatur, corporis tamen vitio notatus, is in conclavi lignorum sedet, lignaque omnia verminosa, ne ad aram ferantur, a reliquis separat. Sacris tamen cum paterna sua familia vescitur. Quippe de quo illud dictum est. Panem Dei sui, tum de sacris sacerrimis tum de sacris comedet. *Levit.* XXI. 22. vid. *Ainsworth. commentar. in Levit. fol.* 129. qui ex *Maimonide* τὸ findere addit: *and did cleave wood for to lay on the altar.* & ita differebat vitio notatus ab impuro, quod edere posset Sacrum.

11 *Captum utrisque auribus truncat*) Jure judaico Pontificatus honore arcebatur non solum mutilatus, sed etiam filius captivæ, ut observat *Johann. Drusius observat. lib.* V. *cap.* II. De mutilato res certa est; Sic *Antigonus* Rex ut prodit Josephus antiq. lib. I. cap. II. cum Hyrcano Pontificatum abrogasset, nasum præsecuit, ut mutilato corpore illi spem recuperandi honoris, atque adeo etiam facultatem adimeret. De filio *captivæ* idem probat *Drusius* ex *Joseph. Antiq. hist. lib.* XIII. ubi hæc habentur verba de *Hyrcano*: Quoniam sub Antiocho Epiphane Rege, mater tua captiva & interfecta fuit; propterea non decet te ingredi Sanctum Sanctorum.

12 *Deque Sortitione*) Utique autor noster sortitionem Ephemer. non sicco silentii pede transire debuisset, quæ valde in illis necessaria erat. Quoties enim classes conveniebant & munia subibant, forte eligebantur. Sortiti ergo inter se sunt Sacerdotes, quis stato tempore ligna ad incendenda sacrificia, aut alios ignes in Sanctuario fovendos, afferret, finderet in domo lignorum, de qua vide *Jom.* templo inferret accenderet. Munus suffimenti faciendi per sortem destinatum esse notum. De quibus consulendus est plur. *Rever. Mauritii Fautor noster æstimatissimus in tract. elegant. de sortitione veter. Hebr. a pag.* 312. *ad pag.* 327. *edit. Basil.* Quare in *Codic. Tamid. cap.* III. Præfectus dicebat: VENITE & SORTIMINI. Docetur etiam in *Joma quatuor fuisse sortes* in domo Sanctuarii, quarum prima de decineratione altaris exterioris, altera de mactatione, tertia de suffitu adolendo, quarta de adferendis frustis. *Vid. Cl. Michael. Arnoldi annot. ad cit. Cod. edit. Franequer.* 168. *ad cap.* III.

CAPUT NONUM.

Sacerdotes Levitasque fuisse partem quandam magni concilii Sanhedrin. Negotia regia atque civilia publice Levitis commissa. Virtutum insignis imago in illis. Accessisse eos ad meliorem partem, atque ad æquiorem causam, cum scissa olim divisaque Hebræorum respublica fuit. Quantopere degeneraverint mox a recta indole, atque a veteri integritate. Summum reipublicæ regimen occupatum ab illis, atque immodeste usurpatum.

AIT Maimonides in Halacha Sanhedrin, in capite primo, Levitas sacerdotesque in eum senatum lectos [1] fuisse, qui Jerosolymæ supremus erat, & LXXI. viris [2] constabat, in quem adscripti etiam primores cæterorum Israelitarum erant. Ex quo fit profecto ut non sacra [3] duntaxat curasse, sed judicia exercuisse etiam civilia, [4] & cum principe, aut summo populi ductore consultavisse [5] de summa reipublicæ quosdam Levitarum sacerdotumque appareat. Magnum enim senatum Sanhedrin rex indicabat, [6] princesve, aut quocunque alio nomine appellandus fuit, qui statum publicum tuebatur. Atque hoc est, quod inter Mosis instituta Flavius Josephus posuit, πραττέτω δὲ μηδὲν ὁ βασιλεὺς δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης. *Nihil agat rex,*

rex, [7] *nisi de Pontificis & senatorum sententia*. Neque id nos miramur in illo regno quod ipse Deus, ut sæpe diximus, sacerdotale appellat. [8] Sane in secundo Chronicorum libro, in capite XIX. Josaphatus rex, cum Zebadiam iis negotiis præficit, quæ ad regem, atque ad populum Judæ pertinebant, etiam satrapas Levitas [9] ei adjungit, qui in partem curarum veniant. Et multo ante illum maximus David Hasabiam, ejusque agnatos mille & septingentos præesse Benjaminitis, & Simeonitis, Judæisque, ac res gubernare tam divinas, quam regias, jussit. Idemque imperium, ac plane geminam potestatem Jeriæ, agnatisque ejus bis mille & septingentis rex ille in Rubenitas, Gaditasque, & in dimidiam tribum Menassitarum dedit: cujus rei testimonium extat in primo Chronicorum libro, in capite XXVI. Atqui profecto Hasabia, & Jeria, & eorum agnati, quos Chronicorum author summos honores gessisse in republica, & fuisse ad quater mille & quadringentos ait, Levitæ erant, & nomen suum professi in ea tribu sunt, quæ sacrorum omnium custos fuit. Accedit, quod legum omnium, [10] & rerum humanarum, divinarumque summam scientiam [11] suo quodam sibi jure Levitæ vindicarunt, quam in Synagogis per Judææ oppida [12] populo tradidere: ut non immerito omnis ingenii, eruditionisque & bonarum artium patres atque autores habiti sint. Igitur ab his pietatis virtutisque exempla petita sunt. Etenim, cum pars ceremoniis sacrisque ministrarent, [13] alii in disciplinas incumberent, plurimi muneribus officiisque civilibus intenti reipublicæ consulerent, omnes tamen sine cupiditate vitam [14] agitabant. Dissensione vero tribuum orta, cum a Judæis divortium cætera gens Israelitarum fecisset, relictis urbibus, quas inter Israelitas habebant, eam partem amplexi sunt, quæ patrio more integra & incorrupta religionum solennia tenuit. Sed, ut nihil perpetuum est, tandem post Babyloniense exilium, cum exstructum templum secundum esset, temporum iniquitas bellorumque æstus quadam fati lege causam deposuit ad aliud schema. Primo enim pontificatum maximum gerere ii ex Levitis ausi sunt, quibus per legem illud [15] affectare non licuit. Ea quasi materies omnium malorum fuit. Fecit enim avidos nimia felicitas: nec tam temperatæ cupiditates fuere, ut in eo, quod contigerat, desinerent. Gradus a magnis ad majora factus est, &, qui insperata acceperant, spe improbiore assecuti principatum sunt. Ac tandem vero, quasi actum adhuc nihil esset, regio nomine [16] assumto diadema capiti imposuere. Hinc insidiæ inter eos, doli, artesque patritiæ, & nulla modestia votorum. Ex qua enim tempestate sibi pulchrum duxerunt supra rempublicam stare, qua via illuc pervenirent, dum pervenirent modo, nihil pensi habebant. Ita, qui rarissimam laudem, & nulli adhuc ordini concessam concupiverant olim, innocentiam, postremo mutatis studiis omnia divina humanaque promiscua habuerunt, unius arrogantiæ superbiæque dominio. Sed de hoc etiam ante diximus.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

[1] *Levitas in Senatum lectos*) Verisimile est Levitas etiam ad subsellia judicum electos fuisse & quidem in Synedrium magnum Hierosolymitanum; & ut videtur aliis fuisse prælatos tum quia Deus illis hoc demandaverat officii, ut Legum cognitione ad jus dicendum instructi essent, tum quia verisimile videtur, illos cæteris Israelitis passim fuisse doctiores, atque ideo habitos aptiores ad ejusmodi munus exercendum. Nec tamen arbitramur, aliis Israelitis, si de eorum constaret aptitudine viam perveniendi ad hanc dignitatem esse præclusam; sed ut diximus, aptitudinis causa *Levitas* aliis Israelitis ut plurimum prælatos esse existimamus primis præsertim Reipubl. temporibus. Vid. de his D. *Quensted. antiq. Bibl. pag. m.* 37. qui fuse de his egit. Cl. *M. Conrad. Riesch. de potestate Synedr. M. edit. Jen.* 1686. *pag.* 10. §. 5.

[2] LXXI. *viris*) Recte hic autor dicit Synedrium Magnum constitisse LXXI. viris, non LXXII. uti communem errorem errat *Baron. Tom.* I. *Annal. ad ann.* 31. §. 10. & cum eo *Menoch. de Republ. Hebr. Cornel. a Lapide* aliique. Confer huc *annot. ad Sot. celeber. Wagenseil. pag. m.* 15. *Joh. Henric. Othon. Lexic. Philolog. pag. m.* 628.

[3] *Ut non sacra tantum*) Cl. *Campegius Vitringa in lib. de Synagog. vet. & nova edit. Franequer. pag. m.* 158. *par.* 1. ex Talmudistis probat, quod Synedrium omne proprium habuerit auditorium in quo legem divinam explicuerit.

[4] *Judicia civilia*) Si judicium tempore Mosis, constans ex Levitis intelligit, quod plane juxta *Hermann. Coringium de Republ. Hebræorum* diversum ab hoc quod posterioribus temporibus & post captivitatem Babylonicam fuit introductum & constitutum. In priore Levitæ, teste celeberrimo *Campegio Vitringa de Synagog. veter. & nov. pag. m.* 371. *edit. Franequer.* jus dicebant, & hoc munus ipsis adscribitur stylo Hebraico הורות, quia, qui jus dicebant, leges dubias & obscuriores debebant interpretari. De posteriori Synedrio, cui prius originem forte dedit, re vera tamen ab institutis Synedrii primi abfuit, uti probat cit. *Coring.* §. 36. id affirmare haud licet, cum potestas ipsius restricta fuerit. Vid. D. *Quensted. antiq. Bibl. de Synedrio magno p.* 41. Cl. M. *Conrad. Riesch dissert.* de potestate Synedrii magni tempore Christi mutata *edit.* Jenens. 1686.

[5] *Consultavisse*) Hic iterum Cunæus noster errat, cum literis tradit, Synedrium cum summo populi Ductore vel Principe consultavisse, quod verisimile non videtur. Nam si tempore Mosis consideramus, plane non constat, vocasse. Si deinceps tempore judicum; quis affirmabit hoc, cum Synedrium de quo *Cunæus* noster agit, non fuerit. Ipsi enim judicarunt difficillima quæque, & tamen non legimus præsentibus Synedrialibus. Nec post Captivitatem Babylonicam usque ad tempora Christi evinci potest, Synedrium cum Regibus & Præsidibus Romanis consultasse, ut ut Cl. *Ostermannus in dissert.*

ſert. de conſultat. probare conetur. Figmenta itaque Rabbinorum ſunt, qui Majeſtatem his deprimere auſi ſunt vid. *annot. doctiſſ. Carpzov. ad Schickardi* משפט המלך *pag. m.* 142. *edit. Lipſ.*

[6] *Rex indicebat*) Antiquitus forum indicere dicitur Magiſtratus in provinciis, cum & locum & tempus deſignat, quo cauſæ in conventu agantur. Virgil.

Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.

Ubi *Servius*, i. e. tempus & locum deſignat, agendorum negotiorum, qui conventus vocatur. Indicit autem verbum juris eſt, & ſignificat etiam jubere. Recte itaque in his verbis ſtatuit, jus convocandi Synedrium ſeu Sanhedrin pertinuiſſe ad Hebræorum Reges. Jam autem convocatio conciliorum recte ab ipſo fieri, penes quem ſumma eſt in populo poteſtas. Hinc facile concluſio formari poterit, quod penes Reges Hebræorum jus indicendi ſeu convocandi Senatum ſeu Concilium magnum fuerit, quia penes Reges Hebræorum erat ſumma & ſolutiſſima poteſtas, & nulli niſi Deo obnoxia, uti pluribus demonſtrarunt *Herman. Conring. in diſſertat. de Republ. Hebr. edit. Helmſtad.* 1648. *D. Quenſted. in antiquit. Bibl. de regib. Hebr. pag. m.* 18. conferatur etiam huc differt. prælaudat. *Conringi. de Conciliis & circa ea ſummæ poteſtatis autoritate edit. Helmſt.* 1650. §. 8. 9. ibi benevolus Lector reperiet materiam hanc ex probatis Scriptoribus probatam, & jus ab Imperatoribus hoc exercitatum fuiſſe.

[7] *Nihil agat Rex*) Hic ſane Cl. Cunæus ſibi non conſtat. In præcedentibus verum ſtatuerat, jam autem opinione Joſephi falſa deceptus plane contrarium ſtatuit, quod ſcil. *Rex Hebræorum nihil agere potuerit, niſi de Pontificis & Senatorum ſententia.* Et ita cum aliis partes Hebræorum Doctorum defendit, uti etiam Cl. *Schickardus de jure Regio cap.* 1. *Theor.* 2. *cap.* 2. *Theor.* VII. & *cap* V. *Theor.* XVII. Itaque ſine ſcriptura, imo ſine ratione hi ſtatuunt, Reges Hebræorum Synedrio ſubjeciſſe, cum ipſe *Maimonid. in Hal. Melach.* II. autoritatem Regis Pontificali anteponat. vid. D. *Quenſted. de Regib. Hebr. pag. m.* 18.

[8] *Sacerdotale appellat*) quod ſcil. cura omnis Sacrorum vel uni ſummo Sacerdoti vel Levitis a Deo commiſſa. Vel *Sacerdotale* regnum appellat, quod a Sacerdotibus & Levitis fuerit geſtum. Verum hic prætextus vel leviſſimi eſt momenti. Primo enim conſequentiæ nulla vis eſt, quoniam in populo Hebræorum veram Rempublicam civilem & mundanam (uti loquuntur) inſtituit ipſemet Deus & quædam civilia Levitis & ſummo Sacerdoti commiſit. Ergo Sacerdotale eſt. Falſum eſt, Pontifici ſummo aut Levitico ordini in Republ. Hebræorum conceſſa fuiſſe jura Majeſtatis circa ſacra. Nam utique ante inſtitutos Reges, omnia jura Majeſtatis, ſacra, profana fuerunt in manu unius Dei, qui ſeſe novo exemplo iſtius Reipubl. ſemetipſum regem conſtituit. Illo vero tempore licuiſſe Sacerdoti ſummo vel leges circa ſacra condere, vel ſententiam dicere de ſacris controverſiis, vel plenum habuiſſe imperium in Levitas, in bona ſacra, in cultores Numinis divini, inconſulto illo *Urim* h. e. inconſulto ipſo Rege Deo, ne quidem vel leviſſimo indicio poteſt probari: Contrarium prorſus loquente Sacra Scriptura. Quis dixerit autem, Sacerdotes fuiſſe Regum tempore meliore loco? Certe & *Saulis* & *Davidis* & *Salomonis* & *Rehabeami* & *Aſeæ* & *Joſaphatis* & *Ezechiæ* & *Joas* Regum hiſtoriæ nos docent, reges non tantum leges circa ipſum cultum ſacrum Levitis præſcripſiſſe, verum etiam jus vitæ & necis, ſacrorum nomine, non tantum in Levitas promiſcue, verum etiam ipſummet Summum Sacerdotem, denique in bonorum ſacrorum adminiſtrationem plenum imperium exercuiſſe. Secutus hac in re *Cunæus Joſephum*, qui *adverſus Apionem libro* 2. dignitati ſuæ Sacerdotali indulgentiſſimum, de præfectura Pontificia & Sacerdotali loquentem, quaſi ex primaria inſtitutione, regimen omne Sacerdotale fuiſſet.

[9] *Satrapas Levitas*) Author noſter in his & ſequentibus verbis pluribus adducit, Levitas & Sacerdotes partem Synedrii magni fuiſſe. Non negamus quidem, hoc Joſaphati Judicium partim convenire cum judicio per Moſen inſtituto, partim cum Synedrio: Habuiſſe aliquid commune, aliquid etiam diverſum. Etenim in conſeſſum hunc non tantum Sacerdotes, ſed etiam Principes familiarum recipiebantur. Conſtat etiam, quod de ſacris controverſiis & dubiis majoris momenti, nec non de negotiis regiis fas illi fuerit judicare, cum Synedrii inſtitutis convenit: non autem cum Levitico illo per Moſen inſtituto. Videntur etiam huic judicio duo quaſi præſides præfuiſſe: alter in cauſis ſacris iſque Summus Sacerdos, alter in negotiis regiis, iſque dux domus Judæ. Longe tamen major fuit poteſtas Synedrii, quam etiam hujus Senatus, utpote cujus limites longe alios poſuerit Joſaphat. Interim tamen non inficias eundum, quod *Levitæ* in judicium fuerint recepti, cum ex 2. *Chron.* cap. XIX. *6.* conſtet, ex Levitis paſſim conſtitutos fuiſſe judices & שוטרים Executores, quod poſterius munus præfecturæ ſacræ 2. *Chron.* XIX. 11. etiam Levitis attribuitur. Et *executores Levitæ* (verba ſunt Joſaphati) *coram vobis ſunt*. Ex quibus elucet שוטרים non tantum fuiſſe miniſtros *Judicum*, ſed etiam *Præfectos*, quia non tantum ſociantur judicibus, ſed etiam ſæpe præponuntur. Plura qui vult, legat *Fullerum*, *Seldenum*, *Coccejum*, *Wagenſeil. Carpzov*. Negari igitur poſſe non videtur, judicia eorumque exercitium ſingulari quodam jure & nomine ad Levitas pertinuiſſe. Novimus equidem Judæos ſtatuere, quod Levitæ ſecundum leges Reipubl. Judaicæ in Synedria Judicum cooptandi non ſint ex ulla ſingulari prærogativa, quam quivis Iſraelitæ ſapientia eminentiores. Sed fides Talmudiſtarum de Synedriis dudum doctiſſimis fuit ſuſpecta. Verum Levitas in judices conſtitutos eſſe probamus, quia illis Deus hoc munus demandavit; quia etiam aliis doctiores & ad jus dicendum aptiores. Non tamen dicimus, quod etiam aliis Iſraelitis præclaris via non patuerit ad dignitatem hanc.

[10] *Legum omnium*) Levitarum munus & officium fuiſſe, ut ſe præ cæteris Iſraelitis applicarent cognitioni Legum Moſaicarum. Utique a Deo ad id ordinati erant, ut rogantibus de lege reſponderent, ſicuti patet ex *Deut.* XXXIII. 10. *Malach.* II. *6.* qui textus oſtendunt, Levitas præ cæteris Iſraelitis eſſe debere, & illos plurimum exercitatos in voluntatis divinæ cognitione, ſed etiam populum docere. Probant hoc Hebræorum Doctores, qui omnes ſuas conſuetudines recentiores ab antiquiſſimis hauſerunt, ut majorem authoritatem concilient. In eum itaque modum Paraphraſtes *Hieroſolymit.* uti in Polyglottis Anglicanis vertuntur verba: *Dividam ego tribum Simeonis, ut ſint Scribæ & Doctores legis in Synagoga Jacob, tribum vero Levi diſtribuam ut præſint concionibus inter filios Iſrael*. conferatur huc celeberr. *Campeg. Vitringa de Synagoga veteri & nova lib.* 1. *part.* 2. *pag. m.* 364. ubi & aliorum doctiſſimorum virorum teſtimonia adducit. Hinc non negamus *tribui Levi* præ aliis tribubus ſcientiam *legis* & *officium docendi* tribui, cum expreſſe Scriptura doceat. Quid enim aliud per verba illa *Gen.* XLIX. 7. Et *diſpergam eos per Iſrael*, intelligitur, quam, ut Iſraelitæ ſæpe ad Levitas acceſſuri ſint, illoſque rogaturi, quid juris ſit & æqui? Confer. *Henric. Ainsworth. comment. in Geneſ. fol. m.* 165. *edit. Londin.* Quid aliud verba *Malachiæ* indicant: *Labia Sacerdotum ſervabunt ſcientiam & legem requirent ex ipſorum ore*, quam Levitis hoc demandatum negotii, ut cognitione divinæ voluntatis inſtructi, conſulentibus de lege reſponſa darent?

[11] *Rerum humanarum & divinarum ſcientiam*) In his verbis tribuitur illis ſcientia legum humanarum & ſacrarum, quia res civiles & ſacræ apud Judæos non fuerunt diſtinctæ niſi in idea. Quippe Deus Rempublicam Judaicam ſic formavit, ut ſacra civilibus eſſent permixta, & civitas minime diſtincta fuerit ab Eccleſia. Leges civiles & ſacræ a Legislatore confunduntur & obedientia illis præſtanda iiſdem ſuadetur argumentis. Totius corporis harum Legum interpretes & vindices conſtituit Magiſtratus ſedentes in cathedra Moſis, quod Levitis etiam conveniebat. Hi enim Magiſtratus non minus Eccleſiæ conſtituendæ, quam civitatis regendæ jus poteſtatemque habuerunt, uti celeber. *Campeg. Vitringa* fuſe docuit *pag.* 553. *in libro eruditiſſimo de Synagoga Veteri & Nova*. Verum hoc tantum intelligendum de Republ. Hebræorum, cum Deus ipſe rex

ſe rex fuerit. Suceeſſu autem temporis, ubi Judæi ſub aliorum imperio vivebant, non licuit Archi-Synagogæ & Synedriis de civilibus judicare, uti variis teſtimoniis ad unguem demonſtravit ſæpe laudatus *Vitringa lib.* III. *part.* I. *pag. m.* 816. 817. 818. qui evolvatur.

[12] *Per Judææ oppida*) Probabile eſt, quod in urbibus & ſocietatibus ſe detinuerint *Levitæ*, ſive ut tanquam Doctores reſponſa darent in caſibus dubiis, ſive ut fungerentur munere *judicum* inferioris ſubſellii. Levitæ itaque in majoribus civitatibus videntur habitaſſe, ut de ancipitibus & dubiis caſibus judicium ferrent & minoris momenti lites dirimerent. Præceptum de Judicibus conſtituendis his verbis relatum eſt a Moſe *Deut.* XVI. 18. שופטים ושוטרים *Schophtim* & *Schotrim Judices & Exactores conſtitues tibi in omnibus tuis portis*. Quid per has voces intelligatur, videatur *Carpzov. in not. ad* משפט המלך *Schikardi pag. m.* 241. 242. Interim tamen non negat Cl. *Vitringa p.* 369. *Levitas judices intelligi*. *Conf. annot. ad Sigon. p. m.* 487. *edit. Lugdun.*

[13] *Cæremoniis ſacriſque miniſtrarent*.) Quatruplex ordo Levitarum erat (1) miniſtrantium, (2) Judiciorum, (3) Muſicorum, (4) Janitorum, de qua re *D. Quenſted. antiquit. Bibl. pag. m.* 64. Recte autor noſter refert, quod Levitarum pars miniſtrantium fuerit, id quod hauſit ex *Num. cap.* III. v. 8. & *Num.* IV. ubi omnia ſervitia recenſentur, quæ peragere oportuit. Tabernaculo ſtanti miniſtrabant Levitæ illud una cum arca fœderis, vaſis & inſtrumentis ejus, (quibus in miniſterium illius utendum erat) cuſtodiendo & circa illud excubando. Quando igitur alio transferendum erat tabernaculum, ſive in profectionibus reſolutum in partes ſuas a Sacerdotibus *Num.* IV. 5. per iter portabant, de quibus miniſteriis longa ſerie egit vir doctiſſ. Anglus *Henricus Ainſworth. comment. in Num. fol.* 16. ſeq. & 20. *ſeq. D. Quenſted. in antiquit. bibl. pag. m.* 60.

[14] *Omnes tamen ſine cupiditate vivebant*) De decimis vivebant, quas Iſraelitæ ipſis offerre debuerunt, quæ omnino illorum nutrimento potuiſſent ſufficere, ſi Iſraelitæ abſque fraude & dolo eas in Levitarum gratiam fideliter & conſtanter ſeparaſſent. Sed quis nobiſcum non dubitat, quin turbatis Judaicæ Reipubl. temporibus, quibus omnis fere fervor Religionis fuit extinctus, populus ſæpe hoc ſuum officium negligentius obſervaverit? quin etiam propter bella & vaſtationes agrorum vix obſervare potuerit? Quod tamen ubi accidebat, neceſſe erat, ut Levitæ in extremam redigerentur egeſtatem & inopiam, atque aliis mediis ſibi de vita ac ſalute ſua proſpicerent. Hactenus ſemper Pontificatus in ſemine & poſteris Aharonis fuerat & Levitæ ab hac dignitate excludebantur; Jam autem & Levitæ ex cupiditate regnandi hanc dignitatem aſſumſerunt contra voluntatem Dei. vid. Cl. *Joh. Jacob. Schudt. compend. hiſtor. Judaic. edit. Francof.* 1700. *pag. m.* 183. Hinc prorſus abſurdus eſt *Jacob. Bolducius* in ſuo tract. de Eccleſ. ante legem, quando ſtatuit, ex aliis quoque tribubus ſummos Pontifices electos fuiſſe, quam opinionem ut erroneam refutavit *D. Georg. Mœbius in tom. ſelect. diſput. p. m.* 57. *edit. Lipſ.* 1694.

[15] *Quibus per legem illud affectare non licuit*) Recte diſſerit *Cunæus* noſter, quod quidam Levitarum Pontificatum affectarint, quibus non licuerit, & alludit his verbis ad *Aſſamonæos* ſeu *Machabæos*, qui ex Sacerdotali quidem familia, at non tamen primaria oriundi ſummum Pontificatum cum regia dignitate ſimul conjunxerunt vid. *Ludov. Capelli hiſtor. Apoſtol. illuſtrat. & hiſtor.* Judaic. *ab Aſmonæ. tempore ad templ. vaſtat. pag. m.* 92. *edit. Salmur.* 1683. Ita notanter additur: *præter legem*. Nam lex nullum ad Pontificatum adſcendere permittebat, quam eum duntaxat, qui ex maſculis in ſtirpe Aharonica eſſet oriundus. Adeo ut nepos ex filia cetérique ſequiori ita conjuncti ſexu, ſemper, non aliter ac filiæ, dignitate arcerentur. Unde Moſes Maimonid. ad illud *Num.* XVIII. 4. זר ſeu *alienigena* ſive *extraneus* miſcebitur vobis, זר ſeu Alienigenam pro univerſis illis ſumit, qui ex *Aharonis* prole maſcula non fuerint maſculi. Verba ejus ſunt in *Halach. Biath hammikdash. cap.* IX. Extraneus ſeu alienigena hoc loco eſt, quiſquis non fuerit ex ſemine Aharonis idque ex maſculis, ſecundum id quod ſcriptum eſt (*Levit.* I. 18.) & diſponent filii Aharon & Levit. III. 8. adolebunt filii Aharon & non filiæ Aharon. Et *Num.* II. 10. ipſi Levitæ quoque extranei vocantur, ita *Chaskuni. in h. l.* ſcribit, quod per extraneum vel Iſraelita intelligatur, vid. Angl. *Henric. Ainſworth. Comment. in Num. fol.* 16. *Whoſoever is not of Aarons ſeed is a ſtranger*. Ita *Num.* XVI. 40. *fol. m.* 104. *ſo all Iſraelites or Levites, ſave Aarons ſonnes onely are counted ſtrangers in this caſe of prieſthood*. Recte ergo infert, Machabæos juxta legem non potuiſſe affectare Pontificatum.

[16] *Regio nomine*) Ultimis fere temporibus Reipub. Hebræorum *Jonathas* & *Simeon* filii *Matathiæ* ex tribu Levi e familia Haſſamonæorum, vid. Cl. *Joh. Jacob. Schudt. compend. hiſtor. Judaic. pag.* 30. 31. primi Sacerdotium & Principatum conjunxerunt. I. *Machab.* IX. 28. X. 20. 21. tandem *Ariſtobulus*, filius *Johannis Hyrcani* nepos Simonis ſumta corona, primus inter Judæos Rex & Sacerdos Summus extitit, *Joſeph. l.* 13. *Antiq. Jud. c.* 18. & *lib.* I. *de bello Judaic. c.* 2. *Egeſipp. l.* I. *de excid. Hieroſ. c.* II. inaudito huc uſque inter Judæos exemplo, uti eleganter ſcribit laudatus *Schudt. pag. m.* 31. *Ariſtobulus*, qui primus Regis nomen ſibi ſumſit, &, quod huc uſque in gente Judaica inauditum fuerat (*Melchiſedech* enim Rex & Sacerdos ſimul *Geneſ.* 14. peregrinus, non ex gente Iſrael fuit) primus Rex & Sacerdos extitit.

CAPUT DECIMUM.

Qui fuerint Anſche Hammaamad. Quali legatione functi ſint. Sacrificia pro populo peracta. Legatos hos etiam extra Jeroſolymam munus ſuum in ſynagogis obiiſſe. De jejuniis eorum. Cur pridie & poſtridie Sabbathi non jejunaverint.

IN Talmudis tractatu, qui Maſſechta Tahanajot dictus eſt, de iis agitur, qui a populo, aut ab univerſitate miſſi legationem publicam obibant ſacrorum cauſa. Cujus rei obſervatio, quoniam ſane ſingularis eſt, neutiquam ſilentio prætereunda nobis videtur. Enimvero illud ſancitum lege erat, ut, qui Numini victimam donumve offerret, ſacris præſens adſtaret. [1] Quoniam vero oblationes quædam etiam totius populi nomine [2] fiebant, utique immenſa illa civium multitudo, quæ locis urbibuſque diverſa habitabat, adeſſe ad ſacram ædem nequiit. Igitur inſtitutum a priſcis vatibus [3] eſt, uti ex Iſraelitis quidam ſumma integritate & religione viri deligerentur, qui legati univerſitatis forent, & ad oblationes, vice populi, [4] adeſſent. Atque hos Talmudici אנשי מעמר [5] appellant, quaſi craſſius paulo *viros ſtationarios* dicas. Fuere au-

re autem classes eorum viginti quatuor [6] descriptæ, plane ut de sacerdotibus quoque, deque Levitis diximus: ductabatque singulas antecessor quispiam, quem ראש המשמר *stationis principem*[7] vocaverunt. Lex porro posita legatis universitatis hæc fuit, ut qua septimana statio cujusque in orbem redibat, nemo quisquam tam solenne munus defugeret. Atque hercle eos quidem, qui Jerosolymæ, aut in propinquo habitabant, convenire in templum necesse fuit una cum Levitarum sacerdotumque geminis classibus, quarum vices in eam hebdomadam inciderant. Quod si vero procul aliqui a sanctissima urbe in remotis oppidis degebant, his ademta longi itineris molestia est. Satis enim erat in synagogam istius loci convenisse eos una, atque animos cogitationesque ad ædem transmisisse, [8] quæ Jerosolymæ erat. Ita publicam sacrorum causam absentes quidem, sed eadem hora tamen, atque etiam publice, prosecuti sunt. Legatis his, dum hebdomadale munus peragebant, jejunandum quater fuit, & quidem certo tempore. Constitutus enim ad id dies Lunæ, Martisque, & Mercurii, aç Jovis est. Neque refert, Jerosolymæ in templo, an in oppidorum synagogis convenerint. Pariter enim jejunii necessitas eos tenuit. Datum tamen sabbatho id honoris est, ut pridie essent lege hac soluti : quemadmodum profecto nec postridie se macerabant, שלא יצאו מעונג שבת לצים *ne sabbathi letitiam mœror exciperet jejuniorum*. Ac de his quidem satis dictum est. Cætera, quæ de precibus legatorum universitatis, deque legis recitatione tradunt Talmudici, ab ipsis petantur.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM.

[1] *Sacris præsens adstaret*) Mandatum enim in lege exitat, ut omnis qui oblationem affert Domino, adstare & manus imponere ei debeat. *Levit.* I. 4. his calculum adjiciunt album Hebræorum Doctores *Maimonid. in tract. de oblat. Sacrificior. cap.* 3. *sect.* 6. 8. 9. cujus verba Anglice versa recenset *Henricus Ainsworth Comment. in Levit.* 1. *fol. m.* 5. *edit. Londin.* Quod scilicet omnibus sacrificiis, quæ persona privata aut ex debito aut voluntarie offert, manus imponendæ sint, excepto surdo, stulto, infante, servo, muliere, cæco & peregrino. Imo tam stricte observatum fuisse asserit, ut etiam legato non permissum sit. *Neither may a messenger impose hands, for there is no imposition but by the owners; as it is written, and he shall lay his hand, not his wives hand, nor his servants, nor his messengers.* Vide plur. *Outram. de Sacrific. Saubert. de Sacrific. cap.* 19. *pag. m.* 459. *Scheringham. in not. ad Jom. pag.* 32. *edit. Franequer.* 1696. Nemo enim poterat sacrificium offerre, nisi ipsemet adesset, & oblationi adstaret, secundum Canon. in *Taanith. cap.* 4. & *Maimonid. Kele Hammikdasch. cap.* 6. Impossibile est, ut offeratur sacrificium, nisi adstet offerens.

[2] *Totius populi nomine*) Erant Sacrificia pro integro populo oblata, qualia erant התמידין Sacrificia singulis diebus mane & vesperi offerenda, *Hierosf. Pesachin. cap. III.* quæ etiam ex publico thesauro comparabantur. *Seekal. cap. IV.* At quomodo omnes Israelitæ adesse potuissent in oblatione publicorum illorum sacrificiorum? Plane itaque necessarium fuit, ut sicuti singulis diebus pro toto populo sacrificia offerebantur, ut etiam illis sacrificiis quidam e populo delegati adstarent.

[3] *Institutum a priscis Vatibus*) Ratio institutionis horum stationariorum redditur in *Mischna*. Sed *quomodo offerri potuit oblatio cujusvis, si ipse præsens non adstaret?* Jam vero cum sacrificium juge aliaque nonnulla offerrentur pro toto Israele, atque impossibile esset, ut totus Israel adesset, instituti sunt hi stationarii, qui vice totius Israelis manus imponerent sacrificio jugi, adessentque aliis oblationibus, quæ oblatæ sunt pro toto Israele. Et dum isti hoc præstarent Hierosolymis, qui adstarent sacrificiis fratrum; & reliqui congregarunt se in civitates suas, & preces fuderunt pro sacrificiis fratrum suorum, ut acceptarentur, & jejunarunt & protulerunt librum legis in die jejunii. Confer cl. *Buxtorf. Lexic. Rabbino-Talmud. fol. m.* 1622.

[4] *Vice populi*) Hi viri stationarii ordinati erant (1) ad repræsentandum populum in oblatione sacrificiorum : an etiam sacrificiis jugiter oblatis manus loco populi imposuerint in controversiam vocatum fuit; nos pro negativa stamus *a Maimonid. in cap.* 3. *Corban.* edocti quod sacrificiis pro tota congregatione oblatis nulla esset manus impositio, exceptis his duobus השער המשתלח *Hirco emissario*, הפר העלם דבר & *juvenco oblato pro peccato ignorantiæ*. Hirco emissario manus imponebat Summus Sacerdos, juvenco vero tres viri a Synedrio ad id delegati. Vid. *Levit. cap.* IV. 13. *Henric. Ainsworth. comment. in h. l.* Habebant (2) hanc regulam, quod in publicis precibus & lectionibus in Synagoga ad minimum decem adesse debeant, *Megillah. cap.* 4. *Maimonid. in Tephill. cap.* 2. Quanto magis in publicis actionibus templi semper honestus aliquis hominum numerus adesse debuit, ad majestatem cultus conservandam. Officium quidem erat uniuscujusque Hierosolymæ degentis his publicis precibus & lectionibus interesse, interim timendum erat, ne si hoc inconstanti plebi simpliciter relinqueretur, ne forsan accideret, ut homines admodum rari adstarent. Consultissimum itaque visum est hos viros Stationarios ordinare, qui semper & certo adessent.

[5] אנשי מעמד) Rambam ad hunc locum scribit; Viri Stationis hujus fuerunt omnes Legati Israelitarum, quorum mens & intentio tota erat occupata in cultu divino & precibus; neque ullatenus vacabant negotiis suis, sed cor & cogitatio ipsorum erat in sacrificiis. Appropinquante autem tempore Stationis seu Liturgiæ, tum unusquisque ex viris illius Stationis, qui prope Hierosolymam erat, in Sanctuario reperiebatur, quando oblatio offerebatur, cum Sacerdotibus & Levitis illius custodiæ : qui autem procul erant ab Hierosolyma, illi congregabantur in Synagogis suis & orabant ac legebant, occupabanturque in cultu divino per totam illam septimanam, quæ custodia illorum perdurabat in precatione, lectione & jejunio, ac legebant historiam creationis, quia perfectio existentiæ est cultus divinus &c. Confer *Johannem Henricum Otho Lexic. Philolog. pag.* 612.

[6] *Viginti quatuor classes*) Quemadmodum Sacerdotes in XXIV. Ephemerias seu classes dividebantur, ita etiam *Viri Stationarii*, & quæ classis Sacerdotum adscendebat ad cultum peragendum, simul etiam Ephemeria virorum Stationariorum adscendebat. *Obadias de Bartenora.* Unicuique custodiæ erat adjuncta מעמד Statio nomine Israeliticarum tribuum, quæ dividebatur in XXIV. partes. Hi mittebantur a toto Israele, ut assisterent oblationibus cum Sacerdotibus & Levitis, qui erant in illa custodia.

[7] *Stationis Principem*) ראש המעמד. Singulis stationibus erat unus summus Præfectus, caput stationis dictus. Unde in *Tamid. cap.* 5. legitur ראש המעמד היה מעמיד את הטמאים בשער המזרח, id est Caput Stationis seu liturgias subsistere jubebat immundos in porta

porta Orientali. Confer *Johan. Henric. Othon. Lexic. Philolog. pag. m. 613.*

[8] *Ad ædem transmisisse*) Ritus certus antiquissimus Judæorum fuit, ut precantes faciem Hierosolymam versus, & cum illic degerent, templum versus converterent. De eo *Maimonid. hilcos tephill. cap. 5. num. 3.* scribit: *Qui constitutus est extra terram Israelis, convertat faciem suam versus eam, ubi orat. Qui degit in ea, dirigat faciem Hierosolymam versus. Qui Hierosolymæ est, versus templum. Qui in templo, versus Sanctum Sanctorum.* Hoc statutum nititur Canone generali, quem habes in ritualibus *Orach Chaiim cap. 94. §. 1. 2.* ex versione celeber. *Vitringæ.* Quando quis consistit ad precandum, si sit extra terram Israelis, convertat faciem suam versus terram Israel, & dirigat etiam animum suum versus Hierosolymam, & Sanctuarium, & Sanctum Sanctorum.

CAPUT UNDECIMUM.

De Levitis illis, quorum ministerio sacerdotes utebantur: classes eorum, & diversa munia. Nethinæi. Lex annaria de Levitis lata quando cessaverit. Levitas non itidem, ut sacerdotes, reprobatos fuisse. Quantum nefas fuerit, confundi eorum ministeria.

SEQUITUR ut præterea de Levitis quædam dicamus, quorum appellatio duplicem rationem habet: modo enim sic dicti communiter omnes ii sunt, qui de tribu Levitica essent, ad quos in universum ea pertinent, quæ supra diximus in hujus libri capite IX. Interdum vero hoc nomine vocantur, qui in urbe Jerosolyma per vices sacrum ministerium subibant, quod erat longe a sacerdotum functionibus diversum. De qua re breviter dicendum nobis hic est, ne eam partem non attigisse videamur. Igitur Levitarum horum munus fuit sacerdotibus ministrare, [1] eaque obire, quæ ignobilioris operæ erant. Plane enim, quod Romanis inter sacra atque in templis victimarii, popæque, [2] & æditui, ac præciæ, tibicinesque præstitere, id Judæorum mos, lexque Levitis demandaverat, non omnibus hercle, sed iis duntaxat, qui progenitore Levi sati, genus tamen suum ab Aharone non traxerunt. Etsi enim profecto Aharon quoque eodem satu editus fuit, tamen, quia in ejus familia & posteritate dignitas stetit Sacerdotii, non ita frequenter in sacro codice Levitarum nomen datum nepotibus ejus est. Ac initio quidem, ex Mosis instituto, Levitæ Sacerdotibus duntaxat operam navabant, arcamque humeris portabant, [3] & vasa sacra curabant. Ejusque generis mox classes viginti quatuor David fecit, quæ singulæ per vices suas hebdomadam unam in templo essent: plane quemadmodum etiam Sacerdotum divisæ stationes erant. Cæterum idem ille rex David eadem lege totidem quoque familias instituit Levitarum, quorum pars voce, [4] alii organis [5] nabliisque [6] inter sacra canerent. Ac rursum eodem auctore viginti & quatuor stationes æedituorum [7] factæ sunt. Postremo, quemadmodum Levitæ sacerdotibus ministrabant, ita ipsis Levitis dati alii sunt, qui lignatum aquatumque [8] mitterentur. Ii primum Gibeonitæ erant, quos maximus populi ductor Josua in bello servaverat: mox Davidis Salomonisque tempore alii ex victis gentibus accessere, atque uno nomine omnes appellati Nethinæi sunt, quasi deditos aut adscriptitios dixeris. Verum hæc Cornelius Bertramus, Carolusque Sigonius, eruditissimis ambo commentationibus, tam diligenter persecuti sunt, nihil ut addi a nobis possit. Quare alia quædam circumspiciamus. In tractatu Talmudico, quem Massechta Cholin appellant, in fine capitis primi, annotatum est, legem eam Numinis, quæ Levitis quinquaginta annos natis missionem dat, haud perpetuam esse, sed eo tempore duntaxat valuisse, cum transferendum identidem sacrum tabernaculum esset: mox enim, cum religionum ceremoniarumque sedes stabilis in æde Hierosolymitana esset, nunquam eos solenni ministerio sese abdicavisse, qui quinquagenariis majores erant. In extremo ejusdem capitis traditum quoque est, non fuisse in Levitis id spectatum, an corpore integro essent: nullum enim vitium fuisse, quod sacro munere eos prohiberet. Quare profecto, quod de sacerdotibus, deque Pontifice diximus, ad hos non pertinet. Vocem tamen ibidem Talmudici excipiunt, quæ, grandi ætate cum deficeret, vitium in cantoribus fecit. Scribit Maimonides, crimen capitale fuisse, si Levita sacerdotis curas capesseret, aut ex ipsis Leviticis muniis aliquod ejusmodi obiret, quod assignatum illi non esset: puta si æditüus cantoris vice fungeretur: quod si sacerdos Levitæ ministerium subiret, non illum capite pœnas luisse, sed tamen בלה תעשה *contra Numinis interdictum* fecisse.

NOTÆ AD CAPUT UNDECMIUM.

[1] *Sacerdotibus ministrare*) Quod Levitæ Sacerdotibus in sacrificando & recipiendis decimis ministraverint testatur Scriptura sacra *Num.* III. 6. 7. 8. de quibus fuse & longa serie egerunt. *D. Quensted. in antiq. Bibl. pag. m. 62. 63. 64. Henric. Ainsworth. Comment. in Num.* Observandum hic obiter; *pelle*

nudare

nudare holocausta Sacerdotum erat, ut colligitur ex *Levit.* I. 6. & VII. 8. Tempore vero *Ezechiæ* & *Josiæ* propter paucitatem Sacerdotum & victimarum multitudinem Levitæ hoc oneris subierunt, & vice Sacerdotum pelles holocaustorum detraxerunt, atque ita urgente necessitate partem muneris Sacerdotalis in se receperunt, hostiasque præpararunt, ut a Sacerdotibus tantum dimembrandæ essent & ignibus immittendæ. Vid. 1. *Paral.* XXIX. 34. & XXXV. 11. Illi itaque Levitæ, qui in ministerium domus Domini erant consecrati Sacerdotibus subserviebant circa victimas & libamina & circa instrumenta Sacrificiorum sese occupando, item panes propositionis præparando. 1. *Par.* IX. 32. Hujusque generis Levitas David in viginti quatuor classes distribuit, quæ singulæ per vices suas hebdomadum una in templo essent, & Sacerdotibus operam navarent, plane quemadmodum etiam Sacerdotum divisæ stationes erant. Vid. *Henric. Ainsworth. in Comment. ad Levit. 1. fol. m. 5. edit. Londin.*

2 *Victimarii & Popæ*) Victimarii apud Romanos Sacerdotum ministri erant, qui victimas adducebant & ligabant, quique cultrum, item aquam, molam & reliqua, quæ in sacris erant necessaria parabant. Victimariorum horum pictura in Trajani columna extat, ubi verrem unus, & alter arietem ad sacrificium deducentes pinguntur. Solebat autem Victimarius paratus esse succinctus. Unde *Ovidius*:

> *Nominis esse potest succinctus causa minister*
> *Hostia cœlitibus quo feriente cadit.*

Videatur *Joh. Hentic. Kipping. in antiquit. Rom. lib. 1. cap.* XII. *pag.* 258. *Casal. Rosin. antiq. Rom.* Ita etiam *Popæ* sacrorum ministri erant, ut in *Trajani* columna videre est seminudi & succincti, lauroque redimiti, victimas qui venales habebant, easque aris alligabant & cultro feriebant: Unde & Cultrarii dicti. Propert. *lib.* IV. *Succinctique calent ad nova sacra popæ. Spartianus in vita Getæ:* percussit hostiam popa, nomine *Antonius. Suetonius* in vita *Caligulæ*: Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo cultrarium mactavit. Confer. *D. Saubert. lib. de Sacrificiis.* His similes fuisse *Levitas Cunæus* asserit; & si rem accuratius perpendimus, constat, non multum differre; Nam & his conveniebat jugulare Sacrificia, nam expresse in Scriptura extat: *jugulabit*, vel iste ipse, qui victimam de suo offerebat, vel ut volunt, *Levita* aliquis, quod colligi potest ex 2. *Paral.* XXX. 17. & XXXV. 10. 11. ubi Levitæ paschales agnos jugulant & sanguinem spargunt Sacerdotes. Conf. *Henric. Ainsworth. Comment. in Levit. fol. 5. edit. Londin.* Sic apud Romanos Sacerdos non jugulabat victimam, sed popa aut victimarius ad Sacerdotis nutum. Itaque victimæ adstans subinde dicebat Agon'? videatur Cl. *Bochart. Hieroz. fol. m.* 323.

3 *Arcam humeris portabant*) Quamvis Levitæ inferioribus Tabernaculi ministeriis exercerentur & ad serviles operas adhiberentur, solenni tamen ritu, certisque ceremoniis Deus omnes eos consecrari voluit, partim quia Sanctuarium cum vasis sacris portabant & custodiebant, partim quia Sacerdotibus in sacrificando ministrabant. Quod autem Levitæ tabernaculi structuram, arcam & vasa sacra portarint, constat ex Scriptura Sacra *Num.* IV. ℣. 5. Plura qui legere cupit, evolvat D. *Quensted. antiq. Bibl. pag. m.* 61. 62. *Ainsworth. Comment. in h. l.* & *Sigon. de Republ. Hebr.*

4 *Quorum pars voce*) Recte autor statuit, Davidem ex Levitica stirpe instituisse, qui ministerium obibant canendi & modulandi in templo. Mentio eorum passim fit in Scriptura præsertim 1. *Paral.* XV. 16. *cap.* XXIII. 5. *c.* XXV. 1. Cantorum vero sortes vicesve viginti quatuor constituit David, ut eorum una sors, uni Sacerdotum sorti canendo & modulando ministraret, diurno nocturnoque tempore 1. *Paral.* IX. 33. Cantorum Principes, seu ut *Grotius* vocat, κορυφαῖοι χόρου, præfecti chori Musici tres erant ex tribus familiis Leviticis, videlicet *Heman*, *Assaph* & *Ethan*. *Heman* in familia *Caathitarum*, *Assaph* in familia *Gersonitarum & Ethan* in familia *Meraritarum* 1. *Paral.* VI. 31. *cap.* XXV. 1. & 6. 2. *Paral.* V. 12. Ex qualibet harum familiarum erant multi Cantores per vices & choros distributi, ita tamen, ut quotidie ex qualibet familia aliqui essent, qui cum aliis ex reliquis familiis coram arca canerent Domino: & hæc Musica debebat fieri voce, uti *Maimon. in Kele Mikdasch. c.* III. quo tamen instrumenta non excludit, sed vult illa solummodo tanquam appendices ad voces accessisse, Levitis tantum conveniebat Musica vocali canere, uti *Mischna in Erachin.*

5 *Alii Organis*) *Mischna in Erachin* refert, quod ad numerum Cantorum non tantum Levitæ sed etiam Israelitæ præstantes, qui conjugio juncti erant Sacerdotibus relati fuerint, quibus solummodo instrumentis ludere injunctum fuerit; Verum & hoc etiam Levitis convenisse, quis negabit? Nam *Arias Montan.* in *appar. Sacr. Bibl. libr. de Templi fabrica & structura pag.* 15. inquit: Fuisse in templo suggestum inter Sacerdotum & Israelis atrium constitutum: in quo *Levitæ* musicis instrumentis solennium & quotidianorum sacrificiorum tempore canerent. Conf. *l'Empereur ad Cod. Middoth. pag.* 75. vid. *Dieter. antiq. Bibl. fol. m.* 351. 352. qui fuse de hac re egit.

6 *Nabiisque*) Varia Judæorum fuisse instrumenta ex sacra Scriptura patet. Horum quædam non semper quædam autem semper adhibebantur, & horum tria erant נבל כנור צלצל *Nebhel*, *Cinnor*, *Tsiltsel*, & hæc indiscriminatim divisa erant filiis trium Cantorum magistrorum *Assaph*, *Heman* & *Ethan*. De his Instrumentis sic *Joseph. lib. 7. cap.* X. *pag.* 216. *edit. Frob.* ut נבל sit ipsi Νάβλα illamque sic definit, ἡ δὲ Νάβλα δώδεκα φθόγγους ἔχουσα τοῖς δακτύλοις κρούεται. Optime instrumentum hoc descripsit Cl. *Moyen. in Syllo. dissert.* qui videatur & evolvatur. Gentiles quoque instrumenta musica in sacrificiis usurpabant, de quibus videatur *Guilielm. Stuck. in descript. Sacrific. Gentil. fol.* 112. 113. *edit. Tigur.*

7 *Viginti quatuor stationes ædituorum*) Horum munus erat ad Januas templi seu portas atriorum excubare, easque custodire per vices, seu juxta classes, in quas distributi erant Levitæ ad hoc ministerium destinati, 1. *Par.* IX. 17. 18. 19. Hoc munus ipsis quoque demandatum fuit tempore Mosis, uti legimus *Num.* II. videantur elegantissimæ annotationes *Henric. Ainsworthii in h. l. fol.* 12. 13. *edit. Londin.* Divisi erant æditui seu Janitores in XXIV. classes 1. *Par.* XXVI. 1. vid. *Sigon. de Republ. Hebr. lib.* V. *c.* VI. De sollicitudine eorum in custodiendis atriorum portis dicitur 2. *Par.* XXXV. 15. Cum itaque a *Salomone* Rege duo atria ædificata fuerint, unum interius scil. Sacerdotum & Levitarum; alterum exterius scil. populi, uti tradit *Joseph. de Antiq. lib.* VIII. *c.* II. & utrumque suas portas habuerit; hinc ad illas custodiendas *Janitores* erant destinati. Horum officium erat aperire & claudere portas montis templi & atrii mulierum, & per totum diem ibi curam adhibere, ne aliquid impuri templum ingrediatur, aut quid fieret, quod sanctitatem illius loci non deceret. Noctu vero debebant in XXIV. locis excubias agere in honorem templi (Maim. Beth Habech. c. VIII.) (1) custodia erat in omnibus portis montis templi, in porta Orientali, in porta Septentrionali *Tedi*, in duabus portis Meridionalibus *Hulda*, in porta Occidentali *Copponius*: custodia etiam erat in angulis magni hujus spatii quadrati sancta loca cingentis, &c. vid. *Johan. Herinc. Othon. Lexic. Philolog. pag. m* 326.

8 *Lignatum aquatumque*) Illi primum *Gibeonitæ* erant; qui fraude Israelitarum victricia arma declinarunt & astu vitam servarunt, atque ob hanc fraudem factam a magno populi ductore *Josua* dati sunt לעדה conventui & altari Domini, ut aquam & ligna ad sacros usus in tabernaculum comportarent. *Jos.* IX. Et dedit eos ויתנם Hinc forte dicti *Nathinæi* quasi donati & constituti ad cædenda ligna & portandam aquam in ministerium Tabernaculi. Erant ergo *Nathinæi* juxta nominis sui notionem, ut Hieronymus observavit in Traditionibus Hebraicis ad 1. *Paral.* IX. 2. servi donati sive Levitis & Tabernaculo in servos dati, qui ad varia illius ministeria servilem exhibebant operam. Conferatur huc D. *Quensted. antiquit. bibl. pag.* 68. qui plura habet.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

Templum Jerosolymitanum. Cur intus illic tanta vis auri. De templis veterum, in quæ aurum non inferebatur: non esse id Judæorum institutis contrarium. Confutatus quorundam error. Talmudicorum Jcitum de iis, qui sacram ædem adeunt. Quid sint τὰ σκεύη *in Messiæ edicto. Salomonis industria in templi exstructione. Quam celeriter consummata ea operis moles. Dianæ Ephesiæ ædes quibus impensis & quam lente ædificata: cur in palustri solo ea posita. Judæorum commentum de monte Moria.*

NIHIL rerum Judaicarum pulchrius, magnificentiusque fuit, nec quod magis celebratum monumentis omnium sit, quam illud immensæ opulentiæ templum, quod in urbe Jerosolyma exstructum dedicatumque a Salomone est. Ejus descriptio luculenta apud Flavium Josephum extat in octavo Antiquitatum libro. Quare nos, quæ de magnitudine, deque arte & modo operis dici possunt, non exequemur. Utique, quod hujus ædis interius sacrarium auro magni ponderis obductum [1] erat, quodque vasa innumera ex puro puto auro [2] conflata sunt, non regis effusa quædam liberalitas in summa opum affluentia videri debet, sed jussus edictumque Numinis fuit. Non æstimat quidem donorum pretia, neque terrenis indiget opibus summus Deus, cujus est hoc omne, quod videmus, & non videmus: sed tamen grata illi mortalium pietas est, id offerentium quod amant ipsi vehementer, rerumque humanarum maximum putant. Ait Plutarchus in Politicis præceptis, templa quædam olim fuisse, in quæ ingredi nefas fuerit, nisi auro ante fores posito. Ex quo viri quidam incomparabiles collegerunt, antiquitatem, cujus judicium incorruptissimum fuit, delubra damnavisse, quæ donariis magnificis, [3] & multo auro radiarent. In quo certe eos ratio fugit: neque id Plutarchus voluit, qui e vestigio ibidem illud addit, etiam ferrum eos deposuisse, ædem qui intrare vellent: & in promtu esse causa utriusque nobis videtur: nam & sine auro nummisque, aut ornatu operiosiore adstare debuerunt, qui diis supplices in loco augustissimo erant: & rursum, magis sibi opem omnem esse in Numine positam intellexere, qui ferro armisque se nudaverant. Ego vero Plutarchum, ista cum scriberet, cogitasse de veteri Jerosolymitana æde opinor. Pene enim eadem sunt, quæ traduntur in Talmudis tractatu, quem Massechta Jevamot appellant, in capite primo: ex quo ista transcripsit Maimonides, quæ in Halacha Beth Habbechira leguntur, in capite VII. לא יכנס אדם להר הבית במקלו או במנעל שברגליו או באפונדתו ובמעורה הצרורין לו בסדינו: *Nemo in montem templi veniat cum baculo, aut calceamentis pedum, neque cum mantica aut pecuniis linteo involutis.* Apud Divum Marcum in Evangelii cap. XI. servator hominum Messias, cum reducere priscum ac fugitivum morem vult, edicit ἵνα μή τις διενέγκη σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ, *ne quis per templum eat vasis ullis, instrumentisve, aut impedimentis onustus.* Ita enim id, quod σκεῦος dicit, accipimus, ut ad loculos etiam, & ascoperas, atque ad ea omnia pertineat, quæ oneri exuberant. [4] Certe ille idem Messias, cum propter excellentem seculi perversitatem vetus hoc institutum exolevisset, nummularios, atque eos, qui intenti distrahendis mercibus erant, procul a sacro limine [5] abegit. Templi admiranda moles [6] urbem ex alto despectavit. Posita enim in montis crepidine [7] fuit, cujus spatium rex Salomo ampliavit, a gesta in profundissimam vallem [8] humo ad altitudinem quadringentorum circiter cubitorum. Consummata autem tanti operis constructio intra septem annos [9] est. Quod pene incredibile dixeris. Sane tardior in ædificando Græcia fuit, quæ Dianæ Ephesiæ templum ducentesimo & vicesimo anno vix absolverat, [10] etsi adjuta totius Asiæ opibus est: sed cœpti difficultas ex natura loci fuit: quippe condi eam ædem in palustri solo placuit, ne terræ motibus quateretur. Vanissimum est, & exibilari debet, quod Rabbi Eliezer in capitulis suis ex communi Judæorum opinione prodidit, montem, in quo ædes Jerosolymitana stetit, hunc ipsum esse, in quo primus hominum parens [11] Adamus sacra fecit: atque ibidem mox Abelum, Cainumque munera sua Numini obtulisse: rursus vero & Noachum illic altare posuisse, cum ex arca egrederetur: & Abrahamum cœlestibus monitis huc profectum fuisse, uti filium mactaret. Ejusdem generis est, quod in Bereschit Rabba, in Pasuk וייצר, & in Thalmudis Hierosolymitani tractatu, qui נזיר inscriptus est, in capite XXIII. legitur, Adamum ex pulvere illius montis esse conditum, atque recte dictum a sapientibus veteri verbo esse, שנברא ממקים כפרתו *creationem ejus in illo loco contigisse, ubi peracta ejus expiatio est.* Nemo nostrum tam bardus est, qui hæc credat. Et tamen ipsis vetus commentum placet. Sed hæc deliria pluribus persequi, id vero nostrum non est.

NOTÆ AD CAPUT DUODECIMUM.

[1] *Interius auro magni ponderis obductum erat*) Intelligit autor templum Salomonis ſplendidiſſimum. Non contentus erat Salomo, quod templum ædificatum fuerit ex marmore pretioſo, cedris odorem ſpirantibus; ſed ut omnia in templo ſint ſpecioſa, vult auro obduci omnia. Nihil erat in templo, quod auro non contegeretur. Cum *Salomonis* templo magnam convenientiam habet templum ad flumen *Salam* ædificatum, quod adeo magnifico apparatu conſtructum videbatur ſcribit *Olaus Magnus lib.* III. *c.* v. ut nihil in ejus parietibus, laqueariis aut columnis, niſi auro ſplendidum videretur. Tectum præterea totum auro fulgebat. -- Quo factum erat, ut templum in ampla planitie ſitum, admirando ſui fulgore venerandam religionis majeſtatem acceſſuris ingeneraret. Huic accedit Templum Serapidi dedicatum, de quo Ruffinus *lib.* II. *c.* XXIII. Interiores delubri parietes laminis primo aureis veſtiri, ſuper has etiam argenteis, tertio quoque loco eſſe æreas, ad utrumque tum argenteum tum aureum ornamentum communiendum.

[2] *Vaſa ex puro puto auro*) Mandaverat Deus Moſi, ut omnia vaſa tabernaculi ex auro puriſſimo confici curaret. vid. *Exod. cap.* XXV. Confer. *annot. Ainſworth. fol. m.* 101. 102. & *Exod. c.* XXVIII. Conflata itaque videmus ſacra vaſa vel ex auro vel argento, quod ad ſupellectilem ſuam parandam Jehova πολυπάνσοφος offerri jubet *Exod.* XXV. Aurea quædam vaſa in Judæorum ſacris uſitata recenſentur in *Joma c.* III. §. 10. vid. not. *Scheringhamii pag. m.* 36. 37. *edit. Franequer.* Gentiles etiam auro placatiores ſibi fore Deos credebant, dicente *Britannico*, cum *fictilibus, ligneis & vimineis magis eſſent propitii*, tum propter materiam, tum propter artis ſimplicitatem, ita ſcribente *Seneca*. *Porphyrius lib.* 2. *de abſt.* §. 18. eandem fere opinionem fovet. Ideo & *Perſius* adeo in illos invehitur *Satyr.* 5. *verſ.* 52. *ſeqq.*

Si tibi crateras argenti incuſaque pingui
Auro dona feram, ſudes, & pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor, &c.

Conferantur huc *notæ Cornel. Schrevel. pag. m.* 569. *ſeq. in Perſ. edit. Lugd. Bat.* 1648. vid. *D. Saubert. de Sacrific. cap.* XVII.

[3] *Quæ donariis magnificis*) Gentilibus hunc ritum uſitatiſſimum fuiſſe, quo delubra magnificis donariis ornabant. Donaria autem erant, quæ ex liberalitate Diis donabantur. Hujus pietatis inſigne exemplum in Æginetis Herodotus, idem in *Calliope*: Collata autem pecunia decimam ſelegerunt, ex qua tum Deo qui Delphis eſt, tripus aureus ibi repoſitus, inſiſtens ſuper tricipiti ex ære colubro, proxime aram: tum Deo, qui eſt in Olympia, æreus decem cubitorum Jupiter; tum Deo, qui eſt apud Iſthmum, æreus ſeptem cubitorum Neptunus. De magnificis Donariis Capitolii videndus eſt *Rycquius* in libello de Capitolio. Conferri etiam poterit *Jacob. Philip. Thomaſini liber de Donariis, ubi* multa lectu digna. *Martin. de Roa Singular. de die natali pag. m.* 548. Suidæ interpres de Simulacro Martis, quod in Arabia colitur verba faciens, in hæc prorumpit: Domus tota eſt aurata & Donaria multa. Hæc ipſa etiam munera dicuntur, de quibus Juſtinus de Delphico templo *lib.* XXIV. Multa & opulenta ibi Regum populorumque viſuntur munera, quæ magnificentia ſui reddentium vota gratam voluntatem & Deorum reſponſa manifeſtant. Ita etiam in templo Hieroſolymitano Donaria fuiſſe ſplendida teſtatur Joſephus. De Tabula aurea & candelabro aureo videatur Joma cap. 3. & *annotat. Angli Scheringhamii pag. m.* 37. *edit. Franequer.* Immo Ærarium in templo fuit ſcil. atrio mulierum, ubi Gazophylacium: videatur *Samuel Baſnagius de rebus ſacris exercitat. pag. m.* 47. 48. *edit. Ultraject.* 1692. Fuit & apud Ethnicos ſacrum in Deorum templis ærarium. Ædem Saturni, inquit *Macrobius*, Romani ærarium eſſe voluerunt, quod tempore, quo incoluit Italiam fertur in ejus finibus nullum eſſe furtum commiſſum, aut quia ſub illo nil erat cujuſquam privatum. Ærarium etiam apud *Athenienſes* cella erat poſt ædem Minervæ, ob id ὀπισθόδομον dictum. Locupletiſſimus etiam Delphici Apollinis theſaurus fuit *Juſtin. lib.* 24. Sed Delphicum theſaurum ſuperavit Hieroſolymitanus, conſtans magna auri & rudis & ſignati copia, quam impius ille Craſſus abſtulit. Duo ſcilicet Talentorum millia, aurum præterea, cujus ſumma accedebat ad octo Talentorum millia. Recte autor damnat hæc delubra. Unde ſapienter *Plutarch. de Pyth. Oracul.* Juſtitiæ donaria, temperantiæ, magnanimitatis, dedicare Diis Reges & Principes conveniebat; non aureæ & luxurioſæ abundantiæ quæ obtingit peſſime viventibus.

[4] *Quæ oneri exuberant*) Tantam reverentiam exhibebant Judæi templo, ut etiam omnia inſtrumenta viatorum prohiberent. Memoria dignum eſt illud in *Berachoth. c.* IX. *halac.* 5. *Ne ingrediatur quis montem templi cum baculo ſuo, nec cum calceis ſuis, nec cum crumena ſua, nec pulvere in pedibus ſuis.* Quæ a *Gemara* ſic redduntur: Ne ingrediatur quis in montem templi, nec cum baculo in manu nec cum calceis in pedibus, nec cum nummo ligato in linteo ſuo nec cum crumena a tergo pendente. Quid autem πήρα ſit *Maimon. in Kelim. cap.* XVI. ℣. 4. oſtendit, ita ſcribens: תורמל eſt pera coriacea quam a collo ſuo appendunt paſtores, in qua victualia ſua reponunt. Idem fere habet R. *Salomoh* & *Aruch*, niſi quod illas non ſolis paſtoribus tribuunt. Græco ζώνη reſpondet Talmudicorum אפונדרי, quod ſic a Gloſſatore definitur in *Bab. Berachoth fol.* 62. 2. Eſt cingulum cavum in quo repoſuerunt nummos ſuos. Hoc per templum geſtare non licebat nec baculum, quia ut viatores coram Numine non debebant comparere Iſraelitæ; Hinc *Bab. Schabb. fol.* 31. morte dignus judicatur, qui ita ſe geſſerit. Confer *Johan. Lightfoot. hor. Talmud. in Marc. cap.* 11. *pag. m.* 632. 633. *Anton. Bynæ de calceis Hebr. pag. m.* 177.

[5] *Procul a ſacro limine abegit*) Chriſtus, uti *Johannes Evangeliſta cap.* II. verſ. 14. 15. 16. refert, *venditores boum* & ovium & columbarum & nummularios ſedentes e templo ejecit. Omnes e templo expulit quæſtum facientes; adeoque Spiritum Sanctum cum horum mentionem facit, innuere duntaxat voluiſſe, certum eſt, quod ejuſmodi nihili homines, locum ſanctiſſimum ſua præſentia turpiter profanantes, jure exacti fuerint. De Nummulariis, Menſariis, Argentariis Græce a Matthæo & Marco κολλυβισταὶ dictis fuſe egit *Guilielm. Salden. in Otiis ſuis Theologic. lib.* 4. *Exercit.* 1. *pag. m.* 614. 615. Cum itaque templum *locus orationis* fuerit, ubi Deus colendus, Nummularii autem & Κερματισταὶ in domum mercatus ipſum vertiſſent, imo in ſpeluncam latronum, merito Dominus templi, ad quem illud pertinebat, procul a ſacro limine abegit. Hinc optime *Momma de var. Eccleſ. Oeconom. pag.* 483. pathetice ita παραφράζει verba: *Cogitare facile* eſt, inquit, quanta colluvies hominum peſſimorum quotidie impleverit templum turpi lucro & quæſtui inhiantium; Quanta ibi vociferatio ementium & vendentium, quantus mugitus boum, balatus ovium, pipitus columbarum, quantæ fraudes ibi fuerint uſurpatæ, tum vendentium tum ementium, tum argentum commutantium; adeo ut vix precibus & ſanctis meditationibus locus fuerit. Ita vero domus Dei facta eſt domus emporii ſeu mercatus; & domus orationis, deſtinata ad fundendas preces, ſpelunca latronum & prædonum, hominum avarorum, quæſtuoſorum, ὑπερβαινόντων καὶ πλεονεκτούντων ἐν τῷ πράγματι, 1. *Theſſ.* 4. 6. Ideo non potuit non Chriſtus ægre ferre inſignem hanc confuſionem. Templum erat domus Dei, Deus hactenus illud inhabitabat, &c. Hic Dominus Templi hoc loco ſe gerit pro templi Domino. Nolebat tolerare illius profanationem. Erat locus is ſanctus, ſancta ibi erant tractanda, non quæſtus, non mercatio. Ita etiam Gentiles profanos e templis rejecerunt ſuis. Vid. *Pfeiffer. antiq. Græc. lib.* 1. *cap.* 39. *pag.* 89. *ſeq.*

[6] *Admiranda moles*) Tanta enim fuit templi majeſtas tantuſque fulgor, ut hominis vix ſit, aut ex

pretio

pretio describere, aut in ordinem redigere recentem. Illustrarunt templi sedem *Hieronymus*, *Pradus*, *Villalpandus*, *Ribera*, *Adrichomius* & alii, ut supervacaneum videatur, scribere post *Homerum Iliada*.

7 *In montis crepidine*) Scil. Moriæ, mons unus ex tribus iis, qui ab ortu urbi imminebant, atque a monte Sion per vallem Tyropæon, a monte Acra vero per vallem Cedronis distinctus. De etymologia hujus variant authores, quorum sententias adductas vide apud *Dieter. in antiquitatibus Bibl. fol. m.* 362. conf. *Joh. Henric. Othon. Lexicon. Lightfoot. pag.* 46. *edit. Lips. & pag.* 57. 58.

8 *In profundissimam vallem*) conjecta fundamenta in altam terræ profunditatem inter saxa validissima, quæ tum contra omnem temporum injuriam resistere, tum quamcunque superpositam molem sustinere poterant. De his scribit *Josephus lib.* 8. *antiq. Judaic. cap.* II. *pag.* 110. sequentibus verbis: Rex in altissimam terræ profunditatem fundamenta templi jecit ex saxis validissimis, quæ contra omnem temporum injuriam resistere possent, ita ut cum contigua terra coalita solum ac firmamentum imponendis substructionibus præberent, & propter inconcussam soliditatem facile molem ædificii cum paratu ornamentorum sumtuosissimo perferrent, non minorem admirationem habitura, quam quæ superne ad amplitudinem, pulchritudinem & magnificentiam operis per artifices elaborata sunt, exstruxeruntque usque ad lacunar ex albo lapide. Conf. Joh. *Henric. Othon. Lexic. Philolog. pag. m.* 637.

9 *Intra septem annos*) De his legimus 1. *Reg. c.* VI. 30. ædificavit eam scil. ædem septem annis. Putat quidem *Dieteric. in antiquit. Bibl. fol. m.*356. intra undecim annorum spatium exstructum esse templum a *Salomone*, ita, ut septem annos consumserit in exstruendo templo seu domo, reliquos vero in parandis utensilibus. Verum cum in Sacra Scriptura expresse septem tantum annorum mentio fiat, non videmus, quomodo defendi possit opinio hæc. Confirmat *Seder Olam cap.* XV. templum Salomonis intra spatium septem annorum ædificatum fuisse, cujus verba vir celeberrimus *Johannes Meyer in annot. ad h. l. pag. m.* 631. *edit. Amstel.* 1699. erudite explicat: Repetit Scriptor Sacer hunc temporis characterem, ut cuique constaret, quando fundata, & quando perfecta esset domus; & ut ostenderetur magnificentia domus ex structuræ tempore & alacritas ac solertia Salomonis in opere templi, quod exstruxit septem annis, etsi majus & pretiosius esset domo sua, quam ædificavit tredecim annis, ut etiam significaretur Dominum huic operi benedixisse.

10 *Vix absolverat*) Loquitur autor de templo Dianæ splendidissimo & pretiosissimo Ephesi in honorem Dianæ exstructo, quod ob operis magnitudinem, & elegantiam inter septem mundi miracula relatum *Panciroll. lib.* I. *Tit.* 32. *pag.* 102. *rer. deperdit*. Cujus templi celebritatem tria augent; Magnitudo primum, quæ cætera omnium hominum opera anteit. Ephesiorum deinde civitatis splendor. Et ipsa postremo Deæ claritas. Primus hujus templi Architectus fuit *Chersiphron Strab. lib.* XIV. *pag.* 640. *Geograph.* & ducenti vigintique anni istius structuræ, quam tota fecit Asia, elapsi sunt. Verum de hoc audiamus *Plinium lib.* XXXVI. *cap.* XIV. *p.* 716. *Natur. histor.* Magnificentiæ admiratio extat, templum Ephesiæ Dianæ ducentis viginti annis factum a tota Asia. In solo autem palustri fecerunt, ne terræ motus sentiret aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calentibus ea substravere carbonibus, deinde velleribus lanæ. Universo templo longitudo est quadringentorum viginti quinque pedum: latitudo ducentorum viginti: columnæ centum viginti septem a singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, ex iisdem triginta sex cælatæ, una a Scopa: Operi præfuit Chersiphron architectus. Summa miracula, epistylia tantæ molis attolli potuisse. Id memorabile est, quod in templi limine, quod foribus impendebat, cum maxima ibi esset consternenda & compingenda moles architectus sederet in cubili anxius animo. Tradit autem artifex in ea cogitatione fessum nocturno tempore in quiete vidisse præsentem Deam, cui templum fiebat, hortantem, ut viveret: se composuisse lapidem: atque ita postero die apparuit pondereque ipso correctus videbatur. Multa in isto templo erant ornamenta stupendo artificio fabrefacta. De quibus *Martial. Epigr.* 1. *de Spectacul.*

Nec triviæ Templi molles laudentur honores.

Ubi per *molles honores* non intelligimus ac si in isto templo fuerint multa ornamenta ad luxum & mollitiem potius quam ad ædificii solidam laudem spectantia: sed cum Georgio Merula molles honores accipimus in commendationem tam artificum, quam statuarum, quæ in templo magnificentissime stabant. Vid. *Angel. Politian. c.* 51. *Miscell.* & *Rader. ad hoc Epigr.* nec non *Salmuth. ad Panciroll. part.* 1. *tit.* 31. *pag.* 107.

11 *In quo primus hominum parens*) Rabbini statuunt *Moriam* montem esse illum locum, ubi primus homo Adam sacra fecerit, Cain & Abel sacrificaverint, &c. Ita Rabbi *Eliezer in Pirke c.* XXXI. de tentatione Abrahami loquens: *Statim* atque devenerunt ad illum locum, monstravit Sanctus benedictus Abrahamo digito dixitque illi: Hoc est altare, hoc inquam est altare, in quo primus homo olim obtulit: Hoc est altare illud, in quo sacrificium obtulerunt Cain & Abel. Hoc quoque est, in quo Noah & filii ejus sacrificarunt, prout dicitur: Et exstruxit *Noah altare Domino*, *non sic scriptum est*, *sed: Exstruxit Noah* את המזבח *illud altare*, *in quo scil. primi seu prisci obtulerunt*; Ita etiam *Maimonid. in Mischn.* 8. *tract. de Templ. cap.* 2. *sect.* 2. cujus verba Anglice recenset Anglus *Henric. Ainsworth. Comment. in Genes. cap.* 4. *fol. m.* 21. *edit. Londin.* his verbis: *It is a tradition by the hand of all, that the place wherein David and Salomon buitt an Altar, in the Floore of Araunah* (1. Chron. 21. 22. 26. and 22. 1. 2.) *whas the place where Abraham builded an Altar and bound Isaak upon it, and that was the place where Noe builded after he came out of the Arke, and that was the altar upon which Kain and Abel offred: And on it, Adam the first man offred an offring after he was created*. Verum hæc omnia pura puta figmenta Rabbinorum sunt, uti celeb. *Heidegger. pag.* 292. ostendit.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Admiranda quædam de templo, deque ſacrificiorum & ſacerdotum multitudine. De feſto Paſchatis ſingulare quid, & pene ſupra fidem. Lignorum tres ſtrues in altari. De æternis ignibus. Corban Habitſin, oblatio lignorum, & dies feſti ad hanc rem. Talmudicorum & Flavii Joſephi diſcrepantia. Superſtitio eorum, qui intraverint templum, quique exiverint ex illo.

DIFFICILE eſſet dicere, quot ſacrificiorum oblationumque genera & cauſas Judaica religio habuerit. Sane, cum Flavius * dicat, in ſingulis claſſibus, quæ hebdomadam unam per vices in templo ſacris operabantur, fuiſſe plus quam quinque millia [1] ſacerdotum; omnino opus ingenti victimarum numero quotidie fuit, ne tot manus otioſæ eſſent. Notat idem ſcriptor † uno die paſchatis ducenties quinquagies quinquies millena & ſexcena animalia immolata eſſe. Diximus autem, ſolenni Paſchatis die, [2] & præterea duobus aliis feſtis, omnes ſacerdotum claſſes Jeroſolymam veniſſe, & junctis operis ſacra ſimul feciſſe: ut jam neceſſe ſit, eodem tempore, atque die uno, centum & viginti millia ſacerdotum munus ſuum objiſſe. Quod ſi jam e numero victimarum, quas cecidiſſe Flavius in illo feſto prodit, mactatas a ſacerdotibus ſingulis binas cogites; ſuperſunt quindecies millenæ, & ſexcenæ, quæ adhuc quærunt, cujus manu pereant. Porro harum omnium immolatio facta in uno altari eſt, in quo quotidie tres lignorum ſtrues [3] compoſitas fuiſſe, Rabbi Moſes Ægyptius ait: de quibus ſingulatim illud prodit, in Halacha Temidin & Muſaphin, in capite ſecundo: ראשונה מערכה גדולה שעליה מקריבין התמיד עם שאר הקרבנות: שנייה בצדה קטנה שממנה לוקחין אש במחתה להקטיר קטורת בכל יום: שלישית אין עליה כלים אלא לקיים מצוות האש שנאמר אש תמיד תוקד: *Prima ſtrues*, inquit, *magna erat, in qua juge ſacrificium, cæteraque, quæ offerebantur, apponebant. Secunda, ad latus ejus, minor fuit: de qua ignem exceptabant acerra, ut ſuffimenta in altero altari adolerent, quod prope S. Sanctorum erant poſitum. Tertia illud duntaxat habuit, quod ratam faceret legis divinæ præceptionem, quæ de igne extat ejuſmodi, Accendes ignem perpetuum.* Scribit Flavius in libro ſecundo ἁλώσεως, in capite triceſimo & primo, fuiſſe Jeroſolymæ diem feſtum quendam, quem τὰ ξυλοφόρια [4] ipſe appellat propterea quod Judæi tunc omnes ex ſylvis magnam lignorum vim in templum [5] comportabant ad alendos ſacros ignes, [6] quos eſſe æternos [7] & nunquam exſtingui lex divina juſſerat. Hic vero leviter a Flavio Talmudici diſcrepant. Ajunt enim, non id uno tempore factum ab omnibus ſimul eſſe, ſed familiis ſingulis ad hanc rem fuiſſe certos dies conſtitutos: quod nos ita accipimus, ut ſtatus quiſque dies plures familias, puta viginti aut triginta, hujus officii cauſa ſociaverit, non Judæorum hercle per reliquam Palæſtinam habitantium, ſed Jeroſolymitanorum duntaxat. Addunt Talmudici, eas familias, queis lignationum vices in orbem redierant, holocauſtum ſpontaneum obtuliſſe, quod קרבן העצים dictum fuit, quoniam ſuperadditum lignationi eſt: fas autem illis non fuiſſe, ea tempeſtate in luctu & ſquallore eſſe, aut jejunio ſe macerare. Talmudicorum ſententiam Maimonides illis verbis complexus eſt, in Halacha Cele Hammikdaſch, in capite ſexto: זמן קבוע היה למשפחו׳ לצאת ליערים להביא עצים למערכ׳: ויום שיגיע לבני משפחה זו להביא העצים היו מקריבין עולות נרבה והו קרבן העצים והיה להם כמו יום טוב: Porro, ut in animis major veneratio ineſſet ſacræ ædis, introductum illud non lege Moſaica, ſed vetuſtiſſimis Judæorum inſtitutis eſt, ut quiſquis templum intrabat, greſſum ad dextram [8] obverteret, ac ſic circumiret, eaque via egrederetur, quæ ad ſiniſtram erat. Contra autem, qui in luctu fuere, quive ejecti ex Judæorum communione erant, eo ſubmotionis genere, quod נידוי appellatur, iis circuitio facienda a ſiniſtra dextrorſum fuit. Quin ipſi ſacerdotes, cum rem ſacram feciſſent, receſſim ad portam atrii cedebant, pene ut nepæ ſolent, ſed paululum tamen obliquato latere. Hæc, & id genus plura in libris Talmudicis traduntur, & referenda ad illud tempus ſunt, cum jam in animos hominum, res inſana, ſuperſtitio invaſiſſet.

* *In Apolog. adverſus Apionem.* † *Lib. 6. ἁλώς. cap. 45.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMTERTIUM.

[1] *Plus quinque millia*) Teſtatur hoc Joſephus cujus verba hæc ſunt: Licet enim ſint tribus quatuor Sacerdotum, & harum tribuum ſingulæ habeant hominum plus quam quinque millia: vid. celeb. *Braun de veſtit. Sacerd. Hebr. pag. m.* 332.

[2] *Solenni Paſchatis die*) Autor *Schilte Haggiborim*

vim c. 67. enumerat viginti quatuor Sacerdotes ad ſacrificium juge matutinum; die Sabbatho quadraginta ſex requiſitos fuiſſe; Maximum autem numerum putat poſtulaſſe ſacrificia jugibus addita feſti *Novilunii*, ubi multa offerenda fuerunt ſacrificia. *Num.* XXVIII. uti pluribus enucleavit prælaudatus D. *Braun. pag.* 337. 338. Nunquam tamen, addit, plures adeſſe debebant Sacerdotes, quam feſto Paſchatis, quippe incredibilis multitudo agnorum circa veſperam immolanda. Probatque hoc cum noſtro ex J*oſepho de bell. Judaic. lib.* VII. *c.* XVII.

3 *Tres lignorum ſtrues*) Rabbinis quidem de iis lis eſt. *R. Meir* enim quatuor, *R. Juda* duas, alii quinque, uti in annot. ad *Codic. Jom.* refert Anglus doctiſſ. *Scheringham. pag. m.* 49. *edit. Franeq.* R. Jo*ſis* autem ſententia omnium calculos tulit, quæ tres tantum ſtatuit. Una eſt מערכה הגדולה *ſtrues magna* cui omnia ſacra comburenda imponebantur. Altera quæ minor erat, juxta priorem ponebatur, atque ignem ſuffitui in ara aurea adolendo ſufficiebat. Tertia, quæ של קיום האש dicitur, non alio pertinebat, ac ut obſequium præſtaretur divino juſſui de igne conſervando *Levit. 6.* 13. In quarta ſtrue *R. Meir* heſternarum victimarum reliquias in cinerem non penitus dilapſas, cremandas eſſe putavit. At ea nihil habemus opus. Nam iſtas ad primæ ſtruis latera poſtero mane appoſitas fuiſſe, *Miſchna Tamid* teſtatur, & non male *Leontius* explicat. Strues iſta latera habuit, ſuper quibus membra victimarum, quæ a veſpera præcedente non conſumta fuerunt, diſponebant. *Baal Schilte cap.* LVII. & *Maimonid. Hilk. Tam. c.* II. §. 5. ex Scriptura ita probant. E traditione habemus, quod verba *Levit.* VI. 2. ſuper aduſtione, quæ fit in altari, ad ſtruem magnam pertineant. At verſu eodem: & ibi ignis altaris alendus eſt, ad ſtruem ſecundam, quæ ſuffitus eſt. Et verſ. 5. Et ignis, qui eſt ſuper altare, ardebit in eo: ad tertiam, quæ ad conſervandum ignem eſt. De modo conſtruendi & qua parte, videantur plur. *Reverend. Daſſov. in diſſert. de Altar. exter. Hieroſolym. Templ. edit. Witteberg.* 1698. *Cl. Joh. Jacob. Cramer.* מזבח עולה ſeu *de ara exteriore templi ſecundi edit. Lugd. Batav.* 1697. *Johann. Saubert. cap.* XVI. *pag. m.* 361. *de ſacrific. edit. Jenenſ.* ad quos Lectores curioſos remittimus, qui plura de his legere deſiderant.

4 Τὰ ξυλοφόρια) Putat Author noſter ex Joſepho probari poſſe univerſum populum ligna comportaſſe, in quo a Magiſtris aliquatenus diſſentit. Videtur enim id officii populo univerſo adſcribere & ad unum tantum tempus adſtringere, cum tamen Rabbini quaſdam familias ſorte electas cum *Nehemia* aſſerant, & novem diverſa tempora ſignent. vid. celeb. *Joh. Meyer. Diatrib. de Feſtis pag. m.* 302. *edit. Amſtel.* 1693. *Joh. Saubert. tr. de Sacrificiis pag. m.* 361. *cap.* XVI. *edit. Jen.* Origo eſt *Nehem.* X. 35. Sortes conjecimus Sacerdotes, Levitæ & populus Iſraelis, (non Nethinæorum, ut *Junius* putat) pro oblatione lignorum ad offerendum ea in Domum Dei juxta familias paternas noſtras, temporibus condictis de anno in annum. In *Taanith cap.* IV. §. 5. recenſentur novem dies ſpeciales in anno ad hoc deſtinatos, ut octo familiæ (Joh. Henric. Otho novem vult) in illis ligna afferrent. (1) die Niſan afferebant *Arahi* filii; die 2. *Tammus* filii *Davidis* filii Judæ; die 5. menſis *Abb* filii *Paroſh*; die 7. ejuſdem menſis filii J*onadab* filii Rechab: & die 10. filii *Senaah*; die 15. filii *Zattu*; die 20. filii *Paleoth* Moab: die 20. menſis Elul filii *Addin*: 1. *Thebeth* iterum familia *Paroſch.* Confer. *Joh.* Jacob. *Cramer.* de ara exteriore templi ſecundi pag. m. 100. edit. Lugd. Bat. Gentiles quoque hunc ritum obſervaſſe in comportandis lignis, refert Cl. *Saubertus de ſacriſ. pag. m.* 359. Conf. *Wilhelm. Stuck. in deſcript. Sacriſ. Gentil.* hoſque lignatores vocaſſe.

5 *In templum*) Obvium eſt in Atrio mulierum conclave, ſitum in angulo ejus Orientali aquilonari, quod *Schekalim* VI. 1. דיר העצים *lignile* dicitur, quia ut notat *Bartenora* omnia ligna, quæ ad pyram pertinebant eo reponebantur, ideo nimirum, ut Sacerdotes quos vitium a miniſterio arcet ligna vermibus infecta reſecarent, quoniam lignum, in quo vermis erat, aræ adhiberi nequiret, *Middoth.* I. XI. §. 5. Jom. uti *Conclave lignorum* dicitur. Verum hic quæritur, an hoc conclave atrii mulierum incredibilem illam lignorum multitudinem acceperit? R. *Abraham Schilte cap.* XXV. ita diſſerit: Hoc conclave in atrio mulierum non eſt *Lignile*, in quo omnia ligna condebantur, quibus per anni integri decurſum altaris rogis opus erat, quæque a familiis populi donabantur juxta Taanith IV. §. 5. ſed in Conclavi iſto ea tantum ligna ponebantur, quæ tres altaris ſtrues in ſingulos dies poſtulabant: atque iſti Sacerdotes proxime, ante ſtrues inde compoſitas, ea ibi vermibus purgabant & findebant. Aliud autem conclave in *monte Domus* & quidem decimum, in quo omnia ligna condebant, quibus per annum unum integrum opus erat, oblata a filiis Davidis filii Judæ & ſociis. Confer. *Daniel Lundius* in *Cod. Talm. de jejun. edit. Traject. p.* 54.

6 *Ad alendos ſacros ignes*) Non quævis ligna ad alendum ſuper altare ignem apta erant, ſed illa, quæ rogis adhibebantur, pulchra, eximia, & ab omni vitio aliena debebant eſſe, æque ac victimæ ipſæ. *Schilte*. Ligna ſtruis non niſi ſelecta eſſe oportet juxta ritum victimarum, & idcirco vermium & putredinis expertia -- Profana erant & ligna demolitionis; Neque enim alia, quam ligna recentia afferre licebat. Et hoc ſtatutum gravi pœna ſancitum fuiſſe ait idem ibidem. De eo, qui ligna illegitima ad aram affert quæritur in Menach. c. VIII. neque definitur, an idem peccet, quod qui victimam vitioſam offert, & flagro novies & tricies cædendus ſit? an non? Ea propter flagro non cæditur, ſed verbera rebellionis patitur. Cæterum omnia ligna idonea erant, dum nova eſſent, uti ex *Maimonide de rebus altari interdictis c.* 7. §. 3. refert *plur. Reverend. D. Daſſovius in diſſertat. de altar. exter. templi Hieroſolymit.* §. 19. *edit. Wirteberg.* his verbis: Ligna omnia nova (ſive ſylveſtria) legitime ad ſtruem majorem adhibebantur, non autem afferebant ligna oleæ, nec vitis, propterea quia illa ad orbem habitabilem terræ Iſrael pertinebant. Confer. *Joh. Jacob. Cramer* qui eadem ligna inidonea ex *Tamid* II. §. 3. recenſet. Solebant tamen adhibere ramos ficuum ſylveſtrium, ſive recentiorum, quæ non ad orbem habitabilem pertinebant, & ligna nucum & arboris oleoſæ. Et quæ aliæ ſpecies, de quibus diſſerit citat. *Cramer. pag. m.* 98. Unde conſtat, ægre admiſſas eſſe arbores, quæ fructus dabant: uti ex *Tanchuma* profert celeb. *Daſſovius*. Inſuper ligna iſta non debebant ſcatere vermibus, ut inculcant *Maimonides de rebus altari interdictis c.* VI. §. 2. & *Nathan. in Aruch. ſol.* 161. imo licet vermes ejecti eſſent, tamen inepta erant, ut legitur in *Piske Toſephot*, poſt titulum *Middoth. n.* 9. Gentiles quoque diſcrimen lignorum obſervaſſe in ſacris expediendis Scriptores illorum teſtantur. *Plin. hiſt. natur. lib.* XVI. *c.* VI. *Strabo lib.* XV. *Pauſan. lib.* I. *pag.* 313. quorum ſeriem texerunt *Guilielm. Stuck. in deſcript. Sacriſ. Gentil. edit. Tigur. Lomeyer de luſtration. Gentil. pag.* 263. *Saubert. de Sacriſ. l. c. Voſſ. de Orig. & progreſſ. Idololat.* 3. *pag.* 788. *edit. Francoſ. in* 4. *Roſin. antiq. Rom. lib.* III. *c.* XXXIX. *edit. Genev. p.* 322.

7 *Æternos*) Tertius altaris ignis vocabatur ignis perpetuus, de quo alii ignes ſuccendebantur, qui licet in omnibus altaris ſtrui locis poſſet, tamen in aquilone exprimitur, ut convenientior eidem aſſignaretur locus. De quo verba *Maimonid. de jug. ſacrificiis c.* II. §. 9. Verba ita ſonant: *Tertiam ſtruem ad conſervandum ignem in quovis altaris loco exſtruebat* (Sacerdos) *& ea accendebat ignem. Non autem licebat incendere ignem inferius, & deferre in altare, ſed in altari ipſo incendebant ipſum, quia dicitur Levit.* VI. *9. & ignis altaris ſuccendetur in illo. Unde patet, ignem non niſi in apice altaris incendi debere.* Sed cum iſte ignis vocetur perpetuus, merito quæritur, an ſemper perpetuus fuerit, an vero potius ignis holocauſtorum vocari perpetuus debeat? Hoc certum eſt, ſtruem majorem holocauſtorum etiam vocatam fuiſſe ignem perpetuum, fidem faciente *Elia* Orientali in Commentario in *Iſacidem edit. Cracov. ſol.* 167. *col.* 4. Unde *Lucas Oſiander in Levit.* VI. 12. *Sacrorum Bibliorum part.* 1. *f.* 148. ſcribit: Ignis in eodem altari erit. Hebr. & ignis altaris ardebit in eo, i. e. non cremabitur holocauſtum aliunde allato igni, ſed eo, qui ſemper in altari fovetur, qui ignis a Domino cœlitus demiſſus, conſumſerat ſacrificium cum initiarentur

Aaron

Aaron & filii ejus *Levit.* IX. hoc igne & non alio crementur sacrificia. Quibus paria leguntur in *Bibliis Vinariensibus in Levit.* VI. 9. Conf. *Henric. Ainsworth. Comment. in Levit. fol. m.* 32. *edit. Londin.* & Vers. 12. *fol.* 33. Eandem sententiam fovent alii Interpretes non pauci. Nam *Alphonsus Tostatus in Levit.* VI. *Oper. T.* 3. *edit. Colon. pag.* 88. *col.* 1. commentatur: sed Deus ad honorandum sacrificia sua, ut distinguerentur a sacrificiis aliarum gentium fecit descendere ignem de cœlo & cremare sacrificia illa, atque ibidem manere in perpetuum: nam postea ille ignis nunquam cessavit de altari. Conferantur *Jacob. Bonfrer. in Pentateuch. edit. Antverp. pag.* 600. *Johann. Lorin. in Levit.* VI. *edit. Lugd. p.* 147. *Wolffgang. Franz. in Schol. sacrif. Patriarch. disp. Theol.* 5. *thes.* 18. *Joh. Cleric. in paraphr. ad Levit.* VI. *edit. Amstelod. in fol. p.* 197. Ut hæc quæstio decidatur, dici quidem potest, ignem holocautomatum fuisse ignem perpetuum eo tempore, quo cœlitus descendebat, sed tamen etiam eo tempore nutriri foverique igne vulgari consuevisse, uti Hebræorum Doctores passim referunt in libr. Mischnicis. Quibus accedunt testimonia *Moses Aschech* qui, referente celeb. *Dassovio*, in *Levit.* VI. *in Sepher Torah Mosche* singulo mane ligna igni sacro adjecta fuisse scribit. Quando autem ignis non descendebat de cœlo, non modo victimarum ignis suscitabatur per se, sed & de igne alio, qui struebatur in altari ac perpetuus appellabatur & exstingui non debebat accendebatur. Vid. *Henric. Ainsworth. Comment. in Pentateuch. in Levit.* 6. *fol. m.* 33. *edit. Lond.* Audiamus eleganter in hunc locum commentantem D. *August. Pfeiffer. in dub. vexat. pag.* 256. Tenebantur quidem vi præcepti Israelitæ ignem, nisi cœlitus descendisset pro se suscitare & fovere, quia tamen ignis cœlestis gratiose demittebatur, eum deinde lignis appositis fuisse conservatum probabile est. Hinc forsitan Gentiles Ignem Vestalium perpetuum finxerunt, de quo *Justus Lips. de Vesta & Vestal. Alexander ab Alexandro lib.* v. *c.* XII. *edit. Lugd. Bat. T.* 2. *pag. m.* 104. *Lil. Gyrald. T.* 1. *pag.* 151. 152. *Kipping. in antiq. Roman.*

[8] *Gressum ad dextram*) Author noster hoc loco cum aliis doctis viris refert, quomodo templum Israelitæ veri ingressi, & quo modo excommunicati vel lugentes, & asserit vetustissimum institutum fuisse, imo ad *Salomonem* trahunt, uti refert *Johann. Henric. Otho in Lexic. Philolog-Rabbinico pag. m.* 182. *edit. Genev.* inquiens: Salomo in templo duas constituit portas, per unam sponsi, per alteram vero excommunicati soli ingrediebantur; lugentes obvelabant ora, sed non excommunicati; quando ita templum ingrediebantur per illas portas, ab omnibus egredientibus salutabantur; Observandum autem, quod horum diversus ingressus & egressus fuerit, teste *Middoth. c.* 2. *hal.* 2. Omnes in Templi montem ingredientes ingrediuntur via dextra ac circumeunt; egrediuntur autem via sinistra, excepto illo, cui aliquid accidit; nam ille circuivit ad sinistram. Excommunicati & lugentes sinistra via & extraordinario intrabant & sic circumeuntes exibant via dextra, de qua re videatur doctissimus *Constantin. l'Empereur in not. ad hunc titul.* Hinc, si ita introeunti quis dixisset, cur in sinistram te vertis, atque is respondisset, quoniam ego excommunicatus sum per נדוי *Niddui*. Tunc ex sententia R. Meir respondebat ille: Ille qui hanc ædem inhabitat soletur te & indet cordi tuo quod est necessarium & recipiant te. Videantur de hoc ritu Angl. valde erudit. *Joh. Selden. lib.* 1. *de Synedr. Hebr. cap.* 7. *pag. m.* 128. *edit. Francof. Joh. Lightfoot. Centur. Chorograph. Matth. præmiss. pag. m.* 58. *edit. Lips. Joh. Henric. Otho. pag. m.* 182. *doctiss. Campeg. Vitringa de Synagog. veter. lib.* 3. *par.* 1. *pag. m.* 740.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Addita religionibus majestas. Talmudicorum sententia de muro, qui adyta separabat: & cur is in templo secundo non restitutus. De custodiis templi. An recte eas Maimonides esse ex lege tradiderit? Morbi crebri sacerdotum unde fuerint?

FUIT illud a sapientissimo Salomone, non ab seris nepotibus ejus, institutum, ut discreta sacerdotum, Israelitarumque & mulierum atria [1] essent. Ita provisum recte est, ne religionem commixtio fœdaret. Nam quod ipsis sacerdotibus non penetrare in templi intima licuit, sane vero etiam id augendæ majestatis fuit, cujus major est ex occulto admiratio. Atque ante quidem, cum inter Sanctum & Sanctum Sanctorum murus quidam [2] unius cubiti latitudine stetisset, post cum ædem secundam ii exstruerent, qui reversi Babylone erant, dubitatum est qua proportione, quove pacto spatium ejus muri immissum in Sancta, inque Sanctum Sanctorum fuisset: &, cum decidi ea res nequiret, vice muri duo vela [3] oppansa sunt, inter quæ spatium cubiti interfuit: nam antea hercle duntaxat unum pependerat. Traditum id a Rabbi Mose Ægyptio est, in capite IV. in Halacha Beth Habbechira. Atque ex eo constat, quam scrupulosa eorum hominum religio fuerit. Sed ejus rei etiam alia documenta sunt. Ait ille idem magnus Rabbinus, semper Levitarum sacerdotumque vicenas quaternas stationes excubias nocturnas [4] in æde sacra, & circum illam iniisse, non quod ab hoste grassatoribusve metus fuerit, sed uti honos religionibus [5] esset. Leges autem illis præscriptæ ejusmodi fuere, ut sacerdotes intus, Levitæ foris [6] custodirent; & illorum quidem tres, horum vero essent XXI. stationes. Denique Levitæ totas noctes pervigilabant: at sacerdotibus somnum capere haud nefas fuit. Non culcitræ [7] tamen, non tomenta [8] mollem requiem illis fecerunt: dormiendum humi [9] in solo erat; ut hoc illis commune fuerit cum Delphici Apollinis sacrificulis, [10] qui a Callimacho perquam eleganter dicti sunt:

Γηλεχέες θεράποντες ἀσιγήτοιο λέβητος.

Nos hæc, quæ de custodiis diximus, sero admodum, & labente republica, esse instituta putamus, quo tempore multa alia sunt inventa, quorum nec vestigium antea, nec vola extiterat. Nam quod summus Rabbinus Ægyptius testimonia quædam ex

Pentateucho recitat, utique mendoſe facit. Quæ enim cunque in Numerorum capite ſecundo & tertio edicta ſunt de caſtrorum metatione, quam circum tabernaculum fieri in deſerto oportuit, ea vero ad urbem Jeroſolymam [11] traducere, ubi ſacris ceremoniiſque tuta ſedes fuit, magna imprudentia eſt. Quid quod poſt Babylonienſe exilium quindecim munera [12] in templo adminiſtrata ſunt, de queis Judæorum reges antea, qui de Davidis familia fuere, nunquam cogitaverant? Ea memorantur in Talmudis tractatu, qui Maſſechta Schekalin dicitur, in capite v. interque hæc fuit, cura temporum ſolennium, aquarum, ſortium, cuſtodiarum, veſtium, panum Propoſitionis, cortinarum, ſuffimenti conficiundi, & aliarum rerum, quas recenſere pretium operæ non eſt. Fuit autem ſingulis præfectus quidam impoſitus, quem ממונה appellabant: eratque ſub nutu ejus ingens miniſtrorum multitudo. Ait Maimonides multis morbis obnoxios [13] ſacerdotes fuiſſe, propterea quod carnibus fere veſcebantur, & leviter veſtiti [14] inter rem divinam amiculis lineis erant, quæ exuere toties, & ſumere neceſſe habuere, quoties aut operationem intermittebant, aut redibant ad eam: tum & in pavimento ſtabant ſemper, [15] neque ſedere illis in toto atrio, in quo ſacra fiebant, fas fuit. Hinc languor, venarumque inflatio, & mille mala. Haud illud inſcite dictum a Juvenale eſt in cauſa plane ſimili,

- - - *varicoſus fiet aruſpex.*

Igitur delecti ſunt, qui publice ſacerdotum curarent valetudinem: quibus præerat is, quem ממונה על החולים appellant. Sed de his hactenus. Cætera, quæ de templo præclare Talmudici tradiderunt, iis relinquimus, qui fortaſſis poſt nos aliquando hujus meſſis reliquias perſequentur. Duntaxat enim aliorum excitare ingenia voluimus. Et jam illud a nobis, opinor, effectum eſt, omnes ut intelligant, permulta eſſe, quæ de rebus Judaicis adhuc dici poſt eruditiſſimorum aliquot hominum commentationes poſſint.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUARTUM.

[1] *Diſcreta atria*) De etymologia atrii evolvenda non occupati erimus, quia hoc præſtitit vir clariſſimus *M. Johannes Balthaſ. Beyſchlag. in diſſertat. Philolog. de atriis edit. Witteberg.* 1691. Hoc tamen intactum relinquere nolumus, quod *Lut.* atrium in Germanica verſione reddiderit *Halle*, *die Halle Salomonis*, amplumque denotat atrium. Anglorum, inquit *Reineſius in Comment. Parerg. de palat. Lateran. pag.* 16. *Halle* aula eſt, ſive atrium *witte halle* palatium regium Angliæ, pars Suburbii *Londin.* Calculum album adjicit *Rudbeckius* in *Atlant. part.* II. *cap.* 6. his verbis: *zæla* (Sala) *templi nomen plane Gothicum*, *de quo Atl. part.* 1. *cap.* 7. *pag.* 241. *diximus*, *unde ſimul percipere* licebit rationem ac viam, qua ex *Gothia* in *Italiam*, Galliam & Sarmatiam id nominis, poſt Chriſti tempora, cum antea quidem in his locis inauditum fuerit, perrexerit. *Finnis* quoque & *Lapponibus* id vocabuli, ſenſu prorſus eodem uſurpatum fuiſſe, templorum nomina, *As-Sala* & *Lyek-Sala* ſive *Lock-Sala*, quorum illud Deorum, hoc Saturni templum denotat, teſtabuntur. In horum autem Templorum locum ædes ſacras cultui veri Dei inſervientes veteribus nominibus retentis, nunc ſucceſſiſſe teſtatur *Scheffer. Lapp. cap.* 3. *pag.* 69. His accedit ex *Flor. Lexic. Finn. p.* 24. vox Sali, palatium, & p. 26. Sala Porti, Palatii janua. Præcipua tamen notio vocabuli Saal atrium fuerat, opere columnario exſtructum & undique patens. Unde *Hall* atrium, deſcriptionem habes apud *Maimonid. in Hal. Beth Habech. cap.* 1. *lib.* 19. Recte itaque autor noſter differit, quod *atria* fuerint *diſcreta*, quatuor enim in templo erant *atria*, *atrium* gentium, atrium mulierum, atrium Iſraelis & atrium Sacerdotum. Nos itaque ſingula ſeparatim conſiderabimus, quia autor noſter hæc omiſit hoc loco, & breviter recenſebimus, ut Lectores diſcrimen ſciant. *Atrium Gentium* duplici nomine vocatur a Rabbinis, aliquando vocatur הר הבירה *mons templi*; aliquando חול *profanum* vel *commune*. Vid. celeb. *Joh. Lightfoot chorograph. Matth. præmiſſ. pag.* 58. *edit. Lipſ.* Hinc Autor *Toſaphoth in Perah cap. II.* Exeunt per portam ducentem ex atrio mulierum לחול in atrium commune. Ratio hujus appellationis eſt (1) quia illuc accedere poterant Ethnici, ut videtur ex illo dicto, quod extat *Hieroſ. Avoda Sarah fol.* 40. 1. R. *Gamaliel* ambulans בהר הבירה in atrio gentium, vidit fœminam Ethnicam ac de ea benedixit. (2) Quia excommunicati & lugentes illuc veniebant, ut apparet *ex Middoth. cap. II.* 2. Ille etiam qui hircum emiſſarium educebat. Maximum ſpatium *atrii gentium* erat ab auſtro, proximum ei ab oriente, tertium ab aquilone, minimum vero ab occidente. Vid. *Joh. Lightfoot. in hor. Talmud. pag.* 1085. *ſeq.* *Atrium mulierum* עזרת נשים cujus longitudo erat 135. cubitorum & latitudo 135. quatuorque conclavia erant in quatuor ejus angulis. Vide de hoc atrio fuſe differentem doct. Angl. *Joh. Lightfoot. in Chorograph. Matth. præmiſſ. pag. m.* 60. 61. *edit. Lipſ.* *Joh. Henric. Otho Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 56. 57. Atrium Iſraelis κατ' ἐξοχὴν atrium vocatum longitudine erat 135. & latitudine undecim cubitorum. Vide *Lightfoot. Hor. Talmud. pag. m.* 311. citat. *Othon. pag. m.* 57. In hoc atrio nemo ſedere potuit præter Reges ex familia *Davidis*. *Maim. Beth Habech. c.* VII. Quando itaque legimus in N. T. Chriſtum ſediſſe in templo, non dicendum ipſum in atrio Iſraelis ſediſſe, ſed vel in atrio mulierum vel Gentium. Vid. *cit. author. pag.* 58. 59. Ex hoc atrio gradu uno adſcenſum in *Atrium Sacerdotum*. Recte ergo diſcernit autor noſter atria, quia unum ſemper ſanctius altero fuit. Mons enim Templi ſanctior erat Hieroſolymis; intra hunc enim ſeminis fluxu laborantes, menſtruales mulieres & puerperæ non ingrediebantur. Monte ædis ſanctius eſt חול ſeu ſpatium intermurale; nam exteri, & qui erant cadavere polluti, & qui cum menſtruali muliere conſueverat, eo ingredi non poterant, licet in montem quidem venire ipſis liceret. Hoc intermurali ſpatio ſanctius erat *atrium mulierum*: nam טבול היום de die lavandus eo non poterat venire, hoc eſt, qui ea pollutione erat inquinatus, in qua eum oportebat ablui, & expectare ſolis occaſum, ut purus eſſet. *Atrio mulierum* ſanctius eſt *atrium Iſraelitarum*: nam interdictum erat מחוסרי כפורים *אור* iis ſcil. qui pollutione quidem ſoluti erant, ſed qui nondum purificationis obtulerant ſacrificium, quorum erant quatuor genera: *leproſi*, *viri fluxu laborantes*, *mulieres quæ in ſeparatione fuerant*; *& quæ pepererant*. *Atrio Iſraelitarum* ſanctius erat *atrium Sacerdotum*; nullus enim Iſraelitarum eo venire poterat niſi urgente neceſſitate, quæ hiſce occaſionibus naſci poterat; aut ad imponendas hoſtiæ manus,

aut ad expiationem faciendam; aut mactandam victimam, aut ad agitandum sacrum. *Atrio Sacerdotum* sanctius est spatium id, quod inter vestibulum & altare interest, neque enim eo licebat venire ipsis Sacerdotibus, si vitio corporis essent affecti; aut nudo capite, h. e. sine cidari, aut velo, aut vestimentis laceratis. Hoc spatio inter vestibulum & altare intercedente sanctius erat templum, & omnium partium templi sanctissimum erat Sanctum Sanctorum, quia nemini licebat eo ingredi, nisi soli Summo Pontifici & quidem solenni Expiationis die. Confer. *Saubert. Palæstr. pag. m.* 97. *edit. Altorff.* 1678. *Joh. Henric. Otho pag. m.* 585. *seq.*

2 *Murus quidam*) Differit *Cunæus* in his & sequentibus verbis de distinctione Sancti Sanctorum ab atrio Sacerdotum primi & secundi templi. Quod itaque ad templum primum a Salomone exstructum attinet, aditus seu atrium a Sancto distinguebatur pariete, seu muro, qui unius erat cubiti, ac velo. Velum describitur 2. *Chron.* III. 14. Paries 1. *Reg.* VI. 20. Inde *Josephus lib.* VIII. *Antiquit. Judaic. c.* III. *fol.* 260. Salomon in pariete, *inquit*, Adytum a reliquo corpore separante, fores apposuit cedrinas has quoque cælatas & inauratas; eas prætexuit velis picturatissimis, hyacintho, purpura, cocco, byssoque splendidissimo ac mollissimo distinctis. Templum posterius inter Adytum ac Sanctum *duo* habebat *vela*, quamvis *Josephus lib.* VI. *de bell. Judaic. cap.* XIV. *f.* 918. unius tantum mentionem faciat. Cujus rei ratio hæc erat, quia in templo primo paries erat intergerinus cubitum latus, qui Adytum a Domo exteriori separabat. Cujus Sanctitas cum ambigua controversaque esset, nec scirent qui Templum secundum exstruebant, an ad Adytum an ad Sanctum pertineret, spatium intergerini parietis vacuum reliquerunt, & fecerunt *duo vela* cubitum unum invicem distantia, quorum alterum fuit in loco sancto, alterum in Adyto, ut quocunque eventu errorem possent eluctari. Ita tradunt in מסכת יומא *cap.* V. *pag.* 51. ex versione & annot. *Robert. Scheringhami*, ab Excell. *Rhenferdio* altera vice adornata & aucta: *Sacerdos Summus in Sanctuario ibat, donec* לבין שתי הפריכות *inter duo vela pervenerat, quæ inter Sanctum & Sanctum Sanctorum dividebant, & cubito inter se distabant*. Gemara ad hanc Mischnam: במקדש שני כיון דלא הואי אמה טרקסין יבמקוש ראשון הוא דהואי ואיסתפקא להו לרבנן בקדושתיה אי כל פנים אי כל חוץ ועבדו שתי פרוכות: *Quia in Sanctuario secundo non fuit paries intergerinus unius cubiti, qui in Sanctuario primo fuerat, ac Doctores dubii essent de sanctitate ejus, num totus ad Sanctum Sanctorum, an vero totus ad Sanctum pertineret, fecerunt duo vela*. Legi etiam hic merentur verba *Maimonid. in Hilkoth Beth Habbechira cap.* IV. §. 2. quæ latine versa ita sonant: *In templo primo murus erat inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, qui cubitum unum spissus erat. Ædes vero secunda cum ædificaretur dubitatum est, utrum fuisset ejus muri spissitudo ex spatio Sancti, an ex spatio Sancti Sanctorum. Attribuerunt ergo longitudini Sancti Sanctorum viginti cubitos integros, & cubitos integros quadraginta longitudini Sancti; & spatium insuper unius cubiti medium reliquerunt inter Sanctum & Sanctum Sanctorum. Murum igitur inter Sanctum & Sanctum Sanctorum intergerinum in æde secunda omnino nullum ædificarunt: verum duo adhibita vela sunt; unum ab extrema parte Sancti, & alterum ab extremo Sancto Sanctorum. His intermedium erat spatium unius cubiti, idque vacuum, quod illius in æde prima muri latitudinem repræsentabat. Nam in templo primo velum erat unum.*

3 *Duo vela*) Si fides habenda est Hebræorum Doctoribus, tunc tredecim velis Templum secundum fuit conspicuum. Id docet *Maimonides in Kele Hammikdasch. c.* 7. §. 17. *In Templo secundo tredecim adhibebantur vela. Septem in septem Atrii portis; unum in janua vestibuli; unum ad Templi januam, duo ad Adytum Templi a Sancto dividendum; & itidem duo e regione ipsis in cœnaculo.* Ubi simul addit, quod quotannis DUO VELA, quæ Sanctum a Sancto Sanctorum distinguebant parata, quorum crassities propter toties conduplicata fila palmaris fuerit. Verba, quia prolixiora, latinis tantum recensebimus verbis, & hæc sunt: *Vela quotannis efficiebant duo, quæ Sanctum a Sancto Sanctorum distinguebant. Atque in his velis erant sexies conduplicata fila cujuscunque generis. Nam singula stamina continebant filorum genera quatuor Xylinum, hyacinthinum, purpuram & coccum bis tinctum, & quodlibet ex illis sexies conduplicata continebat fila. Itaque singula stamina filis e viginti quatuor constabant. Horum igitur crassitudo velorum palmaris erat; nam septuaginta duo erant stamina ex quibus texebantur. Erat autem cujusque veli longitudo quadraginta cubitorum & viginti cubitorum latitudo.* Gemina his invenimus in *Jalkut fol.* 102. רבי שמעון בן גמליאל אומר משם רבי שמעון בן הסגן פרוכת עובייה טפח ועל ע״ב נירין נארגת ועל כל נימא ונימא כ״ד חוטין i. e. *Rabbi Simeon filius Gamalielis ait nomine Simeonis filii Sagen, veli densitas fuit quatuor digitorum; LXXII. filis erat contextum & quodque filum XXIV. funiculis*. Quæ si vera sunt vel hinc æstimanda est miraculi magnitudo, dum patiente Christo, ut Matth. cap. XXVII. 51. refert, scissum est in duas partes.

4 *Excubias nocturnas*) Levitarum, qui Janitores erant, munus erat, ad januas Templi seu portas atrii excubare, easque custodire per vices, seu juxta classes, in quas distributi erant & ad hoc ministerium destinati, *Paral.* IX. 17. 18. Hinc versu 19. sequente dicuntur custodes vestibulorum Tabernaculi, per vices castrorum Domini custodientes introitum. LXX. φυλάσσοντες τὴν ἔισοδον. Divisi autem erant ostiarii seu Janitores, ut cæteri Levitæ in XXIV. classes sive vices *Paral.* XXV. 1. seq. vid. *Sigon. de Republ. Hebr. lib.* V. *c.* VI. De sollicitudine eorum in custodiendis atriorum portis dicitur 1. *Paral.* XXXV. 15. Hi enim quotidie sub ipsum diei diluculum Hebraice *in mane, in mane* i. e. summo mane Templi fores aperiebant. 1. *Paral.* IX. 27. Non solum autem die, sed noctu quoque in XXIV. locis excubias agebant in honorem templi. *Maim. Beth Habech. cap.* VIII.

5 *Honos religionibus*) Excubiæ hæ non constituebantur, ne instrumenta & vasa sacra furto auferantur, sed eum in finem, ut per totum diem ibi curam adhiberent ne aliquid impuri templum ingrediatur, aut quid fieret, quod sanctitatem illius loci non deceret.

6 *Sacerdotes intus, Levitæ foris*) Cuilibet tam *Sacerdotibus*, quam *Levitis* statio assignabatur certa & custodia, & (1) erat in omnibus portis montis templi, in porta Orientali, in porta Septentrionali *Tedi*, in duabus portis Meridionalibus *Hulda*. In porta Occidentali *Cepponius*: custodia etiam erat in angulis magni hujus spatii quadrati sancta loca cingentis. (2) Circa murum atria cingentem duæ erant custodiæ in duobus angulis Orientalibus & duæ in duobus angulis Occidentalibus, & his in locis Levitæ in custodiam constituebantur. Erant deinde duæ portæ in quibus Levitæ non excubabant; scil. *Porta aquæ* in cujus camera *Abthines* custodiam curabant Sacerdotes, & *Porta* קרבן in cujus conclavi *Beth Mokad* etiam Sacerdotes excubias agebant. Vid. *Joh. Lightfoot. hor. Talmud. in Luc.* XXII. *pag. m.* 879. *edit. Lips.* In loco Septentrionali *Corban* vocato, e regione Sancti Sanctorum etiam *Levitarum* custodia erat. Item in parte Meridionali e regione veli, item a tergo Sancti Sanctorum. *Porta Nitsots* custodiam habebat partim ex *Levitis*, partim vero ex Sacerdotibus constantem. Singulis noctibus Præfectus custodum visitabat omnes custodias, qui vocabatur איש הר הבירה Præfectus montis Templi, & secundum R. *Schemaja* definitur ממונה על כל משמר מהשומרים *Præfectus omnibus custodum excubiis*. Illius officium erat perlustrare singulas custodias, & quando illud agebat prælucebant ei faces: unumquemque autem custodem qui pedibus non insistebat his verbis compellabat שלום עליך *pax tibi*. Si eum dormire animadvertebat, baculo percutiebat, imo aliquando vestimenta ejus comburebat: Hinc etiam in usu erat apud cives Hierosolymitanos, quando aliquem clamorem ex templo percipiebant, dicere: מה קול בעזרה קול בן לוי לוקה ובגדיו נשרפי i. e. *Quæ vox in atrio magno? vox Levitæ vapulantis, cujus vestimenta comburuntur* &c. *Middoth c.* 1. 2. *Maimon. Hal. Beth Habec. c.* VIII.

7 *Non culcitræ*) Culcita, quod tomento inculcantur, appellata. *Fest. Gloss.* Culcita τύλη. Sic etiam apud *Varron. lib.* IV. *de LL.* legitur: Quod Sagus, aut tomentum aliudve quid calcabant, ab inculcando

do culcitra dicta. Aliter *Culcitra* scribunt. Onom. *Culcitra* ἐφάπλωμα quod *Suidas* exponit per πέπλωμα peplum. Vid. *Martin. Lexic. fol. m.* 533. Hebræi vocant קטבלא quod vestimenti genus, item *culcitra coriacea*, *Pulvinar ex corio*. Nedar. fol. 55. 2. ומתעגל על גבי קטבליא הדשה *Et rotundatur, circumvolvit se in culcitra nova*. Legitur & in *Kelim cap.* XVI. ubi Glossa explicat *Corium quod in pavimento sternitur*. Sic Expandit pulvinar super caput suum, *Metzia f.* 50. *Aruch* scribit; עור Corium vel pellis, qua se regunt homines superne, vocatur Græce אנבולי ἀναβολὴ & quod substernunt vocant καταβολή.

[8] *Tomenta*) Tomentum est lana brevis ac concisa. *Isid. lib.* XXIX. 27. Tomentum appellatum, quod aut in filo aut in tela tumeat, nec subtilitatem habeat. Sed (ait *Scal. in Varr.*) tomenta sunt proprie ex ciliciis pilis: *borram* vulgo vocamus. Iis igitur tomentis aut ciliciis pilis implebant culcitas, tamen olim ut etiam hodie culcitæ farciebantur acere & glumis spicarum.

[9] *Dormiendum humi*) Ritum hunc cubandi in templis prolixe demonstravimus in *tr. de substratione vestium pag.* 102. 103. *edit. Gissen.* 1701. Et errorem hunc hauserunt Gentiles, quia audiverant, *Sacerdotibus & Levitis* in templo dormiendum fuisse. Vid. celeberr. *Braun. de vestit. Sacerdot. Hebr. pag. m.* 75. 76. *edit. Amstel.* 1698. Non licebat enim Levitis & Sacerdotibus dormire in vestibus sacris. Cum dormitum ire vellent, sacræ vestes fuerunt deponendæ. Quidam Magistrorum censent, Sacerdotes eas complicasse & capiti supposuisse, ut iis etiam dormiendo uterentur. Alii docent in arcis inclusas fuisse noctu. De vestibus Sacerdotum hæc habet *Mischna Cod. Tamid. c.* 1. Non dormiebant in vestibus sacris, sed exuebant illas, & capiti supponebant, & quilibet proprio suo tegmento tegebatur. vid. celeber. *Braun. lib.* II. *cap.* XXVI. *pag. m.* 675.

[10] *Cum Delphici Apollinis sacrificulis*) Refert Autor noster, quod in hoc ritu Sacerdotes Hebræorum commune quid habuerint cum Delphici Apollinis sacrificulis, citatque ex *Callimacho* versum, qui extat *hymn. in Delum* vers. 286. ubi eos γηλεχέες vocat, quæ vox, teste *celeb. Spanhemio observat. pag.* 497. idem innuit, quod χαμαιεῦναι apud *Homerum*.

[11] *Ad urbem Jerosolymam*) Verum nullam imprudentiam esse, uti Autor noster vult, ostendit Anglus doctissimus *Henric. Ainsworth. in Comment. ad Exod. cap.* XL. ℣. 33. *fol. m.* 156. *So after that Israel came into Canaan, and had there a temple, they had degrees of holy places: both of them are be described by the Hebr. thus: Three Camps were in the wildernesse, the campe of Israel, which was in foure camps Num.* 2. *the campe of Levi Numb.* 1. 50. *and the campe of the Divine Majestie; which was from the doore of the Court of the Tabernacle of the congregation and forward. And answerable unto them in the ages following, from te gates of Jerusalem unto the mountaine of the Temple, was as the camp of Israel: and from the gates of the mountain of the Temple unto the doore of the Court, was as the camp of Levi*, &c. *Maim. in Beth Habech.* Cui calculum addit *Talm. Bab. in Zabachim cap.* XIV. *in Gemar.* Conf. *Henric. Ainsworth. in Num. c.* 11. *fol. m.* 13. *edit. Londin.*

[12] *Quindecim munera*) Hæc munera quibusdam officiariis demandabantur, & primus erat ממונה של זמנים qui debebat observare tempus munera adeundi, & sacerdotes & alios admonendi, qui proinde etiam clamabat, *O vos Sacerdotes ad cultum vestrum; o vos Levitæ ad loca vestra; o vos Israelitæ ad stationes vestras*. Secundus erat על נעילת שערי ad aperiendas & claudendas portas; hoc munus præcipue unus obtinebat ex אמרכלין Amarcalin, qui septem officiarii templi erant, habentes claves ad septem portas atrii, ita tamen, ut nullus posset absque altero aperire *Schekal. cap.* v. *Maim. in Kele Mikd. p.* 4. qui etiam cum portæ aperiebantur tuba signum dari curabat. Tertius erat על השומרים Præfectus Excubiarum. Quartus על השורר׳ *Cantor*, cujus erat singulis diebus nominare illos, qui tum cantare, cum instrumentis ludere debebant. Quintus erat Præfectus הצלצל illius Musices, quæ cymbalis fiebat. Sextus erat *Præfectus sortium*. Septimus Præfectus על הקינ׳ qui debebat providere illis, qui se purificare intendebant, de turturibus & columbis. Octavus erat Præfectus Sigillorum seu Sigillorum custos. Nonus erat Præfectus על הנסכים circa libamina, quæ illius sigillo inscripta erant tradebat. Decimus erat ille, qui Sacerdotes ægrotos curabat, qui pluribus morbis, propter continuum carnis esum, vestitum levem, pedes nudos infestabantur. Undecimus ille erat, qui de aquis prospiciebat, ut cisternæ, aquæ ductus bene se haberent, ne aquæ templo deessent. Vocatur ille in *Schekal. cap.* v. 1. *Fossor puteorum*. Duodecimus erat ille, qui panes propositionis conficiebat. Conf. *Middot. c.* 1. Decimus tertius qui aromata ad suffitum parabat. Decimus quartus, qui vela confici curabat. Decimus quintus, qui Sacerdotum vestimenta custodiebat & curabat. Vide *Schekal. c.* VI. & v. *Maimonides in Kele Hammikdasch. cap.* VII. Conf. *Dilher. Tom.* 2. *dissert. p.* 15. 16.

[13] *Morbis obnoxios*) Variis morbis obnoxios fuisse Hebræorum Sacerdotes cum nostro Hebræorum Doctores confirmant, quare peculiarem Medicum seu Præfectum ægrotorum habuisse dicunt, qui sanitatis curam haberet, uti recenset *Codex Schekalim cap.* v. *Mischna* 1. Vid. *Maimonid. Kele Hammikd. cap.* VII. inter cæteros de hoc Præfecto tradit *Codex Schekal. quod filius Achiæ constitutus fuerit, ut curam haberet eorum qui viscerum dolore laborant*. Hunc locum optime explicat *Bartenora* his verbis: *Quia Sacerdotes semper discalceati incedunt super pavimentum, multas carnes comedunt; & aquam bibunt, sæpe viscerum dolore laborant; Ideo necesse est, ut semper habeant medicum, qui illis dicat, hoc medicamentum bonum est visceribus*. Eadem fere tradit *Maimonid. Hilc. Kele Hammikdasch cap.* VII. *sect.* 14. Has causas, Hebræi recensent, morborum Sacerdotum esse, imo decem res referunt in *Berachoth fol.* 57. 2. quæ reducant ægrotantem להליץ ad morbum suum, reddantque morbum graviorem nempe *Esus carnis bubulæ, caro pinguis, caro assata, caro avicularum, ovum assatum, tonsio capillorum, lac, caseus, balneum* & *ficus immaturæ*.

[14] *Leviter vestiti*) Atque hinc præcipue cum etiam ob tenues tunicas, quibus leviter tantum vestiebantur in graves admodum dolores atque morbos incidebant Sacerdotes, quod etiam Ethnicorum Sacerdotibus accidisse docet *Juvenal. Satyr.* VI. ubi *Haruspicem* i. e. Sacerdotem (erant enim plerumque Sacerdotes Haruspices) *varicosum* vocat: cujus rei hanc rationem reddit vetus *Scholiastes*. Multum stando, inquit, dum Deos aut exta consulit. Huc fortassis etiam referri potest, quod habet *Persius Satyr.* v. *de varicosis centurionibus*.

[15] *In pavimento stabant semper*) Hebræorum Sacerdotes omnia nudis pedibus peragebant. Igitur ubique locorum in templo, in atrio & in Sanctuario, dum Sacra faciebant super pavimento nudis pedibus semper standum erat, ita quidem, ut si forte quis inter ministrandum stetisset etiam super vestem aliquam aut aliud instrumentum, quod forte ibi jacebat, aut super bestiam, aut agnum, aut tale quid, imo vel super pedes socii sui, totum sacrificium prohibitum fuisset. Sic enim docetur *Codice Sevachim cap.* VII. *Mischn.* 1. Debebant enim Sacerdotes stare super pavimento. Vid. *Maimonid. Hilc.* בית המקדש *cap.* v. *Halach.* XVII. *R. Bar Nachman Schemoth rabbah parasc.* 2. Ita Æthiopes & aliæ gentes nudis pedibus templum ingrediuntur: de quibus & aliis videantur *Stephan. Morini dissertat. a pag.* 159. *usque* 189. *edit. Dordr.* 1700.

CAPUT

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De Jerosolymæ & templi excidio. Quid Romanos ad rem atrocissimi exempli sollicitaverit. Casus quidam admirabiles a Judæis notati de excidio templi prioris & posterioris. Titi miseratio & lacrymæ. De tertio templo, quod adhuc exspectant Judæi. Ælia Capitolina in ruinis Jerosolymæ condita, & additum a Cæsare Hadriano ludibrium.

JAM ad alia divertamus. Fuit ab omni ævo magnis quassata tempestatibus urbs Jerosolyma, in qua ædes sacra, & religionum domicilium erat: quippe Assyriorum primo, Babyloniorumque, [1] mox Antiochi Epiphanis, [2] aliorumque regum, [3] ac postremo Romanorum quoque sensit arma. Capti cives, diruta mœnia, vasta omnia mœstaque fuere. Vetus templum incenderat Nabuchodonosor, instauraverat autem denuo Zorobabel. Sed deerant ad priscam altitudinem sexaginta cubiti. Quare Herodes [4] multo post, opibus & omni rerum copia affluens, reddidit illi eximium decus. [5] Et jam erat hæc ædes inter orbis miracula. [6] Nulla fuit tam seposita aut barbara gens, ex qua spectator in Syriam non veniret. Sed fati ea lex est, nunquam datum ut sit rebus summis, stare diu. [7] Decreverat tantarum rerum cumulum diruere Deus: &, quia vim suam ingruentem frangi non volebat, passus est temeritate paucorum quorundam ad defectionem sollicitari populum.[8] Paruit ducibus suis imprudens multitudo, & reverentiam excussit [9] Romani principis. Ita error in culpam transiit; & cum causa atque origo omnis furoris apud autores esset, pœna omnium fuit. Obsedit Hierosolymam vastavitque Titus, ac ne templo quidem [10] pepercit, quod manserat antea tot cladibus incolume. Res admiranda est, & singularis quædam divini judicii nota id, quod Rabbini observaverunt, quibus studium est vetera & recentiora contendere, atque omnia scrutari subtilissime. Recitabo verba Hebræa ex Chronico, quod Seder Olam [11] vocant: היה ר׳ יוסי אומר מגלגלין זכות ליום זכות וחובה ליום חובה שנמצאת אומר כשחרב הבית בראשונה אותו היום מוצאי שבת היה ומוצאי שביעי היתה ומשמרתו של יהויריב היתה ותשעה באב היה וכן בשניה ובזה הלוים עומדים על דוכן ואומרים שירה וישב עליהם את אונם : Eorum est talis sententia, sed paulo liberius a nobis reddita: *Rabbi Jose dixit: Quemadmodum meriti remuneratio, etiam post longum tempus, recidit ac revolvitur in eundem diem, ita & peccati. Atque id experimento compertum est: nam cum antea vastaretur templum, erat extremum sabbathi: & rursus extremum septimi anni erat: præterea erat septimana * stationis Joarib, & nonus dies mensis Ab erat. Et ita fuere quoque hæc omnia in secundo excidio. In utroque autem Levitæ stabant in cathedra, recitabantque oden hanc: Retribuet illis iniquitatem suam.* Apud Josephum [12] accurata est excidii descriptio. Sane ait ille tam tristem tunc rerum faciem fuisse, uti miseratus eam hostis quoque sit: etenim Titum, cum eversa omnia, dirutaque cerneret, ingemuisse cum dolore, & defectionis succensuisse autoribus, quorum execrando scelere acceleratum urbis fatum erat: nam illum, non nisi invitum, tam aspero remedio admovisse manum. Et sane non erat illi viro animus ferox, insatiabile gentium malum. Deliciæ enim amorque non Romanorum, sed humani generis, dictus habitusque est. Verum, quid ageret? Reipublicæ causa adhibenda severitas fuit, & crudelem medicum intemperans æger fecit. Periit urbs, quam perire etiam pereuntium intererat. Jacebat dirutum, flammisque exustum templum, quod per XLVI. annos vix exstruxerant reversi exules: denique quod refecerat tandem, & ad invidiam ornaverat Herodes, nihil ut jam inimici in eo, nisi pulchritudinem culparent. Verissimus vates apud Divum Matthæum Messias est, cum ita inquit, *ού μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον ὃς ού μὴ καταλυθήσεται. Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non dissolvatur.* Inter summam magnificentiam, & deformes reliquias momentum intercessit. Ita vertuntur subito cuncta: & omnino natura, quæ ad originem rerum parce utitur viribus suis, ad ruinam toto impetu venit. Exspectant adhuc Judæi tertium templum, [13] ajuntque tribus Patriarchis, Abrahamo, Isaco, & Jacobo suam cuique deberi ædem. Id erutum ab illis ex sacri codicis quibusdam locis est, quæ non intellexere. Ita se miseri sua spe solantur, & cum Sabinis somniant quod volunt. Templi urbisque vix vestigia restabant, cum Hadrianus Cæsar, multis post Titum annis, in eodem solo Æliam suam, [14] & pro templo veri Numinis quoddam exstruxit templum Jovis Capitolini. Ad hoc, in fronte portæ, qua Bethlemum iter erat, suem posuit marmori insculptam, uti Judæos male ureret intuitu exosissimi animalis. Hoc memoriæ proditum ab eruditissimo Eusebio est.

NOTÆ

* *Ita appellat Judæus magister τὴν ἐφημερίαν, sive φυλακήν.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUMQUINTUM.

[1] *Babyloniorum*) Templum a *Salomone* Rege maximis sumtibus ædificatum, a *Nebucadnezare* igne deletum est, de qua re Sacra monumenta docent. Confer. *Sigon. de Republ. Hebr. pag. m.* 170. *edit. Lugd. Batav. D. Quensted. antiquit. Bibl. pag. m.* 746.

[2] *Antiochi Epiphanis*) Hic Autor primum templum cum secundo confundit, dum scribit, templum a Babyloniis incensum, mox ab *Antiocho Epiphane*, addit, cum tamen hoc de secundo templo intelligendum, quod a jactis fundamentis ad illius usque finem variis tempestatibus agitatum, cum multo tranquilliora fuerint tempora templi primi. Mox enim *Samaritani* variis vexationibus turbarunt. Vid. annotat. *ad Sigon. pag. m.* 173. Post aliquot elapsos annos Antiochus hic Templum invasit, horrendo idolo Zelotypiæ contaminavit, prophanatoque Atrio, Aris, Sanctuario ipso, nihil intentatum reliquit, quo Templi & veri Numinis gloria fœdissime conculcaretur. De hoc Antiocho tyranno crudelissimo legatur *Nicol. LLoydii Dictionar. histor-Geograph. pag. m.* 123. *edit. Genev.* 1693.

[3] *Aliorumque Regum*) Longa opprobriorum & ignominiarum serie expertum est hoc Templum, *Lysimachi furores*, *Zelotarum* rabiem, *Crassi* contumelias, *Pompeji* deprædationes, qui ingressus Templum, *vidit*, inquit *Florus*, *grande impiæ Gentis Judaicæ Arcanum patens, sub aureo uti cœlo*. Locus hic *Flori vexatissimus occurrit lib.* III. *c.* 5. ad quem multa valde erudite celeb. *Grævius* in notis & Cl. *le Moyne in epist. ad celeberr. Græv. quæ invenitur in addendis ad notas C. Grævii edit. Traject.* 1680. commentati sunt. De *Pompeij* in Templum irruptione videndus est *Ben Gorion*. quare *Josephus antiquit. Judaic. l.* XIV. *cap.* VIII. fatetur sceptrum ablatum a Judæis. Nec aliter *Ben Gorion* ita scribens: *Ex eo tempore excidimus majestate nostra, redacti in potestatem Romani Imperii*.

[4] *Quare Herodes*) Paulo post Pompeji tempora funditus evertitur ab *Herode*, qui ratus nec ad gloriam Templi Salomonis, nec ad supremi Numinis gloriam satis accedere, illud multo ditius, nobilius & elegantioris structuræ reparari & ædificari curavit. Vid. *Joseph. lib.* XV. *Antiquit. Judaic. c.* XIV. Occasio cur *Herodes* illud opus susceperit, erat, quia Senatores Synedrii interfecerat tempore *Schammæi* & *Hillelis*, & hoc horribile factum aliquo beneficio expiare voluit. Vid. *Baba Ben Butah*. Novimus equidem esse inter Eruditos, qui *Josephi* relationem de instauratione potius & exornatione, (uti etiam *Cunæus* noster statuere videtur) quam nova exstructione accipere malint, cum verisimile non sit, regem, tot sumtibus exhaustum, tam splendido ædificio parem esse potuisse. Sed cum ipse *Herodes* in oratione ad Judæos apud Josephum l. c. ad tantæ structuræ molitionem se satis instructum esse fateatur, & ipsa historia tot circumstantiis firmetur, nullum hisce conjecturis locum relinquere possumus. Id tamen non possumus diffiteri, vix fidem mereri *Josephum*, dum l. c. refert, viginti cubitos ædificio in altitudine, subsidentibus fundamentis, decessisse, cum sine totius structuræ convulsione atque ruina hoc fieri non potuerit, ut bene notat *Salianus ad ann.* 4035. Maxima vero celeritate ingens hoc opus perfecit *Herodes*, spatio nempe IX. annorum & 6. mensium. Vide *Joseph. lib.* XV. *Antiq. cap.* XIV. *Johann. Henric. Otho in Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 638. asserit octo tantum annos ad ædificandum insumtos fuisse, in quibus si *Juchasin fol.* 19. credendum, nunquam illo in loco pluvia decidit, ne opera impedirentur. Quod tamen de partibus maxime necessariis, quæ ad offerenda sacrificia & solitum Deo cultum præstandum requirebantur, non de universo opere intelligendum esse arbitramur. Nam quæ ad ornatum & splendorem ædificii spectabant, multis annis post absoluta esse testimonium *Joseph. lib.* XX. *Antiquit. c.* VIII. & Judæorum exceptio Joh. II. 20. asserentium, templum hoc 46. annis ædificatum esse suadet. De quo confer *Casaubon. Exercit.* 13. *ad Annal. Eccl. Baron. an.* 31. *num.* 38. *D. Strauch. Brev. Chronol. l.* IV. *c.* XXXVI. *q.* 9. *& Torniell. in Ann. ad ann.* 4032. *num* 6. qui universam templi structuram scite satis & eleganter delineatam exhibet.

[5] *Eximium decus*) De hujus ædis magnificentia loquuntur *in Succah cap.* V. *in Gemar.* Qui nunquam Hierosolymam vidit in gloria sua, nunquam vidit elegantem urbem; & qui nunquam vidit Sanctuarium, nunquam vidit pulchrum ædificium. Nam uti *Middot. cap.* IV. refert, repræsentabat formam Leonis, anteriora enim magis extendebantur, quam posteriora. Murus erat exstructus מאבני שיש כחלא ex lapidibus marmoreis pulcherrimis colorum venis diversificatis. *Gemara in Succah. c.* V. vide *Joseph. Antiq. lib.* XV. *c.* XIV. Hanc elegantem exstructionem ex Rabbin. describit *Johann. Henric. Otho in Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 639. *edit. Genev.* ex quibus facile elucet, quantum decus, quantum ornamentum hoc ædificium fuerit.

[6] *Orbis miracula*) Describant alii miracula mundi & laudibus extollant maximis, de quibus videatur *Panciroll. & not. Henrici Salmuth. part.* I. *pag. m.* 101. *seqq.* vix tamen ullum horum comparandum erit cum templo Hierosolymitano. Quicquid celeberrimorum operum unquam extitit toto orbe, illud victum est a gloria Templi Hierosolymitani. Dicebat olim quis de urbe Carthagine, de ea præstare silere, quam pauca dicere. Templi Hierosolymitani majestas, uti humana superat ingenia, ita styli nostri angustia major est, maxime cum non humanarum inventionum, sed summi Architecti Dei sit opus. Inter orbis igitur mirabilia merito collocandum est templum, neque enim dabitur ullum aliud huic par per totum orbem, omniaque alia excludit & obfuscat non solum magnificentia materiæ varietateque artis, sed ipsa etiam ædificii forma variisque thesauris.

[7] *Stare diu*) Quemadmodum in rebus humanis nihil stabile; ita & hoc loco fluxa fuit & caduca tota ista gloria, quæ post 70. annorum curriculum a Romanis expugnata, eversa & combusta fuit, ita ut non lapis super lapidem relictus. Naturale enim est, ut, quæ ortum habent, consequenter exspectent citius aut tardius interitum. Omnia quæ sub perpetuo motu cœli sunt, varietatem & interitum experiuntur. Unde recte *Manilius lib.* I. *Astron. cecinit*.

Quot post excidium Trojæ sunt exuta regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per orbem
Servitium Imperiumque tulit, varieque revertit?
Trojanos cineres in quantum oblita resovit
Imperium? fatis Asiæ jam Græcia pressa est.
Sæcula dinumerare piget, quotiesque recurrens
Lustraret mundum vario Sol igneus orbe.
Omnia mortali mutantur lege creata
Nec se cognoscunt terræ vertentibus annis
Exutas variam faciem per sæcula gentes.

[8] *Ad defectionem sollicitari populum*) Sæpe Judæi in potestatem hostium venerunt a justissimo Deo propter impietatem pessimosque mores repudiati: liberati etiam sæpissime, quoties pœnitentiam scelerum agebant; si vero contumacius pergebant mali esse, deficientes ab illis, quibus justo Dei judicio subjecti erant, ipsi sibi ruinam atque eversionem accelerarunt. Cum itaque Judæi (uti adhuc hodie sunt) gens turgida, inflata fuerit, quæ superiorem ferre noluerit, hinc tot defectiones instinctu quorundam, tot bella quæ ductu horum sunt gesta. Ultimis Trajani temporibus Judæos in Cyrenaica rebellasse *Andræa quodam Duce Dio* testis est apud *Xiphil. in Trajan. sub fin.* Non minor calamitas in *Ægypto* & *Cypro* impulsore *Artemione*. Judæorum sub *Trajano* rebellium caput & DUCEM *Euseb. lib.* IV. *hist. Eccles. cap.* 2. nominatim describit, quod LUCUA DUCE hæc rebellio facta. Imo hic inter eos *dignitate Regia* fuit. Si igitur autori libri *Juchasin* habenda fides, ipse *Bar Cochba* fuit, qui jam tum sub *Trajan. Cyrenenses*, *Ægyptios* & *Cyprios Judæos* concitavit. Ita enim de *Trajano pag.* 142. *edit. Cracov*

Tem-

Temporibus ejus (Trajani) *fuit ingens motus*, *nam Ben Coziba rebellavit contra Romanos*, *& primum* Cyrenenses *impulit in Africa*, *surrexerunt hinc Judæi illius tractus*, *& trucidarunt omnes & Romanos & Græcos ejus Regionis*, *multitudine innumerabiles ut arena juxta mare. Inde transgressus in Ægyptum & eadem perpetravit*, &c. Quod vero alii *Bar Cochbam* non sub *Trajano*, sed tantum sub extremo Imperio *Hadriani* memorant, dubitamus de Judæi fide & diversos diversis temporibus fuisse tumultuantium DUCES omnino credimus.

[9] *Reverentiam excussit*) Nec ob aliam causam *Nero Vespasianum* misit, ut gentem Judæorum exscinderet, urbesque munitas solo æquaret, quam quod Romanum Imperium, cui a Deo addicti fuerant, ferre nolebant, præsidia trucidabant, leges refigebant, & cuncta ita agebant, quasi sui juris essent, nemini mortalium subjecti, sibi & suæ tantum dominationi prospicientes. Eventus sane probavit, in irritum cecidisse, quicquid contra dominationem gentium quibus addicti erant, libertatis causa susceperunt. Confer. Cl. *Joh. Jacob. Schudt. Delic. Hebr. Philolog. pag. m.* 384. seqq.

[10] *Ac ne templo quidem*) De hisce videantur notæ ad *Caroli Sigonii lib.* 11. *cap.* v. *pag. m.* 179. *edit. Lugdun. Batav.* 1701. Le Moyne Miscel. Sacr. ne igitur actum agamus remittimus Lectores illuc.

[11] *Seder Olam*) Liber hic nuperrime editus & elegantibus notis illustratus a *celeberrimo Johanne Meyero Amstel.* 1699. cujus verba hæc sunt: *R. Jose dixit*, *devolvitur meritum in diem meriti*, *& peccatum in diem peccati. Sicut v. g. quando templum primum destructum est*, *dies ille exitus fuit Sabbathi*, *adeoque extremum anni septimi s. remissionis*, *simulque custodia & hebdomas ipsius Jehojarib erat*, *itemque nonus dies Abh sive Julii. Similiter quando secundum templum est eversum. Atque in utraque eversione Levitæ stabant in suis suggestis*, *& canticum enunciabant. Quodnam vero canticum? Et convertit contra eos iniquitatem ipsorum & malitia ipsorum exscindit ipsos*, *Psalm.* XCIV. De die fatali excidii urbis & templi distincte etiam in *Erachin fol.* 11. & *in Taanit fol.* 29. Vid. Annot. ad *Carol. Sigon. lib.* 2. *cap.* v. *de Republ. Hebr. pag. m.* 180. *edit. Lugd. Batav.* 1701. Plurima quoque lectu dignissima recenset Vir *Magnific. & Excell. Joh. Christoph. Wagenseil. Fautor noster omni observantia devenerandus in libro Mischn. de Sota pag.* 945. 946. *seq.*

[12] *Apud Josephum*) De parilitate diei, quo utriusque templi excidium accidit sedulo mirandum inculcat *Joseph. lib.* VII. *de Bell. Judaic. cap.* IX. Evolutis temporibus aderat fatalis dies, qui erat decimus mensis Augusti, quo etiam prius a Rege Babyloniorum fuerat concrematum. Et iterum *cap.* x. Miretur quis in eo circumacti temporis rationem & fidem. Nam & mensem, ut dictum est, cumque diem servavit, quo primum a Babyloniis templum erat incensum. Neque est inter Rabbinos & Josephum dissensus, quod illi diem nonum, hic vero decimum nobis nominet. Nam *Josephus* de templi pleno incendio loquitur, Rabbini autem, quando sacræ ædis ab hoste facta sit expugnatio, & quando ignis eidem subjici cæperit, declarant. Nimirum uti est in *Taanit. fol.* 29. & exinde apud R. *Kimchium* ad 2. *Reg.* XXV. Die nono, paulo ante crepusculum flamma templo fuit admota, quæ concepta ad finem usque decimi diei, vires suas exeruit. Conf. *Johann. Henric. Otho. Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 651. videatur quoque *Henric. Houting. in not. ad tract. Talmud. de festo Novi Anni ad Mischn.* 3. *pag. m.* 45. *edit. Amstel.* 1695.

[13] *Templum tertium.*) Præter has rationes a Cunæo nostro allatas, ob quas Judæi tertium exspectent templum, non minima hæc est, quod Deus promiserit per *Prophetam Hagg.* se *pacem daturum* in hoc templo. Cum vero animadvertissent Judæi, nullo modo pacem in secundo templo fuisse, de tertio quodam templo pacis futuro Sanctuario cæperunt cogitare. Sed vana est illa de tertio Templo fabula, ad quam tanquam ad sacram anchoram non se recepissent Judæi, si per *pacem pacificum Messiam* intelligere voluissent. Nam revera Deus præsentia pacis i. e. pacifici cohonestavit secundum Templum, ad cujus gloriæ fulgorem tota primi Templi gloria debuit absorberi & penitus evanescere.

[14] *Æliam suam*) Cum Judæi a rebellione non desisterent, & muros & turres a Tito relictas reædificarent, Hadrianus muros subvertit, quod quinquaginta annis post Titi subversionem contigisse testatur *Hieronym.* Et ne denuo loci religio ad seditionem moveret, coloniam eo Imperator deduxit, quam *Æliam* nominavit, aut secundum *Dionem Æliam Capitolinam*, & ut cultui sacro operam darent milites, templum Jovis Capitolini, quem Romani summis honoribus colebant, erexit.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De templo Samaritanorum, *quod in monte Garizin. Qui fuerint Chutæi. Unde advecti in Samariæ sedes sint. Quanto deteriore conditione fuerint quam Judæi. De religione eorum quædam. Fuisse eos primum idololatras: mox*, *abdicato idolorum cultu*, *lapsos in hæresin esse.*

ATQUE ædes quidem Jerosolymitana, de qua jam diximus, a solis culta Judæis fuit. Samaritanorum autem aliud quoddam templum in monte Garizin [1] erat, quod Sanaballetes, [2] magni Alexandri permissu, exstruxerat, uti generum suum Manassen pontificatu ornaret. Quare profecto, cum pridem antea Judæi Samaritanique per æmulationem diversa sacra habuissent, [3] recenti hac ædificatione mirum in modum vetera odia exarsere: [4] quæ mitigari nec tunc quidem contigit, cum, ducentis post annis, dirutum id templum ab Hyrcano [5] est. De Samaritanis, quos sæpe rerum Judaicarum scriptores loquuntur, pauca in transitu dixisse satis erit. Non erant illi vera Israelitarum propago, [6] sed incondita colonorum multitudo, quam ex Chutæorum, Babyloniensiumque, & Chamathæorum, ac Sepharvaimitarum, Chavæorumque sedibus collectam rex Assyriæ in Samariam transvexerat, postquam Israelitæ omnes, qui secessionem a Judæis fecerant, abducti in longa exilia, dispersique per Colchos, Parthos, atque Æthiopes sunt, nunquam ex illa tempestate in Palæstinam redierint. Quare jam Samaritani, [7] qui in vacuam eorum regionem missi sunt, nihil nisi retrimenta hominum & mendicabula fuere, plane ut sunt illi apud Siculum vatem

- - - Οὔτε λόγῳ τινὸς ἄξιοι, ὔτ᾽ ἀριθμητοί,
Δύστανοι μεγαρῆες ἀτιμοτάτῃ ἐνὶ μοίρᾳ.

Sane quanti pretii fuerint, [8] monet nos vetus Judæorum verbum, quod Rabbi Elias refert, למה היה דוד המלך דומה לכותי המחזיר על הפתחים : *Cui rex David similis fuit? Chutæo ostiatim stipem petenti :* quod nos de maximo rege dictum putamus, qui apud Acischum illuvie sordibusque sese fœdaverat, ut contemtu tutus foret, ubi in jure parum præsidii esset. Apud Romanos quidem, profligatis penitus Palæstinorum rebus cum victoris arbitrio jura omnia amitterent retinerentve tam Samaritani, quam Judæi, longe deteriore conditione [9] Samaritani fuere. Interdictus enim illis omnis legitimus actus fuit : ac duntaxat testamentaria testimonia, quæque in ultimis elogiis, vel in contractibus consistunt, propter utilitatem publicam permissa illis sunt, ne probationum facultas angustaretur. Judæis vero testimonii quidem dictio contra orthodoxos in judiciis non fuit : at inter se, ubi litigandum existimassent, fœdus permixtum habuere, & dignos litigatoribus etiam testes introducebant. [10] Quæ constituta in hunc modum a Justiniano sunt *in l.* XXI. *C. de Hæreticis & Manichæis*. Idem porro Justinianus in Novel. CXXIX. *Samaritas pridem atroces, elatosque contra Christianos, & in omnium velut novissimam superbiam excedentes* ait : ut mirari nemo amplius debeat, cur in Novel. CXLIV. cautum sit, ne majores natu, qui eam superstitionem coluissent, ad sacrum lavacrum admitterentur, antequam Christianismi elementis initiati per duos annos essent. De religione eorum simplex esse sermo nequit : variata enim identidem temporibus est. Ac initio quidem Israelitæ, qui a Judæis per civiles discordias [11] segregati Samariam incolebant, idolorum cultores [12] fuere, vitulosque aureos [13] venerati sunt ad Ægyptiorum imitationem, quibus summum numen Apis erat. [14] Mox, qui in vacuas sedes eorum adducti populi sunt, gentilia singuli [15] sacra habuere. Chamathæi enim Aschimam, [16] Chutæi Nergalem, [17] Babylonienses Succot Benoth, [18] Havæi Nibchanem & Tartacum, [19] Sepharvaimitæ Adramelechum [20] atque Hanamelechum [21] adoraverunt. Ea enim arte usus Eser Chaddon Assyriorum rex est, cum novos colonos in Samariæ agros deduceret. Nihil sibi fore adversus subditos utilius credidit, quam si in commune consulere eos religionum non fineret diversitas. [22] Quanquam postmodum, cum nova malorum cohors terris illis incumberet, legatorum, qui missi ab illis sunt, precibus idem rex permotus, sacerdoti Israelitico gratiam exilii fecit, ut propere profectus sacra patria eos edoceret, [23] placaretque iratum Numen. Ita veterum indigenarum ceremonias receperunt : sed fixa tamen in animis omnium mansit gentilis superstitio. [24] Tandem autem, sero quidem admodum, sed aliquandiu tamen ante Sanaballetæ tempora, penitus omnem idolorum cultum abdicavere, [25] secutique eas religiones sunt, quas divinus Moses præscripserat. Hic vero notanda insignis eorum hæresis est. Etenim, cum Judæi tria volumina sacri codicis [26] susceperint, Pentateuchum, Hagiographa, & vatum effata, in quibus singulis divinitatem spirare, [27] atque inesse quiddam sacrosanctum credunt, ipsis visum est solum Pentateuchum [28] retinere; cætera, tanquam leviora, atque ab hominum ingeniis profecta, aspernari.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM SEXTUM.

[1] *In monte Garizin*) Mons in finibus Tribus Ephraim & Manasse in quo sita fuit urbs Sichem, prope quam habitavit & altare condidit Patriarcha *Abraham. Gen.* XII. *&* Jacob. *Gen.* XXXIII. In hoc monte Pontifex *Manasses* frater *Jaddi*, cum duxisset filiam Satrapæ Samaritani, ideoque a Judæis dignitate Sacerdotii privaretur, confugiens ad socerum, templum simile Hierosolymitano ædificavit, & sacra similia Leviticis instituit eo tempore, quo *Alexander M.* Monarchiam Persicam occupavit. Confer annot. ad *Carol. Sigon. lib.* 2. *cap* VI. *pag. m.* 184. *edit. Lugd. Batav.* vid. annot. *celeberr. Wagenseil. Mischn.. cap.* VII. *pag. 666.* Mentio hujus montis fit *Deut.* XII. v. 29. 30. Confer. *Dillher. Tom.* 1. *dissert. Academ. pag. m.* 173.

[2] *Sanaballetes*) Templum scil. in hoc monte *Sanaballetes* exstruxit permissu Alexandri, ut Manasses ob matrimonium cum filia Sanaballetæ ISACHA cultum Hierosolymitani æmulum institueret, quod Alexander ex ratione politica concessit, eoque & Rempublicam & Ecclesiam Judæorum non parum affixit, discordiæ enim & dissidio ansam, Judæisque desertoribus transeundi occasionem dedit, suaserat id *Sanaballetes* homo callidissimus Judæis infensus ad Alexandrum dicens: *se generum habere Manassen, fratrem Jaddi Principis Sacerdotum Judææ gentis, multosque alios cum eo præsentes ex ea gente, quos velle ajebat sub eo templum locis constitutis ædificare : hoc autem & ipsi* Alexandro *profuturum videretur, ut in duas partes esset Judæorum potentia divisa, ne eadem concordia gens conjuncta rebellaret, aut in aliquo Regibus obviaret, quemadmodum prius & Assyriis contingebat. Joseph.* lib. XI. Antiq. Jud. cap. VIII. Hujus quoque meminit *Seduna Patriarcha Gazensis* in relatione de *Samaritanis*, cujus verba Samaritana ex Samaritano idiomate latine vertit *Athanas. Kircher. Syntag.* IV. *fol. m.* 363. *edit. Rom.* Illo tempore cum discederet *Alexander* e *Jerusalem*, egressus est ad eum *Sanaballetes* cum *Israel*, & filiis *Josue* Sacerdotis magni, qui affinitatem contraxerant cum *Cuthæis*, quosque fugaverant *Esdra* & *Nehemias* a Domo Domini; petiitque ab *Alexandro*, ut Sacerdotes generis sui ædificarent templum in monte *Garizim*, quo facto, divisus est *Israel* in duas partes; pars a populi secuta est *Simeonem Justum* & *Antigonum* discipulum ejus & congregationem eorum, juxta id,

id, quod ab *Esdra* & *Prophetis* acceperant: pars autem alia *Saneballet* & generos ejus, obtuleruntque holocausta & sacrificia extra Domum Dei, & commenti sunt de corde suo instituta & simulacra gentium. Hinc non male *Mons transgressorum* nominatur, quod Judæi profugi portum quasi & locum salutis illic haberent. vid. celeb. *Dillherr. dissert. Academ. T.* I. *pag. m.* 173. Cur autem in monte hoc *Gerizim* templum ædificarint Samaritani *Henricus Ainsworth.* Anglus doctissimus *in Deut. c.* XII. v. 30. *fol. m.* 43. hanc rationem reddit: *There on mount Gerizim was the Samaritans Temple, where they worshipped they Knew not What. It seemeth they tooke occasion of that superstition from this Law, thinknig Gerizim to be a holy place, because the blessing were pronounced on it.*

3 *Diversa sacra habuissent*) Sicut consensus in doctrina religionis parit amicitiam, & copulat seu conjungit animos; ita dissimilitudines religionum in perpetuum animos evellunt, *Peuc. in lect. Chronol.* Nihil enim magis dissolvit ac disjungit animos, quam religionum diversitas, & nihil magis consociat animos, quam consensus de religione. Cum autem. *Samaritani* diversa a Judæorum sacris, sacra haberent; Hinc aliter fieri non potuit, quam ut odio haberent illos Judæi. Præcipuum autem concordiæ vinculum est religionis similitudo & de cultibus divinis consensio. Vix quicquam arctius devincit & complicatos tenet animos, quam eadem de Deo sententiæ aut opiniones & sacrorum communio. E contrario si quid aliud, certe religionis diversitas animos hominum disjungit & distrahit: ac perpetuorum odiorum, dissidiorum, seditionum & bellorum est seminarium, atque levi momento fit: ut aut politicum schisma gignat Ecclesiasticum; aut Ecclesiasticum invehat Politicum, idest, ut vel ob contentiones politicas doctrina religionis quid detrimenti capiat, & Ecclesia multum mali patiatur. vid. *Bucholtz. in Chronol. p.* 350. Quod vero discrimen inter Judaica & Samaritica sacra? Dices forte, *Samaritanos* non interpretari in Synagogis legem, quod Judæi faciunt: sed respondet *Anglus Edmund. Castell. Animadvers. Samarit. quæ Tom.* VI. *Bibl. Polyglott. exhibentur, ad cap.* I. *Exod.* proferens Commentaria in libros Mosis Samaritica & excerptis quibusdam hanc adjiciens ἐπίκρισιν: *Ex his omnibus & quæ sequuntur apud eundem autorem satis liquet, Samaritanos sacras illas, quæ admittuntur Scripturas, cum Commentariis non habere tantum, sed & legere, (cum Liturgia enim eorum Damascena conjungitur ista) eosque etiam literali, simplici atque concisa, absque ulla traditionum, vel quam rarissime quidem, & quæ ut indubitatæ ab omnibus habentur, commixtione, earum interpretatione uti. Quia & observandum insuper, Arabicas voces, per quas iste Commentator ullam Scripturæ dictionem explicat, plane easdem esse cum iis, quæ apud interpretem Arabico-Samaritanum leguntur. Unde conjiciat quis forte, vel utriusque (versionis scil. Arabicæ Samarit. atque commentarii) eundem fuisse autorem, vel saltem commentatori huic adfuisse istam versionem.* Conf. Joh. Henric. Hotting. Primit. Heidelberg. pag. 21. 23. Illud tamen Samaritanis particulare est, quod Petr. de la Valle in Itinerario part. I. pag. 162. adfert. Sie opffern überal / wo sie gelegenheit haben / und verrichten noch alle Ceremonien / wie sie vor diesen im Tempel im gebrauch gehabt / iedoch geschicht dieses auff Samaritanische weise / weil ihnen erlaubt war / solches an einen andern orth / als zu Jerusalem zu thun. Videtur ac si Samaritani ipsi refutent *Vallæum* in epist. ad *Scaliger*: Illud autem, scribunt, non sacrificamus nisi in Sichem e regione montis Garizim mense primo. Verum loquuntur de Sacrificio Paschali: ubi observamus; nec Sabbatho nec festo messis, nec die expiationis, nec festo tabernaculorum ullum memorari sacrificium. Nec concessum erat Samaritis, alio loco, quam Hierosolymis sacrificare, sed ipsi nefarie istam licentiam sibi sumserunt.

4 *Vetera odia exarsere*) Ἀσπονδον inter *Judæos* & *Samaritanos* odium eo primum tempore exortum est, quo Judæi ex captivitate Babylonica reduces, ad templum Hierosolymitanum rursus erigendum se accingentes, a Samaritanis omni studio impediti fuerunt, ne sacrum opus perficerent, uti Sacer Codex in *Esræ* ac *Nehemiæ* libris testatur. Quo factum est, ut animi utriusque gentis summa invidia mutuo exarserint, quæ paulo post haud exiguum incrementum sumsit, quando *Manasses* summo apud Judæos Sacerdotio ob conjugem Samariticam privatus templum Hierosolymitano simile in monte Gerizim exstruxit, ad quod multi ex Judæis profugi in unam successu temporis gentem cum *Cuthæis* coaluerunt. Hinc igitur tot lites ac concertationes inter Judæos & Samaritanos exortæ sunt, quæ huc usque durant. Nam coram *Ptolomæo Philometore* de legitimo templo disceptarunt, referente *Josepho Antiq. l.* XIII. *c.* VI. qui Judæis victoriam adscribit, quemadmodum ex adverso Samaritanus Chronologus pudendo metachronismo *Nebucadnezarem* pro Ptolomæo substituens suæ religionis hominibus palmam tribuit, ut videre est apud *Hotting. Exerc. Anti-Morin. sect.* XLIX. *pag.* 66. 67. Judæi Samaritanos idololatriæ reos habent: tribus literis carere fingunt: sacrilegium in ipso Geneseos vestibulo commisisse calumniatur. *Samaritani* quotiescunque Judæum vident, ut immundum magno clamore procul abesse jubent: montem suum benedictum, Hierosolymitanum maledictum appellitant: ab *Esra* sacros libros corruptos esse criminantur & quæ alia sunt, quæ erudite enucleavit vir celeberrim. M. *Wilhelmus Ernest. Tentzelius in dissert. de Proseuchis Samaritan. edit. Witteberg.* 1682.

5 *Id templum ab Hyrcano*) Samaritam templum Gerizimæum in æmulationem & invidiam Hierosolymitani struxerant, quod post ducentos circiter annos a *Johanne Hyrcano* dirutum. Fuit autem hic Johannes Hyrcanus, Simonis Hassamonæi filius. Vide *Joseph. lib.* XIII. *Antiquit. Judaic. cap.* XVI. *Leusden. Philol. Hebr. mixt. diss.* VIII. *pag.* 56. *seq. Gent. hist. Jud.* §. 7. *pag.* 69. *seq. Tentzel. in dissert. cit.* §. 3.

6 *Vera Israelitarum propago*) Per Samaritanos non intelligimus cum *Cunæo* nostro x. Israelitarum tribus, quæ a reliquis cum *Jerobeamo* secessionem fecerant, ac novum cultum Idololatricum invenerant, quod male nonnulli faciunt: sed alios longe homines, qui primam originem repetunt a quinque populis, quos Rex Assyriæ in vacuas Israelitarum sedes paulo post traduxerat. Vide *Athanas. Kircher. Oedip. Ægypt. Tom.* I. *fol. m.* 353. *Synt.* IV. *cap.* XVII. *edit. Rom.* Conf. *annot. ad Sigon. pag. m.* 185.

7 *Samaritani*) Unde dicti & originem habuerint fuse ostendit Anglus *Johann. Selden. in lib. de Diis Syris pag. m.* 129. *seqq.* 133. 308. *seq.* quem benevoli Lectores evolvere rogantur.

8 *Quanti pretii fuerint*) Apud Judæos instar Ethnicorum habebantur, uti *Hierosolym. Schekalim fol.* 46. 2. testimonio approbat: Negat R. Simeon Samaritanum Ethnicum esse, affirmat hoc R. Jehuda cum aliis. Vide de his pluribus differentem *Johan. Henric. Othon. in Lexic. Rabbino--Philolog. pag. m.* 582. 583. *Johan. Lightfoot. hor. Talmud.* variis locis.

9 *Longe deteriore conditione*) Observandum est cum *Jac. Gothof. Comment. in lib.* XVI. *Cod. Theodos. tit.* 8. *pag.* 232. De Judæis & Samaritanis idem semper in *Theodosiano Codice* constitui, cum *Justiniani* ævo *Samaritani* deteriore conditione fuerint; idque constat ex *Lib.* XIII. *Cod. Theodos. Tit.* de *Navicularis leg.* XVIII. ubi Judæorum corpus ac *Samaritanorum* ad navicularium functionem non jure vocari constituitur: quod humanitatis *Theodosianæ* in *Judæos & Samaritanos* argumentum esse judicat *Gothofredus Comment. pag.* 75. Sed seculo quinto *Samaritani* in pejus ruere cœperunt. Legimus enim in *Chronico Alexandrino* de *Justusa* quodam *Samaritano* sub *Zenone* Imperatore, qui Regis titulo assumto capitali supplicio affectus est narrante *Briamo Waltono proleg.* XI. *num.* 5. quod *Abulpharagius* etiam adnotavit, quando sub *Zenone* Samaritanos Neapoli constituto Rege Christianos trucidasse tradit, quo respexisse videtur *Procopius de Ædif. lib.* V. *c.* 7. ubi Neapoli Gerizim montem scribit imminere Samaritanis ereptum ob seditionem, conjectante celeb. *Ezech. Spanhemio de numism. pag.* 771. Nisi *Procopii* locum malumus intelligere de pessima rebellione, quam sub *Justiniano* moliti sunt *Samaritani*, scelestissime in Christianos sævientes, descriptam a *Nicephoro Calisto lib.* XVII. *cap.* XXIV. *Paulo Diacono lib.* XVI. ac Historicis Ara-

Arabum, *Patricide* & *Elmacino Hottingero hist. Eccles. Secul.* VI. *pag.* 336. citatis. Quid igitur mirum, severas leges adversus Samaritanos tulisse Imperatorem *Justinianum*? Miseris tamen hominibus ad bonam frugem redeuntibus, laudatus Imperator petitionibus *Sergii Metropolitani Cæsariensis* motus *Novell.* CXXIX. anno XV. Imperii sui licentiam dedit *scribere testamenta*, & suas *proprias dispensare substantias*.

[10] *Testes introducebant*) Ex his allatis a *Cunæo* nostro verbis constat, Samaritanos maximo odio habitos fuisse a Romanis, quod ex ipsis Romanorum Imperatorum constitutionibus clarissime liquet. *Justinianus* enim Imperator varia in *Samaritanos* edicta promulgavit, in quibus *Codic. lib.* 1. de *hæretic.* & *Manichæis* & *Samaritanis tit.* V. hæc reperimus: *αἱ τῶν Σαμαριτῶν συναγωγαὶ καθαιρῶνται, καὶ ἐὰν ἄλλας ἐπιχειρήσωσι ποιῆσαι τιμωρῶνται, οὐ δύνανται δὲ διαδόχους ἔχειν ἐκ διαθήκης οὔτε ἐξ ἀδιαθέτου πλὴν ὀρθοδόξων, οὔτε δωροῦνται ἢ ἄλλως ἐκποιοῦσι τοῖς μὴ οὖσιν ὀρθοδόξοις, ἀλλὰ ὁ φίσκος αὐτὰ ἐκδικεῖ προνοίᾳ τῶν ἐπισκόπων καὶ τῶν ἀρχόντων*. Conf. Novell. CXLIV. data anno VII. Justinian.

[11] *Per civiles discordias*) Cum enim populus Israeliticus a *Roboamo* remissionem jugi parentis sui peterent, ille relicto Seniorum consilio, superbe respondebat: Minimum digitum suum crassiorem fore, quam Patris lumbi fuerint &c. Hinc discordiæ ortæ & decem tribus defecerunt ab ipso, & ad *Jerobeamum* desciverunt.

[12] *Idolorum cultores*) Cultus hic Idololatricus introductus a Rege callidissimo Jerobeamo, qui, cum animo secum volutaret quam firmum Reipubl. fundamentum sit religio, metuebat, ne populus, si quotannis sacrorum causa iter Hierosolymas instituere, recordatione meritorum Domus Davidicæ, sanctæque urbis admiratione & societate religionis ab se iterum ad Roboamum averteretur, impium consilium cepit, quo sacrorum mutatione discordias & causas odii inter Israelitas & Judæos sereret. Itaque ex orco revocata vitulorum adoratione cives ad Idololatriam, sub titulo utilitatis, seducit. Vide *dissertat. polit.* 2. *de regno* Jerobeam. M. *Frid. Christiani Bucher. edit. Witteberg.* 1675. ubi plura. Conf. *Michael. notæ pag.* 82. 83.

[13] *Vitulos aureos*) Sunt qui Jerobeamum cum vitulis suis excusare volunt, asserentes, quod ad similitudinem Cherubinorum Mosaicorum facti fuerint, qui Symbolum gratiæ Dei. Inter hos est *Moncæus*, qui hinc infert, *Jerobeamum*, quia vitulos fecerat Samaritanos, Idololatram non fuisse, sed schismaticum. Verum quot verba, tot figmenta veritati contraria. Longe a veritate abest, quod vitulus sit symbolum divinæ gloriæ, sed potius horrendæ Idololatriæ, uti eleganter probarunt celeb. Mæbius in sua Moscholat. & Cl. *Georg. Michael.* in *not. doctiss. ad* Jacob. *Gaffarell. curiositates pag. m.* 76. 77. *edit. Hamburg.* 1676. Deinde falsum est, quod Jerobeamus vitulos ad similitudinem Cherubinorum fecerit, nam in Scriptura de hac re altum est silentium, quæ mentionem facit vitulorum 1. *Reg.* XII. 28. Vitulos fecit, non Cherubinos, atque ita LXX. *καὶ ἐποίησε δύο δαμάλεις χρυσᾶς* fecit duas vitulas aureas. Iisdem verbis scelus commemorat *Joseph. lib.* VIII. *cap.* 3. Ægyptiorum apud quos vixerat, Idololatriam secutus. Videantur Cl. *Samuel Bochart. Hierozoic. l.* II. *part.* 1. *cap.* XXXIV. *fol.* 354. *seqq. edit. Londin.* 1663. qui fuse de his egit. Conf. *Selden. de Diis Syr. & Beyeri additamenta*. ubi B. L. lectu digna habebit.

[14] *Apis erat*) Ægyptiorum summum Numen fuit. Et quod ad nomen attinet, Ægyptiacum est, quod bovem significat. Vide *Athanas. Kircher. Oedip. Ægyptiac. Syntag.* 3. *fol. m.* 200. *edit. Rom.* Confer. *Bochart. Hierozoic. fol. m.* 337. 338. seq. *edit. Londin. And. Beyer. in additam. ad Selden. pag.* 219. Sunt qui *Apim* & *Serapidem* unum Numen putarint, & per *Serapidem Josephum* intellexerint, uti cit. *Bochart. l. c. cum Beyer.* ostendunt, nec veritati contraria videtur hæc opinio, ut pluribus in dissertatione historica de Serapide Ægyptiorum Deo maximo exhibet Cl. *Joh. Lehmann edit. Witteberg.* quam iterum excudi curavit celeberr. *Crenius* in fascicul. suis, ad quam Lectores remittimus, quia actum agere nolumus. Interim favere huic sententiæ, ipsa quoque *Apis* appellatio videtur. *Apim* enim si dixerimus esse nomen vel titulum honoris, quo *Josephum* ornarunt Ægyptii, a veritate fortassis nihil alienum dixerimus. Nam אב idem est ac pater. Si nunc affixum apponatur, fit אבי pater meus; adjecto demum S. fit *Apis*. Pensitandum nunc sistimus, annon quilibet Ægyptiorum, quia *Josephum* pro patre patriæ agnoverunt, ipsum non tantum vivum, sed etiam mortuum compellaverint אבי *Api*, vel *Apis pater meus* vel pater mi. Tacemus, quod ipsa Scriptura asserat, idololatras Deastros vel idola sua his compellasse verbis: אבי *Api*. Vide Jerem. II. 27. Et quamvis Ægyptiacam linguam & Hebræam discrepasse quidem in non paucis constet; attamen in plurimis etiam convenisse, manifestum est; ita ut vox *Apis* tam Ægyptiacum quam Hebraicum, quod malimus verbum sit. *Jacobus Bolduc* alio modo nomen *Josephi* ex *Api* deducit. Dicit enim nomen *Josephi* latere in voce *Api*, si literæ transponantur. Verba *Bolduci lib.* II. *cap.* XVII. *pag.* 162. hæc sunt: *Hujus illustris Regis eximia sapientia & strictissimum Argivorum cum Ægyptiis contubernium fecisse videtur, ut ad perpetuam ejus memoriam Reges Ægyptii cognominentur Pharaones: & vice versa filius regnique successor istius Principis Joseph honorifico, sed inverso APIS hoc est ISAP nomine a Patre donatus sit*. Sed hæc transpositio minime congrua videtur. Aliud enim est *Isap*, aliud *Joseph*. De *Apide* qui plura legere & formam hujus perlustrare desiderat, evolvat sequentes Authores *Athanas. Kirch. Oedip. Ægypt. fol. m.* 199. *seq. Beyer. l. c. Henric. Weghorst. de vero veri Dei cultu pag. m.* 25. *edit. Kilon.* 1671. *Michael. not. ad Gaffarell. curiositates edit. Hamburg.*

[15] *Gentilia singuli sacra habuere*) Juxta diversitatem gentium & urbium diversos quoque Deos in Samaria constituerunt, in hoc imitantes Ægyptios, qui juxta diversitatem Nomorum & urbium, diversa quoque Numina coluerunt. In Nomo primo ⲢⲀⲔⲞϮ *Racoti* dicto *Mercurium* præcipue cultum fuisse legimus, cujus simulacrum erat sub forma *Ibis* pedibus divaricatis rostroque iisdem transversim inserto hoc monogrammum A. reliquo vero corpore figuram cordis exhibens. In secundo Nomo ⲪⲦⲚⲞⲨϮ *Phtenuti Serapidem* & *Latonam* sive Jo cornuta simulacra culta fuisse *Strabo* docet. In tertio nomo ϮⲪⲈⲘⲚⲞⲨϮ *Thphemnuti Canopi* formam cultam fuisse *Suidas* autor est. In quarto ϢⲈⲚⲆⲎⲤ Mendes sub hirci forma cultus approbante *Suida* his verbis: *Mendem vocant Pana Ægyptii, quasi Hirco-formem, quem & hircum sacra lingua vocant, venerantur autem eum quasi seminalis virtutis præsidem, colunt quoque eum, quod non liceat comedere hircos, est enim animal lascivum*. In Nomo quinto *Onuphi aspidem* serpentem adorabant teste *Pausan.* in *Corinthiac.* In sexto ⲤⲀⲒⲤ Sais dicto *ovem* colunt. Vid. *Kircher. Oedip. Ægypt. fol.* 20. In septimo ⲀⲐⲢⲈⲂⲈ Arabice اتريب] *Atrib* colunt *Mygalim* seu *murem araneum*. Vid. *Strabo.* In octavo *Tanitico* accipitrem adorasse *Strabo* docet. Et ita in quovis Nomo certum animal divinis honoribus cultum fuse demonstravit citatus *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. fol.* 3. *seqq. edit. Rom.* Constat hinc ex veteribus Scriptoribus quorundam animantium culturam communem, quorundam vero certorum Ægyptiorum vel civitatum aliarum fuisse. Idem quoque refert *Diodor. Sicul. Bibliothec. lib.* 1. Confer Cl. *Andr. Beyer. annotat. ad Selden. de Diis Syris pag. m.* 228. *seq.* ubi plura.

[16] *Aschimam*) De Aschima *Chamatæorum* idolo Rabbini varie sentiunt. Quidam id ab אשם quod oblationem pro delicto significat deductum pro quovis pecore accipiunt, ut *Radak* אשימה אימרא כמה דהימא באיל האשם *Asima dictio, quasi compleretur in pecore sacrificium seu oblatio pro peccato*. *R. Elias Germanus in Tisbi* existimat *Simiam* esse, cujus opinionem rejicit Cl. *Bochart. in Hierozoic. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 54. *fol. m.* 649. *edit. Londin.* Conf. Cl. *Andr. Beyer. additamen. ad Selden. pag. m.* 305. *edit. Lips.* Alii tamen verius *hircum* seu capram interpretantur אשימה Asima, quasi diceretur simulacrum hirci absque lana, uti referente *Bocharto*, *Talmudistæ in Sanhedrin. cap.* 7. explicant. Sic etiam *Baal-Aruch* in com-

commentario quod incipit ר' מיתות *arba Mithoth* in illum locum, fecerunt viri Chemath Asima, tradunt Rabbini nostri, quod Asima sit hircus calvus, cui non est lana, ac ideo dicitur Asima, quod desertus sit a lana. Cui *Raschi* consentit. Vid. *Buxtorf. in Lexic. Talmud. fol.* 236. & 1473. *Schindler. Lex. fol.* 132. Fabulosum autem esse, quod Aben-Ezra in præfatione ad *Esther* producit, inquiens: *Samaritanos Pentateuchum* ab his verbis auspicatos: *In principio creavit Asima*, cum in manibus versetur Samaritanorum Pentateuchus, ubi ne γρὺ quidem exstat, uti *Kircherus* & alii ipsa verba proferunt. Dicimus itaque *Asima* fuisse simulacrum hirci figura effigiatum, quod Ægyptii etiam coluerunt maxime Mendesii. Videantur de hoc Samaritanorum idolo differentes *Athanas. Kircher. fol. m.* 369. *Oedip. Ægypt. Samuel. Bochart. in Hiero-Zoic. part.* 1. *cap.* 54. *fol. m.* 649. *edit. Londin. Cl. Henric. Weghorst. tract. de vero veri Dei cultu pag. m.* 29. 30. 31. *edit. Kilon.* 1671. *Cl. Andr. Beyer. in additament. ad Selden. de Diis Syris pag. m.* 306. *seq. edit. Lips.*

[17] *Nergalem*) Cuthæorum Numen vel a ניר & נל. Vid. *Selden. pag.* 319. vel a ניר & נלא splendore lucis ignis & solis, cujus Persæ erant cultores. Hanc sententiam fovet etiam *Joh. Cunrad. Dieter. in Antiqu. Bibl. fol.* 554. Verum hoc repugnare videtur verbis scripturæ sacræ, quæ *Nergal* sculptile Numen fuisse, sicut cætera Idola, a *Cuthæis* efformatum, asserit. Non desunt, qui existiment, *Nergal* fuisse simulacrum columbæ specie. Verum an hoc idem fuerit idolum, merito quis dubitare posset, cum incertum sit, quam speciem columbarum intelligere velint. Ut autem, multorum authoritate moti dicamus, statuamus, affirmamus, *Nergal Galli gallinacei* similitudinem habuisse, nam *Seduna Patriarcha Gazensis* ita *Samaritanis* literis tradit: *Quoniam reliquerunt Patres nostri legem Dei, & servierunt* NERGALI *idolo galli similitudine &c.* Dicitur enim lingua Samaritica *Nerga gallus*. Calculum album adjicit *Baal Aruch.* distinctius id explicat *Onomasticon Syrum* apud *Maronitas*: Et viri Cuth coluere Nergal. *Est autem Nergal simulacrum sub forma & similitudine galli gallinacei*. Vid. *Athanas. Kircher. Oedip. Ægypt. in Panth. Hebr. fol.* 365. 366. *Selden. de Diis Syr. & annot. Beyer. pag. m.* 305.

[18] *Succoth Benoth*) Quid proprie Succoth Benoth sibi velit, inter Authores controvertitur. Aliqui, inter quos & *Selden.* existimant, *Succoth Benoth* non tam Deum Deamque quam fanum ipsum, ritus cæremoniasque circa illud sacras denotare; fuisse autem *Succoth Benoth* nihil aliud nisi *Militæ* seu *Uraniæ Veneris* templum, ubi puellæ corollis revinctæ & cum hospitibus concumbebant. Vid. *Martin. de Roa Singul. lib.* 3. *cap.* 9. *pag. m.* 289. *seqq.* Huic assensum præbent *Eucherius Lugdun. Voss. lib.* 2. *cap.* 22. & *Hugo Grot.* qui omnes saltem fanum Idololatricum interpretantur, quasi a סכה tabernaculum, spelunca in plur. סכות speluncæ prostituendarum filiarum, quale scelus in his sacris commune erat. vid. *Ursin. vol.* 2. *Annal. lib.* 2. *c.* 27. *pag.* 96. Verum *Succoth Benoth* idolum fuisse adeo certum est, ut contra Scripturam pugnare videatur ille, qui contrarium affirmare conatur. Expresse enim Scriptura dicit: Et unaquæque gens fabricata est Deum suum (פסיל sculptile) posueruntque eos in fanis excelsis, quæ posuerunt *Samaritæ* &c. *Babylonii* fecerunt *Succoth Benoth*: ita *Targum Jonath. Arabs, Syrus, Lut. Vulgatus, Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, Jun. & Tremell. Rabbini* ex quibus Clariss. *Frischmuth in disp. de Melechet cœli c.* 1. §. 2. *rem clare* deducit. Confer. *Athanas. Kircher. Oedip. Ægypt. in Panth. Hebr. fol.* 355. seqq. Figura erat *gallina cum pullis*. vid. Kirch. c. l.

[19] *Nibchanem & Tartacum*) Bina *Havæorum* erant numina, alterum *Nibchaz* in *Jonathanis Targum* legitur & in Hebræo textu cum notata litera *Sajin* (sicuti pronunciatam hanc litem vult *Magnif. Ludolf. Gramm. Æthiop. l.* 1. *p.* 6.) Eodem modo exprimitur in *Opere Anglicano*; at secundum LXX. ἰβλαζὲρ MS. Ἀβλαζὲρ καὶ τὴν Ναιβὰς. Syro est *Jebzach* & Arabi *Jabelsabba* mutata una & transposita altera, *Tremellio Nibchan*, a radice נבח latravit. Nibchaz igitur a נבח deductum canem significat, quibus *latrare* est proprium. vid. *celeb. Bochart. Hieroz. lib.* 2. *cap.* 55. *fol. m.* 665. *edit. Londin.* חז autem effictum nomen est a dentium forma, quam canes rabidi ostendunt. vid. *Athanas. Kircher. Oedip. Ægypt. f. m.* 370. *edit. Rom.* Alii tamen Orientales non male, quicquid dicat Radak per *Nun* in fine scribunt, ut Syri & Arabes ܢܒܚܘܢ *Nibhon* & نِبْحُون *Nibhhun*, quorum utrumque a ܢܒܚ & نبح *nebach* deductum canem indicat, quasi dicas latrantem. Verba *Radak* latine versa hæc sunt: *Nibhaz scribitur in fine* per Zain, etsi sint aliqui libri, qui id per *Nun* quoque scribant, sed errant libri illi, non enim scribi debet nisi per zain. Quoad formam simulacrum hoc erat instar canis ceu Anubis, uti *Raschi* expresse indicat his verbis: נבחז דמות כלב נבחז הוא כלב: Nibhaz *figuram obtinebat caninam*. Similiter Radak Nibhaz canis est. Canem igitur colebant *Havæi*, exemplo Ægyptiorum, quibus cane nihil erat sanctius, hunc Ægyptii veluti custodem protectoremque delicate enutriebant, Anubim ipsum teste *Herodoto* patria lingua vocantes. Hujus etiam *Virgil.* meminit: *Omnigenumque Deum monstra & latrator Anubis*. Quem etiam canino capite exhibet *Cartarius de imaginibus Deorum edit. Mogunt.* Conf. *Cyprian. contra Demetr. fol.* 256. *Origin. in Exod. cap.* VII. *Euseb. lib.* II. *præp. Evang. cap.* 1. *Albric. de Deor. imagin. p.* 316. Hunc Comasiarum festis publica solennitate per urbis compita & vicos circumferre solebant, ut tradit *Clem. Alexand. lib.* v. *strom.* Constat igitur *Nibhaz* fuisse simulacrum sub canis forma ab *Havæis* cultum; nec enim alia de causa canem colebant *Havæi*, nisi quod, cum Ægyptios Cynopolitas omnem suam prosperitatem canino cultui adscribere intelligerent, & illos ad eandem prosperitatem consequendam ad hujusmodi belluinos cultus animum adjecisse verisimile est. Vide *Ouzel. annot. ad Minuc. Felic. in Octav. p. m.* 165. *Cl. M. Andr. Beyer. annot. ad Seld. de Diis Syr. pag. m.* 308. *edit. Lips.*

Alterum Numen seu Idolum quod *Thartak* vocabant, & coluisse dicuntur *Havæi Asini* figuram habuisse *Rabbini* dicunt. Ita Rasch & Radak פירשו ר' בי תרתק צורת החמיר Interpretantur fuisse *Thartak figura Asini*. Ita Cl. *Beyer. in annot. ad Selden. pag. m.* 308. תרתק h. e. ut *Talmud* tradit cum Rabb. *Kimchi & Jarch.* (Vide *Buxtorff. Lexic. Talm. fol. m.* 2666.) Typhonis Ægyptii hieroglyphicum, חמור asinus est. Vide *Athanas. Kircher. Oedip. Ægypt. fol. m.* 371. *edit. Rom.* Verum huic Rabbinorum opinioni hanc epicrisin addit Cl. *Bochart. in Hierozoic. fol. m.* 182. *edit. Londin.* ita scribens: Non me latet Havæorum Numen תרתק ab Hebræorum vulgo asini figura describi; sed in re plane incerta fides sit penes Autores.

[20] *Sepharvaimitæ Adramelechum*) Adramelech a rad. אדר & מלך quasi Regis magnificentia, paludamentum, toga, pallium interprete *Tholosano in Syntax. mirab. lib.* VII. *cap.* v. *edit. Lugd.* Syriac. ܐܕܪܡܠܟ Quidam putant, unum idemque Numen fuisse hoc cum Idolo *Anamelecho* & *Molocho*, quibus Scriptura Sacra videtur assensum præbere, cum dicit; Sepharvaimitas filios suos combussisse in igne τοῦ Adramelech, & sequuntur hanc fere omnes Christiani Interpretes. Alii contrarium statuunt, quippe alia imago, aliusque cultus fuit τοῦ *Adramelech* & *Anamelech*, quam τοῦ *Moloch*. Plerique Hebræorum opinantur τῷ Adramelech & cæteris Sepharvæorum Diis filios tantum per ignem ductos sine ulla læsione, duabus pyris exstructis, ac si lustrarentur. Nam R. *Moses Ben Maim. More Nevochim lib.* 3. *c.* XXXVII. inquit. Idcirco Servitores ignis in tempore suo fecerunt homines scire, quod qui non traducerent filium suum vel filiam suam per ignem, morerentur filii aut filiæ: & sine dubio propter illud, quod audiebant, quilibet festinabat illud facere, quia multum timebant super filios suos: vel propter facilitatem operis, quia non erat, nisi traducere eos per ignem, non quod comburerent illos: cui consentire videtur R. *Joseph Ramon* C. VI. τοῦ *Mischn. Thora tract.* עכו"ם, ubi annotat, Scripturam non loqui de combustione filiorum τοῦ *Moloch*, sed tantum Diis *Sepharvaimitarum*, de quibus 2. *Reg.* XVII. ad quam opinionem confirmandam alii adducunt loca Scripturæ 2. *Reg.* XXI. 6. ubi de *Manasse* legitur, non, quod combusserit, sed transire fecerit, seu traduxerit filium suum per ignem. Quod imaginem Dæmo-

Dæmonis hujus attinet, tunc *Rabbini* forma *muli* fuiſſe ſtatuunt, vel *equi*, ita *Raſchi*: אדרמלך דמות פרד ענמלך דמות סוס *Adramelech erat formam habens muli, Anamelech equi*. Radak hoc modo: *Adramelech inquit, eſt mulus & ita vocatur, quod magnificus ſit domino ſuo in oneribus ſuis, hoc eſt, quod portet domino ſuo omnia onera; Anamelech vero equus eſt & ſic vocatur, quod in bello domino Regi ſuo obediat*. Targum vero *Hieroſolymitanum* apud Radak & *Baal Aruch*, *Adramelech & Anamelech pavonis* & *phaſiani* ſpecie fuiſſe efformata, verba ejus latine reddita hæc ſunt: *Adramelech & Anamelech illi ſunt pavonis & phaſiani ſpecie, qui lingua Latina vocantur pavo, & notum quod ille eſt phaſianus*. Audiamus etiam noſtros Doctores de imagine *Adramelech* differentes. *Polanus* ut & *Chemnit. in Exam. Trident. pag. m. 678.* eo videntur tendere, Adramelechum cultum fuiſſe non ſub ſpecie ſtatuæ concavæ, uti *Moloch*, ſed *Pavonis* aut *Muli*. Et haud abſimile apparet, per Idolum hoc Saturnum illum aliter *Pavonem*, denotari; ſive per hunc ipſum Saturnum, qui alias in *Molocho* fuit cultus, ſeu Saturriam *Junonem*, cujus tutelæ avis hæc fuit aſſignata, Ethnici, aut ad eorum exemplum Apoſtatæ Judæi colere voluerint. Certe conſtat, Babylonicas mulieres, ut cæteris ſuperbiores, quin imo ipſos Aſſyriorum Sacerdotes, *pavonibus* i. e. (teſte *Tertulliano*) veſtibus ex plumis pavonum confectis uſos, ſexumque in ſacris ejuſmodi faciendis mentitos: Unde *Petron. Arbit. in Satyr*:

Plumato amictus auro babylonico.

Et in confeſſo eſt, Romanum Imperatorem Hadrianum in eo templo, quod fuit in planiore parte Eubææ ſitum, inter cætera memoratu digna, quæ viſebantur, PAVONEM ex auro & lucidis pretioſiſſimiſque lapillis dicaſſe cum aurea corona & purpurea palla, ubi erant cælatæ *Herculis* & Hebes nuptiæ; quo, niſi nos conjectura fallit, ſimulacrum illud Aſſyriorum vetus, quod, quoad ἔτυμον, prædictæ magnificentiæ Pallii regalis reſpondere videtur, ex ſuggeſtione, abſque dubio, dæmoniaca, quo Spiritus ille veterator & mendax etiam hoc nomine regnum ſuum amplificaret, eſt adumbratum. Plura de figura hujus Idoli ſub muli vel pavonis forma culti videri poſſunt apud *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* IV. *c.* XX. *fol.* 375. Cl. *And. Beyer. ann. ad Selden. de Diis Syris pag. m.* 308. *edit. Lipſ.*

21 *Hanamelechum*) Idolum hoc cultum fuit ſub ſpecie (ut Polanus vult in locis comm.) avis *Phaſiani*, a flumine Colchorum *Phaſide*, unde in Græciam ab Argonautis advecta putatur, ita dictæ, & in quam *Itym*, & *Terei Thraciæ* & *Phocidis* Regis filium converſum Poetæ fabulantur. Huic Dæmoni idem cum τῷ Adramelech cultus, in traducendis liberis per ignem exhibitus eſt, quamvis effigies diverſæ fuerint: Ille enim in imagine *Pavonis*, hic in imagine *Phaſiani* ab Apoſtatis Judæis videtur adoratus: forte ut divinis honoribus afficerent ipſum *Itym*, quo nomine *Prognes* & *Terei* filius fuit cognominatus. Vide Mycillum in lib. VI. Metamorph. tanquam ſigno & argumento calamitatis, quæ parentibus ipſique evenit: τύλυς enim Græci ſigna miſeriæ vocant. Cui opinioni etiam ipſum nomen hebræum ענמלך i. e. afflictio Regis, non adeo videtur repugnare. Sed libera hic ſit cuique conjectura. Interim tamen conſtat, tam gentes, quam ad eorum exemplum apoſtatas Judæos, nullum ferme tam reptilium, quam greſſilium, tam



1 Tharlac 2 Nibchaz 3 Aſima Seu Mendes 4 Succoth Benoth
5 Nergal 6 Anamelech 7 Adramelech

natatilium, quam volatilium animalium prætermiſſe, quin Dæmones in eorum imaginibus, effigiebus & ſimulacris coluerint & adorarint. Nam ut Poeta:

Quicquid humus, pelagus cœlum mirabile ſignat
Id dixere Deos, colles, freta, flumina, fontes.

Plura de Anamelecho videantur apud *Selden. de Diis Syris & Beyer. annot. p. m.* 309. *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. fol. m.* 372. In memoriæ ſubſidium *delubrum Samaritanum* huc appingi curavimus.

22 *Non ſineret diverſitas*) Bene notum erat Regi

Aſſy-

Aſſyriorum, quod diverſitas religionum in regno non ſit utilis; itaque omnem impendebat operam, ne diverſa ſit religio inter hos ſubditos. Sicut conſenſus in doctrina religionis parit amicitiam, & copulat ſeu conjungit animos: ita diſſimilitudo in perpetuum animos divellit. Præcipuum quippe concordiæ vinculum eſt religionis ſimilitudo, & de cultibus divinis conſenſio. Vix quicquam arctius devincit & complicatos tenet animos, quam eædem de Deo ſententiæ aut opiniones, & ſacrorum communio. E contrario ſi quid aliud, certe religionis diverſitas animos hominum disjungit & diſtrahit: ac perpetuorum odiorum, diſſidiorum, ſeditionum & bellorum eſt ſeminarium: atque levi momento fit: ut aut politicum ſchiſma gignat Eccleſiaſticum: aut Eccleſiaſticum invehat politicum: id eſt: ut vel ob contentiones politicas doctrina religionis aliquid detrimenti capiat & Eccleſia multum mali patiatur: vel diſputationes Eccleſiaſticæ de dogmatibus in atrociſſima bella exeant: in quibus homines pro calamis ſcriptoriis gladios & haſtas arripiant, armiſque ſententias dicant. Vide *Bulchotz. in Chron. p.* 350. Multa quoque exempla collegit *Gregor. Richter. in axiomat. Eccleſ. pag. m.* 137.

[23] *Sacra patria eos edoceret*) Coloniam in Samariam deduxiſſe dicuntur *Aſnappar*. Ezr. IV. 10. & *Eſar-chaddon*. Quicunque autem fuerit *Aſnappar* ſive ipſe Sennacheribus, uti quidam, teſte Cl. *Lightfoot. in hor. Talmud. pag. m.* 933. *edit. Lipſ.* volunt, ſeu *Salmanaſſer*, ſeu Regis aliquis Satrapa, Dux factus migrationis, videtur certe Samariam bis fuiſſe coloniis plantatam. Primo confeſtim poſt urbem captam, *Cuthæis*, *Havæis Sepharvatis*, &c. Sub *Aſnappero* ſive is Rex fuerit, ſive Dux tantum. Et cum non pauci eorum devorarentur a leonibus, tum ſecundo plantata eſt ea *Suſanchæis*, *Tarpelæis* in diebus *Eſar-chaddonis* cum quibus adſcendit Sacerdos, qui doceret cultum Dei. Vide *Wal. annot. ad N. T. in cap.* IV. *Johann. pag. m.* 834.

[24] *Gentilis ſuperſtitio*) Licet a Sacerdote edocti fuerint, attamen gentilis ſuperſtitio in animis eorum manſit. Utcunque religioni Moſaicæ ſtudere ſe præ ſe tulerint, revera parum aut nihil aberant ab Idololatris, cum neſcirent, quid adorarent. Hinc eos pro Ethnicis habuit gens Judaica, aut pro populo ipſis Ethnicis magis execrando. Vide *Lightfoot. hor. Talmud. in Matth. cap.* X. *pag. m.* 328. *edit. Lipſ. Joh. Henr. Otho in Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 582.

[25] *Penitus omnem idololatriam abdicavere*) Primo metu perculſi eo perducebantur, ut Deum una cum Idolo ſuo colerent. 2. *Reg.* 17. Verum evenit ſequentibus temporibus, ut relicta Idololatria illa craſſiori, Dei legibus per Moſen traditis propius adhærerent. Idque tum in primis factum cum Cl. *Wallæo* opinamur, cum *Sanballath* Cuthæus genero ſuo gratificaturus templum exſtruxiſſet. Nam generi ſocietate adductus potens Sanballath cum ſubditis Idololatriam fugiſſe videtur. Licet igitur Judæi odio Cuthæorum iis idololatriam manifeſtam adſcribant, uti ex illorum ſcriptis patet, attamen poſterioribus temporibus Idololatria deferbuit. Nam legem Moſis recipiebant, & ex ejus præſcripto multa faciebant, & cultum Deo præſtabant, uti elucet ex *cap.* IV. *Johann.*

[26] *Tria volumina ſacri codicis*) Antiquiſſima eſt S. Scripturæ diviſio, qua Judæi in hunc uſque diem utuntur, dum V. T. in tres claſſes diſtribuunt, quarum (1) dicitur *Pentateuchus* & libros quinque Moſis vel legis Moſaicæ complectitur. Licet enim Moſes non minus quam cæteri viri θεόπνευστοι Propheta fuerit, imo magni iſtius Prophetæ *Deut.* XVIII. 15. typus, Hebræi tamen ob duas rationes Moſen a reliquis Prophetis diſcernunt: (1) ideo quod Moſes fuerit internuncius & quaſi mediator inter Deum & Iſraelitas, quales mediatores cæteri Prophetæ non fuerunt. (2) quod *Moſi* non tam prophetandi, quam legis promulgandæ munus in ſpecie ſit commiſſum. Secunda claſſis librorum S. Scripturæ continet *Prophetas*, quos Judæi in priores & poſteriores ſubdividunt. Sunt autem libri octo, e quibus quatuor prioribus Prophetis tribuunt, quales ſunt liber *Joſuæ*, *judicum*, cujus apendix libellus *Ruth*, *Samuelis* & *Regum*. Reliquos quatuor Prophetis proſterioribus tribuunt. Sunt autem *Eſaias*, *Jeremias*, *Ezechiel* & *liber duodecim*; ita enim vocant duodecim minores Prophetas, perinde ut Romani leges duodecim vocabant duodecim tabularum. Tertia claſſis librorum S. Scripturæ complectitur ἁγιόγραφα. Hæc vero apud Judæos libris novem conſtant, quorum primum Pſalmi conſtituunt, tres alios Salomonis Proverbia, Eccleſiaſtes & Canticum, (5) Job, ſextum *Daniel*, ſeptimum Eſdra cum Nehemia (8) Eſther, nonum denique verba dierum h. e. Annales Hebræorum vel Chronicon, quod eſt breviarium propagati a mundo condito generis humani poſterorum Abrahami uſque ad David, & hinc uſque ad ſolutam captivitatem Babylonicam, Hinc eleganter Chronicon iſtud Hieronymus Epitomen V. T. vocat in epiſt. ad *Paulin.* Refert hanc tripartitam diviſionem S. Scripturæ J*oſephus Antiquitatum* peritiſſimus Scriptor *lib. contr. Appion.* Quid? hæc diviſio Scripturæ jam Chriſti ævo inter Judæos obtinuit, & quod magis mireris ab ipſo Salvatore approbata videtur. Ita enim Chriſtus *Luc.* XXIV. Oportet omnia impleri quæ ſcripta ſunt (1) in Lege Moſis. (2) in Prophetis (3) in Pſalmis, quo nomine ἁγιόγραφα intelligit, nam inter hæc Pſalmi eminent. Confer. Diſſer. *Friſchmuth. de diviſione Scripturæ, ubi plura.*

[27] *Divinitatem ſpirare*) Spiritus Sanctus, qui non ſolum materiam, ſed & verba ſuis amanuenſibus inſpiravit, ejuſmodi characteres majeſtatis, gravitatis & ἐνεργείας huic authentico textui impreſſit, quos nulla interpretatio ſatis valeat exprimere. *Jacob. Cruc. in Suada Delphic. Orat.* 5. *pag.* 48. Unde Deus ad Moſen *Exod.* XXIV. 27. dicit: Scribe tibi את־הדברים hæc ipſa verba, & ad *Eſaiam c.* LI. 16. Et ponam דברי verba mea in os tuum. *Jeremiam* Deus jubet, ſcribe tibi כל־הדברים omnia verba, quæ locutus ſum ad te, in libro cap. XXX. 2. XXXVI. 2. Sanctis Dei viris a Spiritu Sancto datum, quomodo & quid loquendum *Matth.* X. 19. *Luc.* XII. 11. unde in N. T. *Paulus* ipſa verba quibus uſus eſt Spiritui Sancto adſcribit. 1. *Cor.* II. 15.

[28] *Solum Pentateuchum*) Hoc referunt etiam de Sadducæis Scriptores, quod ſolum Pentateuchum receperint omnium כתובים ונביאים Hagiographorum & Prophetarum rejectione. Hinc ſtatuunt Samaritanos ex ſecta Sadducæorum fuiſſe. Conciliare diſcrepantes Autorum ſententias conatus eſt *Druſius*, qui duplex Sadducæorum genus ſtatuit; alterum cum Samaritanis eadem ſede uſum, idque in Prophetas & Hagiographa injurium; alterum in Judæa frequens nec ea Sacr. Scripturarum aſpernatione conſpurcatum. Vult itaque vir doctiſſimus illos tantum Sadducæos ſolum Pentateuchum recepiſſe, qui inter Samaritanos vixerint; qui vero inter Judæos, reliquam etiam V. T. Scripturam admiſiſſe: hac procul dubio nixus hypotheſi, quod etiam Samaritæ ſolos libros Moſis ut principium fidei receperint, reliquos libros vero rejecerint, ut in *Doſitheo* ſaltem ſive *Doſten*, cujus ſectatores Δοσιθηνοὶ *Doſtheni* dicti, manifeſtum eſſe videtur; de hoc enim ſic ex *Photio* Clar. *Voet. Diſpp. ſelect. part.* 2. *pag.* 152. Quod in Divinos Prophetas maledicus, in Patriarcham Judam contumelioſus fuerit, exploſiſque & exſibilatis Prophetis omnia ſibi vaticinia, quin & divinitatem arrogarit, vel ut *Tertullianus de Præſcript. c.* XLV. primus auſus ſit Prophetas repudiare. Sed quomodo probabit vir literatiſſimus, unquam notabilem aliquam *Sadducæorum* partem inter Samaritanos commoratam eſſe? nam ad hanc vel illam ſingularem perſonam eum reſpicere credibile non eſt. Erant enim Sadducæi, ut ut hæretici, revera tamen adhuc Judæi; inter hos & Samaritanos indelebile odium; & hinc inter ipſos habitaſſe probabile non eſt. Sunt itaque viri celebres, qui negant, ipſos *Samaritanos* præter *Pentateuchum* omnes Scripturæ libros rejeciſſe, ſaltem dubitanter de eorum ſuper hac re ſenſu loqui ſolent. Dicunt quidem, eos *Moſis* libris ſingulariter adhæſiſſe, at non in oppoſitione ad libros Hiſtoricos, Propheticos & Hagiographa, ſed ad Phariſæorum aliorumque traditiones. Nonnulli inquit Cl. *Leuſden. Diſſert.* 8. *pag.* 57. veriſimiliter dicunt, Samaritanos ſolam legem pro verbo Dei agnoviſſe oppoſite ad Traditiones Legis Phariſaicas non ad alios Scripturæ libros. Unde *Gerhardus Comment. ad Matth. cap.* XXII. erudite judicat, legiſſe libros alios, uti nos libros Machabæorum, nec rejeciſſe ſed inferioris conditionis eſſe putaſſe.

CAPUT

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Hæresibus sectisque Judæorum. Quando eæ ortæ sint; & vera causa earum. Cur ante exilium Babyloniense in idololatriam, post illud exilium vero in hæreses inciderint Judæi. Quare difficile sit ab idololatria ad hæresin desciscere. De Bano, deque Gaulonitis, & Zelotis, item de impostoribus quibusdam, qui in Judæa religionum prætextu grassati ad res novas sunt.

SAMARITANORUM prava de Hagiographis opinatio, quam percrebuisse diximus, tunc orta demum est, cum a paganorum superstitione recesserant: ut non ante facti hæretici sint, quam esse idololatræ desiissent. Sane etiam Judæis plane in eum modum res processit: de quorum sectis ut deinceps aliquid dicamus; nunc bona occasio est. Illud hercle constat, non semel Judæos a recto Numinis cultu ad sacra peregrina, atque ad falsos deos sese convertisse: unde tot vatum acerbæ conciones in eam gentem fuere, quas etiam nunc hodie amplissimis literarum monumentis consecratas viritim terit publicus usus. Sed rursum illud observavimus sub posteriore templo Judæos, cum ab omni idololatria alienissimi erant, diverso genere vitiosos fuisse. Etenim ex illo tempore variis interpretationibus sacri codicis, dissensionibusque de religione, deque rebus divinis inter se pugnaverunt. Quare aliud malum, non leve profecto, ortum tunc est, sectæ hæresesque. In partes enim se divisere varias homines curiosi: atque uno ex errore infiniti, diversi omnes, & contrarii nati sunt. Jam primum Sadducæorum vesana opinio permultos tenuit, esse animas, ut corpora, mortales, [1] neque post vitam præmia [2] aut pœnas bonos malosve sequi. Et rursus Pharisæi, homines supra modum factiosi, commentis suis legem divinam multo latius, quam summus Moses voluit, extenderunt. Ex quibus dehinc Essæi tertium genus orti, religionum sanctimoniam omnem paulo magis scrupulatim ad anxias quasdam superstitiones exegerunt. Hæc dissensionum atque sectarum nomina tunc reperta demum sunt, cum vates sacri sub templo posteriore nulli essent, & idolorum cultum nesciret amplius Judæa natio. At ante, cum prophetarum vox Palæstinam sub priore templo personaret, idololatriam quidem secula viderunt, hæreses autem, perversæque & pugnantes de religione sententiæ nusquam erant. Cujus rei ratio perquam probabilis edi potest. Enimvero qua tempestate vates verba cum Numine commutabant, aut alio pacto cœlitus ea accipiebant quæ publicanda mortalium generi erant, nullæ disceptationes controversiæque oriri de sacrorum curatione, deque legibus & præceptionibus divinis poterant, propterea quod erant in medio, qui mortalium ineptas hæsitationes, & disputandi intemperiem resecarent. Autoritate enim plus quam humana armati vates, legum sacrarum atque ipsius Numinis voluntatem proloquebantur. Quare, qui illis auscultare recusabant, profecto quoniam infirmitate judicii, aut errore vel ignorantia labi in pravos sensus nequibant, necesse fuit, ut refractarii contumacesque fierent, & excussa pietate ad idolorum cultum desciscerent. Nihil medium erat. Capessunda vatum imperia erant, aut ponenda Numinis reverentia fuit. At sub templo posteriore, cum prophetas major vis, afflatusque divinus non ageret, omnia hæc secus fuere. Quoniam enim jam nusquam erant sacrarum legum, cœlestiumque arcanorum consulti, in quorum verbis inesset plena fides, continuo dehinc mortales, non contenti scire, quæ ab illis acceperant, ardorem mentium ultra ad rimandum omnia tulere, & suis se tenebris involvit humana imbecillitas. Quare controversias & quæstiones ex sacris literis eruere, morbus esse cœpit deterioris ævi. Talmudicorum illud est, octodecim res esse, de quibus contentio fuit inter familiam Hillelis & Sammæi, quas nec Elias quidem expedire possit. Profecto hoc est ad desperationem desipere. Adeo enim nodosa atque intricata commenti sunt duo illi dissidentium sectarum duces, ut nec vatem quidem, aut cœleste oraculum ferre opem potuisse autument. Accedit quod sub priore templo lex recitata duntaxat a Levitis populo est, aut etiam domi a singulis legebatur: interpretatio magistrorum, commentatioque nulla erat. At sub posteriore oraculis cessantibus, receptum paulatim more publico est, ut verba Biblici contextus, sensaque explicarentur. Ad quam rem eruditi ingenium suum advocavere. Ex quo natæ disputationes, sententiæque contrariæ sunt: &, cum pertinax studium, pravaque ambitio accederet, sectæ atque hæreses extiterunt. [3] Scio equidem, ante Babyloniense exilium fuisse quosdam, qui Naziræi, Kenæique, & Rechabitæ dicerentur: sed ii certa quadam vitæ disciplina, non opinionibus sententiisque, diversi a reliquo populo erant. Quare id profecto ad rem, de qua nunc agimus, nequaquam pertinet. Porro jam promtum est divinare, cur sub posteriore æde, cum ortæ hære-

ſes ſunt, idololatria locum apud Judæos non habuerit. Ita enim comparatum natura eſt. Conſtantiſſime mortales eas ceremonias religioneſque tenent, quas commentis ſuis atque fictionibus adornant interpolantque. Amat enim quiſque hoc, quod repertum a ſe eſt, & ingenio ſuo applaudit. Nulla mater filiolam ſuam æque exoſculatur, ut iſti ſectarum patres inventa ſua. Quare Judæi profecto hac mercede poſtremis temporibus Moſaicam religionem coluerunt, dum de ſuo adderent quippiam. Quod quia per vates non licuit antea, ſæpe deſertores facti ſunt, & ad idola ſeſe converterunt. Diximus principes ſectas [4] tres fuiſſe, Phariſæorum, Sadducæorum, Eſſæorumque. Eas Flavius Joſephus ſe perambulaſſe, tentaſſeque ſingulas ait, uti quid in quaque probandum maxime eſſet, exquireret. Mox, cum ſtudio ſapientiæ flagrantem animum coercere nondum poſſet, per totos tres annos apud Banum quendam ſe fuiſſe ſcribit, qui in deſerto corticibus arborum veſtitus, cibos duntaxat ſponte natos ſumebat, corpuſque nocte & die frigidis undis mergebat, quo vitam caſtius ageret. Sunt apud eundem Flavium plures aliæ ſectæ, de quibus differere longa mora eſſet. Ex his quædam, quia religionis obtentu & honeſtis vocabulis ſummam reipublicæ, atque ea, quæ imperii erant, tentabant, factiones potius, conjurationeſque, quam ſectæ fuere. Utique Gaulonitæ, [5] pervicaciſſimæ pietatis homines, ut Cæſarem de cervicibus ſuis depellerent, [6] ſolum Deum tenere terrarum regna [7] jactabant. Et in Zelotarum motibus, [8] qui omnem pene Judæam turbaverunt, nihil perinde obfuit, atque mos jam exortus, ut ſpecioſa præſcriptione [9] homines quidam turbulenti ſpei ſuæ, cupiditatique [10] velificarentur. Jam illa quoque non inſtinctu divino, ſed dominationis libidine evenerunt. Theudas impoſtor [11] quidam ſub Cuſpio Fado, ingenti Judæorum multitudine perſuaſerat, uti bona convaſarent, ſeque ad Jordanem ſequerentur. Vatem enim eſſe ſe profeſſus eſt, promiſitque ſe flumen iſtud ſiccis pedibus tranſiturum. Nec minore veſania Ægyptius quiſpiam populum ad Olivarum montem, quaſi Numinis imperio, vocabat, iturus hinc Jeroſolymam, atque una voce muros urbis ſubverſurus, ut per ruinas apertum iter tutumque omnibus foret. In univerſum vero Flavius, cum Judææ ſtatum publicum, qui ſub Felice erat, exſequitur, pene indignabundus illud in hunc modum ait, * λῃστηρίων ἡ χώρα ἀνεπλήσθη, καὶ γοήτων ἀνθρώπων, οἳ τὸν ὄχλον ἠπάτων. *Latronibus tota regio & quibuſdam magis atque faſcinatoribus repleta eſt, qui multitudinem ſeduxere.* Et mox de iiſdem ita ſubjicit, δείξειν ἔφασαν ἐναργῆ τέρατα καὶ σημεῖα κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν γενόμενα, καὶ πολλοὶ πεισθέντες, τῆς ἀφροσύνης τιμωρίας ὑπεῖχον. *Ajebant manifeſta prodigia atque portenta ſe edituros, quæ Dei cura providentiaque evenirent. Et plurimi, cum fidem illis haberent, dementiæ ſuæ ſtoliditatiſque pœnas pertulerunt.* Uſque adeo nihil in ſpeciem fallacius eſt, quam fanaticorum quorundam inſidioſa hujuſmodi religio, pietaſque. Statim enim plebs, ubi Dei Numen magnis auſibus prætenditur, facilem ſe ad omnia præbet, & melius vatibus ſuis, quam ducibus regibuſque paret.

* *In lib. 20. Antiq. cap. 6.*

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

[1] *Eſſe animas ut corpora mortales*) Locus Scripturæ unde hoc probatur extat *Actor. XXIII. Sadducæi dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*, ubi vocabulum πνεῦμα reperitur; & diſquiritur an *anima* intelligatur, & variæ ſunt Authorum opiniones. *Theophyl. Comment. in Act. Ap. h. l.* πνεῦμα & ἄγγελον pro eodem accipi putat. Verum non poſſunt per Spiritum amplius, vel boni vel mali angeli intelligi. Πνεῦμα enim per particulam μήτε neque diſpeſcitur a voce ἄγγελον, quemadmodum vox ἄγγελον per eandem particulam disjungitur a vocabulo ἀναστάσεως. Disjunctionis autem vim vel maxime habere hanc particulam patet ex 2. *Theſſ. II.* 2. Æthiopicus Interpres vocabulum πνεῦμα vertit *Spiritum Sanctum*. Sic enim habet ipſius translatio: *Et non ſunt quicquam Angeli, neque Spiritus Sanctus.* Certe negarunt Sadducæi Spiritum Sanctum. Sic enim *Epiphanius* de iiſdem ſcribit: Πνεῦμα δὲ ἅγιον οὐκ ἴσασιν οὐ γάρ εἰσι τούτου ἠξιωμένοι *Sp. S. v. non noverunt, non enim eo digni facti ſunt.* Aſt ideo non videtur dicendum, quod hoc loco per Spiritum præciſe denominetur Sp. S. Vix enim in Scripturis Novi Teſtamenti Sp. S. ſimpliciter reperitur appellari Spiritus, ſcil. quantum ad perſonam, & ubi non contextus jubeat; Sed vel Spiritus Dei, vel Domini, vel veritatis aut alio epitheto vocatur. Porro diſquiri poſſet, an non per πνεῦμα ſint intelligenda *ſpectra*, quo ſenſu vocabulum accipitur *Luc. XXIV.* 37. Sed ſi per Spiritum ſpectra, per ſpectra mali vel boni Spiritus ſint intelligendi, quomodo voci ἄγγελος contradiſtinguitur vocabulum πνεῦμα? Intelligimus itaque per πνεῦμα *animam* quam ſpiritualem eſſe negabant *Sadducæi*. Affirmant hoc Patres Eccleſiæ *Hieronym. in Matth.* XXII. 23. aſſerens, *Sadducæos animarum interitum prædicaſſe.* Conf. *Chryſoſt. homil.* XLIX. *in* XXIII. *Act.* verſ. 8. *Iſidor. Hiſpal. lib.* VII. *Origen. cap.* IV. inquit: *Sadducæos animam cum corpore interire prædicare. Joſephus lib.* II. *Bell. Judaic. cap.* 41. circa finem de Sadducæis inter alia plura loquitur: Ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν ἀναιροῦσι i. e. *Animæ perpetuitatem tollunt.* Idem *lib.* XVIII. *Antiquit. Judaic. cap.* 2. ſcribit: Σαδδουκαίων δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. *Sadducæorum opinio cum corporibus ſimul exſtinguit & animas.* Cenſebant, animam nihil aliud eſſe, quam *craſin* ſeu *temperamentum* quoddam humorum. Vide *Wallæ. Comment. in Act. Apoſt. cap.* XXIII. *pag. m.* 1255. Negandum non eſt, quoſdam Philoſophorum Gentilium hujus fuiſſe opinionis, animam eſſe mortalem, cujus ſententiæ autorem faciunt Judæi *Cainum*, quæ autem nullo nititur fundamento. Certius ii ſtatuunt, qui dogma iſtud Epicureis, ut ut antiquiores ejus natales non negemus, imputant, errore a *Democrito* ad *Epicurum*, ab hoc ad iſtos tranſeunte. *Plutarchus* de

de Placit. Philoſoph. lib. 4. *cap.* 7. varias variorum de hac quæſtione opiniones recenſens ait *: Democritus & Epicurus, caducam eſſe cum corpore animam & & interire.* Idque in Epicureis *Tertullianus de præſcript. hæret. pag.* 89. notat. *Dicæarchi Lactantius* VII. 7. meminit, qui in libris quos *Lesbiacos* vocat, efficere voluit, *Animas eſſe mortales*. At levius nævos iſtos in Ethnicis feret, ſi quis expendet, etiam veram tam antiqui, quam novi Fœderis Eccleſiam homines tuliſſe, qui paria ſentire atque profiteri auderent. Ex iſta celebres ſunt *Sadducæi*, qui Præceptoris Antigoni doctrinam ſecus interpretantes mortales animas ſtatuerunt, vide *Epiphan. hæreſ.* 14. *Conſtantin l' Empereur* ad *Bertram. de Republ. Hebr. cap.* 19. *p.* 443. Eoque pertinet, quod ex quorundam Rabbinorum ſententia *Seldenus de J. N. & G. juxt. diſcipl. Ebr. lib.* VII. *c.* IX. *de triplici Exciſione afferi*, quarum una corpus, ſecunda animam, tertia utrumque aboleri & exſcindi putent. Inter Chriſtianos multos etiam fuiſſe hujus opinionis homines teſtatur celeb. *Tobias Pfanner. in Syſtem. Theolog.* Gentil. purioris. *edit. Baſil.* 1679. *pag. m.* 404.

[2] *Præmia*) In ore atque ſcriptis Judæorum illud de Sadducæis perpetuum eſt dixiſſe: שאמרו ארת השכר והעונש נשמי ברבר ובעלום הזה כמו שניכר באבורת ור נתן הכחישו השכר הרוהני אחר המורת מכל וכל ויביאו ראירה לרבריהם ממוה שלא נזכר לפי רעתם בתורת משרה נמול נבשי כלול אלא הצלחות נשמיורת, i. e. *quod præmium & pœna non alia ſit quam corporalis hujus mundi (ut in Aboth a R. Nathan traditum) negarunt præmium ſpirituale poſt mortem penitus, & attulerunt probationem ex eo, quod non memoretur (uti viſum ipſis) in lege Moſis retributio animæ propria, ſed proſperitas corporalis*. Coccejus in *Sanhedr.* Vide *Eduard. Pokok.* Hoc etſi ficulneum argumentum, in orbis tamen Chriſtiani viſcera reduxit, novoque colore incruſtavit, vir quo ſecundum *Samuelis Petiti* elogium *lib.* VII. *Miſcell. cap.* VIII majorem ſol non vidit, orbis non habet, *Hugo Grot. lib.* II. *de verit. Relig. Chriſt.* Moſes, *inquit*, in religionis Judaicæ inſtitutione ſi diſerta legis pacta reſpicimus, nihil promiſit ſupra hujus vitæ bona, terram uberem, penum copioſam, victoriam de hoſtibus, longam & valentem ſenectam, poſteros cum bona ſpe ſuperſtites. Nam ſi quid eſt ultra, id umbris obtegitur, aut ſapienti & difficili ratiocinatione colligendum eſt: quæ cauſa eſt, cur multi, qui legem Moſis ſequi ſe profiterentur, ut Sadducæi, ſpem omnem de bonis poſt hanc vitam adipiſcendis abjecerint. Adeone ſimulacris ſuſpendentur, & a ſenſu ejus, quod agitur, divertentur, quorumcunque fides legi Moſaicæ innixa? R. Abarbaneli mens fuit longe dexterior cum exſertis ajat verbis: קרן השכר מתורה שמור לו לארם לעולם הבא *Sors mercedis ex lege homini ſervatur in ſæculum futurum*. Vide Conſt. *l'Empereur in not. ad Bertram.* Plura poſthac ſibi Hæreticorum intemperies permiſit. Unde improbiſſima negatione involatum in ipſam Numinis ter Opt. Maxim. providentiam, teſte *Joſeph. lib.* 2. *Αλωσ. cap.* 12. & *lib.* 13. *cap.* 9. Unde *Abraham Zachuth Salmaticenſis in Juchaſ.* צרוקים כחישו הבורא רעת את־דברי אנשים ומערכה מכרעת *Sadducæi negarunt Creatorem curare res humanas & providentiam præponderare*. Adeo igitur in magnum *Epicuri* caſum non pedibus conceſſerunt, ſed toto corpore proruerunt Sadducæi, quibus ſumma opum vi eo nitendum, ut aſſeratur ſua divinitas Providentiæ, nec Deus ad turpem otii conditionem redigatur. Unde dudum eſt, quod Iſraelis catalogo expunguntur velut —— *Epicuri de grege porci*. *Coſri part.* 4. *num.* 23. האפי קרוסים אומרים שאין אלקים משלעל מעשה בני ארם ולא גומל ולא פורש עליהם i. e. *Epicuræi ſunt dicentes, quod Deus non ſit gubernator actionum humanarum vel præmia aut pœnas pro illis diſtribuens.*

[3] *Sectæ atque hæreſes extiterunt*) Recte autor ſentit, ambitionem & honoris gloriæque cudipitatem originem fuiſſe hæreſium. Acceſſit & ingenii ſcrupuloſa ſpeculatio, qua quilibet ſingulare quid defendere conabatur, uti in *diſſertat. hiſtorico-Philolog.* oſtendit Cl. M. *Tobias Eckhard.* quam inſcripſit, *fons hæreſium*. *edit. Witteberg.* 1691. qui ſapientiam veram commentis ſuis contaminarunt, novaque de ingenio confinxerunt, & mentis ſuæ ſpeculationibus indulgentes obfuſcarunt magis.

[4] *Principes tres Sectas*) Non nos fugit, eſſe, qui Philoſophiæ nomine falſas trium Sectarum Judaicarum doctrinas placitaque intelligant. Qua de re videantur *Aſſelmann. Syntag. Theol. pag.* 6. *ſeq. Danhawer in Idea B. I. pag.* 143. *Calovius Bibl. illuſt. h. l. p.* 144. Continuator Voſſii de Philoſophorum Sectis aliique. Verum ita ſi eſt, de quo Theologi ſtatuant, ne ſic quidem gentilis Philoſophia culpa liberabitur. Etſi enim peculiari decreto cautum fuit apud Judæos, ne filios ſapientiam græcam docerent apud *Wellerum* & *Ernſtium*, fruſtra tamen fuiſſe eventus probavit. Quo factum, ut Judæi, quando in ſectas abjerunt, plurima illius placita receperint ac ſua fecerint. De Phariſæis *Joſephus* autor eſt *in vita ſua* & *Antiq. Jud. l.* XVIII. *cap.* II. & idoneus teſtis, quod ad Stoicorum Sectam proxime acceſſerint, ut ut μετεμψύχωσιν hauſerint e *Pythagoræ* Schola. Videantur *Johann. Selden. de* J. *N. & G. L.* I. *cap.* II. atque *Goodwin. Moſ. & Aar. l.* I. *cap.* X. *pag.* 79. 80. *edit. Bremenſ. Eſſæi* quoque multa cum *Pythagoræis* communia habuerunt, ut idem *Joſephus Antiq. Jud. l.* XIII. *cap.* VIII. & apud *Euſebium Porphyr.* referunt. De *Sadducæis* non eſt ut quicquam dicamus, cum ſententiam *Epicuri*, genios dæmoneſque negantis, ſuam feciſſe ex *Actibus Apoſtol.* conſtet & compertum ſit.

[5] *Gaulonitæ*) Hi nomen habuerunt a Juda qui vocatus *Gaulonites*. *Joſeph. antiquit.* XVIII. *cap.* I. ſubinde etiam *Judas Galilæus* dicitur, de quo *Act.* V. 37. Ob diverſas cauſas teſte *Iſaac. Caſaubon. Exercit.* II. *ad Annal. Eccleſ. Baron. pag. m.* 146. *Galilæus* dicebatur & *Gaulonites*: nam & ipſe Joſephus ita illum nominari vult. In Rabbinorum Commentariis extat mentio hujus ſeditionis & ejus autor nuncupatur יהודה הגלילי *Jehuda Galilæus*, uti apud *Abraham Salmaticenſem*, qui ex antiquis tangit hiſtoriam *pag.* 139. Confer. *Joh. Druſius* ad h. l. Sunt tamen, qui Judam *Galilæum* a *Juda Gaulonite* diſtinguunt, quibus ſe opponit *Capellus* ita ſcribens: Ego potius exiſtimarim Judam *Gaulonitem Joſephi* & Judam *Galilæum Lucæ* eundem eſſe, ſed *Gaulonitem* dici a *Joſepho*, quia *Gaulone* erat oriundus, *Galilæum* autem a *Luca*, quia etſi *Gaulon* non pertinebat ad Galilæam proprie & ſtricte ſic dictam, tamen de Galilæa cenſeri poterat, quatenus in N. T. paulo latius ſumitur Galilæa pro iis omnibus Judæorum locis, quæ non erant de Judæa proprie & ſtricte dicta, & ſane *Gaulon Galilææ* contigua & contermina erat: Deinde Judas dici potuit a *Luca Galilæus*, quod ſic vulgo crederetur, quia tumultus ſuos in *Galilæa* potiſſimum excitaverat, unde etiam a Joſepho *Galilæus* vocatur. Verum diſtinctos fuiſſe cum *Caſaubono* aliiſque ſtatuimus.

[6] *Ut Cæſarem de cervicibus depellerent*) Hi Gaulonitæ ſeditionem contra *Cæſarem* movebant ob cenſum ſeu deſcriptionem, quem Cæſari ſolvendum negabant. Vide *Balduin. Wallæ. Comment. in Matth. cap.* XXII. *pag. m.* 240. An autem cenſus hic alius fuerit, cujus a *Luca* mentio facta, lis inter Scriptores eſt. Sunt qui cenſum unum fuiſſe putant, ut *Alph. Salmer. Cornel. a Lapide & Lorinus*, quibus addimus *Capellum* ad h. locum, qui omnes putarunt cenſum hunc in *Actis* eundem eſſe cum *Lucæ*; Verum falluntur hi, cum ſola mentio *Judæ Galilæi* & ſeditionis ab eo excitatæ ſufficiat ad σύγκρισιν & ἀπόδειξιν de ſecunda deſcriptione agi in Actis, de qua *Joſephus*, non de prima, de qua *Lucas*. Etſi vero Judas ille *Galilæus* Lucæ, *Gaulonites Joſepho* dicatur, in eo parum ſitum, quia eo ipſo Galilæus erat, quo *Gaulonites*, prius nomen Lucæ a tota regione, poſterius Joſephi a certo tractu in *Galilæa*. Unde & a *Joſepho* vocatur diſerte ἀνὴρ γαλιλαῖος περὶ ἁλώσεως *lib.* II. *cap.* XII. *Syrus* egregie diſtinguit inter utramque ἀπογραφὴν, dum ſecundam, de qua *Act.* V. notat factam בכסף רישא in argento Capitationis, hoc eſt, fuiſſe ἀπογραφὴν conjunctam cum ἀποτιμήσει τ' οὐσιῶν vel δασμολογίᾳ. Imo *Balduinus Wallæus* ſex argumenta adduxit, quibus probavit diverſum hunc cenſum ab illo fuiſſe in *Comment. ad Act. cap.* V. *pag. m.* 1074. 1075. Confer. *Caſaubon. Exercit.* II. *ad Annal. Baron.*

[7] *Solum Deum tenere terrarum regna*) Ut autem *Judas Gaulonites* prætextum quendam haberet ad commovendam ſeditionem, abuſus eſt Scriptura Sacra, qua authoritatem compararet ſibi. Et forſan, uti *Baronius* vult, e *Deuteron.* locum protulit: *Non*

erit

erit vectigal pendens ex filiis Israel, cujus verba sane exprobrat *Casaubonus*, quia non exstarent in origine. Nec illa, quæ a *Baronio* adducta sunt fuisse probabile est: *Deum tuum timebis & illi soli servies*, quæ conjectura tamen non adeo vana videtur. Tradunt autem Hebræi, Judam istum seditionis suæ causam hanc prætexuisse כי אין ראוי להמשיל על האדם בלתי יהוה לבדו ולא יקרא ארון כיאם האל יתברך i. e. *non esse decorum, æquum, ut regem alium homini imponerent, præter Deum solum: neque ut vocaretur Dominus, nisi Deus benedictus*. Quam fanaticam sententiam videtur Judas auctoritate divini præcepti, de uno Deo colendo, apud imperitos confirmasse: verbo divino impie detorto, ut propriæ serviret ambitioni. Salmaticensis Judæus Abraham, ita scribit: *Nemine imperare debere hominibus, neque Dominum vocari nisi Deum solum.*

[8] *Zelotarum motibus*) Hi sub prætextu pietatis quævis nefanda perpetrarunt & magnas turbas in Republ. Hebræorum excitarunt. Mentio Zelotarum juris fit apud Talmudistas alibi. Sic enim inter alia *Sanhedrin* ex versione *Cocceji cap.* IX. §. 6. Si quis ex sacra supellectile quid furetur, maledicat per Idolum, concumbat cum pagana, Zelotæ incurrunt in eum. Meminit etiam *Grot. in lib. de jure belli & pacis lib.* II. 20. Verum quam male jus hoc usurparint, sub prætextu pietatis *Josephus* testatur qui de *Zelotis* inter alia hæc habet, quod se (ut ut summis sceleribus pollutos) sic nominarint, ac si optimis rebus studuissent, & non pessima facinora, usque ad nequitiæ summum, Zelo affectassent. Et alio in loco: Nomen sibi ab iis, qui id quod bonum est, Zelo affectabant, imposuere. Vide *Joseph. de bello Judaic. lib.* IV. *cap.* VII. & *lib.* VII. *cap.* XXX. Quo & digito intendisse videtur D. *Coccejus Sanhedr. in not. ad c.* IX. dum ait. Quanta scelera hujus tituli obtentu patraverint nefarii homines Hierosolymis, docet Josephus in libris *ἁλώ-σεως*. Quartam veluti Judæorum Sectam Zelotas hos fecit *Bertram. de Republ. Hebr. cap.* XIX. sic de iis pronuncians: *Hæc vero Secta omnium superiorum Judæis ipsis omnibus nedum authoribus & asseclis* perniciosissima fuit, ut quæ Judæorum omnium excidium totiusque Reipubl. Judaicæ prostationem non modo accelerarit, sed & tam miseram & calamitosam effecerit.

[9] *Speciosa præscriptione*) Sub religionis prætextu sæpe deceptiones & crudeles pactiones & alia nefanda scelera committuntur scribit *Petr. Gregor. Tolosan. lib.* XIII. *de Republ. cap.* VIII. *pag.* 912. Nulli enim magis nocent Ecclesiæ, quam crudeles hypocritæ: qui cum in ore habeant nomen veritatis, & ardentem zelum præ se ferant: his præstigiis occupant animos vulgi. Armati autem hoc Gorgone infinitam sibi licentiam sumunt: & leviter a se dissentientes, non judicio neque disceptatione, sed vi atque impressione hostili evertere conantur. Interea tamen dum tyrannice & sophistice grassantur, gloriose jactitant se pro Ecclesia excubare, & cœlum ne ruat, humeris sustinere. Vide *Strig. in argum. Psalm.* 83. *fol.* 79.

[10] *Cupiditatibus*) Sæpe homines injustis cupiditatibus prætexunt nomen Dei, aut Ecclesiæ aut Reipubl. quod stratagema omnibus temporibus frequentissimum fuit. Nihil enim magis usitatum fuit, quam privatæ ambitioni, emulationi, cupiditati, vindictæ, avaritiæ & cæteris privatis affectibus prætendere seu prætexere nomen Dei, Religionis, Ecclesiæ, Reipublicæ. Unde bene *Philip. in Chron. l.* III. *pag.* 282. Sæpe religio prætexitur pravis cupiditatibus. Et alio in loco. Prætexuntur honestæ causæ cupiditatibus privatis: & potissimum religio prætexitur pravis affectibus.

[11] *Theudas impostor*) Non ille Gamalieli nominatus sed alter ejusdem nominis *γόης*, qui *Cuspio Fado* Judæam regente magnam plebis multitudinem ad se vocavit, pollicitus verbi sui imperio discessuras Jordanis aquas, ut via pateret transeuntibus: Sed cum magna sectatorum strage captus a *Fado* capite pœnas luit. De his & aliis Pseudo-Messiis legendus Cl. *Johannes a Lent. Profess. quondam Herborn. in tract. de Judæorum Pseudo-Messiis edit. Herborn.* 1697. Confer. *Carpzovii annotat. ad Schickardi* משפט. המלך *pag. m.* 480. *edit. Lips.*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Virtus bellica Judæorum. Quanti ea fuerit apud exteros reges. Verba Chœrili a Flavio Josepho male accepta. Qui sint Solymorum montium habitatores in Chœrili carmine. Tonsuræ modus Judæis vetitus. Quid hoc sit, quod de Phœnicum sermone Chœrilus ait.

De rebus Judæorum dicenti, pertractanda quoque ea sunt, quæ ad militiam eorum spectant: quippe omnino posita omnia sunt latentque in tutela atque in præsidio bellicæ virtutis. Sed profecto veterum Rabbinorum industria adeo incuriose hanc partem reipublicæ Hebrææ pervestigavit, pene ut nihil hic sit, quod proditum commentationibus eorum meminimus. Fortitudinem quidem militarem in hac gente summam fuisse illud argumento est, quod homines exules, atque Ægypto profugi, quos longus error, & quadraginta annorum calamitas imparatos a rebus omnibus in Arabum desertis attriverat, Cananæam omnem bellicosissimis populis habitatam, brevi tempore subegerunt. Flavius vero ubique, quoties de indole Judæorum naturaque loquitur, durum a stirpe genus describit, periculorum atque mortis securum, laborisque & inediæ patiens pene ad pertinaciæ infamiam. Quapropter reges exteri quoque, cum auxiliares copias aliunde adsciscerent, persæpe usi hoc milite sunt: & compertum egregiis experimentis est, virtute eorum atque ope res esse maximas patratas. Certe Alexander Magnus, dum gentes multitudine infinitas, terrarumque spatiis longe dissitas, parva militum manu vinceret, Judæos partem exercitus sui fecerat, ut gloriam domiti orbis etiam illis acceptam ferret. Tum, quod Flavius adversus Apionem notat, ἔα αὐτὸς στρατεύειν τοῖς πατρῴοις ἔθεσιν ἐμμένοντας, ἢ κατὰ ταῦτα ζῶντας. *Potestatem illis fecit, ut mores patrios, priscaque instituta in militando servarent, ac secundum ea viverent.* Quod profecto honori eorum datum est, & apprime tunc inusitatum fuit. Existimat quoque Flavius, [1] Xerxem, cum nobilissimam illam

expeditionem adversus Græcos susciperet, Judæos inter auxilia atque inter socios habuisse. Et in fidem ejus rei, testimonium Chœrili recitat: de quo paulisper agendum nobis est, quia nunquam credere potuimus, Flavium recte sententiam percepisse vetustissimi vatis. Verba Chœrili, quæ Flavius Apioni objicit, isthæc sunt,

> Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
> Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες.
> Οἴκεε δ' ἐν Συλύμοις ὄρεσι πλατέῃ ἐνὶ λίμνῃ,
> Αὐχμαλέοι κορυφὰς, τροχοκουράδες· αὐτὰρ ὕπερθεν
> Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρουν ἐσκληκότα καπνῷ.

Hæc in hunc ferme modum reddita sunt ab interpretibus:

> *Exin miranda specie gens castra secuta est,*
> *Phœnicum ignoto quæ voces ederet ore.*
> *Hæc Solymos habitans montes, stagnum prope vastum,*
> *Circumtonsa comis, squallenti vertice, equini*
> *Exuvias capitis duratas igne gerebat.*

Hic vero Flavius Solymos montes esse eos ait, quos in Palæstina Judæi incolunt, & Asphaltiten lacum significari putat, qui omnium in Syria latissimus maximusque est. Sed hoc, quantumcunque est, nihili est. Quid enim causæ dicet, aut, quam rationem nobis Flavius ostendet, cur Judæos Chœrilus τροχοκουράδας, [2] hoc est, in *orbem circumtonsos* dixerit? Sane pro certo est, id tonsuræ genus invisum Judæis omnibus & & pene execrabile fuisse: quippe interdictum illis severissima lege fuit, שלא יקפו פארת ראש *ne angulum capitis circumtonderent*. De qua re extant verba Numinis in Levitici capite XIX. Jam vero, quod de Solymis montibus, [3] deque lacu adjacente ex Chœrili celeberrimo carmine adfert ille, id vero diluere non difficile est. Alios enim montes Solymos, procul a Palæstina sitos, Homerus celebravit, [4] cum de Ulysse navigante ita inquit in Odyss. ε.

> Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων ἐνοσίχθων
> Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν· εἴσατο γάρ οἱ
> Πόντον ἐπιπλέων.

Atque hos Pisidarum esse, [5] atque ab illis incoli, traditum a maximis vetustissimisque auctoribus est, qui etiam stagnum quoddam in vicino ponunt, plane ut omnia Chœrili verbis consonent. De Phœnicum autem lingua, qua locutos montium istorum incolas Chœrilus ait, ita existimandum est, latissime usum ejus idiomatis patuisse, ut omnes pene, qui circumcirca erant, populi quosdam veluti dialectos usurpaverint ex Phœnicum sermone. Quare profecto ad solos Judæos hoc pertinere, nihil necesse est.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

[1] *Existimat quoque Flavius*) Hic operæ pretium erit, verba Josephi adducere & accuratius examinare, quæ ita se habent *lib.* 1. *contra Apion.* Καὶ χοιρίλος δὲ ἀρχαιότερος γενόμενος ποιητὴς μέμνηται τοῦ ἔθνους ἡμῶν, ὅτι συνεστράτευται Ξέρξῃ τῷ πέρσων βασιλεῖ ἐπὶ τὴν ἑλλάδα, καταριθμησάμενος γὰρ πάντα τὰ ἔθνη, τελευταῖον καὶ τὸ ἡμέτερον ἐνέταξε λέγων i. e. *Quin & Chœrilus antiquus Poeta meminit de gente nostra, dicens quod militaverint nostri majores cum Xerxe Persarum Rege contra Græcos, & enumerans universas gentes novissimam nostram posuit ita dicens. Exin miranda specie, &c.* & paulo post in hæc prorumpit verba: δῆλον δ' ἐστιν, ὡς οἶμαι, πᾶσιν ἡμῶν αὐτὸν μεμνῆσθαι, τῷ καὶ τὰ Σόλυμα ὄρη ἐν τῇ ἡμετέρᾳ εἶναι χώρᾳ, ἃ κατοικοῦμεν, καὶ τὴν ἀσφαλτῖτιν λεγομένην λίμνην. i. e. *Palam ergo est, sicut arbitror, quia nostri meminerit, eo quod & Solymi montes in nostra regione sunt constituti in quibus habitamus, & stagnum, quod dicitur Alphaltites.* Quando si tantopere *Josephus* errare potuerit, quid mirum si Ethnici, quibus res Judaicæ non adeo innotuerant, falli, quando & a vero aberrare potuerint? Sed videndum, quid obstet, quo minus *Josepho* assurgere possimus. Primo dicit *Solymos sub Xerxe* militasse; at quantopere hoc instituto Judæorum contrarium fuerit, non opus, ut hic deducamus, cum vix unquam alieno populo, nisi quam rarissime, sacramento se obligare voluerint, ut taceamus hanc Xerxis pugnam in proximos post captivitatem Babylonicam annos incidisse, quos reparando templo, celebrandis festis, & resumendis viribus a Judæis destinatos satis luculenter novimus.

[2] Τροχοκούριδας) Secundo Chœrilus quem sequitur *Cunæus* Solymi τροχοκουράδας vocat, quo nomine si quis Judæos appellaverit, ne lotis quidem manibus eum ad Sacra eorum aspicienda accessisse diceremus, etenim quam aperta eam in rem sunt S. Spiritus verba quæ ita se habent *Levit.* XIX. 27. *Non radetis in orbem angulum capitis vestri, & non corrumpetis angulum barbæ.* Quibus omnes fere Judæorum Doctores unanimi applausu assurgere videmus, ita enim *Barcelonita* §. 204. שלא להקיף פאתי ראש שנ' לא תקיפו פארת ראשיכם ופירשו זל שהענין הוא שאסור לישראל לגלוה ולהשוות שערות ראשו לאחורי אזניו ולפדחתו כמו שהיו עושים עובדי כוכבים ומזלות וזה שאמרו זל במסכת מכות איזהו פאת ראש זה המשוה צדעיו לאחורי אזניו ולפדחתו *Non esse extremam cæsariem tondendam aut circumcidendam comam capitis* q. d. *Ne circumcidatis pilos ad latus capitis vestri, quo Rabbini interdici Israelitis volunt, ne tondeant æqualiter comam capitis retro aures & a fronte prout facere solent cultores stellarum & planetarum, atque hoc est, quod Magistri dicunt Massechet Maccoth: Quis est angulus capitis? cujus æquata est coma circa tempora, retro aures & in fronte.* Recte vero cultores stellarum comam ea ratione tondere dicuntur cum id variis testimoniis & exemplis roborari vel potius confirmari possit. Hunc modum tondendi caput in

forma

forma circulari gentilibus fuiſſe in uſu ipſi Hebræi docent. v. g. *Levi ben Gerſon. in Peruſch alhattora edit. Venet. ſol. 168. col. 2. Moſes Alſchech, in Torath Moſche edit. Prag. ſol. 196. col. 2. Obadias de Saphorno in Biur alhattora, edit. Venet. ſol. 49. col. 4. qui hunc modum tondendi ſtultum vocat, Iſaac. Bar Juda hallevi, in Sepher Paaneach Raſa, edit. Pragenſ. ſol. 57. col. 2. Abraham Seba in Tzeror Hammor, edit. Venet. ſol.* 101. *col.* 1. *Samuel Tzirſa interpres Aben Ezræ in Sepher Mecor Chaiim edit. Mantuan. ſol. 76. col. 2. & ipſe Maimonid. in More Nevoch. part. 3. c.* XXXVI. *& in Miſchne Tora edit. Venet. T.* I. *ſol.* 43. *p.* I. *in libr. de Idololat. cap.* XII. §. 7. Idem docet *Quiſtorp. in annot. in omnes libros Bibl. edit. Roſtoch. pag.* 143. Conf. plur. reverend. *Daſſov. diſſert. de Coma. edit. Witteberg. Henric. Ainſworth. Comment. in Levit. cap.* XIX. *ſol. m.* 117. *edit. Londin.* Solenne quoque veteribus fuit mortuis ſuis ea præcipue ratione parentare, unde *Seneca in Phædr. act. 5. ſcen.* I.

Placemus umbras capitis exuvias cape
Laceræque frontis accipe abſciſſam comam

Id quod in cauſa fuiſſe videtur, cur in Oneirocriticis tanquam præſentiſſimæ mortis præſagium ponatur, ſi quis in antica parte ſe tonderi ſomniet *Oneirocrit. lib.* I. *cap.* XXXI. & *Scythæ* ſane eundem obſervare ritum *Herodoto Melpomen. cap.* LXXI. dicuntur, quod de *Macis* etiam ſcribere non dubitat *Melpomen. cap.* 175. Unde *Achilli* præſtita exſequialia ita deſcribit *Cointus Smyrnæus lib.* III. *verſ.* 683. Capillos autem Myrmidones circumtondent & cadaver Regis his cooperiunt. Et ſane videntur gentes *Solis* cauſa, cui crinem oriens plerumque promittebat σφαιρυδὸν totondiſſe. Quicquid ſit abhorruerunt Judæi ab hoc tonſuræ genere, uti liquet ex Miſchna *Maſſechet Maccoth. cap.* III. Quæ omnia ſatis aperte evincunt, quam abhorruerint Judæi ab hoc inſtituto traditionum talium tenaciſſimi. Miramur itaque doctum *Spencerum* ut ſtatuat antiquioribus Judæis hoc inſtitutum non ſaltem placuiſſe, ſed & uſurpatum fuiſſe, atque id his verbis *lib.* II. *cap.* XII. *pag.* 311. *de Legib. Hebr. At vero mihi plane incredibile eſt, Deum omnem tonſuram orbicularem hac lege vetuiſſe, cum antiqui Judæi hoc tonſuræ genus in moribus habuiſſe, & cæteris prætuliſſe non immerito cenſeantur. Hoc e Joſepho colligere licet, qui hæc Chœrili Poetæ perantiqui carmina de Judæorum gente interpretatur, &c. -- An hæc Joſephi interpretatio quid ſani aut veri habeat non opus eſt, curioſius inveſtigare. Quamvis enim Joſephum hæc de gente ſua intelligentem in errore verſatum fuiſſe concedimus, inde tamen non temere concludamus, Judæos antiquiores comas frequenter in orbem ſecuiſſe. Nam procul dubio Joſephus Legis & moris Judaici conſultiſſimus tonſuræ genus quod lege vetitum aut a gentis uſu alienum norat ſuis tribuere noluiſſet.* Etenim ſi excutiantur quæ hic habet, pateſcet, eſſe ea, ut reliqua fere, quæ habet i. e. nullius omnino ponderis, quippe quid mirum ſi *Joſephus*, qui in hiſce contra Apionem libris id unice agit, ut omnia obtorto velut collo in gentis ſuæ celebrationem ad ſe rapiat, errare potuerit, nec advertere ad epitheton illud Τροχοκουρίδας, at ſit vel ita ponatur, quod concedi nunquam poterit: arbitratus *Joſephus Judæos Xerxi* auxiliatrices manus porrexiſſe, in manifeſto errore iſta cubent, neceſſe eſt, cum Xerxes longiſſimo poſt legem de orbiculari tonſura latam ſpatio vixerit, nec antiquiores iſti Judæi vocari mereantur, qui poſt captivitatem Babylonicam vixerunt. Non equidem ignoramus, aliis hic inſuper argumentis uti *Spencerum*, quæ examinare jam non licet, cum tamen ſpecioſa valde videtur authoritas *Nonni lib.* II. *cap.* XII. *ſect.* 2. quam pro ſe adducit, lubet verba Paraphraſtæ examinare, quæ ita ſe habent in *Paraphraſ. ad c.* II. *Johann. Chriſtus retrocinitorum hominum epulanti populo*

Vocatus erat conviva - - -

Quibus adductis ait *Spencerus lib.* II. *cap.* XII. *pag.* 312. *Eſt autem difficile creditu Galilæos homines origine Judæos hanc tonſuræ formam in mores admittere voluiſſe ſi illicitam & legibus interdictam exiſtimaſſent*. Fatemur ſi *Nonno* hic fidem habere teneremur, foret aliquid, quod non ſine cauſa urgeret *Spencerus*, verum cum longe poſt tempora Apoſtolica vixerit circa annum 410. non dubitamus hic judicium tanti viri noſtrum facere. Verum cum hic vir doctus erraverit certam ob cauſam; itaque originem paucis tangemus, quod ſcil. illa ortum traxerit a Nazaræis, quos *Helleniſtæ* ναζηραίυς ναζαραίυς dicunt, hos vero & τῦς ἀφωρισμένυς, ſive Deo ſeparatos pro iiſdem habet *Nonnus*, נצירים & נצרים confundit, uti fuſe Cl. *Chriſt. Wormius pag. m.* 203. *edit. Hafn.* 1694. oſtendit. Hæc ſane evincunt *Solymos* non eſſe Hebræos ut autumat *Joſephus*, id quod confirmat ultimo, quod apud *Clearchum* dicitur, *Solymos*, contra omnia Judæorum ſtatuta & communem vivendi rationem exuviis equinis ad obtegendum caput fuiſſe uſos.

3 *Solymis montibus*) Plures hanc de Judæorum a *Solymis* origine ſententiam cum *Tacito* & *Joſepho* communem habuerunt, id quod variis documentis & teſtimoniis demonſtrari poterit. *Stephanus* in voce ἱεροσόλυμα tam dilucide ſententiam ſuam pandit, ut nihil clarius unquam haberi poſſit. Præſto ſunt ipſiſſima verba: ἱεροσόλυμα ἡ μητρόπολις τῆς Ιυδαίας, ἣ Σόλυμα ἐκαλεῖτο ἀπὸ τῶν Σολύμων ὀρῶν: *Hieroſolyma Judææ metropolis Solyma vocabatur a Solymis montibus*, cui adſtipulari videtur *Tzetzes Chiliad.* 7. *hiſt.* 149.

Σολύμοις λέγει δὲ τυγχάνειν τῦς ἑβραίυς
Οὓς Ὅμηρος καὶ λέοντι ὡς ἀναιδεῖς εἰκάζει

Solymos dicit eſſe Hebræos, quos leoni Homerus ut impudentes aſſimilat. Hos vero *Solymos Hieroſolymæ* nomen dediſſe cur crediderit *Tacitus* miraremur, niſi plures eſſent, qui ſimiles imo longe futiliores circa vocis hujus etymologiam errores apud veteres ſtatuerent. *Eupolemus* ſane apud *Euſeb. lib.* IX. *cap.* XXX. *Præparat. Evangel.* inquit, *Primum quidem ſacram illam ædem* ἱερὸν Σολομῶνος *templum Salomonis nominatam eſſe; deinde vero urbem ipſam Hieruſalem corrupto vitiatoque templi nomine appellatam, quam Græci poſtea Hieroſolymam affini geminoque vocabulo nuncuparunt*; at aliter licet non minus ridicule Autor *Etymologici magni* in voce *Jeruſalem*. Hujus vero erroris cauſam indicare conſtituimus, ut pateſiat, non eſſe de nihilo omnium gentilium dicta, quæ a regia veritatis via paulatim deflectunt. Primum obſervandum civitatem hanc non raro in Sacra Scriptura *Jebus* dici, incolas יבוסי *Jebuſæos*, a quorum Rege Araune agrum pretio *David* emerat. Secundo eam quoque Salem dici liquet ex *Pſalm.* LXX. 2. ubi *David* inquit: Et eſt in *Salem* בשלם tentorium ejus, quæ quidem ad Gentes perveniſſe minime dubitamus. *Jebuſæi* certe veſtigia in *Ebuſo Hiſpaniæ* communi geographorum conſenſu Phœnicum colonia, unde illi conglutinatis hiſce nominibus ירושלם tanquam יבושלם dictam crediderunt. Cumque jam יבם, יבום, יבסה, יבשה, terram aridam & ſæpe montanam denotat. Salem vero proxime ad *Solymos* accedat, natum exinde figmentum *Taciti* & *Stephani* περὶ πόλεων ſcil. Hieroſolyma dicta quaſi *Oroſolyma* ἀπὸ τῶν ὀρῶν Σολύμων a *Solymis montibus*, quam quidem ſententiam varia ipſis extorquere potuerunt, partim quod *Hieroſolyma* vocetur in S. S. mons Domini, partim quod inter montana varia ſint ſita Hieroſolyma; unde non mirum ipſis viſum ſi a יבום monte denominata dicerentur, conſimili ratione *Solymos* nomini *Hieroſolyma* occaſionem dediſſe eo firmius credidere, quo certius cognitum habuere illos juga montium inhabitare. Qua opinione imbuti tam *Chriſtiani*, quam *Judæi*, quamvis abſurda nunquam divelli potuerunt, conſentientes enim habuerunt ipſum Antiquitatum Hebraicarum vindicem ſtrenuum *Flavium Joſephum lib.* II. *contr. Apion.* Ejuſdem erroris pollicem premunt, quotquot Hieroſolyma ἱερῦς Σολύμυς vocant, quos inter *Tzetzes Chiliad.* 6. *hiſt.* 42. facile eminet, & ita veteres ad unum fere omnes ἱεροσόλυμα tanquam יבושלם ab ὄροις Σολύμοις dicta crediderunt. Inquirendum igitur, quales iſti fuerint *Solymi*, ſcrutanda Gentilium ſcrinia & eruendum quodcunque de nominis hujus origine habent, & cui populo attribui debeat. Primum itaque evincimus *Solymos* eſſe quos poſtea *Piſidas*, uti *Cunæus in ſeq.* dicere amarunt; idque multis antiquiorum teſtimoniis.

4 *Ho-*

[4] *Homerus celebravit*) Solymorum mentionem injecisse *Homerum* non dubitamus, tribus præcipue in locis factum id animadvertimus, primo *Iliad.* ζ. ℣. 184. cum *Bellorophontem Lyciorum* Ducem armatum & pugnacem, his verbis introducit.

- - - Σολύμοισι μαχέσατο κυδαλίμοισι
Καρτίστην δὴ τήν γε μάχην φάτο δύμεναι ἀνδρῶν
- - - Solymis pugnacibus intulit arma
Quo se certamen gravius pugnasse negabat

Secundo ibidem ℣. 204. *Isandrum*

Μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε
Pugnantem in Solymos morti dedit

Tertio *Odyss.* ε. ℣. 284. cum *Ulyssem* ad *Phæacas* navigantem a *Neptuno* visum his verbis indigitat:

Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων ἐνοσίχθων
Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν
Ethiopum e regione redux Neptunus ut illum
Eminus e Solymis prospexit montibus.

[5] *Pisidarum esse*) En verba *Stephani in voce Pisidia* scribentis: Περὶ πόλεων αἱ Πισίδαι πρότερον Σόλυμοι ἀπὸ Σολύμου τοῦ Διὸς καὶ Χαλδήνης, ἔστι δὲ ἔθνος βάρβαρον, κατοικοῦν παρὰ τὴν Ἄσπενδον καὶ Κιλικίαν. i. e. *Pisidæ prius Solymi a Solymo Jovis & Chaldenæ filio, est vero gens barbara habitans juxta Aspendum & Ciliciam* & adhuc alibi in voce *Solymi*: Σόλυμοι οἱ νῦν Πισίδαι, *Solymi nunc Pisidæ*. Cui accedunt *Eustathius in Dionys. de situ orbis*: Φάσηλις ταύτης ὑπέρκειται τὰ Σόλυμα καὶ Τέλμισσος πόλις Πισιδικὴ ἐπικειμένη τοῖς περὶ τὴν Φασήλιδα θάλασσαν. *Phaselis hunc superjacent Solyma & Telmissus civitas Pisidica adjacens angustiis, quæ sunt prope Phaselidem*; & *Strabo Geograph. l.* 1. *p.* 34. qui Σολύμους τοὺς ἐν τῇ Πισιδίᾳ *Solymos* in Pisidia memorat, & alibi vero sunt Solymi mons & Telmissus Pisidica urbs angustiis montium imminens, & *Plin. cap.* CXIII. qui ita: *insident verticem Pisidæ quondam Solymi appellati*. (2) *Lycios* etiam *Solymos* esse variis Historicorum testimoniis evincimus. Prodeat hic in conspectum *Herodotus* cujus verba ita se habent: *Asiæ Regionem Milyada occupaverunt, quam enim nunc Lycii incolunt, olim erat Mylias & Myliæ tunc appellabantur Solymi*. Hinc patet Myliæ vocem idem esse ac *Solymos*; Unde etiam *Sthephan. in voce Myliæi*: Myliæ ante Solymi. (3) *Solymi* dicti sunt *Pamphilii*, *Cilices*, *Lycii Pisidæ* de quibus allata testimonia & alia historiarum monumenta satis testantur. Plura qui legere desiderat evolvat Cl. *Samuel. Bochart. Phaleg. lib.* 1. *cap.* VI. *pag. m.* 379. *seq. edit. Francof.*

CAPUT DECIMUM NONUM.

De bello, quod lege indictum fuit, deque eo, quod sponte susceptum ab Hebræis est. Quales pacis leges oblatæ hostibus sint. Quid illud sit, quod Talmudici de septem præceptis tradunt, quæ servanda omnibus gentibus fuere. Quam cito post orbem conditum, & quam late animos mortalium pervaserit idololatria. Hebræorum notabilis sententia de Abrahamo: & quando is rectum Numinis cultum susceperit.

SED, omissis istis, expediamus porro quæ de militia Judæorum in mentem nobis veniunt. Duplicis generis bella [1] Talmudici constituunt, quæ gesta a sacro populo fuere: nam & מלחמות מצוה ea bella appellant, *quæ jussu Numinis*, [2] *legisque suscepta sunt*: & rursus מלחמות הרשות ea esse ajunt, *quæ pro imperio, atque ad ampliandam rempublicam gessere*. De priore genere ita Maimonides inquit in Halacha Melachim, in cap. V. מלחמת המצוה היא מלחמת שבעה עממים ומלחמת עמלק ועזרת ישראל מיד צר שבא עליהן *Bellum, quod lege indictum dicitur, illud est, quod cum septem populis, atque cum Amalekitis fuit: aut si suppetias ferri necesse fuit cuidam Israeliticæ tribui, quam hostis invaderet*. Septem illi populi, [3] de queis loquitur, fuerunt Chittæi, Girgasæi, Emoræi, Cananæi, Chivæi, Perizæi, & Jebuzæi, quorum sedes armis invadere Israelitas jubet Deus in Exodi capite XXIV. & in Deuteronomii capite VII. De memoria autem Amalekitarum obliteranda [4] illustre est Numinis edictum in Deuteronomii capite XXV. Ad posterius bellorum genus ea pertinent, quæ subjicit ibidem Maimonides, מלחמת הרשות היא המלחמה שילחם המלך עם שאר העם להרחיב גבול ישראל ולהרבות גדלתו ושמעו : *Bellum, quod pro imperio susceptum appellant, illud est, quod cæteris populis rex intulit* [5] *ad proferendos Israelitarum fines*, [6] *atque ad augendam magnitudinem famamque eorum*. In eadem Halacha in capite VI. persequitur Maimonides quasdam cautiones, [7] quas in utroque bello servari summus Deus voluit, quæ in Deuteronomii capite XX. scriptæ in hanc ferme sententiam sunt. *Cum veneris ad aliquam urbem, ut oppugnes eam, primum invita eam ad pacem. Si responderint se pacem colere velle, portasque aperuerint, sint tibi tributarii, serviantque tibi omnes, qui in ea urbe sunt. Quod si non ineant pacem tecum, sed bello & armis experiri tecum malint, obside urbem, cumque tradiderit eam Deus in manum tuam, percute omnes masculos acie gladii, fœminas vero puerosque, & jumenta, denique quicquid erit in urbe, & omnia spolia ejus, auferes tibi, fruerisque præda hostium tuorum, quam dederit tibi Deus. Atque hoc quidem pacto victoriam exercebis duntaxat in iis urbibus, quæ procul a te aliis in terris sitæ sunt. At cum iis urbibus, quas tibi Deus tuus habitandas pleno hæreditatis jure dat, aliter agendum est. Cave enim, ne illic vitam cuiquam homini relinquas*. Hic quod summus legislator parcendum illis gentibus ait, quæ oblatam pacem acceperant, ita intelligendum Talmudici ex

vetuſtiſſima majorum traditione ajunt, ut inſuper neceſſe habuerint eæ gentes ſuſcipere ſeptem præcepta, quæ filiis Noachi data ante beatum Abrahami ſeculum ſunt, alioquin vitam illis relinquendam haud fuiſſe, quibus religio nulla Numiniſque obſervantia eſſet. Enimvero Judæorum ſapientiſſimi ita ajunt, ſex res fuiſſe, de quibus edi-ctum Numinis acceperit primus hominum parens, nam & cœlitus didiciſſe eum, celebrandam divini nominis majeſtatem eſſe, atque jura dici mortalibus debere: & rurſus, interdictum illi fuiſſe, ne ſanguinem humanum funderet, neve idola coleret, aut rapinas exerceret, tum ne multiplicato mox hominum genere, inceſtis ſe nuptiis fœdaret. Atque hanc quidem eſſe Cabbalicam quandam doctrinam, quæ tradita poſteris per manus ſit ab uſque Moſis ſeculo: cæterum, ex tacito ſenſu cujuſque, atque in univerſum ex verbis Pentateuchi manifeſtum eſſe, hæc præcepta in hunc modum data primo homini fuiſſe. Tandem vero Noachum cœleſti voce admonitum eſſe, ne membrum vivi animalis comederet. Scriptum enim in Geneſi eſſe, *carnem cum anima ejus, quæ eſt ſanguis ejus, non edetis*. Ita ſeptem præcepta [8] confici ajunt, quibus tantiſper gens mortalium regebatur, donec Abrahamo poſita lex de circumciſione fuit. Talmudicorum ſententiam, quæ expoſita a nobis eſt, eruditiſſimus Maimonides illis verbis recitat, quæ extant in Halacha Melachim, in capite IX. על ששה דברים נצטווה ארם הראשון על עבו"ם ועל ברכת השם ועל שפיכות דמים ועל גילוי עריות ועל הגזל ועל הדינים : אף על פי שכולן הן קבלה בידינו ממשה רבינו והדעת נוטה להן מכלל דברי תורה יראה שעל אלו נצטווה : הוסיף לנח אבר מן החי שנאמ' אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו : נמצאו שבעה מצוות : וכן היה הדבר בכל העולם עד אברהם בא אברהם נצטווה יתר על אלו במילה : Antequam a diverticulo ad rem redeamus, libet nobis exponere quid illud ſit, quod ex Talmudicorum ſententia diximus, inter ſeptem præcepta, quæ primis mortalibus data ſunt, etiam hanc ſanctionem Numinis fuiſſe, qua interdictus illis idolorum cultus eſt. Utique Maimonides in Halacha Habodat Cochabin & Mazzaloth, luculenter oſtendit, vitioſam religionem inter ipſa mundi initia [9] inoleviſſe. Etenim jam tum Enoſchi tempore [10] ex hominum quadam ſuperſtitione ſidera planetaſque in magno honore eſſe cœpiſſe, licet a vero Numine nondum penitus deſciſcebatur, mox, ut eſt fœcunda res error, templa atque ſimulacra ſtellis conſecrata eſſe, donec tandem, ſpreto plane Numine divinam religionem omnem planetis duntaxat tribuerunt. Excipit tamen maximus Rabbinus paucos quoſdam, Chanochum, Methuſcelachum, Noachum, Semum, atque Heberum, qui Deum unum, eundemque vere optimum atque maximum ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce venerati ſunt. De errore enim, qui mortale genus tenuit, deque ſeculi vitio loquitur. Ipſum Abrahamum ſero admodum, cum jam quadraginta annos [11] natus eſſet, agnoviſſe ait Deum conditorem ſuum, fuiſſe enim eum in Ure Chaldæorum tenebris & caligine mentis demerſum, inter homines ſuperſtitioſos, idololatraſque, atque una cum illis eandem inſaniam inſaniviſſe. [12] Tandem vero, cum meliora edoctus a Numine eſſet, ſtuduiſſe eum inſcitiam veri Chaldæis eximere: ſed quoniam inſidiis a Rege [13] petebatur, in Charanenſium ſedes eum conceſſiſſe, atque hinc in Cananæam veniſſe, ubi cœleſtem doctrinam tam feliciter ad ſuos propagavit, ut jure eum Maimonides עמודו של עולם *columen atque ſtabilimentum ſeculi* appellet. Hæc ſummo judicio animadvertit author cordatiſſimus. Neque nos ea referre piguit, quia illuſtrare Talmudicorum ſcitum poterant, quod de ſeptem illis præceptis retulimus, quæ Noachi poſteros ita obligabant, ut, ſi forte populi quidam inter pacis leges ſuſcipere eorum obſervationem recuſaſſent, eos Judæi exſcindere penitus, tanquam barbarie atque immanitate efferatos, juſſi ſint.

NOTÆ AD CAPUT DECIMUM NONUM.

[1] *Duplicis generis bella*) Bella alia fuerunt *defenſiva*: alia *offenſiva*. Utraque vel *bella Dei*, ſive ſacra, vel *bella regni*, ſive politica. Hæc Hebræis מלחמות הרשות *bella ultronea* dicta; illa מלחמות מצוה ex præcepto divino gerenda, alias מלחמות ז' עממים *bella ſeptem populorum*. Vide R. *Obad. Barten. ad Miſch. tit. Sanhedr. cap.* 1. item מלחמות א"י *bella terræ Iſrael* nuncupata. *Priora* ſcil. præcepti divini vel *ſtricte* fuere talia, vel *late*. Quæ *ſtricte* ſic appellata ſunt, ſimpliciter adverſus שבעה גוים ſeptem gentes & *Amalek* dirigenda erant. *Exod.* 33. *Deuteron.* 7. *Late* dicta Præcepti bella fuere, de quibus peculiare præceptum divinum legeſque in eodem obſervandæ Sacræ Pandectæ quidem non exhibebant, interim tamen vel commode ex hoc illove Sac. Scripturæ loco elici poterant, vel exſtabant quidem, bella tamen iſta in alios, quam ſeptem populos ſuſcipienda fuerant. *Poſteriora* ſcil. Regni, ſeu *Politica bella pro ſalute cum publica tum privata* augendave Majeſtate nota ſunt. Appellantur alio nomine *Arbitraria*, (1) quia præceptis contradiſtincta. R. *Obad. Barten. ad Miſchn. loc. cit. Omne*, inquit, *bellum præter id, quod eſt ex bellis ſeptem populorum & Amalek nuncupant bellum ultroneum*. (2) Quia nec ſuſcipere nec omittere præcepto quodam tenebantur. *Selden. de Synedr. Hebr. lib. III. pag.* 189. Confer celeberr. *Herman. Conring. de Republ. Hebr.* §. 70. (3) Quia pro re nata atque vel pro ſalute publica vel privata vindicanda parabantur. (4) Quia in eo cædi captivi poterant, vel vita donari. De diſtinctione bellorum conſulendi *Talmud. Babyl. Maſſ. Sota cap.* 7. *Gemara* ibid. & celeb. *Wagenſeil. in not. Maimon.*

mon. Hal. Mel. cap. 5. *Schickard.* מ"ה *cap.* 5. *th.* 16. *Johan. Selden. de jure Nat. & Gent. lib.* 6. *cap.* 12. Idem de *Synedr. Hebr. lib.* 3. *cap.* 12. §. 1. *Hutwyn. de Monarch. Hebr. pag.* 33. *Osiander. ad Grot. de jure Belli, & Pac. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 343. *Druf. ad loca difficil. Deuter.* Quod autem bella Hebræorum distincta sint, probamus hoc modo: Quæcunque bella inter se differunt diversitate (1) Juris bellici, (2) causarum, (3) Legum, illa quoque omnimodo distinguenda, nec temere inter se confundenda. Bella Hebræorum differunt inter se (1) diversitate *Juris bellici;* uti ex septem populorum bello videndum, (2) causarum de quibus in sequentibus & (3) diversitate legum *Deuter. XX.* 15. ubi certæ leges bello adversus alias quam septem gentes præscribuntur. Ergo. Secundo argumentum tale formari potest. Si præter מלחמות המצוה Bella præceptiva alia quoque, cum pro salute publica, tum ad ampliandos fines Israelis ad augendam ejus gloriam & famam suscepta sunt, sequitur ad unam eandemque classem Hebræorum bella reduci non posse. Atqui prius asserunt Scriptura Sacra Talmud, Rabbini, aliique viri clariss. & quæ alia sunt E.

[2] *Jussu Numinis*) Cur autem jusserit Deus in bello legali contra septem populos bellum gerere, variæ sunt causæ. Secundum triplex Hebræorum jus itaque etiam triplices sunt. Jus autem erat jus *veteris possessionis, promissionis & mandati divini.* Hinc quoque prima causa erat *rei antiquitus primitusque possessæ justa repetitio.* Cum enim, ut pulchre notat *Epiphanius, jure Noe concesserit Palæstinam Semo filio natu maximo, injuria vero occupaverint Cananæi, merito postea Deus eam restituit Hebræis, Semi posteris.* Dictum hinc bellum *terræ Israel* quasi tale dicas, in quo tantum, ut pristina in majoribus amissa veris Dominis restituerentur, itum est. Nec obstat, quod (1) Cananæi per aliquot sæcula possederint quiete & titulum repetundorum destruxisse videantur. Nec (2) obstat, quod *Genes. X.* 30. dicatur, *habitationem filiorum Semi factam de Messa pergentibus usque Sephar montem Orientalem*, loca juxta *Hieronymum, Osiandrum*, aliosque in India Orientali sita. Nec (3) Moses aperte docet, fortunatas illas orbis partes coluisse posteros *Canaan*. Nam respondetur ad (1) licet non negemus, repetundorum jus alias in simili casu dudum expirasse, multasque inde controversias in Dominia rerum redundaturas, si contrarium statuatur: negamus tamen, idem & hoc loco factum, ob multa singularia, quæ in exemplum trahi nequeunt, quæque inter reliquos *Semi* filios solis Hebræis jus repetendi concedunt, hic occurrentia, nec potuisse hoc in numerum causarum referri, largimur, nisi conjunctim cum duabus reliquis causis, præsertim vero auctoritate divina, quæ ferme sola vim sustinebat, sumatur. Confer *Osiandri hujus Academ. Cancellar. celeberr. annot. ad Grot. lib.* 1. *cap.* 11. *pag. m.* 407. *seq.* Ad 11. resp. (1) est sane ita, dicuntur posteri *Semi* in longinquas secessisse regiones: sed posteri tantum fuerant, non ipse *Semus*. Poterat illos relinquere Parens pius, imo vere id fecit, prophetico ductus Spiritu eam sibi eligens sedem, quam Deus T. O. M. sibi pararet. (2) probamus *Semum Palæstinam* inhabitasse loco *Genes.* IX. 26. Certe servitutem hanc nunquam potuisset præstare *Canaam*, ni imperatori suo *Semo*, vel ut *Josephus Dynastæ* seu Principi aliquando paruisset subditus; de sequioribus enim temporibus, & obsequio posteris Hebræis exhibendo prohibet accipere lex de funditus exstirpandis Palæstinæ populis: nec observante *Theodoreto*, in Gibeonitis initium, sed finem potius assecuta servitus est. Ad III. Objectionem regerimus, concedere posse nos omnia, sed quid inde? non ita propterea negandum, Semum unquam possedisse *Canaan*, aut jure eam terram incolis Cananitis obtigisse. Plura de re hac vide apud *Villalpandum Tom.* III. *apparat. in Ezech. Part.* 1. *lib.* 1. *cap.* XIV. *fol.* 57. *seq. Altera causa* belli Legalis desumta est ex *jure promissionis* Patribus factæ. Tanto enim amore Deus erga posteros Israelis affectus erat, ut non solum inter eos Rex, quibus jura sua ostenderat, in gremio juxta *Abarbanelem* foverat, inimicos dissipaverat & hanc ipsam terram Abrahamo & posteris fœdere facto promiserat, uti testimonia Scripturæ produnt. Tertia causa belli Legalis & quidem præcipua erat mandatum divinum *Deut.* VII. ℣. 1. 2. seq. *Deut.* XX. ℣. 17. 18. *Num.* XXI. ℣. 1. *Exod.* XXXIV. 11. 12. Videmus hinc non forte fortuna veteres migrasse colonos, nec propter justitias suas & æquitates cordis sui ingressos Hebræos, ut possiderent terram peregrinam, cum durissimæ cervicis fuerit populus; sed ut justum iniquitatum supplicium de pristinis sumeretur possessoribus, cui omnes obnoxii sunt ex præcepto divino *Deut.* XVIII. 9. 10. 11. Justum autem & sine dubio bellum hoc est, quod Deus imperat inquit *Augustin. quæst.* x. *in Jos. apud quem non est iniquitas, & qui novit, quid cuique fieri debeat, in quo exercitus non tam auctor belli, quam minister judicandus est.* Et in alio proposito idem *quæst.* 6. *in Exod.* scribit: *Mandati hujus non potest injustum esse judicium, mandatum enim Dei est, de quo non judicandum, sed ei obtemperandum fuit, ille enim novit, quam juste mandavit, ad servum autem pertinet obedienter facere, quod mandavit.* Et sic *Esaias cap.* XV. mandat, ut Rex Exechias nihil Philistæorum Legatis respondeat de Israelitarum jure in Palæstina, quam hoc tantum, Jehovam sic velle, ut ea terra esset populi sui. Confer. *Alberic. Gentil. de jure bell. lib. edit. Hanov.* 1612. *cap.* VIII. *pag. m.* 56. 57.

[3] *Septem illi populi*) Cl. Schickardus in משפט המלך *pag. m.* 284. *cap.* v. *Theor.* 16. *edit. Lips.* vocat *septem familias*. Anglus reddit *seven nations Deut.* VII. & *Hebr.* שבעה גוים *septem Gentes* vocat. Rabbini autem passim sub earum nomine meminerunt שבעה עממים *septem populorum*. Hinc apud eosdem teste *Carpzovio in annot. ad Jus regium Palæstina* ארץ שבעה *terra septem gentium* dicitur. De illis consule *Samuel. Bochart. in Phaleg. part.* 1. *Geogr. lib.* IV. *cap.* XXXVI. Excell. *Hilleri Fautoris* nostri Geograph. Sacr. quæ mox lucem videbit.

[4] *De memoria obliteranda Amalekitarum*) Recte Autor noster peculiare mandatum de exstirpandis Amalekitis profert, quod extat *Deut.* XXV. 17. 19. Utitur autem Deus in hoc mandato singulari loquendi formula, quæ adhibetur de *omnimoda destructione, excisione, deletione*. Anglus doctissimus *Henric. Ainsworth. Comment. in h. l.* ad verba *blot out fol. m.* 117. *edit. Londin.* hæc addit: *blot ut, or wipe out the remembrance, that there should no name or memoriall of them remaine*, quod signum iræ maximæ *Deuteron.* IX. 14. & XXIX. 20. Ad hoc Præceptum R. *Maimon. in Sepher hammizvos Præcept. affirmat.* CLXXXVIII. *fol.* LXXIII. *col.* 2. tendit, ita scribens: *Præcepto hoc nobis injunctum est, ut exscindamus semen Amalek solum, præ cæteris Esavi posteris, mares pariter & fœminas, parvulos atque majores, id quod Deus illa lege Deut.* XXV. 19. *indicavit*. Confer. elegant. *D. Carpzovii ad Schickard. pag. m.* 291. 292. Idem *H. Mel. cap.* v. §. 3. *Legem habemus, quæ jubet nos perdere memoriam Amalek, & sonat Deut.* XXV. 19. *Dele memoriam*. Et hoc judicium a *Saule* primo Rege voluit executum, uti *Ainsworth. c. l.* disserit his verbis: *This judgement of God executed by Saul the first King. of Israel, whom he sent to destroy utterly these Amalekites both man and woman, infant and sukling, oxe and sheepe &c.* 1. *Sam.* XV. 2. 3. *But he failed in the performance of it: therefore God stirredup the Simeonites (in King Ezekias daies) and they smote the rest of the Amalekites, thatwere escaped* 1. *Chron* IV. 42. *Yet Haman of Agag the Amalekite remained, who plotted the death of all the jewes; but he and his ten sons were killed, and Amaleks memory is perished. Esther.* III. Verum inquiramus in causam delendorum Amalekitarum: Eam Scriptura his verbis commendat *Deut.* XXV. 18. *Decaudavit debiles post te*, & prolixe pariter atque accurate interpretatus est R. Abarbanel, citatus a D. *Carpzovio* in eruditissimis notis ad *Schickardi* מ"ה *pag. m.* 293. *seq.* Conf. *Henric Ainsworth. Commentar. in h. l. fol. m.* 117. *edit. Londin.* Summa huc redit: Cur Deus Amalekum tanta affecerit pœna, Edumæos vero ex eodem cum ipso semine oriundos hostiliter tractare noluerit, quatuor potissimum causæ sunt. (1) Quod cum alii, vel ut defendant regionem suam ab invadente hoste, vel ut urbes ipsius capiant, belligerent, Amalek ex sola malitia, utque gloria Dei profanaretur, Israelitas oppugnarit. (2) quod absque clarigatione contra jus gentium perfidus Amalek derepente atque improviso Israelem adortus sit. (3)

quod

quod non aperto Marte, pavidus cum debilibus tantum pone castra insecutis, cumque Israel lassus & defatigatus esset, pugnaverit. (4) quod pugnatum venerit cum lassis ac defatigatis adeoque timuerit imbellem h. e. Israelem, non autem Deum omnipotentem.

5 *Rex intulit*) Hic in Maimonidis verbis haud levis offert se controversia: Num bella Majestatis justo quondam titulo pugnata fuerint? Nos affirmamus ob sequentes rationes: (1) Quæcunque bella omni tempore a Regibus Hebræorum, tantum non omnibus etiam pietate & justitia maxime conspicuis gesta sunt, commemorata a Spiritu S. nec tamen usquam uno verbo a Prophetis reprehensa, quod tamen omnino fieri debuisset, illa adeo injusta vel iniqua esse nequeunt. Bella Hebræorum ultronea talia sunt. E. (2) aut justa bella ultronea subiere Reges Hebræorum, aut non. Si juste subiere, ad rem nostram facit. Si non juste Deus profecto O. M. pravitatem adjuvit: nam expressis verbis servasse legitur summum Numen Reges Hebræorum in omnibus locis, quæ expeditionibus bellicis petivere, etiam earum gentium, quas tamen invadere, aut oppugnare prohibuerat. Vid. 2. *Samuel.* VIII. 6. 14. 2. *Paral.* XXVI. 7. *Deut.* II. 4. 5. Alterutrum igitur amplectendum, non hoc, quia justissimus Deus neutiquam adhibuisset manus auxiliatrices cuipiam homini, sanctissimas suas leges transgredienti. Ergo illud. Cum itaque Rex Hebræorum bellum inferre aliis potuit, sequitur maximam potestatem & Majestatem habuisse contra illos, statuentes Regis minorem potestatem fuisse potestate Pontificia, quæ refutata a *Dn. Quenstedio* in antiquitatibus Biblicis videri possunt *pag.* 18. *de Regib. Hebr.* Hinc (2) cadit ita hypothesis Hebræorum, quam ex Rabbinorum Scriptis profert cl. *Schickardus* in משפט המלך *Theor.* XVII. *cap.* V. *pag. m.* 313. *edit. Lipf.* ubi ex *Maimonide Hal. Melach. c.* 5. §. 2. recenset: *In bello majestatis non educebat exercitum nisi de sententia Synedrii.* Idem docent quoque *Selden. lib.* 3. *de Synedr. Hebr.* §. 2. *Joseph. de Voisin. Observat. ad pugion. fid. fol.* 268. Verum falsam esse hanc hypothesin probamus (1) quia esset contra Regis Hebraici potestatem absolutam, quam tam ipsi Regi in petitione sua tradiderant. Flagitabant sibi dari Regem, qualem gentes vicinæ haberent, nempe ut R. *Abarbanel Comment. in* 1. *Sam.* VIII. mentem illorum exponit, *qui absolutam haberet potestatem, & suo arbitratu judicaret instar Regum aliarum gentium*; quam ipsius Dei verba 1. *Sam.* IX. 17. qui dicit: *ille dominabitur populo meo*, ubi verbum Hebræum emphasim continet & significat, *coercebit*, *coarctabit* vid. *Michlal Jophi ad h. l. Buxtorf. in Lexico Frischmuth. de Rege eligendo & deponendo* quam potestatem etiam Reges postea exercuisse testantur Scriptores plurimi, quos adductos vide ab *Excellentiss. Danzio linguar. Orient. Professore celeberrimo Jenens. in dissert. de Hebræorum re militari*. His ita positis elicimus conclusionem: Quicunque summam in Regimine politico habet potestatem, is ut alia, ita bello quoque pro arbitrio suscipere potest, non Dei semper, multo minus populi exspectans sententiam. Atqui Reges Hebræorum habuisse summam potentiam, uti ex illorum gestis ex Scriptura & aliis Scriptoribus constat. Ergo. Confer celeb. *Christian. Rohrensee dissert. polit. de Sanctit. Princip. edit. Witteb.* 1675. Videantur hac de re Politici, qui de juribus Majestatis egerunt. Hoc tamen non negamus temporibus sequentibus post captivitatem Babylon. Reges non omnia ulterius sine consensu Synedrii potuisse, quod potestatem sibi tribuebat de facto. Confer. D. *Carpzov. annotat. ad Schickard. pag. m.* 313. *edit. Lipf.*

6 *Ad proferendos fines*) Adduxit Auctor Maimonidis verba, quæ hoc volunt; sed observandum Maimonidis verba non eo sensu accipienda esse, ac si nullum daretur aliud, præter illud, quod ad Majestatis imperiique Hebræorum dilationem facit, eaque omnia excluderentur, quæ aliam originem agnoscunt. Neutiquam, primaria tantum causa fuit potestas augenda non unica. Nam ejusmodi bella quoque instaurata sunt (1) ob fidem Regi violatam. (2) ob rebellionem (3) ob defensum nocentem (4) ob injuriam Regi aut Reipubl. illatam (5) contra auxiliatores hostis.

7 *Cautiones*) De his in Scriptura, ubi videndus Ainsworth. Comment. in Deut. xx. qui prolixe ex Scriptis Rabbinorum exposuit. Confer *Schickard.* משפט המלך & annotat. *Carpzovii*, quæ cupido Lectori satisfacient.

8 *Septem Noachi præcepta*) Quid de his sentiendum bene docuit celeb. *Joh. Frischmuth. in dissert. de Noachi præceptis*. Multa etiam de his habet *Selden. de Synedr. Hebr.* & *de jur. N. & G.* cl. *Schickard. in* משפט המלך *pag. m.* 333. *edit. Lipf. Theor.* XVII. conferantur notæ eruditiss. *Carpzovii p.* 333. *seqq.* qui eleganter & nervose hæc enucleavit, quæ ad Cunæum nostrum illustrandum pertinent.

9 *Inter ipsa mundi initia*) Naturam hujus Idololatriæ & initium ab ipso mundi initio statuit Maimonides, quem sequitur *Cunæus*. In ejus sententiam quoque abiit *Seldenus* de Diis Syris. Deorum nomina, quos coluerunt præbet nobis *Alcoranus Azor.* LXXXI. *Wadda*, *Sawahia*, *Jagowith*, *Jalowh* & *Nasera*. Hisce uti videtur *Schamchazai* & *Uzziel* operam dederunt. Sed nugæ sunt, quæ de Idololatria antediluviana dicuntur, omni probabilitate destituta sunt. Etenim nullam ejus mentionem facit Spiritus Sanctus, minime prætermissurus, si fuisset. Conf. *Joh. Owen. de ortu & progress. Idol. pag. m.* 143. *edit. Brem.*

10 *Enoschi tempore*) Ita Targum Jonathan. Arabs ex editione *Erpenii*. *Targum Onkelos*, *Maimonid. lib. de cultu stell. R. David Kimchi*, quos sequuntur multi Doctorum *Selden. de Diis Syr. Ainsworth.* aliique plurimi. *Josephus* vero hisce omnibus antiquior veri & unius Dei cultum ad septimum usque seculum durasse asserit *lib.* 1. Ἀρχαιολ. Ei adstipulatur in *Maase-Bereshith. c.* 22. *Eliezer* & probat Idololatriæ hic nullam mentionem fieri; quia rerum aliarum, quas colerent, h. e. Solis & stellarum nulla facta est mentio. Hisce consentiunt veteres Christiani plerique. Atque hæc sententia verissima est, in qua etiam est *Epiph. lib.* 1. *c.* 1. §. 4. *Beda* in Chron. Non ita corruptio cultus religiosi, sed reformatio Ecclesiæ his verbis indicatur, uti demonstrat Anglus acutus *Johan. Owen lib. cit. pag. m.* 139. Atque sic falsa est Cunæi opinio, quæ vult, quod sideribus templa fuerint exstructa.

11 *Quadraginta annos*) Fatetur quidem *Rambam* Abrahamum usque ad annum quadragesimum octavum cultu Idolorum illaqueatum fuisse. Verum dubia hæc ostendit cit. *Owen* pag. 270. ubi & cæterorum opiniones refellit.

12 *Insaniam insanivisse*) Ipsum Abrahamum ante vocationem solennem Babylonicæ defectionis & sceleris contagione aliquatenus contaminatum fuisse Scriptura refert Jos. XXIV. licet Judæi id negare conentur. Vid. *Owen pag.* 268. 269.

13 *Insidiis a Rege*) *Maimonides lib.* 1. *de cultu siderum* refert Regem Chaldæorum eum occidere voluisse. Satis antiqua est fabula, nam meminit ejus *Hieronym. quæst. Hebr. in Gen.* & longe ante eum *Joseph. lib.* 1. *Antiq. c.* VIII. inquiens: Cum Chaldæi & Mesopotamitæ ceteri contra ipsum insurgerent, consilium migrandi cæpit, & voluntate & favore Dei fretus terram Canaan tenuit.

CAPUT VIGESIMUM.

Feciales pacis offerendæ causa missos esse etiam ad septem Cananææ populos, contra quam vulgo existimatum est. Cur Gibeonitis dolo atque astu opus fuerit ad petendam pacem. Cur septem Cananææ populi ad internecionem occisi. Cur Ammonitis & Moabitis oblata pax non sit. De sacerdote, qui prælii causa ungebatur.

NUNC porro alia exequamur, quæ Maimonides ad interpretationem illorum verborum attulit, quæ nos paulo ante ex Deuteronomii capite vigesimo adscripsimus. Sane quod legatos de pace [1] prius mitti summus Deus ad eas nationes jubet, in quas Judæi arma parabant, id Ægyptius ille certissimo documento pertinere etiam ad septem populos evincit, quorum fortunatas sedes Israelitis Deus promiserat. Quod quidem contra opinionem eorum est, qui sine discrimine, & nulla exceptionis lege factam a Numine proscriptionem [2] earum gentium ajunt. Sed refellit [3] eos insigne testimonium, quod Maimonides noster citat ex libro Josuæ, ex capite XI. ubi sic fere scriptum est: *Nulla fuit civitas, quæ pacem fecerit cum Israelitis, præter Chivæos Gibeonitas. Cæteri omnes bello capti sunt. Induraverat enim animos eorum Deus ad pugnam cum Israelitis conserendam, ut internecione occideret eos, nec fieret illis gratia.* Enimvero illud hinc efficitur, deletas propterea eas gentes esse, quia belli fortunam tentare, [4] quam conficere pacem in Israelitarum leges maluerunt. Quod si fecialibus auscultassent, utique jam salus earum neutiquam in dubio fuisset. Quærit dehinc Maimonides, quid igitur causæ sit, cur Gibeonitæ astu doloque petendam pacem censuerint, seque gentem procul in aliis terris sitam finxerint, cum hercle certum illud sit, vera via pervenire eos ad hoc, quod cupiebant, potuisse? Sed respondet princeps Rabbinorum, antea legatos ad Gibeonitas [6] quoque, sicut ad reliquas sex nationes, missos fuisse; eosque ab illis spretos esse, quare ex ea tempestate legem adversus eos valuisse, quæ de internecione septem gentium lata erat. Gibeonitas autem, cum eam legem postea resciscerent, copiasque Israelitarum late victrices pertimescerent, venienti malo cavisse: &, quia post spretam semel pacem vera remedia consumserant, fallaciis atque arte usos esse. Hæc in hunc modum fere decisa a Maimonide sunt. Porro, quod in septem gentes illas victoria aliter exercita, quam in cæteras, fuit, ita ut illic quidem exscindi viros fœminasque atque infantes etiam, hic vero sufficere expiationi solam virorum cladem lex voluerit, ea disparitas ab hac adeo causa est, quod septem illi populi vulgo & passim in sese flagitia quædam fœdiora admisere, a quibus recta ratio naturaque hominum communis refugit atque abhorret. Quare profecto summus Deus eos, veluti terræ odium onusque fuisse significat, cum in Levitici capite XVIII. enumeratis id genus vitiis, postremo ita fatur, *Polluta est terra, & iniquitatem ejus ego visitavi adversus eam, & evomuit terra habitatores suos.* De Ammonitis & Moabitis [7] edictum singulare exstat in Deuteronomii capite XXIII. quo cautum fuit, ne eos unquam Israelitæ ad pacem sollicitarent, [8] & causa ibidem editur ejusmodi, quia commeatum [9] Israelitis non advexerant ex Ægypto venientibus, tum &, quod Bilhamum vatem [10] magna mercede [11] conduxerant, qui omnia infausta eis auguraretur. [12] Subjicit autem quandam cautionem Maimonides, quæ huc transcribenda est, אף על פי שאין שואלים בשלומם אם השלימו מעצמם תחלה מקבלין אותן: *Etsi*, inquit, *legatos de pace non mittebant ad eos, tamen si sponte sua initio eam cuperent, non repellebant eos.* In Halacha Melaehim, quam identidem memoravimus, in capite VII. multa prodit Ægyptius noster de sacerdote quopiam, qui prælii causa consecratus publice fuit. De quo ita inquit: אחד מלחמת הרשות ואחד מלחמת המצוה ממנין כהן לדבר אל העם בשעת המלחמה ומושחין אותו בשמן המשחה וזהו הנקרא משוח המלחמה: *In bello, tam quod gerebatur pro imperio, quam quod lege divina indictum fuit, sacerdotem creabant, qui exercitum alloqueretur sub tempus prælii, ungebantque eum oleo sacro. Atque hic ille est, qui* משוח המלחמה *hoc est, prælii causa unctus* [13] *dicebatur.* Oratio ejus, [14] qua ad populum usus est, recitatur in Deuteronomii capite XX. fuitque ejusmodi: *Eja, audite Israelitæ.* [15] *Vos proceditis hodie in prælium contra hostes vestros. Ne mollescat cor vestrum, neu trepidate aut expavescite metu eorum. Progreditur enim vobiscum in expeditione Deus vester, pugnatque cum hostibus vestris, uti servet vos.* Refert Maimonides etiam alia verba, quæ sacerdos ille ex tabula aut libro publice pronuntiavit, [16] non sub ipsam pugnam hercle, sed tunc, cum ad bellum exiret populus. Sed nos tenuissimas particulas, atque omnia mansa huc non inseremus.

NOTÆ

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM.

[1] *Legatos de pace*) A Deo mandatum & injunctum erat Iſraelitis, ut ante omnia pacem offerant hoſtibus Deut. XX. conferantur huc Cl. *Schickard.* in משפט המלך *pag. m.* 305. qui ex utroque Moſe Maimonide & Kotzenſi teſtimonia retulit, quæ etiam leguntur in *Bechai fol.* CCXXV. *col.* 3. celeberr. *Wagenſeil. Miſch. c.* VIII. *pag. m.* 844. 845. *Sot.* ubi plurima lectu digna recenſet vir celeberrimus. *Serarius lib.* II. *Comment. in Joſ. cap.* XII. *quæſt.* IV. *ſ.* 304. *Selden. lib.* VI. *de Jur. Nat. & Gent. cap.* XIII. *Oſiand. annotat. ad Grot. de Jur. B. & P. pag. m.* 1380. *Ainſworth. Comment. in h. l.* Hos ſecuti ſunt alii populi, qui nullum bellum ſuſcipiebant, niſi facta prius indictione, id quod de Romanis ſcribit *Cicero Offic.* I. apud quos, ne ullum bellum injuſtum ſuſciperent, collegium *Fecialium* a Numa fuit inſtitutum, ut autor eſt *Polydor. lib.* IV. *de rer. invent.* De horum munere vide *Lexic. Juridic. ex Briſſonio*, *Hotman.* aliiſque compoſitum *pag. m.* 401. *ſeq. Eli. Reuſner. in Theſaur. bellic. pag. m.* 173. 174. *edit Francoſ.* 1661. Fit autem, ſcribit cl. *Valentin. Alberti in diſſert. de bello juſto Lipſiæ* habita *an.* 1678. *cap.* IV. §. 3. belli denuntiatio per *Fecialem*, cui Germani noſtri ab exercituum amore ac benevolentia peculiare nomen *Heerhold* impoſuerunt. Vide *Beſold. Theſaur. Pract.* voce *Heerhold.* Formula qua uſi ſunt *Feciales* legere apud *Liv. lib.* I. *cap.* XXXII. *Alexander ab Alexandro lib.* V. *cap.* III. *Gell. lib.* XVI. *cap.* IV. *Roſin. lib.* X. *cap.* II. Eſt hæc ratio naturalis, ut antequam hoſtiliter agas, vel communi illi, quæ inter homines eſt, amicitiæ prius renunties; nec extrema primo tentes loco. Hinc recte *Theſeus apud Euripid. in Supplicib.* Si oratione non perſuadeo, bellum laudo. Vade, *dic Creonti*; Theſeus amanter abs te repetit cadavera, hic primus ſermo. Si nihil efficis: ſecundus, ut me armatum exſpectet.

[2] *Proſcriptionem*) *Cunæus* noſter defendere conatur hanc opinionem, quod Deus etiam ſeptem illos populos ad pacem invitarit, quos tamen exſtinctos voluerit. Inhæret nimis Rabbinorum figmentis, cum expreſſis verbis *Deut.* XX. 16. extet, quod de illis populis (ſeptem ſcil. gentium) nemo vivus ſit relinquendus, imo iſte peccet contra legem, qui vivam animam reliquerit. Confer. *Sebickard. lib. cit. pag. m.* 308. & annotat. *Carpzovii* in h. l. nulla enim ibi exceptio vel invitatio ad pacem occurrit. Si itaque Iſraelitæ *Feciales* ad has nationes miſiſſent, bellum annuntiare debuiſſent vel *clarigatione* vel *indictione*. *Clarigatio* ergo erat, quæ ſemper annexam rerum raptarum repetitionem habebat: *Indictio* vero, quæ nec tutelam ſui, nec vindictam, ſed ſolam Imperii amplificationem pro incitamento habebat. Jam autem juxta *Seldenum de J. N. G.* 6. *cap.* XII. XIII. neutrum locum habere poteſt. Nam jus *clarigationis*, inquit, Orientalibus populis incommode attribuitur, cum illis nec injuria præcedens, nec tutela ſui neceſſaria juſta belli ſuſcipiendi cauſa fuerit; ſed mandatum Dei ipſis injunxerit, ut occidant omnes ex his ſeptem nationibus, uti varia Scripturæ loca id teſtantur.

[3] *Sed refellit eos*) Autor noſter, ut opinionem ſuam ſtabiliat, teſtimonium *Maimonidis* recenſet, quod *nulla civitas fuerit*, *quæ pacem fecerit cum Iſraelitis*. Quæ verba deſumta ſunt ex *capite* XI. *Joſuæ*. Sed unde probabit hoc Maimonides, quod ſeptem his nationibus pax per feciales indicta fuerit, & omnes hanc rejecerint; cum Sacra Scriptura taceat, & nihil in illa legatur, excepto hoc, quod omnes ſe conjunxerint, ut bellum contra Iſraelitas gererent, quod a Domino factum.

[4] *Quod belli fortunam tentare*) Non hæc cauſa fuit perditionis & deletionis Gentilium, quia jure naturæ permiſſum contra illatas injurias ſe defendere; ſed quia Deo intulerant injuriam, hæc bello vindicanda erat, quæ autem non niſi ſpeciali Dei mandato bello eſt vindicanda. Solet namque ipſe Deus in quibuſvis bellis impios, voluptatum & ſuperbiæ aliorumque ſcelerum ſordibus involutos, juſto ſuo judicio punire & perdere. Hoc autem genus belli, quod Deus imperat, apud quem non eſt iniquitas, qui novit, quid cuique fieri debeat: in quo bello ductor exercitus, vel ipſe populus, non tam auctor belli, quam miniſter judicandus eſt, ut D. *Auguſtinus* ſcribit *quæſt.* 10. *in Joſuam*. Sic olim Deus denuntiavit bellum *Amalekitis*, æternaſque adverſus hos populo ſuo imperavit inimicitias *Exod.* XVII. Sic idem *Chananæos*, *Amorrhæos* &c. alioſque populos, quos terra omnium terrarum principe & fertiliſſima dotaverat, donis his petulanter abutentes, ſanctoſque Dei viros, qui inter ipſos vivebant hoſpites atque advenæ, affligentes, ſcelerum ipſorum menſura quaſi completa, per Iſraelitas ſuos exſtirpavit, illorumque terras in hos diviſit. Ab hac authoritate *Jeſtes* cum Rege *Ammonitarum* expoſtulans, Judic. II. hunc in modum argumentatur: *Nonne enim hæredem inſtituerit te Chamos Deus tuus, illius hæres eſſes? ſic quemcunque expulit Jehova Deus noſter a facie noſtra, illius hæreditatem obtinebimus*. De mandato igitur divino non judicandum, ſed ei obtemperandum.

[5] *In dubio fuiſſet*) Falſum ex præſuppoſito falſo ſtatuit Autor. Legatos ad ſeptem Nationes miſſos fuiſſe negamus; Hinc ipſorum dictis benevolas aures præbere non potuerunt. Mandat itaque Deus, ut occidantur & deleantur, non quod Fecialium orationibus non obediverint, ſed quod peſſime vixerint & humanas hoſtias Diis ſuis immolarint.

[6] *Ad Gibeonitas*) Pluribus hic eloquitur *Cunæus* ex Maimonide, cui *Abraham ben David in ſuis Haſſagos* ad hunc Maimonidis locum ſe opponit, atque id reprehendit: Ego dico, inquit, hoc omne perplexum & erroneum eſſe. Non enim ad hos populos miſerat Joſua ad pacificandum, niſi antequam Jordanem tranſiiſſent, poſtmodum vero illos non recipiebant.

[7] *De Ammonitis & Moabitis*) Si *Ammonitæ & Moabitæ* ad pacem non ſunt ſollicitandi ex *Lotho* nati; multo minus alii harum ſeptem Nationum. Jam autem edictum *Deut.* XXIII. ℣. 3. extat, quod pax non ſit quærenda propter ſpecialem inhumanitatem & peccata graviſſima. His denegatum erat recipi in ſocietatem Iſraelitarum, quod tamen aliis Nationibus conceſſum. Et licet Hebræi more ſolito hanc legem reſtringant ad maſculos tantum, teſte *Maimonide in Iſſure bbiah. c.* XII. *ſ.* 17. 18. cujus verba ab *Ainsworthio* Anglice verſa ita ſonant: *All heathens whoſoever, when they are become Proſelytes, and have taken upon them all the commandements which are in Law, like wiſe ſervants when they are made free, loe they are as Iſraelites in all reſpects. Num. XV.* 15. *and it is Lawfull for them te come into the Church of Lord, out of hand. --- --- The Ammonite and the Moabite are forbidden for ever, the males, but not the females. Deuter.* XXIII. 3. Attamen hoc Rabbinorum effugium non ita validum, ut rejici non poſſit. Edictum generaliter loquitur tam de maſculis, quam fœminis, quæ niſi religionem Dei in ſe reciperent & ad Deum ſe converterent, nunquam recipiebantur, & illegitimum erat cum illis conjugium contrahere. *Nehem.* XIII. 23. 24. 25. *Eſr.* IX. 1. 2. Notanter itaque additur in *ſeculum*, quod bene explicat *Ainsworth. Comment. in h. l. ſol. m.* 99. *edit. Londin.* ita diſſerens: *So it appeareth, that the Moabites and Ammonites might never be one body with the Commonwealth of Iſrael, though other peoples might, as Jether an Iſmaelite. 1. Chron. II. 17. is called an Iſraelite. 2. Samuel. XVII. 25.*

[8] *Ad pacem ſollicitarent*) Eadem dicuntur de **Canaitis** *Eſr.* IX. 11. 12. Hoc non intelligendum de malitia vindicanda, quod injuſtum *Rom.* XII. 17. 19. nec putandum quod ſalus animarum non ſit procuranda 1. *Tim.* II. 4. Sed his reſpicitur populi infidelitas. Hæc exceptio prioris legis eſt *Deuter.* XX. 10. quæ de oblatione pacis agit in bello legitimo. Verum de *Ammon* & *Moab* dicitur *Deuter.* XXIII. 6. *Non quæras pacem vel bonum eorum, ullis diebus in ſeculum* (qui textus videtur priori contradicere: ſic autem conciliatur) *quamvis non quæratur pax eorum,*

rum, ſi tamen pacis conditiones ipſi ſponte præſtent, recipiuntur, quia dicitur (ibid. verſ. 17.) *in bono ſuo non populeris eum* (licet de ſervo dictum tamen) *hos etiam comprehendit*. Vid. Clariſſ. *Schickard. in* משפט המלך *pag. m.* 306. *edit. Lipſ.* Confer *Maimon. tom.* 4. *tract. de Reg. cap.* 6. *ſect.* 6.

[9] *Commeatum*) Cauſam hujus reddit Autor noſter, quod commeatum non advexerint, quæ etiam in Scriptura ſacra continetur; verum aliam quoque cauſam addit *Paulus Fagius in annotat. ad Paraphraſ. Chaldaic. in h. l.* ita ſcribens: Porro Ammonitæ & Moabitæ non tam ex eo, quod ex inceſtu nati erant in Eccleſiam Domini venire prohibentur, quam ex eo, quod ſe ingratos erga filios Iſrael exhibuiſſent. Mandaverat Deus *Deut.* II. verſ. 9. ne obſideant Iſraelitæ *Moabitas*, neque irritent, ut ineant cum eis bellum. Anglus reddidit: *Diſtreſſe not Moab, neither meddle thou with them in battel*. Voluit Deus, ne Moyſes bello laceſſeret eos. Hujus illi beneficii immemores inimici ac hoſtiliter ſeſe exhibuerunt. Nam priſcis morem fuiſſe dicunt, hoſpitibus ac prætereuntibus populis, panem & aquam offerre pro pecunia, id tamen Ammonitæ & Moabitæ neglexerunt, quare etiam pœnas luunt. Confer *Henric. Ainsworth. Commentar. in h. l. fol.* 99. Quando itaque naturæ injuria infertur, bello juſte vindicatur. Naturæ autem inferunt injuriam, qui evidenter peccant contra jus naturæ & hominum, cujuſmodi etiam ſunt, quando quod ab ipſa hominibus eſt tributum, ab hominibus denegatur: cujuſmodi ſunt iter, portus, commeatus. Juſta itaque videtur Megarenſium querela apud *Diodor. Sicul. lib.* 12. quod contra jus gentium, omni commeatu prohibeantur.

[10] *Bilhamum vatem*) Hic Interpretes variant. Sunt (1) ex Hebræis, qui aſſerunt, Bileamum fuiſſe conſiliarium Pharaonis. Ita *Baal Hatturim*, ubi quoque נבך dicitur. In *Talmud Maſſecheth* סנהדרין cap. ult. ajunt, eum cum Jobo, Moſiſque ſocero interfuiſſe conſilio Pharaonis de perdendis obſtetricum aſtu pueris Judaicis. Confer Cl. *Theodor. Hackſpan. in Miſcell. Sacr. pag.* 403. Alii (2) ſtatuunt, *Bileamum* fuiſſe ariolum & Magum & Prophetam Diaboli. Ita ex veteribus *Ambroſ. lib.* 6. *Epiſt.* 37. *Gregor. Nyſſen. lib. de vit. Moſ. Cyrill. lib.* 6. *de Orat. Auguſt. qu.* 48. *in Num. Theodoret. qu.* 40. *ſeqq.* Romano-Catholicis *Cornel. a Lapid. in Num. fol.* 863. *Maſ. ad cap.* 13. *Joſ. Lorin. in Num. fol. m.* 822. Ex Noſtratibus *Brentius tom.* 1. *Opp. pag.* 977. *D. Cramer in der Bibliſch. Auslegung ad cap.* 22. *Num. pag.* 132. *D. Thummius Profeſſor quondam Tubingenſ. in diſput. de invocat. Sanct. pag.* 5. *D. Aſſelman. in Syntagm. par.* 1. *pag.* 19. *D. Glaſſ. Exegeſ. Evang. tom.* 1. *Feſt. Epiphan. pag.* 988. *D. Botſacc. Moral. Gedan. fol.* 114. *D. Fridlieb. in Theolog. Exeget. ad h. l. pag.* 445. *Hackſpan. part.* 1. *Not. Bibl. pag.* 482. *Piſcator in h. l. pag.* 250. *Jun. Opp. Theol. tom.* 1. *Analyt. Explicat. Num. pag.* 466. *Ravanell. Bibliothec. S. part.* 1. *fol.* 181. Contra (3) non pauci ſunt, qui rationibus non levibus affirmant *Bileamum* fuiſſe verum Dei Prophetam, avarum tamen & aliis vitiis deditum. Ita ex Veteribus *Tertull. lib.* 4. *contr. Marcion. cap.* 45. *pag.* 304. *Hieronym. in quæſt. Hebr. ex Num.* 22. *Joſeph. lib.* 4. *antiq. Judaic. cap.* 6. *pag.* 96. Ex Hebræis quoque multi adſtipulantur. Sic *Menachem fol.* 185. *col.* 2. *Sanhedr. cap. Helec. Tanchum* 79. 2. Ex Romano-Catholicis hanc ſententiam confirmant *Toſtat. ad c.* 22. *Num. qu.* 3. *pag.* 55. Addit ibidem, quod fuerit etiam magnus Aſtrologus & ariolus. *Eſtius in h. l. pag.* 134 & alii multi. Ex Calviniſtis *Calvin. apud Mariorat. ad cap.* 2. *Epiſt.* 2. *Petr. pag.* 1075. *Druſ. in loc. difficil. ad cap.* 24. *Num. pag.* 468. Ex Lutheranis *Luth. ſuper Geneſ. pag.* 320. & *tom.* 2. *Jen. Germ. fol.* 125. Balaam / inquit, der groſſe Prophet / der ſo viel köſtliche dinge zuvor hatte geprediget / nahm geld drumb vom Könige Balac. *D. Luc. Oſiander in Paraphr. Nicol. Hunn. in Harm. Evangel. pag.* 43. *D. Georg. König in Vindic. S. pag.* 370. Quam ſententiam multis argumentis confirmavit & probavit *D. Georg. Mœbius in ſelect. diſputat. pag. m.* 329. *ſeq. edit. Lipſ.* 1694.

[11] *Magna mercede*) Per mercedem hanc intelliguntur munera, quæ ceu divinationis pretium offerebantur. Hebr. appellantur קסמים divinationes. Chald. קסמים. Eſt Meton. cauſæ pro effectu. Nam קסמים divinationes ponuntur pro præmiis & honorariis eorum, quæ Legati hi Bileamo obtulerunt. Vid. *Glaſſ. l. v. Phil. S. Tract.* 1. *c.* 1. *m.* 3. *p.* 11. ſeq. Radix eſt קסם divinavit. Varie autem Interpretes ſe torſerunt in explicanda hac voce. Origenis Interpr. Homil. 13. item Auguſtin. ſerm. 103. de Temp. & alii nonnulli reddunt *divinacula*. Intelligunt autem inſtrumenta Magicæ artis, quæ ab iis adhibentur, qui divinationes exercebant & contrectare ſolebant. Hanc opinionem etiam adduxit *Paul. Fagius in not. ad Paraphr. Chald.* Ergo juxta horum ſententiam μαντεῖα ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν erant inſtrumenta magica, ut offerrent Bileamo, ſi forte ille eis careret, aut non adeo apta haberet. Sed קסמים in hac ſignificatione nuſpiam occurrit. R. *David Kimchi* in lib. Radic. ita exponit: ופורשו בידם וקסמים מרח או קסמים מיני פירשי או קסמים ורמי תקסמים אליו מצריכין מיניני i. e. *& divinationes in manibus eorum: Senſus eſt; & pretium divinationis vel ſpecies ſive genera divinationum, vel ea, quibus opus habebant ad ea, quæ pertinebant ad divinationes*. Alii aliter. Sed recte hiſce reſpondet *Eugubin. Steuch. apud Paul. Fagium*. Non eſt veriſimile, aliquid ejuſmodi allatum eſſe ab illis, ſed per incantationes hoc loco intelligimus aut pretium ipſum, aut id, quod erat incantandum i. e. rationem atque ordinem, quo uti deberet ſuper populum maledicendum.

[12] *Infauſta eis augurаretur*) De his pluribus egerunt viri doctiſſimi D. *Mœbius* in diſſert. ſelect. pag. m. 302. ſeq. qui fuſe. *Henric. Ainsworth. Comment. in h. l. fol.* 142. 143. quare B. L. ad hos remittimus.

[13] *Qui prælii cauſa unctus*) Hic plurima notanda eſſent, niſi laborem hunc in ſe ſuſcepiſſent viri de re literaria meriti celeberr. *D. Wagenſeil. Miſch cap.* VIII. *Sot. pag. m.* 842. D. *Carpzovi. in not. erudit. ad Cl. Schickardi* משפט המלך *Ther.* XVIII. *pag. m.* 368. 369. *edit. Lipſ. Henric. Ainsworth. Comment. ad Deut.* XX. *fol. m.* 80. *edit. Londin.*

[14] *Oratio ejus*) Fieri debebat non niſi ſermone Hebræo uti ex Rabbinis refert Cl. *Schickard. in* משפט המלך *pag. m.* 370. *edit. Lipſ.* quia eo tempore hæc lingua uſitatiſſima erat, & nulla alia utebantur. Ita reperitur in *Peſikta Sutarta fol.* 78. *col.* 1. referente celeb. *Wagenſeilio pag. m.* 483. Unctus Bello, cum milites alloquitur, verbis tantum Hebraicis uti debet. Adjungebatur tamen ipſi Sacerdos vulgaris voce pollens, & alii præcones, cui hæc ipſa quæ diceret cominus audita, ſinguli ſuis cohortibus repeterent eminus & late diffuſis, teſtibus R. *Abarbanel Comment. in Pentat. fol.* 375. *col.* 1. & *Raſchi*. Conf. *Henric. Ainsworth. Comment. in Deut.* XX. *fol. m.* 80. *edit. Londin.*

[15] *Audite Iſraelitæ*) Quare utendum illi erat verbis: Audite Iſraelitæ? ſcil. tradente R. Jochanan, nomine R. Simeonis J. F. teſtari voluit Deus B. Judæis, ſi maxime præter recitationem verborum *Audi* &c. nihil ſervaſſent, fore ne in manus inimicorum traderentur. Vid. *Gemar. cap.* VIII. *Excerpt. Sot.* Cætera quæ in hoc *Deut.* loco notanda occurrunt, erudite expoſuit ſæpe laudatus *Wagenſeil. l. c. Conſ. Ainsworth. fol.* 80. *Schickard. pag.* 370.

[16] *Publice pronuntiavit*) Refert ex Rabbinis Cl. Schickard. l. c. quod officium Uncti Sacerdotis fuerit, bis alloqui populum; ſemel e libro, cum exeunt; jubet ædificantes plantantes &c. domum redire *Deut.* XX. 5. 6. 7. iterum quando acies inſtruitur vetat eos quicquam timere. Cui adſtipulatur *Gemara cap.* VIII. Tradunt Magiſtri Sacerdotem iterata vice populum allocutum. Semel prope terminos regionis, & iterum in prælio. Quid prope terminos? Audite verba mea, qui ad bellum expediti eſtis. Sicque diſceſſionem facere. Quid in prælio? ne molleſcat cor veſtrum. Videantur notæ eruditæ Wagenſeilii in h. l. pag. m. 876.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Qui fuerint immunes militia. Saulis severitas in cogendo milite. Pœnæ in eos sancitæ, qui sacramentum detrectarent. Unde Flavius scripserit, deos peregrinos in bello non violandos Judæis. Laudabilis Judæorum Religio, cum Beli ædes refecta ab Alexandro est.

IN Deuteronomio privilegia quorundam recensentur, quibus vacatio militiæ concessa ad breve tempus fuit: inter quos fuere, qui recens vineam [1] plantassent, quique exstruxissent novam domum, [2] tum qui sponsi aut novi mariti [3] essent. Ex quo certe constat, munia militiæ non eos duntaxat subiisse, qui ultro nomen dabant, sed quoscunque rex, populive ductor ad sacramentum adegit: ut jam hoc totum necessitatis fuerit, non arbitrii. Utique Saul quidem, cum arma capessere omnes vellet, membra duorum boum frustillatim concisa per duodecim Israelitarum tribus circummisit, interminatus hoc idem se facturum armentis eorum, qui sequi se ad bellum recusassent. Quare profecto jam non sine exemplo est Romanorum severitas, in quorum institutis olim erat, ut, qui ad delectum non respondissent, tanquam proditores libertatis in servitutem redigerentur: qui vero filium suum militiæ subtraxisset, in pace fustibus cæderetur, belli tempore exilio & bonorum parte multaretur. Quæ sic relata ex Carrii Menandri libris sunt *in l. 4. §. 10. & 11. ff. de re militari*. Divus quidem Augustus equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonaque subjecit hastæ, & præceptum Divi Trajani fuit, ut hujusmodi parentes deportarentur. Non uno edicto maximus legislator Moses Israelitis [5] præceperat, ut terram hostilem armis ingressi, simulacra omnia, templaque, & altaria Deorum diruerent, quos cæteræ nationes per errorem coluissent. Ait tamen Flavius, * lege Mosaica constitutum fuisse, περὶ τοῦ μήτε χλευάζειν, μήτε βλασφημεῖν τοὺς νομιζομένους θεοὺς παρ' ἑτέροις αὐτῆς ἕνεκα προσηγορίας τοῦ θεοῦ. *Ne quis eos derideret, quos gentium aliarum opinio Deos confinxit, neve quisquam male illis diceret, saltem enim prodesse illis honorem tanti nominis debere*. Nos ex qua Pentateuchi parte illud Flavius in sua scripta transtulerit, divinare non possumus. Quin existimamus potius, hallucinatum eum esse, [6] neque intellexisse verba ea, quæ in Exodi capite XXII. scripta in hunc modum sunt, אלהים לא תקלל *non execraberis deos*, quæ profecto in eam sententiam accipienda sunt, ut significetur, sacrosanctos esse rerumpublicarum moderatores, qui in terris vice Numinis funguntur. Illud vero, quod in eadem dissertatione Flavius adversus Apionem adducit, magis ex vero est, & militum Judæorum summam constantiam in retinendis patriis legibus arguit. Ex Hecathæi enim, maximi scriptoris, commentariis prodit, qua tempestate olim Alexander Babylone erat, & ad instaurandum Beli templum, quod corruerat, cunctos milites aggerere terram jubebat, solos Judæos imperia ejus detrectasse, [7] & verbera multa tulisse, atque graviter multatos esse, donec tandem illis & ignovit rex, & securitatem præstitit.

* *In Apolog. adversus Apionem.*

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

[1] *Qui recens vineam*) Quidam apud Hebræos reperiebantur, quibus lex recedendi veniam dabat immunesque erant a militia, qui vineam plantaverant. De ritu hoc & modo pluribus egerunt celeb. Wagenseil. pag. m. 857. Sot. qui meretur, ut evolvatur. *Carpzov. in not. ad Schickard.* משפט המלך *pag. m.* 314. *Henric. Ainsworth. Comment. ad Deut. c.* XX. *fol. m.* 81. *edit. Londin.*

[2] *Novam domum*) Rabbini latius extendunt hæc verba teste *Maimonid. cap.* VIII. §. 4. *Hal. Mel.* qui ita: Perinde est, sive quis ædificet ad inhabitandum, sive pro pecoribus, sive pro lignis, sive granarium, modo id ædificium habitationi congruum sit. Æquiparatur etiam ædificanti, qui accipit aliunde, ut dono vel hæreditate, omnes hi revertuntur. Excipiuntur qui voluptuaria tantum ad ornatum ædificant, aut in exoticis terris quamcunque casam. Vid. cl. *Schickard.* משפט המלך *pag. m.* 315. *seq. edit. Lips.* confer. celeb. D. *Wagenseil. in not. ad Mischn. pag.* 855. ubi *Seldenum* carpit, qui *lib.* 3. *Uxor. Hebr. c.* 3. statuat, nullam novam domum immunitatem habere, nisi quæ habitationi idonea sit, nec horreum &c.

[3] *Sponsi aut novi mariti*) Competebat hoc privilegium cuivis sponso, sive vetulam duxerit, sive juvenculam; illi etiam qui defuncti fratris viduam superinduxit, Deut. XXV. 5. Audiamus *Maim. Hal. Mel. c.* VIII. §. 6. ita scribentem: Idem est, sive desponsarit sibi virginem, sive viduam &c. vid. *Schickard. pag. m.* 318. *Ainsworth. Comment. in Deut.* XX. *fol. m.* 81. *edit. Londin. D. Wagenseil. pag.* 858. Alia autem ratio erat; qui repudiatam suam postliminio recepit, aut incompetentem duxit, ille non gaudebat hac immunitate, teste *Maim. l. c.* videatur cel. *Wagenseil. pag.* 861. qui fuse de re egit. Ita nec *sterilis* in bellum ire cogebatur, talem enim non obligant ad ullum officium subeundum. *Maim. Hal. Mel. c.* 7. *vid. Othon. Lexic. Philol. pag. m.* 77. *edit. Genev.*

[4] *Ad delectum non respondissent*) Quemlibet vocare

care militem jure Romano Imperator ex sibi subjectis poterat & regulariter omnes ad militiam cogebantur: nec quisquam eam honeste detrectare poterat, si præprimis in ea Princeps ipse versatur. Idque adeo verum est, ut qui ad delectum non respondet, tanquam proditor libertatis in servitutem redigatur: & qui filium militiæ subtrahit exilio & parte bonorum multetur vigore *l.* 4. §. *gravius* & §. *qui filium ff. de re milit.* Hinc *M. Curius Dentatus teste Valer. Maxim. lib.* VI. *c.* 3. adolescentis, qui citatus non responderat, bona hastæ subjecit, ipsumque æternis vinculis puniendum censuit, præfatus, *Non opus esse eo cive Reipubl. qui parere nesciret*. Ad eundem quoque modum *C. Vettienus* ut ibidem narrat *Valer. Maxim.* qui sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi absciderat, a Senatu bonorum publicatione & perpetuis vinculis est punitus. Et merito. Non enim proditor solum est, qui miles transfugit: sed & qui Rempubl. ope, auxilio, defensione destituit, & qui agit, ne miles fiat. Hujusmodi belli refugæ, homines timidi & ignavi, qui ut militiæ periculum effugerent, pollices amputabant. Manus hinc abscisso pollice hieroglyphicum hominis bello inutilis. Digitus enim hic summotus hominem actionibus & præsertim bello inutilem reddit. *Murcos* hos appellat *Ammianus Marcellin. lib.* XV. a *Murcia*, quæ Dea segnium dicitur *Arnob. lib.* IV. *Darius* hos & *Xerxes Persarum* Reges crudelius punierunt, teste *Herodot. lib.* 4. & 7. Etenim *Darius* adversus *Scythas* expeditionem moliens, cum *Oeobazus* Persa postularet, ut ex tribus filiis unum sibi in senectutis solatium domi relinqueret; *se omnes relicturum* respondit: & reliquit interfectos. Sic & *Xerxes*, cum numerosissimo exercitu hominum in Græciam profecturus, *Pythio Lido* petenti, ut uni ex quinque filiis militiæ vacationem indulgeret, gravissime indignatus, respondit: *Homo improbe, tunc, cum egomet ipse in expeditionem istam adversus Græciam & filios meos, & fratres, & domesticos & amicos una ducam, ausus es mentionem filii tui facere, qui meus est servus, quem oportebat cum omni familia comitari?* & medium dissectum filium relinquit. Huic severitati accessit quoque *Augustus Cæsar*. Nam cum post Varianam cladem, quicunque militari ætate essent, nomina dare recusarent: ex iis (inquit *Dion. lib.* LVI.) qui nondum annum tricesimum attigissent quintum, ex natu majoribus decimum quemque, ut sors in quemlibet incidisset, privatum bonis notavit ignominia, & cum multi ne sic quidem obedirent, quosdam affecit ultimo supplicio.

[5] *Moses Israelitis præceperat*) Ut simulacra omnia templaque Deorum diruerent. *Exod. c.* XXIII. 13. 24. & *c.* XXXIV. 13. 14. *Deut.* XII. 2. 3. In omnibus his locis destructio Idolorum, ararum templorumque Gentilium severissime injungitur Israelitis, ut funditus deleant. Confirmat hoc *Anglus* doctus *Henr. Ainsworth Comment. in Exod. cap.* XXIII. *fol. m.* 95. *ex Maimonide de Idol. c.* VII. *s.* 1. cujus verba Hebræa Anglice ita reddidit: *We are commanded to destroy idololatry and the service ther eof, and Whatsoever is made for the same. And in the Land of Israel we are commanded to persecute it untill it be destroyed out of all our land: bus without the lande we are not commanded to persecute it: but every place which we shall subdue, we are to destroy all the idololatry that is therein*. Plura quoque addit in *caput* XII. *Deut. fol. m.* 44. *edit. Londin.*

[6] *Hallucinatum eum esse*) Scil. *Josephum* dicentem, Judæis interdictum esse ridere Gentilium Numina, eo quod & illa Dii dicantur. Videtur *Josephus*, si per errorem hæc vere sensit, deceptus ambiguitate vocis אלהים quæ & Deos & Judices notat. Moses vero præceptum dedit אלהים לא תקלל *Deut.* XXII. 28. *Diis non maledices*, intelligens Magistratum seu Judices per אלהים. Conf. *Exod.* XXII. 8. *Psalm.* LXXXII. 9. vid. *Ainsworth & Hottinger. de Legib. Hebr.* non vero Idola Gentilium, quod *Josephus* Sacerdos Judaicus ignorare minime potuit, unde contra animi sententiam, ut Romanis adularetur hoc scripsisse videtur vid. *Grot. lib.* 3. *de Jure B. & P. cap.* v. §. 2.

[7] *Imperia ejus detrectasse*) Judæa gens teste *Plinio l.* XIII. *hist. nat. c.* IV. contumelia Numinum insignis audit, ficta enim Numina & monstrosa idola aversabantur & ridebant Judæi ita, ut milites *Judæi Alexandro M.* militantes, cum ille *Beli* templum, quod corruerat, Babylone restituere vellet, soli rudera portare aut ullo modo templum ædificantes adjuvare, quamvis plagis inflictis, constanter recusaverint, ne idolorum Gentilium cultum promovere viderentur.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Sabbathorum observatio Judæis sæpe noxia in bello. Ea superstitio animis hominum exemta per Matthiam Hassamonæum. Stratonicæ febriculosa pietas. Auspiciorum atque ominum vis a Mosollamo, acerrimo milite Judæo, elusa. Ostenta & omina esse in potestate mortalium. Lex divina de sexuum distincto habitu non intellecta a Flavio. Adulterarum toga apud Romanos. Charondæ miles stolatus. Medorum Persarumque mollities.

DUM in his sumus, non prætermittendum est, quod Maimonides, notavit, מצריך על עיירות כותים בשבת ועושין עמהם מלחמה בשבת: *Judæos paganorum urbes, cum sabbathum est, obsidere, atque etiam prælium cum illis conserere*. Sed hoc non semper profecto receptum ab illis fuit. Etenim Matthias Hassamonæus, fortissimus imperator, cujus fuit virtus toti Judææ salutaris, primus popularibus suis persuasit, non esse hoc divinæ legi contrarium, nam antea hercle execrabilis opinio omnes tenebat, malis auspiciis & irato Numine geri, quæ tali die pro se quisque, aut pro republica tentaret. Agatharchides quidem apud Flavium, dum Stratonicam deridet, quæ capta a Seleuco, occisaque est, quod in fugam se dare ob somnii cujusdam ludibrium ausa non esset, geminam Judæorum & germanam dementiam adjungit. Captam enim Jerosolymam esse a Ptolemæo Lagi filio ait, propterea quod cives cunctos sabbathorum observatio [1] defensione urbis prohiberet. Ac Matthias [2] quidem Hasmonæus, uti diximus, hoc errore suos liberavit. Cæterum incessere rursus animis hominum eandem superstitionem contigit. Pompejum [3] enim diu postea potitum urbe scimus, cunctis per sabbatha desidentibus. Equidem ego Matthiam istum celsa indole virum,

rum, atque judicio rectissimo fuisse existimo, qui fieri quibusdam casibus posse intellexerit, ut omissa ceremoniarum anxia observatio vel laudem ferat. Utique nullæ leges positæ [4] necessitati sunt, quæ semper magnum humanæ imbecillitatis patrocinium fuit, & quicquid coegit, defendit. Adde, viri illud & ducis esse, non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium, idque valere in omnibus rebus humanis, sed maxime in bellicis, quæ ex pactis conventis non procedunt, sed ipsæ ex se multa objiciunt nec opinantibus, quæ extremum discrimen pariunt ex mora. Jam miraculi instar nobis est, Judæum reperisse, quem incepta urgere & favori Numinis instare non vetuit scrupulosa pietas. Longe diversi generis est, quod Hecatæus de milite quopiam ejusdem nationis prodidit: quod referemus tamen, quia in pectore Judæi insignem superstitionis fuisse conceptum probat. Ait ille scriptor, se in expeditione Alexandri fuisse, contendisseque ad rubrum mare cum Judæis aliquot equitibus, qui sese comites addiderant: interque eos fuisse Mosollamum, hominem animosissimum, qui jaculandi peritia omnes & Græcos & barbaros anteiret, ibi, cum properantem exercitum augur quispiam sisteret, propterea quod alitem sedentem videbat, ex cujus volatu captare omen itineris parabat, e vestigio Mosollamum, correpta ingenti sagitta, confixisse alitem, atque insuper amarulento joco stultitiam eorum incusasse, qui miseram avem alieni conscìam fati crederent, cum ignara sui esset, neque enim scivisse eam, quantum periculi a Mosollamo Judæo immineret. Enimvero istud est sapere, non ex hariolorum responsis, nec e conatu sinistro oscinis, aut e tripudiis solistimis pendere, sed agendo vigilandoque vana ostentorum ludibria antecapere. Sane quidem C. Plinius, diligens harum rerum observator, in ipsa augurum disciplina constare ait, * *neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observasse se ea negaverint*. Quo munere divinæ indulgentiæ nullum esse majus fatetur. Cætera, quæ dici de re bellica queunt, vix annotare libet. Ait Flavius, inter disciplinæ militaris præcepta & illud fuisse, ne in bello aut mulier virili, [5] aut vir muliebri habitu uteretur. Enimvero quæ in Deuteronomii capite vicesimo & secundo extant, paulo ille liberius audaciusque interpretatus in hunc modum est: φυλάσσετε μάλιστα ἐν ταῖς μάχαις, ὥστε μήτε γυναῖκα ἀνδρικῇ στολῇ χρῆσθαι, μήτε ἄνδρα στολῇ γυναικείῳ. Sed profecto male accepit verba Numinis, quæ in Deuteronomio extare diximus. Habet enim divina ista lex non tam in militia locum, quam domi & in pace, atque in omni reliqua vita. Nolebat enim sexus utriusque apparatum cultumque perverti aut confundi immortalis Deus, propterea quod maxime contrarium id honestati erat, ad quam nos fecit ille, formavitque. Quare profecto nec usurpatum hoc aliis gentibus unquam fuit, nisi per ignominiam, [6] & pœnæ loco. Utique apud Romanos quo pacto ornatæ pro suis virtutibus fœminæ ambulaverint, quæ convictæ adulterii erant, proditum multis auctorum jocis est, ex quibus est illud Martialis, [7]

Thelin viderat in toga spadonem
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Apud Græcos vero Charondas, severissimus imperator, milites suos, qui ordinem in acie deseruissent, per triduum pro concione stolatos [8] destituit. Scio ego Medos olim stola ad talos demissa, mulierum in morem, incessisse: & Persas quoque, id quod Xenophon in octavo Pædiæ ait, ad horum se imitationem composuisse: sed ii populi, quoniam hercle ad mundi teporem jacebant, evirati [9] ipso terræ cœlo & solo erant. Quare infamis eorum mollitis apud cæteros fuit, & posita in vitio semper est.

* *In lib.* 28. *cap.* 2.

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

1 *Sabbathorum observatio*) Tam superstitiosi Judæi erant in observatione diei Sabbathi, ut contra hostes se non defenderent. Ex superstitione diei Sabbathi arma capere ac ab hostibus se defendere noluerint, quod *Agatarchides* apud *Josephum lib.* 1. *contr. Apion.* ipsis objicit, & ut *Plutarchus*, qui id superstitionem Deo minime gratam vocat *libr. de superstit. pag. m.* 388. At vero Judæi, inquit, Sabbatho desidentes otiosi, hostibus scalas muris admoventibus, murosque occupantibus, nihil se moverunt, sed superstitione, tanquam reti, capti, se continuerunt. Quod sæpius accidisse, exempla docent; *Ptolomæus* Lagi filius; quem autor noster citat, Ægypti primus post Alex. M. Rex, referente *Josepho l.* XII. *Antiquit. Judaic. cap.* 1. Hierosolymam depugnavit, fraudibus & dolis civitatem die Sabbathorum ingressus sub specie sacrificii, nequaquam Judæis resistentibus quando hostile nihil existimabant, & ideo otiose vel sine suspicione segnes erant. Hac ratione mille circiter homines die Sabbathi petram, in quam confugerant, non defendentes occisi sunt ab Antiochi Epiphanis militibus. 1. *Machab.* II. 31. *Joseph. antiq. lib.* XII. *cap.* 7. *&* 8.

2 *Matthatias*) Dissuasit postea Judæis *Matthatias*, ne ut pecora impune se occidi die Sabbathi paterentur, sed ut arreptis armis se suaque tuerentur, cujus consilio probato ab insultibus hostium tutiores fuere 1. *Machab.* II. 39. *Joseph. lib.* XII. *Antiquit. Judaic. cap.* XVII. *in fin.* Conf. *Hugo Grot. lib.* I. *de J. B. & P. c.* IV. §. 7. qui quæstionem ventilat:

lat: an Judæi die Sabbathi ſe defendere debuerint? *Matthatiæ* conſilium Judæos limitaſſe, ut corpus ſuum defenderent ab hoſtibus, ipſi hoſtes vero die Sabbathi nec aggrederentur, nec opera contra ipſos exſtruere prohiberent.

[3] *Pompejum*) Exemplo adducit Autor *Pompejum*, quod oſtendit *Joſephus l.* 14. *Antiq. Judaic. cap.* 8. Sed ſi nobis, ait, patrium non fuiſſet, ſeptimo die vacare, nullatenus aggerem conſtruere (Romani) Judæis repugnantibus potuiſſent. Nam bellantibus & occidentibus reſiſtere lex concedit, ſi quid vero aliud adverſarii velint facere, nulla nobis datur licentia, Sabbathis eos prohibere. Quapropter non certantibus Judæis, nec manus armantibus turres erigere, vel machinamenta Romanis licuit fabricare, quibus poſtero die utebantur. Idem tradit *Dio Caſſius l.* 37. *hiſt. Rom. pag. m.* 37. Urbem quidem ipſam a fautoribus Hyrcani receptus Pompejus facile obtinuit: Templum autem, quod alterius partis homines præoccupaverant, haud abſque labore cepit. Situm erat loco edito, ſuis mœnibus munitum: nec, ſi ex æquo omnibus diebus id defendiſſent, expugnatum eſſet: verum quod Saturni, quos vocant, diebus propugnationem intermittentes (& his quidem ab omni opere vacant) Romanis eo libero ſpatio occaſionem muri ſubruendi dederunt. Quippe ubi hunc hoſtium morem animadverterunt, nihil ſerio egerunt reliquis diebus: cum vero circumacta ſeptimana, Saturni dies rediiſſet, denuo aggreſſi ſumma vi templum oppugnarunt. Atque ita tandem Judæi nihil quicquam propugnantes, in poteſtatem hoſtium venerunt. Vide etiam *Strabon. lib.* XVI. *Geograph.* Statuunt tamen recentiores Judæi, licuiſſe Iſraelitis ipſo etiam Sabbathi die urbes Gentilium, obſidione cinctas impugnare & hoſtiles actus continue exercere, donec eam expugnaverint, modo obſidio non ipſo Sabbathi, ſed tertio ante eum die cæpta ſit, quod uberius ex Judaicis Scriptis exponit *Guil. Schickard. c.* 5. *de* J. R. H. *Theor.* 18. *pag. m.* 387.

[4] *Nullæ leges poſitæ*) In defenſione neceſſaria. Neceſſitas non habet ferias, *ut ſunt exempla in l. ſolet etiam D. de feriis*. Eodem modo dicitur, neceſſitas non habet legem. Hæc etiam in defenſione neceſſaria, obſervanda, ut ait *Cicero pro Milone*, ita ſcribens: Bellum illud non modo juſtum eſt, ſed etiam neceſſarium: cum vi vis illata defenditur. Hoc namque & ratio doctis, & neceſſitas Barbaris, & mos gentibus & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent. Defenſio igitur ait *Guicciard. lib.* 10. eſt ex lege naturæ cunctis mortalibus communis, & ſummi Dei voluntate omniumque gentium conſenſu comprobata: una cum mundo orta & deſitura: cui neque civiles neque pontificiæ leges, hominum voluntate nixæ & chartis exaratæ, derogare poſſunt. Non eſt enim hæc ab hominibus facta lex: ſed ab ipſa natura in totius humani generis pectoribus atque animis inſcripta. Quocirca ut injuſte facit, qui prior vim infert; ita, qui vim illatam non propulſat neque vindicat, veterem ferendo injuriam, invitat novam, ut *Cicero* recte ſentit *Offic.* 1. qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut patriam aut ſocios deſerat.

[5] *Ne in bello aut mulier virili*) *Joſephum* multi ſequuntur, qui aſſerunt, quod a Joſepho (ad mentem procul dubio Judæorum veterum) hoc inter diſciplinæ militaris præcepta numeretur. Quid autem *Joſephum* & alios in hanc ſententiam traxerit, videbimus. Obſervandum autem venit, quod in Textu Hebr. *Deut. cap.* XXII. 5. occurrat vox כלי quæ late admodum patet, & præter *vaſa* proprie dicta, veſtimenta & *arma* in ſe continet. Hunc enim ſenſum exprimit *Geneſ.* XXVII. 3. Sume כליך hoc eſt, (uti Targum explicat) *arma tua*, pharetram ſcil. & arcum venationis inſtrumenta. Sic *Judic.* IX. 54. 1. *Sam.* XXXI. 10. Hiſce congruum eſt, quod in Scriptura paſſim occurrant כלי מלחמה *vaſa* i. e. *arma bellica*. Ita editio *Jacobi Lieſwelt Manns-gewehr* reddit. Vatablus כלי inſtrumenta bellica ſignificare aſſerit. Hanc ſententiam acerrime defendit Anglus alias doctus *Spencerus lib.* 2. *cap.* XVIII. *de Legib.* his rationibus; quia (1) hunc ſenſum tribuit Chaldæus Paraphraſtes, qui hoc in loco כלי per תקון זין ornatum bellicum interpretatur. Quia (2) hunc ſenſum confirmat Græca verſio, quæ *σκεύη* & *σκευὴ* de inſtrumentis aut armis bellicis dicit, aſſeritque antiquum *Scholiaſten* in *Ariſtophan.* *σφῆκας* vocem *σκευὴ* per *πανοπλίαν* explicare. Quia (3) hac in lege Mulier כלי גבר *inſtrumenta viri*, vir autem שמלת אשה tantum *veſtitum mulieris* induere prohibetur. Quia (4) hac in lege non dicitur, Fœmina non ſumet כלי איש vaſa viri, ſed כלי גבר *arma* vel *vaſa fortis & bellicoſi*. Quia (5) *Joſephus* procul dubio Judaicorum veſtigiis inſiſtens, hanc legem rem bellicam ſpectare dicit. Adſtipulantur huic *Ainſworthius in Comment. ad Deut.* XXII. *fol. m.* 91. *Johannes Selden. in libr. de Diis Syris*. Verum quam male hæc ſint dicta oſtenſum eſt a *Quiſtorpio in annot. Bibl. pagin. m.* 211. & *Dannhawer. in Colleg. Decal. diſp.* 9. §. 3.

[6] *Niſi per ignominiam*) Recte Autor noſter ſtatuit veſtem muliebrem ſeu tunicam militibus ignominioſam fuiſſe aliis populis. Romanos ſi producimus, illorum milites fortes omnes cincti, ignavi autem diſcincti ſeu tunicati erant. Videantur *Horat. in Epod. Od.* 1. *Perſ. Satyr.* 3. *Satyr.* 4. *Serv. ad* 1. *Æneid.* Miles itaque per ignominiam diſcingebatur & tunica fluxa incedere tenebatur. *Plutarchus* in *Lucullo* contumeliam & ignominiam gravem militi fuiſſe tradit, ut loco pagani haberetur & diſcinctus incederet. In pœnam itaque ea ignominia afficiebat *Auguſtus* milites delinquentes, jubens ante prætorium ſtare tunicatos, aliquando diſcinctos. Plura qui deſiderat, evolvat *Marcell. Donat. dilucidat. in Sueton. pag. m.* 311. 312.

[7] *Illud Martialis*) Qui præter hæc ab auctore citata de toga adulterii convicta, alia quoque loca habet. *Libr.* 2. *epigr.* XXXIX. *pag. m.* 128. *edit. Lugd. Batav.* 1661. de muneribus Mæchæ ita canit:

Coccina famoſæ donas & janthina Mæchæ
Vis dare, quæ meruit munera? mitte togam.

Meretrices enim, ut & adulterii convictæ in publicum togatæ prodibant, ut dignoſcerentur a caſtis matronis ſtolatis; Hinc *Juvenalis* de *Carſinia* impudica & a magiſtratu damnata, ut togam ſumeret, ſeu ſignum adulterii convictæ: ita canit *Satyr.* 2. *lib.* 1. *verſ.* 70. *Non ſumet damnata togam*, velut adultera, vel matrona convicta adulterii ac damnata, ut quidam volunt, inquit *Lambius*. Nam mulieres quæ vulgo expoſitæ in publicum togatæ prodibant, & togis utebantur, ut a matronis ſtolatis diſtinguerentur. Eſt de hac re inſignis locus apud *Ciceron. Philip.* 2. Sumſiſti virilem, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti. *Horat. Sat.* 2. Eſt in matrona, ancilla peccesve togata. Videantur *Rigalt. Manut. epiſt. Briſſon. ad legem Juliam de adulter. Biſciol. lib.* 4. *c.* 5. *de toga & ſtola*. *Turneb. lib.* 16. *c.* 19. *adverſar. Rader. Comment. in Martial. fol. m.* 221. *Cornel. Schrevel. in Mart.*

[8] *Stolatos*) Fuit lex *Charondæ*, (cujus auctor hic mentionem facit) de iis, qui arma pro patria non cepiſſent, aut in bello ordines deſeruiſſent, hæc apud *Diodor. Sicul.* Προσέταξε τοὺς τοιούτους ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐφ' ἡμέρας τρεῖς καθῆσθαι ἐν ἐσθῆσι γυναικείαις. i. e. *Statuit hos tales in foro per tres dies ſedere in veſtibus muliebribus*: vid. *Pſeiffer. antiquit. Græc. lib.* 3. *cap.* XXVII. *pag. m.* 565. *edit. Regiomont.*

[9] *Evirati*) *Medos & Perſas* ſtolis ad pedes demiſſis uſos fuiſſe, extra omnem dubitationis aleam ponitur, cum ex variis Auctorum teſtimoniis hoc conſtat, & ideo eviratos habitos, id quod experientia docuit & docet; nam viri, qui ex mollitie muliebrem habitum ſibi deligunt, meritam incurrunt reprehenſionem. Unde merito in eos invehit *Dominicus Mancinellus de* IV. *virtutib. cap.* VI. V. 379.

Fœmineos cultus & geſtus ſumere molles
Vir putet indignum ridiculumque ſimul
Quid magis eſt contra naturam ſive decorem
Quam ſub fœminea vivere veſte virum.

Hinc male audiunt Galli Sacerdotes *Cybeles*, qui muliebri veſtitu induti incedebant. Vid. *Geuſ. de victim. human. part.* 2. *pag. m.* 23. *Sardanapalum*, Aſſyriorum Regem molles delitiæ ita corruperant, ut relicta majeſtate regia muliebrem habitum vir ſumeret,

meret, fœminamque mentitus inter puellas & Eunuchos delitesceret. *Suetonius* stolam in *Caligula* reprehendit, qua vir sine reprehensione uti non poterat; teste *Ulpiano l.* 23. §. 2. *ff. de auro & argento*. Muliebria sunt, ait Juris Consultus, quod matris fam. causa parata sunt, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione, veluti stolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De Judæis, qui extra Palæstinam in aliis regnis habitavere. Gentium plurium migrationes, & voluntaria exilia. De Judæis Asiaticis, deque Babyloniensibus, tum de Ægyptiis & Alexandrinis. Pecuniæ ab illis Jerosolymam missæ. Quantæ opes in sepulcro Davidis. Darius a Semiramide elusus. Judæorum Hellenistarum, & Palæstinorum infensa æmulatio. Quo jure, quaque conditione apud Romanos Judæi fuerint post eversam sacram urbem. De Polygamia.

MARCUS Annæus Seneca in consolatione, quam ad Helviam scripsit, populos quosdam enumerat, qui patrio solo relicto sedes suas commutarint, & transtulerint domicilia. Nam & in mediis barbarorum regionibus Græcas urbes esse, & inter Indos Persasque Macedonicum audiri sermonem, tum civitates Achajæ Ponticis esse impositas litoribus, & Tyrios in Africa habitare, Pœnos Hispaniam incolere ait. Quæ quidem omnia ille nihil aliud nisi publica exilia vocat, in quæ alios domestica seditio, alios excidium urbium suarum, quosdam migrandi libido, alios alia causa emisit. Sed profecto hujus rei nusquam illustrius documentum est, quam in Judæis, qui per Ægyptum, Græciamque, perque omnem Asiam & Africam late sedes suas procul a Palæstina posuere, & res illic amplas, uberesque habuerunt: regum autem principumque tantis affecti beneficiis sunt, ut inter exteros vitam exigere, quam in patriæ beato solo religiones, templumque venerari ex propinquo mallent. Atque Asiaticorum quidem dignissimi, nobilissimique erant Babylonienses, de quibus in libro primo, in cap. VIII. diximus. Inter Hellenistas autem quos non Ægyptus duntaxat, sed omnis Græcia acceperat, primatum quendam Alexandrini [1] tenebant. Utique Ptolemæus Lagi filius, [2] cum Judæorum fidem & virtutem summam perspexisset, omnia Ægypti propugnacula & præsidia ipsis commisit: &, ut Cyrenam cæterasque Libyæ urbes firma ditione teneret, multas eorum colonias in ea loca deduxit. Mox Philadelphus adeo deditus Judæis fuit, qui sub imperio ipsius erant, ut leges eorum, [3] & sacratissima jura verti Græce, atque in omnium esse manibus voluerit. Postremo Philometor, & uxor ejus Cleopatra [4] curam tutelamque totius regni Ægyptiensibus his Judæis dedere: copiisque illis, ex quibus rerum momenta pendebant, Dositheum & Oniam, homines itidem Judæos, præfecere. Libertate autem omnes in illis ipsis sedibus tanta usi sunt, ut templum quoque [5] in Heliopolitana præfectura habuerint, quod magna religione adirent. Neque fuit id profecto tumultuarium opus, quod casus, aut desperata exulum temeritas excitaverat, nam & Ptolemæi regis permissu constructum erat, & per annos trecentos ac quadraginta [6] incolume stetit: ac tandem vero sub Vespasiano demum clausum prophanatumque est. Mansit tamen inhæsitque tam Hellenistis profecto & Ægyptiensibus, quam cæteris omnibus, qui extra Palæstinam degebant, amor affectusque [7] in ædem Hierosolymitanam. Quippe pecuniæ ab illis stato tempore illuc mittebantur: [8] & donaria eorum amplissima erant. Recitat Flavius Josephus * literas Octavii Augusti, Agrippæque, & Norbani Flacci, atque Julii Antonii ad Cyrenenses, Ephesios, Sardos, atque ad alios missas, in queis scriptum erat, ne Judæi, qui apud illos habitabant, dona pecuniasque in usum templi & sacrorum mittere Jerosolymam prohiberentur. Sane quidem ii, quos Mesopotamia & Babylonia acceperat, urbes duas natura pariter atque opere munitissimas, Neerdam & Nisibin, [9] habuere, in quibus, tanquam in ærario quodam, siti omnes thesauri erant, quos in Palæstinam identidem, cum tempus esset, infinita hominum multitudo devehebat, ne formidandæ Parthorum rapinæ forent. Et fuit tunc profecto in summum culmen evecta Jerosolymitanorum opulentia, cum ad eos tanta vis auri a popularibus mitteretur, qui variis locis sparsi sedes incolebant disjunctissimas. Quamquam & antea mirum in modum amplæ eorundem divitiæ erant, antequam Israeliticæ decem tribus per discordias civiles secessionem a Judæis fecissent. Davidem quidem gazas [10] incredibiles possedisse constat, nemo ut regum Hebræorum, exterorumve conferri cum illo potuerit. Quare etiam sepulcrum ejus, ossaque, & cineres filius superstes circumfluere opibus voluit, [11] quæ in cellulis pluribus erant reconditæ.

* *In lib.* 16. *Antiq. cap.* 10.

Earum autem quæ ſumma fuerit, facile divinabit, qui cogitaverit, Hyrcanum poſt mille & trecentos annos, cum ab Antiocho Pio eſſet obſeſſus, conditorium illud adiiſſe, atque ex illo ter millena talenta exemiſſe, ac rurſus multo tempore interjecto, Herodem, cum alias cellulas recluderet, reperiſſe illic quantum ſatis erat maximis impenſis faciundis. Juſſerat haud dubie divitias eas ſummus rex recondi illic ſecum, ut velut inacceſſæ, & loci religione tutæ [12] eſſent. Hac enim cauſa permotos etiam alios ſæpe fuiſſe, idem ut facerent, proditum memoriæ eſt; & Darius vero riſum, jocumque omnibus excitavit, cum Semiramidis monumentum intraret, cujus inſcriptio ingentes theſauros promittebat, cum nihil intus, niſi tabella eſſet, quæ homini ſacrilego malam rem precabatur, propterea quod mortuorum loculos temeraviſſet execrando ſcelere. Sed enimvero de opibus ſacri populi dicebamus, quæ ante tribuum aſportationem Jeroſolymæ erant. Eæ autem, quum Davidis tempore admodum ingentes eſſent, longe majores tamen ſub Salomone, qui huic ſucceſſit, fuerunt. Advexit enim ei tertius quiſque annus quæ in Oriente pretioſiſſima erant, & principum, qui prope habitabant, liberalitas potentiam augebat ſapientiſſimi regis. Quare Flavius Joſephus rotundo ore illud effatur, quod ſæpe mirati fuimus, ὅτι τοῦ ἀργυρίου τοσοῦτον ἐποίησε πλῆθος ἐν Ἱεροσολύμοις ὁ βασιλεὺς, ὅσον ἦν καὶ λίθων, *effeciſſe regem, uti tantum pecuniæ in urbe Jeroſolyma eſſet, quantum erat lapidum*. Quæ profecto ejuſmodi ſunt, ut jam veniſſe ad ſummum fortunæ rex ille videretur. Non ſinit nos incepti lex pluribus hæc exequi. Redeundum enim ad illos Judæos eſt, quos ſub exteris regibus vixiſſe diximus. Horum porro non unum genus fuit, neque de omnibus ſimiliter exiſtimandum eſt. Nam Babylonienſes quidem nihil præter jus faſque fecere, cum extra terram ſanctam habitarent, idque ſingulare privilegium fuit, de quo ante diximus. At vero qui ante tranſportationem gentis Judaicæ, aut poſt eam Palæſtinorum ſedes reliquere, ut alias terras, quæ in vicino erant, eorum infamia poſteris tradita eſt, judicatumque ab omnibus fuit, eſſe eos terræ ſanctæ contemtores. Recitant Talmudici ſeveriſſima Numinis edicta, queis cautum fuit, ne Judæus quiſpiam migrandi libidine patrium ſolum verteret. Eſtque eorum ſcitum quoddam hujuſmodi, כל הדר בחוצה לארץ כאילו עובד עכום׳ : *Qui peregre extra terram ſanctam degit, velut ſyderum planetarumque cultor habendus eſt*. Atque ejus rei fidem faciunt ex dicto Davidis ad Saulem, quod ita relatum a Samuele eſt : *Si te homines incitaverunt contra me, maledicti ſint coram Jehova, quippe expellunt me hodie, ne pars mihi ſit in ea terra, quæ hæreditas Jehovæ eſt, dicuntque, Abi cole deos alienos*. Una modo cauſa fuit, quæ migrantes gravi culpa liberaret. Ea autem vis major erat : cujuſmodi eſt fames, ſterilitateſque, atque alia id genus, quæ in iram Numinis, velut ultima malorum, vertunt. Non prætereundum eſt, quod in Halacha Melachim, in capite quinto, eruditiſſimus Maimonides prodit. Etenim poſtquam quoſdam hujuſmodi atroces caſus expoſuit, ob quos Judæis fas interdum fuerit domicilia in exteris regnis ponere, ſolam Ægyptum excipit, [3] quam ne quis habitandi animo adiret, tribus interdictis vetitum eſſe a Numine ait. Nulla neceſſitas, neque occaſio aut cauſa ulla excuſare quemquam potuit. Supervacuum foret teſtimonia recitare penes autorem fides eſto. Rationem quidem ipſe adfert, quæ in promtu maxime fuit, מפני שמעשיה מקולקלים יותר מכל הארצות *quoniam facta ejus gentis deteriora, quam aliarum gentium, ſunt*. Addit Rabbi Maimonides, quod ſingulare eſt, שאלכסנדריאה בכלל האיסור *etiam Alexandriam ſumma interdicti eſſe comprehenſam*. Enimvero quoniam Ægyptienſium Judæorum nobiliſſimi florentiſſimique erant, qui Alexandriam [14] incolebant, merito hos quoque in ordinem cum cæteris cogit eruditiſſimus ſcriptor, pariter enim contra legis præſcriptum fecerant. Hi autem illi ſunt, quos Alexandri humanitas volentes & ſponte procul ab Hieroſolyma abduxit, & cum parte Macedonum in ea urbe locavit, quam de nomine ſuo condebat rex ille. Mox etiam ingens turba illuc per Syriæ motus [15] exundavit, ac tandem non pauciores Ptolemæum Lagi filium comitati ſunt, [16] inter quos ſummus quoque Pontifex Ezechias fuit. Ita per omnem Ægyptum late ſedes ſuas poſuere. Venerunt quidem illi Hieroſolymam quotannis, aut mittebant eo quoſdam ad ſolennia feſta : ſed in contemtu apud Palæſtinos erant, & deſertores habiti ſunt. Utique donaria, quæ in uſum templi & ſacrorum afferebant, magna ac pene immenſa erant. Sed tamen efficere eas res non potuit, uti communes cum illis habere ſynagogas cæteri vellent. Auxit odii cauſas patriæ linguæ neglectus, quam plerique ne intelligebant quidem. Quare Helleniſtæ [17] dicti ſunt, tam qui Ægyptum incolebant, quam qui ab illis profecti, Græciam & vicina tenuere, quippe propagati ab Ægyptiis ferme cæteri erant. Horum nihil dici de Babylonienſibus poteſt, quos Palæſtini, tanquam fratres germanos, atque uti incorruptam majorum ſuorum ſobolem ſummo in honore habuerunt. Quanquam tamen illud hercle

omnino

omnino in omnibus Judæis, qui extra Palæſtinam habitarunt, peræque laudandum eſt, quod patria inſtituta religioſiſſime ſemper ſervaverunt inter prophanas gentes. Non enim Babylonienſium propria hæc gloria eſt, ſed communis ea etiam illis fuit, qui Ægyptum jam tum ab Alexandri temporibus incoluere. Et mox vero ii ipſi, qui per Romanum orbem variis locis ſub Cæſarum imperio vivebant, in quadam accurata obſervatione earum legum, quas divinus Moſes præſcripſerat, perſtiterunt. Quod profecto haud difficile illis fuit, quoniam benigne, leniterque, atque honorifice habiti ab iis ſunt, quorum recepti ſedibus fuerunt. Cæterum poſt templi urbiſque everſionem deterior longe conditio eorum apud exteros fuit, & privilegia eorum ubique multifariam imminuta ſunt. Utique conſtitutiones imperatoriæ *in iis ſolis ſine moleſtia eos eſſe juſſere, per quæ cultus eorum iniquinari videretur*, *l. 15. §. 6. ff. de Excuſat.* Cautum vero fuit, ne ſynagogas novas exſtruere, aut cruces in celebri feſto Purim exurere ad pœnæ quondam recordationem poſſent, *l. ult. C. de Jud. & Cœl. l. 11. C. eod.* Denique addita ſanctio quoque eſt, *ne morem ſuum in conjunctionibus retinerent, neve juxta legem ſuam nuptias ſortirentur, aut in diverſa ſub uno tempore conjugia convenirent*, *l. 7. Cod. eod.* Atque ex hoc poſtremo colligitur hercle, licuiſſe illis per legem antea plures ſimul fœminas in matrimonio habere, quod nos ſupra diximus, cum de Pontifice maximo ageremus, cui ſoli hoc interdictum fuiſſe Talmudici ajunt, quod cæteris jura permittebant. Sane cum * Davidem regem ſummus Deus Nathanis voce affatur, eſſe illi datas a ſe ait Saulis conjuges. Et in Levitici capite XVIII. edictum Numinis exſtat, quo Judæi duas ſorores eodem tempore habere uxores vetantur, non ob aliam cauſam profecto, quam quod ardentiſſima eſſe inter has æmulatio in tali conjunctione ſolet; cum cæteræ omnino, quæ ea conſanguinitate non ſunt, æquiore animo ſub eodem marito ætatem una agant. Scimus equidem primis humani generis parentibus jus plane contrarium fuiſſe latum, quod reduxit tandem, & ex integro nobis ſanxit Deus Dominuſque noſter Meſſias: certum tamen eſt Judæorum eam in republ. Moſaica libertatem ex legis permiſſu fuiſſe. Atque hunc quidem morem vetuſtiſſimum uſitatiſſimumque Judæi ii, qui nondum Meſſiæ reverentiam ſuſceperant, diu ſub principibus Romanis coluerunt: donec tandem Theodoſius, Arcadiuſque, & Honorius nihil diſcrepare hac re a Romanis eos voluerunt, qua tempeſtate etiam pleraque alia, quæ obſervata illis fuerant, exoleverunt. Jus quidem ipſum, quo deinceps uſi ſunt, commune cum Romanis fuit: *adibantque ſolenni more judicia, cunctaſque Romanis legibus conferebant & excipiebant actiones, in his cauſis, quæ tam ad ſuperſtitionem eorum, quam ad forum & leges ac jura pertinerent* *l. 8. C. de Jud. & Cœl.* Quare obruta tunc ſepultaque eorum libertas fuit, vix ut umbra ejus ſupereſſet. Nam quod *communi pactione ad ſimilitudinem arbitrorum litigare apud populares ſuos, & ſortiri eorum judicium jure publico poterant*, *d. l. 8. C. eod.* ſane id oppido exile eſt, quippe & *in civili duntaxat negotio* factum id fuit, & eorum ſententiam judices quidem, ſed Romani, exequebantur, *d. l. 8.* In ipſis tamen avitis ſedibus illorum paulo plus privilegii fuiſſe conceſſum videtur. Etenim *in l. 17. C. eod.* imperatores Theodoſius & Valentinianus quoſdam Judæorum primates fuiſſe ſignificant, *qui in utriuſque Palæſtinæ ſynedriis dominabantur*. Sed eorum poteſtatem juriſdictionemque pene in rebus nihili fuiſſe ſitam arbitramur.

* *In lib. 2. Sam. cap. 12.*

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

[1] *Primatum quendam Alexandrini*) Multas proſeuchas Judæos *Alexandriæ* habuiſſe docet *Philo de legat. ad Caj. fol. m.* 1011. ſeq. quin & Principem *Ethnarcham* Judæis Alexandriæ eligere eique parere conceſſum erat conf. D. *Wagenſeilius* Princeps facile harum literarum in libr. quem inſcripſit *Tela ign. Satan.* in confutat. *Carmin.* R. *Lipman. pag.* 374. 375. 376. ubi fuſe egit. Conf. Celeb. *Campegi Vitringa de Synagoga veter. pag. m.* 256. *lib.* 1. *part.* 1. *edit. Franequer.* 1696.

[2] *Ptolomæus Lagi filius*) *Ptolomæus Lagi*, *Soter* dictus, Judæos fraude circumvenit, ſubque ſpecie amicitiæ Hieroſolymas die Sabbathi occupavit. vid. *Schud. lib.* 1. *c.* 2. *pag.* 128. *ſeq.* perſpecta vero Judæorum fide & conſtantia amicior ipſis factus, loca munitiſſima & caſtella fidei ipſorum & tutelæ commiſit, pari cum Macedonibus jure gaudere & jurejurando, ut nepotibus ſuis ſocietatem cuſtodirent promittere eos juſſit, unde, præter vi *Hieroſolymis* ab ipſo abductos, non pauci in *Ægyptum* migrarunt, opulentia regionis & munificentia *Ptolomæi* invitati *Joſeph. lib.* XII. *Antiq. Jud. c.* 1. Conf. Celeb. *Wagenſeil. in Tel. ign. Satan. pag. m.* 375. *ubi plura*. De qua re tamen dubitat Anglus *Humfred Hody pag.* 225. *edit. Oxon.*

[3] *Ut leges eorum*) Hic *Ptolomæus Philadelphus* legem Judæorum, ſi *Joſepho* fides habenda per LXXII. Judæos doctiſſimos ab Eleazaro Pontifice ſummo ipſi miſſos Græce transferri curavit, quæ verſio LXX. vocari ſolet. De hac videantur *Joſeph. lib.* XII. *Antiq. Jud. c.* 2. *Hottinger. Theſaur. Philol. l.* 1. *c.* 3. *Sect.* 3. *pag.* 278. *Pfeiffer. Critic. S. c.* XI. *pag.* 320. *Calov. in Critic. S. part.* 1. *pag.* 693. *Kortholt. tr. de variis Script. Edition. cap.* V. *pag.* 46. Jul. *Bartoloccius in Bibliothec. magn. Rabbinica fol.* 437. D. *Joh. Muller. Judaiſm. detect. proleg. pag.* 83. *Robert. Deniſon diſquiſit. Critic. c.* XV. *pag.* 108. *Leuſden. Philol. Hebr. Mixt. diſſ.* 16. *pag.* 181. *Joh. a Woweren de* LXX. *Interpret. in octavo*. *Chriſtian. Schotan. diatrib. de Authorit. verſ. Græc.* LXX. *Interpr. &* qui

qui Judæorum de hac versione sententias collegit Joseph. de Voisin in Observat. ad Raym. Martin. pug. fidei ad proœm. fol. m. 140. Quid autem de hac versione LXX. sentiendum *Drusius lib. 6. Observat. c. 9. pag.* 132. ita scribens: Translatio ea, quæ vulgo apud Græcos habetur, quin LXX. Interpretum non sit, nemini hodie dubium esse arbitror. Nam si nihil aliud, innumeri in ea loci sunt, qui arguunt magnam imperitiam sermonis Hebraici. Confer Angl. *Humfred. Hody contra hist. Arist. de* LXX. *Interpret. edit. Oxon.* 1685. *Johann. Croi observat. in N. T. c.* 33. *edit. Genev.*

4 *Philometor & Cleopatra*) De his *Joseph. lib.* 2. *contra Apion.* Philometor autem Ptolomæus & ejus uxor Cleopatra omne regnum commisere Judæis, & Duces totius fuere militiæ *Onias* & *Dositheus*. Vid. D. *Wagenseil. tel. ign. Satan. pag. m.* 376.

5 *Templum quoque*) Et ne quid Judæorum in Ægypto gloriæ deesset, *Onias*, filius *Oniæ* pii, Pontificis summi, tempore Antiochi Epiphanis in Ægyptum fugiens, indultu Ptolomæi Philometoris magnificum ibi in urbe Heliopoli exstruxit templum ad imitationem Hierosolymitani, in quo idem etiam cultus sacrificiis ac ceremoniis reliquis Deo exhibebatur. Confer *Joseph. lib.* XIII. *Antiq. Jud. c.* IV. & *l.* VII. *de B. J. c.* 30. *Franz. Schol. Sacrif. disp.* 7. §. 96. *Glass. Philol. S. in præf. ad Rhetor. S. lit. c.* 2. *Onias*, veniam a rege petens exstruendi templum, in sententiam suam trahebat verba, quæ *Esaias* de regno Christi & de conversione Ægyptiorum prædixerat. *Esa.* XIX. 18. 19. 20. Si Canticum ejus velles, sic se habet citante Anglo *Humfredo Hody contra histor.* LXX. *cap.* XVII. *pag. m.* 256. *edit. Oxon.* 1685.

Septuaginta duos sapientes parte remota
Imperat Hebraica transferre volumina tota
Nec voluit minimum prorsus abesset jota
Dum quasi legista Philadelphus transtulit ista
Instituit Templum Templi Salomonis ad instar
Ut quasi lege Dei sacrificaret ei
Vasa Dei, mensamque Dei variosque decores
Judaico more simili fabrificavit honore,
Cultum consimilem semper habere volens
Aurea gemmifera mensæ fuit inclyta forma
Vasaque gemmarum species miranda peronnat
Ut lux in tenebris aurea mensa fuit
Urbs Pharaonis erat quondam cognomine Memphis
Qua dedit hoc templum Domino Sother Philadelphus
Hanc sub Pompejo post cecidisse lego.

Rationes cur hoc templum ab Onia fuerit exstructum, vide apud Joseph. lib. VII. de B. J. c. 30. & lib. XIII. Antiq. Jud. c. IV.

6 *Trecentos ac quadraginta*) Anni a condito hoc templo usque ad ejus vastationem trecenti triginta & tres effluxerunt, cum enim Judæi in Ægypto tumultum excitarent, *Lupus*, Alexandriæ Præses ab Imperatore Vespasiano jussus est Oniæ templum destruere, qui ereptis ex eo quibusdam pretiosis, illud clausit. Joseph. c. l.

7 *Amor affectusque*) Hæc consuetudo pecuniam de Regionibus exteris Hierosolyma mittendi videtur originem traxisse tam ex pietate & affectu erga terram Canaan, quem Judæi τῆς διασπορᾶς nullo alio certiore argumento declarare potuerunt, quam ex statutis Scribarum, quibus Judæi in vicinis regionibus habitantes obligati sunt ad egestati pauperum terræ Canaan anno primo, quando arva terræ quiescebant, succurrendum, teste *Maim. Anjim. c.* VI. §. 5.

8 *Pecuniæ mittebantur*) Nam, quando Israelitæ inter Gentes commorabantur, nec integrum ipsis erat in exteris illis regionibus Leges de angulo, spicilegio, oblivione relictis, & decimis adeo exacte observare (non nescimus *Maimonidem* sic censere cum Talmudistis, quod Israelitæ quoque in Regionibus exteris, non quidem secundum literam Legis, at ex statuto Sapientum, ad hæc dona pauperibus præstanda fuerint obligati; imo decimas in terra *Ægypti*, *Ammon* & *Moab* anno Sabbathico esse separatas in usum pauperum terræ Canaan; in Babylone vero solas decimas secundas.) Hanc consuetudinem pecuniam mittendi antiquitus receptam fuisse, liquet ex *Hieronymo*, qui illius claram mentionem facit in *disputat. advers. Vigilantium*. Culpaverat nimirum *Vigilantius* morem transmittendi pecuniam in terram Canaan. In promtu erat Hieronymo in defensionem illius ritus producere exempla ævi Apostolici, quorum in *Actis* & *Epistol. Paulin.* reservata memoria est. Vid. *Vitring. de Synagog. Veter.*

9 *Neerdam & Nisibin*) Cl. *Guilielm. Schickard. orat. de Festo Purim* circa medium hæc retulit. Circa hoc ipsum tempus (Festum scil. Purim) alia quoque pecunia viritim a singulis colligitur, etiam junioribus, etiam tenuioribus nemine excepto, quam Lex Mosis exigit, nempe semi-Siclus ille annuus, qui olim templi Thesauris inferebatur, postea cum in Babylone exularent NISIBIN Mesopotamiæ urbem convehebatur, teste Josepho; inde Regum permissu Hierosolymas transmissus. Cum autem *Buxtorfius cap.* XXIX. *de Synagog. Jud. & Waser. de antiq. nummis lib.* 2. *cap.* VI. nihil habeant, in medio relinquimus. conf. *Schickard.* משפט המלך *pag. m.* 213.

10 *Davidem quidem gazas*) Videtur inquit *Schickardus* ipse pius Davides in hoc aliquid humani passus fuisse, dum prætextu collectarum pro futuro templo tantam vim opum congessit. Hæc *Schikardus*. Verum probabile in tanto viro pio non est, hanc divitiarum causam esse, meliorem recenset D. *Jacob. Schaller. in dissert.* 2. *de regno David. edit. Argentorat.* 1670. *pag. m.* 24. qui ex Oeconomia hos thesauros Davidem sibi comparasse asserit.

11 *Circumfluere opibus voluit*) Affirmat hoc Schickardus, quod in Sepulcro Davidis ingentes gazæ fuerint. Præter thesauros sceptrum aureum & coronam fuisse ex R. Benjamin. Tudelens. itiner. refert D. *Carpzovius in not. ad Schickard. p. m.* 210. sed ut fabulam Judaicam rejicit. Vid. *Geier de luctu c.* VI. §. 9. *p.* 120.

12 *Et loci religione tutæ*) Cum sepulcra inviolabilia sint, uti jura volunt; Hinc factum, ut ibidem veluti in templis thesauri reservarentur, quam consuetudinem etiam alii populi observarunt, uti pluribus ostendit *Christian. Frankenstein. dissert. de ærario popul. Romani*, ubi fuse de his egit.

13 *Solam Ægyptum excipit*) De hac re fuse egit D. *Carpzov.* in not. ad Schickardi משפט המלך pag. m. 194. 195. qui & ipsa Maimonidis verba adduxit, qui evolvatur.

14 *Alexandriam*) Videantur prælaudati *Carpzovii* annot. ad *lib. cit. pag.* 196. *edit. Lips.*

15 *Syriæ motus*) De hoc bello legatur *Humfred. Hody pag. m.* 211. 212. *edit. Oxon.*

16 *Comitati sunt*) *Hecathæus Abderites* cit. a *Joseph. lib.* I. *contr. Apion.* ita: Ptolomæus, inquit, post pugnam ad Gazam, potitus fuit locis Syriæ & adjacentibus: & multi homines, cognita Ptolomæi comitate & humanitate, cum eo in Ægyptum proficisci & sub ejus auspiciis vivere voluerunt; quorum unus etiam erat Ezechias Judæorum Pontifex, homo ætate annorum circiter 66. dignitate apud gentiles suos magnus & ingenio non bardus.

17 *Hellenistæ*) Hi qui fuerint, ostendit docte *Joh. Croii in observat. Sacr. in N. T. edit. Genev.* 1644. *cap.* 30. *pag. m.* 221. *seqq. cap.* 31. *seq. Suicer.* in Thesaur. N. T.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De lege, quam Judæis Moses scripsit. Opinio veterum quorundam de sabbatho confutata. De amne Sabbathico quæ Plinius, Rabbi Maimon, & Flavius Josephus retulere, excussa. Cur magis suibus, quam cæteris animantibus abstineant Judæi? Plutarchi rationes rejectæ. De Ægyptiorum morbis. Judæos non fuisse Bacchi cultores, contra quam Plutarchus & alii Romani scriptores senserunt.

INTER sacræ gentis præcipua honestamenta, Lex fuit, quæ a Mose scripta cunctarum gentium institutis legibusque major, certeque dignior est, quia Deum autorem habet. Ea autem quinque libros implet: est enim multiplex, & copiosa, ac sæpe repetita. Summa tamen ejus decem comprehensa capitibus est: quorum pars prior ad res divinas pertinet: posterior continet ea, quæ Marcus Tullius appellat hominum munia & officia. Omnis, qui Numini exhibetur, honos aut sensu aut cultu constat. Sensus est reverens & recta de Deo existimatio: de qua re plura dicere supervacaneum est, quoniam ea nunc spectamus maxime, quæ sunt historiæ affinia. Cultus est in cæremoniis ritibusque positus. Cæremoniarum unus in decalogo & simplex præcipitur modus, sabbathi solennitas, quæ a primo mundi ortu instituta, & a sanctis hominibus observata semper, novissime tandem, cum Lex ferebatur, sancita ex integro est. Causam sabbathi veram expressit Numinis vox in formula decalogi. Sed Judæi rationem hujus rei mysticam petunt ex illo celebri dicto Rabbi Eliæ, quod exstat in libris Talmudicis. Ille enim tribus illustribus periodis, quæ æquali spatio inter sese distarent, mundi tempora distinxit, ita ut expletis sex annorum millibus nova rerum facies, novusque ordo surgeret, & fessa jam pridem gens hominum, melioribus deinceps auspiciis capesseret beatam quandam quietem. Cornelius Tacitus sabbathi originem aliunde eruit. Saturno enim eum honorem ab Hebræis haberi existimat: *seu principia religionis*, inquit, *tradentibus Judæis, quos cum Saturno pulsos, & conditores gentis accepimus: seu, quod e septem syderibus, queis mortales reguntur, altissimo orbe, & præcipua potentia stella Saturni fertur: ac pleraque cœlestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant*. Neque hæc vero unus Tacitus dixit. Rabbi Aben-Ezra recitat sapientis cujusdam argutias, qui novem Legis capita totidem cœlestibus orbibus ex adverso locat; &, ne septimo die otium existimetur sine causa indictum, maligna ait esse Saturni & Martis sydera, quo enim die illa dominatum tenent, infeliciter cuncta tentari. Ego istum magistrum, quisquis fuit, inter discipulorum cathedras plorare jubeo. Nimium ingeniosus fuit, ubi nihil opus erat. At nos minorum gentium homunciones sumus, & ad obvia confugimus. Sabbathorum recta observatio posita fuit in dictorum omnium factorumque sanctitate, [1] atque in cultu divino, precibusque. Rabbi Aben-Ezra author est, tunc etiam oracula fuisse consulta. Sunamitidi quidem ait maritus, de Elisæo loquens, *Quid est, cur eum hodie adeas, cum nec calendæ sint, nec sabbathum?* Cæterum, ne rebus divinis profanæ miscerentur, cuncti eo die omittere sueta opera [2] jubebantur: qui aliter fecisset, capital admittebat. Enimvero id docebatur populus, haud esse in transcursu sacris operandum. Totam sese mens in contemplatione ponat necesse est, cum Deum, mentem purissimam, colit. Hoc nec Pythagoras, nec Numa ignoravit: & recte olim in Romanorum sacris a præcone solennibus verbis clamatum est, *Hoc age* [3]. At Judæi, quorum mos est omnia sanctissima instituta pervertere, multa ad Legis edictum adjecere, de quibus Moses nihil [4] definivit. Itaque sacratissimæ diei celebratio in anxiam superstitionem abiit, & interdum illis exitio fuit. Pergendum nunc ultra est. Sabbathi sacrum otium [5] videtur ipsa natura, optima rerum mater, approbavisse, si fidem Plinio habemus, qui in Judæa rivum quendam ait sabbathis omnibus siccari [6]. Sed ignoscat nobis Plinius. Nunquam hoc credere potui.

---- Sum paulo infirmior, unus
Multorum. ----

Quid tamen Romanum scriptorem deceperit, expediam. Judæi jam olim somniarunt, reliquas decem tribus Israelitarum captivas detineri prope fluvium, quem ipsi Sambationem [7] appellitant. Hunc per totam septimanam adeo rapidis vorticibus ferri ajunt, nemo ut transire possit: at sabbathis quiescere, & pedibus pervium esse: hancque pœnam Israelitis esse positam, ut, quo tempore undarum impetus constitit, sabbathi eos veneratio inhibeat, & movere vetet pedem. Ita ad libertatem via illis ante oculos posita est, sed uti pejus crucientur, vident enim eam, & visa ac relicta, inta-

intabescunt. Non potuit magis traducere se Plinius, quam cum tam futile Judæorum commentum arripuit tam avide. Pictoribus poetisque quidlibet audendi potestatem esse, Flaccus dixit. Recte hercle. Sed Judæos addi volo, qui non ex decoro, neque pudenter, sed sola animi libidine mentiuntur quæ dissona & ridicula sunt, hanc unam ob causam, ut mentiantur. Neque movet me, quod Rab. Moses Ben Maimon, quem merito laudibus in cœlo locavimus, fluvium hunc esse Gozan ait. Nos & illum delirasse asserimus, & una Josephum quoque in ordinem redigimus, qui in libro VII. ἁλώσεως, in capite XIII. quædam contraria quidem supradictis, sed tamen æque portentosa refert. Sane quidem Plinio non semel sic decipi ab aliis contigit. Pleraque enim, quæ in eodem capite memorat de fontibus, fluviisque, & de aquis, ejusdem levitatis sunt. Rerum incredibilium atque inusitatarum narrationem in Julio Obsequente, non in Plinio, summo historiarum scriptore, toleramus. Raro solitum modum egreditur natura. Miracula creduntur facilius, quam fiunt. Sed enimvero tenet plerosque amabilis insania, & favet sibi atque plaudit imprudens temeritas. Aniles ineptias tradimus in vicem accipimusque, non incauti hercle, sed scientes, & inter seria. De sabbatho diximus plus quam satis sit. Cætera persequi, quæ ad decalogum pertinent, non est patientiæ nostræ. Postquam leges duarum tabularum latæ fuerunt, in queis edictum inerat de sabbatho, data est exhinc Mosi fusior earundem legum interpretatio : addiditque Deus cæremonias ritusque : & quibus victimis sacrisque, ac quo modo coli vellet, populo significavit. Cujus rei causa haud in obscuro est. Non sufficiebat simplex Numinis cultus, qui decalogi sanctione jubebatur. Quippe facile se cuncti ad Ægyptiorum idola convertissent. Itaque plane opus fuit rebus multis externis, [8] quæ sensus quoque eorum in recta religione detinerent. Sane oppido difficile est mortalibus, Deum invisibilem solo animo colere. Nisi aliquid sit, quod oculi usurpent, nimium hercle cito incautis obrepit non intellecta impietas. Quanquam profecto etiam tum antea, primo seculo, sacrorum exstitisse quasdam sanctiones, cæremoniasque, certum est. Nam & animantium mundorum immundorumque [9] discrimen divinitus didicerat Noachus : & idem ille vesci sanguine vetabatur minaci interdictione. Sed lex, quæ a Mose lata est, magis accurate hæc cuncta suis finibus terminavit. Utique in capite undecimo Levitici, longa exstat numeratio earum animantium, quarum esu tactuve polluerentur Hebræi. Multa illic in censu impurorum posita sunt, non naturæ aut rationis dictamine, sed incerta Numinis voluntate. Itaque causas earum rerum exquirere, anceps est; nec ideo assequare. Quis nostrum tam arroganti fiducia est, uti se posse ea explicare omnia existimet, quæ posita vel in ipsorum hominum institutis sunt? Olim Lacedæmonum legibus vetabantur Ephori statim, ut magistratum inierant, barbæ alas pascere: & Solonis sanctio eum, qui seditionem & motus civicos quietus spectavisset, ignominia notabat. Non dubitat Plutarchus, quin utrumque optimo consilio factum ab illis sit; sed tamen, *mens*, inquit, *authorum ignoratur*. Et nos igitur idem in his contingere putemus, quæ summus legislator Deus jussit. Doceat me quispiam, cur edicto Numinis impuræ sint quadrupedes, quarum fissæ ungulæ non sunt? Nam cuniculos quidem leporesque inter cibos habere apud cunctas hercle nationes fas & jura sinunt, at solis Hebræis haud licitum est. Quoniam vero etiam de suibus in eodem Levitici capite exstat legis edictum, exspatiandum paulisper nobis est, quærendumque, cur hoc animal magis anxie vitaverint semper Judæi, quam cætera omnia, quorum odium pariter fugamque lex indixit? Memoratu digna sunt, quæ Plutarchus adfert. Suem enim Judæis haud sane inter res execrabiles haberi, sed summo in honore apud eos [10] esse autumat, quippe quam venerantur ut arationis magistram. Id eos primum in Ægypto didicisse ait, quippe illic agros nunquam aratro verti, sed, simulac Nilus post solitam exundationem in alveum se recepit, e vestigio sues ab incolis propelli in agros, ut uberem glebam rostro fodiant, & semina occulant terra, quare vomerem quoque Græcis ὕνιν dici, originatione optima. Et quid mirum, inquit, tam fœdum animal a superstitiosa gente coli, cum Ægyptii quoque felem, gryphem, crocodilum adorent? [11] Denique, si abominantur, scire causam se negat, cur invisissimam bestiarum interficere nemo audeat. Nam magos quidem, quibus a Zoroastre origo est, nihil pulchrius sibi, nihil gloriosius ducere, quam si multos occiderint mures aquaticos, quos religione quadam ridicule cuncti odere. Hæc confutare non magnus est labos. Quæcunque animantia Ægyptii coluere, ea tangere manibus nulla religio illos vetuit. Porrum & cæpe morsu frangere, nefas ingens erat. Et Flaccus jocose, tanquam de impia cæde, dixit;

---- *Si porrum & cæpe trucidas.*

Alius quispiam etiam indignatur & clamat,

O san-

O ſanctæ gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

Et tamen hos ipſos deos manibus ſuis e terra eximebant, recondebantque in cellis armariiſque ad alios uſus vitæ neceſſarios. At Judæi porcorum vel ſolo tactu polluebantur. Quod neutiquam ita eſſet, ſi ſuperſtitionis cauſa fuiſſet ex cultu & veneratione. Hinc porro, cum attingere haud dignarentur, etiam occidere nolebant. Itaque de nihilo eſt, quidquid ait Plutarchus [12]. Neque pluris æſtimari debet, quod Petronius venuſtiſſimo epigrammate luſit,

Judæus, licet & porcinum numen adoret,
Et cœli ſummas advocet auriculas, &c.

Sunt hæc ex communi Romanorum errore, in quorum animis hæc opinio inſederat. Simul & nos ſententiam mutamus, qui Petronii verba ſic emendanda cenſuimus quondam,

---- *Et porcinum nomen abhorret.*

Male divinavimus. Quod ſi tamen ita dixiſſet, tum vero demum recte dixiſſet: nunc, quia aliter dixit, hariolatus eſt. Sed libet nobis, potius erraviſſe Petronium, quam nos feliciter conjeciſſe. Enimvero optima ratione tunc permoti, eam comminiſcebamur emendationem, quam nunc ſpernimus. Ita enim res habet. Judæi ipſum nomen hujus animantis inter res ſcævas [13] & mali ominis numerant. Quoties enim loquuntur de illo, non nominant illud, ſed recepto quodam more, uti malam ſcævam avertant, patrio ſermone דבר אחר ajunt. Romani id feliciter exprimere nequeunt. Nam ſi dixeris, *Res alia*, verbum quidem verbo reddes; ſed ſenſum dicti non aſſequeris. At Græce eſſet, πρᾶγμα ἀλλόκοτον, ſane perquam ſignificanter. Cæterum, ob eandem cauſam etiam in feſto paſchatis ſollicite cavent, ne vocem לחם *panis*, inter loquendum uſurpent. Ita enim exiſtimant, piaculum immane eum admiſiſſe, qui per eos dies in cauſa fuerit, uti alter quiſquam de fermento vel leviter cogitet. Sed quid ceſſamus cauſam adferre, cur præ cæteris animantibus hoc unum fugiant Judæi? Fuit olim populus Iſraeliticus mire obnoxius iis morbis, qui Syros ut plurimum atque Ægyptios infeſtabant. Vitiligines enim, pſoraſque, & tetra ulcera jam olim illis gentibus, velut proprias peſtes, adſcripſere ſummi medicorum. Hos autem, & ſimiles pene morbos uno nomine complexus Moſes eſt, & lepram vocavit. Porro in ſuibus ſcabies & immundities, non vitium, ſed natura eſt. Quare ne ad corporum pravam affectionem contagio quoque [14] accederet, aliqua ex eſu contactuve, paulo ſuperſtitioſius averſati ſuem ſunt, quam aut lex Numinis fortaſſe juſſerat, aut poſitum in gentium aliarum inſtitutis erat. Quanquam, qui potuit nimis cauta eorum hominum videri formido, ſiquidem nullum vitium æque, ut lepram, execrata lex ſit? Referuntur in Levitico ſevera Dei edicta de lepra non hominum modo, ſed veſtium quoque & domorum. Cujuſmodi autem id vitium in rebus fuerit inanimatis, Syri fortaſſe & Ægyptii tunc intellexerunt: nos hercle ignoramus. Et Plutarchus quidem, poſtquam multa ſuper Judæorum ſuperſtitione conjectavit, diverſiſſima pleraque, & quædam contraria, in hoc uno hallucinatus non eſt, quod poſtremo de lepra diximus ex illius ſententia. Cætera, quæ de Baccho, qui fuerit idem cum Adonide, tum quæ de interfectore ejus apro addidit, non ſunt nauci. Quemadmodum & illud ſpernimus, quod Hebræorum ſacris myſteriiſque coli ipſum illum Bacchum, [15] temulentiſſimum numen, exiſtimet. Nam & per feſtos quoſdam dies, inquit, ſub tabernaculis deſident, eaque palmitibus atque hederis inumbrant: & eſt tempus, cum ramos ac thyrſos geſtant. Accedit tubarum clangor, inquit & ſabbathi celebritas, quæ poſt ſeptimum quemque diem redit, appellationem a Liberi ſacris habet. Sabi enim vox in orgiis paſſim auditur. Tum & ſabbathis bibunt largiter: & Pontifex maximus feſtis diebus cum mitra cothurniſque, & hinnuli pelle, ac veſte ad talos demiſſa incedit, pendentque in ora tunicæ tintinnabula: in ſacrificiis quoque æra pulſantur, & mellis uſus in illis nullus eſt: cumque multa pœnarum genera apud illos ſint, hæc maxime probroſa cenſetur, cum interdicitur damnatis vino. Hæc non unius Plutarchi, ſed aliorum quoque fuit ſententia, quam improbavit tamen Cornelius Tacitus. Nos eam ſummatim retulimus, non quo confutaremus operoſe ſingula, ſed uti palam eſſet, quam ingenioſe pagani Judaicam traduxerint religionem. Alia enim ex illis omnino falſa ſunt: quædam vera, ſed in deterrimam partem accepta ab homine ſane eruditiſſimo, ſed qui cauſas ignoravit primi cujuſque inſtituti. Cur enim aut tabernaculorum feſtum juſſerit celebrari Deus, aut mel & ceram arcuerit a ſacris ſuis, aut κώδωνας καὶ ῥοΐσκους, * eſſe in Pontificis fimbriis voluerit, juſta ratio fuit, quam Græcus ſcriptor quæſivit for-

* Id eſt, *tintinnabula, & corymbos aureos, qui Punicis malis ſimiles erant.*

fortasse, sed assecutus non est. Nam quod sabbathis potant Judæi, atque helluantur, vitium ipsorum est, qui labente seculo rem sanctissimam infamavere: atque id crebro in sacris voluminibus illi genti exprobrant divini vates. Non potuit Judæos magis invisos cunctis facere Plutarchus, quam cum edita in vulgus hæc opinio est, esse eos Bacchi cultores. Apud Titum Livium, cum senatus decrevisset quæstionem de Bacchi sacris, Marcus Cato, vir gravissimus, cui ea res extra ordinem mandata erat, ad populum in hæc verba loquitur: *Nunquam tantum malum in republica fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quidquid his annis libidine, quidquid fraude, quidquid scelere peccatum est, ex illo uno sacrario scitote ortum esse.*

NOTÆ AD CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

[1] *Dictorum factorumque sanctitate*) Author noster ex Aben-Ezra refert, quomodo a Judæis Sabbathum fuerit celebratum (1) *dictorum sanctitate*. Nam Sabbathum non alio fine datum putant, quam ut in illo discant legem. Lectionis legis in Sabbatho indicium habemus in histor. Regum, cum maritus illius fœminæ, cujus filium Propheta *Elisa* excitavit diceret 2. *Reg.* IV. 23. --- *nec sabbathum?* & antiquissimi Magistri eam consuetudinem a Mose derivant, cui Deus præceperit *Exod.* XXXV. 1. magnos cœtus instituere, & explicare coram ipsis in multitudine Sabbathi ritus, ut sequentes generationes ab ipso discerent cœtus congregare בכל שבת ושבת singulis Sabbathis, & scholas ingredi ad docendum legem Israelem. Ex quibus patet, Judæos die Sabbathi tantum sacra dicta ex lege recitasse & dixisse, uti etiam *Henric. Ainsworth. Commentar. ad Exod.* XX. 8. *to have holy convocations or assemblies of the Church in them to pray, to reade and expound the Scriptures to dispute of matter of religion, to talke and meditate on Gods word.* (2) *Factorum*, ut scil. in eo nil nisi opera misericordiæ faciant, & exhibeant eis, qui in miseria constituti sunt. Imo in memoriam sibi revocent Judæi facta sancta, scil. *creationem mundi, liberationem ex Ægypto, electionem in populum præ aliis*. (3) Addit autor noster cultum externum, qui consistebat in sacrificiis offerendis & precibus fundendis. Quem ritum sequuntur hodie Christiani, uti prolixe D. *Conrad. Heresbachius in sua Christiana Jurisprudentia* explicat multis paginis.

[2] *Omittere cuncti sueta opera*) Præceptum exstat *Exod.* xx. vers. 10. Ubi Deus ipse prohibet, ne quoddam opus agatur in eo, nempe quod nostrum est & ad naturalem vitam pertinet. Nomine operum autem comprehenduntur emtio, venditio mercium vel victualium Nehem. XIII. 16. 17. onerum portatio. *Jerem.* XVII. 22. conditura cadaverum *Luc.* XXII. 55. 56. & quæ alia sunt a docto *Ainsworthio fol.* 74. recensita, ubi simul superstitiosas Judæorum observationes & traditiones observat. Conferatur de his Excell. *Danzii dissert. doctissima Philol. de Christi curatione Sabbathica edit. Jenens. Anno* CIↃ. IↃCC. IC. Videatur quoque de superstitiosis traditionibus *Lexic. Philol. Rabbin. Joh. Henric. Othon. pag. m.* 524. 525. 526. *edit. Genev.* Obligat etiam hoc præceptum Christianos, ut die Dominica opera servilia omittant. Non autem otio ac voluptatibus indulgendum. Sic rescripserunt caveruntque *Impp. d. l.* 2. 3. *& ult. C. de fer.* Abstinendum ab omnibus voluptatum fruitionibus, a ludis, conviviis, choræis, saltationibus, spectaculis atque adeo ab occupatione otioque profano, ab exactionibus, in jus vocationibus, apparitionibus, advocationibus &c. ac breviter ab omni opere profano & civili festis diebus temperandum. Hinc addita ab Impp. pœna eorum, qui diem Dominicam spectaculis, conviviis & aliis avocamentis profanant, nempe amissio militiæ & proscriptio patrimonii *d. l. ult.* imo excommunicandos *Concil. Carthag.* 4. statuit eos spectaculis vacantes. Objiciat aliquis: Ergo necessitatis & charitatis opera quoque sunt omittenda; Nequaquam. Opera dilectionis & officia pietatis sabbatho præstare licet. *Machabæi* non violarunt sabbathum pugnando & populum defendendo. 2. *Machab.* xv. Opera dilectionis præferenda ceremoniis. Sabbathum enim & festa charitati servire debent, ut quæ propter hominem instituta, non contra homo propter Sabbathum. Unde & Leges & Canones permittunt etiam Dominicis diebus atque aliis festis rei necessariæ & periclitanti aut perituræ succurrere. *Constantin. Imper.* permittit agricolis ut agrorum curæ inserviant, quia sæpe fit, ut necessitas postulet vel agrum colere vel fruges conservare, ne uno nocumento pereat cœlesti provisione concessum *l.* 3. *C. de fer. Alexand. in c. licet extra de fer.* Ad hæc labor in re honesta profano otio præferendus, nam *ἡ ἀργία τῆς κακουργίας ἀρχή*. *Scævola* consultus, quid feriis agere liceret, respondit, quæ prætermissa nocent. Neque enim is ferias violat, qui fractam tecti trabem vindicat, aut si bos in foveam aut specum incidisset, eumque pater familias adhibitis operis liberasset, non videtur ferias polluisse. Ignavis, ut dicitur, semper feriæ. Et revera comperimus, populum festis diebus, cum piis operibus vacare deberent, plus quam profestis indulgere voluptati ac vitiis, proinde absolutis sacris & a meridie ad labores reverti potius expediret, quam ignavo & flagitioso otio vacare. * Sic videntur veteres orthodoxi sensisse. Meridie, inquit *Chrysostom.* nostra solvuntur festa. Testantur & leges civiles *L. omnes judices C. eodem.* Poeta, quippe etiam, inquit, festis quædam exercere diebus fas & jura sinunt. Absolutis sacris licet agricolam fundum circumire, munire, ut Cato præcipit, dispicere sicubi segetes incommodum acceperint, contemplari greges ac Deo pro beneficiis tam corporalibus quam spiritualibus gratias agere, qui facit germinare herbam servituti hominum. *Psal.* 104. 14. precari, ut qui voluerit hominem terram exercere & in sudore vultus sui victum quærere, ne sinat ea, quæ laboribus parata & divina benedictione incrementum acceperint, calamitose perire. Hæc haud dubie opera Deo gratiora, quam in tabernis potare, aut aliis vanis negotiis occupari. Atque hæc de feriis in honorem Dei institutis. Sunt & aliæ feriæ civiles, quales sunt rusticæ, quæ propter rem rusticam conceduntur ex legibus civilibus, quales sunt *messium* & *vindemiæ l.* 1. *ff. eod. l. si in aliquam ff. de off. Proconf.* Non enim omnibus locis fructus eodem tempore maturescunt. Idem Repentinæ quæ subita occasione indicuntur *L. sed etsi §. si feriæ ff.* ex *quib. causs. maj.* Et imperativæ, quæ extra ordinem indicuntur *d. l. sed etsi.* conf. cl. *Johan. Jacob. Syrbii dissert. de Sabbat. Gentil. edit. Jenens. pag.* 12. ubi ex Gentilium Scriptis adduxit, quæ hanc sententiam confirmant.

3 Hoc

* Quam falsa, & inania sint ea quæ adnotata hic profert circa diei Festi observationem aperte constat ex ipsa Ecclesiæ vetusta disciplina. *Eusebius in sua Ecclesiastica Historia*, atque *in vita Constantini lib.* 4. *cap.* 8. & etiam de *laudibus Constantini* tradit ab ipso piissimo Imperatore diem Dominicum, & sextam feriam constitutam, ut fideles ab omni opere cessarent. *Chrisostomum* pofert *Nicolai* tanquam suæ doctrinæ fautorem, ubi vero hæc *Chrisostomus* dicat non indicat, unde videtur ex proprio cerebro hæc confixisse.

3 *Hoc age*) Hoc sermone a *Numa* ortum trahente, admonebatur victimarius, attentus jam esset, & alacriter feriret, circa quam formulam viros in re literaria pervigiles oscitasse complures videmus, qui apud *Saubertum in tract. de Sacrificiis cap.* XIX. *pag. m.* 461. videndi. Volunt autem hæc verba, quod in Sacrificiis Diis offerendis sint attenti, nec ullum opus interponant, neque quantumvis necessarium negotium.

4 *De quibus Moses nihil*) Variæ Judæorum sunt traditiones, quas Legis edicto adjecerunt, quas nervose adduxit celeb. *Danzius in dissert. de Christi curatione Sabbathica*. Ubi multa lectu & scitu necessaria erudite enucleata reperiuntur. Breviter autem illas recensebimus, ut sciant Lectores, quales fuerint. In Sabbatho non licet canalem frigidæ calidæ immittere. Non subjicere licet vas lucernæ ad oleum excipiendum. Camelus cum capistro, Camelus fœmina cum annulo, asinus Lydius cum fræno, equus cum catena, alia animalia cum suis retinaculis egredi possunt. Mulier exire non potest in Sabbatho, cum tæniis laneis & lineis, neque cum frontalibus aut genarum ornamentis, nisi assuta fuerint: neque cum corona, neque cum acu perforata, neque cum annulo in quo est sigillum: Exire tamen potest secundum sapientes cum globulo balsami, cum filis comæ, cum pipere & grano salis in ore, modo non indiderit primum in Sabbatho. Dentem vero sive aureum sive alius materiæ ori impositum Sabbatho ferre Sapientes vetant. Viro in Sabbatho egredi non licet cum soleis clavis ferreis plenis, neque cum lorica neque casside, neque cum gladio aut arcu, aut scuto aut lancea, mutilus exit cum fulcro suo, filii cum corrigiis alligatis, filii regum cum tintinnabulis. *Massech. Schabb. cap.* 1. . . . 6. Opera per quæ reus fit homo lapidationis atque excisionis, si ex præsumtione ea faciat, sacrificii autem pro peccato si ex ignorantia מהן אבות ומהן תולדות sunt vel primitiva vel derivativa (*Maim. Schabb. cap.* 8.) Ex *primitivis* enumerantur triginta novem, ex quibus sunt, *Arare*, *serere*, *metere*, *manipulos colligare*, *triturare*, *cribrare*, *commolere*, *pinsere* &c. *tondere oves*, lanam fingere &c. *Derivativa* vel species istorum generum sunt ea quæ ejusdem cum iis sunt classis & similitudinis. v. g. Fossio est ejusdem generis cum aratione; olerum in frustula dissectio ejusdem classis cum commolitione & spicarum avulsio ejusdem rationis cum messione. Hinc Maimon. Metens Sabbatho vel tantillum reus est, & vellere spicas est species messionis. Prolixi ergo sunt Judæi in recensione casuum, qui in Sabbatho licent vel non licent, quos longa serie recensuit *Excell. Danzius Profess. LL. OO. Jenens. famigeratissimus in dissert. de Curatione Christi Sabbathica*. confer. *Ainsworth. Comment. in Levit. Joh. Henric. Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 526. 527. *edit. Genev.*

5 *Sacrum otium*) Recte ex Scriptura discimus, Sabbathum a Deo datum, ut quiescerent ab operibus, quia in ipso quievit Deus *Gen.* 2. 2. 3. quam causam quoque ipse repetit *Exod.* 31. 16. 17. ubi Anglus *Ainsworth. fol. m.* 132. reddit, *Sabbatisme that is of cessation and rest a rest holy to the Lord*. confer. *Exod.* XVI. ℣. 23. & *Ainsworth. fol. m.* 61. Accessit etiam alius finis, nempe memoria liberationis ex servitute *Ægyptiaca*, unde Deus imperata *Sabbathi* quiete *Deut.* 5. 15. addit: *Et memineris te servum fuisse in terra Ægypti -- idcirco præcepit tibi Dominus Deus tuus ut observes diem Sabbathi*. Sanctum itaque hoc est otium, quod ipsi Deo placuit in memoriam finis laborum in Ægypto impositorum. Quam male autem hic gentiles culpent Judæos aut ex ignorantia, vel potius odio & calumniandi libidine, qui ita de Judæorum sacris judicant, quod otio indulserint. Ob Sabbathi quietem *Juvenalis Satyr.* 14. Judæos acriter exagitat ita canens:

> *Sed pater in causa cui septima quæque fuit lux*
> *Ignava & partem vitæ non attigit ullam.*

Et *Ovid. L.* 1. de arte amandi Judæorum Sabbatha vocat *rebus minus apta gerendis*. Et causam accersunt a Saturno, uti *Johann. Marsham Can. chron. ad sec.* IX. *pag. m.* 197. refert. *Saturni sydus*, inquit, *apud astrologos triste est & malevolum*, *ideo dies septimus ex eorum disciplina*, *ater habetur inauspicatus & rebus agendis inidoneus*. *Ejusmodi superstitionem docuerunt Orpheus* & *Hesiodus*. Quam & *Tacitus hist.* v. 4. 5. de Judæis agens respexisse videtur: Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit. —— Alii honorem cum Saturno haberi: seu quod e septem syderibus, queis mortales reguntur, altissimo orbe &c. Miramur merito *Roger Baconem* Christianum, qui suadere ausus Sabbathum Judæorum more celebrandum, quod segne ac tardum Saturni sydus parum sit felix ac idoneum rebus agendis. Atris autem & infaustis diebus a faciendis operibus temperatum apud Gentiles satis apertum est. vid. *Lucian. Pseudologist. tom.* III. *opp. p.* 610. *add. Sibrand. Siccam. de fast. Kalendar. Rom. c.* v. conf. *cl. Joh. Jacob. Syrb. dissert. de Sabbat. Gentil. ed. Jen. & M. Gottlieb Wernsdorff. exercit. de Gentil. Sabbat. edit. Witteb.* 1699. ubi plura lectu digna recensentur. Et contemtim *Rutilius Claud. lib.* 1. *itiner.*

> *Radix stultitiæ*, *cui frigida Sabbatha cordi*
> *Sed cor frigidius religione sua est.*
> *Septima quæque dies turpi damnata veterno*
> *Quamquam lassati*, *mollis imago*, *Dei*.

Quo ultimo versu homo profanus traducit causam quietis Sabbathi, quoniam Deus illo die quievit ab opere creationis, unde *lassatum Deum* per ludibrium & otium Judæorum, *mollem imaginem ejus*, vocat; Credi vero par est, inquit *Spencerus de leg. Hebr. ritual. l.* 1. *c.* 4. *s.* 8. *pag.* 43. Veritatem aliquam in Gentilium vulgus sparsam, ut fere fit, his verbis jocosis occasionem præbuisse. Nempe e Judæorum relatu forsan Gentibus innotuit, diem Sabbathi imaginem quandam Dei, a labore cessantis, & quasi requiem captantis gerere; eosque in Numinis illius honorem, & operis eo die peracti memoriam Sabbathum otio integrum consecrare. Atque inde *Rutilius* ad morem Poetarum, veritatem depravandi & in jocum vertendi ansam arripuisse videatur: quasi dies septimus Dei revera lassati imaginem ferret, & Judæi diem illum turpi veterno damnarent, ut vitam eorum ad Numinis sui otiosi exemplum instituerent. Confer. cl. *Wernsdorff. dissert. de Sabbat. Gentil. edit. Witteberg.* 1699. Tam sinistre judicat homo profanus, quasi vero illud, quod Deo ejusque cultui, quod quieti animæ & corporis impenditur, tempus perditum & otiosum sit, quo tamen nullum unquam melius collocari potest; Sed ignorantiæ hominis aliquid dandum. Interim non videmus, quomodo Gentiles quietem Judæis vitio dare potuerint, cum iidem ipsi observaverint, ac festis diebus quiescendum & ab omni opere & labore cessandum judicaverint, sic enim *Tibull. lib.* 2. *eleg.* 1. *circa init.*

> *Luce sacra requiescat humus*, *requiescat arator*
> *Et grave suspenso vomere cesset opus*.

Confer. cl. *Syrbii dissert. de Sabbath. Gentil. edit. Jen. pag. m.* 10. 11. Imo & opera quamplurima ad vitæ commodum spectantia, in feriis Gentilium erant vetita, quæ recenset *Columella lib.* 2. *de re rust. c.* 22.

6 *Sabbathis omnibus siccari*) Verba *Plinii*, quem noster citat, habentur *lib.* 31. *hist. natur. c.* 2. *In Judæa*, inquit, *rivus Sabbathis omnibus siccatur*, *quem fluvium Sabbathicum ob id vocant*, sex enim diebus continuis eum currere, septimo vero quiescere, vel ut *Plinius* siccari dicunt; Hinc *Josephi* locus *lib.* VII. *de bell. Judaic. cap.* XXIV. qui sex eum diebus quiescere, *Sabbatho* fluere tradit, corruptus videtur. Conf. *Nicol. Fuller lib.* 1. *Miscell. Sacr. c.* 9. quod & *Athanas. Kircher.* confirmat *lib.* 5. *Mund. Subterr. Sect.* 4. *c.* 4. *fol.* 285. *seq.* nixus fide *Dominici Magrii* testis ocularis, possuntque causæ hujus rei naturalis esse, de quibus consuli potest *Kircher.* l. c. ut & cl. *Beemann. in histor. Geograph. & civil. orb. Ter. pr.* 1. *c.* 3. §. 15. *pag.* 75. *seq.* ubi fere similia offenduntur exempla. conf. *Voet. Disp. Sel. T.* 3. *p.* 1278.

7 *Sambationem*) Recte Cunæus noster originem fabulæ hujus deducit a *Sambatione* fluvio, quem Judæi

dæi transgredi nou posse fabulantur. Fabulosa sunt & stolida, quæ Judæi de quodam fluvio Sambatione nugantur, scil. ultra eum decem tribus Israelitarum longe lateque dominari, impediri vero, quo minus transeant, religione diei Sabbathi non violandi, sex vero diebus hebdomadis ob fluvii rapiditatem, ingentia saxa, copiamque arenæ ingentem secum vehentis; sed Judæis *Excell. Dn. Ludolfus* non immerito objecit, cur Judæi nostri Legatos illuc non mittant, & fluvii naturam, transitum non nisi die Sabbathi permittentis, quo Judæis iter facere minime liceat, causantibus regessit, nihil obstare, quo minus Judæi quosdam ex suis variarum linguarum & regionum peritos ad ripam usque fluminis mitterent, assumtis pauperibus Christianis, quorum ministerio pro tabellariis uterentur, ut tempestuosum hoc flumen quieto Sabbathi tempore trajicerent, atque a contribulibus ipsorum literas illis referrent. Accedit & hoc, quod nautis superiori & nostro seculo totum terrarum orbem circumnavigantibus, nuspiam tale flumen aut regnum Judæorum inventum sit, nec ullibi sane, quam in *Thomæ Mori Utopia* vel in nuperrimo edito libro intitulato *Schlaraffen land* aut nugacissimo Judæorum cerebro reperietur, aut fortasse in amplissimo Cosaræorum regno æque fabuloso, de quo prolixe Judæorum ineptias exponit *Buxtorff. in præfat. in libr. Cosri.* conf. præ cæteris *Excell. Dn. Ludolfus* Fautor magnus *lib.* 1 *histor. Æthiop. c.* 8. *n.* 115. qui conjicit, figmentum ortum esse ex historia Judæorum in Africa in regno Habessinorum magno numero habitantium, qui vastas olim occupaverant regiones. Conf. *l. c. L.* 1. *cap.* 14. *n.* 42. *seq.* & *Comment.* ad *histor. Æthiop.* ad *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 68. ubi accurate in fabulæ originem inquirit. Videantur etiam ea, quæ habet *Joh. Henric. Otho in Lexico Rabbino-Philologico pag. m.* 523. *edit. Genev.*

[8] *Rebus multis externis*) Ut autem rectius hæc intelligantur, notandum, quod res illæ diversorum generum fuerint. (1) Ad hunc cultum spectarunt sacrificia varia, de quibus videantur *Outram. de Sacrific. Saubertus. Otho in Lexic. Rabbino-Philologic. & Ainsworth. Commentar. in Levitic.* (2) Sacra loca & tempora. (3) Sacramenta. (4) Observantiæ quædam in cibo & vestitu. De qua re consulendæ sunt annotat. ad *Zepper. de Legibus Mosaic.*

[9] *Mundorum immundorumque*) Discrimen mundorum & immundorum animalium cognoscitur ex *cap.* 7. *Genes.* ubi Deus distingui vult inter animalia munda & immunda. Hic Judæi fingunt πρόληψιν. Noe divino Spiritu imbutum providisse, quæ Moses pura vel impura sit vocaturus. Verum necessum non fuit, ut ista distinctione Noa prospiceret mundorum animalium propagationi. Nam octo fere secula inter Noam & Mosen intercesserunt, intra quod tempus animalia in immensum multiplicari potuerunt. Munda itaque appellavit Noa, quæ communi in usu fuerunt, & propterea etiam succedente tempore in arca etiam futura victimarum materia venerunt. Hinc bene Anglus Ainsworth. ad locum *Genes.* commentatur *fol. m.* 34. ita differens: *Of these cleane beasts were after by Moses law two sorts; some cleane for men to eate in common use, such us were all that parted, the hoose in two, and chewed the cudd. Levit.* XI. 3. *all other were uncleane. And some that were clean to sacrifice to God, which were either* beeves *or* sheepe *or* goats *&c. wherefore by cleane beasts here such oncly seeme to be meant, as were sanctified of God to sacrifice: which ordinances were revealed of God to the Fathers from the beginning as divers others after written by Moses.* Immunda quæ *Tacit. fœda* & *profana* vocat *hist.* IV. 60. 2. Qualia sunt dracones, crocodili, serpentes & animalia quæ carne vel rapto pascuntur, a quibus humanæ mensæ abhorrent. Vid. Heidegger. *lib. de esu sanguin. & suffocat. cap.* 3. ubi argumentum exerc. 12. vindicavit, qui Noa munda omnia ab immundis discernere potuerit? Probabile est, divinam ei opem succurrisse, per quam factum est, ut munda septena, immunda bina in arcam accurrerent.

[10] *Summo honore apud ipsos*) Gentilium nugatores *suum* venerationem & porcorum cultum Judæis tribuunt; unde *Petronius Arbiter* in Fragment. circa fin. *Judæus licet & porcinum Numen adoret*. Judicabant Gentiles de Judæis ex more Ægyptiorum, qui non comedebant animalia, quæ colebant, unde *Plutarch. lib.* 4. *Symposiac. quæst.* 5. *pag. m.* 555. *seq.* prolixa disputatione ventilat, utrum Judæi suem venerantes, aut potius aversantes, carne ejus abstineant? & pro veneratione concludit. *Callistratus eorum sermonem profligans, quomodo,* inquit, *vobis dictum videtur in Judæos, justissima eos carne abstinere. Præclare admodum, ajebat Polycrates, ego vero vehementer dubito, utrum Judæi in honorem porci, aut quod animal illud abominentur esu carnium suillarum sese abstineant. Nam quæ apud ipsos dicuntur, fabularum sunt similia, nisi fortasse habent serias quasdam rationes quas non efferunt. Ego itaque, ajebat* Callistratus, *arbitror id animal in aliquo apud istam gentem esse honore. Porcus deformis est, quid tum postea? est etiam fœdus: tamen cantharo, gryphe, crocodilo, sele turpior non est, aut natura ineptior, quorum alia ab aliis Ægyptiorum Sacerdotum sanctissimis coluntur. Quod autem Sui parcitur, isque in honore habetur, non caret ratione. Prima enim sus (ut ajunt) rostro terram findens, vestigium arationis impressit, ac vomeris opus submonstravit, quem hynin inde dictum, sunt qui putent. Jam Ægyptii, qui cavam & mollem incolunt regionem, omnino etiam aratri usum non admittunt; sed postquam Nilus eluvie sua solum rigavit, eum subsequentes sues in agros depellunt; Ea vero calcanda ac fodienda tellure celeriter eam alte subvertunt, semenque occulunt. Neque rapi in admirationem hoc debet, si sunt qui hac de causa suum esu abstinent, cum apud barbaros alia animalia in majore sint honore ob causas viliores aut etiam plane ridiculas.* Post hæc verba multa de sacris Ægyptiacis profert, quod nempe illi vilissima animalia ob levissimas causas divinis honoribus afficiant, subnectens: *Existimo autem Judæos, si abominarentur porcum, interfecturos eum fuisse, sicut mures necant magi. Nunc tam interficere, quam edere suem iis est religio. Et fortassis rationi hoc consentit, sicut asino suus est apud eos honos, qui fontem aquæ eis demonstravit, ita suem eos revereri, ut sationis & arationis magistram.* Et quæ alia sunt, quæ profert frivole Plutarchus. Verum non inter Judæos, sed Gentiles Plutarchus Porcorum patronos, & cultores quærere debuit; de *Cretensibus* enim Agathocles apud *Athenæum L.* 9. tradit, Suem apud *Cretenses* esse animal sacrum, quod omnes summa veneratione dignum censent; Sed sibi non constat *Plutarchus*, modo enim venerationi, modo aversioni ob metum lepræ suillæ carnis abstinentiam tribuit, cujus causam etiam *Tacitus lib.* 5. *hist. c.* 4. mentitur.

[11] *Felem, gryphem &c. adorent*) Non est inventa natio sub sole, quæ tam immaniter insanierit & quasi provocarit æstu & æstro superstitionis vicinos populos, qui maxime ab iis idololatrica sacra abstulerunt. Sane fuere illi præ aliis gentibus superstitiosissimi, ita ut animalia multa Deos posuerint teste *Lucano l.* 10. ℣. 159. *multas volucresque ferasque Ægyptii posuere Deos*. ita ut *Minuc. Fel. in Octav. pag. m.* 236. scribat: Ægyptia illa non numina, sed portenta juverunt: & pag. 262. seq. Nonne & Apim bovem cum Ægyptiis adoratis & pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, belluis ceteris & avibus & piscibus, quorum aliquem Deum si qui occiderit, etiam capite punitur. Serpentes coluisse Ægyptios circa Thebas ex *Phylarcho* testatur *Ælian. lib.* 17. *de animal. c.* 5. *lib.* 10. *c.* 31. conf. Cic. *lib.* 5. *Tuscul. quæst. Crocodilos. Strabo* lib. 17. conf. Herod. *in Euterp. Cic. lib.* 1. *de nat. Deor. & lib.* 5. *Tuscul. quæst. Diodor. Sicul. lib.* 1. *Biblioth. histor. Plutarch. Sympos. lib.* 4. *quæst.* 5. *Juvenal. Satyr.* 15. Plura qui de his legere desiderat evolvat *Joh. Cunrad. Dieter. Antiquitat. Sacr. fol. m.* 138. *Ouzel. in not. ad Minuc. Felic. a pag.* 263. usque 277. *edit. Lugd. Bat.* 1672.

[12] *Quicquid ait Plutarchus*) Turpiter hic hallucinatur *Plutarchus* asserens, Judæis in honore fuisse porcum: verba *Plutarchi sunt l.* 4. *quæst.* 5. *sympos. Quemadmodum si Asinum ostendentem iis fontem aquæ venerantur, ita verisimile est illos colere porcum sationis & arationis magistrum.* Quod falsum de Judæis. Notorium enim est, non fuisse, non esse debuisse *Levit.* XI. 7. 28. *Deut.* XIV. 8. *Esa.* LXV. 4. & LXVI. 3. Extrema pati maluerunt, quam suilla vesci.

sci. 2. *Maccab.* VI. 18. *c.* VII. 1. Res infamis erat porcos alere & canone prohibitum *R. Maim. c.* V. Imo ne nominari quidem volunt, ne pueris daretur occasio inquirendi, ut *Elias in Thisbi* tradit: vid. D. *Ursin. Miscell. p.* 112. & *Lightfoot. hor. Hebr. in Matth.* vid. *Michael. annot. ad Gaffarell. curiosit. inaudit. pag. m.* 29. *edit. Hamburg.* 1676. Confer *D. Christian. Kortholt. diss. de calumn. Paganor. edit. Rostoch.*

[13] *Inter res scævas* (Dissimulandum non est, Judæos ex majorum superstitione gravius porcos, quam alia impura animalia aversatos, cum esum tantum Deus, non commercium prohibuerit, nec majus odium porci præ aliis impuris brutis interdixerit, ipsi vero tantopere porcum detestantur, ut vix nomine ordinario חזיר nominare sustineant, sed de porcis loquentes ד"א i. e. דבר אחר *res aliena* adhibeant. vid. *Drus. l.* 1. *quæst. Hebr. q.* 48. *pag.* 31. seq. & quævis potius supplicia subire, quam suilla vesci vellent, cujus exempla suppeditantur 1. *Maccab.* 1. 50. 2. *Macchab.* 6. 18. *c.* 7. 1. *Joseph. l.* 12. *antiq. Jud. c.* 6. *lib.* 1. *de. B.* J. *c.* 1. unde persecutores ad ejus esum vi & minis ipsos adigere conati sunt, *Antiochus* præsertim *Epiphanes*, qui ut ægre Judæis faceret, carnem suillam super altari Templi sacrificavit 1. *Macchab.* 1. 50. *Josep. l. c. Diodor. Sicul. l.* 34. *Bibliothec. hist. p. m.* 1171. Crevit vero hac vi Judæorum in porcos odium, ut & in proverbium abierit de hominibus nobis minime acceptis, ipsos tam benigne excipi ac porcus Judæi domum intrans, *er ist wilkommen, wie eine Sau ins Juden hauss.* Et hæc ratio est, cur veteres scropharum cum porcellis effigiem in portis ac ædibus sacris quandoque expresserint, ut Judæos inde arcerent. Imperator Ælius Hadrianus scropham ex marmore factam portæ Hierosolymæ urbis imposuit. Wittenbergæ in fastigio muri Templi parochiali scropha cum porcellis lapidi incisa exstat, conf. *Simon. Majol. Tom.* 3. *Dier. Canicul. colloq.* 1. *fol.* 813. *seq. Herm. Wits. Exercit. Academ. Exerc.* 12. §. 11. *p.* 665.

[14] *Contagio quoque*) An ob metum lepræ Judæi tantopere aversentur suillam & an Deus in prohibitione illius sanitati corporum consulere etiam voluerit, ventilatur a viris doctis, qua de re celeberr. *Wagenseil.* legi meretur *in tel. ign. Sat.* in confut. *Carmin. R. Lipman. pag. m.* 555. *seq. Spencer. de leg. Heb. Rit. L.* 1; *c.* 5. *pag.* 75. *seq. Bartolin. de morb. Bibl. c.* 8. *p. m.* 41. Omnino fatendum, Græcos & Romanos, quin & Judæorum in Oriente vicinos, & in Galilæa illis immixtos Gentiles, qui magnos porcorum greges aluerunt *Matth.* 8. 30. *Marc.* 5. 11. *Luc.* 8. 32. vid. *Lightfoot Hor. Talmud.* ad *Matth.* 8. *pag. m.* 315. *seq.* carne suilla delectatos, unde *Varro L.* 2. *de Re Rust. c.* 4. scribit: Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum, nec ob id tamen lepræ præ Judæis obnoxios fuisse. conf. *Bochart. p.* 1. *Hierozoic. l.* 2. *c.* 57. *Voss. l.* 3. *de Idol. c.* 75. 1136. *seq. Selden. de Diis Syr. Syntag.* 2. *c.* 17. *pag.* 370. *seq.* Idem *L.* 2. *de J. N. & G. Hebr. c.* 1. Cur vero Judæis suilla fuerit prohibita, inquit Doctiss. *Vossius c.* 66. *pag. m.* 1081. triplex inprimis ratio fuit. Una est, quod animal hoc nec ab humanis abstineat carnibus: qua de causa & Ægyptios ab ea abstinere, *Ælian.* judicat *lib.* x. *de animal. cap.* XVI. ac Deum quoque eo attendisse hoc verisimilius est, quoniam *Genes.* IX. 4. similiter interdixerit esu sanguinis, & suffocati, quo magis deterreret homines a sanguinis effusione. Altera est ratio, quod animal hoc gaudeat cœno se volutare. Quare voluerit Deus hominem abstinere a cœno & volutabro peccatorum. Ac duæ istæ causæ respiciunt mores. Tertia ad naturam pertinet: quia in Judæa, uti & aliis quibusdam Orientis terris, item Ægypto, esus suillæ conciliaret lepram ac vitiligines, ut est apud *Plutarchum in Sympos. l.* 4. *q.* 5. Atque idem credo, movit Ægyptios, ut eadem abstinerent. --- Atque hæc ostendunt, Judæos non veneratione sed abominatione abstinuisse a sue, sed Ægyptii etiam cultus ergo ejus esum aversabantur; Vera causa & origo aversationis suillæ inter Judæos est interdictum divinum de non comedendo porco *Levit.* XI. 7. *Deuter.* XIV. 8. Conf. *Esai.* 65. 5. nam religio Judaica gentem illam non tantum ad aras, sed & focos comitata est, & non tantum sacrificiis, sed & cibis suis, modum & legem dedit. Lex enim quædam ciborum genera a Judæorum mensis ablegavit, & animantia nonnulla, apud alias gentes in deliciis habita non tantum vitare docuit, sed & abominari. *Spencer. de legib. Hebr. ritual. l.* 1. *c.* 5. *pag. m.* 74.

[15] *Coli Bacchum*) Crediderunt Gentiles Judæos festum Bacchi celebrare, cum festum tabernaculorum celebrarint, sed falsam hanc opinionem refutavimus in tr. de Phyllobolia. Conferatur huc *Dieter. in antiquit. Bibl. fol. m.* 219. ubi sufficientissime ad calumnias Plutarchi responsum. Vid. etiam cl. *Schud. in deliciis pag. m.* 121. *edit. Francof.*



FLAVIUS JOSEPHUS

In apolog. adversus Apionem, de Græcis historicis, qui res aliarum gentium scripserunt:

AITION αὐτοῖς τοῦ μὲν μὴ γινώσκειν τἀληθὲς, τὸ λίαν ἀνεπίμικτον· τοῦ δὲ γράφειν ψευδῆ τὸ βούλεσθαι δοκεῖν τι πλέον τῶν ἄλλων ἱστορεῖν.



PROLEGOMENA
IN LIBRUM TERTIUM
AMPLISSIMO VIRO
FRANCONI DUYCKIO
CONSULI LEIDENSI PRIMARIO
PETRUS CUNÆUS
S. D.

MEMINI ego, *Vir amplissime, qua tempestate animum meum ad graviora quædam disciplinarum studia adjicerem, in primis illud mihi propositum fuisse, uti in evolvendis omnis ævi scriptoribus nihil æque sectarer, quam documenta quædam illustria earum rerum, quæ ad civilem doctrinam pertinerent. Existimabam enim profecto, id quod res est, pulcherrimis eos curis, cogitationibusque fatigari, qui rerum publicarum incrementa conversionesque, & imperiorum præcipites casus, ex historiarum monumentis eruerent, ut inde sibi quisque, suæque civitati quod imitandum esset, caperet, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitaret. Quare jam pridem antea in Suetonii Tranquilli, atque in Caii Cornelii Taciti quibusdam libris lustrandis ita operam posuimus, ut in rerum Romanarum pervestigatione pleraque etiam attingeremus, quæ in universum omnibus civitatibus atque rebus publicis convenirent. Quæ ubi editioni quondam matura erunt, ad te judicem, atque ad eos, qui tui similes sunt, hoc est, ad homines eruditos, prudentesque, & rerum gnaros, pertinebunt. At in his de Republica Hebræa, quos nunc edimus, libris, haud idem fecimus. Duntaxat enim de sacro populo diximus; cæteræ gentes quam recte constitutas respublicas aut secus habuerint, quibusve legibus eas aut institutis rexerint, haud traditum hic a nobis est, propterea quod divina Mosis politia exemplo caret, atque omnino incomparabilis est. Sane quidem cæterorum legislatorum, quos tantopere admirata omnis vetustas est, sanctiones multæ Mosaicis similes fuere: permagna enim civibus virtutis, fortitudinisque exercendæ imposita necessitas ab illis fuit, sed, quæ de sacris, deque cultu divino constituta ab illis sunt, haud ita penitus animas mortalium religione obstrinxerunt. Moses enim utique Deum unum atque æternum, rerum potentem, cogitationum humanarum, consiliorumque omnium arbitrum, atque judicem, nullius satu editum, immutabilem, atque oculis inaccessum tradidit, cujus formam nulla ars neque opificis exprimere manus possit. Ita, cum vitam hominum, divino Numine inniti docuisset, plane omnibus, id quod res est, persuasit, nullius*

lius bonum malumve facinus pro nihilo haberi, omninoque effectum est, ut jam non famam, aut aliorum conscientiam, sed se quisque testem formidaret. At de cæteris vero, qui vivendi præcepta atque leges olim gentibus dictavere, ita sentit Flavius, haud nescivisse quidem eos purum illud unicumque, & verum Numen, sed tamen apud populum superstitione & præjudicatis opinionibus corruptum, omnino eos hanc rem dissimulasse, ὅτι τὴν ἀλήθειαν τȣ̃ δόγματος ἐξενεγκεῖν ȣ̓κ ἐτόλμησαν, propterea quod veritatem dogmatis proferre non audebant. *Ipse Plato apud eundem Flavium fatetur, esse isthæc arcana quædam, quæ in vulgus edere periculosum sit. Quod profecto longe secus est. Nulla enim res Mosaicam rempubl. æque continuit, quam religionum illa doctrina, quæ nullis fabulis, aut ineptiarum pigmentis incrustata, multo altius in Hebræorum pectora, quam quisquam Græculus ratus esset, descendit. Propositum nobis fuerat, legum Mosaicarum vim, sententiamque, atque etiam causas ex abdito eruere, atque omnia ea, quæ hujus generis essent, cum institutis & sanctionibus aliarum nationum conferre, sed conantes nos talia atque meditantes magnitudo operis tardavit, ut hoc, quod diximus, perducere ad exitum nondum potuerimus. Non tamen semper suspensam exspectationem eorum tenebimus, qui sæpe id a nobis serio efflagitarunt. Etenim profecto, quoniam per otium subinde, & succisivo tempore commentarios adornamus in universa opera* FLAVII JOSEPHI, *qui scriptor luculenter in libro IV. Antiquitatum, & rursus in secunda Apologia adversus Apionem, totam eam rem pertractavit, neutiquam nobis illic deesse hujusmodi dissertationum poterit occasio. Nos, summe* DUYCKI, *quemadmodum illud argumentum, ubi excultum a nobis erit, fore multis non inutile speramus, ita plane confidimus, hæc, quæ nunc edimus, ejusmodi esse, ut præteriri a nobis non potuisse videantur. Pleraque enim ne attigerunt quidem ii, quibus hoc ævo de Republica veterum Hebræorum aliquid scribere cura fuit. Interdum vero etiam commentationis materiem nobis dedit error aliorum & hallucinatio, omninoque necesse nobis fuit confutare quosdam, quos pridem eruditio sua, & consentiens hominum existimatio in excelso collocavit. Quod tamen ipsum semper inviti facimus, pene ut nosmetipsos nostri pudeat. Proditum a Cajo Cæsare est, eos, quibus inter officia antelucana obvius fuisset Marcus Cato, cum caput ebrii retexissent, erubuisse, planeque esse ita existimatum, non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos. Idem nobis hic evenire confitemur: non enim honori eorum quidquam detraximus, sed ipsi nostræ modestiæ vim fecimus, atque ita illos reprehendimus, ut laudemus. Utinam vero adversus nos eadem æquitate utantur, qui fortassis animadversiones nostras olim ruspabunt, bene profecto cum nobis atque præclare actum esse existimabimus. Non sumus tam superbæ impotentisque arrogantiæ, ut in tanta communis naturæ imbecillitate solos nos superesse existimemus, quibus interdum opus venia non sit. Hallucinamur omnes, alii gravia, alii leviora nec est quisquam, qui tam bene animum suum disciplinis obfirmavit, ut nihil fugere eum possit amplius, aut fallere. Adde quod interdum vitii loco est, nusquam peccavisse, quod de Apollonio Rhodio Dionysius Longinus pronuntiavit, cum significare vellet artem & diligentiam in eo summam fuisse, at ingenii vim negatam illi esse. Spernit anxiam curam animus, simul ac illum implevit rei majestas. Miserum est ferme & jejunum, quicquid ab illis speratur, qui sese intra limites quosdam & præscripta spatia claudunt: qui sensa sua torquent, & de singulis rebus in consilium eunt: quorum hic exitus est, ut, quum toto anno, per omnes dies, magno molimine unum librum extuderint, vitavisse potius reprehensionem, quam meruisse laudem videantur. Quare idem ille acerrimi vir judicii Longinus maximos homines ab omni ævo, cum luculentissima quæque dicerent scriberentque, errores interdum in minimis usque adeo non effugisse ait, uti in quosdam etiam sponte delati sint. Nimis angusta res est, non errare, quod cui contigit, is sollicite quidem cuncta ad normam exegit, sed tamen extra culpam duntaxat est. At vero, qui per generosos lapsus omnia soluto impetu pervadit, hic & hominem esse se, cadendo docet, &, quia nihil mediocre concupiscit, proximus tenenti summa est. Est aliqua laus, magnis excidisse ausubus. Sed nos nunc profecto nihil tam grande agitamus. Fuit tamen ex hac scriptione nobis perquam suavis voluptas. Recolebamus enim ea studia, quibus in adolescentia quondam mire dediti fuimus. Juvabat identidem cogitare, quantopere animum nostrum delectavisset Hebraismus, cum Biblica volumina, Rabbinorum commentarios, atque alia multa, quæ erudite a Judæis scripta sunt, evolveremus. Cujus sane operæ nunquam nos pœnituit. Etsi enim postea aliis curis in publico munere distringebamur, tamen quantum temporis tribuunt alii amicorum salutationibus, quantum aleæ, quantum cæteris otii oblectamentis, tantum egomet mihi ad eas artes celebrandas sumsi, quarum fructus in omnem vitam videbatur utilissimus. Enimvero, cum sacri codicis lectio non Theologis modo, sed omnibus bonis viris, & præsertim eruditis, esse debeat jucundissima: quid aliud magis serio agen-*

agendum nobis est, qui in hoc honesto otio vivimus, nisi ut quam optime nobis cognitus intellectusque sit is sermo, quo olim usus ipse Deus fuit, cum priscos Ecclesiæ rectores suo dignatus alloquio est? Dicendum aperte est. Valde supine atque oscitanter vivimus. Hispanorum, Gallorumque, & Italum verba atque voces discimus: &, postquam classes nostræ alium orbem petivere, etiam cum Indis loquimur barbare. Tam ingeniosi cum simus, unam illam non intelligimus linguam, quam profecto unam didicisse, operæ erat pretium. Quod si qui sint, qui animum suum ad pulcherrimum hoc applicant studium, admodum id fit plerumque perfunctorie. Major enim pars ad fores Hebraismi accedit, quod facillimum est, interiora autem sacraria, Syriasmum atque Rabbinismum, ne voto quidem penetrant. Atqui in Hebraismo, quot & quanti sint thesauri, non est eorum judicare, qui sola verba contextus Biblici scire contenti, satis sese doctos putant, uti etiam alios docere velint. Errant illi, meo quidem animo. Pergendum ultra est, dispiciendumque quid Judæi, vernaculi Bibliorum interpretes, jam olim aut recte, aut secus dixerint. Hoc qui facit, ei jus fasque est de iis rebus libere dissertare, quarum notitia non aliunde erui, nisi ex sacro codice potest. Neque enim profecto putandum est, ad isthæc transcendere illicitum esse iis, quos suus ordo locusque in aliis quoque muniis detinet. Ignorare mihi divinam animorum suorum præstantiam videntur, qui ad unius rei misellam scientiam velut adstricti alligatique, ultra hanc aliquid tentare, haud esse hominis putant. Omnia erectæ menti pervia sunt, semper sese versat illa, concutitque, & quietis impatiens est, quidquid pulchrum, & grande, ac scitu dignum videt, id omne esse suum scit: &, quæ sibi imperat, pleraque obtinet. Atque hoc quidem etsi ita est, versantur tamen nihilo minus adhuc ante oculos nostros irati animi eorum, quibus nondum satis sic expiavisse atrocissimi facinoris invidiam videbimur. Rem enim indignam, atque intolerandam clamabunt, invadi a nobis Theologiæ fines, quos esse sibi solis ita relictos autumant, ut dominatum ibi quendam, & plenam jurisdictionem teneant. Sed ii homines, quoniam sunt oppido pauci, sed iniquissimi, non aliud responsum a nobis ferent, quam quod ex ipso sacro codice maxime nobis in promtu nunc est, incedere publice per hominum ora rerum dominam, divinam sapientiam, atque in triviis, & in compitis etiam adstare, omnino uti ad se invitet non flamines hercle duntaxat, sacerdotesque, & sacrorum antistites, sed plebem quoque, & pullatam turbam. Neminem illa aversatur, neminem a limine suo arcet, qui bonam spem non ejuravit. Quare exsurgat quisque, & animos sumat, ac se quoque dignum fingat Deo. Non tam præclare hodie rem gerunt quidam sacræ sapientiæ consulti, ut ex eorum ore atque verbis penitus pendere debeat is, qui rectæ conscientiæ fiducia, atque morum & vitæ sanctitate integrum incorruptumque civem se præstare summo Numini cupiat. Nos, cum certamina eorum, contentionesque plus quam theologicas cernimus, piis votis precibusque causam publicam juvamus, &, quod unum nobis jucundissimum est, procul ab insaniente multitudine nobiscum soli sumus, atque inter civilis doctrinæ & jurisprudentiæ curas, etiam per otium subinde theologiam quandam tractamus, non illam parti alicui aut magistro obnoxiam, sed hanc liberam, & sobriam, frugalemque, quæ literulis nostris Græcis, Hebræisque, & Latinis subnixa æstuantiam aliorum, & litigandi intemperiem contemnit. Reperies quidem in hoc tertio libro, Amplissime DUYCKI, *quæstiones quasdam de Melchisedecho, & Cabala, de fide veterum Hebræorum, tum alias id genus plures, quas paulo secus, quam vulgo fieri solet, expedivimus: sed eas cum perleges, memineris, obsecro, esse nos paratos, simulac monuerit quis meliora, sententiam mutare. Pertinaciam enim pro opinione induere, haud est nostrum. Ipsi nos, si quando errores quosdam nostros odorati fuerimus, sponte hanc gratiam a nobis inibimus, & primi eos indicabimus, ne quis forte studio nostri aut amore deceptus, vitia nostra cæcis oculis prætereat. Sed hujuscemodi lectores, opinor, admodum paucos nanciscemur. Plures enim ea, quæ neutiquam reprehensione digna sunt, insectabuntur, aut, si nihil incusent, frigide tamen de illis judicabunt hercle. Quorum quidem hominum fastidiosam querimoniam expugnare nos non laborabimus. Magna enim esse eloquentia debet, quæ invitis placeat. Cæterum longe maxima pars eorum erit, qui hæc ne inspicient quidem, propterea quod insita quadam animi vesania grande dedecus existimabunt, aliquid in Hebraismo a nobis didicisse. Non sum falsus vates. Omnia hæc ita, uti dixi, evenient. Sed profecto quicquid hujus erit, nihil morabor. Neque ideo a recto bonoque recedam. Ex judiciis quorumlibet lætitiæ dolorisve causas capere, id vero est, ambitioni sacramentum dixisse, quod nunquam nos feci-*

fecimus. Apud Flaccum, argutissima mulierum, Arbuscula, cum explosa a multitudine in theatro esset, satis esse dixit, equites sibi plaudere. *Idem ego ajo, Amplissime* Duycki. *Paucis lectoribus, sed eruditis, gaudeo. Inter eos autem tu es, cujus judicium acerrimis studiis, atque multa doctrina excultum, jure semper scio me fecisse maximi. Sed nimis operose præfati sumus. Quare illud, quod propositum nobis est, ordiamur.*





I. N. J.

PETRI CUNÆI
DE
REPUBLICA HEBRÆORUM
CUM
ANNOTATIONIBUS
JOHANNIS NICOLAI.

LIBER TERTIUS.
CAPUT PRIMUM.

Initia Ecclesiæ, & incrementa, Satanæ stratagemata. Locus in 1. cap. Genes. explicatus de serpente. Quid sit caput libri. Error Hieronymi. Liber Enochi commentitius.

OMnis de gente Judæorum commentatio posita duabus in rebus est, nam & de Republica eorum agendum est, quæ præ cæteris eximium quiddam habuit: & insuper investigari illud debet, qualis eorum fuerit Ecclesia. Etsi enim ambæ istæ esse sic conjunctæ videntur, uti pariter incedant, & divelli haud possint: est tamen earum magna diversitas, [1] & inspicienda utriusque indoles seorsim est. Quare nos, qui priorem partem duobus libris ita pertractavimus, ut sæpe alteram hanc, quod omnino sic necesse fuit, attingeremus; nunc, quod bene atque feliciter vertat, singulatim ea percurremus, quæ ad Ecclesiam [2] pertinent. Sed hic paulo magis ex alto arcessenda nobis sermonis initia erunt. Etenim, cum antea reipublicæ sacræ institutio relata a nobis ad Mosen authorem sit, nunc vetustiora etiam secula lustrare, atque hinc ad Mosaicum ævum, & ad ea, quæ insecuta sunt, tempora descendere decrevimus. Ac origines qnidem ipsæ, proximaque originibus, quoniam simplicissime in sacris libris traduntur, non præbebunt nobis materiem notabilium

ſium obſervationum. At mox, ubi ex illis evaſerimus, res perſequemur luculentiores. Divus Petrus, qui recte olim a quibuſdam ſignifer fuit appellatus Novi Teſtamenti, Eccleſiam ait eſſe regium ſacerdotium quoddam, & genus hominum electum. Ipſe Deus Moſi dixit, gentium ſe quidem omnium, terrarumque eſſe dominum: ſed addit, paucos duntaxat quoſdam eſſe, quos ex hominum communitate ſegregatos, velut theſaurum & peculium [3] ſepoſuit ſibi: iiſque regnum tribuit, ſed ſacerdotale. Hoc regnum ſanctum & inviolabile atque æternum eſt. [4] Maximis quibuſque imperiis creſcendi modum natura poſuit: licet enim nulla vis extrinſecus laceſſat, tamen fatorum lege [5] omnia magna in ſe ruunt, & cedit oneri ſuo fortuna. Unum hoc regnum, de quo in ſacris voluminibus ſermo eſt, tempore ipſo in majus ſolidiuſque procedit, [6] & a ſenio ſuo capit vires. Eccleſiæ prima incunabula mundus vidit recens natus, cum in quatuor capitibus ſtaret humanum genus. Confeſtim enim impurus genius, cui ex malis noſtris jucunda voluptas eſt, Cainum a recta pietatis ſemita [7] tranſvorſum egit in omne nefas. Itaque tunc Eccleſia orta eſt, cum improbos primum a piis ſejungere, & ſuos ſibi habere cœpit Deus. Gregem oppido exiguum, hoc eſt, quatuor oves in tanta mundi vaſtitate agebat magnus ille paſtor unam ex his lupus hic abſtulit. Ea fuit prima illius victoria de humana gente, quam gravi peccato lapſam antea erexerat jam Deus, ut ad ſalutem perduceret. Haud ita multo poſt evenit, ut ſacra Deo facerent [8] duo fratres. Quod dum fit, haud obſcuris indiciis ſignificavit Deus, eſſe ſibi Caini munera ingrata. [9] Cujus rei cauſa [10] in promtu eſt: quippe in Caino indoles inerat [11] pravi ingenii: puras autem Deus, non plenas aſpicit manus: & mens integra ac recta pulcherrimus Numinis cultus eſt. Cæterum Flavius Joſephus, autor omni laude dignus, & cui poſt ſacrorum voluminum ſcriptores prima eſſe debet fides, haud ſatis conſiderate hac de re verba facere mihi videtur: ait enim diſplicuiſſe Deo laborioſam operam, quam in colenda terra ſumſerat vir ille. In quo profecto fugit eum ratio: agrum enim primus hominum ſator Adamus verterat, juſſu ipſius Dei: & patrem ſecutus filius erat optimo exemplo. Sed procul dubio Rabbinos ſecutus eſt, uti ſolet interdum. Enimvero Joſephus, etſi gravitate ſupra cunctos Judæos eminet, tamen haud ubique a deliramentis abhorret popularium ſuorum. Id apparet vel ex frigido illo myſterio, quod latitare credidit in voce אחד quæ eſt Geneſ. cap. 1. Nam ratio, quam in alio ſcripto ſe editurum ait, cur Moſes *unum diem*, non *primum*, dixerit, Rabbinica fuit. Exſtat liber Judaicus, quem מכלל יופי appellant. In eo ſententia hæc Rabbi Moſis Ben Ezræ refertur, אמר אחד לפי שהאחד חוא סימן להתחלה אשר אין תחלה קודמת לה : *Dixit*, *Unus*, *quia unus eſt nota principii*, *ante quod principium eſt nullum*. Aut hoc profecto, aut ſimile quiddam Joſephus prodidiſſet in libro αἰτιολογιῶν, qui non eſt nunc in manibus hominum. Periiſſe quidem eum, etiam illius intereſt, qui ſcripſit. Quid enim aliud, niſi autorem ſuum traduxiſſent tam putidæ argutiæ? Sed redeat ad Adamum, unde digreſſa eſt, oratio. Is, inter hæc initia, filium vidit ſuum indigna peremtum cæde a quo minime decuit: &, dum unius lueret mortem, magis tamen alterius triſtatus ſcelere eſt. Hic ego exiſtimo, prope fuiſſe, uti Satanæ dolis rurſus apertum latus daret, rueretque. Sed firmavit eum vis major. Plus enim fuit, quod ſperabat, quam quod videbat. Vetus opinio eſt, eaque omnium eruditorum firmata conſenſu, Meſſiam humani generis ſervatorem promitti [12] primis parentibus noſtris, cum circumſcriptorem colubrum in hunc modum alloquitur Deus, in capite tertio Geneſeos, *Inimicitias ſeram inter te, interque mulierem: inter ſemen tuum, & illius: quippe ſemen ejus conteret tibi caput, & tu conteres ejus calcaneum*. Utique hoc veriſſimum eſt. Concepit animo Adamus ſpem cœleſtis atque æternæ vitæ. Quoniam tamen rationem rerum cunctarum eſſe dominam cupimus, ſæpe mirati ſumus, hoc ab illis, quorum ſcripta quidem vidimus, magis affirmari pro certo, quam oſtendi. Quare viſum nobis eſt ejuſmodi teſtimonium quærere, quod eſſet inexpugnabile. Enimvero ad veritatis plenam fidem haud ſatis eſt concors judicium, & opinio multorum. Nulla myſteria ex verbis contextus Biblici eruenda ſunt, niſi quæ alibi ſpiritus Meſſiæ, optimus ſui interpres, [13] digito monſtrat. Clauſus enim, obſignatuſque eſt ſacræ Scripturæ liber, [14] cujus ſignacula ſolvit [15] leo ille ex tribu Judæ. Ac nobis quidem de tota re ſerio cogitantibus occurrebat illuſtris locus, qui eſt in Apocalypſi D. Joannis: is eſt iſtiuſmodi: Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα, ἔκραζεν ὠδίνουσα καὶ βασανιζομένη τεκεῖν· καὶ ἔτεκεν υἱὸν ἄῤῥενα, ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. *Mulier prægnans clamabat parturiens, & cruciabatur uti pareret: peperit autem filium maſculum, qui reget omnes gentes virga ferrea.* [16] Ecce Eccleſia, & Meſſias. [17] His dein draco inſidiatur, [18] de quo ſubjicit Apoſtolus: καὶ ἐβλήθη ὁ δράκων ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, ὁ καλούμενος διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς, ὁ πλανῶν τὴν οἰκουμένην ὅλην, ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν. *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens ille* anti-

antiquus, *qui vocatur Diabolus & Satanas*, *qui seducit totum terrarum orbem : projectus*, *inquam*, *est in terram*. Vetus serpens [19] ille, idem est, cujus verticem soboles mulieris frangit. Quidquid alii dixerint, nullum præterea idoneum autorem, me judice, ista habebit interpretatio. Satis tamen est unus ille, qui enim hunc sequitur, magno se atque nobili nomine tuetur. Possem etiam quadam argumentorum collectione & per ambages huc trahere verba Divi Pauli, quæ sunt in prima epistola ad Timoth. capite II. ἡ γυνὴ πατηθεῖσα ἐν παραβάσει γέγονε· σωθήσεται δὲ διὰ τὴν τεκνογονίας, ἐὰν ἐπιμένωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, *mulier*, *cum seduceretur*, *causa prævaricationis fuit*, *servabitur tamen liberorum partu*, *si in fide & charitate permanserint*, nam etsi aliud ibi agit, respicere tamen videtur ad pollicitationem Evæ factam. Hæc illa sunt, quibus stabiliri communis illa, & pridem ab omnibus recepta sententia debet. Cætera, quæ afferuntur, speciem veri habent : at, si propius intueare, nauci non sunt. Nobis haud ferendum est, uti res, quæ per se certissima est, præsidio nitatur frigidæ probationis. Pulchre ait Mosi Deus, *Exue calceos de pedibus tuis*, *locus enim*, *in quo stas*, *terra sancta est*. Hoc cogitent illi, qui contextum Biblicum pervestigant, nuda mente sint, & pectus gerant ab opinione præjudicata vacuum, qui verum optime excusserit, rex esto. Certe Hieronymi incogitantiam excusare non possumus, qui, cum vera argumenta præteriret, usus est falsis. In epistola ad Hebræos, in capite decimo, exponitur Davidis vaticinium de Messia, ἰδοὺ, ἥκω· ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ. *Ecce venio*, *in capite libri scriptum est de me*.* Id vaticinium David recitat ex libro secundo Legis Mosaicæ. Quod sane notum omnibus est. At divinus Hieronymus magna fiducia asserit, verba illa vatis esse ad Geneseos principium referenda. *Caput libri*, *est Geneseos principium*, inquit. Non ego nunc quæro, utrum vocem liminarem בראשית, an vero pollicitationem, quæ de prole mulieris est, in animo habuerit ille, est enim ubi utrumque spectavit. Illud satis est, esse eum falso testimonio usum ad probandum quod volebat. Nobis constat, Hieronymum omnium, qui olim interpretati sacras literas sunt, fuisse eruditissimum, adeo penitus perdidicerat Hebraismum. Itaque quoniam fieri haud potuit, uti tantus vir sine gravi causa sic erraverit, age, dicamus qua ex re sit nata isthæc hallucinatio. Rationem quidem sententiæ suæ ipse prodit non semel, *Quia omnis scriptura unus est liber*. Equidem haud dubito, quin vir maximus scitum vetus Judæorum secutus sit, quibus placet, universa Biblia fuisse olim פסוק אחד, id est, *unum versum*, ita ut nullis sectionibus nullis capitulis, [20] neque notis distincta fuerint volumina sacra. Memini ego amicum quendam nostrum exemplar curiosum vidisse, quod Judæorum manu in hunc modum esset olim exaratum. Etiam illud non animadverterat Hieronymus, quid sit hoc, quod Apostolus κεφαλίδα βιβλίου appellat. Nihil enim aliud κεφαλίδες sunt, nisi ea, quæ Judæi, & præsertim Talmudici, vocant פרקים, hoc est, *membra & partes librorum*. Quare Apostolus, Judæus ipse, & ad populares suos Judæos cum scriberet, percommode usus tali voce est. Nam quod dicebam modo haud divisum distinctumque fuisse Biblicum contextum, sane vero id ad scriptionis modum & continuatum tenorem pertinet. At nulla tamen hinc confusio fuit. Nomina enim, titulosque, & sectionem cujusque partis diligenter didicerant homines usque ad derisum superstitiosi, in quorum manibus, ceu pinguia succina, attritos vidisses libros sacros. Satis jam manifestum est, quare deceptus Hieronymus sit. Nunc illud addimus, vaticinium illud, quod de Messia proditur in principio Geneseos, haud potuisse a primis parentibus nostris intelligi, nisi ex interpretatione Dei, qui arcanos hos abditosque sensus quadam animi miseratione illis retexit. Nam si id modo sequimur, quod verba sonant, tota res optime in serpentem quadrat. Qui aliter existimarunt, næ nos in illis magnopere hic judicium desideramus. Enimvero, quid reperias omnium veterum, etiam gentilium, scriptis tam vulgatum, quam hominum naturale in serpentes odium? [21] Hanc pœnam isti animali posuit Deus, cum antea esset mortalium generi amicissimum. Apud Artemidorum, in libro secundo, serpens inimicitiarum symbolum est, & in Theocriti Ἀδωνιαζούσαις ait muliercula.

* Cunæi oscitantiam quo pacto hic excusare queam prorsus ignoro. Cunæus constanter, ac intrepide docet, Davidem suum depromsisse vaticinium ex 2. l. legis Mosaicæ, hoc est ex cap. 21. Exod. 5. atque hoc omnibus notum esse pronuntiat. Quam vero dubium & incertum sit satis superque ostendunt interpretes fere innumeri, qui in exponendo Davidis, ac Apostoli oraculo tanta sunt in varietate constituti, ut nimis molestum Lectori foret eorum percensere sententias; Nec minus a veritate descire videtur Cunæus cum Hieronymi negligentiam accusat eo quod S. Doctor Divinam Scripturam ex multis conflatam partibus unum appellaverit librum; Nam licet distinctio in varios libros, sectiones, capita, ac pericopas (quod certo non constat) fuerit antiquitus recepta, fuisse tamen Davidis ætate hujusmodi distinctionem quis audebit dicere? deinde totam Scripturam antonomastice librum vulgo appellitant Judæi. Perperam igitur Hieronymum virum sanctissimum juxta ac eruditissimum hic fuisse hallucinatum Cunæus autumat. Qui plura desiderat adeat Benedicti Justiniani commentaria in cap. 10. ad Hebræos ubi Hieronymi sententiam momentis satis probabilibus, ac pietati consentaneis fultam esse comperiet.

Ἵππον κ̀ τ̀ ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιϛα δέδοικα.

Ecce, anguem rem cunctis maxime formidabilem esse ait. Falisci olim Tarquiniensesque, teste Livio, M. Fabium Ambustum prima acie fuderunt, cum sacerdotes eorum, anguibus prælatis, incessu furiali militem Romanum insueta turbarent specie. Quod autem pedibus amissis [22] reptile factum sit id animal, sane neutiquam Satanæ congruit. [23] Aristoteles, quia veram causam ignorabat, rationem ejus rei mire ingeniosam ex ipsa attulit natura. Nos meliore usi magistro, esse istud scimus ab irato Numine. Neque vero res inaudita est, brutum animans excepisse voces [24] & reddidisse, nam & de Bileami asina [25] palam est: & alibi balænam affatur ipse Deus. Pœnam quoque haud immerito tulit coluber, quippe ministerium [26] impuro genio commodaverat ad immane flagitium. De contritione capitis [27] quod subditur, aptissimum est. Etenim hac parte qualiscunque læsio [28] anguibus lethalis est, itaque quoties periculum imminet, admiranda industria in spiram se colligunt, & caput reliquo operiunt corpore, cujus rei luculentus est testis Hieronymus. Sed non est his diutius immorandum. Libet Ecclesiæ nascentis initia persequi, in quibus mira divinæ sapientiæ vis illuxit, neque per tempora, sed per species, singula, ut quidque observatu est dignissimum, notabimus. Non enim historia nobis contexitur. Sæpe integrum seculum transiliemus. De Caini posteris pauca memorantur, non enim de gente Dei electa erant. At Sethi filios, nepotesque, & totam ab origine gentem sollicite tradit scriptura, ex hac enim stirpe patriarchæ & Messias fuere. Sethus natus est centenis plus minus annis [29] post Abeli cædem, cum Caini progenies profana late suas sedes posuisset, & regnum teneret impietas. At Sethus Dei metuens erat. Itaque statim, ut de illo loqui cœpit scriptor Geneseos, subjicit illud, *tunc cœptum est* [30] *invocari nomen divinum*. Non intellexit hoc Rabbi Schelemo Jarchi, qui tunc ait cœpisse עבודה זרה *idololatriam*; & addit, כשמו של הק"בה *ad eam rem abusos esse nomine veri Dei*. Quæ inepta sunt: idolorum enim cultum illa mundi infantia ignorabat: & tamen excepta est a plerisque hæc interpretatio cum plausu. In Sethi nepotibus aliquandiu sopita fuisse virtus videtur, aut, si aliqua in illis viguit, paulum distat sepultæ inertiæ: celatur enim. At Enochum, qui sextus ab illo fuit, insignis nobilitat pietas. [31] Eum virum Deus mori vetuit: [32] viventem enim ad beatas sedes traduxit [33] corpore integro. Judæi satis inepte ajunt, ששבעה בני אדם שקפלו את העולם כולו ואלו הן אדם הראשון ומתושלח ושם ויעקב ועמרם ואחיה השילוני ואליהו ועדיין הוא קיים: *septem esse viros, qui omne mundi ævum volvunt: esse autem hos, Adamum primum, Methusalem, Semum, Jacobum, Amramum, Abajam Siloniten, & postremo Eliam, qui adhuc superest*. Utique stultissimum id est. Pari enim ratione dixerit quispiam, non septem, sed duos tantum esse, Adamum, & Enochum, qui post Adamum LVI. annos in terris fuit, eumque sepeliit. Quanquam certe opinantur Judæi, & inter hos præcipue Rabbi Aben Ezra, fuisse Enochum, communi lege, fato functum. Nos Divo Paulo credimus, qui obiisse illum negat. Et profecto, quod Enocho contigit, id cunctis datum fuisset hominibus, si in vitæ integritate perstitissent. Nunc noster nos error, gravisque noxa, mortalitate damnavit, quam per languores & mille corporis mala explemus. Non est dubium quin severa increpatione Enochus improbitatem castigaverit hominum sui ævi. Atque hæc res quosdam nugatores excitavit, quia stulta persuasione syderati, speravere se posse seræ posteritati illudere: quippe inglorio studio, & jejuna opera librum olim in vulgus extruserunt, quem ipsi, si Deo placet, ab Enocho scriptum ajebant. Profecto is liber aut e diluvii undis integer evasit, cum perirent fere omnia: aut postea ex cœlo delapsus est: quod est anile. Quanquam quid non audebit asserere ineptorum vecordia, cum etiam Judæi dicant Eliam, septimo anno postquam raptus fuit, literas ad Joramum regem dedisse ex cœlo, & addant, ועכשיו הוא כותב מעשי כל דור ודור כולם *adhuc hodie illic omnium temporum fastos ab illo componi*. Et illorum quidem hallucinatio veniam meretur: non enim intellexere verba, quæ exstant in libro secundo Paralip. in capite vicesimo & primo. Cæterum Enochi commentitia oracula ita sprevit cordatior antiquitas, uti Hieronymus Judæ epistolam, quæ de septem Catholicis una est, ob hanc causam a plerisque e catalogo sacrorum voluminum dicat expunctam, quia testimonium ibi citatur ex hoc futili scripto.

NOTÆ AD CAPUT PRIMUM.

[1] *Magna diversitas*) Postquam autor noster de Republica Hebræorum in prioribus libris disseruisset, in tertio progreditur ad Ecclesiam, asseritque, quod licet ambæ partes, politica & Ecclesiastica conjunctæ videantur, attamen magna diversitas sit inter illas, & quidem recte. Nam quælibet Respublica secula-

ſecularis formaliter conſiſtit in externo ordine aut regimine imperantium & ſubditorum, at vero Eccleſia formaliter non conſiſtit in externo regimine aut ordine, ſed in ſpirituali influxu, quem Chriſtus præbet in membra ſua, ſeu in fide, per quam membra in Chriſto vivunt. Regerunt autem quidam, Supremi Magiſtratus officium eſſe, curare, ut vera religio vigeat & collapſa reſtituatur. Sed ſi intelligunt publice in populo, concedimus, non autem in Eccleſia. Hoc enim in Eccleſia efficit Rex Eccleſiæ ſpiritualis, ſpiritu & verbo ſuo, per miniſtros ſuos. Si Magiſtratus officium eſt, id curare in Eccleſia, jam munus ipſius non erit politicum in Regno aut Republica, ſed Eccleſiaſticum in Eccleſia. In Eccleſia autem nullum eſt ullius hominis officium, niſi miniſteriale; unde Magiſtratus ſublime ſuum & ſupereminens munus deponere debebit & aſſumere miniſteriale, niſi hi velint, duplex ipſum & compoſitum munus obire ex dominativo & miniſteriali conflatum. Ita diverſitas cognoſcitur etiam ex hoc, quod Regimen Eccleſiaſticum & Politicum, Eccleſia & populus longe differant. Populos ad mundum pertinet, eſtque cum Magiſtratu ſuo in regno Dei univerſali, quod comprehendit omnino omnes homines. Eccleſia vero eſt regnum Dei ſpeciale & ſpirituale, quod ex mera Dei gratia & gratioſa ordinatione filius Dei Spiritu & verbo ſuo erigit in hoc mundo. In populo quidem, in regno, Republica Magiſtratus ſunt ſupra miniſtros: In Eccleſia vero ſubiunt Regi Chriſto.

[2] *Eccleſiam*) Recte ſtatuit Eccleſiam eſſe genus hominum electum. De vocibus Hebraicis, quibus Eccleſia appellatur, nolumus prolixius diſputare, cum hoc labore præclare functus ſit vir celeberrimus *Campegius Vitringa de Synagoga veteri & nova lib.* 1. *in diverſis capitibus*, qui evolvatur. Dicit porro autor: eſſe electum genus hominum utens verbis *Petri* 1. *ep.* II. 9. qui ἱεράτευμα vocat, quod reſpondet voci כהנים intelligit ἱερεῖς προσερχόμενοι ἱεράτευμα cum ſitis ἱερεῖς. Nomine abſtracto utitur, ſignificans omnium idem officium, & idem jus. Ἱερατεύειν eſt ſacerdotio fungi, ſive ad Sacerdotem accedere. Sacerdotis autem eſt accedere ad Deum. Vide *Coccej. Comment. ad* h. l. fuſe ſcribentem *fol.* 30. *edit. Amſtel.* 1673. Vocat electum Dei populum; ubi notandum quod Apoſtolus ſingulari conſilio credentes non λαὸν ἅγιον, ſed ἔθνος ἅγιον dicat, quia nomen hoc Judæis valde inviſum erat; judicabant gentes Deo eſſe exoſas & abominabiles, quando autem converſi, gratum erat ipſis. Vult itaque Apoſtolus his verbis indicare, quod omnes, qui ad Eccleſiam acceſſuri eſſent fide in Chriſtum ſint populi electi i. e. Spirituale Sacerdotium, & reſpexit ad Exod. cap. XIX. verſ. 5. & 6. In omnes Chriſtianos illa quadrant verba, qui titulo Sacerdotum jure uſurpant, quod ſpirituales hoſtias, preces, gratiarum actiones Deo offerant. Vide huc *Lut. Tom.* 1. Jenenſ. *German. pag.* 393. & *Tom.* 2. *pag.* 9. *ſeq. Cameron. Myrothec. Evangel. pag.* 345. 346. *Salmeronem*, *Lorinum*, *Cornel. a Lapide*, *Titelmannum in Comment. ad h. l.*

3 *Velut theſaurum & peculium*) Verba hæc leguntur *Exod. cap.* XIX. *verſ.* 5. & 6. ubi Deus populum per Moſen ita alloquitur. Ego Dominus Dominorum magna & multa beneficia vobis Iſraelitis exhibui, quæ ibi recenſentur, & tandem adjicit: Vos in peculiarem theſaurum & peculium ſelegi, quaſi diceret: Quamvis multi populi vivant in mundo, quorum æque Dominus ſum & multitudine multoties vos ſuperent, nihilominus tanta propenſa ſum voluntate erga populum Iſraeliticum, ut illum elegerim in *theſaurum*, quo loco vox Hebræa סגולא legitur, quæ ſignificat, *peculium*, *proprietatem*, *proprium*, *ſubſtantiam*, *bonum proprium & peculiare alicujus*. Vide *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmud. f. m.* 1434. cui aſſenſum præbet doctiſſ. *Ainſworth. Comment. in Exod.* XIX. *fol* 68. *edit. Londin.* his verbis: *The Hebrew* סגולא *ſignifieth ones own proper good, vvhic he loveth and Keepeth in ſtore for himſelf, and for ſpeciall uſe.* 1. *Chron.* 29. 3. *Eccleſ.* 2. 8. Hic autem referuntur verba ad Eccleſiam Dei; & in Græco *peculiaris populus* dicitur, quam loquendi formulam *Paulus* ſequitur *Tit.* II. 14. Apoſtolus Petrus autem aliter exprimit, *genus electum* ut Græca verſio apud Malach. 3. 17. ſonat. Chaldæus reddit, *dilectum*. Ita etiam alii Hebræorum conſentiunt, dicentes סגולא ſignificare populum dilectiſſimum, quem Deus diligeret veluti deſideratiſſimum theſaurum, quem Rex nulli miniſtrorum vel manibus ipſorum concredat, ſed quem ipſe diligentiſſime cuſtodiat. Id quod cætera verba exprimunt, quando *Regale Sacerdotium* Eccleſia appellatur, quæ Chaldæus ita explicat: Vos qui Eccleſiæ membra eſtis, coram me debetis eſſe *Reges*, Sacerdotes & populi ſancti.

4 *Æternum eſt*) Omnia alia regna politica fatales ſuos limites habent. Solius Chriſti regnum hanc habet gloriam, quod non ſit ſeptum & incluſum certis terminis & limitibus, ſed Chriſtus, ut ait *Zachar. cap.* IX. & *Pſ.* 72. dominatur a mari uſque ad mare & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Quod ad prius attinet, hiſtoriarum monumenta ſatis hoc teſtantur. Prima Monarchia, imo & ſecunda habuit terminum fatalem Helleſpontum. Nam quandocunque progreſſi ſunt ultra illum terminum, vel Chaldæi vel Perſæ ſemper victi ſunt & fuerunt infelices. Hac de re *Polyb. Lib.* 1. Tertia Monarchia habuit partem *Europæ* & partem *Aſiæ* nihil habuit in *Africa*. Vide *Strigel. & Chron. pag.* 71. Ita etiam Romana, uti hiſtoriæ teſtimoniis probant. Chriſti autem Regnum nullos habet terminos, mox enim in Oriente floruit, mox in aliis locis. Similiter alia regna facile mutantur & non ſunt æterna, hoc autem æternum manet, contra hoc non prævalebunt portæ infernorum. Confertur enim monti Pſalm. XLVI. 3. & ipſe Deus fundavit illam. *Pſalm.* 86. Vide *Caſpar. Fink. in Pſalm.* XV. *edit. Coburg.* 1620.

5 *Fatorum lege*) Mutationes Imperiorum fatales eſſe, teſtatur *Philip. in Chron. pag.* 543. ita ſcribens: Fato evenire mutationes, quæ efficiunt vaſtationes in Imperiis, ſeditionibus aut bellis civilibus vel externis, præſertim ſi plures ſimul in eundem quaſi articulum temporis locis diverſis incidant, non eſt dubium.

[6] *Solidiuſque procedit*) Licet Eccleſia in cruce & afflictionibus prematur, attamen ſolidius procedit. Semper in cruce maxima gloria Eccleſiæ eminet, quia inter ipſas lucet ærumnas decus. *Strigel. part.* 3. *Loc. pag.* 66. Res Eccleſiæ non agendo, ſed patiendo creſcunt. Id. in *Pſalm.* 77. *pag.* 33. Eccleſia ſemper in perſecutione creſcit & maxime floret, & tanquam ilex duris tonſa bipennibus, per damna, per cædes ab ipſo ducit opes animumque ferro. Vide *Strigel. in orat. de Moyſe* & *part.* 3. *Locor. pag.* 97. In perſecutionibus quo crudelius ſævitur in membra Eccleſiæ: eo magis creſcit & augetur in dies fidelium numerus: ſuccedentibus nimirum pluribus aliis in interfectorum locum. Eccleſia enim quanto magis premitur: tanto magis multiplicatur. Sicut palma ſcribitur contra pondus rectius aſſurgere. Et gaudet Eccleſia decerpi & renaſcitur lætior, ut *Amaranthus* in *Pſalm.* 77. *Strigel.* Veteres dixerunt, ſanguine martyrum Eccleſiam fundatam eſſe

Sanguine fundata eſt Eccleſia, ſanguine cœpit
Sanguine ſuccrevit: ſanguine finis erit.

Confirmant hoc Patrum ſcripta. Baſil. in epiſt. ad *Alexandrin. Auguſtin. ep.* 3. Conf. Georg. Richter. *Axiomat. Eccleſ. edit. Gorlic.* 1602. *pag.* 30.

7 *A recta pietatis ſemita*) Non ſolum Diabolum architectum fuiſſe primorum Parentum lapſus, fides Catholica docet, ſed & Judæi ex parte largiuntur. De qua re fuſe Cl. *Friſchmuth. in diſſertatione de ſeductione ſerpentis antiq.* Conf. *Joh. Paſchius diſſert. de Serpente ſeductore*. Verum etiam cauſam nequitiæ & impietatis Caini in Eccleſia tunc temporis catholica. Eo enim tempore tantum quatuor erant, in quibus fides, obſervantia & cultus religioſus vigebat; attamen non diu irreprehenſibilis duravit, cum primam defectionis labem in *Caini* Apoſtaſia admiſit. Adverſus omnes partes Theologiæ Adamicæ, quas adduxit Johan. *Owenus Anglus acutus in Theolog. Adam. c.* 1. peccavit Apoſtata. Fundamentum totius erat promiſſum Mediatoris. Ab infidelitate autem, *Cain* defectionem incepiſſe, *Abelis* fidem celebrans, oſtendit Apoſtolus *Hebr.* XI. 4. neque a Deo admonitus peccatum agnovit, quæ ἀμετανοησία ab eadem radice pullulavit. Dein cultum inſtitutum ſecus,

quam

quam oportuit, præstitit, atque hic primo se exeruit intus diu latens *ἀπιστία*: postremo a fide deficientem in fratricidium protrusit ira & invidia, quo rectæ rationis dictamen seu legem *ἔμφυτον* transgressus est ita totum fœdus divinum & partes ejus singulas; peccator exstitit & rebellis. Hinc hypocritarum primus, reliquorum omnium ad finem seculi dux factus est. Nonne hæc omnia a Diabolo originem traxerunt, veluti infensissimo generis humani hoste, qui horum criminum præsertim cædis patrandæ *Caino* speciali modo autor fuit? Itaque non tantum ob ipsam hanc cædem *Cainus ἐκ τοῦ πονηροῦ* fuisse dicitur 1. *Joh.* III. 12. sed etiam & Diabolus *ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς* *Joh.* VIII. 44. Non enim is ideo tantum ibi loci homicida vocatur, quia primos homines in peccatum illexit, unde mors erat insecutura; sed etiam quod reapse cædem hanc perpetrari curaverit. Id vetus Poeta, cujus versiculi exstant apud *Epiphan.* eleganter expressit.

O prima origo cladium & meta ultima
Coluber, malorum tuque thesauri Pater
Anteambulo cæcæ error ignorantiæ
Cui pabulum hominum lacrymæ & suspiria
Dum suscitatas odio inexpiabili
Armatis in se fratricidas dexteras
Ut primus iram sanguine inficeret Kain
Vos impulistis.

[8] *Ut sacra Deo facerent*) i. e. sacrificarent, qui cultus divinus tunc consistebat in sacrificiis offerendis. Sacrificarunt ergo hi duo fratres. Inferunt hinc quidam viri docti *Outramus de sacrific. lib.* I. *cap.* I. *Spencerus de legib. Hebr. Hugo Grotius de verit. Relig. Christ. lib.* V. *Selden. de jur. Natur. & Gent. lib.* III. *cap.* II. Adamum & postea filios ejus ex instinctu naturæ sacrificasse, neque Dei aliquo mandato opus habuisse. * Qua etiam hypothesi Romanenses postmodum sacrificium suum Missaticum sustentare conati sunt. Sentit sic inter Veteres *Justin. Martyr.* apud *Bellarmin. lib.* I. *de Miss. cap.* XX. *Nemo eorum, qui ante legem pecudes Deo obtulit, divino id jussu fecit, quanquam patet, talia acceptasse Deum; & acceptando ostendisse, charum sibi esse, qui offerebat.* Et licet integram farraginem consentientium recensere possimus, non potest tamen tuto ei sententiæ assensus præberi. Vix crediderimus, agere nos aliquid posse in fide nullo præcepto divino adducto, hoc idem esset, ex fide agere & ex ratione, vel fidem nullam esse, quæ non respiceret tam præceptum, quam promissum. Unde videre non possumus, quomodo se extricare queant *Spencerus* & *Grotius* eorumque sequaces, qui sacrificia ad solum naturæ jus referunt, quid enim est jus naturæ? Ea in re a *Grotio* informabimur, cum ille validus sit & argutus sententiæ Spencerianæ Patronus. *Jus*, inquit, *naturale* est immutabile, ut ne quidem a Deo mutari queat. Si itaque jus naturæ est immutabile & sacrificia sunt e jure naturæ, nonne necessario sequitur illa nulli non homini, nullo non tempore esse observanda? quod autem ex jure naturæ agimus, & quidem recte agimus, id quoque Deo imperante agimus, cum lex naturæ sit maxime divina, & ea ipsa, quæ gentes reddet *ἀναπολογήτους*. Quid hac opinione absurdius esse potest? etenim si adeo immutabilia sunt sacrificia, ut ne a Deo quidem mutari queant, nonne invicte inde sequitur, in hunc ipsum diem ea continuanda esse, non spiritualia tantum & eucharistica, sed externa hircorum & ovium, quo quid absurdius? Ne itaque actum agamus, remittimus Lectorem ad *Cl. Saldeni otia Theologica, qui exercitat.* VI. *pag. m.* 328. 329. *seq. totam controversiam discussit.* Quicquid igitur videatur illis, non dubitandum quin sacrificiorum religio primis hominibus a Deo mandata sit, adeoque externo verbo instituta non hausta ex naturæ lumine. Inter veteres disertis verbis hoc asserit *Eusebius Demonstrat. Evangel.* I. 10. ubi *λογισμὸν* sacrificiorum negat fuisse *τυχόντα*, vel *ἀνθρωπίνως κεκινημένον*, & asserit potius eam *divino nutu insinuatam*. Confer. Cl. *Heidegger. histor. Patriarch. edit. Amstel.* 1667. *pag. m.* 176. 177. qui fuse.

[9] *Esse sibi munera Cain ingrata*) Uterque ergo frater sacrificavit, sed dispari eventu. Quid autem & Cain & Abel obtulerint, haud in propatulo est, nisi quod indicet Moses generice, fuisse fructum terræ respectu prioris, & primogenita gregis adipemque eorum ratione posterioris. In specie Mincham Caini *Sagmen* fuisse existimat *Grotius in Genes.* IV. Verum merito miramur, quomodo ejusmodi *Sagmen* in mentem Grotii venire potuerit, cum in Hebræo פרי exstet, quæ vox nil aliud, quam fructum arboris significat. Sunt qui *Abelem* obtulisse putant, non animalia viventia, sed lac eorum & lanam; per *adipem* cujus Moses meminit, intelligentes lac pinguissimum: sed nullo id adstruunt argumento. Estque plane falsa hypothesis, quæ ipsos in errorem eum induxit: tempore nimirum antediluviano vesci animantibus, nedum sacrificare ea, in usu non fuisse. Et falsa hypothesis illa est a *Curcellæo* nuper quidem recocta, sed tam erudite a Cl. *Heideggero* profligata, ut jam mortua pene & sepulta esse videatur. Horum sacrificia disparem eventum habebant; *Caini* quippe victimam repudiavit Deus, eam vero, quæ Abelis erat, acceptavit.

[10] *Cujus rei causa*) Multæ causæ a Doctoribus afferuntur, quibus conjiciunt, rationesque assignant, cur Deus non respexerit *Caini* sacrificium, sed modo *Abelis*. Quidam dicunt, quod *Cain* fructus quidem terræ, sed non primitias illorum obtulerit, vel parca nimis manu, neque satis liberaliter sacrificaverit. Unde adscriptum Abeli, quod dixerit:

Sacrum pingue dabo nec macrum sacrificabo

Cain e contra, quod reposuerit:

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum

Verum hæc nulla ratione idonea nituntur. Alii alias causas fingunt. Hebræi dicunt, *Cainum* semen lini obtulisse ejusque munera minus grata Deo fuisse, quod essent fructus terræ jam a Deo maledictæ. Verum & hæc sententia reprobanda. Alii alias recensent, quas adduxerunt Cl. Heidegger. in histor. *Patriarch. pag. m.* 182. & *Salden. in otiis Theologic. pag. m.* 333.

[11] *In Caino indoles inerat pravi ingenii*) Causam reddit hanc *Cunæus*, quod in Caino fuerit pravum ingenium; Verum enim vero & hæc ratio non ex omni parte sufficiens. Accuratior hac in re est Anglus doctus *Williams* in lib. *the best religion. fol. m.* 257. ubi ita disserit: *God will accept of no offering untill the offerer be first accepted, as you may see Gen.* IV. *where God is said respexisse ad Abel & ad munera ejus, first to have respect unto Abel because he was just and holy hinselfe, and them unto the gifts, because they were de primogenitis gregis, and so were gifts without blemish, as himselfe was without hypocrise.* Inter omnes autem hæ rationes possunt dari. (1) Quod ille (Cain) sacrificans operi operato ut passim Gentes, hic non nisi semine mulieris nitere-

* Hic notarum auctor nec extremis quidem labris Ecclesiæ Romanæ doctrinam de Eucharistia attigisse videtur. Nam Sacrosanctum Missæ Sacrificium ex monumentis longe hac hypothesi gravioribus Catholici Theologi demonstrant; ex verbo Dei scilicet scripto; Ex traditionibus etiam Divinis revelatis, atque Ecclesiæ concreditis. Ex ipsa insuper Ecclesiæ disciplina, ac recepta ubique Ecclesiarum consuetudine quæ ferme semper credendorum dogmatum exstitit locupletissima interpres; Et denique ex perpetua utriusque Ecclesiæ orientis scilicet, & occidentis constantissima consensione, cum & ante, & post schisma totum oriens Missæ Sacrificium peragere nunquam desierit. Lector philodoxus legat quæso *Johannem Maldonatum tom. p. de Missæ Sacrificio*: Arnaldi egregium opus *la Tradition de l' Eglise touchant l' Eucharistie*, & libellum Gallice scriptum *l' Eglise Protestante detruite par elle-mesme. A Paris* 1699. Observare etiam præstat opinionem illam, quam Nicolai hypothesim appellat esse sententiam vulgo receptissimam. Nam fideles antediluvianos summo Numini Sacrificia obtulisse manifestum est, Deum vero O. M. suo peculiari præcepto id expresse imperasse nullibi exstat: igitur credere oportet illius ætatis homines ex Divinæ naturalis legis dictamine sacrificia necessaria judicasse ad colendum eo, quo decet modo creaturarum omnium conditorem, ac Dominum.

teretur. (2) Quod is fructum tantum terræ, hic seipsum Deo obtulerit. *Rom.* XII. 1. 2. Unde ἄρνιος τῦ χριςῦ *Chrysostomo* dictus. (3) Quod illius persona Deo ingrata fuerit, hujus vero gratissima per *fidem* nempe, qua in Messiam venturum recumbebat. Ex *fide* enim, inquit Apostolus *Hebr.* XI. 4. sacrificium fecit *Abel*. Fuitque fidei illius manifestum indicium, quod *Abel* supplicationem suam pro peccatorum remissione conjunxerit cum sacrificii hilastici sanguinolenta oblatione, quæ sine fide Deo placere non potuit. *Hebr.* IX. 22. Censemus inquit Cl. *Cloppenburg. in Schola Sacrificior. p.* 15. hac parte potiorem fuisse Abelis oblationem præ oblatione *Caini*, quod ipse supplicationem suam pro impetranda peccatorum remissione testatus sit per sacrificii propitiatorii cruentam oblationem, cum alter dona sua Eucharistico ritu offerret χωρὶς αἱματεκχυσίας. Offert autem aliquis *per fidem* (1) cum sacrificii actum a Deo in verbo suo, vel alia qualicunque revelatione imperatum vel permissum esse novit. Fides enim est ex auditu *Rom.* X. 17. atque hoc etiam *Caino* non defuit. (2) Cum sacrificium ejus fiduciam remissionis peccatorum per Mediatorem exhibitum vel exhibendum connexam habet. (3) Cum sacrificans cum oblatione sua seipsum sacrificium vivum, sanctum & Deo acceptum etiam offert. *Rom.* XII. At hisce duobus destitutus fuit *Cain*: non enim ad Deum accessit cum fiducia in ejus gratiam, nec cum certo consilio Deo se devovendi. Ut igitur compendio agamus, cuncta hæc summatim habet *Fagius in Genes.* IV. Sacrificium, inquit, Caini non ideo repudiatum fuit, quod non fuerit satis splendidum, magnificum, aut recte dispositum, sed ob id potissimum, quod illi defuit primum & præcipuum, quod in omnibus sacrificiis & ceremoniis requiritur, nempe fides, veraque animi gratitudo de Dei beneficiis. Sunt enim Sacrificia gratiarum actiones, deditiones in obsequium Dei, animique attestationes, sese Deo mancipantis, ac de gratuito favore gratiam habentis. Hoc certe carebat Cain, ideo repulsam passus. Confer. *Henric. Ainsworth. Comment. in h. l. fol. m.* 21. *edit. Londin. Mœbii Dissertat.* aliosque.

[12] *Messiam-promitti*) Recte in Protevangelio Messiam fuisse promissum probatur. Hic solus scopus & fundamentum unicum & singulare; qui solus contra vim Satanæ & mortis efficacissimum solatium Protoplastis præbere debebat. Jam autem necessum erat, ut Messiæ aliqua in textu exstaret appellatio; Quomodo enim scire potuissent illi, in quo fiduciam suam contra peccata & conscientiæ morsus ponere deberent, nisi expressa aliqua nomenclatura exprimeretur *Messias*. Cum autem nullum aliud in hac omnium prima promissione exstet nomen, præter *Semen mulieris*, merito concludimus hoc ipso intelligi Messiam. Hinc illud μονοπροσώπως & κατ' ἐξοχὴν de nullo alio intelligimus quam de Messia. Digna proinde & notatu digna sunt verba *Helvici dissertat. de desider. Evæ & Protevangelio th.* 23. 33. *pag.* 73. 78. asserentis: Si hic contextus non de Messia, Satanæ potentiam eversuro & ab ea homines liberaturo intelligitur, sequitur Adamo & Evæ nullum relictum fuisse solatium & remedium adversus iram Dei ob commissum peccatum; neque etiam posteritas, cujus causa in Adamo agebatur, habuisset tale solatium, nisi in Scripturis publice promulgata fuisset hæc promissio. At hoc plane absurdum. E. & prius. Consequentia est certa. Idem enim, quod scitu necessarium fuit Adami posteris ante Mosen, ipse Moses suæ posteritati jussu Dei literis consignavit. Si igitur in Mosis textu tale solatium non annotatum est. Ergo nec qui ante ipsum vixerunt, illud habere potuerunt. Imo quandoquidem Moses divino instinctu primam originem peccati, malorum omnium, ipsiusque mortis describere debuit, παράδοξον omnino fuerit, remedium omnium malorum, quod præcipuum est (scopus utique promissionis hujus) ab eo omitti. Illud non demum Mosis tempore monstratum est, sed oportuit statim, post peccatum introductum, humano generi monstrari, cum quidem alias nulla causa discriminis exstet, cur quidam homines damnati, alii vero salvati & remedii participes facti fuerint. Ex dictis patet, voce Seminis mulieris sensu literali & proximo tantum intelligi *Messiam* adeoque Christum Jesum ex Maria Virgine in tempore natum. Confer. *Jacob. Trigland. in Antapolog. apolog. Remonstrant. oppos. m.* 268. 269. *edit. Amstel. Friedlib. Theol. exeget. fol. m.* 33. *edit. Francof.* 1660.

[13] *Optimus interpres*) Non negandum quod omnes Patriarchæ & Prophetæ Christum prænuntiarint. *Tertull. lib.* 3. *Carmin.* contra *Marcion. c.* 11. cum de antiquis oraculis loqueretur, ita canit: *Omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.* Imo veteres Rabbini & inter eos R. *Sal.* in *Zachar.* palam fatentur, Prophetas universos nonnisi de Christo Domino vaticinatos: intellige principaliter: quia, quæcunque dicunt, aut de Christo sunt, aut ad Christum referuntur. Christus est fœderis arca, cui utrumque testamentum inclusum. Jam autem nemo mysteria de Christo melius interpretari potuit quam Christus, ille est Scripturarum optimus interpres, qui humana specie indutus adfuit, ut aperiret sensum Scripturæ. Hic est, qui habet clavem Apocal. 3. i. e. potestatem interpretandi Scripturas.

[14] *Clausus liber*) Olim in veteri Testamento omnia Sacrificia obscura, & quasi in clauso libro contenta erant. Nemo illorum mysticas significationes intellexisset, nisi per Christum hæc explicata fuissent. Erant quoque Oracula ænigmatibus quasi involuta & signaculis obsignata. Unde bene *Hieronym. ad Ezech.* 44. locum scribit: prius, inquit, quam Salvator humanum corpus assumeret & humiliaret se, formam servi accipiens, clausa erat lex, & Prophetæ, & omnis scientia scripturarum clausus erat paradisus. Postquam ille pependit in cruce & locutus est ad latronem: Hodie mecum eris in Paradiso, statim velum templi scissum est & aperta sunt omnia, ablatoque velamine dicimus, Nos omnes revelata facie gloriam domini contemplantes &c. 2. *Cor.* 3. 18.

[15] *Signacula solvit*) Uti Johannes *Apocal.* V. 3. retulit. Omnia etenim vaticinia, omnes Prophetiæ sigillis quasi obsignatæ erant, quis dignus reperiri poterit, solvere signa? Nemo ab omni ævo repertus fuit, qui plene promissa ea explicare potuit. vid. *plurib. disser. Coccej. Comment. in Apoc. fol. m.* 29. Flebat multum Johannes, quia nemo repertus; mox autem vox de cœlo: Ecce, inquit, vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum & solvere septem signacula. Ubi *Rupertus*: Nisi, inquit, ille veniens adimplesset, nemo intelligeret; & tanquam signacula firmissima solvere cupiens, frustra laboraret. Quibus verbis non modo significat, solum Christum Dominum esse verum scripturarum interpretem, sed etiam insinuat, optima interpretandi ratione usum esse, quæ in eo sita erat, ut non tantum exponendo, sed multo magis implendo scripturas declararet: imo hoc ipsum insinuat *Johannes*: dixit enim vicisse leonem, ut aperiret librum, hoc est, moriendo ac resurgendo, de peccato ac diabolo triumphasse, ut non tam dictis, quam factis scripturas aperiret.

[16] *Virga ferrea*) Regius Psaltes Christi regnum prædicens dicit Psalm. 2. Reges eos in virga ferrea, ex quo hæc Johannis verba desumta videntur, & ita verba explicari possunt. Eorum Rex ac Dominus eris, illos sceptro tuo moderaberis virgaque tua judicabis. Sceptrum autem apud Veteres virga fuit ære ornata, cujusmodi sceptrum illud, quod *Vulcanus Jovi* primum fabricavit, fuisse dubium non est, quod ab eo ad Agamemnonem Regem, & secundum eum ad alios Reges usu traductum *Homerus* tradit. Quid autem per ferream virgam intelligatur variæ sunt sententiæ, quæ tamen omnes ad Christi regnum quam proxime accedunt. Accipimus ergo *ferream Virgam* pro perenni sceptro, ut dixit *Ovid.* 15. *Metam.* uti *Jerem.* 1. columna ferrea dicitur firma, perpetua, & nunquam e suo loco convellenda: & *Mich.* IV. *Ferreum cornu Ecclesiæ*. h. e. invictum atque sempiternum; Hinc *virga ferrea* sive sceptrum ferreum perpetui, sempiterni, inexpugnabilisque imperii Symbolum, atque imaginem præ se fert: quod *Daniel.* 2. cap. confirmatur. Confer. *Geier. Comment. in h. l.*

[17] *Ecce Ecclesia & Messias*) Verba Johannis *Apocal.* XII. quæ ab authore recensentur sunt verum Emblema Ecclesiæ fidelium Veteris Testamenti, luce verbi divini radiantis, potestate mundana regiminis seniorum suffultæ, coronatæ sanctis Prophetis, Patriarchis duodecim tribuum: quæ ex-

specta-

spectabat Christum, & in illius exspectatione angebatur & cruciabatur, instar mulieris parturientis, quæ etiam post exantlatos dolores peperit masculum filium, scil. Christum, qui secundum spem & exspectationem fidelium natus. vid. *Coccej. Comment. in h. l. fol.* 60.

[18] *His draco insidiatur*) Certe quicquid unquam Servatori in vita triste atque acerbum accidit, id omne culpa potissimum & instinctu diaboli accidisse credendum. Ille enim est, cujus voluptas est enervare eum scil. Messiam, de quo ab initio capitis fidelium sermo est. *Esa.* LIII. 10. Ille draco rufus est, qui coram muliere constitit, quæ paritura erat, ut, simul atque peperisset, deglutiret filium ejus. Ille eum tentavit, simul ac ex aquis adscendit baptismi, ad munus dehinc publicum semet accincturus. Ille solum in deserto inter belluas versantem mille nequitiarum & technarum suarum fraudibus, veluti totidem ignitis jaculis ipsos XL. dies & noctes adortus est *Marc.* I. 13. *Luc.* IV. 2. Cum Dominus Jesus pridie ejus diei, quem ultimum habuit hujus vitæ, *Betania Hierosolymam* contenderet, tanquam ad palæstram suam palam discipulis innuit, sibi jam non tam cum hominibus, quam cum Satana, qui cum stygiis suis copiis omnibus in eum moturus erat, conflictum acerrimum fore, quando ait: Venit ille hujus mundi Princeps & in me nihil quicquam habet. Joh. XIV. Neque minus certum est Ecclesiam cum luctas, omnes & angustias spirituales, tum corporales miserias atque tribulationes suas Serpenti veteri, tanquam primario opifici, & semini ejus tanquam organis, quæ pro nutu suo agit ille movetque, acceptas debere referre. Ac uti Leopardum ferunt, μισάνθρωπον belluam, si homo absit, vel in cassam hominis imaginem facere impetum, eamque sive sculptam sive pictam miseris dilacerare modis, ita hostis ille humani generis plusquam ἄσπονδος, cum ad Christum in cœlis absentem pertingere nunc amplius non possit, in Christi pios & fideles involat, qui ejus viva in terris sunt imago, eosque omnibus modis insectatur & infestat.

[19] *Vetus serpens*) Recte scribit Autor, veterem serpentem esse diabolum, cujus verticem soboles mulieris sit fracturus. Licet Judæi putent nihil hic mysterii latere; attamen Christiani ductu Scripturæ & Propheticarum explicationum agnoscunt hic fontem omnis salutis & primam promissionem de remedio adversus peccatum, de vindicta a Satana seductore humani generis sumenda, de contritione potentiæ & destructione regni ejusdem a Messia (semine mulieris ἑνικῶς dicto) perficienda, per passiones quas vicissim a Satana sustinere debuit.

[20] *Nullis capitulis*) Sacram Scripturam a Christianis primævis distinctam esse in partes aliquas, tam majores, quam minores, quæ occurrunt sub nominibus περικοπαὶ, κεφάλαια, τίτλοι dudum a doctissimis viris *Stephano*, *Casaubono*, *Crojo*, *Huetio Suicero & Simonio*, quibus addatur celeb. *Vitringa* observatum, pluribusque declaratum argumentis, quorum industriæ nihil in hoc genere habemus, quod addamus.

[21] *Hominum naturale odium in serpentes*) a tempore quo edictum hoc ex ore divino prolatum; ad Serpentis occursum visi sunt homines contremiscere toti, unde autem id factum, nisi ex eo, quod Deus naturalem quandam, post peccati labem, mortalibus ἀντιπαθείαν adversus eum indidit? quam statim arrepta ad conspectum ejus fuga testantur. A quo veteri certe & inolito in eum odio, natum esse suspicamur adagium. *Odit cane pejus & angue*. Sic Horatius.

> *Alter Mileti textam cane pejus & angue*
> *Vitabit chlamydem*

Quas phrases odii viperini ac serpentini apud profanos vulgatas & sæpius repetitas, inde crediderimus profectas, quod denuntiatio belli internecini inter mulierem & serpentem olim futuri, a Deo rerum præscio facta, ad gentiles etiam, quasi traditionis & antiquitatis traduce manarit. Hæ sunt rationes eorum statuentium, hominum naturale odium in serpentes, quos etiam sequitur *Cunæus* noster. Verum si odium naturale hominum fuit; cur Eva non fugam cepit, serpente viso. Hinc R. *Bechai fol.* 16. super hæc verba Genes. III. 15. ita scribit: Non sunt nobis inimicitiæ cum serpente magis, quam cum cæteris reptilibus. Ergo talis est intelligendus serpens, inter quem & genus humanum maxima est inimicitia, eaque non nudi affectus, sed odium exercitum, h. e. infensissimum bellum infensissimis inimicitiæ affectibus gerendum. Ille vero quis alius, quam Draco, quem Johannes Apocal. XII. graphice depingit?

[22] *Pedibus amissis*) Hic iterum *Cunæus* eorum sententiam ambabus quasi manibus amplectitur, statuentium, serpentem olim erectum ingressum. *Schindlerus in Lexico suo fol. m.* 1107. scribit: *Serpens loqui poterat & erectus incedebat, Deus ei vocem & pedes ademit*. Et ipsum *Lut.* adducimus asserentem instar cervi vel pavonis eum incessisse, quem D. *Hunnius*, *Johannes Conrad. Dieter. Antiquit. Bibl. fol. m.* 92. & plures alii secuti sunt. Ipse *Josephus lib.* 1. *cap.* 11. *de Antiq. Judaic.* de Deo ita loquitur: ἀφείλετο τὸ ὄφιν τῆς φωνῆς *vocem Serpenti ademit*. Et paulo post: ποδῶν τε αὐτὸν ἀφυστερήσας σύρεσθαι κατὰ τῆς γῆς ἐπισπώμενον ἐποίησε *& pedibus eum privans fecit, ut per terram repens traheretur*. Et *Basilius sermon. de Paradis.* inquit: *Non erat serpens formidabilis, sed mitis & mansuetus, nec fluctuans terribili modo super terram & repens, sed sublimis incedens in pedes*. Nec absentit *Barcepha lib. de Paradis. cap.* 27. & apud eum D.*Ephrem*. Hebræi quoque antiquissimi in *Bereschith Rabba. fol.* 12. scriptum reliquerunt: *Erectus stabat serpens instar arundinis & pedibus erat præditus*, quod Aben-Ezra asseverare videtur. Et R. *Salomo Comment. in Jerem.* 47. 22. ad verba: *Vox illius quasi serpentis*, scribit: *Discimus exinde, Deum Benedictum cum ad serpentem diceret, super ventrem tuum ibis, abscidisse pedes ejus*. Quod commentum *Jonathan* quoque ad *cap.* 7. 9. *Exodi* suum fecit, & legitur in *Pirke R. Eliesеris*. His favere videtur, quod quidam e priscis de serpente bipede *in Papho* conspecto *Plinius* de pedibus aliorum serpentum anserinis, *Scaliger* exercit. de anguibus quadrupedibus in *Malabar* & *Calicut* existentibus, & alii denique de *Draconibus bipedibus* in literas retulerunt. Huc alludere fabellam apud Poetas celebratam ab Helena putamus, quæ serpentum homogeneorum cerastæ & hæmorrhoi spinas confregit omnes, ut sic *Canopi* naucleri sui a ceraste interfecti manibus parentaret: videatur *Johan. Bompart. in parallel. Sacr. & profan. pag. m.* 25. Verum nunquam hi assensum nostrum habebunt; minime dixerimus, serpentem pedibus præditum fuisse. Si enim Deus post lapsum nihil in natura mutavit testibus *clar. Bocharto in Hierozoic. & Molinæ. lib.* 4. *cap.* 2. *de Vatib.* sequitur, serpentem nunc non aliam formam induisse, quam olim habuerit. Confer *Conrad. de Hase diatrib. de Prot-Evangel. Paradis.* Interim tamen verisimile est, serpentem ita incessisse, ut parte anteriore terram non contingeret, sed super solum ventrem provolutus magna agilitate pectus caputque in sublime attolleret. Postmodum vero de hac sui incessus non solum facilitate, sed & decore multum amisisse, cum vi hujus sententiæ non alvum solummodo suam, sed totum corpus ipsumque adeo pectus trahere & per cœnum volutare coactus.

[23] *Neutiquam Satanæ congruit*) Utique si naturaliter vel physice verba intelligenda essent, Satanæ non congruerent verba. Jam autem constat, serpentem hunc nequaquam fuisse nudam bestiam, sed ipsum diabolum. Hinc omnia sublimius intelligenda. vid. *D. Abraham. Calovii dissert. de inimicitiis inter serpentem & mulierem edit. Witteb.* 1662.

[24] *Brutum animans excepisse voces*) *Cunæus* dicit rem inauditam non esse, bruta voces reddidisse; verum satis mirandum, si hoc evenerit & contigerit. Nam sermo non est bestiæ, sed rationalis creaturæ summa scientia præditæ. At excipiunt statim Judæi, serpentem hunc in primæva creatione & sermone & intelligentia a Deo instructum fuisse, unde non mirum, quod hoc modo Evam circumvenerit. Verum vana sunt hæc somnia. Etenim primo diserte *vers.* 1. & 4. testatur: Serpentem hunc bestiam agri fuisse & brutum. Jam constat, bestias agri & bruta in eo opponi homini, quod ratione & loquela destituta sint. Caruit igitur serpens hic

insita

insita & propria facultate sermocinandi, intelligendi, disserendi & ratiocinandi, veluti cæteræ bestiæ omnes, quamvis calliditate & elegantia gestuum alias vinceret, quale discrimen etiamnum in vulpecula, felibus aliisque deprehenditur, quibus tamen nemo sanus ob id rationis usum tribuit. Evincitur itaque hinc, adventitiam esse illam serpentis sermocinationem, ab altiori principio, natura videlicet intelligenti, profectam. Non itaque serpens intellexit, quæ diceret, sed intellexit diabolus, qui per serpentem loquebatur. Hinc Aben-Ezra Comment. in Genes. his verbis: Dixit R. *Saadia Gaon*: Quandoquidem exploratum est nobis, quod non sit sermo scientiæ, nisi in homine solo, cogimur dicere, quod serpens non locutus sit, sed Angelus quispiam malus.

[25] *Jam de Bileami Asina*) Ut author suam opinionem demonstret, refert exemplum asinæ *Bileami*. Verum & ipsi hoc loco assensum non præbemus, quod ipsa naturali modo locuta fuerit asina. *Tostatus ad h. l. quæst. 9. p. 63.* judicat, quod *intra corpus asinæ quædam organa noviter fabricata fuerint, in quibus potuerit fieri talis vocum formatio. Deinde, inquit, Angelum cum gladio evaginato stantem fuisse in corpore asinæ, perque nova illa organa articulatam vocem formasse, finita vero locutione exisse assumto corpore aereo, prehensoque gladio coram* Bileamo *stetisse in angustia viarum, sicut prius fuerat coram asina, quæ humi jacebat*. Lorinus Comm. in h. l. p. 845. censet, Angelum per asinam locutum esse, ita ut sermo ex ore asinæ egredi visus. Neutra autem harum opinionum placet. Non prima, quia Scriptura de nova formatione membrorum in ore asinæ nihil indicat, sed plane silet. Nec secunda, quia in textu expresse loquela asinæ adscribitur. Si vero Angelus per asinam fuit locutus, tunc asina haud magis diceretur locuta, quam domus, in qua loqueretur Angelus, aut templum in quo loquitur concionator. Omnino itaque ex asinæ lingua processit sermo, sed eam movente Angelo, ipsi in via adversante, & modo palatum, modo ad labia, modo ad dentes allidente & inflectente, prout erat necesse, & aerem ad sonos formandos requisitum intra fauces comprimente, ne per belluinos rictus intempestive reflueret. Non tamen fuit verus sermo asinæ. Sermo enim est imago mentis. At in asina nihil fuit tale. Haud enim capiebat animo voces, quas ore suo proferebat. Tantum per agens extrinsecum mota lingua illas formabat voces. Confer huc Cl. *Bochart.* Non dissentit *Cornelius a Lapide in h. l. pag. 864.* qui expresse scribit, hanc locutionem factam fuisse per errata asinæ. Quando autem addit, Angelum hunc, qui linguam & vocem per organa formavit, fuisse *Michaelem* præsidem Synagogæ Judæorum, vel uti *Lorinus* asserit, præsidem asinorum, in eo merito deseruntur. Neque illud hoc loco silenti pede transeundum, quod Satanas tanquam simia Dei hanc asinæ loquelam multoties æmulatus fuerit. Hinc in diversis locis non una vice per bruta voces & oracula edidit. Sic *Xanthum* Achillis equum vocalem & loquentem inducit *Homerus Iliad.* 19. in fine. Idem prodit *Oppian. l. 1. Cynegeticon* V̸. 226.

Equus in pugna quondam rupit vincula silentii
Et naturæ leges superavit & sumsit vocem
Humanam & linguam similem hominibus.

Alium equum præsagium edidisse, notat ex *Ditmari Chron. Phil. Cluver. l. 1. antiquit. German. cap.* XXXVI. *pag.* 260. de Tauro idem refert *Theocrit. Idyll.* 20. *Liv. l.* 35. bovem hæc verba edidisse scribit: *Roma cave tibi*. Idem *l.* 24. dicit: bovem in Sicilia locutum, & *l.* 28. bos in agro Romano locutus. *Plutarchus in Marcello*. Bos etiam dicitur humanam vocem emisisse. *Plin. l.* VIII. *c.* IV. Est frequens in prodigiis priscorum bovem locutum. Idem *l.* VIII. *c.* XLI. testis est, canem locutum & serpentem latrasse, cum pulsus esset regno Tarquinius. Multa alia ad rem *Bochart. lib.* II. *Hieroz. cap.* XIV. *Voss. l.* III. *de Idol. cap.* XLIV. *pag.* 960. *edit. in 4to. Lorin. Comm. ad cap.* XXII. *Num. pag.* 895. Confer *D. Mœbii tract. de Oracul. Ethnic. cap.* III. *pag.* 31. *Johan. Bompart. parallel. ad cap.* III. *Genes.* Recte itaque Anglus *Henric. Ainsworth.* *Comment. in Genes. fol. m.* 14. *edit. Londin.* scribit: *Moses under the name of the serpents speaking, closely meaneth Satan, who opened the serpents mouth, and caused it to speake with mans voice.*

[26] *Ministerium*) Serpentem instrumentum fuisse Diaboli ex prædictis patet, cui Hebræorum Doctores calculum addunt, uti citatus *Ainsvvorth.* ex illorum scriptis refert, ita scribens: *The Hebrevv Doctors vvrite, that the uncleane Spirit Sammael* (the Divell) *vvas united vvith the serpent*: R. Menachem on Ge. III.) *Andas a man possessed vvith an evill Spirit, all the vvorkes that he doth, and all the vvords that he speaketh, are not but by the reason of the evill spirit that is in him: so the serpent, all the vvorkes that he did, and al the vvords that he spake, he spake not, neither did, but by the reason of the Devill.*

[27] *Contritione capitis*) Non naturalis contritio intelligenda, sed Messiæ victoria de Satana reportata. Cum enim Satanas utpote Spiritus non habeat corporea membra; itaque per caput intelligenda est summa ejus potentia & maximum robur, quo miseros homines per obedientiam peccati sibi devinctos pro lubitu agitare & in barathrum inferni præcipitare satagit. Conterere itaque caput serpentis, seu destruere Satanæ potentiam & regnum, abolere mortem & peccatum, non est opus communium hominum. Quid enim ψιλὸς ἄνθρωπος cum omni sua virtute, adversus Diabolum præstare queat, a quo superatus est, cum adhuc viribus esset integris? Ideo *Zachar.* 3. V̸. 2. Jehovæ illud opus attribuitur, *Jehova increpet te Satan!* Atqui conterere caput serpentis est opus seminis *Mulieris*. Ergo semen mulieris non est communis turba hominum, sed μονοπροσώποις talis homo, qui divina virtute est instructus, qualis est Messias. Confer *Ovven. de natura ortu & progress. Theol. pag. m.* 125. 126.

[28] *Qualiscunque læsio*) Notandum in angue caput esse potissimum, quod illæsum raro succumbit. *Isidor. Orig. l.* XII. *c.* XXIV. Plinium dixisse notat *Serpentis caput*, etiamsi cum duobus evaserit digitis, nihilominus vivere, *Æliano* teste *lib.* V. *animal. cap.* XXXI. scil. Serpens τὴν καρδίαν κεκλήρωται ἐπὶ τῇ φάρυγγι cum in cæteris animalibus medium pectus occupet. Unde est, quod Epaminondas apud *Polyænum lib.* II. *Stratagem.* ut Thebanos recta in Lacedæmoniorum agmen impelleret, maximum serpentem acceptum ostendit ipsis & ejus capite atrito in conspectu omnium, videtis, inquit, capite ademto, reliquum corpus esse inutile; ita si hostium capita nempe Laconicum hoc contriverimus, reliquum corpus sociorum nullius erit usus. Quapropter serpens in pugna fere in eo totus est, ut caput periculo eximat.

[29] *Centenis plus minus annis*) Hæc hausit ex *Gregorio* Abulpharajo Chronologo Arabico, quem edidit Clar. *Pocockius* asserente: Adamum non nisi triginta annis exactis ab expulsione sua e Paradiso, Cainum genuisse; Abelem autem centum annos luxisse, antequam ad uxorem reversus Sethum genuerit; Sed deliria hæc ῥητῶς rejecit textus Sacer, *Genes.* V. Nec assensum præbemus opinioni Angli alias doctissimi *Henric. Ainswort. Comment.* in *Genes.* IV. *fol. m.* 25. *edit. Londin.* scribentis: *It might be, Adam had other Sonnes and daughters before, but none, in whom such expectation of good was.* Probabile itaque esse, statuimus cum doctissimo Anglo *Johann. Owen. pag. m.* 136. proximo post mortem Abelis anno *Evam* peperisse *Sethum*.

[30] *Tunc cæptum est*) Iterum hic errorem committit Autor noster, cum hoc adscribat *Setho*, quod in Scriptura *Enocho* tribuitur. Ejecto ex Ecclesiæ finibus *Caino*, viguit ejus vis scil. Ecclesiæ usque ad ætatem Enoch. Nova uti videtur corruptio, eaque late serpens, tum temporis invaserat Ecclesiam; quam nova reformatio excipiens delevit. *Tum enim cæptum est*. De quo loco nonnulla adjicienda sunt. Verba Hebraica ita sonant: אז הוחל לקרא בשם יהוה. Sunt ergo, qui Ecclesiæ reformationem; Sunt qui ejus in Idololatriam lapsum, his verbis significari arbitrantur. Multi sunt, qui Idololatriæ ingressum in mundum his verbis notari asserunt. *Targum Jonath.* mentem Judæorum exponens, ita habet: *Illa scil. ætas erat, in cujus diebus inceperunt errare, & fecerunt sibi Idola, & cognominabant Idola sua*

la sua nomine sermonis Domini: Hoc enim Judæos semper persuasos habuit, & adhuc habet, *Enos* primum fuisse, qui Idola fecit & coluit, quod ex oratione eorum satis liquet, quam Cl. *Theodor. Hackspan ex En. Israel p. 73. col. 1. in Miscell. S. Exercit. de Cabb. Jud. p. 429.* refert: *Quicunque observat Sabbathum, ut oportet, ei delicti gratiam faciunt, si vel maxime coleret idola instar Enos profanandi.* His accedit R. *Maimonides*, qui suæ commentationis de Idololatria hoc facit exordium: *Tempore Enosi homines in gravissimum errorem prolapsi sunt, ut etiam Sapientes istius ævi eo se dementari paterentur. Ipse enim Enos ad transgressorum societatem accessit. Hic autem fuit error eorum, ut dicerent: Ecce Deus creavit stellas istas & sphæras ut gubernarent mundum - - - . Cum vero hæc opinio ipsorum corda invasit, inceperunt ædificare pro stellis templa illisque offerre sacrificia.* Confer huc *Henric. Ainsworthii annot. in h. l. fol. m.* 25. Nec desunt, qui hanc sententiam amplexi fuerunt, inter quos est *Lambert. Danæus*, qui ex hoc loco publicam nominis divini profanationem inter mortales invaluisse, probare conatur: de 1. *mund. ætat. lib.* III. *cap.* 1. *sect.* 2. *Johannes Seldenus Anglus eruditissimus Syntagm. de Diis Syris prolegom. pag.* 28. aperte profitetur, se hæc *Mosis* verba intelligere, *tunc profanatum est in invocando nomen Jehovæ*. הֻחַל enim, dicit, in compluribus locis usurpatur hac notione, tam apud *Mosen*, quam Prophetas: *Johannes Drusius* Philologus celebris, qui adhuc aliquas rationes producit, *hoc*, inquit, *mallem, quam invocari*, &c. (1) quia non credibile est, tunc primum institutum fuisse cultum divinum. (2) Quod dicitur *Genes.* V. 12. ambulavit cum Deo, innuit, alios non perseverasse in eo cultu. Hæ vero rationes male habent *Bertramum*, alias e contrario opponentem: (1) non verisimile est, inquit, Sethi posteros ex Cainitarum consuetudine cultum Dei profanasse, cum illi & pauci erant, & infimæ ætatis inter homines ejusdem temporis viventes. (2) Moses corruptionem filiorum Dei arcessit a connubiis cum impiis *Genes.* VI. 3. (3) nec inter causas diluvii numerat *Moses* cultum corruptum. (4) *Lamechus* primus videtur omnis pudoris fines excessisse. Et si ipsum verbum הֻחַל perpendimus, tunc teste *Pfeiffer. Exercit. Bibl. pag.* 128. hoc in obliquo & inserto infinito cum ל sequentis verbi constructum, familiarissime notionem incipiendi habet. Nec in aliam sententiam abit *Polus Crit. in h. l.* הֻחַל cum significat *profanare* regit post se nomen aliquod; at quando regit verbum infinitivum, significat incipere. Eandem opinionem defendit Cl. *Vockerodt in dissert. de histor. Societat. & rei literar. ante diluvium. Johan. Owen. in tract. de ortu & progress. veræ Theol. pag. m.* 139. Non autem diu occupati erimus in evolvenda alterius verbi significatione, cum hoc ante nos fecerit Cl. M. *Johann. Carol. Albhardt. ad h. l. in dissert. Witteberg. habita* 1694. §. 10. 11. 12. Quotiescunque igitur verbum קרא cum בשם יהוה constructum legitur, toties invocationem, & sæpius id omne, quod cultus divini rationem habet; Ita conclusio facilis est, & plura occurrunt Scripturæ loca, quibus sententia hæc probatur. Est igitur sensus de nova introductione cultus divini, sed tantum de solenni; & non corruptio cultus religiosi, sed reformatio Ecclesiæ verbis hisce indicatur. Vide *Johan. Owen. pag.* 139. & Albhard qui plurima ex Theologis testimonia adfert.

[31] *Insignis nobilitat pietas*) Enochi pietatem laudat his verbis Moses: *Et ambulavit Enoch cum Deo.* Anglus reddit, *walked with God.* LXX. habent, καὶ εὐηρέστησεν Ἐνὼχ τῷ Θεῷ. *Et placuit Enoch Deo.* Igitur etiam Paulus *Hebr.* XI. 5. Enochum per fidem testimonium accepisse εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ quod bene placuerit Deo. Est autem εὐαρεστεῖν τῷ Θεῷ colere Deum, grata Deo facere, uti Anglus Henricus Ainsworth. Comment in *Genes.* IV. *fol. m.* 28. *Led his life and administred before God, holily, justly and faithfully, and so pleasing to God.* Chaldæus reddit: ambulabat in timore Dei, & Targum *Hierosolymitan. serviebat coram Deo in veritate.* Licet Rabbini contrarium dicant, attamen firmo stat talo, *Enochum* pium fuisse virum. Hinc Jarchius ad verba ambulavit cum Deo ita explicat: *Justus fuit, sed levis tamen & inconstans, solitus cito ad malum deflectere. Ideo festinavit Deus benedictus & transtulit eum, & ante tempus mori fecit.* Verum hæc cum Apostoli verbis non conveniunt, ergo figmenta Rabbini sunt.

[32] *Mori vetuit*) Multi Hebræorum putant, mortuum esse *Enochum* & post mortem assumtum a Deo. Ita enim *Aben-Ezra* commentatur: *Mortuus est. Sic enim verbum* לקח *accipitur in illo*: Aufer nunc animam meam: Ecce ego aufero a te desiderium oculorum tuorum. Nam post ait seipsum explicans: & mortua est uxor ejus. In hoc raptu Enochi nulla mentio mortis. Ratio exposita est in illis verbis Asaphi: post gloriam assumsit me, sive abstulit me. Eadem mens est *Hiscuni*, qui ex Targum probare conatur, verbum לקח accipi debere in significatione mortis, uti accipitur in illo: *Tolle nunc animam meam.* Lubet audire *Menassen ben Israel de fragilitate humana sect.* XII. *art.* 7. *Quantum*, inquit, *ad Henochum non obtinet inter nostros vulgaris illa opinio, fuisse illum cum corpore & anima in cœlum translatum; quin potius multi antiquorum in* Bereschit Rabba *volunt, phrasin illam loquendi: Et ambulavit Henoch cum Deo, neque est, quia tulit eum Deus, denotare, mortem brevem. Quam sententiam sequuntur R. Selomoh, Abarbanel, Aben-Ezra, qui super eum textum dicit,* מות *mortuus est, ac probat, hunc loquendi modum S. literis valde usitatum esse; velut cum dicebat* Elias, Tolle, quæso animam meam: & ad *Jehazkel Deus ait, ut significaret ipsi mortem uxoris suæ; Ecce ego tollam desiderium oculorum tuorum, ac paulo dicitur eam mortuam esse. Non hinc tamen consequitur, fuisse illam translatam cum corpore & anima in cœlum. Idem quoque de Henocho potest statui, quod & constat ex Tosaphta sub finem primi capitis de Jebamot, & manuscripto exemplari Targum, quod illo tempore exstabat, aut paraphrasi Chaldæa Onkelosi, quæ super ipsum versum dicebat, & non ille, nam occidit ipsum Deus. Sunt tamen Hebræorum plures, qui crediderunt, Mosen dicere voluisse, quod Enoch non mortuus, sed vivus ad Deum translatus sit. Targum Onkelos diserte. Et non interfecit eum Dominus.* Targum manuscriptum, in quo ולא omissum, non meretur fidem, cum plura particulam negantem retineant.

[33] *Ad beatas sedes traduxit*) Etsi vivus ad Deum translatus Enoch, adeoque nulla in ipso facta per mortem corporalem animæ & corporis dissolutio; tamen corpus ejus terrestre, pulvereum, animale mutari debuit, ut fieret spirituale. Cum autem hanc mutationem Paulus vocet mysterium, in id inquirendum non est. De loco, in quem translatus est Enoch anxia est disputatio. Hebræi translatum pertendunt in paradisum. R. David Kimchius in lib. II. Reg. II. 1. interpretatur paradisum terrestrem idque ex Midrasch confirmat. Verba sunt. *Vulgus noster etiam sapientes nostri tenent, Eliam ingressum paradisum cum corpore ibique vivere in statu, in quo erant primi parentes nostri ante lapsum. Similiter Enoch intravit paradisum: unde in Dras: quatuor ingressi sunt paradisum.* Obiter notandum *Johannem Drusium* pro עשרה legere ערבעה quod repugnat tum codicibus, tum sententiæ Rabbinorum, qui statuunt decem corpore & anima ingressos esse paradisum, uti videre est apud *Menass. ben Israel de fragilitate humana sect.* XII. 7. Hinc parum cauti vetustiores quidam Patres sententiam eandem tuentur. *Irenæus lib.* V. *contra hæres. c.* V. allegat traditionem presbyterorum, asserentium, omnes qui ad Deum translati sunt, translatos esse in eum paradisum, quem Deus plantavit in Eden contra Orientem. *Justin. Martyr. Respons.* LXXXV. *ad Orthodoxos* de iis, qui cum Christo resurrexerunt differit: Quam ob causam resuscitati illi non denuo mortem oppetierunt, sed in immortalitate manent, sicut Enoch & Elias, cum quibus in paradiso sunt. Nec aliter *Procopius Gazæus* in *Genes.* IV. Præceptum, inquit, Domini diligenter conservavit Enoch, quapropter ingressus est in paradisum. Nos Enochum raptum profitemur in paradisum, at non terrestrem illum, sed cœlestem, in quo & corpore & spiritu consummatus immutabilem & æternam gloriam in visione Dei faciei adiverit. Sic versio Arabica huic calculum addit teste *Henrico Ainsworthio Comment. in Genes.* V. *fol. m.* 28. *edit. Londin.* Rationes prægnantes legere Lector potest a celeb. *Heideggero* adductas in *histor. Patriarch. pag. m.* 259. 260.

CAPUT SECUNDUM.

Ecclesia identidem admirando Numinis judicio intra unam familiam coarctata. Id exemplis ostensum.

POSTQUAM Enochus terras reliquit, [1] illa ipsa Sethi familia, quam sibi selegerat Deus, afflata seculi veneno est. Qui enim antea sollicite matrimonii conditiones [2] quæsiverant in ea gente, intra quam Ecclesia arctabatur, nunc sanos affectus amplius non tenuere. [3] Mens eorum vanas accepit imagines. Pluris esse formam, quam morum sanctitatem, vitio ipsa suo favens credidit libido. Hæc res contagionem dedit, quæ ab impiorum filiabus profecta, manavit latius. Protinus in ævum erupit omne nefas. Perierat jus, [4] integritas, fides, &, qui semel dimissus nunquam redit in gratiam, pudor. Nullum scelus exemplo caruit: nec vacabat cuiquam vetus odisse crimen, cum quotidie oriretur novum. Tam immedicabile malum aspero remedio indiguit. Non poterat improbitas extirpari, nisi cum hominibus. Perdendum fuit mortale genus. Supererat adhuc Noachus, [5] vir scelerum purus; quem D. Petrus præconem appellat justitiæ, quia voce illius usus est Deus, uti ad sanam mentem flecteret nefarios. [6] Datum illis est spatium centum & viginti [7] annorum, intra quod resipiscerent. Omnino sic accipiendum est id, quod dicitur in sexto capite Geneseos. Nam Flavius quidem Josephus perperam [8] hæc verba in alium sensum detorsit. Nec vero obstat, quod temporum, quæ secuta sunt, calculus haud satis cum serie congruit narrationis. Viderunt hoc eruditissimi Rabbinorum, Aben Ezra, & Salomo Jarchi: sed addunt iidem, quod diligenti dignum observatione est, אין מוקדם ומאוחר בתורה *in libris Mosaicarum legum non tradi quid sit prius aut posterius gestum.* Cum frustra datum ad pœnitentiam tempus esset, [9] concitis undique fluminibus, & immissa pluviarum vi [10] orbis terræ effusus in undas est. De toto modo millibus pauci supererant, [11] quos Deus reliquerat in semen, uti humani generis jacturam nova sobole repararet. [12] Mox instauravit rectum Numinis cultum [13] Noachus: &, ne diluvium alterum formidaret, intueri iridem, [14] atque huic fidere sacramento jussus fuit. Erat Ecclesia tunc paucorum hominum. Et tamen displicuit Deo indiscreta multitudo. Iterum in minorem numerum contractio fit. Etenim, cum Noachus tres filios, Semum, Chamum, & Japhetum genuisset, [15] in unius Semi stirpe Ecclesia hæsit. Chamum natu minimum fuisse quidam perperam colligunt [16] ex verbis Mosis, quæ ad Chami filium potius referri decet, nam ipse Chamus quidem anno uno Semum antecessit, uti recte divinavit Rabbi Zacuth. Certe Hieronymus eandem secutus sententiam est, atque etiam mysterium in hac re latere ait, quod, si verum non est, at est tamen ingeniosum, *nudatum patrem*, inquit, *irrisit major filius, minor texit: & Deum crucifixum illuserunt Judæi, & honoraverunt gentiles.* Verba exstant in disceptatione illius adversus Luciferianos. Post Semum aliquot annis pauca memoratu digna evenere: nisi cui libeat de turri Babylonica tragice ampullari, aut genealogiis volumina implere, a quo mirum in modum mea semper ratio naturaque abhorruit. Demum Abrahamus, qui de Semi nepotibus erat, inter vetusti seculi heroas illustre extulit caput: sub quo juventa quædam Ecclesiæ, & velut robustior maturitas fuit. Enimvero hic est ille justus, quem ab Oriente excitum ait eloquentissimus vatum Esaias. Terram enim Chaldæam, quæ prima nascentem exceperat, patriosque lares, & cætera omnia, quæ longe mortalibus jucundissima sunt, deseruit, uti ignotam adiret regionem, in qua, pedem ubi poneret, non habebat. Sed parendum Deo fuit, cujus auspiciis vocabatur ad majora. Excelsa generosaque res est animus sapientis, nunquam iisdem spatiis, quibus hæc continetur vita, cogitationes suas terminat, quæ multis post seculis eventura sunt, ad se quoque pertinere credit. Intellexerat vir divinus regnum Cananææ fato posteris suis deberi, hoc solatio ille præsentem mœrorem edulcabat. Cæterum spem eam, quam de posteritate habebat, multa morabantur, ipse senex erat, & per ætatem defluxerant vires, uxor vetula, quæ nec florentibus annis pepererat prolem, & tamen, quoniam cœlitus ingentia promissa animum ejus firmabant, credidit Dei immensa virtute fieri id posse, quod negabat naturæ infirmitas. Itaque jure parens credentium dictus habitusque est, primus enim eas res, quæ nec erant usquam, & esse non poterant, animi cogitatione præsentes sibi fecit, intuitusque est. Atque hoc proprium est fidei, quam pulchre sacer codex ὑπόστασιν appellat τῶν μὴ ὄντων. Natus dein Isacus est: is nempe, ex cujus familia olim Messias orietur. Hic iterum Numinis consilia, haud iniqua certe, sed arcana tamen, mirari libet. Ex

Agar Ismaelem susceperat Abrahamus, a quo Saraceni Arabesque traxere originem, & rursus Cetura illi enixa erat non unam prolem. Tot liberorum pater erat religiosissimus senex, cæterum ex omnibus unus modo extitit, cui præcipue suam addiceret benevolentiam summus rerum arbiter Deus. Ab una Isaci gente coli, ab hac una religionem, sacraque, & cæremonias suas suscipi voluit. Sæpe jam habitus hujusmodi delectus fuit, neque enim verebor identidem id iterare, quod scitu est perquam necessarium. Ex Adami liberis tantum Sethus, ex hujus stirpe Noachus, ex Noachi filiis Semus, ex illius posteritate Abrahamus, ac postremo ex numerosa Abrahami sobolè unus Isacus placuit electusque est, cujus familia Ecclesiæ nomen atque dignitatem ineffabili ratione, velut per successionem, sibi vindicaret. Cæteræ gentes, tanquam profanæ, spretæ a Numine, posthabitæque sunt, donec Messias terrarum orbem ingressus, intergerinum disjecit parietem, effecitque, quod dudum Abrahamo promissum fuerat, uti per sobolem ejus cunctis nationibus sine discrimine daretur separata salus.

NOTÆ AD CAPUT SECUNDUM.

[1] *Terras reliquit*) notanter dicitur reliquit, quia Enochus ea vitæ integritate præfuit, ut vivus cœlesti academiæ socius adscriberetur. Verba Scripturæ *Genes.* v. 24. ita sonant: *Et ambulavit Enoch cum Deo, & non erat ipse, quia tulit eum Deus.* Non hic verba facturi sumus de nomine *Enochi* & varia explicatione, quia hoc ante nos præstitit vir celeber. *Joh. Henric. Heidegger. in histor. Patriarch. edit. Amstel.* 1667. *exerc.* IX. *p. m.* 253. 254. Sed jam disquirimus an terram reliquerit cum per mortem abire coactus; an vero non mortuus & in cœlum translatus fuerit; cum vox לקח quæ in textu Hebraico legitur, aliquando ablationem ex hoc mundo per mortem; aliquando ablationem per assumtionem seu translationem significet. Vid. *Henric. Ainsworth. Comment. in Genes. c.* v. *fol. m.* 28. *edit. Londin.* Hinc multi sunt, putantes, mortuum esse *Enochum* & post mortem assumtum a Deo. Ita enim *Aben-Ezra* commentatur, cujus verba apud citat. *Heidegger. pag. m.* 256. expressa reperiuntur. Eadem opinio in medium profertur & defenditur ab *Hiscuni*, qui ex *Targum* probare contendit, verbum לקח accipi debere in significatione mortis, ut accipitur in illo: Tolle nunc animam meam. Lubet hic etiam in scenam producere R. *Menass. Ben Israel* in libro elegantissimo *de fragilitate sect.* XII. *art.* 7. ita differentem: *Quantum ad Enochum, non obtinet inter nostros vulgaris illa opinio, fuisse illum cum corpore & anima in cœlum translatum* &c. Ipse tamen *Menasses* in sequentibus hujus loci verbis contrariis testimoniis non videtur calculum addere iis, qui mortuum *Enochum* statuunt. Licet hi cum aliis hoc statuant, attamen plures inter Hebræos sunt, qui crediderunt, *Enochum* translatum fuisse, quos allegatos vide apud cit. *Heidegger. pag. m.* 257. Confer *Ainsworth. fol. m.* 28. qui hæc addit: *God tooke him that is translated him, saith the Apostle Hebr.* XI. 5. *Where the Arabike version addeth, he vvas transslated in to Paradise* &c.

[2] *Matrimonii conditiones*) Plerumque conditiones hæ fuerunt, ut pii Sethitæ matrimonio sibi jungerent pias uxores, ne ex earum consortio seducerentur. Nullum enim est dubium, quin pii ex familia *Sethi*, se separaverint a maledictis Caini, & in locum peculiarem secesserint, uti *Eutychius Patriarcha Alexandrin.* a *Selden.* edit. refert, qui affirmat, quod Cainitarum & Sethitarum disterminatio & separatio statim post Adæ mortem facta, & in montem adscenderint Sethitæ, Cainitæ autem in valle permanserint. Studebat Sethi proles sanctitati & puritati, atque obediens erat mandatis Angelorum, quos sibi vicinos habuit. Et cantibus & laudibus utebantur illi filii Dei. Imo affirmat citatus author, quod Sethus juramento obstrinxerit illos, ne rem ullam haberent cum Cainitis, quando ita scribit: Appropinquante obitu Sethi adjuravit ille posteros suos per sanguinem Abelis, ne descenderet eorum quisquam e monte Sancto ad posteros Caini maledicti. vid. de his plur. *Selden. lib.* I. *de Synedriis Hebr. cap.* 11. *pag. m.* 316. *edit. Francof.* Hinc *Patricides* Arabs Annal. p. 26. per filios Dei Sethitas intelligit, quod montem sanctum incoluerint. vid. Suid. in voce Σὴθ. Cum itaque Sethitæ & Cainitæ religione & pietate & animo separati essent, ita etiam loco & habitatione. Et post Adami obitum videtur separatio facta religiosior, ut nefas haberent *Sethitæ* cum Cainitis societatem, commercium, MATRIMONIUM inire. Idque satis colligitur ex *Genes.* VI. 1. 2. 3. ubi *Sethitarum* cum *Cainitis* conjunctio tanquam nefaria describitur. Manet igitur firmum *Sethitas* in matrimonio contrahendo hoc obnixe observasse, ne cum impiis se matrimonio jungerent.

[3] *Non tenuere*) Non perstiterunt Sethitæ in pietate sua, sed pravis concupiscentiis allecti, posthabito mandato, libidines exercuerunt cum impiis. Quæ Cainitarum Theologia, qui mores & studia perversa, exercitationibus 3. 4. & 6. prolixe demonstravit celeber. *Joh. Henric. Heidegger. in histor. Patriarcharum*, quem evolvant Lectores & pessimos mores studia nefanda facile deprehendent, unde facile colligere possunt, habuisse Sethitas aversandi matrimonii causas permagnas. Confer Anglus acutus *Johan. Owenus de natura, ortu & progressu & studio veræ Theolog. cap.* III. *pagin. m.* 138. 139. *seq. edit. Bremens.* 1684. Nunc autem illi, qui se per aliquot forsan annorum centurias a communione malorum, quæ semper defectionis Ecclesiasticæ causa extitit præcipua, segregarunt, temporum successu illi etiam aucti fuere prole improba; unde factum quod hi effreni libidine Apostatarum filias sibi connubiis junxerint. Quod igitur sceleratum & nefarium illud *Sethitarum* & *Cainitarum* matrimonium fuerit, adeo ut dignum, ut una cum aliis peccatis diluvii pœna expietur, constat ex Scriptura Sacra & quidem ob sequentes rationes. Primo enim matrimonium illud ortum est ex aspectu adultero, sive concupiscentia oculorum. Nam filii Dei videntes filias hominum כי טובות quod pulchræ essent, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Anglus reddit: *tooke unto them that is, tooke to them selves, and regard not the counsell of their godly parents, nor the will of God.* Hinc additur quas elegerant, ubi iterum Henric. Ainsworth, fol. 29. addit: *which they chose*, that is, *which they loved and tiked, following their owne affections.* Per se quidem non est in vitio, formæ rationem habere. Est tamen in delectu Conjugum intuitus formæ detestabilis, si præ cæteris solus ille maximum momentum habet, si turpis libido causa est; si honestatis ac virtutum vel nulla vel ultima cura est, si denique belluino appetitu & formæ solius elegantia ad ejusmodi conjugium homo abripitur. Perspicuum igitur est, Sethitas gravissime peccasse, qui in uxorum delectu stimulante libidinis face solius formæ rationem habuerint. Deinde & flagitiosum fuit matrimonium, quod conjunctio illa promiscua fuit ex concupiscentia nimirum aspectu oculorum. Denique imprimis maleficum, quia contractum inter fideles & infideles, eos, qui fœderati erant Dei, & qui a fœdere Dei discesserunt. Atque *Sethitas* non poterat fugere, impiorum societatem & consuetudinem conjugalem esse exitiabilem. Quæ omnia & alia multa satis arguunt, atrox fuis-

ſe *Sethitarum* peccatum ſe cum Cainitarum peſſimorum filiabus matrimonio inligantium, cum ignorare non poſſent, quæ ilias malorum inde ſecutura eſſet.

4 *Perierat jus*, *&c.*) Omnia crimina ſine pudore committebantur. Juſtitia violabatur, ex cujus contemtu cæteræ virtutes contemtui habebantur, imo ut cum *Ariſtotel. Polit. cap.* 11. affirmandum: Nullam ferarum fraudem eſſe tantam, nullam malitiam, quæ poſſit cum ejus malitia contendere, qui ſemel legem Juſtitiamque contemſit. Ergo cum *Tragico Senec. Tyeſt. aſtr.* 4.

—— ubi non eſt pudor
Nec cura juris, ſanctitas, pietas fidei
Inſtabile regnum eſt.

Id quod de primo mundo affirmat Scriptura *Geneſ.* VI. 11. cum impleta eſſet terra *violentia*, quam *Henric. Ainſworth. Comment. in h. l. fol.* 31. *edit. Londin.* ita explicat, *injurious and cruel dealing which ſeemeth to be chiefly meant of violating the duties towards men; as the former word noted corruption of religion*. Vel juxta Chaldaicum Interpretem: cum impleta eſſet terra *rapinis* & injuriis. Quæ cauſæ deſtructionis, uti fuſe de hoc peſſimo crimine differit *Guilielm. Pepin. de deſtructione civitatis Ninive ſerm.* XXIII. *pag. m.* 261. *ſeqq. edit. Antverp.* 1656. Qualia crimina etiam ante devaſtationem Hieroſolymorum ibi in uſu erant. Ubi igitur hæc crimina vigent, ibi non aliter crimen expiari poteſt quam deletione & vaſtatione omnigena.

5 *Unus Noachus*) Eo uſque malitia peſſima progreſſa, ut ſe extenderit ad omnem carnem. Vide *Geneſ. cap.* VI. 12. de quo videantur *annotat. ad Carol. Sigon. lib.* 1. *cap.* 1. *de Republ. Hebræor. pag. m.* 6. 7. 8. 9. ad quem B. L. mittimus.

6 *Flecteret nefarios*) Hanc ob cauſam vocatur a *Petro* 2. *epiſt.* 2. 5. Præco juſtitiæ, qui omnem movebat lapidem, ut homines admoneret ad pœnitentiam agendam: Præconis enim munus eſt omnem operam dare ut homines mali ad juſtitiam i. e. vitam rectiorem convertat, & hoc de Noa affirmat *Petrus*. Vide *Grot. Comment. in h. l.* Non autem eſt putandum, ſcribit celeb. *Coccej. Comment. in h. l. fol. m.* 112. eo tempore non fuiſſe homines, qui de Deo loquerentur & de bonis operibus. Solus Noa fuit juſtus & veræ juſtitiæ præco. Cæteri fuerunt ἀσεβεῖς (quod pro רשע uſurpat *Paulus Rom.* IV. 5.) quamvis eſſent viri nominis & multos haberent ſectatores qui nomen ipſorum nominarent. Nec improbabilis videtur ſententia Angli docti *Henric. Ainſworth. fol. m.* 30. *in Geneſ. cap.* VI. *edit. Londin.* quod tamdiu Noa conciones habuerit ad populum, quamdiu arcam ædificaverit.

7 *Centum & viginti*) Tempus patientiæ divinæ conceſſum ad explorationem pœnitentiæ hominum definitur his verbis: *Et erunt dies ejus anni centum & viginti*, ac ſi diceret Deus: hoc ſpatium hominibus indulgetur, quo pergam cum iis contendere ſpiritu meo, h. e. per Noam, eos revocare a peccatorum, cui hactenus inſiſtunt, curſu. Quod ſi intra hoc tempus non redditurì mihi ſint fructus dignos pœnitentia, certiſſimum exitium illis imminebit.

8 *Flavius Joſephus perperam*) Sunt, qui hæc verba explicanda volunt non de ſpatio pœnitentiæ hominum præfinito, ſeu divinæ patientiæ annis, verum de contracto vitæ humanæ ad annum centeſimum & viceſimum termino fatali. Ita *Scaliger* hoc ſenſu verba Dei interpretatur cui præivit jam olim *Joſephus lib.* 4. *antiquit.* qui ita: *Circumſcripſit eorum vitam, & fecit non tam diuturnam ſicuti ante fuerat, verum annorum duntaxat centum & viginti*. *Philo lib. de gigant.* His vitæ terminum præfinivit annorum viginti & centum. *Lactant. de orig. error. lib.* II. 13. Deinde orbe ſiccato execratus injuſtitiam prioris ſeculi Deus, ne rurſus longitudo vitæ cauſa eſſet excogitandorum malorum; paulatim per ſingulas progenies diminuit hominis ætatem, atque in centum & viginti annis metam collocavit, quam tranſgredi non liceret. Ita etiam *Procopius* h. l. Quin ad exteros etiam iuterpretatio hæc dimanavit, uti apparet ex *Trebellio Pollione* in *Claudio*. Sed ſententia hæc de contracto per verba illa Dei vitæ humanæ termino omnino aliena eſt. Etenim (1) Petrus non de præſcripto & contracto vitæ humanæ termino, ſed de annis pœnitentiæ conceſſis haud obſcure explicat 1. *Petr.* III. 19. (2) Deus in ea ſententia aliquid enuntiat, concernens eos homines, cum quibus ſpiritu ſuo contendere in æternum noluit. Quid vero contractus vitæ humanæ terminus ad homines illos, qui omnes inſecuto diluvio, nullo habito ætatis diſcrimine perierunt? (3) id Deus prædixit, quod impletum eſt. At terminus vitæ humanæ finitus centum & viginti annis nec poſt diluvium nec procedentibus temporibus impletus eſt, uti ex Scriptura patet *Geneſ. cap.* XI. (4) non contemnendi ſunt authores, qui de annis pœnitentiæ hanc Dei ſententiam acceperunt, ut Græci Interpretes, Onkelos, Auguſtin. de C. D. lib. XV. 24. quorum verba ab *Heideggero* citata legi poſſunt *pag. m.* 530.

9 *Fruſtra datum pœnitentiæ tempus*) Cum nihil proficeret hæc Dei patientia; tempus indultum ad pœnitentiam Deus peremptorium de mundo perdendo decretum exponit his verbis: *Delebo homines*. Angli bene *blot out that is aboliſh and deſtroy*.

10 *Pluviarum vi*) Quæ vis deſcribitur *Gen.* VII. 11. 12. Rupti ſunt omnes fontes voraginis magnæ, & feneſtræ cæli apertæ ſunt; de quibus fuſe egit celeb. *Joh. Henric. Heidegger. exercit.* XVIII. *pag. m.* 536. *ſeq. hiſt. Patriarch.* Conf. *Henric. Ainſworth. Comment. in Geneſ. cap.* VII. *fol. m.* 35. *edit. Londin.* Cl. *Johann. Criſtian. Iſing in Exercit. hiſtor-Chronolog-Geograph. & Philologicis pag. m.* 14. *quæſt.* 10. Unde tanta vis aquarum invaluit, ut quindecim cubitis celſiſſimos montes ſuperaverit, & omnes omnino homines, præter paucos, ſuffocaverit. Id quod Gentilibus quoque notum, diluvium Deucalionis catholicum fingentes, uti ex *Beroſo*, *Mnaſea Damaſceno Johann. Owen. in lib. de ortu & progreſſ. Theolog.* recenſet *pag.* 144. 145. *edit. Bremenſ.* De Deucalionis diluvio multa dixit ſæpe laudatus Heidegger. *pag. m.* 571. *exercit.* XVIII. ad hunc B. L. mittimus. vid. *Cl. Samuel Bocharti Phaleg. pag. m.* 5. *edit. Francoſ.* Clar. *Iſing. in Exercitat. pag. m.* 13. *Eduard. Simſon. Chron. Cathol.* ubi plura lectu digna.

11 *Pauci ſupererant*) Aquis ſupra celſiſſimos montes extumeſcentibus ſecuta eſt rerum omnium, quæ extra arcam fuerunt miſerrima πανολεθρία, exceptis iis, quæ in arca ſervata fuerunt, tam ex hominibus, quam animalibus terreſtribus. Sane pauci erant ſcil. *Noa* cum familia ſua, uti etiam exprimit *Henric. Ainſworth. ad cap.* VII. *Geneſ. fol. m.* 35. *verſ.* 7. his verbis: *That but a few, that is, eight ſoules were ſaved by vvater:* uti Apoſtolus Petr. 1. epiſt. c. III. 20. affirmat. Conf. *Hug. Grot. annot. ad h. l.* annot. ad *Carol. Sigon. lib.* 1. *de Republ. Hebr. pag. m.* 8. *edit. Lugdun. Batav.*

12 *Nova ſobole repararet*) Mundus ideo iſte prior ſeu homines in mundo degentes omnes præter nominatas perſonas deleti erant; hinc Deus nova ſobole vaſtatum mundum & Eccleſiam reparare volebat in familia *Noachi*, itaque cap. IX. ℣. 1. repetit benedictionem, *Fœtificate & augeſcite & replete terram*, quam primis parentibus Gen. 1. 28. dederat. Ergo benedictio hoc loco repetita & renovata iiſdem verbis. vid. *Henric. Ainſvvorth. Comment. in h. l. fol. m.* 39. Deus terram propter malitiam hominum vaſtaverat & hominum uſibus ademerat. Tum etiam occaſione multiplicati generis, tum beſtiarum tum hominum creverat ante diluvium malitia in ſuperficie terræ, adeo ut prævalida vitia niſi univerſali interitu mundi reſecari non potuerint. Hinc & terræ novæ calcandæ uſus & multiplicandi ſe facultas videbatur tum animalibus tum homini illicitus. Quare Deus potiſſimum curæ habuit, ut in integrum reſtitueret hominem, qui per abundantem ante diluvium malitiam felicitatis ſuæ jacturam fecerat. Hinc facta benedictione Dei, mundus per paucos repletus fuit, uti fuſe de hac benedictione differit laudat. *Heidegger. Exercit.* XIX. *pag. m.* 599. 600.

13 *Rectum Numinis cultum*) Theologia ante-diluviana in tres partes diſpeſci poteſt, in *promiſſionem gratiæ* ſcil. *legem naturæ* & *cultus inſtituti præſcriptionem*. Nova ad *Noachum* revelatione facta, *prima* ulterius aucta, *ſecunda* plenius expoſita & *tertia* ſtabilita

bilita

bilita est . vid. *doct. Joh. Ovvenum* pluribus de his differentem *in tract. de ortu & progressu Theologiæ . pag. m.* 148. *seqq. edit. Bremens. Heidegger. Exerc.* XIX.

[14] *Intueri iridem*) Jussit Deus ut iridem ceu signum fœderis cum iis initi aspicerent *Noachidæ* . Deus nunc primum fœderis visibile signum constituit , nempe *arcum in nube* , non quod ille antea non fuerit , sed in signum fœderis . Vide *Ovven. pag. m.* 151. Hoc signum *Henric. Ainsvvorth. fol. m.* 40. vocat *the sacramental signe* . De iride multa lectu digna collegit Cl. *Valentin. Friderici in dissert. de signo Fœderis æterni cum creaturis , animantibus initi iride. edit. Lips.* 1660. nec non silentio prætereundus *Heidegger. in histor. Patriarch. exercit.* XIX. Omnibus autem palmam præripuit Anglus Gr. *Williams in libro the right vvay to the best religion edit. Londin.* 1636. *fol.* 1. ubi agit de *Iridis mysteriis* . Per hoc signum Deus significare voluit , quod sit signum pacis inter Deum & terram , hoc aspiciant & in memoriam sibi revocent fœdus & promissionem Dei *Noachidæ*. A parte igitur Dei erat recordatio fœderis sui , & a parte hominis , ut vera fide nitatur promissione Dei facta , uti optime *Ainsvvorthius* asserit & verbis *Maimon. tr. de benedict. c.* X. *sect.* 16. concludit : *It is a costume amongst the Jevves , that vvhen any seeth the bovv in the cloud , hee blesseth God that re membreth his covenant , and is faithfull therein and stable in his promise .*

[15] *Genuisset*) *Berosus Annianus lib.* II. *de Genealog. primorum Ducum post diluvium* vult , *Noachum* post diluvium plures , præter Semum , Chamum , Japhetum , liberos genuisse , dum ait : *Præter vero tres primores filios , Noah post diluvium gigantes pluresque filios genuit* . Cui & adstipulatur *Annius* in explicatione sui *Berosi* , una cum *Cajetano* & aliis, qui suam affirmativam rationibus quoque probare laborant . Verum authoritati hujus Berosi non statim assurgendum ex plerorumque eruditorum virorum judicio . Neque etiam rationes, quas pro affirmativa adducunt alii, tam prægnantes sunt , ut eam evincere valeant . Plures igitur filios præter *Semum* , *Chamum* & *Japhetum* , *Noachum* post diluvium genuisse , constat (1) vel exinde , quod *Moses* sub finem vitæ *Noachi Gen.* IX. 28. 29. nullorum filiorum nullarumque filiarum mentionem faciat vel distincte vel confuse usitata sua formula : & genuit filios & filias . Deinde (2) notanter dicit *Moses Gen.* X. 32. quod a tribus filiis *Noachi* gentes post diluvium in terra fuerint divisæ , quod si plures habuisset , eos fortassis his coannumerasset . Exinde facile liquet , quid dicendum ad posterius quæstionis membrum , videlicet , fabulosum esse , quod *Histor. Scholast.* ex Methodio *l.* I. *c.* XXXVII. narrat , de quodam *Jonathane* seu *Jonitho* filio Noachi , eum scil. primum post diluvium invenisse Astronomiam , &c.

[16] *Quidam perperam colligunt*) Sed cur perperam *Cunæe*? Diserte enim a Mose vocatur בן קטון filius natu minor , quod Angli reddunt *his younger Son* , quibus *Ainsworthius* addit , *which the Hebrew calleth lesser , meanting in yeers* . Constat ex his *Chamum* fuisse fratrem natu minimum , non secundum , ut multi , qui decepti arbitrario ordine Scripturæ , *Semum* primum , *Chamum* secundum & *Japhetum* tertium faciunt , arbitrantur . Non ignoramus Hebræos quosdam , *R. Levi ben Gerson* , *Aben-Ezram* aliosque , quos Christiani nonnulli *Theodoretus* , *Procopius Gazæus* , *Joseph. Scaliger* , *Chr. Schottan.* imprudenter sequuntur , filium illum natu minorem exponere non tam de *Chamo* filio , quam *Canaane* nepote . Sed quæ ratio? Quomodo sic distingueretur *Canaan* a cæteris ex *Semo* & *Japheto* nepotibus *Noachi?* Manet igitur verum *Chamum* esse fratrem natu minimum . Confer Cl. *Heidegger. histor. Patriarch. pag. m.* 628.

CAPUT TERTIUM.

Sententia nostra de Melchisedeco contra communem receptamque opinionem confirmata : vis præsidiumque ingens additur epistolæ ad Hebræos.

QUÆ cum ita sint, monet me animus quædam de Melchisedeco dicere. Etenim res inopinata, & miraculi similis est, illo tempore cum Ecclesia unius familiæ hæreditas esset, extitisse in impia Cananæorum gente eum virum, qui non modo rectum teneret Numinis cultum, sed Abrahamo quoque, summo Ecclesiæ præsuli, & recens in eas terræ oras advecto, cœlestia bona precatus, impertitusque sit. Equidem scio ego quæ sit aliorum de Melchisedeco sententia , sed mihi religio non erit ab ea recedere, non enim cujusquam præscriptum sequimur, neque id siverit genius noster, uti in aliena juremus verba . Inæstimabilis res libertas est : quam esse judicii animam qui crediderit, is sententiæ suæ adscribat meam. Luculenta est Hieronymi epistola ad Evagrium , in qua ille ex Græcorum docet voluminibus , fuisse Melchisedecum hominem mortalem , Cananææ incolam , Salemensium regulum , & summi Numinis sacerdotem , qui velut imagine quadam & figura Jesum Christum, maximum itidem regem atque pontificem, mortalium seculis repræsentavit. Dein explicat verba Apostoli, quæ sunt super hac re in epistola ad Hebræos. Magna majestas eorum est , quos authores nominat, Irenæi, Hippolyti, Eusebii Cæsariensis, & Emiseni : tum & & Apollinarii quoque, & Eustathii , quem primum vidit Episcopum Ecclesia Antiochena. Horum judicium magno consensu sequuntur hodie cuncti eruditi. Etsi enim suas singuli rationes produnt, tamen diversis argumentationibus conveniunt in unum. Non est, fateor , convellendum temere , quod a pluribus constanter statutum est , quippe, ubi hoc fit, periculum est, ne omnia pervertat innovandi libido. Cæterum, quoniam receptæ opinioni adversari ipsa ratio mihi videtur , valentior esse omni authoritate debet veritas. Ego sic existimo, Melchisedecum , non hominem utique ex hominibus genitum, sed divinioris naturæ fuisse , majoremque homine, ac digniorem certe, qui tanto benedixit patriarchæ. Miserat ad Hieronymum Evagrius librum incerti authoris, qui hoc, quod diximus nos, assereret. Sed rejectus spretusque ab Hieronymo

ronymo eſt, plane, ut mihi videtur, præter meritum. Etenim, quoties epiſtolam, quæ ſcripta ad Hebræos eſt, inſpicere ſoleo, toties in eam adductus ſententiam fui, ut exiſtimarem aut plane intelligi eam epiſtolam non poſſe, aut certe rectum, verumque illud videri, quod nos contra opinionem Hieronymi, cæterorumque omnium aſſerimus. De Melchiſedeco nuſquam eſt mentio in libris veteris teſtamenti, niſi duobus locis; videlicet in cap. XIV. Geneſ. & in Pſal. cx. Ex illis petitum eſt, quidquid ſublimi oratione diſſertavit Apoſtolus in ea epiſtola, quam ad Hebræos ſcripſit. Tanto citius profecto rem confecerimus. Scilicet valido argumento ſeſe niti arbitrantur, qui urbem, in qua imperium rex iſte tenuit, fuiſſe Salem ajunt, quæ ſita in Cananæa fuerit: ut non poſſit hoc regnum recte, niſi hominis, intelligi. Sed quæro ex iſtis, quo cujus edicto non licebit nobis potius Apoſtolo, quam iſtis, credere? Ecce ait diſerte, πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς σαλήμ, ὅ ἐςι βασιλεὺς εἰρήνης, *qui primum quidem ex interpretatione dicitur Rex juſtitiæ, deinde vero etiam Rex Salem, quod eſt, Rex pacis*. Duo nomina tribuuntur huic ſummo regi in Geneſi, prius eſt *Melchiſedec*, alterum *Melechſalem*, non enim illud magis, quam hoc, exiſtimari nomen proprium decet. Vox *melech* Hebræis *regem*, *ſedec juſtitiam*, *ſalem pacem* notat, idque tironibus in Hebraiſmo haud eſt ignotum. Itaque *ſalem* non eſt hic * nomen urbis, quemadmodum neque *ſedec*; abeant, qui veteribus erroribus novos ſuperſtruunt, & in regno Cananææ imaginariam urbem aliquam Sedec collocent, par enim ratio ejus erit cum ſtramentitio illo *ſalem*. Sed hoc leve eſt. Nos profecto, niſi ſolidis argumentis agimus, imprudenter tot eruditiſſimorum hominum, totque ſeculorum labefactare conſenſum aggreſſi ſumus. Sed bene ſperamus. Procedant in numerum cætera, quæ idem nobis Apoſtolus ſubminiſtrat. Is magna epiſtolæ parte docet, excellentius majuſque fuiſſe Meſſiæ ſacerdotium, quam Aaronis aut Levitarum, quippe Levitarum munus fuiſſe temporaneum, quia dignitatem ſacerdotii quiſque cum vita amittebat, & in locum demortui ſubibat alius. At Chriſti, inquit, Sacerdotium, pariter ut Melchiſedeci, æternum eſt, & vero, ne fides dictis deſit, Davidis vaticinium de Meſſia recitat ex pſalmo centeſimo & decimo. *Tu es ſacerdos in æternum, ſicut Melchiſedecus*. In Græco eſt, κατὰ τάξιν, *ſecundum ordinem*. Sed David, cujus mentem magis, quam verba ſecutus eſt Apoſtolus, ait, כדברתי מלכיצדק; quod eruditiſſimus Rabbinus Aben Ezra recte explicat כמנהג מלכיצדק *in morem Melchiſedeci*, vel, *quemadmodum Melchiſedec*. Neque aliud profecto verba Hebræa ſonant. Enimvero ita res eſt. Profligaverat prælio reges impios Abrahamus, & victrices reducebat copias. Forte tunc in itinere obvium ſe illi tulit filius Dei, ſpecie humana, habitu ſacerdotis regiſque indutus, ejuſque animum fauſtis vocibus ad omnia ingentia erexit. Etiam panem vinumque feſſo dedit, ne quid hac quoque parte deſideraret ille principum debellator. Statim Abrahamus eſſe hoc majus quiddam celſiuſque ſenſit. Itaque quod ſub imagine latebat, mente coluit, & Meſſiæ, ſummo regi ſacerdotique, quem mortalibus olim datum iri intelligebat, præſenti præſens munera decimaſque obtulit. Et quid cauſæ, obſecro, eſt, cur hunc juſtitiæ & pacis regem non credamus fuiſſe eundem filium Dei, qui poſtea, ad quercum Mamre, duobus comitatus ſociis, Abrahamo apparuit, cibum cum illo ſumſit, adfuit una in unis ædibus, ac denique collocutus cum illo eſt? Mihi ſane majus certiuſque argumentum divinæ cœleſtiſque naturæ videtur, homini in media via derepente, velut e machina, ſupervenire, eique benedicere, & alimenta potumque dare, quam hominis tectum ſubire, hoſpitio ejus excipi, epulis accumbere, ſermones cum illo ſerere. Unum modo diſcrimen eſt, quod in capite XVIII. Geneſeos expreſſe tandem dicitur, Deum fuiſſe, qui Abrahamum adierit: de Melchiſedeco autem illud non ait quidem ſcriptor Geneſeos, ſed myſterium hoc relinquit explicandum Davidi & Paulo, qui nos de illo dubitare amplius non ſinunt. Nec vero obſtat, quod rex ille ſacerdoſque æternus quadam propria appellatione Melechſalem & Melchiſedec vocatur. Sæpe enim ſacer codex Deo nomina hujuſmodi ex re nata aptat, quorum omnis poſita vis in ſignificatione rei eſt, de qua forte tunc agitur. Itaque alibi *Ehet aſcher ehie* dictus eſt, & *Emmanuel*; plane ut nunc *Melech ſalem* & *Melchi ſedec*. Nemo miretur multis nominibus eum appellari, qui unus eſt omnia. Tot ſunt nomina ejus, quot ſpectamus virtutes atque opera. Virtutes autem ejus quis fando enumeret? cum multas percenſueris, longe erunt plures, quas omittes. Ne illud quidem ſcrupulum injicere cuiquam debet, quod in Geneſi ſcriptum eſt, *Erat ſacerdos Dei altiſſimi*. Hoc enim πρὸς τὸ σχῆμα τοῦ ἱερέως, ſive *ad habitum ſacerdotis* pertinet, quem induerat Dei filius. Et profecto fuit cum etiam alias ſumeret perſonas, cujus rei exempla in illuſtri poſita ſunt. Ajunt præſtan-

* *Fuit quidem* Salem *oppidum Cananææ, ſed hic pro appellativo accipitur,* & pax *vertitur ab ipſo Apoſtolo. Hoc multi non ſatis perpenderunt.*

ſtantiſſimi theologorum, quotieſcunque Deus immortalis hominibus apparuit, apparuiſſe perſonam ſecundam, id eſt, filium. Quod ſane ab illis recte exiſtimatum eſt. Utique cum Apoſtolus ait, *Sæpe Deum antea per Prophetas, noviſſime autem locutum fuiſſe per filium*, non ille negat viſum antea in terris Meſſiam eſſe, ſed haud obiiſſe eum concionandi munus ſignificat, quod olim a vatibus ſemper, ac tandem vero ſuſceptum ab ipſo eſt. Etiam nos exiſtimamus, filium Dei, cum in via Abrahamum occurreret, eum vultum eumque habitum corporis ſibi finxiſſe, quem poſtea geſſit in terris, atque hoc illud eſſe, quod Apoſtolus ait, ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ. *Aſſimilatus filio Dei*. Non poterat ipſum illud corpus induere, quod in terris poſtea intuiti ſunt, & contrectavere mortales. Id enim ſero admodum genitum formatumque eſt, neque ante exſtitit, quare imaginem duntaxat illius repræſentavit Abrahamo, ſed plane eandem, quam inter homines habuit. Neque alio pertinere mihi videtur, quod ſcriptum a Joanne eſt, *Abraham geſtiit videre diem meum, & vidit, gaviſuſque eſt*. Id enim uni Abrahamo contigit, & ſingulare quiddam fuit: cum de cæteris illud dicatur, *Multi Prophetæ & juſti cupiverunt videre, quæ videtis, & non viderunt*. Sed neque hoc ſententiæ noſtræ repugnat, quod juſtitiæ ille paciſque rex ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, *ſine patre, ac ſine matre* fuiſſe dicitur, non enim profecto Divus Paulus myſterium illud duplicis naturæ ſpectavit, quod ejuſmodi eſt, uti Meſſiæ quidem divinitas Patrem, mortalitas vero Matrem, at ſeorſim neutra utrumque parentem agnoſcat. Pertinere illud ad ea tempora non potuit, cum nondum hominem induiſſet humani generis Servator. Sed hoc utique ſenſit potius Apoſtolus, non eſſe eum communi lege ex patre atque matre, neque ex libidine aut conjunctione viri fœminæque ſatum, ſed æternum eum eſſe, & (quod Eſaias vates in capite LIII. ait) *nihil poſſe dici de generatione ejus*. Sane vero ii ipſi, qui Melchiſedecum Salemenſium regulum, hominemque mortalem fuiſſe volunt, fateri coguntur ea omnia, quæ de illo Apoſtolus dixit, etiam Meſſiæ convenire. Quod cum ita ſit, profecto non aliter Meſſiam ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα, *patris matriſque exortem* cogitare poſſumus, quam eo pacto, uti jam nos ſignificavimus. Equidem ego animadverto quoque, Melchiſedeci ſacerdotium a Divo Paulo perpetuum atque infinitum conſtitui, ita quippe ait: μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές: *neque initium dierum, neque vitæ finem habens, manet ſacerdos jugiter*. Ex quo colligitur, ſi Meſſiam atque Melchiſedecum non eſſe unum eundemque, ſed duos credimus, etiam hinc duos jam effici ſacerdotes, quorum functio nullis circumſcripta annorum ſpatiis in omne ævum durat. Quod certe nemo veterum antea, neque e recentioribus quiſquam hactenus vel per ſomnium dixit. Nunc tandem illud dicamus, quod rerum omnium primum maximumque nobis eſt. Haud dubium eſt, quin Judæos genius aliquis male advocatus in eum detruſerit errorem, uti exiſtimarent, id quod hodie in ſcriptis eorum legitur, *Melchiſedecum fuiſſe filium Noachi, Semum, qui ad tempora uſque Abrahami Iſacique ſuperſtes fuerit*. Hac futili opinione imbutos Judæos Apoſtolus ad ſublimiorem vocat contemplationem, & de hoc ipſo Melchiſedeco, qui non Semo tantum, ſed cunctis major eſſet hominibus, verba facturus, hac præfatione utitur, περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος, καὶ δυσερμήνευτος λέγειν. *De quo nobis multa ſunt dicenda, eaque difficilia explicatu*. Ecce, ſtupet ad magnitudinem perſonæ, & ineffabilem confitetur: quod nunquam facit, cum de aliis umbris, typiſque loquitur, quibus fuerat olim regnum Meſſiæ figuratum. Dein ſubjecit, χωρὶς πάσης ἀντιλογίας τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται. *Sine ulla controverſia, non benedicit niſi major minori*. Hoc vult, divinioris cujuſdam naturæ eum fuiſſe, nec in hominibus numerandum: quia, qui tanto benedixit Patriarchæ, certe major illo digniorque eſſe debuit. Etiam comparat illum cum Levitis, * καὶ ὧδε μὲν δεκάτας ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι λαμβάνουσιν, ἐκεῖ δὲ, μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. *Atque hic quidem homines, qui moriuntur, decimas accipiunt; illic autem is, de quo teſtatum eſt, quod vivit*. Duo notat; primum, quod Levitæ, quibus decimæ dabantur, *homines* erant: dein quod *morerentur*: at hunc ſacerdotem, cui Abrahamus decimas dedit, non hominem, non mortalem ait fuiſſe, ſed eum, *de cujus vita & æternitate*, inquit, *teſtimonium habemus omni exceptione majus*. Quodnam autem illud eſt? nempe hoc Davidis, quod citat; † *Tu es ſacerdos in æternum, ſicut Melchiſedec*. Quaſi dicat, *Tu es ille juſtitiæ paciſque rex, ille*, inquam, *ſacerdos, qui vivus æternuſque es; quem vidit Abrahamus, decimiſque & muneribus veneratus eſt, & Melchiſedecum appellavit, cum appellare eum majore atque ampliore nomine haud poterat*. Etiam illud ſcriptum exſtat verſ. 15. & 16. κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδὲκ ἀνίσταται ἱερεὺς ἕτερος, ὃς οὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς γέγονεν, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. *Ad inſtar Melchiſedeci exoritur ſacerdos alius*, diverſuſque a Levitis, *qui non ex lege, cujus mandatum ſit carnale, ſacerdos eſt, ſed*

ex vi

* *Ad Hebr. cap.* VII. ℣. 8. † *Ibid.* ℣. 17.

ex vi indissolubilis vitæ. Nimirum, quod in Levitis fuisse negat, id in Messia & Melchisedeco ponit, *vim indissolubilis vitæ*. Paulo ante dixit II. V. *Si consummatio per Leviticum sacerdotium erat, quid amplius erat opus alium exoriri sacerdotem, secundum ordinem Melchisedeci?* Utique hoc omnino significare vult, nullam consummationem earum rerum, quæ promissæ quondam erant, fieri potuisse per Leviticum sacerdotium: itaque opus fuisse sacerdotio perfectiore, cujusmodi fuit Messiæ illud, sive Melchisedeci: at si Melchisedecus mortalis homo fuit & Salemensium regulus, sacerdosque, ut isti ajunt; sane ineptum sit majorem perfectionem hujus sacerdotio, quam Levitarum, adscribere. Salemenses enim siti in media erant Cananæa, quæ regio nondum sacra susceperat rectæ religionis, quoniam recens in eos terræ fines advenerat Abrahamus. Sed esto: fuerit apud eos summi Numinis reverentia: quis tam rerum omnium ignarus est, uti nesciat cultum religionis, etiam in ipsis Patriarcharum familiis, rudem duntaxat informemque fuisse, donec lege lata societatem atque ordinem Levitarum instituit ipse Deus, præcepitque quibus cæremoniis sacrisque coli deinceps vellet, cum id antea haud usquequaque factum esset debitis ritibus? Si omnia argumenta convectare velim, justo volumine opus sit. Satis diu jam hoc saxum volvo: liberari cupio. Dicendum tamen in extremo est; quid veteres recentioresque commenti sint ad locum Apostoli interpretandum. Videbant rem obscuram & difficilem esse. Magnum aliquid audendum fuit. In re crepera & ancipiti præceps capienda via est. Igitur illud, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *sine patre, sine matre, sine genealogia*, haud ideo dictum putant, quia parentes non habuit Melchisedecus, sed *quia nec ante, nec postea eorum nomina adscripsit Moses*. Et rursus, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. *Nec initium dierum, neque vitæ finem habens, manet sacerdos in æternum*. Nempe, *natus quidem est*, inquiunt, *mortuusque; sed quoniam ejus rei mentio non fit, fuisse æternus existimatur: & Messiæ divinam naturam velut typo repræsentavit*. Profecto, hoc non est mysteria, sed rerum ludibria consectari. Quot enim possem Levitas sacerdotes, quot alios sanctos illustresque heroes ex sacris libris recensere, de quorum natalibus & morte altum silentium est? igitur, quod felix faustumque sit, jam totidem figuras Messiæ habebimus. Judæi credunt Jacobum non obiisse, quia in Genesi non dicitur, *Et mortuus est Jacob*, sed, *exspiravit*. Jam istud alii ad juvandam firmandamque vulgarem de Melchisedeco opinionem prodiderunt, quo autore, incertum est, sed authore tamen Judæo. Ego quidem certe in scriptis Rabbi Schelemonis Jarchi id me legisse memini, sed purum putum existimavi delirium esse, neque magis excusari debere, quam hoc, quod de Melchisedeco vane creditum est. Qui tale præsidium ad sententiæ suæ probationem adferunt, næ illi nugas nugis propugnant. Nihil tam facile reperitur, quam ineptiendi occasio. Et quid tandem non fiet? Jam etiam metuo, ne Tobiæ canem aliquis sine cauda fuisse putet, quippe nihil de ea scriptum est. * Sed omnes futilitatis numeros implevit Athanasius, qui Melchisedecum quendam fingit, cujus imprecationibus effectum sit, uti terra ima dehisceret, patremque illius & cunctos absorberet consanguineos, atque hanc causam esse ait, cur eum Apostolus fuisse sine parentibus, & sine genere dicat. Nemo ægrotus quidquam somniat tam infandum, quod non aliquis affirmet sapiens. Nihil vane hariolatus est Marcus Terentius Varro. Quotidie magis magisque hoc verum reperio. Sed mittamus ludos. Si nihil aliud dixisset Apostolus, quam ἀγενεαλόγητος, adduci possem uti in eorum sententiam pedibus irem, nunc diserte explicat verba sua, aitque, ** μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε τέλος ζωῆς ἔχων, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές: *nec initium dierum, nec vitæ finem habens, manet sacerdos in perpetuum*. Utique non quid Moses dixerit, sed quid res sit, & quid sibi videatur, ait. Quidquid tribuit illi Apostolus, fultum est non Mosis reticentia, sed Davidis affirmatione. Quod hactenus non observaverunt interpretes, non enim ait, *** *cujus mors reticetur a Mose*, sed contra, *de quo Davidis testimonium exstat, quod vivit*, ὁ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. Quod profecto longe aliud est. Potest is obiisse, cujus obitus tacetur: potest & in vivis esse, quod enim silentio transmittis, in incerto est, nihil quippe affirmas: at, de quo dicitur, ὅτι ζῇ, *quod vivit*, & quidem *cum emphasi, ad differentiam Levitarum, qui in eodem commate appellantur* **** ἄνθρωποι ἀποθ-

* Hic Cunæus omnes temeritatis, ac inscitiæ numeros implere videtur: cum anilem hanc de Melchisedeco narratiunculam tot refertam nugis Athanasio viro sanctissimo juxta, ac doctissimo adscribat. Omnes ferme eruditi hoc opusculum ignari atque otiosi hominis fœtum esse pronuntiant. Dupinius tom. 3. suæ Bibliothecæ. Natalis Alex. in sua Ecclesiastica historia Sæc. IV. PP. Congreg. Sancti Mauri in postrema operum Sancti Athanasii editione opusculum de Melchisedeco spurium esse multis probant. Vir tamen Hetherodoxus si forte his testimoniis acquiescere noluerit, adeat Abrahamum Schultetum in sua Medulla Patrum de S. Athanasio cap. 24. Rivetum etiam consulat in sua Critica sacra lib. 3. cap. 4. & Joannem Odinum de Scriptoribus Ecclesiasticis, qui omnes una simul cum Cunæo ex Calviniano Sodalitio prodierunt.

** *In cap. VII. vers. 3.* *** *Ibid. vers. 8.* **** *Ibid. vers. 8.*

ἀποθνήσκοντες homines mortales; is, inquam, de quo tam evidenter hoc afferitur, non poteſt mortalis fuiſſe, aut, ſi fuit, profecto jam non hominum, ſed angelorum lingua locutus eſt Apoſtolus: eam autem linguam an alii per inſomnium aut revelationem didicerint, neſcio: ego quidem homuncio ad iſtum ſapientiæ gradum non perveni. Cæterum, qualis ſit hæc vita, quam Melchiſedeco tribuit Apoſtolus, nemini obſcurum eſſe poteſt. Ait David: *Tu es ſacerdos in æternum*, *ſicut Melchiſedec*, nempe ſacerdotium æternum Melchiſedeco adſcribit vates: & ad exemplum illius, etiam Chriſto. Hoc Davidis teſtimonium citat Apoſtolus, verbis quidem aliis, ſed eodem ſenſu, *ὁ μαρτυρέμενος ὅτι ζῇ*: quod perinde eſt, ac ſi diceret, *is*, *qui teſte Davide in æternum vivit*, *ſacerdoſque eſt*. Hæc eſt vera & genuina ſententia verborum Pauli: aut, ſi aliter exiſtimamus, actum eſt de facili interpretatione epiſtolæ, quæ ſcripta ad Hebræos eſt. Equidem ego diu miratus apud animum meum ſum, repertos fuiſſe quoſdam, quibus hæc epiſtola diſplicet quidem, quia favere Novatii erroribus videbatur, quod temere tamen & falſo creditum fuit: at neminem vero deprehendiſſe perplexa illa ænigmata, quæ in his de Melchiſedeco verbis laterent, ſiquidem ex communi interpretum opinione explicarentur. Agant ſe verſentque in omnes partes ii, quos & præſens & prior ætas tulit. Nihil niſi nubes atque inania, prehenſabunt nequicquam, & ſuis ſe tenebris involvent. Non utar circuitione. Ego initio, cum operam darem, ut quam minimo negotio deciderem cum tantis incommodis, de epiſtola quidem hac, quin merito olim a Latinis Eccleſiis ſpreta eſſet, nullus dubitabam: cæterum Davidis verba, quæ de Melchiſedeco ſunt, non ad Meſſiam, ſed aliovorſum trahebam. Enimvero Judæos magiſtros ſequebar, quorum eſt perſæpe in Biblico contextu interpretando admiranda induſtria. Rabbi Aben Ezra ait, pſalmi iſtius authorem eſſe non Davidem, ſed quendam מהמשוררים *e cantoribus*. Itaque cum ſtatim initio dicitur, *Dixit Deus Domino meo*, *ſede ad dextram meam*, *donec inimicos tuos fecero ſcabellum pedum tuorum*, *&c.* verba hæc ſunt non Davidis de Meſſia, ſed, ut ipſe vult, cantoris de Davide, ut hic ſit ſenſus, *Locutus eſt Deus Domino meo Davidi: eſto rerum omnium ſecurus*; *hoſtes enim tuos Peliſtæos ſic omnes fundam*, *ut eorum capitibus inſultes*. Poſtquam plura in eandem ſententiam dixit pſaltes, tandem adjicit, *juravit Deus*, *& non pœnitebit: tu es ſacerdos in perpetuum*, *ut Melchiſedec*. Perſæpe ſpiritus divinus reges principeſque & ductores populi, ſacerdotes appellat, quia cæremoniarum ad eos religionumque cura & tutela pertinet. Itaque, *Eris ſacerdos*, mutatis verbis eſſet, *regnabis*, *eritque tibi ſummum imperium in cives tuos*. Illud vero, *In ſeculum*, putat Rabbi Kimchi dictum ob hanc cauſam, quia Saulis fuerat execrabilis & brevis poteſtas: at David inter res lætas florenteſque conſenuit. Sequitur, *ſicut Melchiſedec*. Hic non idem ſentiunt Judæi. Rabbi Abraham ait, המעם שישראל ילחמו ואתה תקח חמעשר כאשר לקח מלכי צדק מאברהם mens verborum eſt, *pugnabit Iſrael*, *& tu decimas prædæ accipies*, *ut Melchiſedec accepit ab Abrahamo*. Rabbi Moſes ne ad hiſtoriam quidem hæc retulit, ſed Chaldæum ſecutus Targumiſtam eſt, cujus eſt hæc interpretatio. דאנה מתמני לרבא לעלמא דאתי בגין זכותא דהויתא מלך זכאי *tu conſtitueris dux princepſque annis conſequentibus*, *idque propter juſtitiam*: *quia es rex juſtus*. Ita enim accipio verba Chaldaica, quæ alii ſecus intellexere. Ut ad pauca redeam, memorat plures id genus pſalmos Aben Ezra, in quibus non David, ſed cantor, quiſquis fuit ille, de Davide loquitur. Inter eos eſt pſalmus viceſimus, *exaudiat te Deus in die anguſtiæ*. Tum & is, qui ſequitur, *domine in fortitudine tua lætabitur rex*. Item ſeptuageſimus ſecundus. Hæc cum hunc in modum cogitarem, commodum obtulit ſe oculis noſtris luculentus locus divi Matthæi, qui eſt in capite viceſimo & ſecundo. Ibi Phariſæos interrogatione illaqueat ipſe Chriſtus, *πῶς Δαβὶδ ἐν πνεύματι κύριον καλεῖ χριστὸν; λέγων, εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν*, &c. *Quomodo David ſpiritu divino actus*, *appellat Chriſtum Dominum? dicens*, *ſede ad dextram meam*, *uſque dum*, *&c.* Non alio argumento nobis opus eſt ad confutandam vanitatem delirii, quod pene nobis imprudentibus obtruſerunt Rabbini. Per totum illum pſalmum non cantor de Davide, ut ipſis placet, ſed David de Meſſia loquitur. Id Phariſæos in Evangelii libro docet ſupremus, maximuſque magiſter, penes quem fides eſto. Erravit Aben Ezra, Rabbi Moſes, & Kimchi, atque Chaldæus Targumiſta, & quantum uſpiam eſt verborum. Manet manebitque veritas myſterii, quod de Melchiſedeco effatus eſt David, quem ſecutus eſt Apoſtolus, cujus epiſtola ad Hebræos ſacroſancta eſt, & nihil niſi Deum ſpirat. Neſcio equidem an poſt Evangelium Joannis ullus ſit novi teſtamenti liber, in quo plus profundæ reconditæque ſit theologiæ. Quare non ſine cauſa antea cruciabat me conſcientia averſi genii mei, cum unius loci non intellecta vis judicium tardaret meum de tam illuſtri ſcripto, quod cæteris ſuis partibus omnia prodebat magna & excelſa. Non temere poteram divino ſpiritu dictatum credere, in


quo

quo tam inconcinna cernerem: & tamen, ficut magnorum fluminum capita admiramur, & in fylvis quibufdam fecretum umbræ, atque arborum proceritas fidem Numinis facit; ita, cum oculos ad ea conjicerem, quæ in eodem illo autoris monumento fupra hominum effent mediocritatem, decreveram cum animo meo tantifper ifthæc venerari, donec cætera quoque, quæ non capiebam, tandem affequerer aliquando. Et profecto non peffime res fucceffit. Nam quæ de Melchifedeco diximus, fi non omnino certa, at verifimilia tamen funt. Filius Dei fuit, cui Abrahamus decimas dedit. Neque aliter quæftionem hanc, quæ mere hiftorica eft, decidimus. Equidem nefcio quibus fit documentis ufus fcriptor ἀνώνυμος, quem tam cupide damnat Hieronymus, argumentationes enim illius nec recenfet, nec confutat. Fortaffis ille imperite defenderat caufam optimam, quod fit interdum. Sententia quidem ejus recta veraque eft. Quanquam illud tamen improbamus, quod putavit Spiritum Sanctum apparuiffe Abrahamo, quippe fatius eft, uti jam oftendimus, filium Dei eum fuiffe. Cæterorum difceptationes referre, fupervacuum eft. Magni tamen noftra intereffet, exftare Origenis homilias, in quibus multa ille de Melchifedeco difputavit, tefte Hieronymo, ac tandem illuc perduxit rem, uti *angelum fuiffe* eum diceret. Quæ opinio, etfi nobis non admodum placet, quia incommodi quiddam habet, tamen laudanda eft præ ifta, quam Hieronymus & cæteri funt amplexi veteres recentiorefque. Quod manifeftum faceremus, fi opus effet. Certe magno fuit vir ingenio, atque excellenti eruditione Origenes: uti non immerito fcientiam illius optaverit Hieronymus, etiam cum invidia nominis. Fuit ille quidem pernicioforum quorundam dogmatum author: fed tamen, quia præftantiffimus erat facræ fcripturæ interpres, ita fpernendi errores ejus fuere, uti nihil derogaretur fummis ejus virtutibus. Falli & hallucinari humanum eft; folitudinem quærat oportet, qui vult cum perfectis vivere. Penfanda vitiis bona cujufque funt, &, qua major pars ingenii ftetit, ea judicandum de homine eft. *

* Jure ac quidem merito Sancti Ecclefiæ Patres una fimul cum præftantioribus poftremæ ætatis interpretibus hoc jam ferme antiquatum Cunæi interpretamentum tanquam frigidum putidumque commentum repeulerunt. Ex ipfis Scripturæ monumentis demonftratur, quam perperam Cunæus putaverit Melchifedechum pro ipfo Dei filio intelligi debere. Nam Apoftolus ad Hebr. 5. v. 1. ait, *omnis Pontifex ex hominibus affumitur, & pro hominibus conftituitur*; at Pontificem fuiffe Melchifedechum, ipfo Paulo tefte, jam conftat; ergo ex hominibus affumtus fuit. Filius igitur Dei nondum adhuc incarnatus Melchifedech non fuit. Deinde David p. 110. de Chrifto differens dicit: *Tu es Sacerdos in æternum fecundum ordinem Melchifedech*: quod Paulus facit per oppofitionem ad ordinem Aaronicum, quæ voces ad verbum reddi poffunt fecundum rationem, vel ut alii fecundum fimilitudinem, vel fecundum morem Melchifedech: abfurdum, abfonumque fane videtur, quod is diceretur Sacerdos fecundum morem Melchifedech, fi Melchifedech non præcefferit tanquam Sacerdos; aut idem diceretur Sacerdos in eum morem, quo ante apparuiffet, cum Sacerdos non effet. Quid quæfo ineptius poteft excogitari, quam putare Sacerdotem fecundum fimilitudinem Melchifedech, effe eum ipfum, qui Melchifedech dictus fuit; quæ quidem veritas ab ipfo Apoftolo luculentiffime comprobatur: nam ad Hebræos cap. 7. verf. 3. ait. *Melchifedech affimilatus autem filio Dei*; qui alteri affimilatur non eft ille idem cui fimilis dicitur; fi igitur Dei filio fimilis eft Melchifedech, ipfe Dei filius Melchifedech non fuit; fed typus tantum, & fimilitudo filii Dei. Accedit etiam in divino Scripturarum eloquio nullibi inveniri, quod affimilatio cujufvis generis fit identitatem fignificet. Non injuria igitur Andreas Rivettus Calvini & ipfe gregarius Cunæum ifta docuiffe afferit non alia de caufa nifi, quia vir erat præoccupatus, & abreptus ftudio contradicendi.

NOTÆ AD CAPUT TERTIUM.

1 *Non hominem*) Sunt multi Theologorum & Philologorum qui Melchifedecum hominem & quidem Regem & Sacerdotem fuiffe afferunt, quod Cunæus nofter negat, affirmatque in his & fequentibus verbis Chriftum fuiffe, cui fe oppofuit Cl. *Johann. Henric. Heidegger. in hiftoria Patriarcharum*, ubi argumenta *Cunæi* perftringere videtur; Verum huic fe iterum oppofuit *Jacob. Gaillard.* in libro, quem infcripfit *Melchifedecus* Chriftus: prodiit Amftel. 1693. qui iterum argumenta *Heideggeri* argumentis firmis in dubium vocat, cui calculum addit album *William* Anglus in *libro of the beft religion. f. m.* 807. 808. 809. 810. *feq. edit. Londin.* Cum itaque hæc materia in his citatis libris fatis fuperque enucleata fuerit, B. L. eo mittimus. Ut autem Noftratium opiniones cognofcant Lectores in fine hujus capitis addere voluimus tractatulum rarum de Melchifedeco Cl. *M. Friderici Koerberi*.



CAPUT QUARTUM.

Ecclesiæ fata ab Abrahami temporibus usque ad regni Israelitici scissionem, quæ post Salomonis mortem contigit. Divinandi vis in morituris. Israelitarum idololatria in Ægypto. Superstitionibus Ægyptiorum sæpe postea obnoxii Israelitæ in Palæstina. Apis. Serapis. Vitulorum & serpentis veneratio. An Judæi asinum coluerint? Cur Ægyptii asinum execratisint? Cophinus fœnumque Judæorum, qui Romæ erant. Res legesqueJudaicæ intactæ Græcis Romanisque scriptoribus, & quare. De Theopompo & Theodecte. Judæorum adversus exteros odium. Mendacia de Judæis.

POSTQUAM ex his scopulis enavigavimus, pertexendum jam est, quod antea exorsi sumus. Perduximus ad Abrahami tempora Ecclesiam: in qua seligenda hoc maxime spectavit Deus, uti in una familia, & interdum penes unum esset. Abrahamo unus Isacus successit; ad cæteros ejus liberos non est devoluta tantæ rei hæreditas. Rursus, cum ille ex Rebecca gemellos, Esavum & Jacobum, suscepisset, singulare fatum Jacobi fuit, idque multo ante ex oraculo intellexit mater adhuc gravida. Secuta divinam prædictionem patris auguratio est. Sæpe heroicis temporibus patriarchæ, sanctissimi mortales, conceptis verbis res futuras significavere liberis suis, paulo ante quam illis natura finem vitæ faceret. Nimirum erat in animis eorum quiddam præsentiens atque divinans, cum illud instabat tempus, quo onerosi corporis vinculis exoluti, ad cœlum suum, & speratas beatorum sedes migrarent, jam tum enim, etiam in terris adhuc, frui divinitate sua incipiebant, & majore vi agebantur. Idem Isaco accidit. Oculos ejus caligo pepulit: menti lux accessit: &, cum in vicino mors erat, vatem egit. Longum esset differere, per quas rerum difficultates eluctatus Jacobus sit, dum insidias illi tenderet frater, vir haud admodum Numinis observans, sed qui progeniem post se reliquit longe nequiorem. Atque hic insignis jam rerum mutatio incessit. Etenim ex Jacobi duodecim filiis ortus est is populus, quem Israelem [1] appellat sacer spiritus. Itaque cum hactenus identidem alia atque alia familia, sed plerumque una duntaxat, sacrorum religionumque fuisset custos, tandem nunc id decus datum cunctis Israelitis est; quibus certe solis licet consecrare origines suas, & ad Deum referre authorem. Hæc gens incredibile memoratu est quantis incrementis aucta sit brevi tempore. Sed quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibus artibus potentiam adepti sint, abunde in iis dictum est libris, quos de Republica eorum scripsimus. Nunc libet alia persequi. Sanctum populum statim initio longa sterilitas & agrorum ingratitudo alias in terras expulit. Sedes illi præbuit Ægyptus, quæ regio mire segetibus semper exuberat, & Nili sui inundationibus læta nihil cœlo imbribusque debet. Illic dum fuere, per multos annos patriis ritibus eorum & avitis sacris incorruptus honos stetit. Sed tandem, ut nihil perpetuum est, in superstitionem delapsi sunt, quæ jam olim per Ægyptiam gentem fusa, tunc quoque illorum imbecillitatem occupavit. Certe Israelitis objicitur in capite vicesimo Ezechielis, quod in Ægypto idola & stercoreos deos [2] honoraverint. Nihil illa oratione, quæ ibi exstat, luculentius est. At in capite vicesimo & tertio, paulo obscurior sermo est; sed idem tamen dicitur: *Fili hominis, duæ mulieres, unius matris filiæ fuerunt, quæ fornicatæ sunt in Ægypto. Ibi pressa sunt ubera earum, major Ahola dicta est, & soror ejus Aholiba; meæ, inquam, fuerunt, & filios filiasque pepererunt.* Fictis nominibus Israelem designat & Judam. Diu Judæis idololatriæ adhæsit contagio, quam ab insolenti & ventosa natione traxerant. Etenim quod serpens æneus, quem in paucos dies, & ob aliam causam Moses erexerat, thure postea [4] & sacrificiorum libamentis usque ad tempora Hiskiæ cultus sit, id vero totum ab Ægyptiorum profectum vanitate [5] est, qui, ut Marcus Tullius ait, *quamlibet carnificinam prius subierint, quam aspidem aut ibin violent.* Ipsum Serapidem draco repræsentabat, eminuitque id animal præcipue inter fercula Isiacæ pompæ, de qua Ovidius in hunc modum loquitur.

> *Pigraque labatur circum donaria serpens,*
> *Et comes in pompa corniger Apis* [6] *eat.*

Percommode Apin nobis in mentem vocat Naso, quippe is fuit sanctus bos, & summum numen Ægyptiorum. Eos imitatus Hieroboamus Israelitarum rex est, auream-que bovis imaginem in Bethel & Dan erexit, uti hac re populum sibi retineret, firmaretque Ægyptiacæ superstitionis memorem. Quid multa? quotiescunque Judæi, spreta Mosis lege, animalia quædam, effigiesque venerati sunt, ad Ægyptiorum se

exem-

exempla composuerunt. Itaque mirari satis nequeo, quid Plutarcho, aliisque maximis autoribus in mentem venerit, cum Judæos asinum divinis coluisse honoribus [7] tradiderunt. Futilia hæc sunt & nugatoria; nam nec legibus eorum istud sancitur, quæ adhuc integræ in manibus hominum sunt: & rursus ab Ægyptiis esse ejus rei origo nequit, quoniam profecto nullum animal magis invisum huic genti est. Typhonem [8] enim quendam Osiridis interfectorem omnibus contumeliis mortuum insectabantur: &, quia is fulvo crine fuerat, cunctos asinos, ob similitudinem coloris, de saxo præcipites dare, mos eorum fuit. Nemo quisquam rufus reperiebatur, qui non publice ludibrio esset. Etiam Busiritas ac Lycopitas ait Plutarchus tubis non usos, quod sonus earum quiddam clangere asininum visus est. Supra omnem festivitatem est, quod de Ocho Persarum rege produnt. Eum Ægyptii identidem asinum appellaverant, incredibilem hoc ignominiam rati: quibus ille, *ὁ μέντοι ὄνος ἕτος ὑμῶν κατδωχήτεται τὸν βῶν. Atqui*, inquit, *iste asinus vestrum bovem comedet*. Apin autem designabat. Falsum est igitur, quod de Judæis magno consensu memorant tot scriptores. Et tamen adeo blandita est [9] iis hominibus commenti dulcedo, ut reperti sint, qui septimo quoque anno hominem peregrinum huic fuisse asino immolatum affirment. Nos hæc omnia in odium sacræ gentis conficta arbitramur: neque id insolens fuit Romanis Græcisque. Ingeniosa est ad mentiendum impietas, & favet ipsa industriæ suæ. Sed tempus est ab his facessere. Ad Israelitas redeo, quos in Ægypto sedes posuisse jam retuli. Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam aliorum quod beneficio tenes: magna enim mobilitate sunt animi hominum: quisquis alterius rebus consulit, suam ipse fortunam habet in consilio: ubi res postulat, fides & pacta posthabentur. Enim vero Ægyptii beneficium suum rati, quod Hebræi in rebus bonis essent, postquam metus jam erat, ne advenæ in partem regni acciti contra omnes valescerent, animum mutavere, & quos diu benigne prosecuti erant, repente velut fatigati destituunt. Placuit eos dura servitute oppressum ire. Hoc factum ea tempestate ait Moses, cum Joseph & cuncti fratres ejus fato functi essent. Non magni est, quod Rabbini notant: אין לך בכל השבטים שקצר ימים פחות מיוסף ואין לך בכל השבטים שהאריך ימים יותר מלוי וכל זמן שהיה לוי קיים לא נשתעבדו ישר' למצרים ומשמת לוי התחילו המצרים לשעבדם : מכאן אמרו אחד מן האחים שמת ודאגו כל אחד מן החבירה שמת תדאג כל החבירה sententia est, *Josephum minime diu vixisse, diutissime autem Levi: quo exstincto, oppressos Israelitas esse. Atque hinc natum esse Hebræorum illud adagium, unius fratris obitu cæteros omnes affligi, & uno socio ablato, in luctu esse totam societatem*. En acumen Judaicum. Equidem ego sic semper existimavi, pleraque Hebræorum adagia insulsa esse & frigida. Valde lentis maxillis edunt, quibus istæ deliciæ sapiunt. Non sunt nauci, si admirabilem vim & felicitatem cogites, quæ in Græcis Latinisque est. Sed hæc præter rem sunt. Quam miseris modis sanctam gentem profana adfflictaverit natio, traditum in iis libris est, quibus Mosaicæ continentur leges [10]: instabant duri operum exactores, in cessantium terga sævitum fustibus est; ibat cœlo clamor virorum. Alii lateres condendis urbibus coquere: quidam stipulas convectare, pars stercora egerere: postremo, cuncti servilibus officiis intenti ætatem agere. Judæis in hujus rei memoriam etiam hodie in cœna Paschali puls quædam comeditur, quam peculiari nomine חרסת [11] appellant. Neque profecto alia causa est, cur Juvenalis Judæos Romæ semper cophinum fœnumque [12] habuisse dicat in supellectili.

——— Cophino fœnoque relicto
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
Arboris.

& antea quoque,

Nunc sacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus fœnumque supellex.

Enimvero cophinum fœnumque gestabant, cum quod fiscellis stercora lutumque portaverant in Ægypto, tum quia stipulis fœnoque usi erant ad fingendos lateres. Intererat eorum, per hæc monumenta cunctos docere mortales, quam aspera olim & fœda pertulissent. Nemo illa poetæ verba recte explanavit, præterquam Philippus Beroaldus, inter Italos quondam apprime eruditus vir. Satis gravem testem citavimus, Juvenalem. Sed tamen procedat etiam alter, cujus sermones haud cinerem quæritant. Venustum est Martialis epigramma in Gelliam; quæ, cum honestissimas conditiones respuisset sæpe, tandem superbiæ pœnas dedit, & Judæo nupsit, contemtissimo bipedum.

Dum proavos, atavosque refers, & nomina magna,
Dum tibi noster eques sordida conditio est,
Dum te posse negas, nisi lato, Gellia, clavo
Nubere, nupsisti, Gellia, cistifero.

Mendicabulum hominis, Judæum, vocat cistiferum [13], qui cum fœno cophinoque perambulabat urbem. Nemo facile magnæ calamitatis obliviscitur. Manebat alta mente repositum inclemens Ægyptiorum imperium. Cæterum, dixerat Abrahamo Deus fore, uti per quadringentos annos Ægyptiis servirent Hebræi, quod secus cecidit, consilia enim in melius retulit, haud dubie misertus eorum. Ad hanc rem pertinet quod Chaldæus Targumistes scriptum reliquit: *Abbreviatum est tempus præfinitum propter merita patrum, qui comparati sunt montibus, & deminuit de tempore servitutis centum & nonaginta annos propter justitiam matrum, quæ comparatæ sunt collibus.* Habebat ea ætas divinum virum Mosen, cujus auspiciis ex Ægypto evasit populus [14] Hebræus, ingressusque iter longum est per desertissimas solitudines. Non fuit *exeundi autor Hierosolymus aliquis aut Judas*; neque *conquisitum collectumque vulgus, tanquam invisum diis, alias in terras, monitu Hammonis* [15] *avexit Bocchoris rex*; hariolatus est Cornelius Tacitus, atque ii omnes, qui hæc illum docuerunt. Sed nihil mirum est tam falsa prodidisse de Judæis eos scriptores, qui sacra volumina nunquam inspexere. Odit profanum genus damnatque tenebris Deus: neque passus est profecto, uti sancti populi res cognoscerent etiam ab ea parte, quæ publica est. Exstant apud Flavium Josephum verba Demetrii: qui, mirante Ptolomæo, cur Mosaicarum legum nec historici ulli, nec poetæ meminissent, causam ejus rei contulit in magnitudinem negotii, quam angustiæ pectoris illorum non caperent. Ad hoc, divinitus pœnas dedisse ait, qui eas sollicitassent, Theopompum atque Theodecten, quippe illum mente, hunc visu esse orbatum. Quod si qui sint inter eos, qui de illis aliquid scripsere, pluribus modis labefactata ab illis veritas est. Nemo illorum quisquam est incorruptam fidem professus. Etenim, ut quædam vera sunt, ita singulis ferme aspersum mendaciolum est, & quidem malignum. Quocunque oculos conjeceris, tale quiddam deprehendes etiam in præstantissimis authoribus. Vel Juvenalis, ecce, quam aliena effutivit, cum de Judæorum loqueretur superstitione?

Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum edifcunt, & servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses:
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

Vera falsis miscuit, plane uti confusa res sit. Sane vero non fuit tanta amentia Moses, ut hoc tam barbarum jus introduceret. Quid fuisset aliud de homine in ferum animal transire, si non hoc fuisset? Præclare ab Ennio dictum est.

Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit.
Nihilo minus ipsi lucet, cum illi accenderit.

Natura ad humanitatem nos formavit; hujus imperio petere & dare jubemur quæ posita in communi sunt. Quidnam est igitur? injurii in Mosem sunt, qui hoc illi affinxere. Diu post tempora illius, cœpit hoc esse Judæorum primo vitium, dein mos quoque: ut recte Hieronymus dixerit, *pejores esse eos nunc, quam olim*. Fuit illis hinc adversus omnes gentes hostile odium, separati epulis, discreti cubilibus, alienigenas, ut purgamentum, vitabant, in summa mendicitate superbire, Dei se gentem dicere, patriam religionem & antiqua nomina jactare, denique nihil moderati neque pensi habere. Profecto, insigniter invidos & zelotas oportet fuisse, qui decretum istud Hyrcani & Aristobuli tempore fecere, quod Rabbi Zacuth memorat in libro Juchasin, ארור מי שילמד לבנו חכמה יונית *Maledictus sit, qui filium suum Græcorum instruxerit disciplinis*. Ab eadem malevolentia fuit, quod tantopere indignati sint, legem Mosis fuisse Alexandriæ in profanum sermonem [16] conversam, Philadelphi optimi regis, jussu, dolorem quidem certe suum quotannis solenni jejunio ad VIII. Teveth fassi sunt. Hæc mera ærugo erat, hic nigræ loliginis succus, qui animos eorum venenaverat. Sed non opus est tantas moles convectare ad refellendum, quod Tacitus falso dixit de Judæorum exitu ex Ægypto. Facessat Romanus scriptor, ubi vir divinus loquitur Moses, ἐκ τῶν Διὸς δέλτων γὰρ ὁ μάρτυς, *quippe is testis est ex Jovis tabulis*. Postquam in Arabum deserta ex Ægypto evaserant Israelitæ, mire illis adfuit semper Numinis clementia. Ajunt Rabbini tres fuisse insigni pietate homines, quibus tria maxima beneficia tulit accepta populus Israel. מן בזכות משה עמוד ענן בזכות אהרן באר בזכות מרים מתה מרים נסתלקה הבאר וחזרה להן בזכות משה ואהרן מרת

מות אהרן ונסתלק עמוד הענן חזר להן בזכות משה מות משה נסתלקו שלשתן ולא חזרו שנית שנאמר ואכחיד את שלשת הרועים בירח אחת *Manna illis contigit ob merita Mosis, columna nubis propter Aaronem, puteus propter Miriam. Moriente Miriam, periit puteus, sed restitutus est propter Mosem & Aaronem. Obiit Aaron, evanuitque columna nubis, reddita tamen est propter Mosem. At Mose exstincto, sublata sunt simul tria hæc. Scriptum enim exstat, exscindam tres pastores mense uno.* Verba, quæ citantur, Zachariæ sunt. Sequitur autem Rabbinicam interpretationem, uti ego opinor, Hieronymus: atque insuper causam addit, cur uno mense obiisse eos dixerit vates, qui, ubi accurate rem exigis, potius uno ceciderunt anno. Utut hæc sunt, præpotens Numinis vis fuit, quæ populum exulem & omnium rerum egenum, in asperrimis locis tam diu sustentavit. Quod si jam illa intueare, quæ paulo post evenerunt, cum Cananæam ingressus Israel est; ibi vero, quot res gestæ, tot miracula occurrunt, maximæ hostium copiæ parva manu fusæ: per altissimos fluvios siccis pedibus, velut continenti, pervium iter, oppidorum mœnia, nullo impellente, subversa. Quæ omnia ejusmodi sunt, uti vim eludant humani ingenii. Illud vero multo maximum est, quod etiam Solis cursum [17] voce sua tardaverit per integrum diem summus populi ductor Josue. Chaldæus Targumista Cantici Canticorum ait, Josuen tunc cecinisse hymnum illum, qui ex decem, quos numerant, quintus est. Quid causæ sit, cur Judæi, autoritate cujusdam Rabbi Jose permoti, tradiderint hoc factum esse בירח של ניסן *Kalendis mensis Nisan*, atque in eam diem, præter solitum, incidisse æquinoctium; nos divinare non possumus: nisi quod profecto fatalis delirandi libido subegerit eos miraculi extenuare magnitudinem. Satius fuisset, ad venerabile rei mysterium stupere. Sed tandem habeat finem aliquando hæc dissertatio. Postquam igitur Cananensium potiti Israelitæ sunt, diu Ecclesia communis fuit duodecim tribuum, nec ante mutatio incessit, quam Salomonis decessus inter dominandi avidos certamen ingens excitasset de regno. Ibi scissus in contraria studia sacer populus est, cum pars hæc Roboamum Salomonis filium, pars illa sequeretur Effraimitam Hieroboamum Nabatho genitum. A Roboamo Judas & Beniamin stetit: ab Hieroboamo reliquæ decem tribus, ille Hierosolymam & finitima loca, hic Sichemum tenuit. Ita duo regna extitere: quorum alterum Judaicum, alterum est Israeliticum dictum. Neque vero mansit intemerata religio, quippe ad idolorum cultum tribus suas averterat Hieroboamus, ut sacrorum dissimilitudo dissidium quoque augeret infensarum partium. Quare ex illa tempestate ad solos Judæos redacta Ecclesia est; quorum nomine etiam Beniaminitæ propter summam, quæ fuit inter eos, conjunctionem, appellantur. In libro quidem Estheris, Mardochæus dictus Judæus est, cum esset de nepotibus Beniamini, id quod Rabbi Elias publicavit. Hæc est illa tantopere celebrata Ecclesia Judaica, cujus quæ fata, quæve mutationes fuerint, paucis sic dixisse, ingens operæ pretium fuit. Nunc ad alia pergimus.

NOTÆ AD CAPUT QUARTUM.

[1] *Quem Israelem*) Nomen hoc Patriarcha Jacob ex pugna cum Deo deportaverat, qui nomen Israelis ipsi imposuit, cujus posteri deinceps Israelitæ dicti sunt. Vide *Heidegger. histor. Patriarch. part.* 2. *pag. m.* 521. *Christian. Worm. in antiquit. Hebr. corrupt. edit. Hafn.* 1693. *pag. m.* 20.

[2] *Stercoreos Deos*) Judæi a veri Dei cultu vero discedentes Gentilium Deos Stercoreos coluerunt. Ad splendorem & majestatem sacrorum Roman. etiam *Sterculium* seu *Stercutum* Deum, *Fauni* filium referunt. Vide *Plin. lib.* XVII. *H. N. cap.* IX. *Macrob. lib.* I. *Saturn. cap.* VII. imo stercore & rebus obscænis sacra facta sunt quibusdam Gentilium Diis, quod de Baal-Peor Judæi produnt, quod cultores ejus non tantum nudi coram eo steterint, sed turpe etiam suffimentum flatu ventris fecerint & stercoribus idolum asperserint, unde R. *Sal. Jarchi Comment. ad. Num.* XXV. 3. idolum istud פעור putat vocari, quia distendunt anum coram eo & stercora emittunt, hic enim ejus cultus est. Vide *Braun. l.* I. *de vestit. Hebr. Sacerd. c.* I. §. 4. *pag.* 9. *seq. Wagenseil. in append. ad Sot. pag.* 1176. *Voss. not. ad Maim. de Idol. cap.* III. *pag. m.* 37. *Selden. de Diis Syr. Syntagm.* I. *cap.* V. *pag.* 157. *Bayer. in addit. ad h. l. pag.* 233. *Germ. Dreck Gotter* dicuntur *Ezech.* XX. 7. 18. quia frutices & olera hortorum, imo cloacas & crepitus ventris divinis honoribus Ægyptii affecerunt. Vide *Minuc. Felic. in Octav.*

[3] *Serpens æneus*) Hujus mentio fit *Num.* XXI. 6. & fecit Moses נחש נחשת serpentem æneum. Angl. *a serpent of brasse*. LXX. reddiderunt χαλκῦν ὄφιν. Statuunt itidem Thalmudistæ quidam, materiam, de qua nullum mandatum accepit, Mosen ex suo decrevisse placito. Ita legitur in *Talm. Hierosol. Mass. Rosch haschana cap.* ראוהו בית דין *halach.* 9. *ab init.* Ait R. Sa: in quatuor Scripturæ locis dicitur: Fac tibi. In tribus eorum diserte definitur, quid fieri debeat, in quarto non idem. Sunt autem (1) *Genes.* VI. 14. Fac tibi arcam lignorum Gopher. (2) *Num.* X. 2. Fac tibi duas tubas argenteas. (3) *Jos.* V. 2. Fac tibi gladios ex petra. IV. *Num.* XXI. 8. Fac tibi שרף. Et hoc ultimo loco non aperte definitum est, quid fieri debeat. Dixit Moses: Non habetur hactenus serpens talis, conflavit igitur serpentem æneum *fol.* 59. *col.* I. in med. Mandavit Deus, ut faciat serpentem שרף *urentem* uti Junius & Tremell. reddiderunt. Anglus reddit: *Make thee a firy serpent or a burning. Arias Montanus* Hebraicum latine non expressit, sed reddidit: Fac tibi Saraph. Vulgatus *serpentem æneum*. Causæ hujus rei variæ afferuntur. Sunt (1) qui putant, Mosen colore ænei serpentis nativum illorum animalium referre colo-

rem

rem voluisse, cum Hebraice שרפים ardentes appellentur. Ita *Vatablus* in h. l. ut & *Lorin. in Sap. fol.* 569. Anglus *Henric. Ainsworth. Comment. in h. l. fol. m.* 134. *edit. Londin.* quando ita tradit: *and so might resemble the colour of the sepents, because that metall is of a firy colour*. Ita etiam Don Isaac Abarbanel *Comment. in legem fol.* 305. ויאמר ויעש משה נחש נחשת לפי שהנחשים שהנחשים חשרפים הם ארומים כעין הנחושת ור׳כך כדי שיהיה צורתו כצורת הנחש החי עשהו מנחשת i. e. *Æneum fecit serpentem illum, quod urentes serpentes illi rubicundi essent ad istar æris. Ut igitur hujus serpentis figura vivum talem serpentem repræsentaret fecit eum ex ære*. Ita etiam *Moses Gerundensis*, qui factum ex ære serpentem ideo adstruit, ut is vivum colore repræsentaret serpentem, & serpentem quidem, ut (2) miraculum divini auxilii tanto manifestius pateret, cum alias sanando vulneri obsit conspectus animalis, a quo quis sit læsus. Locum licet prolixum huc latinis adscribemus. *Siquidem Deus in mandato suo meminit τῦ Nachasch sed ait*: Fac tibi Sharaph. ℣. 8. *Atqui illorum, quos dixi, hypothesis est, confudisse Mosen substantivum Nachasch cum Nechoschas. Tacite mihi visum fuit hoc: Inter alia hæc legis consuetudo est, ubique miraculum cumulare miraculo, damnum auferre per nocivum, morbosque curare per ea, quæ morbos alias causantur, uti videre est* Exod. XV. 25. *in historia de ligno & aquis amaris, itemque in historia Elisæ* 2. *Reg.* II. *de sale aquis injecto. Jam vero ex principiis medicis constat, omnes morsus venenatorum animalium, si quis adspiciat aut ea, aut saltem figuram eorum, creare periculum. v.g. Qui a cane aut aliis animalibus rabiosis morsi sunt, si inspiciant in aquam, apparet illis ibi figura umbratilis canis, aut alius nocivi animalis, & ipsi moriuntur; veluti ut traditur in Commentariis Medicorum, & memoratur in Gemara Mass. Jom. Proinde cavent Medici, ne coram talibus mentio fiat animalis morsum infligentis, ne omnino illi ejus recordentur. Adhærerent enim illi tali cogitationi, ut non possent ab ea avelli, donec ipsos conficeret. Tradunt hinc experimentum mirabilium naturæ, videl. si quis morsus fuerit a cane rabioso, postquam ipse in insaniam fuerit prolapsus, quando urina ejus accipitur in vitro, conspiciuntur in ea figuræ catulorum. Quod si eam eliques & coles per frustum panni, ne minimum quidem illius vestigium in ea amplius deprehendes. Si iterum vitro, ex quo ægrotus biberit fuerit infusa, statim videbis ibi figuras catulorum. Quod si verum est, est sane hoc aliquid de mirabilibus facultatum animæ. Cum igitur res omnis sic sese habeat, expediisset profecto Israelitis morsis a serpentibus ignitis, ut ne vidissent serpentem aliquem, nec recordati essent ejus, aut mente tale quicquam voluissent. Mandavit autem Deus Mosi, ut faceret illis icona serpentis igniti, qualis ipsos occidere poterat. Notum est, quod serpentes igniti oculis sint rubicundi, lato capite, & quod in suo gutture colorem habeant æris. Moses ergo non vidit, quomodo satisfacere posset præcepto illi de serpente ignito, nisi serpentem æneum conflaret, talis enim est similis serpenti ignito. Si ex alia materia confecisset eum, fuisset figura tantum serpentis in genere, non igniti.* fol. 259. col. 1. Ita etiam miraculum comprobat R. *David Kimchi part.* 2. *Michlol lib. radol. fol.* 77. *col.* 4. Conf. R. *Salom. ben Melech. fol.* 34. *col.* 4. aliosque. Alii nonnulli (3) ut *Tostat. in h. l. qu.* 8. *p.* 29. hanc affert causam, quia nulla materia visa fuerit convenientior ad fabricandum hunc serpentem, cum æs sit ductile & obediens artifici, nec etiam magni sumtus. Approbat hanc sententiam *Cornel. a Lapide in h. l. fol.* 858. Alii alias causas producunt, quas longa serie recenset B. *Georg. Mœbius in Select. disput. tom. edit. Lips.* 1694. *pag. m.* 216. Falsam autem Kabbalisticorum Doctorum sententiam esse putamus, qui miraculum omne amovent ab insolenti ista sanatione, quam inde profectam arbitrantur, quod serpens ille æneus certa singularis constellationis hora a Mose astrologo fuerit confectus, unde is omnem sanandi vim ex syderis sub quo & ad cujus figuram fuerit conflatus, influxu ac operatione receperit. Tradit hoc R. *Samuel Zirza in Mekor chaim impress. Mantuæ in fol.* 1558. Verum hanc opinionem rejicit *Aben-Ezra* in h. locum.

4 *Thure postea*) Serpens hic æneus quovis tempore instinctu Diaboli multis impiis & detestandis hæresibus occasionem dedit. Nam ipsi Israelitæ, postquam sanitati erant restituti hunc serpentem in itinere secum duxerunt & tandem divino honore affecerunt. Ea de causa Rex pius *Hiskias* illum confregit, & per contemtum נחשתן parum æris vel aheneum Deum appellavit, 2. *Reg.* XVIII. 4. Quo loco tria nobis inculcantur (1) *Hiskiam* confregisse serpentem illum. (2) Fecisse eum ideo, quoniam Israelitæ usque ad tempus illud suffiebant ei (3) serpentem vocatum fuisse Nechuschthan: Ad primum quod attinet, R. *David Kimchi* non confractum, sed combustum eum existimat: Et sic cum aliis, tum sibimet contradicit in libr. radic. de verbo כתת scribenti: ענין כולם הרציצה והשבר significare id confringere, conterere, collidere, &c. fol. 63. col. 1. Deinde tempus θρησκείας minus incommode idem ex eo derivat termino, quo Reges Judaici a veri Dei cultu ad idololatriam ibant præcipites. Tertio nomen Nechuschtan deminutivum esse, atque serpenti per contemtum ac in contumeliam impositum fuisse sentiunt plerique, refragante licet Jonathane ben Usielis paraphrasi, qui illud ויקרא לו & vocavit eum, non ad *Hiskiam* sed impios serpentis cultores refert, forma loquendi, quam vulgo מקרא קצר Scripturam abbreviatam sive ellipticam vocant, de qua inter alios R. *Salomo* Jarchi *in Genes. fol.* 2. *col.* 2. *edit. minor*. Audiamus jam Commentatores ipsos. R. Salom. Jarchi: ויקרא לו נחושתן לשון בזיון כלומר מה צורך בזה אינו אלא נחש נחושתן *Neschuchtan eum appellavit per contemtum q. d. Quid eo opus est, cum serpens solum sit cupreus*. fol. 430. col. 1. *R. Levi ben Gerson* prolixius differit, cujus verba Latine versa tantum adscribimus: *Suffiebant*, inquit, *ipsi Israelitæ, cogitabant enim inesse figuræ isti aliquid divini. Quippe cum eam fecisset Mose, omnis morsus serpentem istum intuitus manebat in vivis. Hiskia vero vocavit eum Nechuschtan h. e. æs quod ipsi habebant, q. d. figuram istam nullam habere virtutem aliam, nisi quæ communis sit æri vel cupro*. R. David Kimchi Comment. in h. l. fol. 430. col. 1. sub. fin. *A tempore illo, quo Reges Judaici impii erant, & Israelitæ idololatræ usque ad tempus hoc regni Hiskiæ suffiebant Israelitæ serpenti illi; idque ideo, quod scriptum reperissent Num.* XXI. 8. & *adspiciet illum & vivit. Cogitarunt igitur, posse eum esse Mediatorem, ipsique cultum deberi. Inde vero a temporibus Mosis serpens iste in memoriam miraculi repositus fuit, non secus ac urna & manna. Neque Asa & Josaphat combusserunt illum, uti cætera, quæ occasionem præbuerunt Idololatriæ: nec enim ex quo regnare cæperunt, adverterunt cultum aut suffitum exhiberi ipsi, proinde reposuerunt eum in memoriam miraculi. Hiskia autem vidit omnino, ut alia idola, comburendum illum esse sibi, quandoquidem in diebus patris sui exercebatur cum illo idololatria, etsi quidam viri boni tantum commemorabant miraculum per illum factum. Quare dixit: Præstat igne eum aboleri simulque miraculum oblivioni tradi, quam ut asservetur, & Israelitæ hodie vel cras post illum declinent. Ajunt Magistri nostri (locus quem hic citat Kimchius extat in Babyl. Joma fol.* 78. *col.* 1.) *p. m. An verisimile est, venisse Asam, nec combussisse illum, venisse Josaphatum nec combussisse illum? an non illi duo omnia Idololatrica, quotquot in terra Judaica dabantur, combusserunt? Verum majores Hiskiæ reliquerunt ei locum, ut se in illo extollerent. Vocavit autem eum Nechuschtan per contemtum, q. d. nihil aliud est, quam æs sive cuprum; quomodo igitur haberet facultatem bene aut malefaciendi? Appellavit ita eum, quando ipsum contudit, dicens Israelitis. Qui ascendat tale in cor hominis, quod serpens iste commodum præstare possit, cum cuprum duntaxat fuerit? Jonathan ita* παραφράζει. Et vocarunt Nechuschtan nempe cultores ejus Isaelitæ (non Hiskias) ita appellarunt eum. Similia fere leguntur in *Jalkut fol.* 36. *col.* 4. Falsum imo fabulosum est, quod narrat *Paulus Aringhus tom.* 2. *Rom. subterr. lib.* V. *cap.* IV. fragmina hujus serpentis Mediolani in hodiernum asservari diem. Vide *Mœbii dissert.*

5 *Ab Ægyptiorum profectum vanitate*) His Cunæus noster Spencri partes in se suscepit, asserens, hunc cultum ab Ægyptiorum vanitate originem traxisse, cum tamen, teste *Athanas. Kirchero in Oeid. Ægypt. fol.* 19. hi plurima ab Hebræis acceperunt. Recte hinc *Vossius l.* IX. *de idololatr. cap.* 11. *pag.* 467. *edit. noviss. in* 4*to*. Verisimile est, inquit, aliquid momenti attulisse (quod scil. Ægyptii serpentem

tem pro Deo coluerint) quod Deus ipse per Mosen in deserto erigi jusserit serpentem. Serpentem itaque longo tempore religiose coluerunt, ut testatur *Plutarch. hist.* LXII. & ex eo *Ælianus l.* XVII. de An. *c.* V. Ab Ægyptiis ad alias gentes hic cultus fuit propagatus, unde Cacozelia Diaboli in Bacchi seu Liberi sacris, in quibus serpentes offerebantur, uti ex nummis constat. Eundem Liberum dictum quoque fuisse Sabazium Jovem, sacrisque ejus initiandis aureum colubrum ductum fuisse per sinum discimus ex *Arnobio lib.* V. *advers. gentes*. De his & aliis populis videri possunt pluribus agentes D. *Mœb. dissert. pag. m.* 258. 259. *Saubert. in Palæstr. pag. m.* 346. 347.

[6] *Apis*) Serapis ut Græcis vocatur idem ac Apis Ægyptiorum Deus ut est apud *Clement. Alexandrin. lib.* I. *Strom.* Idem tradit ex *Terentio Varrone Augustinus de C. D. lib.* XVIII. *c.* V. Cum itaque multi de hoc Deo egerint, curiosos Lectores remittimus ad *Athanas. Kircher. Oedip. Ægypt. fol.* 91. *fol.* 197. 199. *Seld. de Diis Syris & annot. Beyeri. Ouzel. ad Minuc. Felic. pag. m.* 253. *dissert. Cl. Johann. Lehmann. De Serapide Ægyptiorum Deo maximo nuperrime ab excell. Crenio* operibus suis insertam: ubi fuse de hac materia.

[7] *Asinum divinis coluisse honoribus*) Unanimi fere consensu Gentiles Judæis ὀνολατρείαν seu asini, ignavissimi & abjectissimi animalis cultum & divinos honores asinis exhibitos, objiciunt, quod aureum asini caput in Sanctuario suo cultui divino expositum habuerint, quod *Antiochum Epiphanem* abstulisse mentitur *Apion* apud *Joseph. lib.* II. *contr. Apion.* Quod autem *Antiochus* pecuniam e templo abstulerit ex Josepho patet, quippe Judæi ærarium habebant in templo, uti docet *Joh. Doughtæus Annal. Sacr. part.* I. *Excurs.* 114. *pag. m.* 194. seq. Hæc igitur Apion debuisset respicere nisi cor asini ipse potius habuisset, quem quoque citat. loc. *Josephus* acriter refutat, *lib.* 2. *contra Apion.* Rationem hujus cultus asinini quem autor noster citat reddidit, mendacium mendacio addens *l.* IV. *Symposio. quæst.* 5. *pag.* 557. Sicut asino suus est apud eos honos, qui fontem aquæ eis demonstravit, & expressius *Tacit. lib.* V. *hist. c.* III. Sed nihil æque quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex asinorum agrestium, e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit: & cap. IV. addit: Effigiem animalis quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere; quasi vero Judæi hoc beneficio asinis obstricti, ut Ægyptiorum (ad quos expresse l. c. provocat & illorum exemplo conjecturam suam confirmat Plutarchus) & aliarum gentium more ἀποθειῶσαι illud remunerari, & asinum, ob id inter Deos relatum divinis honoribus & cultu sacro afficiendum decrevissent; Sed mendacem oportet esse memorem, quod Tacito in aurem dictum volumus, qui asini effigiem in Templo collocat, paucis vero interjectis Judæos omnem omnino effigiem Deorum aversari testatur *c.* V. Ægyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur, Judæi mente sola, unumque numen intelligunt. (Arrigat aures Plutarchus ad socii sui verba, ut discat, longe diversum esse Judæorum morem, quam Ægyptiorum, qui animalibus brutis divinos conferebant honores, adeoque perperam ex Ægyptiorum ritu ad Judæorum ἀποθεωσιν asini concludi) Verum causas, cur Gentiles hoc imputarint, multas recenset Cl. *Schudt. in Delic. suis pag. m.* 225. 226. 227. *seq.* Conferantur huc *Kortolth. in dissert. de calumniis paganorum* in veteres *Christian. sparsis. edit. Rostoch.* ubi fuse. *R. Mœb. volum. dissert. pag. m.* 22. 23. *Ouzel. Wower. Elmenhorst. Heral. in annot. ad Minuc. Felic. in Octav. pag. m.* 83. *seq. edit. Lugd. Batav.* 1672. qui omnes ad putida mendacia Gentilium satis responderunt.

[8] *Typhonem*) De Typhone Osiridis interfectore videndus est *Athanas. Kircher. in Oedip. fol. m.* 155. *& fol.* 219. 220.

[9] *Blandita est*) Ineptiis scatere libros permultos constat, quorum deliria a fabulis originem hauserunt. Testatur Gentium doctor *Paulus* qui Timotheum I. c. IV. 17. ineptas seu aniles fabulas jubet devitare. Et Titum serio hortatur, ne attendat fabulis, quia dulces sermones & assentationes seducunt corda innocentium sive simplicium. Conf. *Michael. annot. ad Gaffarelli curiosit. pag. m.* 24. *edit. Hamburg.*

[10] *Continentur leges*) De variis afflictionibus & ærumnis Israelitarum ab Ægyptiis perpessis Scriptura Exod. c. I. & II. agit. Has etiam recensent Judæi in libro סדר הגדה של פסח *rituum paschal. pag. m.* II. *ex versione Stephani Rittangelii. edit. Franequer.* 1698. Et malefecerunt nobis Ægyptii sicut dicitur *Exod.* I. Vers. 10. Agedum sapientiam intendemus (ingenii nervos intendemus) in illum, ne forte multiplicetur, & sit cum evenerit bellum, & addatur etiam ipse super inimicis nostris & pugnet contra nos & adscendat de terra. Et afflixerunt nos: sicut dicitur Exod. *c.* I. Vers. II. Ut affligerent eum oneribus suis, & ædificavit (Israel) urbes armamentariorum Pharaoni Pithomum & Rahamsesum. Et imposuerunt nobis servitutem duram: sicuti scriptura dicit Exod. c. I. 13. Et servire fecerunt (coegerunt servire) Ægyptii filios Israel per sævitiam. Confer. *pag.* 12. 13.

[11] חרוסת) male in exemplari nostro expressum חרוטה. Erat autem חרוסת Embamma factum ex amaris & dulcibus, qualia sunt dactyli, ficus, uvæ passæ acetum. *Aruch in rad. Maim. Corban Pesach. c.* VIII. adhibebatur in memoriam argillæ, ex qua lateres composuerant patres in Ægypto. vid. *Haggada Schel. Pesach pag. m.* 26. Confer. *Henric. Ainsworth. Comm. in Exod.* XII. *fol. m.* 38. *edit. Londin.* qui ita literis tradit: *Moreover they used a certaine sauce, thicke like mustard they calledit Charoset, and say it was a memorial of the clay, wherein they wrougt in Ægypt: it was made of the palme tree branches, or of raysins or other like berries, which they stamped, and put vineger thereto, and seasoned it, and make it like clay, and brought it unto the table in the night of the Passeover.* Et hoc videtur fuisse embamma, cui offam Christus intinxit. *Joh.* 13. 26. vide *Buxtorff. Synagog. Judaic. Schmid.* aliosque.

[12] *Cophinum fœnumque*) loquitur hoc loco de Judæis vel Christianis, qui edicto Domitiani urbe pulsi sylvas inhabitare cogebantur. Imprimis autem migrantes & errantes Judæos designabat, qui semper fœni fasciculum & cophinum vel corbem, vas ex virgulis secum gestabant. vid. annot. ad *Juvenal. pag. m.* 61. *Satyr.* 3. v. 14. Unde iter facientes non nisi cophinum cum fœni fasciculo secum circumferebant, ut noctu in hoc recumberent, in illo cibos & necessariam suppellectilem reconderent; quamvis Autor noster referat, fecisse hoc in memoriam calamitatis in Ægypto perpessæ.

[13] *Cistiferum*) Inepte legunt quidam *Celtiberum*, & varie versum *Martialis* explicant interpretes. Quidam versum hunc intellectum volunt de Judæo, cui Gellia, quæ contemtis clarissimis procis, tandem cistifero (i. e. Judæo, cophinum ceu cistam ferenti) nupserit: uti *Cunæus* noster. Alii intelligunt de abjectissimo Cybeles sacrificulo, qui ferebat cistulam, in qua religionis *Isiacæ* erant arcana: *Turneb. lib.* 3. *adversar. c.* 21. *& Bapt. Pius in annot.*

[14] *Ex Ægypto evasit populus*) Non ob lepram pulsus, uti Gentilium Scriptores fingunt. Quod si enim Israelitæ ab Ægyptiis pulsi & ejecti essent, *Pharao* sane non omnem movisset lapidem, ut retineret. *Exod.* V. 2. VII. 14. IX. 7. jam autem abire jussit populum Pharao; quare falsum Gentilium figmentum de expulsione ob lepram.

[15] *Monitu Hammonis*) Putidissimum mendacium iterum *Tacitus lib.* V. *histor. c.* 3. profert, qui hæc recenset: *Plurimi*, inquit, *auctores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret: Regem Occhorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum & id genus hominum, ut invisum Diis, alias in terras avehere jussum.* Et licet authoritatem Scriptorum provocet, sciendum, quod Gentiles fuerint, aut rei ignari, aut Judæorum inimici, quales *Manethon, Chæremon, Lysimachus Apion aliique apud Joseph. lib.* I. *contra Apion.* Et qui fieri hoc potuit, cum Jovis Hammonis, ut *Lysimachus* & *Tacitus* fingunt, tunc temporis nulla fuerit notitia? Certius est, quod Dei mandatum & responsum fuerit, quod *Moses* non *Bochori* sed Pharaoni indicavit. *Exod.* V. I. *c.* VII. 15. *c.* VIII. I. *Diodorus*

rus vero *Sicul. lib.* 40. *biblioth. histor. p. m.* 1190. id non Deorum monito & responso, sed suspicioni adscribit, *hinc suspicio indigenis injecta, nisi alienigenas submoverent, futurum, ut malis nunquam exponerentur*, id quidem diversitati sacrorum adscribit *Diodor.* idque exacte, sed alio, quam ille scripsit, sensu id Scriptura S. tradit, dimissionem enim Ægypto, Dei jussu, cum gente Hebræorum petiit ad sacra Deo rite in deserto facienda, aliter quam Ægyptiorum fert mos, *Exod.* v. 1. 3. *cap.* VIII. 25. additis minis, ni eos dimitteret.

[16] *In profanum sermonem*) Hic sibi Judæi ipsi contradicunt, cum in *Bereschit Rabba Sect.* 16. legatur, *Græciæ* regnum in tribus præcedere regnum impium *Romanorum*, in legibus, libris & lingua. Permiserunt enim Sapientes, ut libri sacri scriberentur lingua Græca: quia secundum prædictionem Dei ipsius, verba Japheti erunt in tentoriis *Semi* (ut dicit Glossa) decor *Japheti* est lingua Græca, pulcherrima ex iis linguis quæ sunt filiorum *Japheti. Bab. Megillah fol.* 9. 2. *Hier. Megillah fol.* 71. 3. vid. etiam *Massech. Sopherim c.* 1. ℣. 7. Græce quippe sacra legere in Synagogis fuit permissum. *Sota c.* 7. & *Hieros.*

[17] *Solis cursus*) De hoc miraculo dissertationem habuit Cl. *Joh. Wolffgang Rentschius de quiete Solis edit. Witteberg.* 1660. quam evolvere velit Lector.

CAPUT QUINTUM.

De circumcisione. Quæ gentes olim fuerint circumcisæ. De Ægyptiis, Æthiopibus, & Colchis. Verba Jeremiæ de Ægyptiis a quorundam interpretatione vindicata. Pauli locus de iis, qui præputia reducunt, perperam ab Hieronymo intellectus. Immodicus æstus Hieronymi in libris adversus Jovinianum. Hallucinatio ejusdem in verbis Josuæ repetita circumcisione. Cur circumcisio octavo die celebrata.

PERDIU sane populus sanctus reliquas inter gentes nulla diversitate notabilis fuit. Noscebat suos, quos delegerat Deus; & ab his noscebatur, insignia & notæ aberant, quæ usurpari oculis possent. Primus Abrahamus [1], cui facta rerum maximarum spes erat, Sacramentum accepit, cujus vi de futurorum eventu esset certus. Jussus est circumcidere suorum præputia, ejusque rei exemplum transmittere ad posteros; quibus eadem posita lex fuit. Nihil tam religiose observatum [2] ab illis est. Sed imitatæ tamen morem hunc etiam aliæ gentes sunt, quæ res accuratissimos scriptores in errorem impulit, haud enim sciverunt ex qua sit origine hoc ductum. Herodotus ait solos omnium mortalium Ægyptios [3], Colchosque, & Æthiopes id fecisse. Syros vero, qui in Palæstina sunt, hoc est, Judæos, ab Ægyptiis didicisse neque vero dubitandum esse, cum hoc confiteantur illi ipsi Syri [4]. Sed enimvero danda est errori huic venia, obscura enim propter vetustatem sunt rerum initia. Nos Abrahamum circumcisionis authorem [5] cunctis Judæis fuisse, non opinamur hercle, sed certo scimus. In hoc uno tamen Herodotum sua non fefellit divinatio, quod Æthiopes potius ab Ægyptiis [6], quam hos ab illis accepisse morem existimat. Quippe primi Ægyptii Hebræos, quos sedibus suis exceperant, imitati sunt. Exinde res manavit ad finitimos, Colchos, Æthiopesque [7]. Quoniam de profanarum gentium circumcisione diximus, confutandus nobis est eruditissimus Rabbinus, cujus exstat liber in manibus hominum, qui Aruch dicitur. Magnum atque memorabile facinus inceptat, qui in animum induxit ruspando ventilare quicquid errorum est in Rabbinicis scriptis. Homines enim Hebræi, egregia eruditione, sagacique ingenio, cum sacri codicis sensa patrio sermone evoluta nobis darent, multa feliciter repererunt, quæ aliorum nunquam assecuta esset industria. Sed iisdem rursus aut confidentia interdum aut ambitio interpretamenta quædam dictavit, quorum falsitatem incogitantibus deprehendere haud facile est, quia veris proxima sunt. Non ego nunc de allegoriis, mysteriisque, neque de fabulis loquor, quibus sua ipsi scripta miserum in modum infamaverunt, monstra enim hæc sunt, in quæ si Hercules incidisset, putasset sibi tertium decimum laborem venisse. Sed eas dico interpretationes, quibus הפשוט, ut ipsi vocant, hoc est, *simplex verborum sententia* explicatur. Hac enim parte soli Judæi, ingratiis omnium gentium, tenent quendam principatum. Et nobis quidem de Judaicarum interpretationum virtutibus vitiisque alio loco abunde dicetur. Nunc Jeremiæ recitabimus verba, ex quibus author libri Aruch olim commentum fabricatus est, quod probavere amplexique sunt hac ætate viri eruditissimi. Ait apud vatem Deus in capite nono: *Ecce, prope adsunt dies, cum animadvertam in omnes, qui circumcisi sunt cum præputio*, & addit, in quos animadversurus sit; *In Ægyptios* [8], *& in Judæos, in Edomitas, & in Ammonitas, Moabitasque*. Circumcisi cum præputio [9], ii sunt, inquit autor libri Aruch, qui postquam circumcisi essent, præputium attraxere. Tales autem erant Ægyptii, inquit; quia circumcisi [10] quidem erant, quo tempore vivebat Joseph: at, illo mortuo, adduxerunt sibi præputium [11]. Nempe hoc sentit Rabbinus, odio Israelitarum Ægyptios, ut obiit Joseph, omisisse circumcisionis

ritum,

risum, quem olim, vivente illo, ab ipsis didicerant; quin & ad hanc rem arte usos esse [12] ait, quæ abscissam cutem repararet, noluisse enim eos quidquam commune habere cum ea gente, quam per se pridem pastoritio vitæ genere invisam, ob unius tamen Josephi merita hactenus, sed ægre hærere in parte regni siverant. Hæc est sententia præstantissimi Rabbini, qui putat Ægyptios non fuisse circumcisos [13], ex qua tempestate, relictis eorum finibus, in Palæstinam concessere Israelitæ. Sed non ita est [14] profecto. Etenim suo adhuc ævo recutitam prisco more fuisse eam gentem, Herodotus atque Strabo, &, qui diu post illos vixere, Hieronymus Ambrosiusque memorant. Enimvero perperam intellexit scriptor Hebræus verba Jeremiæ, quorum interpretatio mihi ea videtur optima, quæ est pervulgata. Scio equidem cum autore libri Aruch etiam sentire V. C. Joannem Drusium, quo sumus magistro quondam usi. Sed ille, qua fuit animi æquitate, dedisset ingenuo candori nostro veniam. Etenim incorruptam libertatem professi, sine amore, sine odio, quid rectissime dicatur, exquirimus. Profecto, quoniam spiritus sacer *circumcisos cum præputio* appellat primum Ægyptios, dein Judæos; interpretamentum istud de omissa [15] spretaque circumcisione, si ad Ægyptios refertur, falsum quidem est, ut jam ostendi, sed tamen colorem veri habet, at ubi Judæos spectas, de quibus ibidem sermo est, jam nequaquam procedit commentum. Etenim is populus, etsi ad impietatem identidem prolapsus est, & Deum negligere, sacra profanaque omnia polluere didicit, circumcisionis ritum tamen retinuit constantissime, eaque re gloriatus semper est usque ad ineptias, & cum derisu. Sed omissa hac disceptatione, redeamus ad primam sanctissimi instituti causam, quam diximus hanc fuisse, uti populus Israeliticus aliqua diversitate nosceretur. Libet & alteram huic addere, quæ gravior certe, majorque est. Inter eas res, quæ Messiæ sacrificium figuraverunt, etiam sanguis ille fuit, qui præputiorum circumcisione fundebatur. Quoniam autem rerum soliditas inania pellit umbrarum, æquum fuit, ut, postquam Messiæ vultus terrarum orbi affulsisset, eæ imagines tollerentur, in quibus fuerat olim mysterii hujus occulta quædam significatio. Quare illa tempestate vim suam circumcisio perdidit. Nam neque ii, qui ex profanis gentibus venerati Messiam sunt, præputia ponere necesse habuerunt, uti Ecclesiæ sacris initiarentur; & rursum Judæis, si qui adorare eundem voluere, nihil quidquam officiebat, quod recutiti essent. Est super hac re luculentus divi Pauli sermo ad Corinthios, in capite septimo primæ epistolæ. Περιτετμημένος τὶς ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω. ἐν ἀκροβυστίᾳ τὶς ἐκλήθη; μὴ περιτεμνέσθω. ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι, καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστιν, ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν Θεοῦ. *Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahat præputium, in præputio aliquis vocatus est? ne circumcidatur. Circumcisio nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Enim vero erant illo ævo quidam male superstitiosi, qui, cum ex Judaismo sese in Christianismum transderent, usque adeo nulla Judaici ritus superesse vestigia in corpore suo voluere, uti præputia quæ infantes amiserant, jam repararent viri. Ad eam autem rem medicorum usi opera sunt. Quæ fuit profecto nimis anxia religio. Et jure igitur eam culpavit Apostolus. Sæpe subiit animum meum cogitatio, quonam modo D. Hieronymum fugerit sententia verborum Pauli, cum tamen nihil illo viro eruditius viderit veterum ætas. Existimat ille, per totum istum locum de cælibatu & de conjugio agi. Verba autem sic interpretatur: *Eo*, inquit, *tempore, quo vocatus es & credidisti, si circumcisus, hoc est, cælebs eras, noli ducere uxorem, id est, noli adducere præputium, ne circumcisionis & pudicitiæ libertatem oneres sarcina nuptiarum. Rursum, si in præputio quis vocatus est, ne circumcidatur. Habebas uxorem, cum credidisti, noli fidem putare causam dissidii, in pace enim vocati sumus.* Quæ de servis adduntur a beato Apostolo, eodem pacto explicat. Hæc, & his gemina, non uno loco Hieronymus, sed præcipue in commentationibus, quas in Esaiam edidit. * Et vero, uti ostendat

* Inique hic Cunæus Hieronymi interpretamentum tanquam anile, ac prorsus inane figmentum derridet. Nam juxta Apostoli praxim præputium contumeliam perversionem, seu a recta fide Apostasiam quandoque significat, ut ad Rom. 2. v. 25. *si autem prevaricator legis sis circumcisio tua præputium facta est.* Hoc est si legem profanaveris exosus Deo eris, & tanquam Ethnicus reputaberis; quæ sane interpretatio tota methaphorica est. Quid mirum igitur si Hieronymus hic circumcisionem, ac præputium metaphorice una simul cum Origene, a quo videtur suam delibasse sententiam, interpretetur? Augustinus lib. de mendacio v. 5. & Cajetanus in hoc loco Pauli verba sine scopo intelligi non posse putant. Benedictus Justinianus inter Pauli interpretes solertissimus licet in ipso expositionis vestibulo Hieronymi sententiam non approbat, post multam tamen verborum circuitionem Origenis interpretationem tanquam Apostolico sensui apprime consentaneam ex parte probat. Suam denique profert explicationem, eamque Allegoricam, licet paulo aliter quam Hieronymus, ac Origenes. Quare igitur succensendum S. Hieronymo si secundum scopum verba Pauli explicaverit? Nec minus inique S. Hieronymus a Cunæo vapulat, dum Machabæorum lib. 1. c. 1. ubi de Judæis sibi præputia facientibus S. Doctor interpretatur de filiis cum præputio hoc est sine circumcisione relictis. Nam verba illa, *& fecerunt sibi præputia*, optime intelligi possunt de parentibus præputia permittentibus, vel concedentibus in filiis, cum satis jam constat ex sacris Interpretibus teste ipso Glassio in sua grammatica sacra, quod sæpe

ſtendat Pauli locum non eſſe verbo tenus, aut ſine allegoria explicandum, diſerte ait, *haud eſſe poteſtatis noſtræ , præputium adducere poſt circumciſionem* . Nos Hieronymo non opponemus illuſtrium medicorum conſenſum [16], qui fieri id poſſe affirmant, quod negitat ille. Satis illum rédarguit tot hiſtoriarum fides. Quanquam hercle, quod in Maccabæorum libris ſcriptum eſt, filios Tobiæ [17] feciſſe ſibi præputia uti Græcis eſſent ſimiles , illud ipſum frigida interpretatione pervertit . Atqui Flavius Joſephus ejus rei tam certus eſt author , uti addubitare amplius , non ſit hominis ſobrii . Enimvero ita res eſt . Abripuit Hieronymum , ultra quam ſatis eſt , cælibis vitæ amor . Hanc enim ille uti mortalibus commendaret , omnia ſollicitavit prophetarum atque apoſtolorum dicta , pleriſque etiam vim fecit . Quemadmodum arquatis & veternoſis , lutea quæ non ſunt , æque ut lutea videntur : ſic , cujus animo ſemel ſedit pervicax opinio , deſinit ille res vera notione diſcernere , & quidquid obviam uſpiam eſt , id omne inſervire ſuæ cauſæ autumat . Certe quidem in libris adverſus Jovinianum effertur ſine habenis, exuberans exultanſque, argumentorum vero delectum habuit nullum. Etenim, quod magnæ imprudentiæ eſt, cnm , multa ſe in pectus illius inſinuarent, omnia, quæ animi calor admittebat, in vulgus publicavit. Ita permagnum adiit nominis ſui periculum , ut omittam , quod nimius fuerit cum in laude virginum, tum in vituperatione nuptiarum . Marcioni enim & Manichæo favere viſus eſt ; & , dum unum latus protegit adverſus Jovinianum , in altero vulnus accepit a ſpurciſſimis hæreticis. Quare Pammachius, ſummus amicus ejus, pleraque exemplaria ſuppreſſit, & ipſe pro ſe ſcripſit apologiam, adeo pulchram medius fidius, uti jam in ſanctiſſimo viro illud continentiæ vehemens & acre ſtudium non feram modo, ſed amem quoque. Quod enim plerique maledictum ingens exiſtimant, eam ego laudem duco maximam . Modus quidem tenendus eſt , fateor : ſed quia difficile eſt temperamentum , quidquid æquo plus futurum eſt , in hanc potius partem præponderet. Sed iterum longius, quam decet , receſſimus a propoſito , creſcet in immenſum noſtra commentatio, niſi in poſterum magis preſſe inſiſtamus lineæ. Circumciſio per quadraginta annos, dum in Arabum deſertis errabant Hebræi , omiſſa eſt. Etenim, quoniam ſæpe movenda caſtra erant, ægrorum imbecillitas ex recenti vulnere moram injeciſſet profectioni. Accedit, quod in vaſtiſſimis illis locis nullæ erant gentes, quibus miſceretur ſacer populus, quare diſtinctione & notis [18] neutiquam opus erat. Interea tamen, quoniam circumciſos proſequebatur ſingularis quædam Numinis benignitas , utique valde infelices videri poſſint , quos in ſolitudine natos fati vis extinxit acerbo funere . Sed nobis ſacri codicis contextum acrius inſpectantibus nulla adhuc reperta ratio eſt , cur in deſerto crederemus aliquos periiſſe , qui nati ibidem eſſent. Illud conſtat, eorum omnium, quos ex Ægypto Moſes eduxit, neminem , exceptis duobus , in Palæſtinam veniſſe . Itaque, quod ſummus populi ductor Joſua, cum Jordanen tranſiiſſet, Iſraelitas denuo circumcidiſſe memoratur, id vero ad eos pertinet, qui circumciſi nondum fuere , quia nati in deſerto erant . Repetita tamen circumciſio [19] dicitur, quia revocabatur mos , qui uſurpatus olim in Ægypto, ac dein intermiſſus, poſtremo penitus abierat in deſuetudinem. At Hieronymus præter rem hic ſe fatigat, & nodum quærit in ſcirpo , cum diſputat , qualis ea fuerit circumciſio , quam repetiverit Joſua . *Nam ſi juxta literam illud accipimus* , inquit , *penitus ſtare non poteſt*, *non enim exciſa pellicula iterum naſcitur*. Aliqua via elabendum fuit, in rebus creperis fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt ; & capienda hic præceps via eſt. Igitur , uti nobili aliquo facinore ſeſe expediat , *cultellum quendam Evangelicum* fingit in hac iterata circumciſione ; neque aliud hercle ſignificari ait , niſi mundationem animorum. Eſt hæc non exigua * hallucinatio: & tamen ipſi commentum placet Cæterum , quod dixi eos , qui nati in deſerto ſunt, incolumes evaſiſſe cunctos in Palæſtinam, conjectura modo noſtra eſt : putamus enim , non aſſerimus. Si qui tamen interea temporis, dum intermittebatur circumciſio , mortui forte ſunt,

ſæpenumero verba, quæ actionem, ſeu effectum ſignificant in divinis Scripturis de permiſſione , ſeu conceſſione intelligenda ſunt . Hic ratio ſatis appoſita videtur interpretandi ſacra verba ad amuſſim adductæ regulæ ; nam in eodem capite v. 51. Anthiochus legem tuliſſe dicitur, qua Parentes juberentur , *relinquere filios ſuos incircumciſos* , & v. 63. *& mulieres , quæ circumcidebant filios ſuos , trucidabantur , ſecundum juſſum Regis Antiochi* . Ex Joſephi teſtimonio parum aut plane nihil convincitur ; quoniam Joſephus in recenſendis iis , quæ non ſua ætate , ſed diu ante evenerunt , aliquando erraſſe tam certum eſt , ut Cunæus ipſe in hoc ſuo porro licet opuſculo octo ejus errores obſervet .

* Non hallucinatur qui aliquando Scripturæ verba ſecundum allegoriam duntaxat interpretatur ommiſſa literali interpretatione quæ nimis ambigua atque obſcura videtur . Hoc Hieronymum atque alios bene multos aliquando feciſſe tam verum eſt , ut nodum in ſcirpo quæreret , qui de hac re dubitaret . Miror ſane quomodo hæc interpretandi ratio diſplicuerit Cunæo, cum ipſe tanti faciat interpretationem cabaliſticam quæ tota myſtica eſt , atque ex humana induſtria ſtudioſe elaborata . Hoc quam verum ſit palam ex cap. 8. hujus libri demonſtrabitur .

ſunt, his non minus propitium [20] fuiſſe credimus Numen, quam illis, queis natura finem vitæ fecit, antequam inſtitutus ſolennis hic ritus eſſet. Idem de infantibus quoque judicandum eſt, quos dulcis vitæ exortes, & a matris ubere ante octavam lucem raptos, abſtulit atra ſors. Quapropter ridicula eſt verporum hodie ſuperſtitio, qui pueros ſic extinctos, circumcidunt tamen apud ſepulcrum [21]. Quoniam omnia perſequimur, (volumus quidem certe) dicendum eſt etiam, cur circumciſioni octavus ſacratus dies [22] ſit. Nimis longe arceſſitum eſt, quod plerique hic de ætate octava ajunt, quæ vitæ æternæ redditura mortuos eſt. Myſteria ex rebus quibuſque obviis & apertis effodere, eorum eſt, qui via hominum pervulgata ſapere faſtidiunt. Quæ res ſæpe excidit in febriculoſam putiditatem. Nos non inventionum acumen, ſed rerum pondera amamus. Cunctæ animantes, cum recens natæ ſunt, quia brevem lucis uſuram habuere, & incertum adhuc eſt, an vita illis vitalis ſit, ante octavum diem vix in cenſu animantium æſtimantur: ad hoc, nondum ſpurcities diffluxit, quæ ex utero illis, atque ex partu credita eſt adhæreſcere. Ea cauſa eſt, cur ex hoc genere mactari victimas ſibi vetuerit Deus [23], cui ingratum eſt, quicquid ſemiperfectum aut impurum eſt. Exſtat edictum in Levitici capite viceſimo & ſecundo; *Bos, ovis, & capra, cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ, die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino*. Igitur, quoniam etiam circumciſio velut quoddam ſolenne ſacrum fuit, per quod puerorum ſurgentem ſpem conſecrabant Numini, plane oportuit hic eandem opportuni temporis legem eſſe. Placuit autem octavus dies, non ob arcani vim [24], quæ in numero eſſet: ſed quia nec ante peragi ſacer ille ritus potuit, &, ut diutius differretur, haud neceſſe fuit. Quod ſi dies poſt octavum quivis alius ex parentum fuiſſet delectus libitu, jam metus erat ne ſupinitate hominum & ſocordia quotidie res in deterius iret. Ita enim fit in vita. Primum prolatatio & ignaviæ quædam dulcedo allubeſcit: mox contemtio ſuccedit atque neglectus. Neque vero ipſe ſabbathi dies, ſi octavus a natali eſſet, exceptus fuit, quamvis ab omni alio opere continerent tunc manus ſuas Judæi. Verba facit hac de re ipſe Meſſias in capite ſeptimo Evangelii, quod ſcriptum reliquit Divus Joannes. Quæ de circumciſione dicenda erant, perſecuti pleraque ſumus, niſi liberet nobis Thomam Aquinatem & alios præſtantiſſimos quoſdam ſcriptores refellere, qui circumciſioni adhibitum a Tzippora & Joſua cultellum ajunt, non ferreum, ſed lapideum [25]; eaque re ſignificari Meſſiam, ſalutis auſpicem, exiſtimant, de quo divus Paulus illud pronuntiat, ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριςός *petra autem erat Chriſtus*. Sed nos ab hac porrigine ungues continebimus, cum poſitum in laude commentarium ſit, rebus illuſtribus immorari. Cætera iis relinquenda ſunt, qui palmarium petunt ex ignobili labore.

NOTÆ AD CAPUT QUINTUM.

[1] *Primus Abrahamus*) Recte autor noſter ſtatuit Abrahamum primum fuiſſe, qui hoc Sacramentum circumciſionis acceperit, quippe de hac *Geneſ.* XVII. 10. legimus, Abrahamum cum omnibus ſuis ex mandato Dei circumciſum fuiſſe. Exponitur hoc loco novum aliquod fœdus & plane ſingulare, quod Deus cum Abrahamo ejuſque poſteris anno mundi 2048. ſecundum *Schraderi Patroni mei, dum viveret, magni Tab. Chron.* & ætatis *Abrahami* XCIX. iniit, ut nempe omnis mas die octavo circumcideretur. Non eſt ut pluribus hoc dictum deducamus, cum otium hic nobis fecerint *D. Sebaſt. Schmid. in tr. de circumciſ. p. m. 166. & cl. Chriſtian. Lokernitz tribus diſſert. Philolog. Witteberg. habitis anno 79. de circumciſione Judæorum. Henr. Ainſworth. Comment. in Geneſ. edit. Londin.*

[2] *Nihil tam religioſe obſervatum*) quam circumciſio, ita ut omnes ſub pœna exciſionis obligati fuerint ex mandato Dei *Geneſ.* XVII. ℣. 14. confer. *Henric. Ainſworth. comment. in h. l. ſol. m. 69. edit. Londin.* qui ex *Maimonid. in tract. de pœnit. cap. 8.* ſ. 1. & aliis locis teſtimonia adducit.

[8] *Ægyptios &c.*) Hæc Cunæus noſter ex *Herodoto* adduxit, qui in *Euterpe cap.* 104. ita ſcribit: *Soli omnium hominum Colchi & Ægyptii & Æthiopes circumcidunt ab initio præputium, Phœnices vero & Syrii, qui in Palæſtina & alii fatentur id didiciſſe ſe ab Ægyptiis, ab Ægyptiis vero & Æthiopibus dicere non poſſum, quinam priores didicerint, videtur enim perantiquum eſſe.* Quæ verba docent nimium dicere *Freculphum Lexovienſem Chron. lib. 3. Bibl. Patrum T. 1. pag.* 146. Herodotus Halicarnaſſ. dicit Æthiopes ab Ægyptiis didiciſſe genitalium circumciſionem. Hanc ipſam ſententiam Herodoti ſecuti ſunt *Nobil. Angl. Marſham in can. chron. & Spencer. in legib. Hebr. ritual.* qui docent: Ægyptios & Æthiopes omnium primos præputia poſuiſſe, adeoque circumciſionem Judaicam proxime quidem a Moſe & Patriarchis, remote vero ab Ægyptiis profluxiſſe. Verum ſepoſito omni præjudicio aſſerimus, hos omnes errare, affirmantes Judæos ab Ægyptiis circumciſionem habere, & Herodoti teſtimonium non tanti eſt, ut calculum album addamus, cum Gentilis fuerit & in hac re facile errare potuerit, uti ex ſequentibus patebit.

[4] *Confiteantur ipſi Syri*) Hoc quidem dicit *Herodotus l. c.* qui aſſeclam habet *Marſhamium* per Syros Judæos intelligentem *Sect.* x. *pag.* 235. Sed authoritati *Herodot.* majorem & infallibilem opponimus authoritatem viri Θεοπνεύστου Moſis, qui & rerum veritate & antiquitate alios Scriptores ipſum etiam *Herodotum* longe excedit. Hic vero, Deum Abrahamo primum mandaſſe circumciſionem. Deinde notum eſt, Herodoti libros multis vanis & inauditis fabulis eſſe refertos, teſte *Cicer. lib.* 1. *de legib.* Quemadmodum vero in aliis, ita potiſſimum in ſacris Ægyptiorum exponendis multa ſcripſit, quæ fidem omnino excedunt. Comprobat id ſuo teſtimonio *Diodor. Sicul. l.* 1. *p.* 63. Et quid mirum, multa eum retuliſſe falſa, cum talia ab *Ægyptiis*, qui gloriæ inhiantes, ſacra ſua aliaſque res geſtas nimium

mium

mium extulerunt, hauserit. Demonstrat hoc *Jacobus Capellus histor. Sacr. & Exot. anno* 3421. Vid. *Vander Waeyen in dissert. Spenc. de hirc Azazel excussa* §. 676. *in Var. Sacr. pag. m.* 527. Quæ cum ita sint, qua ratione *Marsham.* & *Spencerus* hac in re ad hunc provocare audent? Contrarium potius Phænices pronuntiant, dum ad *Saturnum* referant circumcisionem suam, ut Sanchoniathonitis suis scribit *Philo Biblius*, homo Phænix & rerum suarum *Herodoto* longe consultior, judice *Huetio Demonstrat. Evangel. Propos.* IV. *c.* XI. *pag.* 264. Et Judæi nihil minus, quam confitentur se circumcisionem ab Ægyptiis accepisse. Sic ex *Herodoto* nihil certi potest elici, quia ipse dubius hæret, utrum circumcisio ἀπ' ἀρχῆς fuerit apud Ægyptios, an vero apud Æthiopes. Confer & de hoc loco Herodot. omnino *Hugo Grot. de verit. Relig. Christian. l.* 1. §. 16. *in Annot. Z.* 3. & *Samuel Basnag. in Exerc. hist. Crit. p.* 118.

[5] *Circumcisionis authorem*) Abrahamum sc. fuisse multis argumentis ostendit cl. *Daniel Joach. Make in dissertat. sub præsidio plur. reverendi viri Zachariæ Grapii. Physic. & Metaph. Rostoch. Prof. an circumcisio ab Ægyptiis ad Abraham. fuerit derivata prodiit Rostoch.* 1699. conferatur *Henric. Ainsworth. Comment. in Genes. cap.* XVII.

[6] *Potius ab Ægyptiis*) De circumcisionis ad Ægyptios dimanatione variæ sunt Autorum opiniones. Alii enim eam ad illos dimanasse putant ab *Ismaelitis*, uti *Heidegger. tom.* 2. *histor. Patriarch. Exercit.* 7. *n.* 28. confer. *Byneus de circumcisione Christi* apud celeber. *Tenzel. in den Monatlich. Unter redungen anno* 90. *p.* 1090. Alii tempore *Salomonis*, ut *Bonfrerius*. Vid. *Vander Waeyen l. c. p.* 336. §. 214. *Samuel* vero *Basnagius in Exercit. histor. Crit. pag.* 120. persuasissimum sibi habet, circumcisionem per *Josephum* ad Ægyptios fuisse derivatam. Cui etiam aliquo modo assensum præbet *Herman. Witsius in Ægypt. l.* 3. *c.* 6. *pag. m.* 227. ubi hunc circumcisionis processum ponit: Primus eam a Deo accepit Abrahamus. Ab Abrahamo per Ismaelem acceperunt *Arabes* & Æthiopes fortassis: Per Cethuræ filios aliæ, quæ ab iis ortæ sunt, nationes. Per Isaacum Edomitæ *Esavi* posteritas & Israelitæ: Ægyptii unde habeant, asseveranter non vult dicere: alii *Arabes* hic laudant: Alii de Israelitis opinantur, quod vero similius videtur partim ex *Psalm.* CV. 20. 21. 22. partim ex conjunctione cum Sacerdotali Ægyptiorum familia, ex qua uxorem duxit *Josephus*; hinc a Judæis accepisse probabile videtur. Confer de hac materia *Polydor. Virgil. de rer. invent. lib.* 4. *c.* 3. *Hug. Grot. de verit. Relig. Christ. l.* 1. §. 16. *Montacut. in Origin. Eccles. p.* 1. *t.* 1. *pag.* 54. *seq. edit. Londin. Gomarus in Op. th. t.* 15. *Morin. in Exercit. p.* 4. *D. Dicmann. in dispvt. inaugural. de Natural. Bodini p.* 45.

[7] *Colchos Æthiopesque*) Quinam *Colchi* fuerint satis erudite ostendit celeb. *Wormius in antiq. Hebr. corruptis edit. Hafn. pag. m.* 127. 128. Verum res adhuc in dubio versatur, an *Colchi* circumcisi? Nam si *Colchi* Ægyptiorum advenæ fuerint, & præterea ἀπ' ἀρχῆς circumcisi; sequitur omnino Ægyptios ante *Colchorum* defectionem non circumcisos fuisse, & id postea a *Colchis* didicisse. Deinde ex eo, quia Philistæi, quippe qui ex *Casluchæis* sive *Colchis*, hi vero ex Ægyptiis procreati dicuntur *Gen.* X. 12. 13. circumcisionis fuerunt expertes. Unde in Sacris appellantur ערלים *Jud.* XIV. 3. & David Regi *Saul* 100. præputia *Philistæorum* obtulit 1. *Sam.* XVIII. 27. Jam vero si ab initio circumcisionem *Ægyptii* habuissent in usu, utique in *Casluchæos*, & hi in *Philistæos* propagassent, quia quælibet gens paternos ritus non tantum liberis suis commendare; sed & in posteros aliosque populos transplantare omnibus intendit viribus. Id vero cum factum non fuerit, sequitur circumcisionem ante tempora Abrahami in Ægypto non fuisse. Quod ad *Æthiopes* attinet, *Herodotus* asserit, illos in circumcisione *lapide Æthiopico* usos. Verum hic iterum errat author, cum hæc *Æthiopum* circumcisio (si fuerit facta) maxime differat a *Judæorum* circumcisione. Audiamus verba *Regis Æthiopum Claudii* in *Commentar. Æthiop. lib.* 1. *cap.* 3. *fol.* 115. *Quod vero attinet ad morem circumcisionis, non circumcidimur sicut Judæi, quia sciamus verba doctrinæ Pauli fontis sapientiæ: & circumcidi non prodest & non circumcidi non juvat, sed potius nova creatio, quæ est fides in Dominum nostrum Jesum Christum, & iterum dicit ad* Corinthios *qui assumsit circumcisionem, non accipit præputium, omnes libri doctrinæ Paulinæ sunt apud nos & docent nos de circumcisione & de præputio: verum circumcisio nostra secundum consuetudinem regionis fit, sicut incisio faciei in Æthiopia & Nubia & perforatio aurium apud Indos, id autem quod facimus non ad observandas leges Mosaicas, sed secundum morem humanum.*

[8] *In Ægyptios*) Sunt qui ex hoc *Jeremiæ* loco probare conantur, Ægyptiis inter gentes circumcisas primum adscribi locum, nullam ob aliam rationem, quam quia circumcidendi mos antiquior fuit apud Ægyptios, quam apud cæteros, imo ipsos Judæos; sed Resp. negando consequentiam. Si enim hæc major propositio: Quicunque inter gentes circumcisas primum obtinent locum, apud eos circumcidendi mos fuit antiquior, quam apud reliquos, qui postponuntur, firmo stat talo, possumus subsumere; Atque *Colchi* inter gentes circumcisas primum obtinent locum, quod patet ex Herodoti testimonio, qui *Colchos* omnibus aliis, imo Ægyptiis præponit. Ergo apud *Colchos* circumcidendi mos fuit antiquior, quam apud Ægyptios. Quam conclusionem utrum *Spencerus* & *Marshamius* velint suam facere dubitamus. Quid? quod nec ipsa Sacra Scriptura semper hunc ordinem servare soleat; cum gentes sæpe sine ordine collocet, quod omnino hoc loco factum fuit. Nos itaque contrarium potius ex hoc Jeremiæ loco probamus. Si enim expresse dicitur omnes gentes esse præputiatas, & notanter additur in Hebræo ה emphaticum; quo indicatur, de his ipsis modo recensitis gentibus esse sermonem, inter quas etiam Ægyptii recensentur. Hinc & hunc locum probationibus nostris palmariis innumerandum esse censemus.

[9] *Circumcisi cum præputio*) i. e. Non more Judaico, a quo hi differunt ab illis, qui sic se habet, & ex *Mose Kotzensi* in ספר מצוה גדול fol. 115. recensemus. *Totum præputium quo tegitur glans abscindunt donec hæc tota appareat, deinde retegunt teneram pelliculam inferiorem unguibus in utrumque latus, donec caro glandis videatur, postmodum exsugunt, ut sanguis locis illis pressis extrahatur, ne infans periclitetur, postquam exsuxit, imponit emplastrum & huic similia.* Quod si aliquid ex his neglectum fuerit totam omnino circumcisionem irritam credunt, quod confirmant verba, quæ in ore fere omnium sunt: *Qui circumcidit, nec denudat, perinde est, ac si non circumcidisset.* Et in Talmudic. Massech. שבת cap. 13. *Faciunt omnia necessaria circumcisionis, circumcidunt, retegunt & sugunt.* Quicunque igitur hoc modo circumciduntur, circumcisi vere dicuntur. Cæteri autem circumcisi cum præputio vocantur: de quibus paulo post.

[10] *Quia circumcisi*) De Ægyptiis sermo est. Quando autem circumcisio introducta præcise determinari non potest. *Basnagiu. in Exercit. histor. Crit. p.* 120. persuasissimum sibi habet, circumcisionem per *Josephum* ad Ægyptios fuisse derivatam. Cui etiam aliquo modo assensum præbet *celeberr. Hermann. Witsius in Ægypt. l.* 3. *c.* 6. *pag. m.* 227. ubi hunc circumcisionis processum ponit. Primus eam a Deo accepit *Abrahamus*. Ab *Abrahamo* per *Ismaelem* acceperunt *Arabes* & *Æthiopes* fortassis: Per *Cethuræ* filios aliæ, quæ ab iis ortæ sunt, nationes. Per *Isaacum Edomitæ Esavi* posteritas & *Israelitæ*. *Ægyptii* unde habeant certo dicere non vult: alii Arabes hic laudant, alii de *Israelitis* opinantur, quod verosimilius videtur, partim ex *Psalm.* CV. 20. 21. 22. partim ex conjunctione cum Sacerdotali Ægyptiorum familia, ex qua uxorem duxit *Josephus*. conf. d. mater. *Polydor. Virgil. de rer. invent. l.* 4. *c.* 3. *pag. m.* 300. *Hug. Grot. de verit. relig. Christ. l.* 1. §. 16. *Annot. Z.* 3. *Montacut. Origin. Eccl. P.* 1. *t.* 1. *p. m.* 54. *seq. Gataker. advers. Miscell. c.* 42. §. 417. *seq.* Cum quibus & nos statuimus, *Ægyptios* hunc ritum accepisse a Judæis.

[11] *Adduxerunt sibi præputium*) Cujus rei *Esavum* inventorem produnt idque de *Achane Jos.* VII. & Ægyptiis post mortem Josephi tradunt Judæi, vid. *Thom. Bartholin. de morb. Bibl. pag.* 109. 110. & tales *Jerem.* IX. innui volunt. Unde Autor libri

Aruch,

Aruch, ex quo *Cunæus* hæc refert, ſcribit: *Quid eſt circumciſio in præputio?* Circumcidebantur & attrahebant ſibi preputium. De hac attrahendi pelliculam ratione vide *Maſium in Joſuam* V. 2. *col.* 1525. *Ludov. Michael. Crocii annot. in Obad. pag. m.* 71. *edit. Brem.*

[12] *Arte uſos eſſe*) Id fiebat arte Medica. Hic nobis ex Medicis ſuppetias fert celeb. *Thom. Bartholin. in libell. de morbis Bibl. p.* 106. *edit. Francof.* 1697. Brevitas præputii, inquit, quomodo corrigatur per membranam additam vel ſectione circa ſcrotum, prolixe tradit *Fallopius l. de decorat. c.* 9. & ante illum *Æginata l.* 6. *R. M. c.* 53. quam tamen operationem raram ait, cum neque functionis aliquam difficultatem hæc affectio inducat, neque ita decorem vitiet, ut hujus chirurgiæ tormentum ſubire quis ſuſtineat. In eo, qui circumciſus eſt, tegendæ glandis modum deſcribens *Celſus lib.* VII. *c.* 25. ſub circulo glandis ſcalpello deducit cutem ab interiore cole, reſolutam autem cutem rurſus extendit ultra glandem, tum multa aqua frigida fovet emplaſtrumque circa dat, quod valentem inflammationem reprimat: Ubi jam ſine inflammatione eſt, deligat a pube uſque circulum, ſuper glandem autem adverſo emplaſtro impoſito inducit, quod ſi enim fit, ut inferior pars glutinetur, ſuperior ita ſaneſcat ne inhæreat. Non aliter *Galenus lib.* XIV. *Meth. Med. c.* XVI. ſi chirurgia curetur. Alios tamen modos annotat & ſolam tenſionem addita membranula molli firmaque cum gummi agglutinata & thapſia. Unde *Dioſcorid. l.* 3. *c.* 51. hujus rei mentionem facit primum cum de *Aloe* agit, quæ juxta ejus mentem ἐπαγώγια παίδων ῥυχθέντα παρακολλᾷ *diſrupta puerorum præputia adglutinat*, ſecundo, cum *lib.* I. *c.* 101. mel nominat, quod *curtis glandemque quæ citra circumciſionem nudata ſit, in integrum reſtituat, ſi melle præputium, a balneo potiſſimum ad dies triginta emolliatur*: & tertio cum de *Thapſiæ* ſucco ſcribit *lib.* IV. *c.* 157. Nec deſunt ex Patribus, qui huic ſententiæ accedunt, quos inter primas ſibi vendicat *Epiphanius fol.* 538. ita ſcribens: Τὸ δὲ ἔτι τούτων χαλεπώτερον, ὅτι καὶ ἀπὸ περιτομῆς ἀκρόβυστοι γίνονται, τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστῆρος τὰ τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσπαθισθέντες, ῥαφέντες, καὶ κολλητικῶς περιοδευθέντες ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτοῖς ἀποτελοῦσιν. i. e. *Hoc vero adhuc gravius eſt, quod etiam a circumciſione præputiati fiunt arte quadam medica, per inſtrumentum attractorium* σπαθιστῆρος *appellatum, internam membri cuticulam attrahi ſinentes, futuramque admittentes & glutinatoriis circumdatis præputium rurſus ſuperinducunt*. Confer. *Bartholin. pag. m.* 109.

[13] *Ægyptios non fuiſſe cicrumciſos*) Varia producunt Hebræi exempla talium Repræputiatorum, primo ſcribunt *Achanem*, cujus ante mentionem fecimus, de quo *Joſuæ* VII. fuiſſe attracti præputii. vid. *Talmud. tract. de Synedr. fol.* 44. 1. Illumque vocant מושך & hoc vocabulo deſignant eos, qui vel per partem ſibi præputium reſtituunt, vel quibus ex naturæ ſingulari vigore recreverit. e. g. in *Tract. Talmud.* qui vocatur *Jevamoth fol.* 72. ſcribitur, quod ex ſententia Rabbinorum מושך attractum vel reductum præputium habens non poſſit comedere de honoraria oblatione, eo quod ſimilis habeatur præputiato ſeu nunquam circumciſo. Ibidem ſequitur, quod ex ſtatuto Rabbinorum מושך *Maſeuch* denuo ſit circumcidendus, & inter hos refert Autor Aruch *Ægyptios*, qui quidem tempore Joſephi circumciſi, ſed eo mortuo ſibi præputium reduxerint in odium, ne quid commune haberent cum Iſraelitis.

[14] *Sed non ita eſt*) His verbis *Cunæus* noſter *Rabbini* ſententiam refellit, quod a veritate aberraverit, aſſerens morem hunc Ægyptios ſervaſſe, probatque ſententiam ſuam ex *Herodoto*, *Strabone*. confer. *Richard. Montacut. Orig. Eccleſ. Tom.* 1. *fol. m.* 58. *uſque* 61. *edit. Londin.* 1626.

[15] *Omiſſa*) Cur circumciſio in deſerto omiſſa variæ redduntur rationes, quarum etiam *Cunæus* noſter quaſdam recenſet. Dicunt quidam, id factum eſſe populi inobedientia: alii ex ejuſdem cautela & prudentia, ne ſc. in eremo vagi & inſtabiles, infantulos recens circumciſos præſentiſſimo vitæ periculo exponerent, vulneri enim recens inflicto quam maxime obeſt motus vehemens; alii, quia circumciſio in deſerto non adeo fuerit neceſſaria, quod Deus illam ordinarit, ut poſteri Abrahæ diſcernerentur ab omnibus aliis gentibus, id quod non adeo neceſſarium fuerit Iſraelitis in deſerto caſtra metantibus, quippe qui per loci naturam ſatis ab omnibus aliis populis ſegregati fuerint. Quam poſtremam ſententiam amplectuntur *Theodoretus Q.* 2. *Hieron. lib.* 1. *in Epiſt. ad Galat. Damaſcen. l.* 4. *Orthodox. fid. c.* XXVI. *Cunæ. l. c.* Nos communem denuo ſequimur ſententiam dicimuſque cauſam intermiſſæ circumciſionis in deſerto fuiſſe continua populi itinera, quæ, quoniam ad motum columnæ nubis valde incertum, diſponenda erant. *Exod.* XL. 36. *Num.* IX. 7. ideoque Deum, ne præſentiſſimum vitæ periculum incurrerent infantuli recens circumciſi, & in deſerto horrido de loco in locum portandi, indulſiſſe Iſraelitis circumciſionis dilationem, donec in terram Canaan, ubi ſedes figenda erat, veniſſent. In hac igitur & quidem primo ejus ingreſſu circumciſionem ſuſcipere debebant Hebræi, quia (1) circumciſio erat conditio fœderis inter Deum & Abraham *Gen.* XVII. 5. Ad hæc (2) die 14. primi menſis comedendus erat agnus paſchalis, qui incircumciſis edere prohibebatur *Exod.* XII. 48. Idcirco par erat, ut præputiati prius circumciſionem ſuſciperent.

[16] *Illuſtrium Medicorum conſenſum*) Poſtquam *Cunæus Hieronymi* ſententiam, quem ſecutus *Haymon* in medium protuliſſet, locum *Pauli* intelligendum eſſe de cælibatu, aſſerentis. Non enim in poteſtate noſtra eſſe, præputium adducere poſt circumciſionem; ille his verbis opponit Medicorum conſenſum & hiſtoriarum fidem, quorum ſententias paulo ante adduximus.

[17] *Tobiæ filios*) Probat porro ſententiam ex Judæorum Scriptis *Joſephum* advocans, qui inſtar omnium teſtis eſſe poteſt: Ille etenim *lib.* XII. *antiquit. cap.* VI. ita loquitur: Μενέλαος καὶ οἱ Τωβίου παῖδες πρὸς Ἀντίοχον ἀνεχώρησαν καὶ τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες. *Menelaus & Tobiæ filii ad Antiochum profecti ſunt, & --- --- circumciſionem adduxerunt, ut nudi eſſent Græcis ſimiles*. Teſtatur id porro R. *Moſes Maimonid. Hilch.* מילה *c.* 3. 8. 3. כל המפר בריתו של אברהם אבנו והניח ערלתו או משכה אף על פי שישנו תורה ומעשים טובים אין לו חלק לעולם הבא: *Quicunque irritum facit fœdus Abrahami Patris noſtri & relinquit præputium aut attrahit, etiamſi legem recipiat ac bonis operibus abundet, non habet partem in ſeculo futuro*. Confer. etiam Martial. lib. VII. epigramm. qui hos *recutitos* nuncupat.

[48] *Et notis*) Cum in populum inter Gentes a Gentibus ſeparatum aſſumerentur Iſraelitæ, per ſigna & notas quaſdam diſtinguebantur, inter quas erat nota ſeu ſignum circumciſionis. Signum itaque expreſſe vocatur circumciſio a *Paulo* dicente: accepit *ſignum circumciſionis*. Unde *Joſephus* animadvertit: *Voluit*, inquit, *Deus corporali hac nota* inſigniri Gentem Judaicam, qua ſcil. manifeſto ſecerneretur ac ſegregaretur a cæteris gentibus, ne cum illis permixta & confuſa, flagitioſos eorum mores, fœda quoque inſtituta, iniquas leges, impias ſuperſtitiones prava æmulatione ſequi vellet. A quo non diſſentiunt SS. Patres *Chryſoſtom. hom.* 39. *in Geneſ. Theodoret. q.* 67. *in Geneſ.*

[19] *Repetita circumciſio*) Hic variæ ſunt Doctorum opiniones, cur ſecunda dicatur. R. *David Kimchi*, *Cajetanus* & alii τὸ שנית *ſecundo* exponunt per vices, quaſi dicat Deus, circumcide unam populi partem poſt aliam, ne univerſus cætus ſimul circumciſus langueat atque ſic eo facilius ab hoſtibus vincatur. Quidam vero Hebræorum notante *Abulenſ. ad h. l. Q.* 11. Secundam dici volunt reſpectu circumciſionis in Ægypto paulo ante exitum factæ, tradunt enim, quod ea nocte, qua Iſraelitæ Ægypto exierunt, totus populus a Moſe circumciſus fuerit, quippe, qui duriſſima ſervitute preſſus maximam partem incircumciſus manſerit uſque ad exitum. Conferunt huc, ſed quam ineptiſſime locum *Zachar.* IX. 11. Plerique vero tum *Noſtratium* tum aliorum τοῦ שנית reſpici volunt ad circumciſionem in Abrahamo ejuſque familia factam & ab eo tempore ſancte ſemper a poſteris ejus obſervatam, in deſerto quidem ob cauſas quaſdam per XL. annos intermiſſam, poſtea vero in Galgalis poſt tranſitum Jordanis reaſſumtam ac reſtauratam *Gen.* XVII. Atque hanc ſententiam, miſſis prioribus ceu alienis noſtram quoque facimus. Sugillat eam equidem

Cor-

Corn. a Lapide ex hoc capite, quod ſi hæc circumciſio a Joſua repetita non ſecunda, ſed plus quam decima, imo centeſima nominanda ſit, quia poſt Abrahamum per CCCC. annos uſque ad Moſen omnes ejus poſteri fuerint circumciſi. Verum attendere *Cornelius a Lapide* debuiſſet, non de *Perſonalibus* ſed *univerſali*, ſeu totius gentis Judaicæ, adeoque de illuſtri valde circumciſione hic agi, quales ſane non fuerunt quotidianæ & communes illæ, ſed hæc, quæ in *Abrahamo* primitus facta & dein, poſtquam aliquamdiu in deſerto intercidiſſet, a *Joſua* in *Galgalis* ſecundo repetita & reſtaurata eſt. Reſpondentem audiat *Cornel. Auguſtinum*, qui *Tom.* IV. *quæſt.* VI. ſuper *Joſuam* ait: In hoc præcepto quæritur, cur dixerit, *iterum*. Non enim unus homo bis circumcidendus erat --- --- ideo dictum eſt iterum, ut circumciſus iterum circumcideretur, non homo, ſed populus. Sic quoque *Lyranus* & *Abulenſ. quæſt.* 13. *in cap.* V. *Joſ.* itemque *Maſius* in *Joſ. pag.* 81. E Noſtratibus vel ſolum *Balduinum* audire placet, qui *Concion.* XVI. *ſup. lib. Joſ. pag.* 202. 203. ita fatur: Es iſt zuwiſſen / das hier gehendelt werde / nicht von der Beſchneidung etlicher Particular Perſonen / ſondern von einer General Beſchneidung des gantzen volcks. Und gehet alſo diſs wort: Zum andermahl / nicht auf die perſonen / als wenn die zweymahl wären beſchnitten worden / ſondern auf die gantze gemeine / in dem verſtand / das diſs das andermahl ſey / daß das gantze volck Gottes zugleich beſchnitten worden.

[20] *His non minus propitium*) Recte Autor noſter ſtatuit contra Judæos, putantes, circumciſionem abſolute neceſſariam fuiſſe, ut ſine ea ſalvi eſſe non potuerint. Aſſentientes Cunæi opinioni provocamus *Juſtinum Martyrem* Patrum antiquiſſimum, qui hæc contra *Thryphon. pag.* 44. *edit Robert. Stephan.* Διαλογιζόμενος profert: Si fuiſſet ſimpliciter neceſſaria Circumciſio, ut vos Judæi exiſtimatis, Deus non creaſſet Adamum præputiatum: non reſpexiſſet ſuper Oblationes Abelis, qui incircumciſus. Non placuiſſet Deo incircumciſus *Enoch*, nec eum Deus tranſtuliſſet, ita ut non eſſet inventus, &c. *Tertullianus* contra Judæos e *Juſtino* latius diſputat: Si circumciſio purgat hominem, Deus *Adamum* incircumciſum cum faceret, cur eum non circumcidit? vel poſteaquam deliquit, ſi purgat circumciſio? quod ipſum è Juſtino inſtat in *Abele*, *Enocho*, *Noacho Melchiſedeco*. Ante Deo placuit quam circumcideretur. Accepit autem circumciſionem, ſed quæ eſſet in ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogativum. *Gregor. Nyſſen. in Teſtim. e Script. pag.* 989. *Tom.* II. Quod neminem juſtificet circumciſio, perſpicuum eſt: *Abraham* incircumciſus ſervivit Deo. Primum acceptus & probatus fuit, & tunc accepit circumciſionem. Illi per XL. annos nati erant in deſerto incircumciſi erant, ut & omnes ab *Adamo* ad *Abrahamum*. Sed propterea quod in Gentes miſcendus erat populus, & conſuetudinem cum iis, ac commercium habiturus, ideo data eſt circumciſio. Secundo cum ex Abrahamo Chriſtus erat oriundus, ut id plane & ſincere poſſet fieri opus fuit circumciſione, & per eam à cæteris gentibus diſtinctione. *Chryſoſtom. hom.* 27. *in Geneſ.* Deus circumciſionem pro lege ſtatui voluit, non quod ad animæ ſalutem efficere hoc poſſit aliquid, ſed ut Judæi pueri hoc gratitudinis initium circumferrent quaſi ſignum & ſigillum: & ne liceret iis commiſceri Gentium commiſtionibus. Ita *Cyr. Theod. Damaſcen. Theoph. Iſidor. Peluſ. l.* II. *ep.* 115.

[21] *Apud ſepulcrum*) Superſtitio Judæorum ſane maxima, qua infantes ſi circumciſione decedentes ad ſepulcrum circumcidunt, uti autores probati oſtendunt. Mortuos, ſcribit Clar. *Schudt in delic. pag. m.* 203. *edit. Francof.* ante octavum diem puerulos & abortivos noſtri Judæi in cæmiterio cultris lapideis circumcidunt. Cui adſtipulatur *Schindler. in Lexic. Pentaglott. voce* צור *fol.* 1537. Ante octavum diem mortuos aut abortivos maſculos circumcidunt lapide fiſſili *mit einem Schieferſtein* & ſepeliunt ſeorſim prope januam cæmiterii. Aſſentientes quoque habemus Cl. *Buxtorff. in Synagog. Judaic. cap.* II. *pag. m.* 89. *edit. Baſil.* 1641. & *Geier. in lib. elegantiſſ. de Luctu Hebr. cap.* III. §. 5. *pag. m.* 28. *edit. Lipſ.* 1656. videatur *p.* 71. *Ludov. Mich. Crocii not. ad Obad. edit. Brem.* 1673. ubi ex *R. Abarb. Comment. in Exod.* 44. 7. ait: Ecce præputium eſt contemtum coram Domino. Abominantur Judæi ita præputia, ut filios defunctos etiam apud ſepulcrum circumcidant, quo probrum præputii auferatur & non cum eo ſepeliatur, quia præputium eſt ei opprobrium.

[22] *Octavus ſacratus dies*) Hoc erat ſecundum conſuetudinem in Iſrael a divino præcepto in primæva inſtitutione *Gen.* XVII. 13. Infans octo dierum circumcidetur in vobis idque ſub graviſſima pœna deletionis ſi omitteretur. Ubi in præcepto tradendo præciſe tempus determinatur: Infans octo dierum. Which time ſcribit Anglus *Henry Ainſworth. upon Geneſ. cap.* XVII. *fol. m.* 67. *edit. Londin. was ſo ſtrict, that if the eight day fall to be Sabbath, yet they circumciſed the child therein. And ſo it is in the Hebrew Canons: Circumciſion in the time therof drivet away the Sabbath: that is, man muſt omitt the Keeping of the Sabbath ſo to circumciſe in due time. Maim. tract. de circumciſ. c.* 1. *Sect.* 9. Confer *Thom. Godwin. Moſ. & Aar. lib.* VI. *c.* 1. *de circumciſ. p. m.* 459. *edit. Bremen.* 1679. *Buxtorff. Synagog. Judaic. pag. m.* 78. & 90. *Janſen. Concord. edit. Lugd. fol. m.* 61. *Hugo Robinſon. Annal. mund. edit. Londin.* 1685. *fol. m.* 171. Nullus hic juxta Maimonidem excipiebatur *tract. de circumciſ.* V. *Sect.* 7. etiam infans, qui quaſi circumciſus ſine præputio natus; attamen ſangais fœderis eliciendus. Confer *Henr. Ainſworth. Comment. in Geneſ. cap.* XVII. *fol. m.* 67. *edit. Londin.*

[23] *Vetuerit Deus*) Vetuit Deus variis locis Scripturæ, ne ſibi victima offeratur, quæ infra octavum diem eſſet, ut *Levit.* XXII. 27. *Exod.* XXII. V. 30. Rationem reddit Anglus doct. *Henry Ainſworth. Comment. in Geneſ. cap.* XVII. *fol. m.* 67. ita ſcribens: *For creatures new borne were counted as in their blood, and unclean for ſeven dayes, and in the eight day they might be offered unto the Lord*, i. e. *Nam creaturæ recens natæ quaſi in ſanguine eſſe putabantur & impuræ ſeptem dies, octavo autem die offerri poterant Domino*. Ante diem octavum illegitimum erat beſtiam mactare & comedere, uti Hebræorum Doctores referunt, vid. *Maimonid. tract. de interdict. cib. cap.* IV. *Sect.* 4. Si igitur animal ante octavum diem illegitimum, ut mactetur & comedatur victima in communi vita. Multo magis ingrata erit illa Deo. Hebræi dicunt teſte *Ainſworthio f. m.* 136. *in Levit.* XXII. *that the Sabbath might paſſe over it.* vid. R. *Menach. in Levit.* XXII.

[24] *Non ob arcani vim*) Vult *Cunæus* noſter his verbis ſignificari, quod nil arcani lateat, quod Deus octavum elegerit diem: cui calculum album in omnibus adjicere non poſſumus. Cum enim omnia in typis contingerent Iſraelitis, non tam propter aliquam corporalem diſpoſitionem, quam propter allegoricam ſignificationem, videtur dies octavus huic operi deſtinatus, licet dies octavus in Sabbatho contingeret. Et certe Patres ad hanc relativam inſtitutionem & allegoricum ſenſum reſpiciunt: *Auguſt. de Civit. Dei lib.* XVI. *c.* XXVI. hoc myſterium explicat. Et quid aliud octavus circumciſionis dies præfigurabat, niſi Chriſtum? qui hebdomada completa, hoc eſt poſt Sabbathum reſurrexit. Explicat alibi fuſius hoc *Serm.* 141. *de Tempor.* Hujus (reſurrectionis nempe) rei ſignum circumciſio data erat patribus, ut octava die circumciderentur. In iſta circumciſione ſignificabatur exſpoliatio carnalis vitæ, octavo die per Chriſti reſurrectionem. Septimus dies hebdomadis Sabbatho Dominus jacuit in ſepulcro: Octavo die reſurgendo nos renovavit: nos ergo octavo die circumcidit reſurgendo: nos in ipſo ſpe vivimus. Quam rationem reddidit iiſdem pene verbis Serm. XV. de verb. Apoſt. Repetit etiam *Tract.* XXX. *in Johann.* Audiamus porro *Chryſoſtom. homil.* XXXIX. *in Geneſ.* differentem, qui ita: Cur Deus hoc ipſum tempus aſſignaverit, duplicem rationem invenio. Prior eſt, quod in tenera & immatura hac ætate dolor, qui de circumciſione carnis procuratur, facilius toleratur, quam in grandioribus. Poſterior, ut iſto facto addiſcant admoneanturque, quod nihil omnino animæ conducat illa carnis circumciſio, ſed ſigni gratia inprimatur &c. *Ambroſius enarrat.* 1. *in Geneſ. ad Horontian.* ad ſuperiorem rationem acce-

dit:

dit: Qui octavo die regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiam & ad hæreditatem cœlestem vocatur. Quod explicatius ab eo traditur *lib. 2. de Abraham. cap.* XI. Octavo die circumcidi puerum jubet lex mystico præcepto, quia ipse est resurrectionis dies. Confer *Athanas. de Sabb. & circumcis. Cyprian. epist.* 59. vel *lib.* 3. 8. *Ambros. in* XII. *Exod. Montacut. fol.* 78. *Orig. Eccles. Joh. de Cartagen. homil. in h. l.*

25 *Non ferreum sed lapideum*) Hisce *Cunæus* noster eorum sententiam infringere conatur, statuentium, non ferreo sed lapideo cultro circumcisionem a *Zippora* factam. Non ignoramus quosdam esse, qui explicent per cultrum ad cotem acutissimum factum hanc fuisse peractam; attamen plurimi sunt, qui lapideis cultris opinantur. Quamvis itaque vox צור quæ in fonte legitur ambiguæ significationis sit, notans modo *petram & silicem*, modo vero *cultrum ferreum* aut *gladium*, absurdum tamen non est, priorem hic retinere contra *Cunæi* opinionem. Consentientes hoc loco habemus viros gravissimos, inter quos *Henry Ainsworth in Comment. ad* h. l. *fol.* 15. ita differentem: צור a *sharpe stone or sharpe Knife; but both Greeke and Chaldee versions call it a stone*: cl. *Joh. Christ. Ising. in Exercit. histor. Chronolog. Geograph. & Philolog. edit. Regio-mont.* 1683. *pag. m.* 81. hæc refert. Patet *Zipporam* uxorem Mosis revera cultro lapideo circumcidisse filium, non ferreo. Consentit cl. *Schudt. in delic. suis p. m.* 203. *edit. Francofurt.* authoritates clarissimorum virorum *Schindler.* & *Gisbert. Voet. part.* 1. *disp. Select. pag.* 675. citans. Inter omnes accurate id ostendit *Frischmuth.* Præceptor quondam fidelissimus in *dissertatione Philolog. de circumcisione Zipporæ Jenæ habita* 1663. ubi §. 2. *cap.* 2. in hæc prorumpit verba: Instrumentum, quo id peregisse perhibetur, vocatur צר & ab ipsis Hebræis non uno modo explicatur. R. *Aben-Ezra* scribit de illo hunc in modum: צר *denotat rem acutam, ceu dicitur Jos.* v. 2. *cultros* צורים *qui sunt acuti. Atque ita dicitur Psalm.* LXXXIX. 44. *& avertes* צור *aciem gladii ejus*. R. Abarbanel licet & ipse cap. v. Jos. intelligat סכנים חדים מאד *acutissimos cultros*, hoc loco tamen silicem videtur tribuere *Zipporæ* cum sic commentatur: הוא שן סלע חיתך שבזמן לידה מפני שלא היה לה מאכלת ולא תער השבירה: *Notat dentem scindentis silicis, in quem incidit, cum cultro destitueretur & novacula conductitia*. Nec ab hac sententia aliena est *Masora parva*, quippe cujus hæc nota legitur in *Codice Basiliens.* ב׳ חס׳ בטינרא *Vox* צר *bis defective scribitur, ubi de lapide accipitur*: nempe hoc loco & *Ezech.* 3. 9. Syrus quoque vertit [illegible] & Arabs [illegible] *silicem*. Quæ significatio rectius ad vocem illam quadrat, quam altera, quam sine omni rationem accipiunt *de cultro in petra vel cote polito*. Conferatur huc *Jacob. Geus. part.* 2. *lib. de victim. human. p. m.* 24. 25. *seq. edit. Groning.* 1675. qui de his cultris ex professo egit.

CAPUT SEXTUM

De religione Judæorum. Cur Judæi nubium & incerti Numinis cultores habiti olim sint. Quid illud in Petronii Catalectis sit, cœli auriculas advocare. *Non esse id Cælicolis dictum. Atheniensium calumnia in Socratem. Ara ignoti Dei apud Athenienses. Judæorum inexpugnabilis constantia in unius Numinis cultu post templum secundum.*

ETsi omnibus locis adest Deus, mortaliumque audire vota ubique potest; tamen edicto legis Mosaicæ sancitum est, uti, cum populus Hebræus in Cananæam pervenisset, una modo urbs esset, in qua sacra publica, privataque, atque omnes cæremoniæ peragerentur; illuc cuncti ex tribubus atque oppidis suis ad religionum solennia convenirent: ibi primitias offerrent; Deum caste adirent, sancte vota redderent. Nos, quoniam de statutis Mosaicis quædam diximus, utique prætermittere jam hoc non possumus, quod maxime habuit necessitatem legis. Exstat illud edictum in capite duodecimo Deuteronomii, pertinuitque ad solos Hebræos, quorum infirma mens ad cultum Numinis facillime excitabatur, quum sacrificiis solennibus non dies magis stati, quam loca essent in quibus fierent. Religionum sedes hæc, Hierosolyma fuit, postquam Silonem spreverat Deus. Et initio quidem tabernaculum quoddam erat, quod præsentior insidebat Numinis vis. Tandem Salomo, rex sapientissimus, auspicato inauguratoque templum condidit immensæ opulentiæ. Ibi altare, & arca cum insignibus sacri fœderis erat: ad hoc, alia multa; quæ adjiciebant aliquid receptæ religioni. Quisquis desideria sua Numini exponere, quisquis vel opem ab illo, vel delictorum impetrare veniam vellet, is ad templi atrium [1] accedebat, nusquam magis propitius mortalium preces exaudiebat Deus. In Joannis Evangelio Samaritana mulier ad Messiam ait, ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος ὅπου δεῖ προσκυνεῖν. *Vos dicitis Hierosolymis esse locum* [2] *illum, ubi oporteat adorare*. Et alibi dicitur, ἄνθρωποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν προσεύξασθαι, ὁ εἷς φαρισαῖος, καὶ ἕτερος τελώνης: *homines duo ascendebant in templum uti adorarent: unus Pharisæus, & alter publicanus*. Neque vero erant hac religione soluti, qui in dissitis locis vivebant, queisque adire non contingebat sacram urbem: nam & illi, cum Deum adorabant, id quod unum in tali re fieri potuit, ad ædem Hierosolymitanam [3] se convertebant: aliter nefas erat. Daniel quidem certe, Babylone, cum ter in diem genibus flexis supplicaret Numini, fenestras cænaculi aperiebat, locabatque se Hierosolymam versus. Ipse Salomo, in sacro illo carmine, quo constructam a se pulcherrimi operis molem dedicabat, plane futurum spopondit, ut posteri ad templum sese obverterent, quoties aut ab hoste capti in alias terras abducerentur, aut malis afflictarentur extra patriam. Verba ejus luculentissima exstant in libro primo Regum, in capite octavo. Est etiam apud Ezechielem infensus Dei sermo in eos, qui tergis sanctuario opposi-

 tis

tis Orientem adſpiciebant precantes. Quem locum eruditiſſimus Rabbi Jarchi interpretatus eſt perquam feliciter. Porro, templi adyta, præter ſummum ſacerdotem, videbat nemo. Primus Romanorum Cn. Pompejus, cum ex Aſia victrices circumageret copias, debellatis in tranſitu Judæis, templi penetravit intimos receſſus. Ex illo tempore vulgatum eſt, inquit Tacitus, *vacuam eſſe ſedem, & inania arcana*. Enimvero tenuerat ante mortales opinio, eſſe intus numen aliquod, Apin, Ammonemve, aut Anubin, cujus nomen inter ipſos modo notum pronuntiari apud exteros profanoſque fas haud eſſet. At poſtquam Pompejus, jure victoriæ, adyta reſeravit, palam omnibus factum eſt, de nihilo eſſe tot ſacra, totque cæremonias, ſiquidem neminem Deum præcipue colerent. Hoc voluit Cornelius Tacitus: ex cujus ſententia illud Lucani eſt explicandum:

—— Et dedita ſacris
Incerti Judæa Dei. ——

Ac eadem fama jactatum vulgo in Judæos eſt, eſſe eos nubium & cœli cultores [4]. Certe apud Rabbinos, cum decem ſint Dei nomina, in eorum numero השכינה *habitatio* ponitur & המקום *locus*, & השמים [5] *cœlum*. Quam uſitata autem illis res eſſet, jurare per cœlum [6], non poteſt ignorare qui divi Matthæi verba legit in capite quinto, ubi iſtum morem reprehendit ſervator hominum Meſſias. Cæterum, non poſſumus hic aſſentiri Joſepho Scaligero, viro illuſtriſſimo, cujus admirabilem in omni doctrinæ genere excellentiam jure veneramur. Is, cum apud veteres ſcriptores crebra ſit mentio ſectæ cujuſdam cœlicolarum, qui fuere ſemichriſtiani Judæi, de iiſdem putat loqui Petronium in Catalectis.

Judæus licet, & porcinum numen adoret,
Et cœli ſummas advocet auriculas: &c.

Quod ſecus eſt: pertinet enim non ad hæreſin quandam ſectamve Judæorum, ſed ad Judæos cunctos. Neque aliter accipi poteſt id, quod ſubjicitur,

Ni tamen & ſummas præciderit inguinis oras,
Et niſi nudatum ſolverit arte caput,
*Exemtus populo, * graja migrabit ab urbe,*
Et non jejuna ſabbatha lege premet.

Sane fuit hoc commune convitium, quod ridicule confixerunt Romani, ut invidiam facerent Judæis, quaſi nil præter aerem colerent, qui colere omnium aliarum gentium recuſabant deos. Sed non tunc primo id factum eſt. Jam enim antea Athenienſes quoque per ſummam malevolentiam, Socratis numina eſſe dixerunt nebulas, & fluida elementa. Omnia, quæ Ariſtophanes [8] in ſcena luſit, nihil niſi vulgi voces fuerunt,

Ὦ δέσποτ' ἄναξ ἀμέτρητ' ἀὴρ, ὃς ἔχει τὴν γῆν μετέωρον,
Λαμπρός τ' αἰθὴρ, σεμναί τε θεαὶ νεφέλαι βροντησικέραυνοι.

Et mox.

Αὗται γάρ τοι μόναι εἰσὶ θεαί, τἄλλα δὲ πάντ' ἐστὶ
φλύαρος.

Spernebat vir ſapientiſſimus eos Deos, quos colebat civitas ſuperſtitionibus obnoxia, religioni adverſa. Hoc cuncti cives ultum ivere putido maledicto. Dum iſthæc de Socrate ſcribimus, aliud nobis in mentem incidit, ſed quod magis ad propoſitum noſtrum facit. Proprium & peculiare vitium fuit Athenienſium, laborare multitudine numinum: uſque adeo profecto, uti etiam Iſraelitarum verum illud & ineffabile Numen colerent, ſed neſcientes. Aram enim poſuere ἀγνώστῳ Θεῷ, *ignoto Deo*. De qua re exſtat narratio in commentariis Actuum Apoſtolicorum, in capite decimo & ſeptimo. Vidit hoc divus Paulus, & miſeratus eſt: itaque juvit eorum inſcitiam, & fidenti oratione in medio Areopago ad cives dixit, ὃν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *Quem vos ignorantes colitis, hunc ego vobis annuntio*. Non ſine ratione hoc dixit Apoſtolus. Etenim, cum appellationes amplius non poterant reperiri numinum, quæ colerent, colebant ignotum aliquod: quare cum nullus eſſet falſus Deus, cui poſita Athenis non erat ara, reſtabat uti hic unus, qui ἄγνωστος *ignotus* [9] erat, eſſet verus. Nam divo Paulo quidem, qui talem fuiſſe affirmat inſcriptionem, magis credimus, quam Hieronymo, aliiſque, qui de titulo neſcio quid diverſum tradunt. Judaicæ religioni honorificum teſtimonium Tacitus, etſi aliud agens, dedit, cum iſta ſcriberet, *Judæi mente ſola, unumque Numen intelligunt, ſummum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum*. Non poterat grandius aliquid homo paganus dixiſſe. Habet hoc ſacratiſſimæ religionis majeſtas: ornamenta ſua etiam ab illis capit, qui contemnunt. Sed id tamen ſæpius factum eſt alia quadam ratione.

Cajus

* *Legendum eſt* ſacra: *vel, ut alii*, grata: *ſed prius male*.

Cajus [10] Agrippæ filius, Judæam prætervehens, apud Hierosolymam non supplicaverat. Placuit Numini, ut hoc, quod adolescens ex principe domo deliquerat, tota Roma lueret: quippe inopia, fames, & summa annonæ caritas urbem attrivit: itaque errorem suum Octavius agnovit, qui nepotem suum Cajum collaudaverat. Certe admodum illustre pœnitentiæ documentum ab Octavio datum ex Agrippæ regis oratione ad Caligulam colligimus, quam Philo recitat in libro de legatione. Ait ille, sacrificia Hierosolymæ quotidie supremo Hebræorum Deo facta fuisse de pecunia Augusti [11]. Ita jusserat is princeps, qui constantissime per omnem vitam aversatus peregrinas cæremonias est. Nimis ridicule faciunt, qui hic in dubium vocant Agrippæ fidem. Etenim profecto homo Judæus non impune tulisset tam futile mendacium, apud Cajum, & in ea urbe, ubi recens adhuc omnibus hærebat memoria Octavii. Non minus præclarum est, quod de Alexandro Magno refert Flavius Josephus in Antiquitatum libro undecimo. Sed non libet nobis omnia recitare. Satius est persequi quæ suggerit Tacitus noster. Inter cætera illud est: *Judæi profanos credunt, qui Deum imagines mortalibus materiis* [12] *in species hominum effingant. Igitur nulla simulacra* [13] *urbibus suis, nedum templis sunt.* Putes Tacitum dedita opera Romanos suos stultitiæ damnare: adeo gravitatem asseverat, dum hæc dicit. At in Plinio haud idem studium videas: nam velut favens publico errori illud dixit, *Judæa gens, contumelia numinum insignis.* Sunt in libris Mosaicis multa edicta, quibus idolorum vetatur cultus. Ne aurum quidem idolis argentumve auferre fas fuit. Quanquam non potest violatæ legis reus videri summus rex David, qui capiti suo imposuit coronam Molochi: quippe acceperat a Jethæo Philistino: & purgatum jam erat vitium rei, quæ dominum mutaverat, ac præda fuerat non hominis Hebræi, sed alienigenæ. Sæpe infractam Judæorum admirati virtutem sumus, quos Romani compellere non potuerunt, uti imaginem reciperent Cæsaris [14]. Subegerat rerum dominus populus non Judæam modo, sed Asiam Africamque: & prolata jam tanti imperii reverentia ad illos quoque erat, qui alium solem, alia sydera intuebantur. Una Judæa aliquid negare ausa victoribus est, qui auferre vi, quod non impetrant, solent: quippe potestas, non modo si invitet, sed etiam si supplicet, cogit. Primum experimentum tenacissimi propositi datum sub Tiberio [15] est. Sed tunc id modo agebatur, uti in urbe locarentur statuæ: & cito destitit præfectus, cum non poterat hoc, uti erat cœptum, pertendere. Mox Cajus [16] etiam inferri templo voluit, & recusantibus minitatus extrema est. Accessit tandem Numinis cœleste auxilium [17]: quippe Petronius, qui provinciam tenebat, nuntium de Caji morte multo ante accepit, quam eas literas, quæ tribus mensibus ante scriptæ, excidium jubebant sacræ gentis. Et sane significaverant hoc Cajo Judæi, malle se cum urbe penitus deleri, quam admittere, quod foret contra edictum divinæ legis. Tanta cupido gloriosæ mortis non in proceribus modo, sed in plebe quoque, atque in mulierum apparuit sequiore sexu.

NOTÆ AD CAPUT SEXTUM.

[1] *Is ad templi atrium*) Majorem enim Judæi vim ac efficaciam adscripserunt precibus, quæ veluti olim in templo Hierosolymitano ad Deum funderentur. Id quod necessarium prorsus duxere; uti tradit R. *Ascher*: אבא בנימין אומ׳ אין תפלתו של אדם נשמעת אלא בבית הכנסת שנ׳ לשמוע אל הרנה ואל׳ התפלה: *Abba Benjamin dixit: Preces hominis non exaudiuntur nisi in domo Synagogæ* q. d. Ad audiendum orationem & preces (1. *Reg.* VIII. 28.) in Prakim super Mass. Berach. c. 1. fol. 1. col. 3. Et paulo post. ואמ׳ ר יוחנן משום רבי יוסי אין תפלתו של אדם נשמעת אלא בבית הכנסת שנ׳ ואני תפילתי לך ה׳ עת רצון אימתי עת רצון בשעה שציבור מתפללין *Ait R. Jochanan nomine R. Jose: Nullius preces exaudiuntur, nisi in templo* q. d. *Et ego oratione mea ad te Domine tempore beneplaciti* (Psalm. LXIX. 14. *Ecquando nam tempus beneplaciti? Illud quo Ecclesia orare solet.* Quæ desumsit ex *Mass. Berach. fol.* 8. *col.* 1. Et ita quidem necessarium, ut qui ejus minus esset observans famosis nominibus vulgi ore differretur. Confer si lubet *Balthas. Stolberg. diss. de Prosenchis Judæor. edit. Witteberg.* 1682. *Salden. Otia Theolog. exercit.* x. *pag. m.* 583. 584. celeb. Campegi Vitring. *Synagog. veter. & nov. pag.* 1062.

[2] *Hierosolymis esse locum*) Expressis verbis hoc loco Samaritana mulier: vos dicitis Hierosolymis esse locum illum ubi oporteat adorare. Judæi, & quidem recte, volebant Hierosolymis Deum invocandum esse, i. e. oblatis victimis aliisque ritibus publicis, quod uno tantum loco, eo nempe quem Deu designaverat Deut. XII. 14. 26. vid. *Wall. Comment in Evangel. Johan. c.* IV. *pag. m.* 840. Samaritanorum quoque secta Judæis æque invisa atque Ethnicismus precibus destinavit templum in monte *Gerizim*, repudiata æde Solymæa.

[3] *Ad ædem Hierosolymitanam se convertebant*) Qui Judæorum in dissitis locis vivebant, quibusque adire non contingebat sacram urbem, cum preces funderent, se convertebant Hierosolymam. Testantur hoc Hebræorum Doctores in *Beracot. c.* IV. *fol.* 30. 1. *Maimon. Hal. Tephil. c.* V. *fol.* 42. 1. *Orach Chajim Num.* 94. *Schulchan Aruch Num. eod. fol.* 40. conf. celeb. *Campegi Vitringa lib.* 1. *part.* 1. *pag. m.* 179. *cap.* 8. *de Synag. vet. & nova edit. Franequer. Saubert. Palæstr. p.* 108. *de precib. Hebræorum*. Balthas. Stolberg. dissert. de Proseuch. *Jud.* §. 21. *Salden. Oti. Theolog. Exercit.* x. *pag.* 589. *seq.* Ut autem illuc orans respicere possit, requiritur ut camera fenestras habeat, quæ versus urbem Sanctam aperiri possint *Berac. c.* 5. *f.* 13. *a.* & 34. *b.*

[4] *Nubium & cœli cultores*) Convitium Gentilium erat, quo Judæos cœlum ac nubes adorare fingebant. Noverant Ethnici, Judæis nulla Deorum simulacra, observabant peces fundentes ad cœlum oculis respicere, quandoque & manus pandere, unde nubes cœlique convexum ipsos adorasse insigni erro-

re sibi persuaserunt. Sane Judæos cœlum adorare etiam *Celsus* iis affingit apud *Origenem lib.* v. eorum, quos maledico illi calumniatori opposuit. Et *Diodor. Sicul. lib.* XL. *in Eclogis* hæc habet: Nullam omnino Moses Deorum imaginem statuamve fabricavit, quod in Deum minime cadere formam mundanam, sed cœlum hoc, quod terram circumquaque ambit, solum Deum esse, cunctaque in potestate habere, judicaret. Conf. *Strabo lib.* XVI. Nec desunt, qui cœlicolas in *Codice* tum *Theodosiano* tum Justinianeo non semel memoratos Judæos, qui intelligi debere contendunt. Id quod etiam defendit *Cunæus* noster. An autem vera sit illius opinio in sequentibus patebit.

5 השמים) Sane Hebræorum Magistris usitatissimum esse, voce שמים Deum designare, negari non potest. Apud Talmudicos celebre est illud: הכל לשם שמים *Omnia ad Cœlum*. Quod *R. David Kimchi in Psalm.* I. sic effert: כל מעשיך יהיו לשם שמים *Omnes actiones tuæ sint in nomine Cœli*, h. e. *Dei*. *R. Elias Levita in Tisbi* voce שמים in hanc rem citat illud: הכל בידי שמים חוץ מיראת שמים *Omnia sunt in manu Cœli, præter timorem cœli*; item istud: שם שמים שגור בפיו *Nomen cœli assuetum in ore ejus*. Ubi Cœlum notare Deum in aprico est. Pertinet insuper huc illud in *Medrash Koheleth. c.* v. *6.* Qui venit visitatum ægrotum dicit: השמים ירחמו עליך *Cœli misereantur tui*. Sic in Pirke Avoth cap. I. Invenitur שם שמים nomen cœli profanatum. ibidem *cap.* IV. Congregatio quæ fit לשם שמים propter cœlum מורא שמים *timor cœli* & cap. v. Contentio quæ fit לשם שמים *propter cœlum*, quid aliud sunt, quam congregatio quæ fit propter Deum? Ita in libro precum quotidianarum אדם ירא שמים *homo timens cœli* est homo pius, qui Deum timet. Et מיתה בידי שמים *mors per manus Cœli*, Rabbinis notat mortem repentinam, quam Deus immediate infert. Quin & ipsæ sacræ literæ *Cœli* vocem pro Deo non semel usurpant. Sic. Psalm. 73. 9. de impiis dicitur: Opponunt בשמים cœlis os suum, i. e. *contra Deum*. Eodem modo *Basilio M. Cœlis os opponere* est *blasphemare*, *blasphemiis contra Deum uti*. Similia apud recentiores, *Matthiam Flacium* Jacobum *de Valentia*, *Conradum Pellicanum*, *Augustinum Marloratum*, *Salomonem Gesnerum*, *Hieronymum Wellerum*, *Junium ac Tremellium*, utrumque *Osiandrum* aliosque legimus. Huc pertinet locus *Daniel.* IV. 23. I. *Maccab.* III. 18. Sic in Novo Testamento *Luc.* XV. 18. 21. *Matth.* XXI. 25. *Marc.* XI. 30. 31. *Luc.* XX. 4. 5. Imo apud alios Autores *cœlum* nonnunquam *Deum* signat. Sic quando *Petronius* in *Satyrico* ait: *Nemo cœlum putat*, quid aliud vult quam neminem putare, quod sit Deus? Apud eundem *Circe* ad *Polienum*. *Habebo*, inquit, *quod cœlo imputem*. Ita quoque alii. Confer *Caspar. Barth. Adversar. lib.* LIII. *c.* 3.

6 *Jurare per cœlum*) Hic sane *Cunæus* noster errorem commisit, statuens, Juramentum per cœlum idem esse ac juramentum per Deum *Matth.* v. Frustra etenim sunt, sunt verba in *tract. nostr. de juramentis edit. Francof.* 1700. *pag. m.* 103. qui per Cœlum Deum ipsum apud *Matth.* intelligunt, quod facit *Petrus Cunæus l.* 3. *c.* 6. Nec conamur affirmare Judæos ob id *Cœlicolas* dictos *C. de Jud.* & Cœlic. sed potius assentimur celeberrimo *Petito lib.* 2. *c.* 11. *var. lect.* qui eos Christiano-Judæos fuisse censet, sacro quippe lavacro lustrati fideique mysteriis initiati ritus saltem Judaicos amplectebantur, neque tamen illi Apostatæ. Vocantur enim ab Imperatoribus *secta*, cujus vel nomen antehac inauditum fuerat. Conf. *Dillherr. Dissert. pag. m.* 82.

7 *Sectæ cujusdam Cœlicolarum*) Cœlicolas istos certa sua, in quibus convenire solebant, habuisse ædificia constat ex *lib.* XII. *C. de Judæis & Cœlicol.* Item *ex l.* XLIII. *C. Theod. de hæretic. lib.* XVI. ubi Imperatores Honorius & *Theodosius* ædificia ista Ecclesiis vindicare jubent. Imo & Augustin. epist. CLXIII. Majoris Cœlicolarum meminit, qui novi apud *Donatistas* baptismi autorem instituerit. Verba S. Patris sunt: *Miseramus ad Majorem Cœlicolarum, quem audieramus novi apud eos baptismi institutorem instituisse, & multos illo sacrilegio seduxisse, ut cum illo, quantum ipsius temporis patiebantur angustiæ, aliquid loqueremur*. Sed qui proprie fuerint hi Cœlicolæ, quidve crediderint, perquam obscurum. Judæos fuisse nonnulli, inter quos etiam *Cunæus* noster, sibi persuasum habent. Solent hi ex *Juvenal.* & *Petronio* sententiam suam firmare. Verum ut dicamus, quod res est, *Juvenalis* & *Petronii* testimonia hic parum, imo nihil omnino efficiunt. Si enim capitis asinini venerationem Judæis affingere non dubitarunt pagani, quidni iisdem falso quoque tribuere potuerint adorationem cœli? Et cur magis credamus *Petronio* cœli cultum Judæis tribuenti (si tamen lectio illa genuina est: nam aliter nos legere constat) quam dum idem eodem illo loco & versu immediate præcedente, quod porcinum numen adoret huic genti affingit? Certe ut perperam Judæis οὐρανολατρείαν isthanc objici ostendant, omnem lapidem movet *Origenes*, monetque *Johannes Seldenus lib.* II. *de Jure Natur. & gentium cap.* I. licet olim maximeque ante templi primi excidium, pro vario hominum perversorum affectu, atque dominantium libidine, ita idololatria subinde apud Judæos grassata fuerit, ut nullum ferme ejusdem genus non sit etiam publice admissum, tandem tamen post primi illius templi ruinam gentem toties ictam eo usque sapuisse, ut nihil magis atque cultum extraneum velut pestem gravissimam fugeret, idque ex majorum disciplina, quam mali temporis anterioris mores nimium sæpe obumbrarant. Per calumniam ergo a *Juvenali* aliisque gentilibus *Judæis* tributum est, quod cœlum colerent. At vero Imperatoribus Christianis in edictis suis contra *Cœlicolas* res non est cum hominibus, quibus falso aliquis error vel impietas fuerit, sive ab imperitis sive a calumniatoribus adscripta, sed ipsi *Cœlicolis* tribuunt crimen superstitionis.

8 *Aristophanes*) Cujus verba Græce adducta Latinis verbis ita reddimus: Vin' tu res cœlicas clare perdiscere & quales sint cognoscere? etiam cum nubibus in colloquio congredi nostris Deabus. Videntur hæc sub Socratis persona, qui se nubes dicit colere, irrideri Judæos; non quod omnino nubes colant, sed ut ostendat a cæterorum cultu abire q. d. Numen adorant, quod non vident. vid. *Michael. annot. ad Gaffarell. pag. m.* 34.

9 *Qui Ignotus*) De hac ara videatur doctissima dissertatio *Joh. Andr. Bosii histor. Profess. quondam in Academ. Jenens. famigeratiss.* ubi plurima lectu digna. Conferantur Angl. *Francis. Rous in Archeolog. Attic. lib.* 2. *cap.* 1. *pag. m.* 38. *edit. Oxon. Wall. Commentar. in N. T. pag. m.* 1201. 1202. qui fuse: vid. *Pseiff. antiq. Græc. pag. m.* 93.

10 *Cajus*) Sub Domitiano Judaismus (etsi sub eo Christianismus contentus *Tacit. Annal.* XV. 44.) species impietatis capitalis fuit. *Xiphil. Epit. Dion. in Domit.* Quo pertinet, quod *Augustus* Cajum nepotem ex oriente reversum collaudarit, quod Judæam prætervehens apud Hierosolymam non supplicasset. *Sueton. lib.* 2. *c.* 93.

11 *De pecunia Augusti*) Non ob hanc rationem ab *Augusto* & uxore donati fuerunt Templo Hierosolymitano *urcei*, *calices*, *phialæ*, uti *Joseph. de bell. Jud. lib.* VI. 16. *Philo* in *Legat. ad Cajum* referunt, ut pœnitentiam ageret, id quod vult *Cunæus* noster; nec quod sacrificia diurna pro salute illic instituerit, quæ ab belli Judaici initia continuata sunt. *Joseph. Bell. Jud. II. c.* 17. factum amore religionis, sed *Herodis* parasiti, qui ei tot publicis structuris &c. adulator præcesserat. Hinc constat *Cunæum* nostrum nimium Judæorum populo tribuere. *Josephus* enim ipse *Antiquit.* XXVI. *c.* 10. ἀλόγιστον gentium in Judæos odium fatetur natum ex διαφορᾶ τῶν ἐπιτηδευμάτων. Quæ quam rituum religionis, nulla fuit. Atque hæc est causa, ob quam *Agrippa* Rex Judæorum dictus *barbarus*. *Juven. Satyr.* VI. & Judæi non solum aliis despectissima pars servientium, sed & Romanis teterrima gens fuerint habiti. *Tacit. hist.* v. *c.* 8.

12 *Qui Deum imagines mortalibus materiis*) Cum Romanorum templa Deorum simulacris ornata & referta essent, a quibus Judæi abhorrebant, hinc ex odio *Tacitus lib.* v. *hist. c.* v. hæc profert, quæ a Cunæo citata sunt. Miramur sane Tacitum, qui dum criminari instituit hostis Judæorum, quasi aliud agens, præter mentem & scopum honorifico Judæos ornat elogio, quod unum, quod æternum Numen, idque puro corde, non fictis imaginibus, colant, nisi quod *Tacitum* male habuisse videatur, quod Judæi

dæi PROFANOS imaginum cultores judicaverint. Verum id Judæis, quod imagines Numinis aversati, vitio dari non potest, cum inter ipsos Gentiles fuerint, qui eodem cum Judæis instituto usi; *Jovi Hammoni* arietis quidam effigiem; alii plane nullam tribuunt. Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt: umbilico maxime similis est habitus Smaragdo & gemmis coagmentatus: *Curt. l. 4. c. 7. §. 23.* ex edit. celeb. *Cellarii Profess. hist. Hallens.* deque eo *Silius Ital. L. 3. de Bell. Pun. ab init.*

Sed nulla effigies simulacrave nota Deorum
Majestate locum & sacro implevere timore.

De Majoribus nostris Germanis *Tacit. de Mor. Germ. c. 9.* tradit: *Cæterum, nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur.* De *Persis* aliisque Ethnicis (quamvis multi etiam sint, qui coluerint simulacra, de quibus cl. *Joh. Georg. Frischman. in dissert. de cultu imagin. apud Gentes edit.* Jen. 1691.) idem ostendit *Doughtæus Analect. Sacr. P. 2. Excurs. 69. pag. m.* 102. *seq.* Videat jam *Tacitus*, utrum horum sit barbara superstitio, idola fingere & Deorum simulacris Templa replere, an vero absque ulla imagine unum æternumque Numen pura mente colere? Audiat *Plinium* Romanorum Numinum cultorem: *Quapropter effigiem Dei formamque quærere imbecillitatis humanæ reor. lib. 2. hist. natur. c.* VII. Audiamus quoque *Senecam*, quid ille de Romanorum idolis sentiat? Ex libro ejus de Superstitione (qui interiit) fragmentum recenset *Lips. lib. 2. de Elect. c. 18. T. 1. Oper. in fol. f.* 328. his verbis: *Sacros immortales inviolabilesque Deos in materia vilissima atque immobili dedicant. Habitus illis hominum ferarumque & piscium, quidam vero mixto sensu diversis corporibus induunt. Numina vocant, quæ si spiritu accepto subito occurrerent, Monstra haberentur.* Sed Cicero Orat. pro Flacc. & illud urget, quod religio Judæorum a Majorum (Romanorum) institutis abhorreat; verum id oppido falsum esse, *Numæ Pompilii*, qui sacris *Romanos* imbuit, institutum docet, de quo *Clem. Alex. L. 1. Strom. fol. m.* 304. *Numa Rex Romanorum erat quidem Pythagoreus, ex iis autem, quæ a Mose tradita sunt, prohibuit Romanis, ne homini aut animali similem Dei facerent imaginem. Cum itaque centum & septuaginta primis annis templa ædificarent, nullam imaginem, nec affictam nec depictam fecere. Occulte enim eis indicarat Numa, quod id, quod est optimum, non alia ratione, quam sola mente, ulli licet attingere.*

[13] *Nulla simulacra*) Aversabantur Judæi imagines ad cultum prostantes tanquam severissime a Deo prohibitas *Exod.* XX. 4. 5. Audiverant quidem Judæi vocem ipsius Numinis e Sinai legem promulgantis, sed nullam ipsius speciem oculis viderant, quam fingendo pingendoque exprimere possent *Deut.* IV. 12. 15. *seq.* nec Dei omnipotentis, qui cœlum & terram creavit & manu sua tenet, ulla effigies formari potest. *Esa.* XL. 18. quod *Mosen Ægyptiis* exprobrasse *Strabo L.* XVI. *Geograpg. fol. m.* 760. tradit: *Docebat enim ille* (Moses) *quomodo Ægyptii non recte sentirent, qui ferarum & pecorum imagines Deo tribuerent, neque Lybii, neque Græci, qui Deos hominum figuris insignirent, & quod id solum Deus esset, quod nos contineret, terram ac mare, quod cœlum & mundum, & rerum omnium naturam appellamus, cujus profecto imaginem nemo sanæ mentis alicujus earum rerum, quæ penes nos sunt, similem audeat effingere; oportere itaque relicta omni simulacrorum effigie, & digno ei fano ac Templo constituto sine forma colere &c.* Quem *Strabonis* locum quasi Commentario ex instituto scripto mire illustrant verba *Josephi Lib. 2. contra Apion.* quæ hæc sunt: *Deus forma & magnitudine nobis innenarrabilis. Omnis namque materies comparata ad hujus imaginem, licet sit pretiosa, tamen pro nullo est: cunctaque ars ad illius imitationis inventum extra artem esse cognoscitur: nihil simile neque videmus neque possumus suspicari, neque conjicere. Sanctus est: videmus ejus opera, lumen, cœlum, terram, Solem, lunam, flumina, mare, animalium nationes, proventus fructuum: hæc Deus fecit, non manibus neque laboribus, neque quibusdam indiguit sibi cooperantibus. Sed ipso vidente bona repente facta sunt. Hunc homines convenit universos sequi, eumque placare exercitatione virtutis. Modus enim divinæ placationis iste sanctissimus est. Unum templum unius Dei, commune omnium, communis Dei cunctorum.* Tantopere imagines Judæi detestati sunt, ut vix earum aspectum sustinuerint, quod de ipsis constanter etiam & vere testantur Gentilium Scriptores. *Cassius lib.* XXXVII. *Histor. Rom. p. m.* 38. Tunc quoque temporis nullum Hierosolymis simulacrum exstabat, nimirum suum illum Deum ineffabilem invisibilemque existimantes, religioso ejus cultu cæteros mortales superant, cui templum summæ molis pulcherrimumque extruxerunt: hoc demto, quod apertum fuit, nulloque culmine tectum. Conf. Minuc. Felix in Octav. pag. m. 94. & *Elmenhorst. annot. Rigalt. Wower. edit. Lugd. Bat.* 1672.

[14] *Imaginem reciperent Cæsaris*) Nec *Mosis* quidem effigiem dedicare in templo potuerunt, cum ipse *Tacitus lib. v. hist. c. v.* fateatur: *Igitur nulla simulacra urbibus suis nedum templis sunt. Non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor.*

[15] *Sub Tiberio*) Præceptum hoc religiosiores Judæorum adeo superstitiose observarunt, ut omne sculptum & pictum summæ execrationi haberent. Hinc passi non sunt statuas *Tiberii*, quæ in signis militaribus erant, quas *Pilatus* nocte intempesta opertas Hierosolymam deportaverat, erigere, quas, multa Judæorum cæde patrata visaque illorum pertinacia & pertinaci perseverantia *Pilatus* removit. *Joseph. lib.* XVIII. *Antiquit. Judaic. c. v. & lib. 2. de Bello Judaic. c.* VIII. *Phil. de legat. ad Caj. f.* 1033. *seq.* Confer. *Carpzov. dissert. ad Nummos cornutum Mosen exhibentes edit. Lips.* 1659. *cap. 2. pag. m.* 13. Ne auream quidem *aquilam*, quam in signis Romani habebant ab *Herode* M. supra Templi portam passi sunt Judæi, sed dirutam confregerunt. *Joseph. lib.* XVII. *Ant. Judaic. c.* VIII. & *lib. 1. de bello Judaic. c.* XXI. *lib. 2. c.* I.

[16] *Mox Cajus*) *Cajus* [*Caligula* cum stolida ratione divinitatem affectaret, Deusque haberi vellet, quod *Sueton.* in ejus vita cap. XXII. exponit, per omnes quoque Judæorum Synagogas effigiem suam collocari curavit, unde gravis Alexandriæ ortus tumultus, ob quem tres Judæi Alexandrini, e quorum numero & *Philo* erat, qui Legationem hanc ad *Cajum* conscriptam nobis reliquit, & tres Gentiles ex eadem urbe, quorum *Apion*, Judæorum infensissimus hostis caput erat. vid. *Joseph. lib.* XVIII. *Antiq.* Judaic. *c.* XV. *Romam* ad Imperatorem missi sunt; tandem cum & Templum Hierosolymitanum in suum proprium convertere ausus cum titulo: NOVI JOVIS ILLUSTRIS CAJI, *Philo de Legat. ad Caj. f.* 1040. statuam suam in Templo erigere *Petronium* Præsidem jussisset, Judæi quævis potius tormenta ipsamque mortem pati, quam illam Templi profanationem admittere voluerunt, parati vi & armis *Petronio*, si *Caii* mandatum exequi vellet sese opponere. Unde *Tacitus lib. v. c.* IX. *jussi a Cajo Cæsare effigiem ejus in templo locare, arma potius sumsere, quem motum Cæsaris mors diremit.* Exprobravit acriter *Judæis* istam pertinaciam Apion Grammaticus Alexandrin. cui Joseph. lib. 2. contra Apionem satisfecit.

[17] *Cœleste auxilium*) Cum enim *Petronius*, ut vir erat modestissimus, vi abstinuisset, Judæorum precibus victus, ut denuo ad *Cajum* scriberet, quo facto in gratiam Agrippæ redirent.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De vatibus, deque divino afflatu. De Elia. An vates furore correpti, & mentis impotes fuerint, cum futura canerent? Montani dogma, & mulierculæ fanaticæ, quas instruxit ille. De Delphicis vatibus, deque impostura, & artibus, quæ illis in usu. Ficta cum Numine colloquia. Hæreticorum veteres doli: & de Valente Arrianorum duce. De Esaia, deque Jeremia. Judæorum vesana opinio, Danielem vatibus non esse annumerandum. Inutilis aliorum contentio super ea re. Cratetis affectata pauperies. Eliæ & Joannis Baptistæ comparatio.

DUABUS rebus, ante Messiæ adventum, ad recta compellebatur sacer populus; legum sanctionibus, & oraculorum terrore. Itaque potissimam sacri codicis partem cum edicta Mosaica, tum vatum scripta occupavere. In divi Lucæ Evangelio dicitur diviti cuidam purpurato, *Habent Mosen & Prophetas: illos audiant*. Ac de legibus quidem antea dissertatio nobis fuit: nunc postulare res ipsa videtur, uti etiam de vatibus aliquid dicamus. Vates ii erant [1], qui iram Numinis peccanti populo denuntiarent [2]; quique miracula ederent [3], & futuros rerum prædicerent eventus [4]. Inter vates insigniter eluxit sanctitas [5] & celsa quædam virtus Eliæ, qui, uti Deum totum admitteret, hominem exuerat: & cum in desertis locis duram atque asperam ageret vitam, ad civium cœtus non adibat, nisi ut corrigeret. Eliæ vaticinia pleraque, cujus generis fuerint, difficile dictu est: pauca duntaxat in libris Regum sunt, sed quæ de Messia nullum perhibent testimonium. Scripta illius, si quæ fuere, Achabus suppressit. Non enim exstant in manibus hominum. Cæteri ferme, quos sequens tulit ætas, oracula sua literis consignavere. Habent autem eorum libri tam infallibiles prædictiones earum rerum, quæ multis post seculis contigerunt, uti non alio argumento magis defendi sacræ scripturæ debeat divinitas. Non ea scientia constare studiis [6], arte, aut præceptis potuit: quicquid dictum illic est, a Numinis instinctu [7] fuit. Zacharias quidem, Daniel, Ezechiel, quid aliud, quam cœli commercia habebant? Sepe inter angelos esse se cernunt [8], loquuntur cum iis, populorum fata discunt. Ad summam, vere illis contigit, transilire mortalitatem suam. Atque hæc causa est, cur in libris eorum, sermo Numinis ad eos ferme cum hac præfatione sit, *Audi, fili hominis*: periculum enim erat ne insolescerent, & caducæ sortis suæ fierent immemores: quicquid leve atque inane in animis est, inter res tantas atque tam inusitatas, sese extollit. Cæterum neutiquam est existimandum, fuisse vatum mentem extra se raptam [9], plane uti impos sui esset, atque ut ipsi ea nescirent, quæ loquerentur [10]. *Spiritus vatum, ipsis subjectus est*, ait divus Paulus: quod secus esset, si frænos morderet, & rectorem suum raperet, ferretque extra rerum terminos. Celebre est illud Messiæ, *Multi vates cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audiverunt*. Sane desiderare non potuissent, quæ penitus ignorabant. Res quidem præsentes oculis cernuntur: quod illis non contigit: at futuras mente intuiti sunt. Joannem omnibus prophetis majorem ideo prædicavit Lucas, quod, quem cæteri venturum cognovere, ille digito monstravit coram, dixitque, *Hic est*. Hoc unum discrimen est: non ecstasis in illis, non animorum alienatio raptusve fuit. Montani delirium [11] olim hoc fuit, quod ille obtrudere mortalibus nitebatur, uti fraudibus suis nubem objiceret. Maximillam enim & Priscam [12], mulierculas insanas & bacchantes, velut in scenam adduxit, quæ in illo mimo partes secundas tractarent. Furere, & incompositis motibus agitari, eorum est, quorum os rabidum fatigat impurus genius [13], domatque corda & fingit premendo Etsi hujusmodi homines sane omnibus seculis pauciores fuere, quam vulgo creditum est. Dolus plerumque, & impostura fuit: facile sub persona furor simulatur [14]: facilius quidem profecto, quam mens sana. Vatibus Delphicis quæstui erant animi hominum superstitione capti. Habebant per omnem Græciam emissarios suos [15], qui res & fortunas cujusque discerent: mox consulti, respondebant cuique convenientia. Inerant tamen dictis latebræ, & poterat eventibus interpretatio aptari. Marcus Tullius, cum disputat cur jam pridem Pythii Apollinis cessaverint oracula, causam adfert verissimam, quia minus esse creduli homines cœpissent. Nam quod vetustate extinctam vim loci dicant, nihili esse, cum nulla vetustas vim divinam conficiat: ac Demosthenem vero, ante trecentos annos recte istud dixisse, *Pythiam* φιλιππίζειν. Non pluris fuerunt Ammonis responsa, Prænestinæ sortes, & alia de hoc genere. Atque in eundem ordinem igitur adscribimus Montani insanas fœminas. Fuere hæreti-

reticis nimium usitatæ istiusmodi artes. Qui opinionum fingunt portenta, nunquam illis bene procedit incæptum, nisi advocetur ex machina Deus. Arrianorum dux Valens, postquam persuaserat Constantio, fuisse sibi cum angelo sermonem, altius dehinc semet extulit, principisque abusus simplicitate ad sua libita est. Sed facessant illi : non enim id nunc agebamus. Inter eos vates, qui de Messia scripsere, perquam disertus est Esaias [1] : oratio ejus erudita ubique, & majestatis plena, facile ostendit, qua esset natus origine. Vir enim nobilissimus, & principum consanguinitate clarus, artes omnes scientiasque didicerat, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Liber autem ejus non tam vaticinia continere, quam Evangelia videtur. Res esse pridem gestas, non futuras putes. Jeremiæ omnis majestas posita in verborum neglectu [17] est : adeo illum decet rustica dictio : multa ille effatus in Assyrios est, quos identidem per columbam designavit : quippe fuerat hoc Semiramidis אזרת רגל *symbolum*, uti erudite censuit autor Judæus, cujus liber מאור עינים exstat hodie. Cæterum, vaticinandi virtute nemo præ Daniele est : docet enim quo tempore sit venturus Messias, & regum edisserit sequentium seriem, annosque numerat; &, ne quid desit, etiam prænuntia addit signa. Quæ omnia ejusmodi sunt, uti Porphyrius, cui studium fuit isthæc eludere, nesciverit quo se verteret : quippe arguebat eum manifesta rerum fides : igitur ad calumniandum redactus est : quod ipsum adeo frigide fecit, uti cordatis hominibus gravedinem moverit & tussim. Defricanda hic nobis paulisper Judæorum insulsitas est. Prodidit jam olim sanctissimus Hieronymus, Danielem ab illis non inter vates [18], sed hagiographos poni. Mea sic est ratio, & sic animum induco meum, esse hoc ab illis perquam inepte factum; siquidem hercle tot & tam illustria sunt illius viri vaticinia. Et nuper quidem hæc res disceptandi causam dedit viris duobus hac ætate eruditissimis, cum vatem unus esse, alter haud sic sensisse Judæos assereret. Quæ profecto contentio non est tanti. Ego, non quid fecerit olim vesana gens verporum, sed quam recte fecerit, id vero exquirendum arbitror. Quid autem affertur tandem, cur hoc laudemus? Ratio quidem aut causa nunquam a Judæis exposita est : aut, si est, legisse me non memini nunc. At divinatur tamen, & conjectura fit, ut in re crepera. Nempe, audio, quia in aula atque in regum cultu ætatem egit : quia politicus fuit, & vatem professus non est. Atqui nec professus hagiographum est. Et cur igitur illum hagiographis adscripsere? Utique hoc friget. Jam vero, quæ res vetet eundem amicitia principum florere, & simul vatem agere, nondum intelligo. Ipsi Rabbini, Judæorum columina, vulgo illud ajunt, : שאין הנבואה שורה אלא על אדם עשיר *Prophetiam non recubare nisi super divitem* [19] : itaque suo se gladio confodiunt : & nos scimus, Davidem olim, aliosque, qui summum imperium tenerent, res futuras sacro afflatu cecinisse. Miseros vero vates, si nominis hujus honorem nemo tulit, nisi qui cum baculo aut pera ambularet. Apud Aristotelem Crates, ambitiosus sapientiæ affectator, paupertate & sordibus gloriatur illis verbis, ὀκ οἶδα, πήρη δυύαμιν ἡλίκην ἔχει, θέρμων τε χοίνιξ : *habet nescio quam vim pera, & lupinorum modius* : mendose profecto, me judice : etsi ille veritus non est peram quoque illam carmine celebrare, flexis leviter ad eam rem versibus Homericis, quibus nobilitata Creta est,

> Πήρη τις γαῖ' ἐςι μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ,
> Καλὴ καὶ πίειρα, περίῤῥυτος, ὀδὲν ἔχουσα.
> *Pera est tellus quædam in medio nigri fumi sita,*
> *Pulchra, pinguisque, & undique madida, sed nihil habens.*

Scilicet, quasi illuvies sapientiam gigneret, aut bonam mentem : pluris erat una Creta, quam ter mille peræ. Sed nobis fas haud est inter seria jocari. Illud iteramus, solennia delirasse Judæos, cum Danielem ex eo ordine eximerent, quem ille maxime honestat. Nunc ad propositum revertamur. Vaticinatus est Daniel in exilio Babylonico, quemadmodum & Zacharias, Aggæusque, &, qui postremo hos sequitur, Malachias [20]. Qui viri ubi decessere, omnino vaticinandi illa vis apud Judæos cessavit : donec tandem Joannes Baptistes prodiit, qui Malachiæ longo sed intervallo proximus fuit. Is simul & vatum ultimus extitit, & evangelizantium primus. Vatem certe fuisse, significatum est verbis cantici, quod apud Lucam pater grandius ore mortali sonat, καὶ σὺ παιδίον προφήτης ὑψίςου κληθήσῃ. προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου κυρίου, ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ. *Tu vero, fili, propheta altissimi vocaberis. Eris enim Domini anteambulo, uti viam illi pares*. Exstat Malachiæ oraculum in hæc verba editum, *Mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Jehovæ maximus & verendus*. Eliam illum [21] optimus oraculorum interpres Messias non esse alium, nisi Joannem, indicavit. Est autem alteri alterius nomen commodatum a vate, propter summam, quæ inter utrosque est, similitudinem [22]. Cinctura & vestis eadem fuit.

Jesa-

Jeſabelem ille, hic Herodiadem offenderat libertate increpationis. Vaſta ambo & inculta loca, procul a mortalium profana multitudine, habitavere; plane uti profectum ab illis videatur pium & laudabile veterum Eremitarum propoſitum. Adde, quod idem Numinis afflatus, & eodem pacto utrumque inflammavit. Neque illud vane dictum ab angelo eſt, *in virtute Eliæ venturum*. Meſſias quidem, cum in monte quodam, diſcipulis coram, in cœleſtem quendam habitum ſe indueret, Eliam ad familiarem ſermonem adhibuit: id quod apprime glorioſum fuit: cæterum, qui Joanni datus ab eodem honos eſt, haud minor erat: negat enim quenquam hominem natum eſſe, qui eum antecelleret. Ita ille acerrimus rerum judex luculentum dedit teſtimonium ei homini, qui natus erat quidem omnium ultimus, ſed tamen vaticinari ante cœperat, quam natus eſſet: qui integritatis exemplar fuit, totus innoxius, totus ſacer: denique, cujus apud ſepulcrum Paula, fœmina ſanctiſſima, vidit quondam dæmones cruciari. Hieronymo enim, qui illud indubitanter affirmat, haud deroganda fides eſt.

NOTÆ AD CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Vates erant*) Per vates Autor noſter intelligit Prophetas, qui inter alia nomina etiam hoc vocabantur, uti *Johannes Wandalin Hebr. Ling. Prof. Hafnienſ.* oſtendit in *diſſert. de Prophetis pag. m.* 5. *edit. Hafn.* 1686. De variis Prophetarum nominibus videatur doct. *Joh. Juſt. Kisker in diſſert. de lumine Prophet. edit. Rinthel.* 1690.

[2] *Iram denuntiarent*) Munus Prophetarum non tam erat, futura prædicendi, ſed etiam monendi populum adhortationibus, dehortationibus, quandoque comminationibus. Vide *Anton. van Dale pag.* 193. *de origine & progreſſ. Idol. pag. m.* 193. cui adſtipulatur præcitatus *Kiskerus pag. m.* 13. Prophetæ prædicunt, ut ſibi caverent homines a futuris plagis propter peccatum immittendis. Propterea *Raſchi in Comment.* ad *Exod.* VII. vocem נביא exponit per Oratorem, Præconem, populo verba objurgatoria proponentem. Verba *R. Salom.* hæc ſunt: Prophetæ vocabulum ubique ſignificat hominem prædicentem pœnas & populo verba objurgatoria proponentem. Vid. *Wandal. pag. m.* 7.

[3] *Miracula ederent*) De his videatur *celeb. Hermanni Witſii Miſcell. Sacr. lib.* I. *c.* XV. *p. m.* 145. quamvis Judæi aliter ſentiant apud Maimonid. vid. *Guil. Vorſtii annot. ad Maimonid. de fundament. Leg. pag.* 109. 110. *ſeqq.*

[4] *Futuros prædicerent eventus*) Hoc proprium erat ipſis teſte docto *Kiskero pag. m.* 11. Cui addatur *Wandalin. Witſius* & alii.

[5] *Eluxit Sanctitas*) Non negandum, quod in Elia ſingularis Sanctitas eluxerit, quæ etiam a reliquis requirebatur, uti eleganter oſtendit celeber. *Herman. Witſius in Miſcell. Sacr. lib.* I. *cap.* XV. *pag. m.* 140. 141.

[6] *Conſtare ſtudiis*) Scientiam Prophetiæ nec ſtudiis nec arte comparari poſſe recte ſtatuit Autor contra *Maimonidem in lib. de fundament. Leg. c.* VII. *pag. m.* 27. aſſerentem: *Non cadit autem Prophetia niſi in ſapientem, excellentem ſapientia*. Ex his ſane conſtat, quod ex mente Rabbini nulli Prophetia contingat, niſi omni tam intellectus, quam morum perfectione inſtructus eſſet. Sed quid hæc ſapientia cum Prophetia commune habet? Vide *Guil. Vorſtii annot. ad Maim. pag. m.* 28. Nulla ergo præexiſtens induſtria ex parte Prophetiæ in homine Prophetante requirebatur. Sunt quidem quidam, qui Prophetiam ita Deo tribuunt, ut corporis temperamento, hominum item LABORE ac CONATU, ſi non in univerſum, at maxima ſui parte, dependere dicunt, uti *Mamonid. Avicenna* & *Algazel* Arabes. Verum reſpondetur, hæc expreſſe contrariari S. Scripturæ affirmanti, quod nulla Prophetia ex libitu hominis allata fuerit, ſed quod acti a Spiritu Sancto locuti fuerint Sancti Dei homines 2. *Petr.* I. 10 Hinc recte *Jamblichus*, quantumvis Paganus, de myſteriis Ægyptiorum ita inquit: Vaticinium ipſum non ab arte, nec a natura, nec a naturalibus vel animalibus rationibus moribuſve effici, totamque poteſtatem præſagam ad Deos referri, & omnem ejus auctoritatem in eo conſiſtere.

[7] *A Numinis inſtinctu*) Ipſi Rabbini hoc agnoſcunt, omnem Prophetiam a Deo eſſe. R. *Abarbanel*, referente *Friſchmuth*, Præceptore quondam meo fideliſſimo in *diſſert. de diviſ. Scripturæ in legem, Prophetas & hagiographa edit.* Jen. 1665. *cap.* 2. §. 21. hoc affirmat ita diſſerens: *Prophetia eſt influxus a Deo benedicto*. Et §. 27. ſpecialem influxum revelationis Spiritum S. appellat, inquiens. *Ecquid itaque ſignificat Spiritus S.? Ecce Spiritus S. revera eſt influxus divinus &c.*

[8] *Inter angelos eſſe ſe cernunt*) Inter Angelos fuiſſe Prophetas qui cum eis ſermonem habuerint, non dubitatur, & facile Hebræis hoc concedimus. Eſaiæ unus ex *Seraphim* labia purgavit cap. VI. *Zacharias* & *Ezechiel* quid aliud quam cœli commercia habebant? Danielem inſtruxit Gabriel eique viſionem explicuit. Dan. IX. 21. (Valeat ergo *Maimonides* cum ſuis אישים *Iſchim*. Nugæ Rabbinorum ſunt. Confer. *Guil. Vorſt. not. ad Maim. pag. m.* 90. *edit. Amſtel.* 1638.) Imo univerſa prope *Danielis* Prophetia Angelis miniſtrantibus revelatur. Major ſiquidem proportio inter hominem & Angelum, quam inter hominem & Deum, cujus tremendam Majeſtatem nemo videre poteſt & vivere. *Exod.* XX. 20. XXXIII. 20.

[9] *Mentem extra ſe raptam*) Volunt quidem Rabbini, Prophetas extra ſe raptos fuiſſe, uti *Maimonid.* הלכות יסודי התורה Omnes Prophetæ pavores, perturbationes & deliquia paſſi ſunt. Vid. §. 8. *p.* 103. ubi *Guil. Vorſtii* annot. quoque perluſtrandæ ſunt, qui ita commentatur: Terrori huic etiam mentis alienationem fuiſſe conjunctam exiſtimat *Kimchi* 4. *Reg.* IV. ſecutus *Joſephum*, atque hinc Vates dictos משגעים, quod plerumque non ſui compotes, atque extra ſe rapti eſſent, cum a Spiritu Dei tangerentur. Sed jam ab aliis animadverſum eſt, iſtam agendi rationem minime convenire genio Spiritus Prophetiæ, ejuſque ordinariæ revelandi actioni, ſed potius impuro Spiritui, gentilium vatibus ſubinde oracula aperienti. Conf. *Wandalin. diſſert. de Prophet. edit. Hafnienſ. p. m.* 37.

[10] *Neſcirent quæ loquerentur*) Non audiendi hic ſunt *Montaniſtæ*, qui aſſerebant, Prophetas more arreptitiorum non intellexiſſe ea, quæ vel loquerentur vel ſcriberent. Sed veteres hunc Montaniſtarum errorem, cui ita adhærebant, ut eundem cum lacte nutricio imbibiſſe viderentur, merito refutarunt, agnoſcentes, præſentiæ divinæ hoc ipſum nullo modo convenire, ut eos, quos cœleſti ſapientia replevit, amentes reddat. Confer *Epiphan.* qui hæreſ. XLIIX. huic rei ſatisfecit ita, ut nova reſponſione opus non ſit. Generalis eſt regula. Propheticus Spiritus nunquam mentis primariam facultatem ſua ſede, & ut in re gravi cum Marone loquamur ---- ---- *præcipitem puppi deturbat ab alta*: non rationis impedit uſum, non vires judicii enervat, ſed informat, firmat illuſtratque.

[11] *Montani delirium*) Montaniſtæ Prophetiam crebro jactabant, cum tamen nihil præter nudam ἔκστασιν mentiſque alienationem apud ipſos videre erat. Primum producemus teſtem *Clem. Alexandrin. Strom.* I. Ἐν δὲ τοῖς ψεύδεσι καὶ ἀληθῆ τινα ἔλεγον οἱ ψευδοπροφῆται, καὶ τῷ ὄντι ὅσον ἐν ἐκστάσει προεφήτευον, ὡς ἂν Ἀποστάτου διάκονοι. *Montani*, unde Montaniſtæ, ver-

ba

ba sunt hæc & Prophetia ista erat: *Ecce homo sicut lyra, & ego volo velut plectrum, homo dormit, & ego vigilo. Ecce Dominus est, qui ecstasi emovet corda hominum, & qui dat corda hominibus.* Respondet Epiphan. Verba perplexa, contorta nec quicquam recti habentia: nam dicere, volo, velut plectrum, vigilo, & ecstasi emovet Dominus corda, mente mali & hominis insani verba esse.

[12] *Maximillam & Priscam*) *Maximillæ* atque *Priscillæ Tertullianus* magus in vesania ὑπερασπιστὴς, licet a furoris culpa eas absolvere nitatur, ab ἐκστάσει tamen non liberat. Sed ab ἐκστάσει ista non abfuisse furorem & μανίαν diserte indicat *Hieronym. Præf. in Esa.* Neque vero, ut Montanus cum insanis fœminis somniat, Prophetæ in ecstasi locuti sunt, ut nescirent, quid loquerentur. *Proœm. in Nah.* Non loquitur Propheta in ἐκστάσει, ut *Montanus* & *Prisca Maximillaque* delirant. Item: Nec ut amens loquitur Propheta, nec in morem insanientium fœminarum dat sine mente sonum. *Præf. in Hab.* Clarius de Montani furiis Apollinarius ad Euseb. H. E. *lib.* V. *c.* XVI.

[13] *Impurus genius*) Diabolum intelligit, qui gestibus inconditis & incompositis cogebat suos, responsa dare. Apud *Scholiast. Aristophan. in Plut.* & *Lucan.* lib. V. Pythiam Vatem legimus interno furore repletam. Proinde non tantum intra facultatem animæ inferiorem residebat vis ista Dæmonis: quippe quæ, per corporis partes cum diffunderetur, afflatu suo ita hominem concitabat, membraque omnia maximo distendebat cruciatu, mentemque spirituum aereorum atra circumfusam caligine, ac sensu ac ratione alienatam divexabat, ut præter genarum pallorem, tremorem corporis, horrorem comarum, fremitum cordis, mutationem luminum, oculorum aversionem, vocis asperitatem, cervicis agitationem, partium corporis reliquarum lacerationem, sexcentaque alia, quorum passim apud Poetas mentio fit, sæpenumero dirupti miseris modis animam infamem Vates abjicerent. Simile apud *Virgil. lib.* VI. *Æneid.* legimus:

> *---- subito non vultus, non color unus*
> *Non comtæ mansere comæ, sed pectus anhelum,*
> *Et rabie fera corda tument, majorque videri*
> *Nec mortale sonans afflata est Numine quando*
> *Jam propiore Dei.*

Conf. *Plutarch. de defect. orac. Amm. Marcell. l.* 21. *Porphyr.* apud *Euseb. de præpar. Evangel. l.* 5. *Chrysost. hom.* XXIX. *in* 1. *Cor. inprimis Leo Allat. Syntag. de Engastrimytho.*

[14] *Furor simulatur*) Credi volebant Antistites Pythiam furore correptam jamjam vaticinia edituram esse. Unde *Lucanus*,

> *---- bacchatur demens aliena per antrum*
> *Colla ferens, vittasque Dei, Phœbeaque serta*
> *Erectis discussa comis.* &c.

Furore igitur, ut videri volebant, acta & correpta Divino, intrabat *Pythia* in *Adyta*. At multa erant, quibus ille *simulatus furor* adjuvari poterat. Namque ut spuma in ore excitaretur, sola herba lanaria illa uti poterat, quo artificio *Alexander* iste Pseudomantis (apud *Lucianum*) utebatur. Recte igitur Autor noster statuit nil nisi dolum fraudemque fuisse: cui adstipulatur *celeber. & erudit. Anton. van Dale in lib. de Oracul. veter. Ethnic. edit. Amstel.* 1700. *pag. m.* 139. 140. *seq.*

[15] *Emissarios suos*) Quod Sacerdotes habuerint suos Emissarios qui renuntiarent, quid hic vel ille petere vellet, fuse ostendit *celeb. Anton. van Dale pag.* 92. 93. *de Oracul. veter. Ethnic.* Cum igitur tale observasset *Alexander* ille Pseudomantis, cujus Tragediam nobis describit *Lucian.* iisdem fallaciis utebatur. Ita enim de ipso *Lucianus*: --- --- *Jam & Emissarios aliquos in regiones alienas amandarat, qui Oraculi famam in gentes inferrent, affirmarentque ipsum prædicere, invenire fugitivos, fures ac prædones indicare, thesauros effodiendos ostendere, ægrotos curare.* At paulo post: *Exploratores etiam ex sua conjuratione quamplurimos Romæ constituerat, qui sibi, qua quisque mente esset indicarent, ac priusquam Oraculum adiissent, illi significarent, quidnam essent percontaturi, quidque potissimum cuperent: ut priusquam venissent qui mittebantur, ille jam ad respondendendum esset paratus.* Cætera quæ hic autor habet de latebris dictionum, acute explicuit prælaudatus *Anton. van Dale* quem vide.

[16] *Esaias*) Affirmat Autor noster Esaiæ orationem esse eruditam, quod negari non potest. Hinc *Phil. Mornæ, de veritat. Relig. Christian. c.* 26. *pag. m.* 406. eum cum *Cicerone* confert, & Esaiam huic longe anteferendum scribit. Verba ejus citato loco evolvantur & legantur, cum ob prolixitatem huc adscribere supersedemus. Confer Dannahaur. *in Hodosoph. Christ. disp.* 1. *Phænom.* 1. *p. m.* 34. *Rivet. in Isagog. pag.* 15. *quem Hotting. Thesaur. Phil. L.* 2. *c.* 1. *sect.* 2. *pag.* 471. *citat. Robert. Parson. Angl. in Conc. funebr. Comit. Joh. de Rochest. fol.* 87. *edit. in* 4.

[17] *Verborum neglectu*) Jeremiæ & Oseæ stylus videtur rusticior, inquit *Hieronym. Præfat. in Jer. Tom.* 3. *Oper. fol.* 26. Confer *Leusden. Phil. Hebr. diss.* 6. *pag.* 61. *Hottinger. Thesaur. Phil. L.* 2. *cap.* 1. *p.* 471. *Sixt. Senens. L.* 1. *Bibl. fol.* 15.

[18] *Danielem non inter Vates*) Miramur Judæos tam frivole loqui, quos erroris ex eodem clarissime convinci posse demonstrat Hieronym. *præfat. in Daniel.* nullum, ajens, Prophetarum tam aperte dixisse de Christo quam Danielem, qui non solum scribit, eum esse venturum, quod est commune cum cæteris, sed etiam quo tempore venturus sit docet. De reliquo quid eorum calumniis sit reponendum ostendunt *Cunæus de Republ. Hebr. l.* 3. *c.* VII. *Geier. Commentar. in Dan. Muller. Judaism. ref. pag.* 23. *seq. Polanus proleg. in Daniel. Johannes Frischmuth. in dissert. de distinct. Script. in legem Prophet. & hagiograph.* aliique. Negant Judæi *Danielem* fuisse Prophetam, & ecce tamen Maimonidem, quem unum in gente sua minime nugari novimus, *Mor. Nev. P.* II. *cap.* 45. דני אל ותלים ומגלת רות ומגלת אסתר הכל ברוח הקודש נכתבו ואלו גם כלם נקראו נביאי בכלל: *Daniel, Psalmi, Volumen Ruth, Volumen Esther per Spiritum S. scripta sunt omnia, & tamen eorum Autores omnes vocantur Prophetæ in genere.* In *genere* adjungit, ne communem de Prophetiis in specie, quoad gradus, distinctionem destruat. Porro negant *Danielem* esse Prophetam τεχνικῶς & stricte sic dictum, & nihilominus negare non ausint, eadem omnino *Danieli* affuisse, quæ in aliis agnoscunt Prophetis. Namque quatuor Prophetarum requisita recenset laudatus Doctor, quorum bina adducere sufficit, (1) cum sermonem sibi in somnio vel visione per Angelos factum dicunt. (2) cum verborum Angeli meminerunt nulla alia addita visionis aut somnii mentione: & inde concludit: כל מה שיבא על אחת מאלך הארבע צורות היא נבואה ואומרו נביא: i. e. *Quicquid uni quatuor horum modorum accidit, Prophetia est, & qui id dicit, Propheta.* Jam vero *Daniel.* VII. 1. 16. VIII. 2. 16. 17. primus modus occurrit, *Dan.* IX. 21. secundus, ut probare nititur *Constantin l' Empereur in Jachiad. pag.* 4. 5. Cætera jam silentio transimus quæ a Judæis afferuntur, hoc tantum addentes, quod ipsi *Talmudistæ in Massech. Sanhedr. cap.* 11. eum præstantiorem faciant *Haggæo, Zacharia, Malachia Prophetis.*

[19] *Super divitem*) Falsam hanc Judæorum opinionem rejicit doct. *D. Kisker. in dissert. de Lum. Prophet. edit. Rintel. c.* 3. vid. *Guil. Vorst. in annot. ad Maim. de fundam. leg.*

[20] *Zacharias, Haggæus & Malachias*) Hos Prophetas prophetasse in templo secundo R. *David. Kimchi* præter alios affirmat, ita scribens: חגי זכריה ומלאכי הם שנבאו בבית שני ובחגי וזכרוה נכתב זמן נביאתם ומלכי לא לא וכתב יאפשר שהיה אחרון שבהם: i. e. *Chaggai, Zacharias & Malachi sunt illi, qui Prophetarunt in domo secunda & in Chaggai & Zacharia scriptum est tempus Prophetiæ eorum, at in* Malachi *non scriptum est, & potest esse, quod fuerit ultimus inter ipsos.* Rationem annectit: וכן יראה כי לא נזכר דבר בנין הבית כמו שנזכרו חגי וזכריה וגו: i. e. *Sic vero videtur, quia non mentio fit ullo verbo ædificationis domus, sicuti mentionem faciunt Chaggai & Zacharias.* Rationibus etiam probat cl. *Balthas. Scheid. Profess. quondam Argentorat. in exercitat. Phil. in ultim. Malach. caput edit. Argent.* 1664. vid. *Christoph. Lauret. Hazoar. edit. Paris.* 1610. *pag. m.* 26.

[21] *Eliam illum*) Exstat in Malachiæ oraculo promissio Eliæ ante adventum Domini. * Hanc Prophetiam Judæi una cum catholicis in hac parte quoque Judaizantibus, ad literam de illo Elia Thesbite explicant, quem illi Messiam, hi Anti-Christum suum Utopicum sub finem seculi antecessurum, eosque manifestaturum somniant. Quos refutatos vide apud cit. *Scheidium. dissert. cit. pag. m.* 31. 32. 33.

[22] *Similitudinem*) Summa similitudo intercedit inter Eliam & Johannem. Heroico Elias S. flammis instinctu aggrediebatur Regem Achabum, cum Jesabele sua de exercita in Naboth subditum Tyrannide; Sic *Johannes Baptista* eodem agitatus, magno zelo Regem *Herodem & Herodiadem* objurgavit, ob patratum in Philippum fratrem scelus, sed pari successu, *Elias* quidem ereptus violentiæ mortis, *Johannes* decollatus, uterque in cœlum evehebatur. Uterque in *eremo* vixit, parvo & tenui cibo vitæ consuluit. Illi corvi prospiciebant; Hic vero locustis & melle sylvestri vescebatur. Ita etiam quoad vestitum: uti eleganter demonstravit *Scheid. pag.* 35. cit. dissert.

* Recta cum ratione insanire videtur Nicolai dum Judæorum de Helia venturo opinionem cum Theologorum Catholicorum receptissimo dogmate confundit. Nam Judæi ante primum Messiæ adventum Heliam opperiuntur; Catholici vero ante postremam Christi Judicis manifestationem illum rediturum pronuntiant. Quam opinionem jure merito traditionem Ecclesiæ appellat Estius. Patres innumeri tum priorum tum sequentium sæculorum sunt, qui Henoch atque Heliam ante postremum judicii diem venturos deprædicant; quos omnes Auctores ac magistros se habere gloriantur Doctores Catholici.

CAPUT OCTAVUM.

De Cabala, sive de lege, quæ scriptis mandata non est. Quo pacto resecandi sint nodi, qui in locis paralellis latent. Quam sobrie utendum sit anagogis & mystica interpretatione. De Judæis Karraitis, quorum factio præ cæteris cordata est, & fugitans ineptiarum. De opibus eorum.

LEGEM Judæi duplicem [1] habent: quarum altera scriptis mandata, altera autem verbis duntaxat edita quondam est. Et de ea quidem quæ scripta est, pauca quædam, quæ offerebant sese nobis antea, retulimus. Superest Lex altera, hoc est, Cabala, sive ea doctrina, quæ licet a summo Numine tradita sit, tamen in tabulas relata non est, ob hanc causam, uti plebs Judaica, quæ tunc adhuc rudimentorum decurrebat spatia, arcanos sacrorum voluminum sensus admiraretur potius, quam intelligeret. Didicerat Moses [4] mistica quædam legis interpretamenta, dum in monte Choreb sermonem cum Deo sereret. Hæc post illum aliis data commissaque fuere, qui Spiritu sacro agebantur. Absit [5] enim, uti nunc Cabalam appellem putida quædam deliria, & nugas plus quam aniles, easve expositiones, quas ante Christi ævum, & diu post illud Judæorum magistri quidam, febriculosi mortales, ceu mysteria aliis tradidere. Longe hoc aliud est. Ego veram Cabalam appello, mysticum intellectum earum rerum, quæ in sacris libris latent. Is intellectus, cum antea penes vates fuisset, sed non vulgandus mortalium seculis, tandem divino munere Apostolis & Evangeliorum concessus scriptoribus est, uti, quod diu latuerat, publica voce illorum proderetur universis. Itaque Cabalam, non cum vulgo eam dico, quam alii aliis tradidere, sed quam cœlitus acceperunt viri sancti: est enim קבלה *acceptio*. Divus Paulus, qui ad pedes Gamalielis sederat, eaque didicerat omnia, propter quæ superbirent Judæorum eruditissimi, tunc demum Rabbinicam didicit Cabalam; cum jam Apostolus factus, didicerat veram: nesciebat enim antea, τὸν νόμον εἶναι πνευματικὸν, *legem spiritualem esse*. Danda est mihi paulisper opera, uti hæc manifesta sint. In Numerorum libro quædam de principibus & ducibus, deque tribunis & centurionibus referuntur. Ea narratio historica est: neque aliter tunc eam accepere Hebræi. At D. Paulus sublimiore sensu illa verba intellexit, &, quod illis inest secretum, publicavit, cum ad Ephesios scriberet, *esse in cœlis principatus, esse dominationes, esse potestates atque virtutes, & alia ministeriorum vocabula*. * Etenim nefas sit, Paulum, qui sacra volumina accurate, si quisquam alius, perlegerat, quidquam dixisse, quod in illis scriptum non exstaret. Non veremur nos hic Hieronymum sequi, qui plane sic opinatus est. Verum, age; proferamus alia quædam, quæ pluris sint. Certe illud confutari non potest, quod jam dicam. In Deuteronomii capite tricesimo, sapientissimus legislator Moses, extrema oratione, qua populum allocutus est, sic inquit, *Præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est occultum a te, neque longinquum: non est in cœlis, ut dicas, quis ascendet nobis*

* Cunæi deliramenta observet quæso hic optimus lector. Nam Sanctum Apostolum Dei spiritus afflatu sua cuncta scripsisse certum est. Eum tamen cui Deus O. M. arcana reseravit nihil præter ea quæ exstant in Veteri Testamento prodidisse tam falsum, ac absurdum est ut nihil absurdius. De hoc argumento uberrime tractant Joan. Driedo in Tract. de Scripturis & dogmatibus, & Riccard. Simon in Historia Critic. Vet. & Novi Testamenti.

nobis in cœlum, & capiet illud nobis? neque eſt trans mare, ut dicas, quis tranſibit mare, & accipiet illud? propinquum eſt tibi verbum hoc valde, in ore tuo & in animo tuo, ut facias illud. Nempe hoc ait, non eſſe Hebræis longe eundum, uti ſciſcitentur Numinis voluntatem: quippe in medio eorum eſſe legem. Hæc omnia Divus Paulus in Epiſtola, quæ ad Romanos ſcripta eſt, in capite decimo, aliovorſum traxit [6], & de Evangelio interpretatus eſt. Ac primo quidem ſpectavit verba Moſis, quæ in Levitici capite decimo & octavo exſtant. * Itaque ait, *Moſes deſcribit juſtitiam, quæ eſt ex lege, quod, qui præſtiterit ea, vivet per illa.* Hic ſimplici ſenſu verba legislatoris accipit, uti ſonant. Subjicit dein alia ejuſdem verba ex Deuteronomio, non præter mentem quidem ejus, ſed longe tamen aliter, quam intellecta non dicam ab Hebræis, ſed a cunctis mortalibus fuerant uſque in illum diem. ** *At, quæ ex fide eſt, juſtitia, ita dicit: ne dixeris, quis aſcendet in cœlum, aut deſcendet in abyſſum? prope te enim verbum eſt in ore tuo, & in corde tuo. Hoc eſt verbum illud fidei, quod prædicamus.* Valde errant, qui hic nihil niſi quandam eſſe verborum alluſionem arbitrantur. Duplicem enim eſſe juſtitiam Apoſtolus, autore Moſe, ait, alteram ex operibus, alteram ex fide. Unum teſtimonium legislatoris citat, על משמעו, *uti ſonat:* alterum Cabalice, עד מדרשו, hoc eſt, ex ſenſu quidem Moſis, ſed myſtico: nam poſtquam verba ejus retulit, addit, *** *Hoc eſt verbum illud fidei, quod prædicamus.* Nos hujuſmodi expoſitionis modum etſi non intelligimus, tamen, quia a ſpiritu Dei eſt, rectum eſſe credimus & verum. Etiam in verbis, quæ exſtant in capite ſecundo Geneſeos, agnoſcimus Cabalam. Quod enim ibi dicitur, *relinquet homo patrem matremque, & adhærebit uxori*, ex illo ignotum mortalibus 7 ſacramentum revelat idem Apoſtolus, in capite quinto Epiſtolæ ad Epheſios: *myſterium hoc magnum eſt: loquor autem de Chriſto & de Eccleſia.* Plura ejuſmodi in illo luculento ſcripto ſunt: Eſt enim profecto Epiſtola ad Epheſios plena myſticis atque abditis ſenſibus: id illi ſingulare contigit. Cæterum haud credendum eſt, Cabalæ eſſe locum in ſolis legum libris. Latius enim ea res patet. Quicquid fatidici vatum libri, quicquid hagiographa continent, ejus eſt duplex ſignificatio; una nuda, quæ פשוט recte dicitur, altera obſcura latenſque, quam vel אגדתא vel דרש appellare licet, quia eruenda, veſtigandaque eſt. Vetus eſt Rabbinorum verbum, אין מקרא יוצא מידי פשוטו אבל יש לו פשוטו עם מדרשו ואינו יוצא מידי כל אחד מהן: Sententiam duntaxat referre libet, ne nobis neceſſe ſit **** βαρβαρίζειν. *Nuſquam*, inquiunt, *ſcriptura eſt abſque ſenſu ſimplici: ſed habet pariter, ut myſticum, ita & ſimplicem: his duobus non eſt ut careat.* In octavo Pſalmo, de hominum excellentia [8] agitur, qui dominatum in cætera animantia tenent, & propemodum dii ſunt terreſtres. At D. Paulus ***** Davidem locutum ait de altero mundo, deque Chriſto, qui illic rerum potitur. Nemini iſtud poſt natos homines in mentem veniſſet: adeo diverſa ſunt: nunc nihil indagemus ultra: expoſitio Cabalica eſt: hoc ſatis eſto. Eadem arcana edoctus Matthæus fuit. Etenim beatam virginem, metu Herodis, in Ægyptum aſportaſſe filiolum, & mortuo rege rediiſſe ait, eaque re effectum eſſe id, quod olim prædixerat vates, *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Atqui Hoſeas, quicquid ſe verſant fatigantque eruditi quidam interpretes, non de Meſſia, ſed de populo Iſtaelitico locutus illic eſt, quem eduxit ex Ægypto quondam Deus, quemque filium ſuum non ſemel alibi, & primogenitum appellat. Itaque expoſitio, quæ apud Matthæum eſt, tota eſt myſtica & Cabalica: neque aliter profecto exiſtimandum eſt, niſi vim facere apertæ orationi, aut fingere ipſi nobis quaſdam chimæras volumus. Nihil nobis facilius eſſet, quam illud multis argumentis evincere. Sed breves eſſe laboramus. Profecto, nulla res omnibus cordatis viris plus negotii faceſſit, quam interpretatio teſtimoniorum, quæ ex lege & vatum ex libris in ſua ſcripta tranſtulere Apoſtoli: quippe multa aliena videntur atque omnino uſurpata præter mentem Moſis atque vatum: quæ qui defendere alia via, quam iſta, ſtudent, fruſtra ſunt. Et tamen haud ignave jam ante a præclaris viris elaboratum eſt, uti conſonare omnia & quiddam habere convenientiæ inter ſe atque ſimilitudinis viderentur. Sed pace eorum dixerim, non explevere nobis animum. Nam qui hæc nihil niſi alluſiones eſſe quaſdam volunt, næ illi haud intelligunt ſe nimis frigide excuſare Apoſtolos. Cur enim citant Moſis & vatum verba? nempe, ſi verum amamus, ob hanc cauſam, uti fidem faciant ſuis ſcriptis. At quam fidem facient, ſi mala fide uſurpent authorum dicta? denique, ſi ſenſum eorum aut torqueant, aut, quod pejus eſt, pervertant? Adde, quod ipſi profitentur plerumque, ſe illos teſtes citare, & factum eſſe illud, quod illi quondam vaticinati erant. Bene atque in tempore jam ante dixi, clauſum uſque in eam diem

* *In epiſt. ad Rom. cap.* 10 ℣. 5. ** *Ad Rom. cap.* 10. ℣. 6. *** *Ad Rom. cap.* 10. ℣. 8.
**** *Barbare loqui.* ***** *Epiſt. ad Hebr. cap.* 2. ℣. 5. & 6.

diem fuisse sacræ scripturæ librum, Scitum est istud, δὶς κ̀ τρὶς τὸ καλὸν, *bis & ter repetatur quod pulchrum est*. Enimvero, leo ille, Messias est, qui divina vi atque quadam inspiratione Apostolis dedit mysticum intellectum earum rerum, quas nemo quisquam assecutus fuerat. Nos ea, ad quæ mens nostra imbecilla haud ascendit, sola admiratione veneremur: &, quoties causas rationesque istiusmodi probationum non cernimus, dicamus, Cabalam esse, non illam ineptam Judæorum, sed hanc, cujus author Deus est. Hoc unum asylum superest, ad quod confugere licet. Secus, nodos video inextricabiles, & implexa ænigmata, quæ dissolvere haud opis est nostræ: sed nec in alio quopiam esse eam ingenii vim opinamur. Diximus de mystica interpretatione, quod sentiebamus: sed addimus, haud promiscuam eam esse, nec plurium, sed stare suis finibus: stat ea, inquam, intra Apostolos & Evangeliorum scriptores, quorum sunt commentationes θεόπνευστοι. Nam quod postea sancti Ecclesiæ antistites idem illud imitati sunt, alia res est: nullum enim eorum inventum probare cogimur, nisi probe nobis ejus intellecta ratio. Ad Cabalæ divinitatem opus est, uti in hominis pectus vis cœlestis descendat. Non potest res tanta stare sine Numine. Origenes, maximus sane vir, in anagogis tantum sibi permisit, uti modum excesserit, neutiquam verecunde: at Augustinus & Hieronymus prudentiores fuere: quare, ut nulla eorum commenta authoritatem obtinent sacram, ita sunt pleraque tamen pulcherrima. Vel illud Hieronymi quam luculentum est! quod ideo referam, quia ad legis arcana, de quibus diximus hactenus, pertinet. Disserit super Matthæi verbis, quæ sunt in capite vicesimo & septimo, *Velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum. Juxta anagogen dicendum est*, inquit, *quod inclamante Jesu & emittente spiritum, velum templi scissum sit, & omnia legis revelata sint mysteria, ut, quæ prius recondita tenebantur, universis gentibus proderentur. In duas autem partes, in vetus & novum testamentum: & a summo usque deorsum: ab initio mundi, quando homo conditus est, & reliqua, quæ facta in medio, sacra narrat historia, usque ad consummationem mundi. Et quærendum, quod velum templi scissum sit, exterius, an interius? Mihi videtur in passione domini illud velum esse conscissum, quod in tabernaculo & in templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius: quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoscimus. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc & velum interius dirumpendum est, ut omnia, quæ nunc nobis abscondita sunt, domus Dei sacramenta videamus*. Hæc & erudita sunt, & pie excogitata. Sane pleraque de hoc genere, quæ prisci Patres scripsere, plus genii habent, quam Judæorum argutiæ: qui tamen homines, plurima cum habeant eruditionis præsidia, nihil intentatum reliquerunt. Nimium ineptiunt plerique, qui inter eos interpretati legem sunt, superciliosi magistri, qui errores erroribus tegunt, ne perpluant, & discipulos suos magna mercede unum hoc docent, *Nihil sapere*. Qui plurimos sui similes, hoc est, putidos & nugatores effecerint, ii primas tenent, & nomine admodum insolenti sese appellitant מרביצי תירה, quasi tu barbare dixeris, *Qui efficiunt ut lex recubet*, hoc est, quiescat inter eos, & sedem habeat in sola gente Judaica. Est tamen eorum factio quædam cordatior: ii sunt Karraitæ [9], qui spretis hominum placitis, Talmudica præcepta pro nugamentis habent, & nihil admittunt, nisi sacri codicis contextum. Sed id hominum genus cæteris Judæis invisissimum est. Itaque, cum sint oppido pauci, sed ad unum omnes ditissimi, filias suas cum dote summa vix dare nuptum queunt. Hoc, quia ab aliis proditum jam est, non referrem, nisi persæpe nobis movisset risum. Profecto usque adeo bonam mentem ejuravere putidissimi mortalium, uti malint pecuniam, rerum reginam, spernere, quam socerum habere non ineptientem.

NOTÆ AD CAPUT OCTAVUM.

[1] *Legem Judæi duplicem*) Lex apud Hebræos distinguitur in תורה שבכתב *legem scriptam* & תורה שבעל פה oralem. vid. *Schaare Orah. in lit.* ה. *fol.* 4. Confer. *Carpzov. annot. ad Schickardi* משפט המלך *Jus regium theor.* XVIII. *cap.* V. *pag. m.* 396. *edit. Lips.* Hanc oralem legem Mosen in monte accepisse tradunt Hebræi.

[2] *Cabala*) Dicitur a verbo קבל *Kibbel*, quod accipere significat; hinc קבלה idem ac acceptio, quod videlicet בעל פה ut Rabbini loquuntur, hoc est, oretenus a primis Patribus tradita, & a posteris successive accepta sit scientia. Dicunt Rabbini, uti ex descriptione Autoris patet, quod a Deo tradita sit, licet in tabulas relata non sit; Hinc *Athanas. Kircher. in Oed. Ægyptiac. fol.* 211. ita de hac sentit. *Cabala*, inquit, est divinarum humanarumque rerum arcana, per Mosaicæ legis typum, allegorico sensu tradita & insinuata facultas.

[3] *Quam intelligeret*) Non negandum quod in Scriptura multa arcana occurrant, quæ non cuivis obvia, modo perlustremus ritus & ceremonias sacrificiorum, in quibus tot arcana in Veteri Test. fuerunt, ne populus has facile intelligere potuerit, nisi ab eruditis fuissent exposita. Hinc Cabala nihil aliud, nisi altissimarum rerum notitia.

[4] *Moses*) Vid. *Athanas. Kircher. Oedip. Ægypt. fol. m.* 212.

[5] *Absit*) Hoc vocabulo Autor noster significare vo-

voluit, se non intelligere Cabalam Judæorum recentiorum, qui hac Scripturam corrupissent, quam Cabalam etiam Legi Scriptæ prætulerunt Judæi. Volunt enim hi febriculosi magistri, (ut autor hos vocat) quod Lex Scripta Mosis non possit intelligi, absque hujus oralis adminiculo Scribarum. Unde in *Codice Juris* בבא מציעא *fol.* 33. 1. Qui operam dant lectioni Biblicæ, virtus aliqua est, aut potius virtus nulla; qui vero operam dant δευτερώσει Traditioni seu legi secundariæ patrum, virtus est, propter quam accipitur præmium. Quid igitur de hac *Cabala* sentiendum brevibus dabimus, quæ non abstrusiores explicationes Scripturæ explicat, sed quæ ex cerebro Scribarum orta, quod scil. sint nugæ & mendacia. Unde tam splendida mendacia de arbore Cabalistica seu decem *Sephirot* nec non de opere מרכבה coacervare solent. Consuli hic possunt *Buxtorff. in Lexic. Talmud. pag.* 1535. 1690. *Hottinger. Thesaur. Philol. pag.* 455. *Tolosan. Comment. in proleg. Syntax. mir. art. pag.* 283. *S. Joh. St. Rittanget. in* ספר יצירה *pag.* 83. & *alii*. Hodie vero *Cabala* in superstitiosissima literarum & syllabarum aucupia conversa est, dum moderni Verpuli magna mysteria ex literarum varia permutatione, translocatione & explicatione venari solent, quos avide sequitur *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. T.* 1. *de Cabala*. Qui de Cabala plura legere desiderat, evolvat *Buxtorff. Lexic. Rabbino Talmud. fol.* 446. & *Abbr. Rabb. pag.* 26. 30. 41. *Fabrit. part. Cod. Ebr. pag.* 23. Glass. Philol. Sacr. l. 1. *Exc. Sennert. de Cabala dissert. Hottinger. Thesaur. Phil. p.* 437. *Schickard. Gerson. in Talmud. pag.* 226. *Muller. Judaism. Prol. n.* 6. *Walton. in Bibl. Polyglott. Prol.* 8. *n.* 30.

[6] *Aliovorsum traxit*) Quæ enim a Mose, lege & mandato scripta Apostolus ad Christum accomodat, atque ob id quasi interpretando de suo interserit. vid. *Zeger. ad Rom.* x. confer. *Valla ad cap.* x. *Grot. ad h. l.* imprimis autem *Henric. Ainsworth. Comment. in Deut.* xxx. *fol. m.* 138.

[7] *Ignotum mortalibus*) Conjunctionem Christi cum Ecclesia *Paulus* his verbis significat, Sacramentumque vocat seu mysterium dicit magnum quod ad Ecclesiam & Christum pertineret, ut fuse explicat *Erasmus* in annot. ad h. l. *Castal. ad h. l. Zeger.* inquit: Magnum & ineffabile est hujus conjugii mysterium, Christi, dico cum sponsa sua Ecclesia. Confer. *Grotius* in h. l. qui acute disserit. *Henric. Ainsworth. Comment. in Genes.* 2. *fol. m.* 13.

[8] *De hominum Excellentia*) Si sensum literalem aspicimus, de hominum excellentia præ reliquis creaturis agitur, quia ipsi a Deo dominium concedebatur super omnia animalia terræ *Gen.* 1. 26. ubi *Ainsworth. fol.* 7. annotat. *Subduing, meaneth such a prevailing and possessing, as a master hath over servants*. Quem locum Apostol. de Christo explicat. Videatur *Ainsworth. Comment. in Psalm.* VIII. *fol.* 14. *Clar. Comment. in Hebr. Cameron. in epist. ad Hebr. qui fuse* & erudite asserit. *Jacob. Capell. in annotat: ad h. l.* & *Grot.*

[9] *Karraitæ*) Karræi quasi Scripturarii per Orientem & Imperium Turcicum habitantes, qui Scripturam Sacram rejectis Rabbinorum traditionibus ac Talmude recipiunt. Orti sunt ex Sadducæis & a Samaritanis. Gravissimum odium inter Judæos nostros & Karræos viget ob rejectum Talmud. De Karræis vid. Buxtorff. Lexic. *Talmud. fol. m.* 2113. *Voet. Tom.* 2. *Disp. Select. pag.* 96. & 143. Confer Cl. *M. Jo. Gottofred. Schupart. tract. de Secta Karræor. edit. Jen.* 1701.

CAPUT NONUM.

Quid de Messia perceptum cognitumve habuerint Hebræi in veteri Ecclesia. Tota res illa diligentius excussa. Quam pravo more omnia ad artem & ad formulas adstringantur.

IN superioribus libris, cum Judæos, post Messiæ adventum, spretos posthabitosque a Numine diceremus, demonstravimus causam ejus rei fuisse summam illorum incredulitatem. Et sane quæ potuit esse desperatior perversitas, quam quod oculis ipsi suis, suisque auribus fidem haud habuerint, cum aderant jam non rerum testimonia signaque, sed res ipsæ? Utique hoc vindicandum ultricibus pœnis fuit. Nunc libet nobis postliminio regredi in ea tempora, quibus Messiæ beneficia per imagines modo figurasque, atque per vatum prædictiones significata quondam Hebræis sunt. Enimvero, cum insint in oraculis arcani sensus, cumque oppido arduum sit mortalibus res futuras, nedum earum umbras, intelligere, diu illud inter homines eruditissimos disceptatum est, quid de summo salutis auspice speraverit olim crediderit ve antiquior illa Hebræorum natio? Habet ea res magnum momentum ad rectam interpretationem totius sacri codicis: adeo late patet illius ambitus: est enim ubi Divus Paulus quædam diversa dicere videtur: atque eadem est velut discrepantiæ species in aliorum scriptis. Itaque excutienda hæc nobis sunt, haud sane in transcursu. Juvat enim interdum philologorum spatia relinquere, & in his consistere, quæ sunt sublimioris contemplationis. Eatur, quo nos rerum magnitudo vocat. Nisi semel statuerimus, quod consilium in illis sequamur, semper æstuabimus. Dignus hic vindice nodus est. Et opiniones quidem aliorum non percensebimus: positæ enim in magna varietate sunt: & præterea, nemo dixit quod penitus placeret. Nos nihil cuiquam detrahentes, mediam quandam secuti rationem, patenti via pergemus ad verum. Ac primo quidem de patriarchis deque vatibus dicamus, quos animi sui fiduciam in Messia posuisse, scientiamque habuisse summi mysterii, utique scimus pro certo. Tantæ rei cognitio, quoddam beneficium singulare fuit, quod Numinis quidem favor illis tribuerat, sed omnibus haud ex æquo. Minus enim clare hoc quidam sciverunt, etsi sciverunt tamen. Inter omnes, qui per illa tempora vixere, nemo fuit quisquam, qui plus crediderit, quam Abrahamus. Itaque de illo perquam magni-

magnifice ait iſtud ſervator hominum, *Abraham pater veſter geſtivit ut videret diem iſtum meum: & vidit* [1], *ac gaviſus eſt*. Quid poteſt pulchrius excogitari? Agitabat ille animo omnia magna atque excelſa: ſed munimenta non habebat, quibus inſiſteret: orbitas enim ejus, quia ſine liberis erat, ſpernebatur. Id angebat viri animum. Audivit vota ejus propitius Deus, & progeniem illi pollicitus eſt, quæ late regnaret: at ille ſtatim hinc altius aliquid meditatus eſt, & fore intellexit uti ex ſe [2] Meſſias oriretur: ita enim divus Paulus * interpretatur, *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit, Et ſeminibus, ut de multis: ſed ut de uno, Et ſemini tuo* [3], *qui eſt Chriſtus*. In eodem ordine Jacobum, Davidem, atque alios quoſdam, ſed paucos, locamus. Quæ cæteris contigit ejuſdem rei cognitio, obſcurior fuit: idque ſignificatum eſt illo Meſſiæ dicto, quod antea quoque citavimus, *Multi vates & juſti cupiverunt videre, quæ videtis, & non viderunt*. Utique, quem venturum ſciebant, cernere deſiderabant. Hæc fides illorum fuit. Deſideravit & Abrahamus. Hoc inter eos commune erat. At diverſitas in eo eſt, quod vidit ille, quæ videre cæteris haud datum eſt. *Abraham cupiit videre, & vidit, lætatuſque eſt*. Hæc Abrahami felicitas profecto non vatum modo, sed angelorum quoque excellit ſortem. De qua re nos certos facit divi Petri iſthæc oratio. ** *De qua ſalute inquiſiverunt prophetæ, ſcrutantes in quod vel quale tempus prænuntius ille, qui in ipſis erat, ſpiritus Chriſti, declararet eventuras Chriſto perpeſſiones, & gloriam illas conſecuturam: quibus patefactum eſt, eos non ſibi, ſed nobis ea adminiſtrare, quæ nunc annuntiata ſunt vobis, in quæ deſiderant angeli introſpicere*. De his, qui ſanctæ gentis capita fuere, quique futura vaticinati ſunt, ita habendum eſt, uti diximus. Atque id neutiquam obſcurum eſt. At multitudinem & vulgus piorum ſi cogites, jam exquiſitiore opus oratione eſt, uti expedias quid crediderint. Nobis haud committendum eſt, uti ullo pacto ſequi videamur quoſdam delirantium ſectarum duces, homines vaniſſimos & ſpiritu vertiginis actos, quorum opinio eſt, non eſſe Judæorum plebem tranſmiſſam in eum rerum ſtatum, in quem pios cunctos vindicavit Meſſiæ virtus. Plane enim contra ſentimus. Certum eſt, indubitatumque, quod Apoſtolus ait Hebræis ſuis, in capite nono, *ob id novi fœderis mediator eſt, ut morte intercedente in redemtionem earum prævaricationum, quæ fuerant ſub priore teſtamento, promiſſam æternam hæreditatem acciperent, qui vocati erant*. Enimvero ait expiatum eſſe, quod ante deliquerant Judæi. Neque alio pertinet, quod ſcribitur ad Galatas, in capite tertio, *Antequam veniſſet fides, ſub legis præſidio tenebamur, concluſi in eam fidem, quæ erat revelanda*. Hæc negare, id vero eſſet ad ſummum vecordiæ veniſſe. Non ſumus tam imprudentes. Scimus illis obtigiſſe cœleſtia bona. Sed de fide eorum, diſpiciendum amplius eſt. Age igitur, primo conſideremus, an non potuerint illis hæc omnia obtingere etiam ſine ſacra fide? Mox, ubi hoc palam fuerit, reliquum erit, uti &, fuiſſe in illis aliquam fidem, & cujuſmodi ea fuerit, oſtendamus. De priori capite ſic ſtatuimus; etiamſi multitudo nihil cognitum perceptumve habuiſſet de Meſſia [4], nihilo tamen minus cœleſtem beatitudinem dari illis potuiſſe propter patriarchas, qui Meſſiam mente intuiti ſunt, & fœderis hanc promiſſionem accepere a Numine, *Ero Deus veſter & poſteritatis veſtræ*. Hinc perſæpe Iſraelitæ in ſacro codice, cum veniam ab irato Deo, & inſuper magna impetrant beneficia, cœleſti voce monentur, uti hoc totum acceptum ferant majoribus ſuis, Abrahamo, Iſaco, Jacobo. Creber ille ſermo eſt in Pentateucho, & in vatum ſcriptis. Porro fœderis illius, quod cum patriarchis ſancitum diximus, ſponſor Meſſias fuit [5], qui ob eam cauſam a vate appellatur *angelus fœderis* [6]. Quare, quod ſi multitudini Iſraelitarum data ſic ſalus eſſet, propter Meſſiam data eſſet, profuiſſetque hoc illis, quod majores eorum tantis promiſſis quondam habuerant fidem. Et vero, qui hoc diceret, nihil faceret inſolenter, ſiquidem etiam bene eſſe infantibus illis exiſtimamus, quorum naſcentia fata mors abrumpit in vitæ limine: valet enim illis ad ſalutem pietas parentum, uſque adeo certe, uti divus Paulus dicat, liberos, qui nati ex altero parente impio ſunt, ſanctos tamen eſſe propter alterius fidem. Locus eſt in epiſt. 1. ad Corinth. in c. 7. *Maritus incredulus ſanctificatus eſt in uxore, & uxor incredula ſanctificata eſt in viro: alioqui certe liberi veſtri impuri eſſent: nunc autem, ſancti ſunt*. Non ignoro equidem, exſtare ſcripta graviſſimorum hominum, qui in infantibus, uti captus eorum eſt, ineſſe quandam ſacræ fidei vim tradunt. Sed hoc tam fatuum eſt, ut flagris caſtigari dignum ſit. Apoſtoli enim vox eſt, *** ὅτι ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, *ex auditione fidem eſſe*: addamus nos, *etiam ab aſſenſu*. Agant vero illi, quorum eſt iſtud delirium, & memoriam pueritiæ ſuæ, quoad poſſunt, repetant ultimam. Sane haud dicent ſe vel

illo

* *Ad Galat. cap.* 3. ℣. 16. ** *In* 1. *epiſt. cap.* 1. ℣. 10. *** *Ad Rom.* 10. ℣. 17.

illo tempore, cum inter æquales primulum ludere inciperent, quicquam magnopere compertum habuisse de summo religionis mysterio: aut, si dixerint, tum vero mihi incedant cum manicata tunica. Ita decet profecto: nam ab incunabulis sapiunt. Cæterum, haud abs re est, quod Israelitas cum infantibus composui. Causa enim, cur Numinis jussu in Arabum desertis per Mosen lata lex sit, hæc fuit, uti religionum ritus quidam cæremoniæque exstarent, iisque se elementis infans solaretur populus, donec in terras venisset promissus majoribus ipsorum Messias. Præclare divus Paulus ad Galatas ait in hunc modum: *Lex transgressionum gratia addita est, usque dum venisset semen illud, cui facta est promissio.* Et paulo post: *Lex nos, velut pueros, manu duxit ad Christum.* Sed apertissime, in cap. 4. *Nos, cum essemus infantes, sub elementis mundi eramus in servitutem redacti.* Ea elementa ibidem *infirma & egena* appellantur, quæ relinquere, & solidam veramque doctrinam capessere jussi sunt mortales, cum Messias venisset: quippe scriptum alibi est, *Mortui cum Christo estis & defuncti elementis mundi.* Quare, qui hodie supersunt Judæi, non amplius pueri sunt, nec sub pædagogo vivunt. Atque adeo, non pertinent nunc ad eos illa beneficia, quæ olim rudi infantique plebi propter majores dari potuisse diximus. Venit enim ille dies, qui virile quiddam atque consummatum ab illis requirit. Ex his, quæ retulimus, constat, fœdus olim duplex fuisse. Alterum cum patriarchis factum est, idque sancivit Deus promissionibus, quæ de Messia sunt. Hinc illa sunt in epistola ad Galat. * *Abrahamo dictæ sunt promissiones: pactionem autem confirmatam ante a Deo respectu Christi, Lex post annos* 430. *lata non facit irritam, ut aboleat promissionem.* Et in commentariis Actuum Apostolicorum dicitur, *Nos vobis, læta portantes, annuntiamus eam promissionem, quæ facta Patribus est.* Alterum fœdus cum multitudine pepigit Deus, sanxitque legislatione. In eo fœdere pariter, uti in priore, promissiones quasdam fecit Deus, sed earum rerum, quas ideo desperabat populus, quia vivere ex legis præscripto non poterat. Conanti enim officiebat naturæ infirmitas. Itaque quod scriptor Epistolæ ad Hebræos ait in capite octavo, *Christus excellentius ministerium sortitus est, quo præstantioris est fœderis intercessor, quod præstantioribus promissis sancitum est*: sane illic novi testamenti pactio non componitur cum fœdere, quod datum patriarchis est, sed cum eo, quod diu postea sancitum lege est. Locus ille obscurissimus est, & nisi commode sic, uti jam subjiciemus, explicetur, tenebras offundet sacræ scripturæ. Enimvero ita res est. Novi testamenti tabulæ haud promittunt res meliores, quam olim promissæ patriarchis fuere, neque *novum* dicitur testamentum, quasi veterem pactionem cum Abrahamo factam abroget, sed quia illius vi aboletur alterum illud fœdus, quod ccccxxx annis post priorem pactionem sancitum legibus est, in quo promissiones quidem fiunt populo, sed quas *deteriores* appellat Apostolus, quia conditionem illis adjecerat legislator, quam præstare nemo poterat. *Qui fecerit ea, vivet in eis.* At de Abrahamo, cui in priore pactione promissus Messias est, ait sacer spiritus in Genesi, *Credidit, & justus habitus est.* Hæc cum hunc in modum de priori illo capite dici perquam probabiliter possint, pergamus ad alterum, probemusque fuisse olim quandam fidei vim in multitudine piorum. Ac primo quidem, quæ in universum vulgus Israelitarum credere necesse habuit, ea ferme istiusmodi sunt; Dei virtute res posse maximas & admirandas perfici: certa esse illius promissa: colendum illum non vultu & fronte, quibus simulatio facillime sustinetur, sed animi obsequio: eam gloriam, eas opes esse pulcherrimas. Plura ejus generis referri queunt, cum ejus rei multæ sint magnæque affinitates. Sed nos nullis terminis eam circumscribimus. Ridicula superstitio est, de definitionibus semper sollicitum esse. Quædam enim haud recte limitantur. Ita rerum indoles fert. Profecto doctores umbratici, qui omnia in formulas includunt, sæpe in arctum desiliunt, unde pedem referre haud sinit pudor, & incepti lex. Hinc discordia, iræque, & nulla modestia contentionis. Apostoli & Evangeliorum scriptores, si brevi usura lucis ad mortalium cœtus redirent, mirarentur ad libros suos interpretandos tot esse analyses methodosque, & ex sophistarum nugis tot insanas moles convectatas. Divina quædam res est in eorum scriptis: horrida illa simplicitas, quam olim tanto quisque felicius secutus est hercle, quanto propius tempora illorum attigit. Nunc, in hoc mundi senio, postquam intra famelicæ artis spatia stetimus, levibus atque inanibus præceptis effectum est, uti corpus divinæ sapientiæ enervaretur & caderet. Sed non est hic nobis declamandum. Ad fiduciam illam, quam in universum ponere in Dei virtute promissionibusque debuit gens Israelitica, pertinent verba disertissima Divi Pauli in epistola ad Hebræos, aut quocunque nomine appellandus is author est, qui epistolam scripsit ad Hebræos: ** *Nobis*

* *In cap.* 3. ℣. 16. 17. ** *Cap.* 4. ℣. 2.

bis evangelizatum est, sicut & illis. Sed non profuit illis auditus sermo: quippe qui fide contemperatus non fuerit apud eos, qui audierant. Oratione usus est haud admodum adstricta. Nam, si veteres Israelitas spectes, Evangelismum appellat, promissionem quietarum sedium, quas in Cananæa sibi fore intellexerant iis, qui cum Mose Ægyptum reliquerunt. Illis autem sedibus plerique haud potiti sunt, hanc ob causam, quia in vastissimo deserto, inter varios casus, rerumque inter discrimina, identidem in querelas quasdam & seditiosas voces erumpebat incauta mortalitas, neque durare fortiter, aut semet rebus servare lætioribus poterat. Paulo ante * dixit divinus scriptor, *Quibus autem juravit, non ingressuros eos in requiem, nisi iis, qui non obedierant?* Nimirum hoc ait, exclusos fuisse *eos, qui immorigeri fuere*. Itaque fides, de qua ibi sermo est, fuit obsequium: incredulitas autem, contumacia erat & inobsequens affectus. Sed incredulitatis illius indoles manifestior est in illis verbis, quæ ibidem † scriptor epistolæ recitat ex Psalmo nonagesimo & quinto: *In deserto tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, & viderunt opera mea quadraginta annis: quapropter infensus fui nationi isti, & dixi: semper errant corde, neque cognoverunt vias meas.* Rursum vero ibidem, atque ex eodem Psalmo, alterum quendam melioremque eruit evangelismum: cui quisquis fidem haberet, is non Cananææ sedes animo contemplaretur, sed æternam cœlestemque quietem, quam non Josua, sed Messias, summus rex, suis civibus conficit. Hoc est ** in illis verbis, *si Josua eos in requie collocasset, nequaquam de alio posthac die locutus fuisset: itaque reliquus est aliquis sabbatismus populo Dei.* Enimvero ait eos, qui Josua duce in Cananæam venerunt, tamen propterea non frui cœlesti requie. Atqui jam dixit eos per fidem venisse in Cananæam. Ex quo profecto palam fit, fidem eam, quæ in Messiam est, haud ex omni parte eandem esse cum ista, quæ in universum Dei adhibetur promissionibus. Certe quidem ipse Moses prohibitus tranquillis Cananensium sedibus est, quia Numinis diffidebat virtuti, cum saxum feriret. Hæc fuit mera incredulitas, & expresse id scriptum est in vicesimo Numerorum: at idem tamen ille quantam spem in Messiæ meritis habuerit, discimus ex illis verbis; *** *Moses majores divitias arbitratus est probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros: conjiciebat enim oculos in mercedem, quæ sibi daretur.* Itaque quidquid de veterum Israelitarum incredulitate in capite tertio & quarto dicit Apostolus, id vero caute accipiendum est. Monet enim sui seculi Hebræos, magnopere providendum esse, ne illis ad capessenda bona cœlestia obsit sua incredulitas, quoniam profecto majores eorum, postquam Deum irritavissent, exclusi fuere beata illa regione, quæ meliorem hanc cœlestemque patriam figurabat. Hæc est simplicissima interpretatio illius loci, ex quo nunquam fore speraveram uti me expedirem. Omnis iste sermo nihil aliud nisi levitatem vanitatemque Hebræorum significat, qui in Arabum desertis, vitio humani ingenii, sæpe lapsi graviter sunt, & mala sibi sua accersivere. Quanquam haud fuit sane majus animi robur in illis, qui terram promissam intraverunt, quique sacra illuc & religionum transtulerunt cæremonias. Exstant de eo populo querelæ Numinis adeo multæ, uti in vatum libris utramque paginam faciant. Utique, si omnia persequi vellemus, magna nos circumflueret rerum copia. Sed breviter rem edisserit Sulpicius Severus, episcopus sanctissimus, &, Augustino judice, vir doctrina atque sapientia pollens. Ejus verba, quia elegantissima sunt, huc transcribam. *Semper Hebræi*, inquit, *in secundis rebus immemores cœlestium beneficiorum, idolis supplicabant: in adversis, Deo. Unde, cum reputare in animo soleo, populum tot beneficiis Dei obligatum, tot cladibus, cum peccaret, coercitum, expertumque & misericordiam & severitatem Dei, nequaquam fuisse emendatum, & cum semper veniam erroris acciperet, semper peccasse post veniam: nihil mirum videri potest, Christum ab his non esse receptum, cum jam inde ab initio toties in dominum rebelles deprehendantur: magisque mirum est, illis semper peccantibus, nunquam Dei, si quando eum imploraverunt, defuisse clementiam*. Satis diximus de fide, quam in universum Dei verbis commodare vetus Hebræorum debuit populus. Nunc tandem, quod caput rei erat, etiam illud dicimus, plebem piorum olim, antequam Messias venisset, de Messia quiddam certum cognovisse atque credidisse. Id demonstrari paucissimis quidem testimoniis, sed demonstrari tamen potest. In capite quarto Evangelii, quod scriptum a Joanne est, muliercula Samaritana ex communi & recepta pridem hominum opinione, Messiam, quem venisse ignorat, sic affatur, *Novimus Messiam venturum, cum venerit ille, omnia nobis annuntiabit.* Erant Samaritani residua pars Israelitarum, quos a Judæis olim Hieroboamus avulserat: ita-

* *Hebr. cap.* 3. ℣. 18. † *Ad Hebr. cap.* 3. ℣. 9. & 10. ** *cap.* 4. ℣. 8.
*** *Cap.* 11. ℣. 26.

itaque ignorare non poterant quod vulgo cuncti Hebræi ſuper hac re ſenſerunt. Luculenter Apoſtolus in capite undecimo epiſtolæ ad Hebræos, fidem eam deſcribit, cujus vim ingentem in omnibus piis fuiſſe ait. Ejus deſcriptio eſt iſtiuſmodi, *fides eſt illud, quo exſtant, quæ ſperantur, & quæ demonſtrat, quæ non videntur*. Subjicit exhinc, *ob hanc elogio ornati ſunt priſci illi*. Poſt hæc, omnis ævi faſtos percurrit. Fidei autem hujus laudem non ſummis modo populi ductoribus, ſed plebi quoque Iſraeliticæ tribuit, quæ Dei juſsis obſecuta, Ægyptum reliquit: ait enim: *per fidem tranſiverunt rubrum mare, velut per ſiccam terram*. Sane non poſſumus cogitare populum illum corpori tantum & ſenſibus fuiſſe deditum, cum eadem fides illi adſcribatur, per quam alii heroes qui in illo capite recenſentur, Meſſiam & cœleſtia contemplati ſunt. Exſtat hercle ibi * illud quod de Moſe jam recitavimus, *qui divitias putavit eſſe probrum Chriſti*. Et de aliis ibidem dicitur, *Secundum fidem mortui ſunt iſti omnes, eminus promiſſa conſpicati, ac profeſſi ſe hoſpites & advenas eſse in terra: meliorem enim patriam expetebant, hoc eſt, cœleſtem*. De Joſepho quoque illud ibidem haud de nihilo eſt; *Per fidem Joſeph moriens de egreſsu filiorum Iſrael meminit: deque oſſibus ſuis mandavit*. Enimvero ſciebat ille fore, uti in Cananenſium ſedibus olim Meſſiæ infantia vagiret: itaque quieſcere illic ſua oſſa voluit. Alioqui valde hæc profecto inepta ſollicitudo fuiſſet hominis ſapientiſſimi. Quid enim intereſt quo loco ſepeliare, cum nec illud tua interſit, an ſepeliare? Semel hoc beneficium dedit morientibus Deus: cœlo teguntur, quos urna non tegit. Mæcenas, cætera vita molliſſimus, hoc unum viriliter dixit,

Nec tumulum curo: ſepelit natura relictos.

Nondum illud retuli, quod ampliſſimis verbis de plebe Iſraelitica ſcribit ad Corinthios D. Paulus; ** *patres noſtri omnes eandem eſcam ſpiritualem ederunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant enim ex ſequente ſpirituali petra: petra vero erat Chriſtus*. Etiam, quæ ſequuntur mox, ſine piaculo non poſſunt omitti: *Ne tentemus Chriſtum, ſicut quidam patrum tentarunt, & a ſerpentibus perierunt*. Jam perveniſſe ad calcem videbamur, cum incidit in mentem nobis, nondum rem omnem nos enodaviſſe. Etenim exſtat Divi Pauli oratio ad Corinthios, quæ confutare id omne videtur, quod hactenus dictum a nobis eſt. Verba ſunt; *** *Moſes imponebat velamen faciei ſuæ, ne intuerentur filii Iſrael* εἰς τὸ τέλος τȣ̃ καταργȣμένȣ, *in finem ejus, quod aboletur*. Jam dubium neutiquam eſt, quin velamen Moſis, cæcitas ſit Judæorum: τὸ καταργȣ́μενον, eſt *lex cujus vis nunc ceſſat:* finis autem τȣ̃ καταργȣμένȣ eſt *Meſſias*: de quo ſcribitur ad Romanos; **** τέλος νόμȣ Χριςὸς, *finis legis eſt Chriſtus*. Sed profecto hæc res nullum momentum trahit, neque cauſæ eſt, cur ſententiam mutemus. Non enim ait eruditiſſimus Apoſtolorum, Judæos nihil de Chriſto cognoviſſe: ſed hoc vult, neſciviſſe eos quodnam fuerit Dei conſilium, cum legem ferret. Lex enim cæremoniæque omnes Chriſtum ſpectabant: idque erat myſterium admirabile, & quod Judæi de plebe olim haud intellexere: & tamen venturum Meſſiam, atque res lapſas feſſaſque reſtauraturum didicerant cuncti, ex vatibus utique, non ex lege. Hæc nos, quæ in ſacro codice obſervavimus de re intricatiſſima, ingenue ſic publicare neutiquam veriti ſumus. Diximus autem neque omnia, neque nihil. De ſingulis operoſe diſputare, atque argutias ſerere, noſtrum haud eſt, ſed nec cujuſquam ſani hominis. Non debet cœleſtis ſapientia in has anguſtias ex ſua majeſtate detrahi. Nec vero ii ipſi, quibus hoc facere cura eſt, quidquam magnopere proficiunt. Nihil enim ſibi, niſi flexus diſponunt, quos cum magna moleſtia debeant relegere.

* *In Epiſt. ad Hebr. cap.* 11. ℣. 26. ** *In* 1. *epiſt. cap.* 10. ℣. 3. & 4.
*** *In* 2. *epiſt. cap.* 3. ℣. 13. **** *In cap.* 10. ℣. 4.

NOTÆ AD CAPUT NONUM.

1 *Vidit*) Vidit, dum in immolatlone filii ſui Iſaac Chriſtum pro ſalute humani generis immolatum iri per prophetiæ Spiritum recognovit.

2 *Ex ſe*) Prævidit & gaviſus eſt Abraham dum in Spiritu Chriſtum ex ſua ſtirpe naſciturum cognovit. vid. *Zeger. in annotat.* ad h. l. *Joh.* VIII.

3 *Et ſemini tuo*) Vide de hac re reſponſionem *Brandan. Henr. Gebbard.* calumniis *R. Iſaac. Ben Abraham.* oppoſitam *pag. m.* 215. edit, *Gryphiſwald.* 1699. *Vall. annotat. ad Galat.* 3. Bene Grot. ad h. l. commentatur ita ſcribens: Καὶ τῷ σπέρματι. Recte, inquit, nam quod uno loco Gen. XII. 3. dictum erat Abrahamo, id Gen. XII. 18. de ſemine ejus dicitur, ut intellligamus illud magnum bonum eventurum humano generi per *Abrahamum*, quia ſcil. ex ſanguine *Abrahami* ſit exſtiturus, qui id effecturus ſit. Nam quanquam Hebræum זרע plurali numero dici non ſolet, poterat tamen Moſes uſurpaſſe vocem בנים aut ילדים quæ iſti Græco σπέρμασι reſponderet: at id non fecit, quia indicabat, unum aliquem fore inter poſteros Abrahami eximium, qui illud bonum Gentibus eſſet allaturus, &; illum ex


Iſaa-

Isaaco. Hic erat Christus. vid. *Henric. Ainsworth. comment. in Gen.* xii. *fol.* 50. *& fol.* 86. *in Gen.* XXII.

4 *Nihil cognitum de Messia*) Falsum hoc est, quod Autor noster hoc loco statuit, Judæos cœlestem beatitudinem habere seu impetrare potuisse, licet de Messia nihil cognitum habuerint. Nam extra Christum nulla salus nulla justificatio. Nemo negabit fidem Patriarcharum in Christum fuisse. vid. cl. Heidegger. histor. Patriarchar. Exercit. iii. pag. m. 96. 97. Confer. *Maxim. Rever. D. Major Fautor & Amicus noster æternum venerandus in Theolog. Judaic. Loc.* viii. *de Messia qui fuse & erudite & Loc.* ix. *de Justificat. pag.* 159. 160.

5 *Sponsor Messias fuit*) Veteres in V.T. sciebant, se non aliter quam per Messiam mediatorem consequi posse justitiam & salutem, inde eum invocabant sponsorem. Hinc David Psalm. cxix. 122. dicit: *Sponde pro servo tuo*. Bene *Raschi* per vocem Garantie vernacule exponit. *Esto fide jussor pro me contra malum*. Idem Hiskias Esa. xxxviii. 14. Ex his satis constat, quænam fuerit de causa Justificat. doctrina in V. T. non sane alia, quam hodie Christianorum. Confer. huc *prælaudati doctiss. Maii Tract. cit. Loc.* ix. *pag. m.* 160. *edit. Gissens.*

6 *Angelus fœderis*) De hoc videatur dissertatio sub præsidio Frischmuti a *Paulo Heigelio* habita. edit. Jen. 1660. capit. 2. ubi perdocte & acute demonstravit, Angelum fœderis nullum alium, quam Messiam esse. Cætera quæ in hoc capite vel male vel bene dicta sunt a Theologis nostratibus satis sunt enucleata, in quorum segetem falcem mittere nolumus.



JURIS

JURIS
HEBRÆORUM
LEGES CCLXI.

Juxta Νομοθεσίας Mosaicæ ordinem, atque seriem depromtæ, & ad Judæorum mentem explicatæ

DUCTU

RABBI LEVI, BARZELONITÆ;

AUTORE

JOHANNE HENRICO HOTTINGERO.

SERENISSIMO, CELSISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO

D. CAROLO LUDOVICO

PRINCIPI PALATINO,

S. R. I. ELECTORI & ARCHI-THESAURARIO DUCI BAVARIÆ, &c.

Domino meo Clariſſimo

Hos de Jure Hebræorum Aphoriſmos devotiſſimo cultu dico, & nuncupo,

JOHANNES HENRICUS HOTTINGERUS.

NOLI mirari, PRINCEPS SERENISSIME & CELSISSIME, me etiam, inter tot occupationes, & concatenata negotia Celſitudinis Tuæ, otio Tuo invidere & quieti. Voluiſti, quæ, pro Domo DEI, cura TUA eſt, ut, ſede mea relicta, Heidelbergenſi Academiæ, quæ ἔρεισμα nuper erat, & ſanctum ſanctiſſimarum Muſarum domicilium, ex quo, tanquam equo Trojano, prodiit, quicquid eruditionis, Theologicæ cumprimis, nomine inclaruit, operam meam locarem. Non certe honorificum cum magis olim Medicorum filiis fuit Alexandriam ſalutaſſe, quam Theologis Heidelbergam. Parui ego, & comparui, munere hoc, chartaceo quidem, Tanto tamen Principe non plane indigno, inſtructus. Opportune enim accidit, ut cum, gratioſiſſimæ vocationi Tuæ ſatisfacturus, ad iter me accingerem, hic *Juris Hebræorum* tomus ad finem vergeret. Nonne vero *opportune*, & divina quaſi virgula contigiſſe, dicam, eo me tempore, nihil tale cogitantem, in Legis Moſaicæ præceptis enodandis & enucleandis fuiſſe occupatum, quo Tu, CELSISSIME PRINCEPS, ſpartam Theologicam, Veteris Teſtamenti Profeſſionem, humeris meis imponere voluiſti? Neqúe enim Judaicæ tantum politiæ (quæ hercle non hominem quenquam, mortali concretione ſatum, ſed ipſum DEUM immortalem, authorem fundatoremque habet, cujuſque venerationem Celſitudo Tua, atque cultum ſuſcipit atque tuetur) felicitas fuit, ut Reges ad gubernacula admiſſi, & in ſolio collocati, Νομοθεσίαν Moſaicam *deſcriberent* (Deut. 17. v. 18. 19. 20.) *ex illo volumine, quod penes Sacerdotes erat, illudque ſecum haberent, & legerent omni vita ſua, ut diſcerent vereri Deum ſuum, ejuſque ſanctiones obſervare, &c.* in Novo etiam Teſtamento Tabularum Moſaicarum cuſtodes eſſe voluit ὁ Ἀρχιποίμην, Jeſus Chriſtus, τὸς ποιμένας λαῶν, Reges, Principes, omneſque ἐν τῇ ὑπεροχῇ ὄντας. Habet, fateor, hæc Juris Hebraici, ad Rabbinorum mentem inſtituta explicatio, torta nonnunquam, jejuna & inſulſa, adeoque a Judaica cœcitate minime aliena gloſſemata, quæ propterea omiſſa nolui, ut, quam periculoſum ſit, deſerta ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαινόντων λόγων, ad σεσοφισμένες μύθες delabi, ſerio expendant illi, qui

etiamnum in eodem παρεμμηνεῶν luto, non ſine præſentiſſimo animæ diſcrimine, hærent: Tantum illa nihilominus bonæ frugis, tantumque ſucci Lectori relinquit, ut de perdita in hoc opere a me opera jure conqueri nemo poſſit. Hunc ergo fœtum, Tiguri quidem, proxime ante meum illinc diſceſſum, natum, Heidelbergæ vero hac προσφωνήσει munitum, ut Tuum eſſe velis & jubeas, qua poſſum animi obſervantia oro, rogoque Magnorum nempe, in Eccleſia & Schola Tigurina, Anteceſſorum meorum exemplo, nova quaſi ſyngrapha teſtari volui, veriſſimum eſſe, quod feliciſſimus Helvetiæ noſtræ Polyhiſtor, *Rodulphus Hoſpinianus* poſteritati commendatum voluit: *Laudatiſſimorum Principum Palatinorum ſtirpis in totam Helveticam gentem, imprimis autem in patriam meam, hoc eſt, Tigurinam Rempublicam, multa beneficia & præclara merita exſtare, quæ adhuc in Annalibus noſtris magna cum laude, & grata memoria celebrantur.* Hoſp. præf. in lib. v. de Templis, &c.

Celebratur debito encomio magna, pro conſervanda Helvetici fœderis integritate, cura, qua Electores Palatini patriam noſtram ſunt amplexi. Poſſem, ſi hoc ageretur, domeſticis teſtibus palam facere, quanta ſollicitudine, quantoque pacis ſtudio, & patriæ amore, Sereniſſimi Majores Tui Helvetiam, inteſtinis diſſidiis ſemel atque iterum diſtractam compoſuerint.

Celebratur inſignis Illuſtriſſimæ & Celſiſſimæ familiæ Palatinæ, de Eccleſiis noſtris æſtimatio atque judicium, toti Helvetiæ adeo honorificum, ut honorificentius nihil expectari vel poſſit vel debeat. Non archiva modo noſtra, &, tum privata multorum ſcrinia, tum publica eruditorum monumenta; ſed ipſa quoque experientia quotidiana fidem aſſertioni noſtræ abunde faciunt. Tuo enim, Celſiſſime Princeps, zelo, Tua pietate, Tuo, in abſtruſas etiam & Orientales (cujus in ipſo ſtatim primo congreſſu luculentiſſimum dediſti ſpecimen) literas, & literatos factum eſt amore, ut non aliis modo Helvetiis in Eccleſia Heidelbergenſi; ſed & mihi Tigurino, in Academia aſſignaretur locus, vel propter ſolos Prædeceſſores, Heroes profecto, & ſua ubique virtute atque eruditione radiantes, φεικτός. Grave & vere δυσβάστακτον onus fateor; non tamen excutiendum, quod ſic in fatis eſſet, & multorum piorum votis. Velit & faxit DEUS, ut qualiſcunque hæc mea opera; C. T. grata, Eccleſiæ ſalutaris, Academiæ utilis; omnium bonorum expectationi reſpondeat. Sed deſinam prolixiori præfatione in publica peccare commoda. DEUM ſupplex veneror, ut Celſitudinem Tuam, cum Illuſtriſſima ſtirpe Palatina benedictionis rore aſpergat, curæque ſuæ umbone tegat & regat, ad ſanctiſſimi Nominis ſui gloriam, afflictorum ſolatium, Religionis incrementum, omnium denique bonorum aſylum: quod quidem votum eſt

Sereniſſimæ Celſitudinis Tuæ

Heidelbergæ, d. V. Auguſti,
M DC LV.

obſervantiſſimi

JOH. HENRICI HOTTINGERI.

JUS



JUS HEBRÆORUM
SEU
ΝΟΜΟΘΕΣΙΑ
HEBRÆO-MOSAICA
PRÆCEPTIS SEXCENTIS TREDECIM ABSOLUTA.

DE Verbo DEI, seu cognoscendi principio quid Judaei credant & tradant, alibi operose tradidimus; Nempe

A. Verbi DEI distinctas esse duas species, quarum illa ἔγγραφος sit, hæc ἄγραφος. Utramque pari authoritatis passu ambulare. Vide *Thesaur. Philolog. pag.* 560. & deinceps

B. Verbum ἔγγραφον & legendum omnibus; *ibid. pag.* 89. & in linguas vernaculas transferendum; *ibid. pag.* 251. & deinc.

C. Idem viginti quatuor libris, pro numero literarum Alphabethicarum absolvi; *ibid.*

D. Neque libros Apocryphos; *ibid. pag.* 522. neque Novum Testamentum; *ibid. pag.* 517. Verbo ἐγγράφῳ annumerari.

Restat, ut promissi jam, in eodem *Thesauro pag.* 546. facti, memores, de Legis sensu paulo plenius agamus. *Mirum autem est* (inquit *Buxtorf.* Synag. Jud. cap. I. p. 29.) *quam hic sese exerat sapientissimorum Rabbinorum superbia. Plebi namque & infimæ Judaicæ multitudini persuadent, se sanctum illum, circumcisum & electum Dei esse populum, qui non solum decem Dei præcepta, sed etiam totam Legem Mosis observare possit. Ulterius quoque progressi. Mosen, imo Deum ipsum in ordinem redegerunt, ac totam Legem Mosis in sexcenta & tredecim præcepta diviserunt, Affirmativa scilicet & Negativa. Affirmativa, sive jubentia sunt ducenta quadraginta octo, juxta numerum membrorum corporis humani: tot enim ex anatomia Rabbinica membra corporis esse affirmant. Præcepta negativa sive prohibitiva, trecenta sexaginta quinque constituunt, juxta numerum dierum anni solaris, vel (ut habetur in libro, quem Germanice* Brandspieget *appellant, Cracoviæ & alibi excuso) juxta numerum venarum in corpore humano. Si igitur singula hominis membra singulis diebus unum mandatum observaverint, & ab uno interdicto sibi caverint, non solum Dei præcepta decem, sed etiam tota lex Mosis singulis annis, imo in æternum, bene ab illis observata fuerit. Præterea dicunt, horum 613. præceptorum observationi solos viros esse obnoxios; mulieres vero non ad omnia adstrictas esse. Has enim volunt omnia quidem* (aliter tamen author *lib. Chin.* pag. 9. b.) *præcepta prohibitiva, sed jubentia nequaquam universe & per omnia, observare teneri. Quædam enim præcepta statis solum temporibus observanda sunt, non autem quotiescunque libet; quædam etiam ad mulieres omnino non pertinent, ut Circumcisio, officium Sacerdotum & Levitarum, Primogenituræ, & alia id genus: interdum etiam quædam præcepta præstare non possunt propter maritos, qui jus habent illis imperandi, illasque vel invitas ad alias*

alias operas cogendi. Uxores enim maritis ſuis obtemperare & miniſtrare tenentur. Et ſi quis exactius inquirere, & rationes inire voluerit, inveniet, mulieres 64. tantum præceptis negativis, & 36. affirmativis obnoxias eſſe. Hæc nempe a prudentiſſimis Rabbinis circa obſervationem Legis, gratia facta eſt mulieribus, eo quod non ſemper otioſæ ſint, & multis aliis negotiis domeſticis, ut ciborum præparatione & coctione, lotione, liberorum educatione, & variis maritorum mandatis exequendis occupatæ. Porro autem nondum ſatisfecit Judæis numerus ille præceptorum modo commemoratus; ſed orti ſunt quidam ſapientes, & ſumma pietate præſtantes viri, qui ſuperioribus præcepta ſeptem adhuc addiderunt, ita ut ad 620. excreverit ſumma, quot ſcilicet ſunt voces in Decalogo Hebraico, quotque in numeris conficit vox כתר, *quæ* coronam *ſignificat*. Caph *enim*, Tau, Reſch, *ſexcenta & viginti conſtituunt. Nempe ſi quis hæc omnia præcepta obſervare poſſet, totius orbis Corona foret. Neceſſum tamen eſt, ut obſerventur: Mundus enim ſubſiſtere non poteſt, niſi propter præcepta, &c.* Alii, *pro numero literarum Decalogi præcepta eliciunt* 613. Vide *Lex. Talmud. Buxtorf.* 1895. *Fag.* in Paraph. Onkel. Lev. cap. 4. v. 1. Memorabilis hac de re locus eſt *Exc. Gemar. Maccoth*, cap. 3. אלו הלוקין, qui ſic habet: דרש ר׳ שמלאי תרי״ג מצות נאמרו למשה בסיני שס״ה כמנין ימות החמה רמ״ח כנגד איבריו של אדם אמר רב המנונא ומא קרא תורה צוה לנו משה תורה בגימטריא הוי הכי תורה שית מאה וחד סרי הוייך אנכי ולא יהיה לך מפי הגבורה שמענום בא דויד והעמידם על י״א דכתיב מזמור לדוד יי׳ מי יגור באהליך ומי ישכון בהר קדשך הולך תמים ופועל צדק ודובר אמת בלבבו וגו׳ בא ישעיהו והעמידן על שש שנ׳ הולך צדקות ודובר מישרים וגו׳ בא מיכה והעמידן על ג׳ שנ׳ הגיד לך אדם מה טוב ומה יי׳ דורש ממך כי אם עשות משפט ואהבת חסד והצנע לבת עם יי׳ אלהיך וכו׳ חזר ישעיהו והעמידן על שתים שנ׳ כה אמר יי׳ שמרו משפט ועשו צדקה בא עמוס והעמידן על אחת שנ׳ כה אמר יי׳ לבית ישראל דרשוני וחיו מתקיף ליה רב נחמן ודילמא דרשוני בכל התורה כולה אלא בא חבקוק והעמידן על אחת שנ׳ וצדיק באמונתו יחיה i. e. *Obſervat R. Schamlai: Præcepta* 513. *dicta eſſe Moſi in monte Sinai*; 366. *pro numero dierum anni ſolaris*; 248. *pro numero membrorum hominis. Dixit Raf Hamenuna, qua Scripturæ authoritate confirmatur?* תורה *Legem præcepit nobis Moſes* תורה *per Gematriam facit* 611. *Duo iſta præcepta*, Ego &c. Non erit tibi &c. *ex ore potentiſſimi audivimus. David venit, & illa ad undecim redegit*, q. d. Pſalmus Davidis; Domine, quis commorabitur in tabernaculis tuis, & quis habitabit in monte Sanctitatis tuæ? qui integer ambulat, & qui operatur juſtitiam, & qui loquitur veritatem in corde ſuo. *Pſal.* 15. 1. *Venit Eſaias, & illa redegit ad ſex*, q. d. Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur rectitudines, &c. *Venit Michas, & redegit illa ad tria*, q. d. Indicavi tibi o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus poſtulat a te, niſi ut facias judicium, & deligas benignitatem, & verecunde ambules cum Domino Deo tuo, &c. cap. 7. v. 8. *Rurſus Eſaias ad duo contraxit*, q. d. Sic dixit Dominus: Obſervate jus, & facite juſtitiam, cap. 56. 1. *Amos denique ad unum omnia redegit*, q. d. Sic dixit Dominus domui Iſrael; quærite me, & vivite, cap. 5. v. 6. *Reprehendit eum R. Nachman, & forte, inquit, illud*; Quærite me, pertinet ad totius legis obſervationem; *Sed venit Habakukus, & redegit ad unum*, q. d. & juſtus in fide ſua vivet. Atque de his præceptis, eorum ſenſu & explicatione multa exſtant Judæorum ſcripta, ut ſunt 1. עמודי גולה *columnæ exilii*, ſeu סמ״ק *Liber præceptorum parvus* Rab. Iſaki, filii Joſeph Corbolenſis. 2. מאירת עינים *Illuminans oculos*. 3. כתר תורה *Corona Legis*, quæ etiam eſt explicatio Talmud. 613. præceptorum. 4. אור עינים *Lux oculorum* i. e. ספר קניין חכמות על תרי״ג מצות *Liber ad comparandas artes per* 613. *præcepta*. 5. ספר חרדים Liber 613. præceptorum, qui docet, a quonam ex quinque ſenſibus ſingula dependeant, quaque ratione ſint obſervanda. 6. יריעות עזים *Cortinæ caprinæ*. Verſibus 613. præcepta redduntur. 7. R. *Maimon.* præf. Jad Chazaka, cum notis Ramban. Noſtro tempore eandem ſuſcepit operam *Iſaacus Atias*, qui an. Chr. 1627. Venetiis præcepta Moſaica cum explicatione ſua Hiſpanice edidit. Ejus ductum Clariſſimus D. *Mareſius* ſecutus Theologiam ſuam moralem, ſeu Practicam, cujus aliquot jam ſpecimina vidimus, adornare conſtituit. Et certe nobis aliquandiu inter primas curas fuit, hac ipſa Methodo Theologiam ſeu Νομοθεσίαν dare Moſaicam, Judæorum quidem verbis propoſitam, ſed ex Scriptura elicitam dicam, an, ſi non ſemper, ſæpius tamen, extortam? Et, ut plena ſatis eſſet hæc tractatio, propoſueram, collatione inſtituta, non aliorum modo verporum, ſed & Chriſtianorum Legis Interpretum examinare judicia & ſententias: Adjicere inſuper Theologiam Judaicam, & Hiſtoricam ἔνδειξιν, qua, quid Gentiles, quid Chriſtiani, &c. ex hac lege ſuum fecerint, docerem. Quia vero ſolus hic præceptorum Cathalogus pleraque Theologiæ Judaicæ arcana fideliter recludit, de prolixiori illa opera maturius, σὺν θεῷ, deliberabimus. Hac vero vice, more Catechetico, id eſt brevi & ſuccincto, præcepta ex libro *Chinuc*, i. e. *Catechiſmo* R. Levi Barzelonitæ ſubjicere,

& de

& de usu eorundem ex Hebræorum mente agere, malui, quam curiosum Lectorem diutius hoc rerum & Historiarum Judaicarum compendio fraudare. Habet quidem etiam ex Latinis *Genebrar.* translationem præceptorum Mosaicorum; sed nimis jejunam, nullisque vel authoritatibus, vel explicationibus vestitam; *Paulus Ricinus* vero suam nonnunquam adjecit ἐξήγησιν, sed ne hanc quidem impedire, quo minus & nobis in talem excurrere liceat campum, facile ex ipsa collatione patebit. Placuit præ cæteris, *Catechismus* ille *R. Levi*, tum quod de optima ille nota nobis aliquando commendatus fuerit a Nobilissimo & Celeberrimo Leidensium nuper Theologo, *Constantino L' Empereur*, tum etiam, quod nemo nobis præceptorum examen dederit tanta brevitate accuratius. Uno atque altero exemplo probabimus, quam & Maimonidis, & aliorum subsidia in hac materia plane non essent contemnenda: in cæteris R. Levi authoritas abunde satis faciet. Spero autem, rem me gratam facturum non Linguæ tantum Hebraicæ, Antiquitatis & Juris; sed & Theologiæ studiosis. Quot enim hic præcepta, tot loca Pentateuchi ex Judæorum, intermediorum & modernorum, mente explicantur.



SECTIO

SECTIO PRIMA.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ PRIMÆ

a Gen. 1, ad cap. 6. verſ. 9.

Præceptum habet Affirmativum unicum;

De Conjugio.

I. פריה ורביה *Fructificatio & multiplicatio*, id eſt, τεκνογονία, ſeu τεκνοποιΐα, cujus fundamentum Judæi nonnulli oſtendunt *Geneſ.* 1. v. 27. ויברך אותם אלהים ויאמר להם פרו ורבו. *Et benedixit iis Deus, dixitque Fructificate & multiplicamini, &c.* de quo Judæi tradunt.

A. Præceptum hoc baſin eſſe & fundamentum, cujus gratia reliqua omnia tradi potuerint. *R. Levi* : היא מצוה גדולה שבסבתה מתקיימות כל המצות בעולם כי לבני אדם ניתנו ולא למלאכי השרת. *Eſt hoc præceptum magnum, cujus cauſa conſtituta ſunt omnia præcepta mundi, utpote quæ hominibus tradita ſunt & non Angelis miniſterii.*

B. Finem ejus eſſe propagationem generis humani, & Theatri hujus, ſeu orbis habitabilis, κόσμον. *R. Levi* משרשי המצוה זו כדי שיהיה העולם מיושב שהשם בה׳ חפץ ביישובו. *Ex fundamentis hujus præcepti eſt, ut mundus ſit habitabilis; id enim Deus benedictus fieri voluit.*

C. Teneri hoc præcepto hominem omni loco & tempore. *R. Levi* נוהגת בבל מקום ובכל זמן וחייב האדם להש תדל בה משהוא ראוי לה והוא הזמן שנתנו חכמים ז״ל לישא אישה ומצוה זו אינה מוטלת על הנשים והמבטלה ביטל עשה וענשו גדול מאד שמראה בעצמו שאינו רוצה להשלים חפץ חשם לישב עולמו. *Obtinet omni loco & tempore, ita ut teneatur ei * homo dare operam primum atque aptus, conſecutus fuerit terminum, quem præfixerunt Magiſtri noſtri ducendæ uxori. Hoc autem præceptum mulieribus non eſt impoſitum. Tranſgreſſor violat affirmativum, quem proinde magna manet pœna, quod complere noluerint voluntatem Dei ad habitabilem faciendum Mundum ejus.* Quid? quod latronis ſimilis fuerit legis hujus violator, juxta illud *Eliezaris* : כל שאין עוסק בפריה ורביה כאילו שופך דמים ש׳ שופך דם האדם באדם דמו ישפך וסמיך ליה ואתם פרו ורבו. *Quicunque non operam dat præcepto multiplicationis & fructificationis, ſimilis eſt illi, qui ſanguinem effundit, ſicut dicitur;* Qui ſanguinem effundit, ſanguis ejus effundetur; *cui proxime adjacent verba.* Vos autem multiplicemini & fructificetis. Excipiunt tamen illos, quos jam gemina proles fecit parentes. Unde *Talmud. Cod.* נשים tract. יבמות cap. *6.* pag. *79.* לא יבטל אדם מפריה ורביה אלא אם כן יש לו בנים בית שמאו אומרים שני זכרים ובית הלל אומרים זכר ונקבה שנ׳ זכר ונקחב בראם. *Non ceſſabit homo a præcepto multiplicationis & fructificationis, antequam habeat liberos. Domus Schammai ponit duos filios. Domus Hillel, maſculum & fæmellam, ſicut dicitur;* Maſculum & femellam creavit eos. Confer. *Maim.* Hilc. Iſch. c. 15. S. 1. Liberum tamen conjugii uſum ad tempus (alioquin enim eum, qui 20. ætatis anno uxoratus non eſt, legem violaſſe ſcribit, initio termini facto ab anno 16. aut 17.) facit illi, qui, ſtudiis Theologicis occupatus, rebus domeſticis vacare non poteſt ואם היה עוסק בתורה וטרוד בה והיה מתירא מלישא אשה כדי שלא יטרח במנונות בעבור אשתו ויבטל מן התורה הרי זה מותר להתאחר שהעוסק במצוה פטור מן המצות וכל שכן בתלמוד תורה מי שחשקה נפשו בתורה תמיד ושונה בו כבן עזאי ודבק בה כל ימיו ולא נשא אשה אין בידו עון והוא שלא יהיה יצרו מתגבר עליו אבל אם היה יצרו מתגבר עליו חייב לישא אישה וא פילו היו לו בנים שמא יבא לידי הרהור i. e. *ſtuduerit Legi in ea, metuatque ducere uxorem, ne diſtrahatur quærendo alimentum propter uxorem, & ita ceſſet a Lege; tali, inquam, licet terminum differre. Occupatus enim præcepto, liber eſt a præceptis, quanto magis, qui ita operam dat doctrinæ Legis, ut eam anima ejus ſemper deſideret, eamque repetat, exemplo filii Azai, & ei omnibus diebus adhæreat: Qui hac conditione uxorem non ducit, non peccat, ſi nempe concupiſcentia ei non prævaleat;*

* *Non omnis homo. Maimon. Cap. V. de mulieribus.* Quicunque animum ſuum ad legem perpetuo adjungit, eamque repetit, & meditatur, eique per totam vitam ſuam adhæret, ſi uxorem non ducit, non peccat. *Immo erat ſummæ perfectionis. Maimonides de fundamentis legis. Cap.VII.* -- Moſes doctor noſter non eſt reverſus domum ſuam priorem, ideoque ab uxore ſua aliiſque fœminis perpetuo ſejunctus eſt, adhæſitque mens ejus Deo. *Non ſolum nonnulli homines, ſed Eſſæni omnes perpetuo vitam cælibem ducebant; vide Juchaſin.*

valeat; Sin autem prævaluerit, tenetur ducere uxorem, etsi vel maxime liberos habuerit, ne incidat in cogitationem pravam: Non plane abit a mente Apostoli Pauli 1. Corinth. 7. vers. 8. 9. Plura de hoc præcepto habet *Buxt.* de Sponsal. & Divort. pag. 9.

D. Etsi duobus potissimum apud Hebræos modis fiat desponsatio, *pecunia*, vel re, pecuniæ æquivalente; & *scriptura*; nuspiam tamen apud veteres annuli pronubi fit mentio; Vid. *Histor. Eccles.* P. IV. p. 129. Pecunia vero adeo necessaria est, ut nisi occurrat alia, Legis propterea librum vendere liceat. Unde illud אמר ר׳ יוחנן משום רשב״ג אין מוכרין ס״ת אלא ללמוד תורה ולישא אשה. *Dicit R. Jochanan nomine R. Simeonis filii Gamalielis; Non vendunt librum Legis, nisi ad discendam Legem & ducendam uxorem*, i. e. propter δίδακτρον, & dotem. Hanc alii consuetudinem ex Scriptura accersunt, alii ab authoritate Rabbinorum. Illud notæ marginales ad *Maim.* volunt, hoc ipse *Maim.* qui Hil. Isch. c. 1. S. 1. ita loquitur: קודם מתן תורה היה אדם פונע אשה בשוק אם רצה הוא והיא לישא אותה מכניס לתוך ביתו ובועלה בינה לבין עצמו ותהיה לו לאשה כיון שנתנה תורה ניצטוו ישראל שאם ירצה האיש לישא אשה יקנה אותה תחלה מפני עדים ואחר כך תהיה לו לאשה שנ׳ כי יקח איש אשה. *Ante Legislationem, si vir incidit in mulierem, in platea, si placuit utrique conjugium inire, introduxit eam domum suam, eamque sibimet desponsavit, ut esset ei in uxorem. Cum autem Lex esset lata, mandatum est Israeli, ut si quis vellet ducere uxorem, eam primo acquireret præsentibus testibus, eique postea esset in uxorem*; sicut dicitur: Cum vir duxerit uxorem. Cætera pete ex *Maim.* Hil. Isch. præsertim cap. 15. *Sepher Miz. gad.* Aff. 49. *Seph. Miz. kat.* S. 296.

SECTIO II.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ TERTIÆ

a Gen. cap. 12. ad cap. 18.

Præceptum habet Affirmativum unicum;

De Circumcisione.

II. מילה *Circumcisio*, quam & ברית מילה *fœdus Circumcisionis* appellant, & מסטורין μυστήριον; argumento loci *Genes.* 17. v. 8. 9. coll. cum *Levit.* c. 12. v. 3. ubi præceptum: *Die octavo circumcidetur præputium carnis ejus*; repetitur. De hoc Sacramento ex Judæorum mente secundum quatuor causarum genera ordine agemus.

Causa efficiens principalis est vir tantum, non mulier: & quidem olim pater vel familias, vel Synedrii; אין הנשים חייבות במילת בניהן אלא האב או ב״ד במקום שאין להן אב. *Non debent mulieres circumcidere filios suos, sed pater, aut domus judicii, ubi pater non est. Maim.* a cæteris nonnihil recedens, circuncidendi curam gentili tantum abjudicat: Sed nota marginali castigatur. Hodie suum habent מוהל artis peritum; vide *Synag. jud.* pag. 77.

Instrumentalem causam exprimit *Maim.* Hil. Mil. c. 2. S. 1. ובכל מלין ואפילו בצור וזכוכית ובכל דבר שכורת ולא ימול בקרומית של קנה מפני הסכנה. *Circuncisionem peragunt qualibet re, etiam silice, (lapide acuto) vitro, & omni re alia quæ scindit, non tamen circuncidunt fragmento cannæ, propter periculum.*

Materia sive objectum est ערלה *præputium*, de cujus vocis homonymia agit auth. *Jelamedenu* pag. 8.

Forma tum verbis peragitur, tum facto. Verba recitat *Maim.* Hil. Mil. cap. 3. S. 1. המל מברך קודם שימול אשר קדשנו במצותיו וצונו על המילה אם מל בן חבירו ואם מל את בנו מברך וצונו למול הבן ואבי הבן מברך ברכה אחרת ברוך אתה יי׳ אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו להכניסו בבריתו של אברהם אבינו. *Circumcisor benedicit antequam circumcidat; Qui sanctificavit nos, & præcepit nobis circumcisionem; si circumcidat filium socii sui: Quod si vero suum circumciderit filium benedicit; Qui præcepit nobis circumcisionem filii. Pater autem filii benedicit benedictione alia: Benedictus es Domine Deus noster, Rex Mundi, qui sanctificavit nos præceptis suis, & mandavit nobis, ut introducamus eum in fœdus Abrahami patris nostri.*

Factum, seu modum circumcisionis idem

idem ſuppeditat lib. cit. cap. 2. S. 2. כיצד מוהלין חותכין את כל העור המחפה העטרת עד שתתגלה כל העטרה ואחכ׳ פורעין את הקרום הרך של מטה מן העור בצפורן ומחזירו לכאן ולכאן עד שיראה בשר מן העוטה ואחרכך מוצץ את המילה עד שיצא הדם ממקומות רחוקים כדי שלא יבא לידי סכנה וכל מי שלא מוצץ מעבירין אותו ואחר שמוצץ נותן עליה אספלנית או רטייה וכיוצא בהן. *Quomodo circumcidunt? Præcidunt omnem cutem, quæ operit glandem penis, uſque dum mentula plane fuerit detecta : poſtea denudant* (hæc etiam actio פריעה *denudatio* peculiariter vocatur) *membranam tenuem, quæ infra cutem, pollice, eamque ultro citroque trabunt, uſque dum caro pene videatur denudata. Tum circumciſionem* (hic quidam pro הדם legit) *ſugit, donec ſanguis ex locis remotis, ne forte periculum ei aliquod creetur, prodierit : & quicunque non exugit, reum eum pronuntiant : Poſtquam autem exſuxerit, imponit ei ſplenium aut emplaſtrum, aut ſimile quid.*

Cauſas Finales enarrant aliquot. 1. eſt χαρακτηριστική. משרשי מצוה זו לפי שרצה השי לקבוע בעם אשר הבדיל להיות נקרא על שמו אות קבוע בגופם להבדילם משאר העמים בצורת גופם כמו שהיו מובדלים מהם בצורת נפשותם. *Ex fundamentis præcepti hujus eſt, quod voluerit Deus benedictus populum, quem, ut a nomine ejus vocetur, ſeparavit, ſigno expreſſo diſtinguere a reliquis gentibus; ſigno videlicet corpori eorum impreſſo, ſicut etiam diſtincti ab iis erant forma animarum ſuarum*; Rab. *Lev.* p. 13. a. 2. Τελεωτική, תשלום הגוף *perfectio corporis*; Ib. ידוע למבינים שתשלום צורת האדם בהסיר ממנו אותה ערלה שהיא תוספת בו. *Conſtat intelligentibus, perfectionem figuræ humanæ in remotione eſſe præputii, quod in eo redundat.* 3. Τροπολογική, ſeu ἀλληγορική. *Id.* רצה להיות ההשלמה על ידי האדם ולא בראו שלם מבטן לרמוז אליו כי כאשר תשלום צורת גופו על ידו כן בידו להשלים צורת נפשו בהכשר פעולותיו. *Voluit Deus, eſſe perfectionem in manu hominis, neque creavit eum perfectum ab utero matris, ut ſignificaret ei, quod, quemadmodum perfectio figuræ corporis, in manu ejus* (hominis) *ſic in manu ejuſdem perficere formam animæ, in recte ordinandis operibus ſuis.*

Subjectum ſunt Iſraelitarum pueruli, ſervi & ἀργυρώνητοι. *Maim.* cap. 1. S. 1. מילה מצותעשה שחיבין עליה כרת שנ׳ וערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו ונכרתה כו׳ ומצוה על האב למול את בנו ועל הרב למול את עבדיו יליד בית ומקנת כסף עם האב או הארון ולא מל אותן ביטל מצות עשה ואינו חייב כרת שאין הכרת תלוי אלא בערל עצמו ובית דין מצווין למול אותו הבן או העבד בזמנו ולא יניחו ערל בישראל ולא בעבדיהן *Circumciſio præceptum eſt affirmativum, cujus tranſgreſſoribus excidii pœna infligitur*; q. d. Præputiatus maſculus, qui non circumciderit præputium carnis ſuæ, exſcindetur, &c. *Jubetur ergo pater circumcidere filium ſuum, & dominus ſervos ſuos tam domi natos, quam ære redemtos. Quod ſi tranſgreſſus fuerit pater aut dominus, neque eos circumcidit, violat affirmativum præceptum, nec tamen reus eſt pœnæ excidii; quæ nonniſi illum manet, qui ipſe eſt præputiatus : Jubetur autem Domus Judicii circumcidere eum, filium aut ſervum tempore ſuo, ne relinquant præputiatum in Iſraele, ne quidem ſervos ſuos.* R. *Levi* ſcribit, eum, qui 13. ætatis anno circumciſionem ſuam non promoveat, damnari pœna כרת.

Adjuncti ratione circumciſio eſſe debuit ὀκτοήμερος, uſque adeo, ne quidem Sabbathum hanc impedire potuerit ceremoniam; qua de re prolixe *Maim.* loc. cit. cap. 1. S. 8. 9. *Talmud.* Tract. de Sabbatho, S. 2. 3. & cap. 4. *Jebham.* Confer etiam סמג S. 26. סמק S. 155. *Jelam.* pag. 9.

SECTIO III.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ OCTAVÆ

a Gen. cap. 32. verſ. 2. ad 37.

Præceptum habet unicum, idque Negativum;

De non comedendo nervo oblivionis.

III. שלא לאבול גיד הנשה *Non eſſe comedendum nervum oblivionis*, juxta illud *Geneſ.* 32. v. 33. על כן לא יאכלו בני ישראל את גיד הנשה *Propterea non comedent filii Iſraelis nervum oblivionis*; uti notat R. *Levi*.

I. Ver-

I. Verba illa imperative, non vero על דרך ספור historice, sumenda. *Chin.* pag. 13.

II. Typo hoc exprimi partim calamitates Judæis exantlandas, partim redemtionem per Messiam reparandam. שאעף שיסבלו צרות רבות בגליות מיד העמים ומיד בני עשו שיהיו בטוחים שלא יאבדו אלא לעולם יעמד זרעם ושמם ויבא להם גואל ויגאלם מיד צר. Moneri hac ratione Israelitas Deum voluisse, *ut, licet varias afflictiones in exiliis a Gentibus & filiis Esau essent sustenturi, spe tamen firma crederent, se non perituros, sed semen & nomen eorum perpetuo mansurum, & venturum Redemtorem, qui e manu hostis eos sit erepturus.* Esavi autem propterea expressam faciunt mentionem, quod Kabbalistæ eorum, homines audacissimi, & ὀνειροπωλοῦντες ridiculi tradant. שאותו מלאך שנלחם עם יעקב היה שרו של עשו רצה לעקרו ליעקב מן העולם הוא וזרעו ולא יכול לא וצערו בנגיעת הירך וכן זרע עשו ציער לזרע יעקוב ולבסוף היתה להם ישועה מהם כמו שמצינו באב שזרחה לו השמש לרפואתו ונושע מן הצער כן יזרח לנו השמש של משיח וירפאנו מצערינו ויגאלנו אמן במהרה בימינו. *Angelum illum, qui pugnavit cum Jacobo, fuisse Principem Esavi, quem voluerit extirpare ex hoc mundo cum semine, nec tamen potuisse; propterea arctasse eum contractione fœmoris; Atque eodem modo angustare semen Esavi, semen Jacobi, cui tamen tandem ab illo sit futura salus: Quemadmodum enim invenimus in patre nostro, quod exortus ei fuerit Sol in sanitatem ejus, & liberationem ab angustia; Sic & nobis orietur Sol Messiæ, qui sanabit nos a calamitatibus nostris, & liberabit nos. Amen. Fiat cito in diebus nostris.*

III. Hac lege teneri utrumque sexum, omni loco & tempore; transgressorem autem, qui vel parum de nervo illo ederit, mereri plagas. *Ibid.* b. Idque ex Rabbinorum instituto; *Maim.* in Chol. cap. 7. S. 3.

Reliqua, quæ huc pertinent, desumi possunt ex cap. 7. *Chol.* ubi fuse agitur: Quid hoc nervi nomine intelligatur? In quæ animalia hæc cautela cadat? Avibus enim nonnisi Analogice nervum tribui, observat *Maim.* Hil. Maac. Asur. cap. 8. Confer. סמג Neg. N. 139. סמק N. 203.

SECTIO IV.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ DECIMÆ SEPTIMÆ

a c. 10. Exod. ad c. 13. v. 17.

Præcepta Affirmativa habet IX.

1. De Sanctificatione novilunii. 2. Mactatione Paschatis. 3. Comestione carnis Paschalis. 4. Abolitione fermenti. 5. Esu azymorum. 6. Sanctificatione primitiarum in terra Israelis. 7. Commemoratione exitus ex Ægypto. 8. Redemtione primogenituræ asini. 9. Amputatione cervicis primogenituræ asini.

Negativa XI. quibus prohibentur.

1. Pascha edere crudum aut coctum. 2. Relinquere cuiquam de Paschali carne. 3. Fermento locum dare in suis domiciliis tempore Paschatis. 4. Edere quicquam tunc, quod fermento est infectum. 5. Paschatis participem facere Apostatam Israelitam. 6. Neque inquilinum aut proselytum. 7. Quicquam de carne Paschali foras proferre. 8. Frangere ossa Paschatis. 9. Admittere ad esum Paschatis præputiatum. 10. Comedere fermentum tempore Paschatis. 11. Vel videre fermentum eo tempore.

IV. מצות קדוש החדש *Præceptum de Novilunio, vel sanctificando mense*, juxta loc. *Exod.* 12. vers. 2. החדש הזה לכם ראש חדשים. *Mensis iste* (Nisan, qui Martio partim nostro respondebat, partim Aprili: Initium faciens 10. Martii) *vobis erit*

erit caput menſium; id eſt, כשתראו חדושה של לבנה תקבעו לכם רח או אפילו לא תראוה מכיון שהיא ראויה להראות על פי החשבון המקובל. *Cum videritis Novilunium, determinate vobis initium menſium; vel ſi maxime non videatis, apparere autem deberet ex præſcripto ſupputationis* πατροπαραδότε. Notat hoc loco R. *Levi*.

I. Præceptum hoc generale eſſe, doctrinam de Embolyſmo ſeu Intercalatione includens: וכן תכלול מצוה זו מצות עיבור השנה לפי שיסוד מצות קידוש החרש כדי שיעשו ישראל מועדי השם במועד' וכמו כן מצות עיבור השנה מזה היסור היא ואולם מלבד זה המקרא באו הערות בכתבי התורה יורו על מצות העיבור. *Atque ſic complectitur præceptum hoc, præceptum de embolyſmo anni; fundamentum enim ſanctificandi menſis eſt, ut celebrent Iſraelitæ ſolennitates Dei, tempore ſuo conſtituto. Etſi autem hoc præcepto fundamentum contineatur Embolyſmi annorum; præter hunc locum tamen alii occurrunt textus in Libris Legis, qui præceptum Intercalationis tradunt*: Vide ſeqq.

II. Conſtitutionem Novilunii niti authoritate Iſraelitarum, fide dignorum, & χειροτονηθέντων. ועניך המצוה שבאים שני ישראלים כשרים לפני הב״ר ומעידים לפניה שראו הלבנה בחדושה קובעים ראש חדש על פיהם שאומרים היום מקורש וטעם שאין מצוה זו אלא בסמוכין לפישבא בפירוש החדש הזה לכם גדולים וסמוכין כמותכם כי למשה ואהרון נאמר. *Modus autem hujus præcepti eſt. Accedunt duo Iſraelitæ, viri integri, in conſpectum Synedrii, teſtanturque coram eo, ſe vidiſſe novam lunam: Atque ſic initium menſis, ad relationem eorum, conſtituturi dicunt*: Hodiernus dies ſanctificetur. *Ratio autem cur ſolis incumbat hoc præceptum* χειροτονηθέντων, *eſt, quia explicatio verbi* Vobis, *magnis nempe & manuum impoſitione ornatis, quales vos eſtis (ſermo autem hic ad Moſen & Aharonem habebatur) id ipſum requirit*. Id. Ib.

III. Cum nullos amplius Judæi habeant χειροτονηθέντας, quorum fide & authoritate ſtetit Intercalatio, calculum & ſupputationem R. Hillelis Principis eos ſequi. ואם תשאל אם כן היאך אנו עושין היום שאין לנו חכמים סמוכים דע שכן קבלנו שר' הלל הנשיא בנושל' ר' יהודה הנשיא שהיה גדול ברורו ונסמך בארץ והוא החכם שתיקן לנו חשבון העיבור הוא קידש חדשים ועבר שנים העתידים לבוא עד שיבוא אליהו ועל זה אנו סומכים היום. *Quod ſi rogaveris: Si ita res ſe habeat, quid hodie facto opus eſt, ubi non habemus ſapientes Promotos? Scito, quod acceperimus, R. Hillelem Principem, filium R. Jehudæ Principis, qui excellens fuit ſapiens ætate ſua, promotus in terra Iſrael; ſapientem illum fuiſſe, qui ordinarit nobis ſupputationem Intercalationis; Ille ſanctificavit menſes, & intercalavit annos futuros ad tempus illud uſque, quo veniet Elias. Atque huic calculo nos innitimur hodierno die*. Vid. *Hiſtor. Eccleſ.* noſt. Sec. IV. pag. 203. Idem Rab. *Levi*, pag. 14. a. ועכשיו בעונותינו שאין אנו מעבריך שנים על פי סמוכים אנו סומכים בחשבונינו על החשבון המקובל מר' הלל. *Nunc igitur, propter peccata noſtra, non intercalamus annos ad præſtitutum Promotorum; ſed innitimur in ſupputationibus noſtris calculo accepto a R. Hillel.*

IV. Finem hujus præcepti eſſe, conſtitutam & legitimam feſtorum celebrationem. R. *Levi* משרשי מצוה זו כדי שיעשו ישראל מועדי השם בזמנו שהשי צוה לעשות פסח בזמן שהתבואה באביב כמו שכת' שמור את חדש האביב ועשית פסח וחג הסוכות בזמן האסיף כמו שכתב' וחג האסיף תקופת השנה ואלולי עיבור השנים יבאו המועדים שלא בזמנים אלו לפי שישראל מחשבים חדשיהם ומועדיהם לימות שנת הלבנה שהם שנ״ד יום ה' שעות תתע״ו חלקים והיא חסרה משנת החמה י' ימים כ״א שעות ר״ד חלקי. *Ex fundamentis hujus præcepti eſt, ut celebrent Iſraelitæ Solennitates Dei, tempore ſuo. Præcepit enim Deus Benedictus facere Paſcha tempore, quo frumentum habuerit ſpicam virentem, ſicut ſcriptum eſt*: Cuſtodies menſem Abib, ut facias Paſcha. *Et feſtum tabernaculorum tempore collectionis; juxta illud*: Et feſtum collectionum in revolutione anni. *Niſi autem intercalarentur anni, dies illi feſti tempore conſtituto non redirent; quia Iſraelitæ menſes & ſolennitates ſuas ſecundum dies anni lunaris, qui conſtat diebus* 354. 5. *horis* 876. *ſcrupul. computant, adeo ut deficiant anno ſolari dies* 8. *horæ* 21. *ſcrup.* 204. Quod vero *idem author ſubjungit*; גם יאמרו כי ממנו יורע מקרה השנה בתבואות ואין ראוי למוסרו אלא לגדולים וחסידים. *Dicunt, exinde etiam cognoſci eventum anni, reſpectu proventuum*, (i. e. fertilitatem & ſterilitatem) *quod tamen non niſi magnis & piis tradi debeat*. Habent Judæi certiora prognoſtica, & plane divina, ex quibus de toto vitæ ſuæ curſu judicare poſſunt *Levit.* 18. *Deut.* 28. *Pſal.* 1. Accuratiorem hujus materiæ pertractationem Lector petet ex *Talm.* Cod. Roſch haſchanah; Sanhed. Berac. *Maim.* Hil. Kidd. hachodeſch c. 1. סמג S. 46. סמק S. 101, ubi multæ habentur quæſtiones; de ratione inveſtigandi teſtimonii; de violatione Sabbathi propter illud teſtimonium; de menſe Adar, quem intercalant, cur annum vel intercalent, vel ſecus, &c.

V. מצות שחיטת הפסח *Præceptum de mactatione Paſchatis*, id eſt, agni Paſchalis, elicitum ex cap. 12. Exod. v. 5. 6. *Agnus perfectus, maſculus, anniculus erit vobis, quem ex ovibus aut è capris accipietis : Eritque vobis in cuſtodiam uſque ad quartum decimum diem menſis hujus, & immolabit eum univerſa congregatio cœtus Iſrael inter duas veſperas*. Senſus hujus præcepti eſt: שמתקבצין אנשים מישראל לחבורות ולוקחין מן השוק או מביתם גדי אחד או שה תמים זכר בן שנה ושוחטין אותו בעזרת בית המקדש ביום יד׳ בניסן בין הערבים ואחר כך לערב אוכלין אותו בין כולם אחר מאכלם שמצותו לאוכלו על השבע *Ut congregentur viri Iſrael* κατὰ τὰς φρατρίας, *accipiantque vel ex foro, vel ex ædibus ſuis hædum, aut pecudem perfectam, maſculam, anniculam, & mactent illam in atrio domus ſanctæ die 14. Niſan inter duas veſperas; poſteaque veſpera ipſa illam inter ſe diſtributam, poſtquam jam cœnarunt, comedant; mandato enim ejus* (Dei) *debent edere jam ſaturi*. Subjiciunt huic præcepto Judæi utrumque ſexum, ſed tantum בזמן הבית *tempore templi*. Tranſgreſſori gravem pœnam interminantur. העובר עליה במזיד ולא עשה פסח חייב כרת בשוגג אינו מביא קרבן לפי שהוא אחד משלשה חטאים שבזדונן כרת ואין בשגגתו חטאת והן זה ומגדף ומבטל מילה *Qui, ſuperbe tranſgreſſus, Paſcha non fecerit, reus eſt excidii; qui vero ignorans deliquerit, nullum adfert ſacrificium. Eſt enim ex numero trium illorum peccatorum, quæ, elata manu commiſſa, excidium merentur; Pro iis, qui ignorantes peccant, nullum acceptatur ſacrificium, quales, præter hujus præcepti violatorem, ſunt; blaſphemus, & vir circumciſionem abolens*. Plura de hoc præcepto vide *Maimon.* Hil. Korb. Peſach cap. 1. סמג Aff. S. 223. De ritibus vero & circumſtantiis, numero eorum, qui ad unam referri poſſunt φρατρίων, hymnis, cantu, buccinæ clangore, conſulatur *Talm.* Maſſ. Peſachim.

VI. מצות אכילת בשר הפסח *Præceptum de edenda carne Paſchatis*; *Exod.* cap. 12. v. 8. nocte nempe 15. menſis Niſan ex mente Tannæorum, שיזכרו היהודים לעולם הניסים הגדולים שעשה להם השי׳ ביציאת מצרים *ut memores ſint Judæi in æternum miraculorum magnorum, quæ fecit eis Deus benedictus, cum exirent Ægypto*. Tranſgreſſorem, mas fœmellave fuerit, Synedrio relinquunt, cujus tam diu authoritate caſtigatur, quoad parere didicerit.

VII. מצות השבתת החמץ *Præceptum de abolendo fermento*. Exod. 12. v. 15. *Septem diebus infermentata comedetis : verum tamen die primo ceſſare facietis fermentum e domibus veſtris*. Unde præceptum colligunt להסיר כל לחם חמץ ממשכנותינו ביום יד׳ בניסן *Ad removendum omnem panem fermentatum ex domiciliis noſtris die 14. Niſan*, qui, ut Rabbini explicant, dies eſt, Paſcha proxime antecedens. Hujus etiam præcepti uſum volunt eſſe μνημονικῶν. Quanto vero ſtudio inquirant, ex Lege, in fermentum, & quæ huic materiæ ſunt affinia, habetur in *Peſ. Riſchon*. Plura de mente præcepti occurrunt apud *Maimon.* Hil. Chameziumazzah cap. 2. סמג Aff. S. 92. & 96. παραβάτης reus eſt legis affirmativæ & negativæ.

VIII. מצות אכילת מצה *Præceptum de comedendis azymis*. Exod. 12. v. 18. *Veſpera comedetis infermentata* : ex quibus verbis concludunt : לאכול לחם מצה בליל טו׳ בניסן העשוי במין דגן *comedendum panem infermentatum* 15. *nocte menſis Niſan, qui factus ex ſpecie frumenti. Relatum mihi quoque eſt*, inquit *Buxtorf.* Synag. pag. 292. *divites Judæos curare, ut placentæ ex meris amygdalis contuſis conficiantur; non ſolum in honorem feſti, ſed etiam quod eſu ſint ſuaviores, & morſibus facilius cedant*; cum tamen obtinere deberet conſuetudo בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר בטל עשה וכבר אמרנו שבד כופין על ביטול עשה *Omni loco & tempore, in utroque ſexu : Qui autem violaverit, affirmativum fecit irritum*; in quos, ut diximus, Domus judicii animadvertit. Vide cætera *Maimon.* lib. C. c. 6. סמג S. 40. סמק S. 219.

IX. מצות קידוש בכורות בארץ ישראל *Præceptum ſanctificationis primogenitorum in terra Iſrael* : Exodi 13. v. 2. *Sanctifica mihi omne primogenitum : Quicquid aperit vulvam in filiis Iſrael tam hominibus, quam in jumentis, meum eſt*. Jumentum Hebræi vocant בהמה quod a חיה, *feram* notante, quæque ſub hanc legem non cadit, diſtinguitur. Ex jumentis autem ſolus excipitur aſinus. Quæ vero hujus ſanctificationis ratio? מצוה על הבעלים להקדישו ולומר הרי זה קדש וחייבין לתת אותו בכור לכהנים ויקריבו חלבו ודמו על המזבח והם אוכלים הבשר בירושלם ואינו נותנו לו מיד שיולד אלא מטפל בו בבהמה דקה ל׳ יום ובגם נ׳ יום ובחוצה לארץ שאין לנו מקדש נוער דלת בפניו ומות מאליו כדעת קצת המפרשים ומהם שאמרו שממיתין לו לעולם *Præcipitur Dominis* (poſſeſſoribus, aut patribus familias) *ut ſanctificent illud, dicendo*. Sanctum hoc eſto. *Tenentur autem dare primogenitum ſacerdotibus, ut offerant adipem ejus & ſanguinem ejus ſuper altari; ipſi vero comedant carnem Hieroſolymis. Non tradunt autem ei fœtum recens natum e veſtigio, ſed alunt, jumentum tenue dies* 30.

30. *crassum autem dies* 10. *Extra terram vero* (Iſraelis) *ubi Sanctuarium non habemus, claudit oſtium in conſpectum ejus, ut moriatur inde, ſicut quidam Interpretes ſentiunt; alii tamen dicunt, quod ſemper illud occidant*. Finem hujus præcepti ponit R. *Levi* geminum 1. רצה הי״שי לזכותינו לעשות מצוה בראשית פריו למען דעת כי הכל שלו ואין לו לאדם דבר בעולם רק מה שיחלק לו הש״י בחסדיו ויבין זה בראותו כי אחר שינע האדם כמה יגיעות וטרח כמה טרחים בעולמו יהגיע זמן שעשה פרי וחביב עליו ראשית פרי כבבת עינו מיד נותנו להקב״ה *Voluit nos Deus Benedictus noſtro commodo facere præceptum primitiarum, ut ſciremus, omnia ſua eſſe, hominis vero nihil in mundo, niſi quod ei benignitate ſua conceſſerit Deus benedictus: Id quod intelligit, cum viderit, quod poſt tot labores & moleſtias, quas exantlavit in mundo, appropinquante tempore fructus; etſi primitiæ ejus non minus charæ fuerint, quam pupilla oculi; eas tamen illico Deo Opt. Max. conſecrari*. 2. לזכור את הנס הגדול שעשה לנו הש״י בבכורי מצרים שהרגם והצילנו מידם *Ut memores ſimus magni miraculi, quod patravit noſtro bono Deus benedictus in primogenitis Ægypti, qui occidit illos, noſque e manu illorum redemit*. Quæ vero obſervanda veniunt de loco mactandi jumenti & comedendi; de maculis immanentibus & tranſeuntibus, quibus primogenitura profana judicatur, de diſcrimine ejuſmodi macularum, & dono διακελιτικῷ, ἀνδρογύνῳ, & cæteris, agitur in *Talm*. Maſſ. Becoroth. Reſtringit quidem Lex hanc conſuetudinem ad ſolam terram Iſraelis; Rabbini vero ei etiam foris locum concedunt, a qua ſexus nullus, nullus etiam ordo, ne ſacerdotalis quidem excipiatur ואע״פי שהבכור שנולד לכהן שלו הוא מ״מ חייב להקריב חלבו ודמו ויאכל הבער בתורת בכור ובכור אדם ופטור חמור אינו נוהג בכהן ולוי *Etſi primogenitura ſacerdotis fuerit, omnino tamen tenetur offerre adipem ejus, & ſanguinem ejus; edetque carnem ejus ex lege primogeniti. Primogenitura autem hominis, aut aſini nec Sacerdos tenetur, nec Levita*.

X. מצות ספור יציאת מצרים *Præceptum de recenſendo exitu ex Ægypto*, juxta illud *Exod*. 13. v. 8. *Annuntiabiſque filio tuo eo die, dicendo: Propter hoc, quod fecit Jehova mihi, quum exirem ex Ægypto*. Hinc eliciunt poriſma: לספר בענין יציאת מצרים בליל ט״ו בניסן כל אחד לפי צחות לשונו ולהלל ולשבח הש״י על כל הניסים שעשה לנו שם *ut enarret negotium exitus ex Ægypto nocte 15. menſis Niſan, unusquiſque pro facultate linguæ ſuæ; laudet & celebret Nomen Dei benedicti, propter omnia miracula, quæ Deus nobis ibi fecit*. Addunt autem, non eſſe mirandum, tot actus communem habere finem μνημονικὸν, miraculorum, כי הוא יסוד גדול ועמוד חזק בתורתנו ובאמונתנו ועל כן אנו אומרים לעולם בברכותינו זכר ליציאת מצרים לפי שהוא לנו אות ומופת גמור בחידוש העולם וכי יש אלוה קדמון חפץ ויכול פועל כל הנמצאות ה׳ היש שהם עליו ובידו לשנותם ה׳ היש שיחפוץ בבל זמן מן הזמנים כמו שעשה במצרים ששנה טבעי העולם בשבילנו ועשה לנו אותות מחוד שים גדולים ועצומים הלא זה משתק כל כופר בחידוש העולם ומקיים האמונה בידיעה הש״י וכי השגחתו ויכלתו בכללים ובפרטים כולם *Quia hoc fundamentum magnum eſt, & columna valida Legis & Religionis noſtræ, propterea in omnibus benedictionibus & precationibus noſtris ſemper memores ſumus exitus ex Ægypto, quia ſignum nobis eſt, & demonſtratio perfecta creati Mundi; quodque æternus, volens, potens, author omnium creaturarum ſit Dominus Deus. Quis eſt, in cujus illa ſint manu, & penes quem fuerit ea mutare? Deus. Num eſt, qui velit ullo unquam tempore id, quod præſtitit IS, in Ægypto? Qui mutavit naturam Seculi propter nos, & patravit ſigna nova, magna & prævalida. Nonne hoc ſilentium imponat ei, qui negat creationem Mundi; & ſtabiliat fidem cognitionis Dei benedicti? confirmetque ſimul quod providentia, potentiaque ejus ad omnia ſe exſtendat, univerſalia & ſingularia?* Rationem hujus convivii μνημονικȣ, ritualia Judæorum prolixe tradunt ex *Talmud*. Maſs. פסחים ſub finem. Vide *Buxtorf*. Synag. pag. 299. & Diſſertationem de Cœna Domini. Sed & author libri *Chinuk*, pag. 15. a. formulam illius Solennitatis accuratam & compendioſam exhibet, quam ſe ex ore Sapientum ſui ſeculi habere ſcribit. Obligat autem hoc præceptum utrumque ſexum, omni loco & tempore. Tranſgreſsor reus eſt affirmativæ legis.

XI. מצות פדיון פטר חמור *Præceptum de redimendo primogenito aſini*; Exod. 13. v. 13. *Omne autem primogenitum redimes hædo*. Exigit hoc præceptum שלוקח הישראלי שה אחד ונותנו לכהן בפדיון בכור החמור שהוא לשם מן הטעם שכתבנו למעלה *ut accipiat Iſraelita hædum, eumque Sacerdoti tradat in redemtionis pretium primogeniti aſini, qui Deo debetur ob rationem, cujus ſupra meminimus*, ſcribit R. *Levi*. Quid ſi hædum non habuerit? פודהו בדמי׳ שה ולפי שאין דמי השיות שוין אמרו רז״ל עין יפה בסלע רעה בחצי סלע ובינונית בג׳ זוזין וזמן הפדיון עד ל׳ יום *Redimit illum pretio hædi. Quia vero æquale pretium hædorum non eſt, dicunt Rabbini: Oculum pulchrum* (liberalem,

lem, ſerenum vultum) *pendere ſiclum; malum* (lividum) *medium ſiclum*; *Intermedium tres drachmas* (quatuor conſtituebant ſiclum) *tempus autem redemtionis ad* 30. *ſe extendit diem*. Dubia circa hanc materiam oriri ſolita, quorum aliquot obiter tanguntur in lib. *Chinuk*, ſolvuntur in *Talmud*. Cod. בכורות. Pertinet autem hoc præceptum ad Iſraelitas laicos; Levitas & Sacerdotes non item. Uſus ejus eſt, ut memores ſint editæ in Ægyptiorum primogenitis (שנמשלו לחמורים *qui ſimiles erant aſinis*) ſtragis.

XII. מצות עריפת פטר חמור *Præceptum decervicandi* (decollandi) *primogeniti aſini*; Exodi loc. cit. *Quod ſi non redemeris, cervicem franges ei*. Cohæret cum præcedenti. Obſervant autem Hebræi שגזר השי״ת שלא יהנה בו מכיון שלא פדהו ואפילו הנבילה אסורה לה בהנאה *Decreviſſe Deum, ne uſum ullum inde habeat, ſi forte non redimeret: quia & morticinii uſus interdictus ei fuit*. Mortuus enim ante redemtionem, nullum ſui præbere poterat uſum, terra obruendus. Debuit autem fieri בקופיץ *κοπίδι*, *ſecuri*, & non alio inſtrumento. Memores tamen eſſe debuerunt, פדיה קודם לעריפה *Redemtionem fuiſſe priorem decervicatione*, ſeu decollatione.

XIII. שלא לאכול הפסח נא ומבושל *Non eſſe agnum Paſchalem comedendum vel crudum vel lixatum*; ſed tantum צלי אש *igni toſtum*, ſeu aſſatum, juxta illud Exodi 12. v. 9. *Ne comedatis ex eo crudum & elixatum aqua, ſed aſſum igni*. נא, ex uſu linguæ Arabicæ, vertimus *crudum*. Vide *Anal*. P. I. pag. 146. Paulo aliter R. *Levi*, cui נא eſt הבשר שהתחיל בו מעשה האור ונצלה מעט ואינו ראוי לאכילת אדם *Caro, in quam quidem aliquam ignis habet ἐνέργειαν, quæque, utcunque toſta, nondum tamen plane eſui hominis eſt apta*. בשל autem eidem ſignificat *coctionem*, quæ fit במים או בכל משקה או במי פירות *aqua, aut quacunque re liquida, aut ſucco frugum*. Μνημόσυνον agnoſcunt exitus ex Ægypto: Præceptum enim hoc ſibi datum ſcribunt: לזכור נס יציאת מצרים וזהו שנצטונו לאכלו צלי דוקא לפי שכן דרך בני מלכים ושרים לאכול בשר צלי שהוא מאכל טוב ומוטעם אבל שאר העם אינם יכולים לאכול מעט בשר צלי שתשיג ידם כי אם מבושל כדי למלא בטנם ואנו שאוכלים הפסח לזכרון שיצאנו לחירות להיות ממלכת כהנים וגוי קדוש ודאי לנו להתנהג באכילתו דרך חירות ושרות מלבד שאכילת הצלי יורה על החפזון שיצאו ממצרים ולא יכלו לשהות כדי לבשלו בקדירה *ut memores eſſent miraculoſi exitus ex Ægypto. Propterea etiam præciſe juſſi ſumus edere carnem aſſam: hæc enim conſuetudo eſt filiorum Regiorum & Principum, qui carne aſſa, tanquam cibo ſelecto & ſapido fruuntur. Reliqua vero fex exigua carnis portione, quam forte aſſequatur manus eorum, non contenta, lixam edit ad farciendum ventrem. Et quia Paſcha in memoriam exitus in libertatem, ut eſſemus regium ſacerdotium, & ſancta gens, comedimus, palam eſt, in eſu ejus obſervare nos debere morem libertati & principatui congruum. Præterquam quod eſus aſſati feſtinationem etiam ſignificat, qua egreſſi ſunt ex Ægypto, unde non licuit moram trahere, ut coquere eam potuiſſent in lebete*. Particularia hujus præcepti, quæ פרטים vocant, ſuppeditat *Talmud*. tract. פסחים vide & *Maimon*. Hil. Peſach. cap. 1. סמג Neg. 350. 351. Tenentur autem hac lege viri & mulieres, ſtante templo: Tranſgreſſor flagris plectebatur. Quæritur autem: Sit ne hic geminum præceptum? Affirmat *auth. Miz. gad*. loc. cit. nec aliter Rab. *Moſes Nachmanides*, artic. 9. lib. Præceptorum, ubi multis rationibus hoc probat: quædam leviter tangit R. *Levi* pag. 16. R. *Maimonides tamen*, quem & R. *Levi* ſequitur, nonniſi unicum agnoſcit, ac proinde utriuſque reum uni tantum pœnæ ſubjicit. Nachmanidæ tandem mentem ita exprimit: וזה שאמרתי שהרמב״ן ז״ל ימנה כל הנפרטים בשמם אחד אחד מצוה בפני עצמה דוקא כשהם חלוקים בענין כגון שאור ודבש אתנן ומחיר אבל במקום שהענין אחד אע״פ שנפרטין בשמות חלוקי׳ לא נמנה זה כי אם מצוה אחת כגון כל הבכור אשר יולד בבקרך ובצאנך שאין זה אלא צואה אחרת להקדיש כל הבכור והפרט אינו אלא ביאור וכן כל מעשר בקר וצאן שאין זה אלא צואה אחת להפריש לתרת מעשר מבהמות אלו וכן שופטים ושוטרים שאין זה אלא שנעשה דין על פי אנשים אלה וצואה אחרת היא וכן מאזני צדק אבני צדק והין צדק שהכל צואה החת שלא נשקר המדות *Atque hoc eſt quod dixi, R. Nachmanidem ea, quæ ſuis diſtinctis exprimuntur nominibus, pro ſingulis numerare præceptis, cum differunt ſenſu, ut: Fermentum & mel* (reſpicit locum Levit. 2. v. 11. *de nullo fermento, & de nullo melle adolebitis oblationem ignitam Jehovæ*:) Mercedem meretricis, & pretium (intelligit locum *Deut*. 23. v. 18. *Non adduces mercedem meretricis, nec pretium canis*) *Ubi vero ſenſus idem eſt, etiam ſi ſpecies enumerentur nominibus diſtinctis, nonniſi pro uno præcepto ſupputari, ut*: Omne primogenitum, quod naſcetur in armento tuo, aut in grege tuo; *nonniſi unicum eſt præceptum, ad ſanctificandum omne primogenitum; ſpecialis vero enumeratio explicationi tantum inſervit. Idem judicium eſt, de* (loco *Levit*. 27. v. 32.) Et omnis decima boum

&

& ovium; *ubi unicum etiam habemus præceptum de separandis & segregandis decimis bestiarum. Nec alia ratio dicti*; Judices & præfectos pones (*Deut.* 16. v. 18.) *quod nihil aliud vult, quam, ut judicium ad præstitutum illorum virorum formemus, atque adeo unum est præceptum*. Ita (*Levit.* 19. v. 36.) statera justa, pondera justa, Epha justum, & Hin justum erit vobis, *omnia unum constituunt præceptum, ne mensuram corrumpamus*.

VIV. שלא להותיר מבשר הפסח. *Nihil relinquendum de carne Paschatis*; nempe למחרתו שהוא יום טו׳ בניסן *in diem crastinum, qui est* 15. *Nisan*: juxta illud *Exodi* 12. v. 10. *Neque relinquetis ex eo usque mane*. Nimis ridiculam tanto mysterio affingunt rationem, הענין הוא כדרך מלכים ושרי שאינן צריכין להותיר מתבשילין מיום אל יום ועל כן אמר שאם יותר ממנו שישרף כדבר שאין חפץ בו כדרך מלכי אדמה וכל זה לזכור ולקבוע בלב שבאותו זמן גאלנו הש״י מעבדות ונעשינו בני חורין וזכינו למלכות ולגדולה. *Fit hoc more Regum & Principum, qui non opus habent, ut aliquid relinquant esculentorum de die in diem. Et propterea jubet igni reliquias comburi, tamquam rem in qua nulla delectatio: more Regum terrenorum. Idque ut memores simus, & cordi infigamus, quod eo tempore nos Deus Benedictus redemerit a servitute, & facti simus liberi, dignique Regno & Majestate*. Lex hæc stante Templo obtinuit: Effugit tamen hujus negativi transgressor pœnam flagellationis. Confer *Maim.* loco citato סמג S. 258.

XV. שלא ימצא חמץ ברשותנו בפסח. *Ne reperiatur fermentum in jurisdictione vel potestate nostra, tempore Paschatis*; argumento loci *Exodi* 12. v. 19. *Septem diebus non invenietur fermentum in domibus vestris*. בבתיכם habet textus Hebræus. Rabbini vero Synecdochen agnoscunt; & Israelitis fermentum abjudicari volunt לא דוקא ביתו אלא כל שברשותו. *Non domi tantum; sed in omni loco, qui potestati eorum subjicitur*; ut in memoriam revocarent portenta & miracula Ægyptiaca; Exodum cum primis ita præproperam, ut, cum fermentationem expectare non possent, ἄζυμα edere debuerint. Habet hæc lex varios casus, de quibus Judæi disputant: vide Talm. *Pesach Risch.* lib. *Chin.* pag. 16. b. Obligat utrumque sexum, omni loco & tempore; ועובר עליה ונמצא חמץ ברשותו במזיר עבר על שני לאוין. *Trangressor autem, in cujus potestate fermentum per contumaciam reperitur, duplex violat negativum*; Quæ vero ejus pœna? לוקה כל זמן שעשה בו מעשה כגון שחמץ עיסה והניח בביתו או שלקח חמץ והצניעו בביתו אבל אם לא עשה בו שום מעשה אלא שנשאר בבית מקודם הפסח אין לוקה עליו שהלכה היא לאו שאין בו מעשה אין לוקין עליו. *Vapulat, quotiescunque fermento manum admovet, verbi gratia; si fermento infectam a se massam domi suæ relinquit; aut fermentum aliunde sumtum domi suæ deponit: Quod si vero nihil plane fuerit operatus, sed relictum fuerit fermentum jam inde a tempore Pascha præcedente, non vapulat propterea; quia propter negativum, cum quo nulla concurrit operatio, neminem cedunt*. Plura habet *Maim.* Hil. חמץ cap. סמג Neg. 77. סמק S. 36. *Talm.* פסח ראשון cap. 5.

XVI. שלא לאכל מכל דבר חמץ. *Rem quamcunque fermentatam comedere non licere*; Ibid. v. 20. *Omne fermentatum non comedetis*. Fermentati autem nomine intelligunt דברים שיש בהם חמץ ואע״פ שאין עיקר הדבר חמץ כגון כותח הבבלי *res, in quibus fermentum est, etiam si principalis pars non fuerit fermentum, ut Cutachum Babylonicum*. Potionis genus est, forte ὀξύγαλα. Transgressionis pœnam ex materiæ varietate variam infligunt. *Maimonides*, Hil. Chamezumazzah. c. 1. S. 6. אין חייבין כרת אלא על אכילת עצמו של חמץ אבל עירוב חמץ כגון כותח הבבלי ושכר מדי וכל הדומה להן מדברים שהחמץ מעורב בהן אם אכלן בפסח לוקה. *Non merentur Excidii pœnam nisi propter fermenti ipsius esum. Mixta vero fermento, ut Cutach Babylonicum, cerevisia Medica, & his similia, quibus immixtum est fermentum, si quis Paschatis tempore ea comederit, vapulat*. Huic se opponit Ramban, qui Excidii pœna animadverti vult in παραβάτην etiam posteriorem. Ut autem mixtio lege punienda nota fit, definiunt, תערובת כזית בכדי אכילת שלשה בצים.

XVII. שלא לאכול מן הפסח לישראל מומר לעכום. *Non esse comedendum de Paschate Israelitæ Apostatæ ad Idololatriam*; ratione loci *Exodi* 12. v. 43. *Omnis alienigena non comedet de eo*. Torquent nimis usum vocis נכר & a sensu literali deflectunt, errore satis antiquo. בא הפירוש עליו בן ישראל שנתנכרו מעשיו לאביו שבשמים וכן תרגם אונקלוס. *Intelligitur filius Israelis, cujus peregrina vel aliena sunt facta, a Patre cœlesti*, i. e. filii degeneres. *Atque sic explicat Onkelosus*. Rationem reddunt; ראוי שלא יאכל בו מומר אחר שאנו עושין אותו לאות ולזכרון שבאנו באותו הזמן לחסות תחת כנפי השכינה ונכנסנו בברית התורה והאמונה אין ראוי שנאכיל ממנו למי שהוא הפך מזה שיצא מן הכלל וכפר באמונה. *Conveniens est, ut ne comedat de eo Apostata*,

ta, quod nos constituimus in signum & memoraculum, quod venerimus eo tempore receptum nos subter alas Providentiæ ejus, ingressique sumus fœdus Legis, & fidei; Non, inquam, decet, ut de eo illum cibemus, qui in contrarium nisus *egressus est universitate, fidemque abnegavit*. Obtinuit hoc præceptum sub Templo. Transgressor reus fuit violati negativi, nec tamen pœnam flagellorum incurrit לפי שאין בו מעשה : vide *Maim.* Hil. Korb. Pes. c. 9. סמג Neg. S. 253. 363. 354.

XVIII. שלא להאכיל מבשר הפסח לגר ולתושב. *Nihil impertiendum de carne Paschali Proselyto & Inquilino*, juxta illud *Exodi* 12. v. 43. *Advena & mercenarius non comedet de eo*. Quid גר sit, & תושב, ex Hebræorum mente aperit Rab. *Levi* והתושב הוא אדם מן האומות שקבל עליו שלא לעבור ואוכל נבילות ושכיר הוא גר שמל ולא טבל. Toschab *est homo ex gentibus, qui in se suscepit, se non transgressurum, edit autem morticina;* Sacir *est peregrinus, qui circumcisus non vero baptizatus est*. Arcentur autem ab hoc mysterio, propterea quod ראוי שלא יהנו בו רק אותם שהשלימו באמונה והם ישראלים גמורים ולא אלו שעדין לא באו בברית שלם עמנו ועניך הרחקת הערל מאכילתו גם כן מזה השרש. *Conveniens est, ne qui alii voluptatem inde percipiant, nisi qui perfecti, non autem illi, qui nondum recepti sunt in fœdus perfectum nobiscum : Ex eodem fundamento arcetur etiam præputiatus*. Pertinet hujus præcepti observatio ad veterem Judæorum, stante templo, politiam.

XIX. שלא להוציא מבשר הפסח חוצה. *Non licere de carne Paschali quicquam proferre foras;* seu, nihil licere deportare, לחבורה *extra societatem;* juxta illud v. 46. *Non educes de carne foras*. Nempe, ut miseri fingunt, שנעשינו ארונים באה המצוה עלינו שיהא נאכל במקום החבורה ולא נציאהו לחוץ כדרך מלכי ארץ שכל המוכן להם נאכל בהיכלם לרוב עם שלהם ודלת הארץ בעת יכינו סעודה גדולה ישלחו ממנה לחוץ מנות לרעיהם לפי שהוא חירוש אצלם. *Quod Domini sumus constituti, mandatum est nobis, ut comedatur* (agnus Paschalis) *in loco Collegii, nec quicquam proferamus foras, sicuti Reges terræ, in quorum palatiis, propter multitudinem populi, comeditur quicquid apponitur; fex vero vulgi cum convivium magnum parat, portiones mittit foras sociis suis : Res enim illis nova est*. Si quis, durante templo, secus fecit, flagris multabatur.

XX. שלא לשבור עצם מן הפסח. *Non esse frangendum os Paschati*, juxta locum *Exodi* 12. v. 46. *Os non confringetis in eo*. Agnoscunt quidem esse hujus præcepti usum μνημονικὸν, ut memoriam refricent miraculosæ ex Ægypto liberationis; sed iterum turgiva gens dignitati hic suæ & Majestati consuli somniat, שאין לבני מלכים ויועצי ארץ לגרור העצמות ולשבר בכלבים לא יאות לעשות ככה כי אם לעניי העם הרעבים ועל כן בתחלת בואנו להיות סגולת כל העמים ממלכת כהנים ועם קדוש ובכל שנה ושנה באותו הזמן ראוי לנו לעשות מעשים המראים בנו המעלה הגדולה שעלינו לה באותה שעה ומתוך המעשה והדמיון מאנחנו עושים נקבע בנפשותינו חרבר לעולם. *Neque enim honorificum, filios Regum aut consiliariorum ossa rodere, eaque canum instar, confringere. Non cadere hoc nisi in pauperem & famelicum vulgum. Proinde initio illius temporis, quo cœpimus esse peculium omnium populorum, sacerdotium regium, & populus sanctus; convenit singulis annis eo ipso tempore edere opera, quæ monstrent nobis dignitatem illam magnam, qua ea hora insignes fuimus. Atque beneficio hujus operis & typi, quem exprimimus, infingitur res illa animabus nostris in æternum*. Repetit postea R. *Levi* quæstionem, quid causæ sit, cur unius rei tot, instituto divino, habeant μνημόσυνα, & respondet prolixe ex Pelagianorum Methealogia ועתה בני אם בינה שמעה וארת והטה אזנך ושמע אלמדך להועיל בתורה ובמצות רע כי האדם נפעל כפי פעולותיו ולבו וכל מחשבותיו תמיד אחר מעשיו שהוא עוסק בהם אם טוב ואם רע ואפילו רשע גמור בלבבו וכל יצר מחשבות לבו רק רע אם יערה רוחו וישי׳ השתדלותו ועסקו בהתמד׳ בתור׳ ובמצו׳ ואפילו שלא לש״ש מיד יעטה אל הטוב ומתוך שלא לשם׳ בא לשמה ובכוח מעשיו ימית היצה״ר כי אחרי הפעולות נמשכים הלבבות ואפילו אם יהיה אדם צדיק גמור ולבבו ישר ותמים חפץ בתורה ובמצות אם אולי יעסוק תמיד בדברים של דופי כאלו תאמר דרך משל שהכריחו המלך ומינהו באומנות רעה באמת אם כל עסקו תמיד כל היום באותו אומנו׳ ישוב לזמן מן הזמנים מצדקת לבו להיות רשע גמור כי ידוע הדבר ואמת שכל האדם נפעל כפי פעוליתיו כמו שאמרנו ועל כן אמרו חכמים ז״ל רצה המקום לזכות את ישראל לפיכך הרבה להם תורה ומצות כדי להתפיס בהם כל מחשבותינו ולהיות בהן כל עסקינו להטיב לנו באחריתנו כי מתוך הפעולות הטובות אנחנו נפעלים להיות טובם וזוכים לחיי עד ורמזו ז״ל על זה באמרם כל מי שיש מזוזה בפתחו וציצית בבגדו ותפילין בראשו מובטח לו שלא יחטא לפי שאלו מצות תמידיות ונפעל בהם תמיד לכן אתה ראה גם ראה מה מלאכתך ועסקיך כי אחריה׳ תמשך ואתה לא תמשכם ואל יבטיחך יצרך לומרי אחרי היות לבי שלם ותמים באמונת אלהים מה הפסד יש פ׳ אתענג

אתענג לפעמים בתענוגי אנשים לשבת בשוקי' וברחובו להתל וצץ עם הלצים ולדבר צחות וכיצא באלו הדברים שאין מביאין עליהן חטאות ואשמות הלא גם לי לבב כמוהם קטני עבה מכותניהם ומדוע ימשכוני הם אחרי הם אל בני השמר מפניהם פן תלכד ברשתם רבים שתו מתוך כך כוס תרעלתם ואתה את נפשך תציל ואחור דעתך זה אל יקשה עליך מעתה רבוי המצו' בענין זכירת ניסי מצרים שהם עמוד גדול בתורתנו כי ברבות עסקינו בהם נתפעל אל הדבר שאמרנו. i. e. * *Nunc igitur, fili, ſi intelligentia prædiţus es, audi, & aurem tuam inclina: Docebo enim te, ad uſum revocare Legem & Præcepta. Scito, hominem effingi ſecundum opera ſua, ejuſque tum cor, tum cogitationes omnes ſemper ſequi actiones, quibus occupatur; ſive bonus ſit, ſive malus. Imo, etiamſi fuerit homo perfecte malus in corde ſuo, omneſque ejus cogitationes tantum pravæ omnibus diebus; ubi tamen excitarit ſpiritum ſuum, operamque dederit ſtudio perpetuo Legis & Præceptorum; ſi non ſtatim ſtudeat bono, amore Dei, operatio tamen ejus non ex amore Dei perfecta, operationem ex amore Dei elicit. Virtute enim operum ſuorum occidit cogitationes pravas: actiones quippe hominum corda ipſa ſequuntur. Contra, ſi vel maxime homo perfecte fuerit juſtus, corque ejus rectum & integrum, quod Lege Dei & præceptis ejus delectatur; interea vero fortaſſis occupari ſe patiatur rebus inhoneſtis, ſi, exempli gratia, Rex eum aliquis coactum præfecerit ſordidæ & impiæ* πραγματέᾳ, *vere, ubi totos dies in ea tranſegerit, ſucceſſu temporis a juſtitia cordis ſui ad conſummatam abripietur impietatem. Notum enim, & veritate munitum eſt, omnem hominem ad opera ſua efformari, ſicut diximus. Proinde monuerunt Sapientes noſtri b. m. Juſtum eſſe voluit Deus Iſraelem, propterea multiplicavit ei Legem & Præcepta, ut iis imbueret omnes cogitationes noſtras, & ut eſſentiis omnes operationes noſtræ conſecratæ, quo ſic bene nobis eſſet in fine noſtro. Nam beneficio bonorum boni reddimur, & digni vita æterna. Quo ſpectant Rabbini, dum dicunt: Ad cujus oſtium eſt poſtis, in cujus veſte fimbria, in cujus capite phylacteria, is tutus eſt a peccato; quia præcepta illa ut perpetua ſunt, ita homo perpetuo illis perficitur. Probe igitur attende, quæ ſtudia, qui labores tui, quia poſt eos traheris, eos autem tu non trahes. Neque confidentiorem te reddat cogitatio tua, dicendo: Cum cor meum perfectum fuerit & integrum in fide Dei, quid obſtiterit, ſi nonnunquam delicias hominum fuero ſecutus, ſedendo in plateis, ridendo cum irriſoribus, loquendo faceta, & ſi quæ fuerint alia, quibus peccata & reatus non contrahuntur, (ſeu, quæ ſacrificiis pro peccato & reatu non ſunt eluenda?) Nonne & mihi cor æque fuerit ac illis? Minimus meus digitus craſſior eſt lumbis eorum, & qui illi me ſeducant? Non ita; fili, cave ab iis, ne capiaris reti illorum: Multi hoc modo biberunt de poculo vertiginis eorum; tu vero animam tuam libera. Hoc cum noris, ne deinceps difficile tibi videatur, cur multiplicentur præcepta in negotio recordationis miraculorum Ægypti, quia magna ſunt columna Legis noſtræ; & per multitudinem noſtrarum occupationum in ea tales, quales diximus, reddimur.* Plura de hoc præcepto in *Talm.* Peſach. *Maim.* Korb. Peſ. cap. 9. 11. סמג S. 355. 356.

XXI. שלא יאכל ערל מן הפסח. *Præputiato non eſſe comedendum de Paſchate.* Id enim expreſſo Dei mandato prohibetur *Exod.* 12. v. 48. *Nullus habens præputium comedet ex eo.* Quid ערל, notum ſatis ex Lexicis; hoc tamen loco notari ſcribunt eos, quorum fratres mortui ſunt propter circumciſionem. Etſi vero ab eſu agni Paſchalis ejuſmodi hominem arceant, participem tamen eum faciunt azymi, amararum herbarum, &c. quæ etiam eſt ratio mercenarii & inquilini. An vero illi, qui circumciſioni filiorum & ſervorum moram injiciunt, hac obligentur Lege, ab uſu & eſu agni Paſchalis, diſputant *Talmud.* in Peſach. Præputiatus autem, qui vel tantum ederit, quantum olea fuerit, plagarum reus eſt. Adeatur etiam *Maim.* Hil. cham. umazz. cap. 1.

XXII. שלא לאכול חמץ בפסח. *Non eſſe fermentatum comedendum in Paſchate;* juxta illud *Exodi* 13. v. 3. *Nec comedatur fermentatum.* Quæ Lex obtinet בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואוכל כזית חמץ בפסח במזיד חייב כרת בשונג חייב חטאת קבועה *omni loco & tempore, maſculos obligans & fæmellas: qui vero fuerit tranſgreſſus & vel tantum comederit fermentati tempore Paſchatis, quantum olea fuerit, deſtinato ſtudio, reus eſt exterminii; qui vero per errorem peccaverit, ſacrificium debet deſtinatum.* Cætera in סמג N. 67. סמק S. 222.

XFIII. שלא יראה חמץ בכל מושבותינו כל שבעת ימי הפסח. *Ne appareat in omnibus domiciliis noſtris fermentatum toto ſeptem dierum Paſchalium ſpatio;* argu-

men-

* Hic R. Levi Rabbinorum quorumdam more delirat, quamvis non deſint Rabbinorum doctiſſimi, qui de gratia, & liberi arbitrii viribus egregie, & catholico ſenſu diſputent.

mento loci *Exodi* 13. v. 7. *Non conſpiciatur apud te fermentum in univerſo termino tuo*. Non ſunt hæc duo negativa, ſed unum tantum, quia, juxta Rabbinos, אין הפרש בין חמץ עצמו ובין הדבר המחמץ. *Non eſt diſcrimen inter fermentum ipſum, & rem fermento infectam*. Habet hæc Lex eaſdem cum ſuperiori circumſtantias, & idem objectum. ועובר עליה ולקח חמץ בפסח והניחו ברשותו לוקה אבל אם לא הוציאו מקודם הפסח מביתו אינו לוקה עליו לפי שאין בו מעשה. *Transgreſſor, qui fermentatum acceperit tempore Paſchatis, illudque in juriſdictionis ſuæ loco depoſuerit, vapulat; ſin autem ante Paſcha e domo ſua non produxerit, non propterea vapulat, quia nulla adeſt actio*. Rab. *Levi*, & *Maim*. loc. cit.

SECTIO V.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ DECIMÆ OCTAVÆ

a c. 13. v. 17. Exod. ad v. 1. c. 18.

Præceptum habet unicum, idque Negativum;

Terminum Sabbathi non eſſe tranſiliendum.

XXIV. שנמנענו שלא ללכת בשבת חוץ לגבולים ידועים *Probibitum nobis eſſe Sabbatho extra terminos præſcriptos progredi*, juxta textum *Exodi* 14. v. 29. *Maneat quiſque apud ſe, neque egrediatur quiſquam e loco ſuo die ſeptimo*. ובא הפירוש עליו שמקומו נקרא לכ שאינו מרחיק יותר משלש פרסאות חוץ לעיר והפרסה ד׳ מילין והמיל אלפים אמה ומודדין משפת הבית החיצון שבעיר אפילו היתה גדולה כנינוה זהו דין תורה אלא שחכמים גדרו גדר ואסרו שלא לילך יותר מאלפים חוץ לעיר. *Senſus eſt*; Locum *vocari* ſuum, *quicunque non eſt remotior tribus paraſangis extra urbem. Paraſanga autem conſtat quatuor milliaribus, milliare* 2000. *cubitis*, i. e. mediocribus paſſibus. *Metiri autem incipiunt ab extremitate domus exterioris, quæ in urbe eſt, ſi vel maxime magnitudine Niniven æquaret. Hæc ratio Legis. Sapientes vero ſepem ſepturi ſanciverunt, non licere ultra* 2000. *cubitos extra urbem procedere*. Symbolum eſſe volunt conditi mundi, expreſſis quarti præcepti verbis exhibitum על כן לזכור הדבר ראוי לנו שננוח במקום אחר כלו׳ שלא נלך בדרך רחוק רק דרך טיול ועונג ובהליכת יב׳ מילין אין בו טורח רב. *Propterea*, inquiunt, *ut memores ſimus hujus rei, conveniens eſt, ut quieſcamus in uno loco, quaſi diceret, ne longum faciamus iter, ſed ambulationis & delectationis. Iter autem duodecim milliarium non multum faceſſit moleſtiæ*. Multa hic occurrunt dubia de homine, qui Sabbathum ſuum celebrat vel in deſerto, vel in ſpelunca. Quid ſentiendum de illo, qui vel coactus, vel authoritate Synedrii extra cancellos prodit? De locis item publicis & privatis, appendicum aut atriorum, ita auctis, ut a cæteris nonnihil recedant; de fune menſionis, quid facto opus ſit, ubi nulla planities, ſed montibus omnia & collibus aſpera? quæ, ut cætera omnia prolixe ventilantur in *Talm*. Tract. Erub. & apud *Maim*. Hil. Schabb. סמג Neg. S. *66*. Pœna tranſgreſſionis eſt לקוי *flagellatio*. Ita enim R. *Levi* הולך אפילו אמה אחת יותר מג׳ פרסאות לוקה וכן אם הלך אפילו אמה חוץ לאלפים אמה סמוך לעיר לוקה מכת מרדות מדרבנן. *Qui vel cubitum extra tres paraſangas fuerit progreſſus, flagellatur: Ita ſi vel unicum cubitum ultra* 2000. *cubitos proceſſerit, vicinus etiam urbi, percutitur flagellatione rebellionis, ex ſtatuto Rabbinorum noſtrorum*. Negat enim Rab. *Levi* contra *Ramb*. & alios, Scripturam terminum Sabbathi vel 3. paraſangis, vel 2000. cubitis definire: Rabbinorum hoc eſſe decretum, cujus violatores maneat מכת מרדות *percuſſio rebellionis*, quæ non eſt adſtricta numero 39. plagarum, ſed pro arbitrio in reum ſævit; מלקות vero *vapulatio* eſt Legis, plagis conſtans 39. quæ tranſgreſſoribus Præceptorum Negativorum deſtinatur. Ergo communi Hebræorum ſententia תחום שבת *terminus Sabbathi*; vel, ut in Novo Teſtamento *Act*. 1. v. 12. vocatur, *Iter Sabbathi*, 2000. abſolvitur communibus cubitis; communis cubitus ſex, טפחים ſeu *palmis;* palma quatuor אצבעות *digitis*, ſuntque bis mille cubiti, totidem פסיעות *greſſus*, ſed בינוניות *mediocres*, qui milliare conſtituebant, ſed minus, ſeu quartam partem majoris, quod פרסה vocatur, & continebat octo mille paſſus. Vide *Lex. Buxtorf. Talmud.* R. תחם.

SECTIO VI.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XIX.

ab Exodi cap. 18. ad 21.

Præcepta Affirmativa continet III.

1. De credenda existentia Dei. 2. De sanctificatione Sabbathi peragenda verbis. 3. De honorandis parentibus.

Negativa XIV. quibus prohibentur.

1. Ne ullum credamus Numen, præter solum Deum. 2. Non faciendum sculptile. Non procidendum coram Idolo. 4. Ne Idola colamus cultu illorum usitato. 5. Non falso jurandum. 6. Nullum opus Sabbatho faciendum. 7. Innocentem non occidendum: 8. Proximi uxorem non esse violandam. 9. In Israele non esse plagium committendum: 10. Testimonium falsum non esse dicendum. 11. Non esse concupiscendum. 12. Hominis effigiem nullam faciendam, ne quidem ad ornatum. 13. Altare ex lapidibus cæsis non esse exstruendum. Super altare non esse gradiendum.

XXV. מצות האמנה במציאות השם. *Præceptum de credenda existentia Dei*, seu להאמין שיש לעולם אלוה אחד שהמציא כל הנמצא ומכחו וחפצו היה כל מה שהוא ושהיה ושיהיה לעדי עד וכי הוא הוציאנו מארץ מצרים ונתן לנו התורה. *Credendum, quod in æternum sit Deus unus, qui omnibus, quæ existunt, existentiam dedit: Quodque ex voluntate & potentia ejus sit, quicquid est, fuit & erit in omne ævum; & quod eduxerit nos ex Ægypti terra, Legemque nobis dederit.* Fundamentum hujus præcepti ostendunt *Exodi* 20. v. 2. *Ego Jehova Deus tuus, qui eduxi te e terra Ægypti*. Emphasin Pronominis אנכי Hebræi cumprimis urgent. מלת אנכי תורה על המציאות ואשר אמר אשר הוצאתיך לומר שלא יפתה לבבכם לקחת עניץ צאתכם מעבודות מצרים ומכות המצריים דכך מקרה אלא תדעו שאנכי הוא שהוצאתי אתכם בחפץ ובהשגחה כמו שהבטיח לאבותינו אברהם יצחק ויעקוב. *Vocula* Ego *innuit Existentiam: Quod vero ait:* Qui eduxi te, *aurem quasi vellicat, dicendo: Ne acceptum feratis negotium exitus vestri ex servitute Ægyptiaca, & plagis Ægyptiacis, fortunæ; sed scitote, me esse, qui eduxi vos per voluntatem & providentiam; sicut promisit Patribus nostris Abrahamo, Isaaco, & Jacobo.* Hanc vero fidem vocant fundamentum Legis; כי האמנ׳ הזאת יסוד הדת ואשר לם יאמין בזה כופר בעיקר ואין לו חלק וזכות עם ישראל. *Quia hæc fides magnum est fundamentum Legis, unde qui eam non amplectitur, negat principium, neque partem habet, vel justitiæ meritum cum Israelitis.* Sed & oris confessionem cordis fidei respondere volunt, adeo ut ישאל עליו ישיבלכל שואל שזה יאמין לבו ולא יודה בחילוף זה אפילו יאמרו להרגו שכל זה מחזיק וקובע האמנת הלב כשמוציא הדבר מן הכח אל הפועל רצוני לומר כשמקיים בדברי פיו מה שלבו גומר *si hoc nomine rogetur, cuilibet respondere possit, ita se credere corde, nec contrarium ejus professurum ore, etiamsi vel mortem ei minentur. Hic enim demum fidem cordis apprehendisse & infixisse habendus est, qui potentiam rei producit in actum, id est, cum verbis oris confirmaverit, quod corde suo perfecit.* Vide plura apud *Maim.* Hil. Jes. Torah, cap. 1. סמג S. 1. סמק S. 1. R. *Levi* hujus præcepti explicationem ne ipse quidem, a Talmudicis, qui ritibus & juri potius Judaico, quam dogmatibus explicandis vacant, nos petere jubet; sed מספרי יודעי חכמות האלהות *ex libris Theologicis*; ubi multa de Dei Essentia & attributis, &c. quæ suo tempore, σὺν θεῷ, exhibebimus. Cui hæc Lex non curæ est, ei abjudicant חלק עם ישראל, id est, *vitam æternam*.

XXVI. קדוש שבת בדברים *Sanctificatio Sabbathi peragenda verbis*, i. e. לדבר דברים ביום שבת בכניסתו וכן ביציאתו שיהיה

שיהיה בהן זכר גדולת היום ומעלתו והבדלתו לשבת משאר הימים שלפניו ואחריו. *Proferenda verba die Sabbathi, ſub ingreſſum nempe & egreſſum ejus, quibus contineatur* μνημόσυνον, *magnificentiæ illius diei, præſtantiæ & diſtinctionis a reliquis diebus, antecedentibus, & ſequentibus eum.* Hunc colligunt ſenſum ex verbis *Exodi* 20. v. 8. *Memento diei Sabbathi, ut ſanctifices eum.* Rabbini tamen alii hinc ſubſidium quærunt Sanctificationi Sabbathi, quæ per cyathum, verbis conſecratum, fit: אמרו לנו חכמינו שדברים אלו מצווים אנו לאומרם על היין. *Dicunt autem nobis Sapientes noſtri, verba illa nobis præcepta pronuntianda eſſe ſuper vino;* id eſt, vinum iis conſecrandum. Quomodo autem conſecratio illa ſe habeat, breviter exponit R. *Levi:* על היין שנותנין בכוס יין רביעית חי או מזוג או יותר מרביעית אבל לא פחות מזה והמזינה ידועה שהיא על חלק אחת של יין חי וטוב שלש חלקי מים ומברכין עליו קידוש שבת כמו שידוע הנוסח בין היהודים וכן ביציאת שבת נ״כ מברכין על היין לכבוד היום ואותה ברכה של מוצאי שבת נקראת הבדלה i. e. *Res autem illa ita ſe habet: Infundunt cyatho vini, meri, aut mixti, partem quartam; plus nonnunquam, non vero minus. Mixtio hæc, ut notum eſt, fit, cum una pars vini meri tres admittit partes aquæ, cui tum benedicunt formula* (eam *Buxtorf.* recitat Syn. Jud. c. 10. p. 334.) *Sanctificationis Sabbathi, vulgata inter Judæos. Sed & exeunte Sabbatho vino benedicunt in honorem diei; Benedictio autem illa, quæ ad exitum Sabbathi fit, vocatur* ſeparatio diei nempe ſacri a profanis. Vinum adhiberi volunt, ut excitetur cor hominis ad memoriam tanti ſigni rite celebrandam. Vide *Seph. Chin.* pag. 18. b. Quo vero vino hanc celebrare liceat ceremoniam? an pro mercede facta conſecratio ſit legitima? quibus conſecrandi formulis utendum? quod diſcrimen inter conſecrationem Sabbathi, & reliquorum dierum feſtorum? quæ commoda ſint hic aromata, quæ non item, quæritur apud Talmud. hinc inde, in *Peſach.* ſub fin. *Schabb.* & *Berac.* Tenentur hoc præcepto viri & mulieres, ita ut, qui verbis non ſanctificaverit Sabbathum, affirmativum violet: Plura apud *Maim.* Hil. Schabb. c. 29. סמג *Aff.* S. 29. סמק. c. 281.

XXVII. מצות כיבוד אב ואם *Præceptum de colendo patre & matre*, juxta illud *Exodi* 20. v. 11. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Honoris autem nomine victum intelligunt, & amictum, introitum & exitum. איזהו הכיבוד מאכיל ומשקה מלביש ומכסה מכניס ומוציא. *Quis his honor? ut cibum ei impertiat & potum; veſtiat & tegat, introducat & educat.* Hoc vero præcepto Deum nobis & gratam beneficiorum memoriam & parentum curam commendare volunt. משרשי מצוה זו שראוי לו לאדם שיכיר ויגמול חסד למי שעשה עמו טובה ולא יהיה נבל ומתנכר וכפוי טובה שזו מדה רעה ומאוסה בתכלית לפני אלהים ואנשים ושיתן אל לבו כי האב והאם הם סבת היותו בעולם ועל כן באמת ראוי לו לעשות להם כל כבוד וכל תועלת שיוכל כי הם הביאום לעולם גם יגעו בו כמה יגיעות בקטנותו וכשיקבע זאת המידה בנפשו יעלה ממנה להכיר טובת האל ב״ה שהוא סבתו וסבת כל אבותיו עד אדם הראשון ושהוציאו לאויר העולם וסיפק צרכו כל ימיו והעמידו על מתכונתו ושלימות איבריו ונתן בו נפש יודעת ומשכלת שאלולי הנפש שחננו האל יהיה כסוס כפרד אין הבין ויערוך במחשבתו כמה וכמה ראוי להזהר בעבודתו ב״ה. *Ratio hujus præcepti eſt, quod conveniat homini agnoſcere & rependere beneficia ei, qui bona ei tot largitus eſt; neque ſit ſtultus; alienum ſe ſimulans; aut ingratus* (Rabbinica phraſis vulgo redditur *ſubactus, ſuppreſſus a bono;* ſed commode active verti videtur, *oppreſſor boni accepti;* prout Arabica vox كغور cui proxime reſpondet, active ſumta *ingratum* ſimpliciter ſeu *celatorem, tectorem, oppreſſorem beneficii* notat) *quæ indoles mala & perverſiſſima eſt coram Deo & hominibus: utque ad animum revocet, eſſe parentes, quibus debeat ſuam in mundo exiſtentiam, ſeu vitam. Vere proinde dignos eſſe, omni honore & utilitate quam exhibere iis poſſit, utpote a quibus & in hanc lucem editus ſit, & magno inſuper labore atque moleſtia in infantia educatus. Hoc ubi menti ejus fideliter fuerit impreſſum, aſcendet hinc ad agnitionem beneficiorum Dei, quod cauſa ſui ſit, omniumque Patrum ſuorum ad primum uſque hominem, & quod produxerit ipſum in hanc lucem, ſuppeditaritque neceſſaria ſibi omnibus diebus; beaverit ipſum proportione & perfectione membrorum: indiderit ei animam cognoſcentem & intelligentem; adeo ut niſi hanc gratioſe ei communicaſſet animam, ſimilis eſſet equo & mulo, cui nullus ſenſus. Unde mente ſua colliget, quanto dignior ſit Deus benedictus cultu & obſervantia debita.* Hic vero honor parentum quouſque ſe extendat, & quibus verbis impia illis mandantibus ſit occurrendum, &c. habes in *KiddUſch.* & in *Gemara.* Vide etiam *Maim.* Hil. Mamrim cap. 6. סמג Aff. S. 112. סמק. S. 50. Tranſgreſſor, ſive maſculus fuerit, ſive fœmella, hujus præcepti, qui nempe, cum licet, parentibus non obſequium

præstiterit, Judicii Dominio subjectus eandem sustinet pœnam, quam cæteri, qui affirmativa violant præcepta: quem proinde, si potest, in ordinem redigit.

XXVIII. שלא נאמין אלוה בלתי השם לבדו. *Ne ullum Numen credamus, extra Deum*, argumento loci *Exodi* 20. v. 3. *Non erunt tibi Dii alieni coram me*, id est: לא תאמין אלה אחר זולתי *Non credas esse Deum alium, præter me*. Notat hic *Nachmanides* לא תמצא לעולם שיאמר הכתוב אלהים רק על האמנת הלב אבל על העשייה לא יאמר לעולם לא תעשה אלהים אחרים כי לא תפול בלשון עשייה. *Non reperies: unquam Scripturam dicere*, Deos alienos, *nisi cum sermo fuerit de fide cordis; de fabrica vero* (Deorum, Idolorum) *nunquam reperitur*: Non facies tibi Deos alienos, *quia vox* alii, *faciendi verbo non convenit*. Hoc vero præcepto fundamentum statuunt totius Legis. וזאת המצוה היא העיקר הגדול שבתורה שהכל תלוי עליו כמו שאמרו ז״ל כל המודה בע״א כאילו כופר בכל התורה כולה ואחד המקבל באלוה לשים דבר זולתי הש״י לבדו או העובד אותו דבר בדרך עבודתו כלו׳ כדרך שעובדין אותו המאמינים בו או אפי׳ שלא כדרך עבודתו אם יעבדנו בד׳ עבודות ידועות שהן זיבוח וקיטור וניסוך השתחויה עבר על לא יהיה לך וניסוך וזורק דבר אחד הוא ומתחייבין בזריקה כמו בניסוך. *Hoc præceptum magnum est Legis fundamentum, a quo omnia pendent, sicut dicunt Rabbini nostri p. m. Quicunque aliud confitetur Numen, est quasi totam negaret Legem; & qui quicquam Numinis loco, præter Deum, suscipit, aut colit illud cultu ei solito, id est, cultu, quo qui ei credunt, idem afficiunt; aut, si vel maxime cultu consueto non colat; sed quatuor notis cultus speciebus; sacrificio, suffimento, libamine, & incurvatione omnimoda; reus est Legis*; Non erunt tibi Dii, &c. *Libamine autem & projectione* (alludit ad Mercurii cultum, de quo *Buxtorf*. Lex. Talm. voce מרקלים) *delinquentes sunt iidem: Ita ut propter projectionem perinde ac libamen reum peragant*. פרטים seu *specialia*, quæ multa sunt (vide *Chin*. pag. 19. a. b.) discutiuntur *Tract*. Talmudico, peculiari de Idololatria. Quærunt autem Judæi, cum hæc Lex sit Naturæ, omnibus insculpta Gentibus, quam מצות בני נוח *Præceptum Noachidarum* appellant, quid discriminis utrobique observetur? Resp. Rab. *Levi*: ומן החלוקין שבין ישראל לשאר האומות בענין המצות המוטלות על הכל הוא שישראל לא יתחייב לעולם בלא עדים והתראה ושאר האומות אין צריכין התראה לפי שאין חילוק בהן שוגג למזיד וכן יתחייבו גם כן בהודאת פיהם מה שאין כן בישראל שצייך עדים ועוד יש חילוק אחר כי האומות בעברם על כל אחת ממצותם יתחייבו לעולם מיתה וזהו שאמרו ז״ל אזהרתן זו היא מיתתן וישראל יתחייב פעמים קרבן פעמים מלקות פעמים מיתה ופעמים אינו מתחייב אלה אלא שהוא כעובר על מצות מלך ונשא עונו. *Ex differentiis quæ occurrunt inter Israelem, & reliquas gentes in negotio præceptorum, omnibus impositorum, est; Quod Israel nunquam reus efficiatur, nisi præcesserit admonitio, aut adsint testes; reliquæ vero gentes neque admonitione opus habeant, neque testibus: quia inter peccatum ignorantiæ & voluntarium non distinguunt. Ita etiam convinci possunt propria oris confessione, quod apud Israelitas non admittitur, qui testes requirunt: Est & aliud discrimen, quod gentes, dum quodcunque transgrediuntur præceptum suum, morte illud semper eluere debeant* (*atque hoc est quod dicunt Rabbini nostri f. m. Admonitio eorum est mors eorum*) *Israelitæ vero quandoque incurrunt in pœnam sacrificii, quandoque flagellationis, quandoque mortis; quandoque nulla ipsos manet pœna, sed est quasi violasset præceptum regium, & portat iniquitatem suam*. Plura de hoc præcepto suggerit *Maim*. Hil. Jes. Tor. cap. 1. סמג N. S. 1.

XXIX. שלא לעשות פסל. *Non esse faciendum sculptile*. Exodi cap. 20. v. 4. *Non facias tibi sculptile, nec ullam similitudinem*. Sensum hujus præcepti plenius pandit R. *Levi*; שלא נעשה צלמים שיעבדו אפילו לא עבדם העושה אותם העשייה לבד אסורה להרחיק המכשול ואין הפרש בין שיעשה בידו או יצוה לעשות. *Ne faciamus imagines ut colantur, etsi is, qui facit, non colat eas. Prohibetur autem fabrica sola, ad removendum scandalum. Neque discrimen est, sive quis faciat ipse, sive facere jubeat alium*. Quod posterius lemma, ex *Maimonide* desumtum, Rab. *Levi* non probat. De discrimine vero imaginum licitarum & illicitarum, quarum illæ בולטות *prominentes*; hæ שוקעות *profundæ, depressæ*; quid item de annulis sculptoriis sentiendum, agitur in *Mass*. אלילים. Vide etiam *Maim*. Hil. Avod. zar. cap. 3. סמג Neg. 17. 18. 19. 20. סמק S. 63. ועובר עליה ועשה אלמים הנעבדים במזיד לוקה. *Qui vero, transgressus, fecerit imagines destinata opera, quæ colantur, flagellatur*.

XXX. שלא להשתחות לע״א וע״א היא כל שיעבוד זולתי האל ב״ה. *Non esse incurvatione colendum Idolum*. Idolum autem est, quicquid præter Deum colitur; *Exodi* 20. v. 5. *Non incurvabis te eis, nec coles ea*. Volunt Rabbini, conjungi עבר cum השתחוה, non tam quod השתחואה, nulla cultus intentione facta, non prohibea-

beatur, quam ut palam fiat, inclinationem illam eſſe ex quatuor ſpeciebus cultus, in toto orbe pene receptis. Quid autem ſit השתחואה, fiat ne בפישוט ידים ורגלים *extenſione manuum & pedum*; aut *applicatione vultus ad terram*? Item, liceat ne ad ſtatuam, ſpinam, pedi infixam, eruere, vel nummos diſperſos colligere, diſputant Talmudici tractatu peculiari de *Idolol.* ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה והשתחוה לשום עא״ בעולם או זבח וקטר ונסך או זרק במזיד חייב כרת ובעדים נסקל ובשוגג חייב חטאת. *Præceptum hoc valet omni loco & tempore, in utroque ſexu. Qui vero tranſgreſſus, coram ullo ſe proſtraverit Idolo in mundo, aut ſacrificaverit, aut adoleverit, aut libaverit ei, aut projecerit, ſi ἐκ προαιρέσεως fiat, reus eſt exciſionis; ſi teſtibus convincatur, lapidibus obruitur, ſi ex ignorantia peccaverit, ſacrificium pro peccato offert.*

XXXI. שלא נעבוד שום עא״ בעולם בדברים שדרכה שעובדים אותה המאמינים בה ואעפ״ שאין עבודתה באחת מד׳ עבודות שאמרנו למעלה. *Ne ullum colamus Idolum iis rebus, quibus a cultoribus ſuis honoratur, etſi cultus ille non ſit ex quatuor cultus ſpeciebus, quarum ſupra meminimus*; Quid? quod ne eum quidem honorem deferre Idolis licet, qui probroſis & indecoris exhibetur geſtibus; qualis eſt extenſio clunium in Peoris cultu; projectio lapidum Mercurio ſolennis, &c. Hoc qui deſignarit, teſtibuſque convictus fuerit, lapidatur. Duo hæc præcepta *Nachmanides* cum illo: *Non erunt tibi Dii alieni*, &c. conjungit. Vide *Chin.* 19. b. 20. a.

XXXII. שלא לישבע לשוא. *Non eſſe jurandum in vanum*, juxta illud: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*; Exodi 20. v. 7. Quatuor modis obſervant Judæi, violari hoc præceptum: כגון שנשבע על דבר ידוע שאינו כן כגון על עמוד של שיש והוא של זהב וכן כל כיוצא בו והצד השני כגון שנשבע על הידוע שהוא כן כגון על האבן שהוא אבן ועל העץ שהוא עץ וכל כיוצא בו הצד השלישי שנשבע לבטל מצוה זו או מצוה שחייבנו הש״י בהן שגם זה לבטלה לגמרי הוא שאין בידו לישבע על מה שכבר חייבו האל ובמו שנשבע בדבר ידוע שאינו כן הוא הצד הרביעי שנשבע לעשות דבר שאין בו כוח לעשותו כגון שלא יישן ג׳ ימים רצופים או שלא יאכל שבעה ימים רצופים וכן כל כיוצא בו i. e. Primo, *cum jurat de re nota, quæ tamen ita ſe non habet; de columna, verbi gratia, marmorea, quæ aurea eſt, &c.* Secundo modo, *cum juraverit de re nota, quæ ita ſe habet, ut cum lapidem vel lignum eſſe talia, qualia ſunt, juraverit, &c.* Tertio modo *cum juraverit, ſe hoc vel illud præceptum, cui nos obſtrinxit Deus benedictus, redditurum irritum. Nam & hoc omnino vanum eſt: Nec enim in ejus poteſtate eſt jurare de re, cui ipſum Deus jam aſtrinxit, & per quem juravit de re nota, quæ ita non eſt.* Quarto modo, *cum juraverit aliquid facere, quod in viribus ejus non eſt, ut quod totos tres dies non ſit dormiturus, aut ſeptem dies nihil eſurus, &c.* משרשי המצוה לדעת בני אדם ולקבוע בנפשותם ולחזק האמונה בלבותם כי האל ב״ה אשר בשמים ממעל חי וקיים לעד אין קיים כקיומו וראוי ומחויב עלינו בזכרנו שמו הגדול על מעשינו ועל דבורינו לזוכרו באימה ויראה ברתת ובזיע ולא כמהתלים ומדברים בדברים קל כמו הדברים חהוים ונפסדים ואינם נשארים בקיומם כמונו אנחנו בני אדם ושאר דברי העולם השפל על כן ראוי לקבוע הענין הזה בלבבנו ולהיות יראתו על פנינו לחיותנו ולזכותנו חייבנו במצוה הזאת לבל נזכיר שמו הקדוש לבטלה וענש מלקות על המקיל ועובר עליה. *Ratio hujus præcepti eſt, ut ſciant homines, cordibuſque ſuis imprimant, & fidem in cordibus ſuis corroborent, quod ſubſiſtentiæ Dei benedicti qui in cœlis ſuperne vivat, & quem teſtem ſtatuunt, ſubſiſtentia nulla ſit ſimilis. Teneri proinde nos & decere, quoties mentionem facimus nominis ejus magni, ſuper facta noſtra aut dicta, ejus meminiſſe cum reverentia, timore, tremore & commotione; ſecus quam illi faciunt, qui ludicra loquuntur, aut res vanas, cujuſmodi ſunt ea, quæ quidem ſunt; ſed corrumpuntur, & in ſubſiſtentia non permanent, quales ipſimet nos ſumus homines, & reliquæ hujus mundi inferioris creaturæ. Convenit igitur nos hoc negotium cordibus noſtris ſerio imprimere. Ut autem ejus timor ſit ſub aſpectu noſtro, nos vivamus, & digni ſimus, legem hanc nobis dedit, ne commemoremus nomen ejus ſanctum in vanum. Hanc qui vili pendit & tranſgreſſus fuerit, flagellationem meretur.* Diſtinguunt ab hoc juramento *vano*, juramentum *falſum*, quod ipſum tamen etiam ex hoc principio eliciunt: ומזה השרש בעצמו הוא ענין שבועת שקר כלומר נשבע לקיים דבר ולא קיימו שהיא נקראת שבועת ביטוי שבא עליה לאו אחר בפני עצמו בסדר קרושים תהיו כמו שנ׳ ולא תשבעו בשמי לשקר כי הנשבע בשם הגדול לאמת דבר שהיה והוא יודע ששקר בפיו הנה הוא מקל ביראת אלהים כאומר בלבו שאין אמת תאלמנה שפתיו וכן הנשבע לעשות דבר ואחר כך לא יעשנו הוה הוא גם במורדי אור מכחישי האמת כי פירוש נשבע לפי דעתי שגומר האדם בלבו ואומר בפיו להיות מקיים אותו דבר שנשבע עליו ולא ישנהו לעולם כמו שהשם ב״ה קיים לא ושתנה

ישתנה לדי עד והו שלשון שבועה יבא לעולם בלשון נפעל כלומר שנפעל בדבריו להיותו קיים כמו שאמור בקיומו בה״. *Ex eadem etiam radice pullulat ratio juramenti falsi, cum nempe quis jurat, se quid præstiturum, quod non præstat. Vocatur alias* juramentum futilitatis, *vel* temeritatis, *de quo peculiare Negativum*, Sect. Sancti estote, &c. *Quemadmodum dicitur*, Levit. c. 19. v. 12. Neque jurabitis per nomen meum falso, seu mendaciter : *Nam qui per Nomen magnum ad confirmationem rei, quasi existeret, jurarit, ipse vero mendacium esse in ore suo novit, ille parvi facit timorem Dei, utpote cui cor testimonium perhibet, quod res illa ita se non habeat. Obmutescant labia ejus! Ita etiam qui juramento ad hoc vel illud se obstrinxerit, neque fecerit, est ex rebellantibus luci, & inficiantibus veritatem. Est enim* נשבע*, meo judicio, cum quod perficit homo in corde, & exprimit ore suo, confirmaturus est id ipsum quod juravit, neque mutaturus in seculum : quemadmodum Deus benedictus subsistens non mutatur in ulla secula. Hinc jurandi verbum semper occurrit in Conjug. Niphal, quo innuitur; Ita res suas, quas juramento quisque stabilit, velle firmas, quam vere asserat Dei substantiam*. Quid vero discriminis sit inter שבועה *juramentum*, & נדר *votum*, docet idem Rab. *Levi* Eum, qui vovet, ait esse כמכניס דבר המותר בנדר האסור *qui rem licitam redigit intra septum prohibitum*. Prolixe postea idem materiam hanc pertractat, ut & alteram ei affinem, de juramenti vinculo ἀδιαλύτῳ, quod homini nonnisi certis conditionibus solvere liceat. Cætera פרטים, ut vocant, exhibentur in *Schebbuoth* & *Nedarim.* Vide etiam *Maim.* Hil. Schebh. c. 11. סמג N. S. 238. סמק S. 157. Qui jurat לבטלה destinata malitia, reus est flagrorum; sed qui convincitur שבועה ביטוי ex ignorantia, sacrificio expiatur.

XXXIII. שלא לעשות מלאכה ביום השבת אנחנו ולא נניח לעשות לבנינו ועבדינו ובהמותינו. *Non esse faciendum opus ullum die Sabbathi nobis; neque permittendum ullum facere filiis nostris, servis nostris, aut jumentis nostris; monente Domino;* Exodi c. 20. v. 10. *Non facies ullum opus tu, neque filius tuus, &c.* Observant autem Hebræi uno quidem negativo exprimi violationem hujus præcepti effectivam & permissivam, non tamen eadem pœna multari. ואין ספק כי אע״פ שהכתוב הוציא איסור המלאכה בנו ובבנים ובעבדים ובבהמות בלאו אחד שאין הענין שוה כי העושה מלאכה בגופו יתחייב מיתת ב״ד אם הוא מזיד ובמלאכת אחרים אע״פ שמוזהר עליהם בלאו לא יתחייב עליהם אפילו מלקות שאין מלקות לעולם במעשה אחרים. *Neque dubium est, quin, etsi Scriptura opus probibeat nobis, filiis, servis & jumentis unico negativo, non tamen eodem sensu illud fiat. Nam qui opus fecerit corpore suo, id est, ipse, pœnam mortis incurrit domus judicii, si nempe contumaciter fecerit opus. Propter opus vero aliorum, etsi monitus sit de negativo, non tamen reus sit propter illos, vel flagellationis. Nunquam enim flagellatio infligitur propter opus aliorum*. Causa finalis est ἀναμνήσεως creationis : משרשי מצוה זו שנהיה פנוים מעסקינו לכבוד היום לקבוע בנפשותינו אמונת חידוש העולם שהיא חבל המושכת כל יסודי הדת ונזכור ביום אחד בכל שבוע ושבוע שהעולם נברא בששת ימים חלוקים ובשביעי לא נברא דבר ובכל יום ויום נבראו ענינים חלוקים להורות על הרצון הפשוט שלא כדעת המתפלספים הנמאסים לנו בדעתם זה שחושבים לאמר שעם היותו בה״ היה הכל ובמנוחתינו בשביעי זכר לנו בחידושו של עולם כי כשישבתו בני אדם כולם ביום אחד בשבוע וישאל כל שואל מה עלת זאת המנוחה ויהיה המענה כי ששת ימים עשה ה׳ וכו׳ כל אחד יתחזק מתוק כך באמונה האמתית ומלבד זכירת חדוש העולם יש בו זכירת נס מצרים שהיינו עבדים שם ולא היינו יכולים לנוח בעת חפצינו במנוחה והאל הצילנו מידם וצונו לנוח בשביעי ועל כן זכר במשנה תורה זה השורש השני שיש לנו במנוחה ואמר שם במצוה הזאת וזכרת כי עבד היית במצרים על כן צוך ה׳ וכו׳. *Ratio hujus præcepti est, ut vacemus a negotiis nostris in honorem diei, & ut infigamus animabus nostris fidem novitatis Mundi, quæ funis est, post se trahens omnia fundamenta Legis : Et ut simus memores uno septimanæ die, mundum sex dierum distinctorum spatio creatum; Septimo autem nihil prorsus esse creatum. Singulis vero diebus res distinctæ sunt creatæ, ut doceremur sensum simplicem, qui a Philosophis (quos hoc loco rejicimus) statuentibus, omnes res Deo esse coævas, recedit. Quod vero quiescimus die septimo, in memoriam nobis revocat novitatem Mundi. Nam, cum quiescunt omnes homines die uno septimanæ, & interrogaverit aliquis, quæ causa hujus quietis? Responsio erit : Quoniam sex diebus fecit Dominus, &c. Unusquisque autem hac ratione in vera fide confirmabitur. Præter recordationem autem Creationis Mundi, est etiam ἀναμνήσεως miraculi in Ægypto, quod servi fuerimus ibi, neque potuerimus quiescere pro lubitu nostro, quodque Deus liberaverit nos e manu eorum, & præceperit nobis quiescere die septimo. Propterea in Deuteronomio mentio fit hujus fundamenti secundi, in quiete nostra positi. Dicit enim*

Deus

Deus in hoc præcepto : Et memento, te ſervum fuiſſe in Ægypto, propterea præcepit tibi Dominus, &c. Occupata eſt Theologia Talmudica in hujus præcepti examine præ cæteris ſollicite. Habent enim quedam opera, quæ vocant עיקר מלאכות *fundamentum operum*, quibus homo reus redditur violati Sabbathi, cujuſmodi ſunt 39. Alia vero opera ſunt קלות שאסרו הן לגדר *levia, quæ prohibentur ut ſint ſepes*. Decidunt, item quid ſint שבותין, &, quod ex communi Rabbinorum ſententia, liceat pellere Sabbathum להצלת נפשות *ad liberandas animas*, כוי הזריז לחלל שבת בשביל תצלת נפשות משובח *quod qui promtus eſt violare Sabbathum pro ſalute animarum, laudem meretur*. Unde & pro ægroto impune Sabbathum violant. De quibus in Maſſ. שבת & יום טוב. Conf. *Maim.* Schabb. cap. 1. סמג N. *66.* סמק S. 273. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה במזיד נסקל והוא שיהא שם עדים והתראה שבלל זה בידך לעולם שאין מיתה או מלקות אלא בעדים והתראה והתראה לעולם להבחין בין שוגג למזיד. *Conſuetudo obtinet omni loco & tempore, in utroque ſexu. Qui ſuperbe fuerit tranſgreſſus, lapidatur, quod fit, ſi adſint teſtes & admonitio. Hoc enim in genere tene, quod non ſit occaſio, aut flagellatio, niſi accedentibus teſtibus & admonitione. Requiritur enim hæc, ad diſtinguendum ſuperbe & ignoranter peccantem.*

XXXIV. שלא להרוג נפש. *Non eſſe occidendam animam;* vel; שלא להרוג נקי. *Non eſſe occidendum inſontem*, juxta illud *Exodi* cap. 20. v. 13. *Non occides.* שורש מצוה זו ידוע ונגלה לכל רואי השמש כי הש״י ברא העולם וצונו לפרות ולרבות כדי לישבו לפניו ומנענו שלא נחריבהו בידינו להרוג ולאבד הבריות שהן המישבות העולם ואולם הרשעים הגמורים כגון המינים והמלשינים אינם מישבי העולם ועליהם אמר הכתוב באבוד רשעים רנה לפי שהם לא יושיבו העולם אלא יחריבוהו בכל כוחם והו מה שאמר חכם מחכמינו באבדו הרשעים קוצים אני מכלה מן הכרם כלומר באבדן אלה יתישב העולם יותר כמו שפירות הכרם מתרבים וטובים יותר בסילוק הקוצים ממנו. *Ratio hujus præcepti nota & manifeſta eſt omnibus Solem aſpicientibus. Creavit enim Deus mundum, eundemque mandato ſuo creſcere & multiplicari voluit, ut habitabilis in conſpectu ejus redderetur : Interdixitque nobis, ne deſtrueremus eum manibus noſtris occidendo & perdendo creaturas, quæ Mundum faciunt habitabilem. At perfecte impii, cujuſmodi ſunt hæretici, & obtrectatores, eum non reddunt habitabilem, & de iis dicit Scriptura :* In perditione impiorum eſt cantus, *quia mundum deſtruunt potius, quam conſtituunt, quantum in ipſis eſt. Atque hoc eſt, quod quidam ex Sapientibus noſtris dixit :* Perdendo impios, ſpinas ego aboleo ex vinea; *quaſi diceret : Interitu illorum mundum excoli magis, quemadmodum fructus vineæ creſcunt & meliores fiunt, ſi ſpinæ auferantur ab ea.* Specialia hujus præcepti exſtant cap. 9. *Sanhed.* & cap. 2. *Maccot.* Confer. *Maim.* Hil. רוצח cap. 1. סמג N. S. 160. סמק S. 81. Homicidam voluntarium הורגין בסייף *occidunt gladio.*

XXXV. שלא לבא על אשת איש. *Non eſſe congrediendum cum alterius uxore*; argumento loci *Exodi* 20. v. 14. *Non mœchaberis*. Quid נאף, quod *mœchari* vulgo, alii ſimpliciter *ſcortari* vertunt, Hebræis ſit, R. *Levi* explicat : ובא הפירוש שלשון ניאוף סתם משמע באשת איש כמו שאמרו ז״ל אין ניאוף אלא באשת איש. *Vocem* ניאוף *abſolute & ſimpliciter notare volunt congreſſum cum uxore viri alterius; quemadmodum Rabbini dicunt : Non dicitur* ניאוף *niſi de uxore viri.* משרשי מצוה זו כדי שיתישב העולם כאשר חפץ השם והשם בה׳ רצה שיהיו כל עניני עולמו עושין פירותיהן כל אחד ואחד למינהו ולא שיתערבו מין במין אחר וכן רצה שיהיה זרע האנשים ידוע של מי הוא ולא יתערבו זה עם זה ועוד ימצאו כמה הפסדין בניאוף שתהיה סבה לבטל כמה ממצות האל עלינו מצונו בכבוד האבות ולא יוכרו לבנים ועוד יהיה כשלון במה שנצטוינו גם כן שלא לבא על האחות ועל הרבה נשים והכל יעקר בסבת הניאוף שלא יכירו בני אדם קרובותיהן מלבד שיש בענין הניאוף עם אשת איש צד גזל. *Ratio hujus præcepti eſt, ut incolatur mundus ad voluntatem Dei. Voluit autem Deus benedictus, ut omnes creaturæ Mundi ſui, fructus proferant, ſecundum ſpeciem ſuam, neque ſpecies cum ſpecie commiſceantur. Idem etiam obtinere voluit in ſemine humano, ut conſtet cujus quodvis ſit, neque hoc cum illo confundatur. Inſuper plures reperiuntur corruptiones in adulterio, quæ cauſæ exiſtunt violationum plurimorum mandatorum. Præcepit nobis Deus honorare parentes : At illi filiis non innoteſcunt. Eſt etiam offendiculum plurimis eorum, quæ juſſi ſumus. Sic prohibemur congredi cum ſororibus, & aliis uxoribus multis; At omnia adulterium tollit, quod non norint homines propinquas ſuas.* Præterquam quod adulterium, ubi cum proximi uxore res habetur, ſit ſpecies rapinæ, &c. Imo & homicidia ex adulterio oriri facile, poſtea idem R. *Levi* oſtendit.

Examen quæſtionum huc pertinentium inſtituitur tum in *Sanhedrin*, tum in aliis locis *Gemaræ*. Confer *Maim.* Hil. Iſur.

Ifur. biah cap. 3. סמג N. S. *96*. De pœna adulterii ita loquitur R. *Levi :* ושם בסנהדרין מתבאר שהנואף עם אשת איש גמורה בחנק שניהם והנואף עם נערה מאורשה שניהם בסקילה ואם נערה מאורשה בת כהן היא תשרף והוא יחנק וא יסור אשת איש הוא מן המצות שהן על כל בני העולם בכלל בין ישראל בין גוי אבל שי חילוק קצרת שאין אישות לגוי אלא על ידי בעילה וישראל אותה אפיל׳ בקידושין, i. e. *Et ibi, in Sanhedrin, explicatur, adulterum (id est, maritum) cum alterius conjuge congredientem, utrumque suspendi : virum cum virgine congredientem, utrumque suspendi : virum cum virgine desponsata rem habentem, lapidibus utrumque obrui: Quod si filia fuerit sacerdotis, illa comburitur, huic vero gula frangitur. Interdictum autem adulterii ex præceptis est, quæ omnes homines concernunt, sive Israelitæ fuerint, sive gentiles : Aliquo tamen discrimine ; quia conjugium apud gentiles nonnisi congressu contrahitur, apud Israelitas vero etiam dote.*

XXXVI. שלא לגנוב נפש מישראל. *Non esse furto auferendam animam ex Israele ;* Ita enim octavum explicant præceptum, *Non furaberis*. Vide R. *Levi* in Chin. p. 22. b. Confer *Sanhed.* cap. 11. *Maim.* Hil. Genebh. cap. *9*. סמג N. S. 154. סמק S. 384. ועובר עליה וגונב נפש חייב חנק והוא שמכר אותו נפש שכן בא הפירוש שאין החיוב חל עליו עד שימכור שכתוב אחר מגלה עליו דכתיב וגונב איש ומכרו מות יומת. *Qui vero transgressus & furatus fuerit animam, dignus est suspendio, cum nempe vendiderit illam. Ita enim explicatur, quod reatus non cadat in quemquam, usque dum vendiderit eam. Hoc quippe Scriptura ipsa alibi revelat :* Qui virum ablatum vendiderit, morte moriatur; *Exod.* 21. 16.

XXXVII. שלא להעיד עדות שקר. *Non esse testimonium falsum perhibendum*, juxta illud : *Non loqueris adversus proximum tuum falsum testimonium* ; Exodi 20. v. 16. שורש מצוה זו נגלה כי השקר נמאס ונאלח לעין כל משכיל גם כי בעדות אמת העולם עומד שכל דברי ריבות בני אדם מתבטלים בעדות אנשים ואם כן עדות שקר סבה לחרבן הישוב. *Ratio hujus præcepti manifeste patet, quia mendacium abjectum & fœtidum quid est in conspectu omnis intelligentis. Et quia testimonio vero innixus consistit mundus. Omnes enim contentiones hominum deponuntur testimonio hominum. Quod cum ita sit, erit testimonium falsum causa devastationis orbis.* Est & hæc materia in jure Hebraico satis vexata, & tum in *Sanhedrin*, tum alibi in Gemara ventilata. Quæritur enim : Qui ad testimonium dicendum admittantur, qui excludantur ? A quibus, propter ὑπεροχὴν, nullum exigi possit testimonium ? De diversitate testimonii ex objecti varietate orta. De discrimine דרישת העדות והחקירה. Item עדות שטר לבעל פה. Adde *Maimon.* Hil. Ed. c. 13. סמג N. S. *216*. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים אבל לא בנקבות שאין הנשים בתורת עדות שהעדות צריך כיוון וישוב הדעת הרבה והעובר על לאו זה והעיד עדות שקר בחבירו שם הכתוב גבול ענשו לעשות לו כאשר חשב לעשות לחבירו ויש בו מלקו. *Valet omni loco & tempore, in masculis, in mulieribus non item. Nam lege testimonii mulieres non tenentur. Requirit enim testimonium rectam dispositionem, & multum scientiæ. Qui, transgressus negativum hoc, falsum dixerit testimonium, contra proximum suum, pœnæ ejus Scriptura limitem ponit, ut fiat illi, quemadmodum facere cogitavit socio suo ; id est, flagellatione punitur* ; id quod etiam in Sanhedrin explicatum est.

XXXVIII. שלא להעלות גם כן במחשבותינו תחבולה לקחת לנו מה שהוא לזולתינו מאחינו. *Ne cogitationibus quidem locum dandum studio accipiendi, quod alterius est ex fratribus nostris*, juxta id ; *Non concupisces domum proximi tui*. Exodi 20. v. 17. Unde brevius formant hoc præceptum לא לחמוד *Non concupiscendum*. Volunt autem Rabbini præceptum hoc reddi irritum ab eo etiam, qui alteri aliquid aufert (שאיסור לאו דלא תחמוד אינו נגמר עד שיעשה בו מעשה, *quia interdictum negativum hoc non completur, nisi fiat opus*) etsi forte ἰσόῤῥοπον, dederit pretium, propterea quod invito possessori illud eripuit. משרשי מצוה זו לפי שמחשבה רעה היא זו וגורמת לו לאדם תקלות הרבה שאחר שיקבע במחשבתו לקחת ממנו אותו הדבר שחמד מתוך אותה תאוה רעה לא ישגיח בשום דבר ואם לא ירצה חבירו למוכרו יאנוס אותו ממנו ואם יעמוד כנגדו אפשר שיהרגנו כאשר מצינו בנבות שנהרג על כרמו שחמד ממנו אחאב *Ex rationibus hujus præcepti est, quod cogitatio illa mala, causa existat homini multarum offensionum. Postquam enim homo cogitatione sua destinavit auferre ipsi aliquid quod petit, irritante desiderio illo, nihil pensi habet. Si renuerit ei proximus illud vendere, cogit eum : Et si præsens ei esset, forte illum occideret, quod in Nabotho reperimus, qui propter vineam suam, quam ab eo desideravit, occisus est.* Media contra pravam cupiditatem hinc inde tradunt in *Gemara* & *Medraschoth*. Transgressorem Dei judicio relinquunt ; quia הוא כעובר על מצות מלך ית׳ וכמה שלוחים יש למלך ית׳ ליטול נקמתו ממנו *est instar transgressoris mandati Regis benedi-*

nedicti, cui quot sunt ministri ad sumendam vindictam de eo? Plura pete ex *Maimon.* Hil. Gezel. cap. 11. סמק S. 19. סמג N. 158.

XXXIX. שלא לעשות צורות אדם משום דבר הן מתכורת הן עץ או אבן וזולתם ואפילו לנוי. *Non esse faciendam imaginem hominis ex quacunque re, metallis, ligno, lapide, aut aliis id genus, ne quidem ad ornatum; sicut dicitur.* Ne faciatis mecum Deos argenteos; *Exod.* 20. v. 23. Ridicula plane hæc loci est explicatio, & ineptus Rabbinorum lusus, a quo tamen ne ipse quidem *Maimon.* abhorret Hil. אסור לעשות צורות לנוי ואעֿפ שאינן עֿא עבֿום שנ׳ לא תעשון אתי כלומר צורות של כסף והזהב שאינו אלא לנוי כדי שלא יטעו בהן הטועים וידמו שהם לעבודת כוֿם ואין אסור לצור לנוי אלא צורת האדם בלבד לפיכך אין מציירין לא בעץ ולא בסיד ולא באבן צורת האדם והוא שתהיה הצורה בולטה כגון הציור והכיור שבטר קלין וכיוצ׳ בהן ואם צר לוקה אם היתה הצורה משוקעת או צורה של סמנים כגון הצורות שעל גבי הלוחות והטבליות או צורות שרוקמין בארינ הרי אלו מותרות, i. e. *Vetitum est facere imagines etiam ornatus gratia, etiamsi non fiant ad* ἑτερολατρέιαν, *q. d.* Non facietis (*Exod.* 20. v. 22.) mecum, figuras *nempe argenteas, & aureas, quæ tantum ornatus gratia fiunt, ne forte per eas seducantur errantes atque existiment, Idololatriæ causa illas factas esse. Non autem prohibitum est quicquam ornatus gratia facere præter hominis figuram: Proinde eam non exprimunt in ligno, calce, aut lapide; idque si imago hæc fuerit protuberans, qualis esse solet figura & pictura in palatiis & illis similes: Talem si quis fecerit, vapulat. Sin autem figura fuerit depressa, aut signis expressa, cujusmodi sunt figuræ in mensis, tabulisque, aut intextæ operi textorio, pro licitis habentur:* Quæ vero applicatio aut explicatio vocis אתי *Mecum?* R. *Levi* Hebræorum mentem ita exponit. Noluisse Deum, ut exprimeretur illius figura, de qua dixerit Genes. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* At non habet Deus imaginem hominis? Ita est: unde *Maimon.* More Nev. lib. 1. cap. 1. vult, hoc nomine בצלמנו intelligi *formam specificam internam, quæ est apprehensio intellectiva;* & R. *Levi* id ipsum tantummodo sumi vult על חלק השכל שבאדם *ex parte intellectus, qui in homine est*, quoque is ad Deum, & nulla alia re, analogice accedit. Præceptum vero hoc מיוחד לצורת אדם שלא נעשה אותו כלל ואפילו לנוי וזה להרחיק עֿא *peculiariter figuram hominis respicit, ne ullam faciamus, ne quidem ad ornatum, idque ut removeatur Idolatria.* Præcepti hujus violator, justo Dei judicio relictus, אין בו מלקות *non vapulat.* Confer סמג Neg. S. 22. סמק 159. *Talm.* Av. zar. cap. 3.

XL. שלא נבנה מזבח מאבנים שינע בהן ברזל ואם נבנה באבני גזית פסול *Ne ædificemus altare ex lapidibus, qui ferro sunt tacti: Quod si de lapidibus cæsis fuerit exstructum, profanum est,* q. d. Exodi 20. v. 25. *Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis eos excisos, &c.* משרשי מצוה זו שנקבע בנפשותינו מיום עשותו שבסבתו תבא לנו מחילת העון והברכה והשלום אחר כן ועל כן לזכור זה הנרדב גצטוינו שלא לעשות בו דבר בכלים המוכני להשחתה וזהו ברזל שכורת ומוכן תמיד לשפוך דם וכבר הקדמתי לך בתחלה כי האדם נפעל כפי פעולותיו ומהשבותיו והולכות לעולם אחרי מעשיו על כן ראוי לנו לעשורת דמיונורת הפעולות כפי כונת הדברים. *Ratio hujus præcepti est, ut animabus nostris, a die, quo illud* (altare) *conficitur, imprimamus, propter ipsum nobis obventuram remissionem peccati, benedictionem & pacem. Hujus ut memores simus, præceptum nobis est, ne quid in eo fabricemus instrumentis destinatis ad perditionem, cujusmodi est ferrum, quod cædit, & semper paratum est ad effundendum sanguinem. Jam autem præfatus sum tibi, hominem secundum operationes suas fingi & cogitationes, quæ semper actiones ejus sequuntur. Proinde convenit ut typos faciamus operum, qui rebus ipsis respondeant.* Confer *Maim.* Hil. beth habbech. cap. 1. סמג Neg. S. 290. 291. *Talm.* Cod. Midd. ubi de hac materia fuse agitur, dubiaque, cujusmodi est אם נגע ברזל באבן אחד שנבני׳ במזבח אם פוסלת הכל או היא לבדה פסולה. *Si ferro contingatur unicus lapidum eorum, ex quibus altare erigitur, sitne totum illud profanum, an tantum unicus lapis ille;* solvuntur. Addamus unum & alterum Rabbinorum axioma. I. מן בתולת הקרקע או מן הים הגדול היו מביאין אותן. *Ex virgine terra, an mari magno afferebant illos (lapides.)* Virgo terra, pura est, non culta, aut cadavere inquinata. Unde *Talm.* תנא שלש בתולות הן בתולת קרקע בתלת שקם בתולת אדם. *Tres sunt virginitates: Virginitas terræ, virginitas sycomori, & virginitas hominis.* Illa est, quamdiu terra non colitur: Ista, quamdiu non putatur: Hæc, quamdiu non contrahit matrimonium. II. בשמלבנין את המזבח פעמים בשנה שלא ילבנוהו בכלי שיהא בו ברזל כדי שלאינע הברזל באבן. *Qui dealbant altare duabus per annum vicibus, ne dealbent instrumento, in quo ferrum, ne forte attingant lapidem.* III. Observandum erat hoc præceptum בזמן

בזמן הבית בזכרים ונקבות ועובר עליה ובנה שנגע בה ברזל במזבח או בכבש לוקה. *Tempore templi, masculis & fœmellis, transgressor vero, qui vel altare vel clivum exstruxit de lapide, quem attigerat ferrum, erat mastigia.*

XLI. שלא לעלות על המזבח במדרגות כדי שלא יעשה פסיעות גסות בעלותו שנ׳ ולא תעלה במעלות על מזבחי אשר לא תגלה ערותך עליו. *Non esse conscendendum altare gradatim, ita ut ne gradus suos ascendendo grandiat, sicut dicitur*: Neque ascendas per gradus altare meum, ne detegatur turpitudo tua super illud: sed ascendat בנחת ביראה *lente, & cum timore*. Ratio hujus præcepti eadem est quæ superioris, ut in memoriam nobis revocemus יראת המקום וחשיבותו וכבודו הגדול כי מתוך הפעולה הלב נפעל *Reverentiam loci, majestatem & gloriam ejus magnam, quia ad actiones cor conformatur*. De reliquis consulatur *Talmud.* cap. 3. Midd. *Maim.* Hil. beth habbech. cap. 1. סמג Neg. S. 190. 191. Legis hujus transgressor לוקה *vapulat*.

SECTIO VII.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ VIGESIMÆ

ab Exodi cap. 21. ad 25.

Præcepta Affirmativa continet XVI.

1. De servo Hebræo. 2. De desponsanda ancilla Hebræa. 3. De redimenda ancilla Hebræa: 4. De suffocando homine sonte laqueo. 5. De causis pœnalibus. 6. De tollendo noxio per gladium. 7. De judicandis damnis bestiæ. 8. De decidendis damnis foveæ. 9. De judicando fure vel ad restitutionem, vel mortem. 10. De judicandis damnis depastionis aut conculcationis. 11. De judicandis damnis ignis. 12. De judicio custodientis rem aliquam gratis. 13. De judicandis litibus actoris & rei. 14. De judiciis pro mercede custodientis, & mercede conducentis. 15. De judicio mutuo petentis. 16. De judicio pellicientis.

Negativa vero occurrunt VIII. quibus prohibentur.

1. Non vendendum (cuilibet nempe) ancillam Hebræam, ab eo, qui a patre eam emit. 2. Non diminuendum illi victum, amictum & ὄνοιαρ conjugalem. 3. Parentes non esse percutiendos. 4. Bovem lapidibus interfectum non comedendum. 5. Veneficum e medio tollendum. 6. Nullo modo proselytum affligendum. 7. Proselytum in facultatibus non opprimendum. 8. Viduam & orphanos non molestia afficiendos.

XLII. מצות דין עבד עברי *Præceptum judicii servi Hebræi*, id est, לדון בדין עבד עברי כמו שכתוב בפרשה כי תקנה עבד עברי *Judicandum esse servum Hebræum ex præscripto Paraschæ*: Cum servum emeris Hebræum. Incipit illa cap. 21. *Exodi*. Quo præcepto voluerit Deus שיהיה עמו ישראל אשר בחר עם קדוש מלא ומעוטר בכל מדות טובות ומעולות כי מתוך כך תחול הברכה עליהם והחסד והרחמים מן המדות המשובחות שבעולם ועל כן הזהירנו לרחם על אשר הוא תחת ידינו ולגמול לו חסד. *Ut sit populus ejus Israel, quem elegit in populum sanctum, plenus & ornatus bonis & præclaris virtutibus. Ita enim habitaturam cum iis benignitatem & misericordiam, virtutes toto orbe celebratissimas. Voluisse propterea eum, ut misereamur ejus, qui sub potestate nostra, & impendamus ei misericordiam.* ונוהגת מצוה בזכרים אבל לא בנקבות שאין האשה קונה עבד עברי ודוקא בזמן שישראל

שרויין

שרויין על אדמתו ועובר עליה ולא עשה לעבר מה שכתוב בו בטל עשה וגם מלמד נפשו להיות אכזרי וכמעט שמעיד על עצמו שאינו מבני ישראל כי הם רחמנים בני רחמנים. *Consuetudo hujus præcepti obtinet in masculis, in fœmellis non item. Mulier enim Hebræa servum non emit. Præcise autem restringitur ad tempus, quo Israelitæ suam incolebant terram. Transgressor, qui non facit servo, quod ei præscriptum, affirmativum reddit irritum, docetque se crudelem esse; & tantum non testimonium perbibet, quod non sit Israelita, qui misericordes sunt, filii misericordum.* Adi *Talm.* Hil. Kiddusch. *Maim.* Abhad. cap. 1. 4. סמג A.S. 83. 85. 86.

XLIII. מצות ייעוד של אמה העבריה. *Præceptum de desponsanda ancilla Hebræa.* כלומר שאותו ישראלי שקנה אמה העבריה שישאנה לו לאשה או יתננה לבנו לאשה שנ׳ אם רעה בעיני ארוניה אשר לא יעדה והפדה, id est, *ut Israelita ancillam Hebræam, quam emit, vel uxorem ducat ipse, vel filio suo eam locet, sicut dicitur:* Si displicuerit hero suo, qui eam sibi desponsavit, redimere faciet eam; *Exodi* 21. 8. ואמרו ז״ל כאן רמז לך שמצוה ביעוד ובפירוש אמרו ז״ל מצות יעוד קודמת למצוה *Dicunt Rabbini: Innui hic præceptum desponsationis: Et expresse monent, præceptum desponsationis præcedere præceptum redemtionis.* משרשי מצוה זו שריחם האל על הענייה הנמכרת ועל אביה שנצטרך למוכרה וצוה הקונה או תה לישא אותה לאשה ולעשותה גברת כי אל חנון ורחום הוא, *Ratio hujus præcepti est, quod misereatur Deus afflictæ venditæ, & patris ejus, qui vendere eam cogitur. Præcepit autem emtori ducere eam in uxorem, eamque facere dominam, quia Deus misericors est & gratiosus:* aut si ipse eam noluerit שישאנה לבנו *filio suo eam elocet.* Quæ ad pleniorem hujus materiæ tractationem pertinent, peti debent ex loc. cit. Exspiravit hujus præcepti usus cum Jubilæo.

XLIV. מצות פדייה אמה עבריה *Præceptum redemtionis ancillæ Hebrææ;* juxta illud: *Redimere faciet eam;* Exodi loc. cit. וזו מצות עשה כלומר שיסייע הארון הקונה אותה בפדיונה ויתן ליה מקום לשוב לבית אביה כמו שאמרו ז״ל שמגרע פדיונה ותצא כלומר שאם לקחה בששים דינ׳ לשש שנים ועבדה שלש וקמצה שלשים דינ׳ שיקח וישלחנ׳ ולא יטען עליה שתשלים שנורת עבודתה עכ״ף או שיאמר מעותי היו בטילות אצלה תוסיף לי ריוח אם תרצה לצאת שאין זה כי רוע לב ולבני ישראל שהם בני מלכים רחמנים בני רחמנים ראוי להם לעשות חסד עם הבריות אף כי לאשר עבדום ואפי׳ יום אחד. *Est hoc præceptum affirmativum, quod vult, ut Dominus, qui possidet eam, redemtionem ejus juvet, locumque ei concedat se convertendi domum patris sui, quemadmodum Rabbini nostri dicunt: Diminuat* λύτρον *ejus, & ipsa exeat. Sensus est: Si obtinuit eam sexaginta denariis per sexennium, ipsa vero triennium servierit, detrahat triginta denarios eamque dimittat, neque urgeat eam, ut annos servitutis absolvat omnibus modis. Neque dicat: Otiosa fuit pecunia mea apud eam. Addat mihi aliquid lucri, si egredi voluerit. Promanant enim hæc ex animo malevolo: Israelitas vero, qui filii sunt Regum misericordum, filiorum misericordum, docet exercere misericordiam cum creaturis, iis etiam, quas servituti suæ subjecerunt, etsi vel unius diei compendio fiat.*

XLV. שנצטוינו להמית העוברים על קצת מצות שבתורה בחנק שנ׳ ומכה איש יומת. *Mandatum nobis esse, ut occidamus transgressores quorundam Legis præceptorum strangulatione, sicut dictum est:* Qui percusserit virum & mortuus fuerit, morte moriatur; *Exodi* 21. v. 12. Habet R. *Levi* hanc verbi מות explicationem, ex trito illo Rabbinorum: קול מיתה האמורה בתורה סתם אינה אלא חנק. *Vox* מיתא *absolute sumta, strangulationem significat.* שורש מצוה זו נגלה לכל כי מלך במשפט יעמוד ארץ שאילולי יראת המשפט והרגו בני אדם זה את זה על כן צונו האל בה׳ להמית הרוצח ובחכמתו בה׳ ראה שראוי לענוש אותו במיתת חנק. *Ratio hujus præcepti omnibus nota est. Rex enim judicio stabiliet terram. Et certe, nisi metus judicii obstaret, alii alios interficerent. In mandatis proinde nobis, dedit Deus Benedictus, ut occidamus homicidam, suaque Idem sapientia prævidit, eum supplicio hoc strangulationis esse dignum.* Nempe, ut R. *Levi* commentando pergit, voluit nobis innotescere, Lege Talionis se in ejusmodi sceleratum animadversurum כי כאשר עשה כן יעשה לו והרוצח כוונתו להמית הנרצח במהרה כי מפחדו אליו ימהר מיתתו בכל בוחו וכמו בן הקלה התורה במשפטו להמיתו בחנק שהיא מיתה ממהר׳ ולא בשריפה וסקילה שהן בצער רב. *Ut, quemadmodum fecit, ita & fiat illi. Fuit autem homicidæ intentio, occisum repente e medio tollere, mortem enim ejus, præ metu accelerat pro viribus; ita & Lex eum cito tolli jubet strangulatione, quæ mors est præceps; non autem combustione aut lapidatione; quæ cum magno conjuncta sunt dolore.* Supplicium hoc Rabbini ita describunt: שמשקיעין את המחויב בזבל עד ארכובתיו וכורכין סודרין קשה לתוך הרכ׳ על צוארו זה מושך אצלו וזה מושך אצלו עד שנפשו יצאה. *Immergebant reum fimo ad genua usque, involvebantque*

que sudarium durum molli, collo illud ejus circumligantes; utrinque autem trahebant, usque dum anima fuerat egressa. Vid. Mass. *Sanhed.* cap. 17. Hoc autem præceptum tantum habet locum in terra Israelis, שאין דנין דיני נפשות אלא בארץ. *Quia judicia capitalia non exercentur nisi in terra*. Nachmanides hæc quatuor suppliciorum genera Mosaicis præceptis non annumerat secus quam fiat a Rambam. R. *Nachmanidæ* fundamentum est: כי בפסוק של ובערת הרע מקרבך צותה התורה דרך כלל שנבע׳ כל עושי הרע מבינינו ובו נכלל כל הדין וכשיפרט הכתוב אחר כן חלוק המשפטים לפי העונשים אין זה נהשב למצוה שאינו כי אם ביאור הענין. *Quia versu*; Et exterminabis malum e medio tui. &c. *præcipit Lex exterminium omnium male facientium inter nos. Eoque omne continetur judicium. Quod vero specialem postea subjicit Scriptura distributionem judiciorum, pro ratione pœnarum, non reputatur pro præcepto, quia tantum explicatio rei est*. R. *Levi* judicium lectori relinquit.

XLVI. מצות דיני קנסות. *Præceptum de judiciis multarum; seu causis multatitiis*, ut Angelus Caninius reddit; vel, juxta Scalig. *causis criminalibus*, vel etiam *causis pœnalibus*, ut Buxtorfius vertit; quo injunctum sibi scribunt, ברון חובל בחכירו לענשו כמו שכתב בתורה בפרשה וכי יריבון אנשים וזה נקרא דינ קנסות *judicium contra lædentem proximum suum, ad multandum eum, sicut scriptum est in Lege*; Parascha: *cum contenderint homines, &c.* Exodi 20. v. 18. Atque hæc appellantur דיני קנסות *causæ pœnales*. ובפסוק אחר כולל משפטי הקנסות כולם והוא שכתוב כאשר עשה כן יעשה לו ירצה לומר שילקח ממונו מה טיצערהו בכדי מה שציער הוא את חבירו כמו שבא׳ הקבלה בו ואפילו לא הכהו אלא שבישו בלבד יצערוהו בד״ בממונו שישלם למתבייש כפי השיעור ההוא ואלה חדינין שנקראין דיני קנסות כגון נזקי אדם באדם ושור בשור ושור באדם ואדם בבהמה אין דנין אותן אלא בב״ד הסמוכין בארץ ישראל. *Alio vero loco in genere exprimuntur causæ pœnales omnes, eo nempe, quo scribitur*: Quemadmodum fecit, ita & illi fiat, q. d. *ut sumatur de ejus pecunia, secundum quod afflixit proximum suum. Id quod vult traditio* πατροπαράδοτος. *Et si non percusserit, sed tantum confuderit illum, pœnam ab illo accipiet Dominus judicii pecuniariam, quam retribuet illi, quem in ruborem convertit, pro ratione videlicet delicti. Atque hæc judicia, quæ vocantur multatitia, sunt damna hominis in hominem; bovis in bovem; bovis in hominem; hominis in bestiam; quæ non exercent nisi judices Domus iudicii* χειροτονηθέντες *in terra Israel*. שורש מצוה זו ובכלל כל מה שבא בתורה בענין הדין אינו צריך ליגע אחר טעמו של דבר כי דבר מושכל הוא שאם אין משפט לא יתישבו בני אדם ולא יעמדו יחדו לעולם ואי אפשר לארץ בלתי המשפט. *Fundamentum hujus præcepti, ut & omnium quæ in Lege occurrunt, de judicio, non necesse est nos sollicite sensum investigare; est enim res illa intellectu facilis. Nam nisi esset judicium, non habitarent una homines, nec consisterent una unquam: Neque carere potest terra judicio*. De variis autem transgressionis hujus speciebus & gradibus agit Tal. Mass. *Baba kama* c. חובל Conf. *Maim.* Hil. Chobel umazzik, cap. 1. סמג Aff. S. 7. ובתב רבינו אלפאסי ז״ל מנהג שתי ישיבות שאע״פי שאין גובין קנס מכרו ליה עד שמפייס לבעל דיניה וכד יהיב ליה שיעור מאי דחזי ליה שרו ליה לאלתר בין אפייס מריה דדינא בין לא אפייס. *Scripsit Magister noster Alphesi, b. m. Consuetudo duarum Academiarum est; Quod etsi nonnunquam exigant multam, anathemate tamen reum percutiant, donec adversario suo satisfecerit, & dederit ei pro ratione delicti, quod congruum fuerit; tunc dimittunt ipsum statim, sive judicem placaverit, sive non*. Legi autem huic masculos tantum subjiciunt, fæmellas non item.

XLVII. שנצטוינו להרוג העוברים על קצת התורה בסייף וזה הדין נקרא לרבותינו הרגן והיא מיתה קלה ואחד מן המומתין במיתה זו המכה עבדו אפילו כנעני והוא שמת תחת ידו שנ׳ נקם ינקם ובא הפיר׳ שיהרג מכהו בסייף. *Quod jubeamur occidere, transgressores quorundam præceptorum Legis, gladio. Atque hoc supplicium vocatur a Rabbinis nostris* occisio, *quæ mors facilis est. Unus autem eorum, qui hoc supplicio tollendi sunt, est, qui servum suum percusserit, etsi Cananæus fuerit, si sub manu ejus moriatur, sicut dicitur*; Vindicando vindicator; *Exodi* 21. v. 20. i. e. *occidatur occisione gladii*. Vide *Baba Kam.* Maim. Hil. *Sanhed* cap. 14. סמג A. S. 99. משרשי מצוה זו שירצה האל׳ לעקור מתוך אומתו הקדושה רוע הלב והאכזריות הגדולה ועל כן צותה שכל מי שיגבר עליו בעם גדול כל כך שיכה הכאת מות עבדו שהוא בביתו ואין לו מושיע שיומת העושה זה. *Ratio hujus præcepti est, quod ita Deus Benedictus de medio populi sui sancti eradicare voluerit malitiam cordis, & magnam illam crudelitatem. Mandavit propterea, ut omnis, quem forte iracundia effervescens ita vicerit, ut lethali ictu servum suum, quem domi suæ alit, percutiat, neque sit, qui eum liberet, occidatur*.

XLVIII. מצורת כ״ד לדון בנזקי בהמה. *Præceptum Domui judicii datum, in decidendis controversiis ex bestiarum damnis ortis :* vel plenius ; לדון בדין שור המזיק בין שהזיק אדם כמו שכת׳ בפרשת כי יגח בין שהזיק ממון כמו שכת׳ בפרש׳ כי יגוף ועיקר פירושו של׳ יגוף ידחוף ומיהו בין שהזיקו בגופו או ברגליו או נשך בשיניו או אפילו הזיק בקרניו כולן בכלל לשון נגיפה משמע אבל נגיחה לא משמע אלא בקרן. *Ad judicandum judicium bovis lædentis ; sive jam lædat hominem, sicut dicitur in Parascha* : Cum cornu petierit bos virum vel mulierem; *Exodi* 21. v. 29. *sive læserit facultates; quemadmodum legitur :* Cum percusserit bos alicujus bovem proximi sui*; Ibid.* v. 35. *Significat autem* נגף *idem quod* דחף impulit. *Nihilominus, sive læserit eum corpore suo, sive pedibus suis, sive momorderit ipsum dentibus suis ; vel si cornibus etiam suis eum petierit, illa omnia generaliter significant* נגיפה percussionem. *At* נגיחה *proprie nonnisi* cornu ferire *notat.* Observant autem Hebræi Synecdochicam locutionem. Ponitur שור *bos*; & intelligitur כל בהמה וחיה ועוף שהזיקו *omne jumentum, bestia, & avis, quæ nocent*. Plenior hujusmodi casuum explicatio traditur capitibus sex primis in *Baba Kama*. Conferatur *Maim.* Hil. Nizke Mam. cap. 81. סמג A. S. 396. Et ut Judæi decernunt שאלה דינין שנקראין דיני קנסות שאין דנין אותו אלא ב״ד הסמוכים ובארץ ישראל *judicia illa pœnarum multatitiarum a nullis exerceri nisi a Synedrio χειροτονηθέντων, idque in terra Israelis*; ita omnem illum, qui quemquam, dicto modo, læserit, ad restitutionem Deo reddendam damnant.

XLIX. מצות ב״ד לדון בנזקי הבור. *Præceptum Domus judicii de judicandis damnis foveæ*, id est, לדון בדיני הפותח בור במקום שהוא כשלון לבני אדם שנ׳ כי יפתח איש בור וכו׳ כמו שכת׳ בפרשה ולאו דוקא בור אלא אפי׳ שיח ומערה ולא נאמר בור אלא ללמד שיהי בו כדי להמית דהיינו י׳ טפחים. *Ad judicandum judicium aperientis foveam in loco, qui hominibus est offendiculo, juxta illud* : Cum aperuerit aliquis foveam, &c. Exodi 21. v. 33. *quemadmodum illa Parascha scriptum est. Neque vero præcise fovea intelligi debet, sed etiam scrobs & spelunca. Foveæ autem vocabulum adhibetur, ut doceamur requiri tantum spatium, quantum satis est ad occidendum, videl.* 10. *palmarum*. Speciales hujus præcepti casus ventilantur in *Bab. bat.* cap. 3. & 6. Confer *Maim.* Hil. Nizk. Mam. c. 1. סמג Aff. S. 396. Datum est hoc præceptum viris tantum ולא בנקבות שהן אינן דנות *non autem mulieribus, hæ enim non judicant* ; juri tamen & Legi restitutionis subjiciuntur, tam lædentes, quam læsæ.

L. מצורת ב״ד לדון גנב בתשלומין או במיתה. *Præceptum Domus Judicii, de judicando fure, vel per compensationem, vel per mortem*; juxta Textum *: Cum quis fuerit furatus ;* Exodi 22. vers. 12. יענין הגניבה הוא הלוקח דבר ממון חבירו מביתו או מכיסו בערה שלא יראה בעל הבית ולא ידע. *Est autem furtum, cum quis de facultatibus proximi sui aliquid abstulerit, de domo vel loculo ejus, patrefamilias nec vidente, nec sciente*. De variis hujus præcepti circumstantiis agitur in *Kama* cap. 7. *Sanhed.* cap. 8. c. 3. *Merzia*. Item hinc inde in *Kiddusch.* & *Schebbuoth. Maim.* Hil. Genebh. cap. 1. סמג A. S. 71. ונוהגת בזכרים שעליהם לעשות דין ובכל מקום שיש ב״ד סמוכין בארץ מחייבין לשלם תשלומי ד׳ וה׳ ואם אין סמוכין אין להם כח לחייב אלא להחזיר הגניבה או דמיה אבל מכירת הגנב עצמו אינה נוהגת אפי׳ בסמוכין אלא בזמן שהיובל נוהג. *Obtinet consuetudo in masculis, quorum est judicare ; Et in omni loco, ubi Synedrium est constitutum ab iis, qui in terra Israelis sunt χειροτονηθέντες, damnant eos ad restitutionem quadrupli aut quintupli. Sin autem χειροτονηθέντες non fuerint, non est iis potestas illos damnandi, nisi ad restitutionem ablati, aut æquivalentis. At venditio furis ipsius non est usitata, ne quidem inter χειροτονηθέντας, nisi tempore Jubilæi.*

LI. לדון בנזקי שן ורגל כלו׳ מי שהזיק לחבירו נזק הבא מחמת השן או מחמת הרגל כגון שהכניס בהמתו בשדה חבירו ואכלה שם או הפסידה ויינקותיו בעברה שם ברגליה שיש עלינו לחייבו בתשלומין מן העידית שלו כל מה שהפסיד שנ׳ כי יבער איש שדה וכו׳ ופירשו ז״ל דהיינו שן ומה שכת׳ אחר כן ושלח את בעירה וכו׳ פירשו ז״ל דהיינו רגל ונאמר על שניהם מיטב שדהו ומיטב כרמו ישלם. *Judicium ferendum de damnis dentis aut pedis, id est, quod eum, qui damnum intulit proximo suo dente, aut pede, ut cum introduxerit bestiam suam in agrum socii sui, ubi illa vel depravavit vel corruperit teneros ejus ramos transeundo ibi pedibus suis, damnare debeamus ad restitutionem omnium ex pretiosissimis ejus, quæ perdidit*, q. d. Exodi 22. 5. Si depasci fecerit aliquis agrum, &c. *id quod Rabbini nostri dente fieri scribunt ; Prout alterum illud, quod scriptum est :* Et miserit jumentum suum, &c. (*Ibid.*) iidem de pede *explicant. De utroque autem dicitur* : Bonitatem agri sui, & bonitatem vineæ suæ reddet. Ita *Chin.* pag. 25. b. Confer *Maim.* Hil. Nizke Mam. c. 3. סמג Aff. S. 67.

S. *67*. Enumeratio caſuum ſpecialium petenda ex *Chinuk* loc. cit. ἐπιτόμως, prolixius ex *Gittin* & *Kama*. ונוהגת בזכרים שעליהם לעשורת הדין ומכל מקום הנקבות בכלל דין התשלומין בין הזיקו או הוזקו ובֿד העובר עליה ולא דן דין זה כמו שכתוב בטל עשה. *Conſuetudo valet in maſculis, quorum eſt judicare: Sed & uxores omniuo generaliter ſub Lege reſtitutionis comprehenduntur, ſive lædant, ſive lædantur. Synedrium autem quod Legem hanc violaverit, & juxta præſcriptum judicium non judicaverit, irritum facit affirmativum.*

LII. מצות בֿד לדון בנזקי האש. *Præceptum Domus Judicii datum ad judicanda damna ignis*, vel; לדון ולחייב לש לם מי שהזיק חבירו באש כגון שהדליק את גרישו או שרף לו שום דבר שנ׳ כי תצא אש וכו׳ פי׳ תצא משמע אפילו יצאה מעצמה ובא להזהיר שאפי׳ המדליק בתוך שלו ויצאה מעצמה והזיקה שחייב לפי שלא שמר גחלתו שהאדם חייב לשמור אשו שלא תצא ותזיק שדרך האש ללכת מעצמה אעֿפי שאינו בעל חיים. *Ut judicio reſtituere cogatur, qui proximo ſuo damnum intulit igni, nempe, qui accendit metam frugum ejus, aut ei quicquam combuſſit, juxta illud* Exod. 22. verſ. *6*. Cum egreſſus fuerit ignis, &c. Egrediendi *vox proprie hic ſumta, eum etiam notat ignem, qui ſponte erumpit*. Monet autem, *quod etſi intra ſua incendat ignem pomæria, & ſponte is egreſſus noceat, reus ſit; quia prunas ſuas non curavit. Tenetur enim homo ignem ſuum cuſtodire, ne exeat & lædat. Natura quippe ignis eſt ſponte erumpere, etſi vitam non habeat. Chin. Maim.* loc. cit. cap. 14. סמג S. *69*. Cætera traduntur in *Talmude*, cap. 2. & *6*. in Kama. Synedrium, hujus præcepti violati reum, eandem cum ſuperiori ſuſtinet pœnam.

LIII. מצות בֿד לדון בדין שומר חנם. *Præceptum Domus judicii, ad judicandam cauſam ejus, qui aliquid gratis cuſtodit;* quod ex verbis *Exodi* 22. v. 7. *cum dederit quiſpiam proximo ſuo argentum vel vaſa ad cuſtodiendum, & furto ablatum fuerit e domo viri illius: ſi inventus fuerit fur, reddet duplum;* eliciunt. ובא הפירוש שפרשה זו נאמרה בשומר חנם ופי׳ חנם שלא קבל הנפקד שום שכר על שמירת הפקדון. *Gloſſa autem vult, hanc Paraſcham agere de eo, qui cuſtodit* חנם gratis. Chinnam *autem eſt, quum is, cui aliquid deponitur, pro depoſiti cuſtodia nihil accipit*. Chin. *Maim.* Hil. שאלה ופקדון cap. 7. סמר A. S. 87. Specialia habentur in Maſſ. *Bab. Kama*, cap. *9*. cap. 3. *Metzia*, & 8. *Schebhuoth*. Tranſgreſſor בטל עשה.

LIV. שנצטוינו לדון בדין טוען ונטען כלומר שנעשה דין לכל מי שתובע את חבירו בשום דבר או שהלוהו או הפקידו או גזלו או עשקו או חמסו שנ׳ על כל דבר פשע וכו׳ אשר יאמר כי הוא זה ובא הפיר׳ על לשון זה של כי הוא זה שאין נשבעין מן התורה אלא אם כן יודה הנתבע במקצת ההלואה אבל אם יאמר לא היו דברים מעולם או החזרתי הכל במלוה ואפילו בפקדון פטור משבועה מן התורה. *Præceptum nobis eſt, ut inter accuſantem & accuſatum* (actorem & reum) *judicemus, id eſt, ut jus dicamus omni illi, qui ullam exigit rem a proximo ſuo, quam ei aut dedit mutuo, aut apud eum depoſuit, aut rapuit, aut oppreſſit eum, aut ulla alia eum injuria affecit, juxta illud* Exodi 22. v. *9*. Super omni re prævaricationis, *ſuper bove, ſuper aſino, ſuper pecude, ſuper veſtimento, ſuper omni re amiſſa;* quam dixerit, hoc eſſe: *uſque ad judices veniet cauſa utriuſque: is, quem condemnaverint judices, reddet duplum proximo ſuo. Innuit autem hoc loco* זה *illud, quod propterea lege jurare non teneantur, niſi confiteatur is, a quo quid poſcitur, mutui illud reſpectum habere. Quod ſi vero dixerit: Nunquam res ita ſe habuerunt: Aut; Reddidi omnia mutuo danti; quod etiam in depoſito valet; immunis per legem habetur juris jurandi*. Prolixum Catalogum controverſiarum hujus materiæ pertexit R. *Levi* in Chin. pag. *26*. a. Confer *Talm.* Bab. Kam. c. 3. Metzia cap. 1. Bat. cap. 8. Schebh cap. 5. *6*. 7. Gemar. hinc inde. *Maim.* Hil. Toen, venithan cap. 7. סמג Aff. S. 87. Reſpicit autem præceptum hoc judices omnes בכל מקום ובכל זמן ובֿד העובר עליה ולא עשה דין אם יש כח בידו בטל עשה וענשו גדול מאד שגורם חרבן לארץ שאין הארץ מתישבת אלא בדין וכמו שאמרו זֿל על שלשה דברים העולם עומד ואחת מהן הוא הדין וזאת אחרת מן המצורת שנצטוו עליה כל בני העולם בכללם לפי שאי אפשר זולתה לישוב העולם *omni loco & tempore. Synedrium autem, ubi legem hanc violarit, neque judicium fecerit, ſi poſſit, violat affirmativum, & pœnam meretur gravem valde, quia cauſa eſt deſolationis terræ. Neque enim terra ſubſiſtit niſi per judicium. Et, quemadmodum dixerunt Rabbini noſtri b. m. Tribus rebus innixus ſtat Mundus, ex quibus una eſt judicium; Ita etiam hoc præceptum ex eorum eſt numero, quæ data ſunt omnibus omnino hominibus, quia abſque eo Mundus ſubſiſtere non poteſt.*

LV. ופי׳ לדון בדין נושא שכר והשוכר נושא שכר שומר פקדון בשכר שנותנין לו על השמירה ושוכר הוא כמשמעו ששכר בהמה מחבירו לרכוב או לעשות בה מלאכה

וא

או ששכר ממנו מטלטלים ונפל מן לוקרת בין השוכר והמשכיר או בין הפקדון והשומר אותו בשכר שמצוה עלינו לדון ביניהם כמו שכתוב בפרשה זו כי יתן איש אל רעהו חמור או שור או שה וכל בהמה לשמור וכו'. *Judicandum judicium & mercedem ferentis, & dantis. Per ferentem mercedem autem intelligitur custos depositi certa mercede, quam pro custodia largiuntur :* שוכר *autem sensu literali est, qui mercede jumentum a proximo suo ad equitandum, vel faciendum opus, conducit, aut qui ab eo bona mobilia* (supellectilia) *conducit; & controversia orta fuerit inter conducentem, & mercede elocantem; aut inter depositorem, & custodem depositi pro mercede; de hoc, inquam, præcepto jubemur judicare inter eos, sicut scriptum est hac Parascha.* (Exodi 22. v. 10.) *Si dederit quis proximo asinum, vel bovem, vel pecus, aut quodcunque aliud animal ad custodiendum, & mortuum fuerit, aut contractum, aut ab hostibus abductum nemine vidente; juramentum Jehovæ erit inter utrumque, annon miserit manum suam in substantiam proximi sui, &c.* Explicationem hujus præcepti, & varios ejus casus, habes in *Chin.* p. 26. b. *Maim.* Hil. Secir. cap. 1. *Talmud*, Bab. Kama, cap. 6. 7. Metzia cap. 3. 6. Schebuoth cap. 8.

LVI. לדון בדין השואל כלומר אדם ששאל מחבירו שום חפץ או בהמה והשאלה היא בלא שכר כלל אלא שנתחסר עמו לעשות לו טואה זו ואחר כך אם נפל מחלוקת ביניהם על הדבר שנדון ביניהם הדין שנ' על זה כמו שכתוב בפרשה זו וכי ישאל איש מעם רעהו. *De sententia ferenda* petentis, *id est*, hominis, *qui a proximo suo petit rem pretiosam, aut brutum : Et petitio hæc fit absque mercede ulla, ita ut misericordia ductus ei preximus benefacere studeat. Quod si deinceps dubium fuerit ortum inter eos de re, ut judicium de ea ferant, juxta illud, quod Parascha hac scribitur :* Quumque (*Exodi* 22. v. 14.) commodato acceperit quispiam a proximo suo, & confractum fuerit aut mortuum, domino ejus absente, reddendo reddet : Si vero dominus ejus fuerit cum eo, non reddet. Id quod sic Rabbini explicant : אם היה עמו בשעת שאלה אע"פ שלא היה עמו אשעת שבורה ומתה פטור אבל היה עמו בשעת שבורה ומתה ולא היה עמו בשעת שאלה חייב כי בתחלתו המעשה הענין תלוי *si cum eo fuerit* (dominus) *tempore petitionis, etsi non adfuerit tempore fractionis aut mortis, liber est : Sin autem adfuerit tempore fractionis aut mortis, hora petitionis non item, reus est. Nam ab initio rei negotium pendet.* Cætera vide *Chin.* p. 27. a. *Maim.* Hil. Schebh. cap. 1. סמג A. S. 89. & 92. *Talm.* Metz. c. 5. Schebh. cap. 8.

LVII. לדון בדיני מפתה כלומר מי שפיתה בתולה שנדין אותו כמשפטו הכתוב עליו בפרשה שנ' כי יפתה איש בתולה וגו' וענבין הפתוי הוא שאומר לה דברים של שקר או של אמת עד שמתרצה אליו. *De judicandis judiciis pellicientis, id est, ejus, qui pellexerit virginem, ut judicemus eum secundum judicium hac Parascha descriptum :* Cum pellexerit (*Exodi* 22. 15.) quispiam virginem, quæ non est desponsata, & cojerit cum ea, dotando dotabit eam sibi in uxorem, &c. *Pelliciendi autem verbum significatur, cum verbis quis eam vel veris vel falsis tam diu demulcet, quoad puellam ad nutum benevolam habet.* Observat hic *Maimon.* שכל בעיר בחזקת פיתוי עד שיעידו עדים שהוא אונס וכל שבשדה בחזקת אונס. *Omnis qui in urbe est, pelliciens habetur, usque dum probaverint testes, quod sit raptor; qui vero in agro, raptor censetur.* Sensus est: Virginem, quæ in urbe fuerit compressa; quod clamando facile eluctari potuisset, non pro rapta, sed pellecta reputari, quia, ut idem loquitur *Maimonides* : כל הנבעלה בשדה הרי זו בחזקת אנוסה ודנין אותה בדין אנוסה. *Omnis virgo, quæ vitiatur in agro, habetur pro stuprata per vim, & judicant eam judicio per vim stupratæ;* Contra אונס שבא עליה בעל כרחה. *Raptor est, qui per coactionem congreditur cum puella;* quæ coactio, juxta *Maim.* in tanta hominum frequentia, qualis in urbibus esse solet, locum non habet. Cætera petenda sunt ex *Maim.* Hil. Naarah betul. cap. 1. סמג Aff. S. 53. *Talm.* Ketubh. cap. 3. & 4. Restringitur hujus legis observatio ad Judæos, in terra sancta χειροτονηθέντας.

LVIII. שכל מי שיקנה אמה העבריה לא ימכרנה לאדם אחר לעולם שנ' לעם נכרי לא ימשול למכרה ופירושו כתרגומו לגבר אחרן ולהרחיק הדבר נאמר בלשון זה כלומר שדומה לענייה הקטנה אם מוכרה לאדם אחר שנית כאילו ימכרנה לעם נכרי. *Ut omnis, qui ancillam emit Hebræam, eam homini alii nunquam vendat, sicut dicitur :* Populo alii (*Exodi* cap. 21. v. 8.) non habebit potestatem vendendi eam. *Sensus ejus, juxta Thargum, est;* Viro alii. *Et ad rei indignitatem exprimendam, vox hæc* (נכרי) *adhibetur, quasi diceret : Quod pauperculæ abjectæ, si vendiderit eam viro alii, perinde sit, ac si venderet populo alieno.* Ratio hujus præcepti. שרצה האל לזכותינו וצונו להתנהג במדת החמלה האהובה לפניו. *Quod voluerit Deus nos dignos censere, quibus præciperet, ut assuescamus misericordiæ,*

quæ

que grata ei eſt. Vide Hil. Avadim cap. 4. סמג N. S. 179.

LIX. שכל קונה אמה העבריה ויעדה שלא יגרע לה שארה כסותה ועונתה ופירוש שאר מזון וכסות כמשמעו ועונה דרך ארץ ובכלל לאו זה כל בנות ישראל שלא לגרוע להם דבר מאלה וקל וחומר הדברים אם לזו לא יגרע כל שכן לא חרות בנות חורין וזה שכתוב כמשפט הבנות יעשה לה. *Ut quicunque ancillam emerit Hebræam, eamque ſibi deſponſaverit, non diminuat ei alimentum, veſtimentum, & debitum conjugale (ita enim verba Hebræa explicant*. Exodi 21. v. 10.) *quo præcepto negativo generali omnibus Iſraelitarum filiabus cavetur, ne qua harum rerum iis detrahatur : quanto minus denegari illæ debent aliis filiabus nobilium? prout ſcriptum eſt*; juxta modum filiarum faciet ei; verſu 9. Plura habes in *Chin.* 27. b. *Maim.* Hil. Iſch. cap. 14. סמג N. S. 81. סמק S. 276. *Talm.* Naſch. hinc inde. ועובר עלית וגרע לאשתו אחת משלש אלה מרצונו על צד שיכוין להב איבה עבר על לאו והוא כעובר על מצות מלך אבל אין לוקין על לאו זה לפי שאין בו מעשה. *Qui, trangreſſus, diminuerit uxori unum illorum trium, deſtinato conſilio, ea mente, ut ægre ei faciat, negativum violat, & perinde eſt, ac ſi transgrederetur præceptum regium : Non tamen flagellant propter hoc negativum quenquam, quia non eſt in eo opus.*

LX. שלא יכה הבן האב והאם ואפילו אם הם יכו אותו הכאה רבה בכל זמן שלא ישאו נפשם להמיתו שנ׳ מכה אביו ואמו מות יומת ואעפ שלא הזהיר הכתוב בפי׳ על זה שיאמר אל תכו האבות אלא שכתוב עונש המכה אותם. *Ne filius percutiat patrem ſuum, aut matrem ſuam, etſi crebris ab iis dedolatus fuerit flagris ſine intermiſſione, ne provocet eos, ad mortis illi ſupplicium inferendum*, q. d. Qui percuſſit patrem ſuum, aut matrem ſuam, morte moriatur. *Etſi vero Scriptura expreſſe non moneat his verbis :* Ne percutiatis patres, &c. *ſufficit, Scripturam exprimere pœnam percuſſoris eorum*. ובהכאת אב ואם הרי יש בו כרת בלא עדים ומיתה בעדים *Pœna percuſſionis patris aut matris, ſi abſint teſtes, eſt excidium; ſi vero adfuerint teſtes, mors*. וענין חיוב המיתה במכה אמרו ז״ל שהוא כשהוציא מהם דם דוקא מה שאין כן בשאר כל אדם שאפי׳ הוציא מהם דם ניתן לחיוב ממון. *Mortis autem ſupplicium infligendum Rabbini docent, percutienti, ſi expreſſe ſanguinem illis elicuerit; quod in aliis hominibus non obſervatur, qui etſi ſanguinem eliciant, pecunia tamen tantum multantur*. Finis præcepti eſt, לייסר הנבלים והמוסרים שהרימו יד במי שהביאם לעולם ברצון האל ועשה להם כמה טובות *Ad caſtigandos ſtultos & traditores, qui elevarunt manum contra eum, a quo editi ſunt in mundum voluntate divina, variiſque beneficiis affecti*. Examen caſuum (qui circa hoc præceptum occurrunt, & in lib. *Chin.* pag. 28. a. enarrantur) inſtituitur ſub finem cod. *Sanhed.* ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ובנקבות וטומטום ואנדרוגינוס ועובר עליה והכה אותם הכאה שיש בה חבורה בעדים והתראה מיתתו בחנק ובלא חבורה חייב עליהם כשאר כל אדם שהמכה חבירו הכאה שיש בה תשלומין של שוה פרוטה ואינו לוקה ואם אין בה תשלומין של שוה פרוטה לוקה ואינו משלם שהלכה היא אין אדם מת ומשלם וכן אין לוקה ומשלם *Valet ubique locorum & temporum in maſculis & fœmellis, occluſis* (i. e. qui dubii ſunt ſexus) *& Androgynis. Qui autem tranſgreſſus percuſſerit eos percuſſione, quæ tumicem relinquat, & teſtibus atque admonitione fuerit convictus, ſupplicium ſuſpendii eum manet; ſi vero tumex non appareat, pœnam communem ſuſtinet cum eo, qui proximum ſuum percutit percuſſione, qui ad reſtitutionem æquivalentis pretii damnatur; neque flagellatur. Quod ſi ſolvendo non ſit, cæſus flagris, nihil reſtituit. Quemadmodum enim ex conſuetudine nemo ad mortem & reſtitutionem; ſic nec ad verbera & redditionem nullus damnatur.*

LXI. שלא נאכל בשר שור הנסקל אפי׳ נשחט כראוי מכיון שנגמר דינו בשרו אסור כן מפורש במכילתא שנ׳ ולא יאכל את בשרו ולאו דוקא שור אלא אף כל המזיקין בהמה חיה ועוף אלא שדיבר ברגיל. *Ne comedamus carnem bovis lapidati, etſi vel maxime mactati, quia ex quo judicium ejus eſt abſolutum, caro ejus fit illicita, ſicut exponitur in Mecilta; argumento loci* Exodi 21. v. 28. Non comedetur caro ejus (bovis lapidibus enecti) *ubi non ſimpliciter* bos *intelligitur, ſed quicquid nocet, jumentum, fera, avis. Loquitur autem Scriptura pro conſuetudine*, Synecdochice ſcilicet. משרשי המצוה כדי להסכים בדעתינו שכל מי שבאה תקלה על ידו מרוחק ונמאס עם אלהים ועם אנשים ואפילו שוגג כמו הבהמה שאין לה דעת וכל שכן מזיד ובתתינו דעתינו על דבר זה יביאנו להזהיר הרבה בכל מעשינו עד שלא תצא תקלא מתחת ידינו לעולם, i. e. *Ex fundamentis hujus præcepti eſt, ut perſuaſum nobis ſit, omne id, per quod contingit offendiculum, abjectum, & deteſtabile eſſe Deo & hominibus, etſi per ignorantiam peccet ut beſtia, cui nullus eſt intellectus : quanto magis, qui temere delinquit? Et ut, hæc talia perpendentes, ſerio admoneamur, ne in operibus noſtris omnibus, ullum unquam a nobis prodeat ſcandalum*. Hujus

vero

vero præcepti ratio quibus conftet cautelis, ex *Talm.* Codice Bab. Kama depromi debet. Confer *Maim.* Hil. Maacol. cap. 4. סמג N. S. 135. ונוהגת מצות איסור בשרו בזכרים ונקבות בארץ ישראל דוקא נוהג דין שור הנסקל על פי סמוכים ובבד של כג ועובר עליה ואכל מבשרי כזית במזיד לוקה. *Confuetudo præcepti de prohibita carne, conftringit utrumque fexum in terra Ifrael. Præcife autem judicium de lapidato bove pertinet ad* χειροτονηθέντας, *& ad Synedrium* τῶν *XXIII. Qui autem hoc violaverit præceptum, & deftinata malitia vel oleæ magnitudinem de carne ejus comederit, flagellis excipietur.*

LXII. שלא נחיה מכשפה אלא נמיתה שנ׳ מכשפה לא תחיה ולאו דוקא מכשפה אלא כל מי שיעשה כישוף אלא דבר ברגיל שהנשים כשפניות יותר מן האנשים. *Ne vivam relinquamus præftigiatricem, fed occidamus eam, quemadmodum dicitur* Exodi 22. v. 18. Maleficam non fines vivere. *Non autem de fola præcife malefica intelligi Scriptura debet, fed de omni magiam exercente; ufitate tamen, quod mulieres magis, quam viri, artibus magicis fint deditæ, loquitur.* Ratio hujus præcepti eft: כי ענין הכישוף ענין רע מאד וגורם תקלות כמה לבני אדם ועל כן נצטוינו לסלק מן העולם המשתדל בזה לפי שהוא בא כנגד השי שהוא חפץ שישובו רשיתנהג הכל בדרך הטבע שהטובע בתחלת הבריאה וזה בא לשנות הכל וענין הכישוף הוא לפי דעתי כן שהקבה שם בתחלת הבריאה לכל דבר ודבר מדברי העולם טבע לפעול פעולתו טובה וישרה לטובת בני העולם אשר ברא וצוה כל אחד לפעול פעלו למינהו כמו שכת׳ בפרשת בראשית למינהו על הנבראים וגם על כל אחד ואחד המשיל כוח מלמעלה להכריחו על מעשהו כמו שאמרו זל אין לך עשב מלמטה שאין לך מזל מלמעלה שאומר לו גדל ומלבד פעולתם שעושה כל אחד ואחד בטבעו יש להם פעולה אחרת בהתערבם מין מהם עם מין אחר ובמלאכת התערובות יש בה צדדים שלא הורשו בני אדם להשתמש בהם כי יודע אלהים שסוף המעשה היוצא לבני אדם באותם צדדים רע להם ומפני זה מנעם מהם וזהו אשרם זל דרך כלל כל שיש בו ממום רפואה אין בו משום דרכי האמרי כלומר אין לאסרו מפני צד כישוף אחר שיש תועלת בו מצוי בנסיון באמרת אין זה מן הצדדים האסורין כי לא נאסרו רק מצד הנזק שבהן. *Quia negotium magiæ pravum eft valde, occafionem præbens multis fcandalis filiis hominum; propterea in mandatis nobis eft datum, ut eum, qui his dat operam, e mundo tollamus, quia contrariatur Deo benedicto, qui vult, ut convertantur, & ut omnia teneant curfum naturæ, quem initio creationis conftituit; cui hæc omnia contraeunt. Res autem magiæ, meo judicio, ita fe habet. Indidit Deus benedictus initio creationis unicuique rei mundanæ* (i. e. creaturæ) *naturam, ad exercendum opus fuum, bonum & rectum, in commodum filiorum mundi, quos creavit, & unicuique, ut opus fuum, fecundum fpeciem fuam, perficeret, præcepit; ficut fcriptum eft*, Parafcha Berefchit; (*Genef.* cap. 1.) Secundum fpeciem fuam, *id quod de creatis rebus eft intelligendum. Cuique etiam præfecit potentiam fuperiorem, quæ ipfam ad opus fuum impelleret, juxta illud Rabbinorum:* Non eft herba infra, quod non habeat aftrum fupra, cui dicat: Crefce. *Præter hanc operationem autem, quam quodque, naturæ beneficio, edit, eft & alia, dum una fpecies mifcetur altera; cum opere autem mixtionis concurrunt modi quidam, quorum ufus filiis hominum non eft permiffus: Novit enim Deus, finem operis, ejufmodi modis illicitis conftantem, effe hominibus exitialem, atque propterea prohibuit illos. Atque hoc eft quod dicunt Rabbini in genere.* * Quodcunque vel ullam habet medicinam, nihil commune habet cum viis Amorrhæorum: q. d. *Nullo prætextu magiæ prohibendum id, unde experimento vero didicimus, cum utilitate effe conjunctum. Hoc enim non effe ex modis vetitis: utpote qui non alia de caufa damnentur, quam quod noceant.* Maimonides, More Nev. lib. 3. cap. 37. ait, has Amorrhæorum vias effe סעפי מעשה הכשפים שהם דברים לא ינזרם היקש תבעי אך הם מושכים למעשה הכישוף אשר הם נסמכים לעניני הכוכבים בהכרח ויתגלגל הענין להגדיל הכוכבים ולעבדם. *Ramos artis magicæ; talia videlicet, quæ non ex ratione naturali, fed ex opere magico fequuntur, quæ ftellarum difpofitionibus innituntur: Unde neceffario ad colendas & magnifaciendas illas devenitur.* Lege & reliqua hujus capitis, quæ de fpeciebus magiæ, tanquam fonte Idololatriæ fufe agunt.

Sed & aliam R. *Levi* fubjungit rationem, ob quam lege divina commixtio hæc fit prohibita; cautelam item, ne confundantur מלאכת הכישוף *præftigiæ*, *cum* מלאכת השדים *opere Dæmonum*, pag. 28. b. ונוהגת מצוה זו לעשות דין במכשפים בזכרים כי להם יאות וניתן לעשות משפט אבל לא לנקבות ודוקא בארץ ישראל ובסמוכין ובבית דין של כג ובד העובר עליה אם יש בו כוח לעשות משפט עבר על לאו וזה מלבד שבטל מצות עשה שהוא לעשות דין במהויבין

* Meminerit Chriftianus lector has effe putidas Rabbinorum arguntiunculas. Nam omne id quod natura humana originis labe corrupta tanquam utile amplectitur, innoxium eft; Qui plura defiderat, legat libellum aureum *Jo: Bapt. Thiers*, qui infcribitur, *Traite des Superftitions &c.*

במחויבין דרך כלל ואין בזה מלקות לפי שאין בו מעשה וכל לאו שאין בו מעשה אין לוקין עליו חוץ מנשבע וממר ומקלל חבירו בשם. *Conſuetudo autem exercendi judicii contra maleficos debetur maſculis. Iis enim convenit, & datum eſt exercere judicium, non fœminis; Idque præciſe in terra Iſrael, & quidem illis, qui ſunt manuum impoſitione electi in Senatum viginti trium virorum. Quod ſi Synedrium hoc, dum poteſtatem habeat exercendi judicii, tranſgrediatur, violat negativum; præter affirmativum, quod ſontes judicare generaliter jubet. Pœnam tamen verberum* (ſegniores judices) *effugiunt, quod nullo cum opere ſit* peccatum hoc *conjunctum. Omne autem negativum, ad quod actio non accedit, flagellationem non meretur, excepto eo, qui perjurii reus eſt, aut per nomen Dei proximo ſuo maledicat.* Plura vide Sanh. *Maimon.* cap. 15. *Chin.* pag. 29. a.

LXIII. שנמנענו מלהונות הגר אפילו בדברים והוא אחד מן האומות שנתגייר ונכנס בדתינו שאסור לנו לבזותו אפילו בדברים שנ׳ וגר לא תונה ואע״פ שאנו מוזהרים בזה בישראל וזה כיון שנכנס בדתינו הרי הוא כישראל הוסיף הכתוב לנו אזהרה בו וגם נכפלה האזהרה עליו דכתיב לא תוננו פעם אחרת לפי שענין האונאה אליו קרובה יותר מבישראל כי הישראלי יש לו גואלים שתובעים עלבונו ועוד טעם אחר בו שיש חשש בו שלא יחזור לשיאורו מכעס הבזיונות ואמר בספר׳ שלא תאמ׳ לו אמש היית עובר ע״א ועכשיו נכנסת תחת כנפי השכינה. *Probibemur injuria afficere proſelytum etiam verbis; eum nempe qui, gentilibus ſatus & natus parentibus* προσηλυτεύσας, *legem noſtram ſuſcepit; contemnere probibemur etiam verbis, ſicut dicitur*, Exodi 22. 20. Et peregrino non inferes vim, verbis videlicet priorem ei ſtatum exprobrando: Vide Pagnin. Rad. ינה. *Etſi vero hac de re moniti ſimus præcepto de Iſraelita nulla moleſtia afficiendo (ecce enim, qui Legum noſtrarum jugum recipit, ſimilis eſt Iſraelitæ) iterat tamen Scriptura hanc admonitionem alibi;* Non vim inferes ei. Deut. 23. 16. *idque propterea, quia injuriæ obnoxius magis eſt, quam cæteri Iſraelitæ, qui ſuos habent vindices, qui illatam illis injuriam ulciſcuntur. Sed & alia ſubeſt ratio. Periculum enim eſſet, ne ad ſuos, præ indignatione contemtus, reverteretur. Unde exſtat in Siphra.* Ne dicas: Heri fuiſti Idololatra, & jam ſubiiſti alas Majeſtatis divinæ. משרשי המצוה מלבד מה שכתבנו כדי לכוף את יצרינו לעולם לבד נעשה כל אשר נמצא בכוחינו לעשות לרעה על כן הזהירתנו בזה האיש שהוא בינינו בלי עוזר וסומך ויש כוח בכל אחד ואחד ממנו עם אוהביו עליו לבל נעביר עליו את הדרך כלל אפילו בדברים כאילו הוא כאחד ממנו ומתוך גדרים האלו נקנה נפש יקרה ומסולסלת מעוטרת המדות הראויה לקבלת הטוב ויושלם בנו חפץ השי שחפץ להטיב. *Ex fundamentis hujus præcepti (præterquam quod, ut ſupra ſcripſimus, ſubigere velit Deus ſemper pravas noſtras cupiditates) eſt, ne pro arbitrio tractemus, quod imperio noſtro ſubjicitur. Proinde debortatur nos Lex, ne in illo, qui deſtitutus omni præſidio inter nos degit, & in quem unuſquiſque noſtrum poteſtatem habet, tranſgreſſores fiamus ullo modo, ne quidem verbis, cum ſit quaſi unus ex nobis. Beneficio autem horum limitum reddemus animam pretioſam, comtam, bonis moribus cinctam, dignam recipiendo bono, & perficietur nobis voluntas Dei, qui omnino vult nos benefacere.* Hanc vero legem, notant Rabbini, locis 21. inculcari. Monent inſuper iidem: שבאותו לשון שנצטוינו באהבת המקום נצטוינו באהבת הגר. *Quod eodem ſtylo amor Dei, & proſelyti tradatur*: Unde hanc legem utrique ſexui omni loco & tempore imponunt. Plura vide סמק S. 87. סמג Neg. 172. 173.

LXIV. שנמנענו שלא להונות הגר בממון שאם יהיה לנו עמו משא ומתן שלא להונות אותו שנ׳ ולא תלחצנו ואמרו במכילתא לא תלחצנו בממונו וזה הלאו נוסף על הלאו שיכללהו עם ישראל כולם שהם בלאו דאונאת ממון. *Probibemur proſelyti affligere facultates, ita ut ſi quid cum ipſo nobis fuerit commercii, non fallamus eum, ſicut dicitur*, Exodi 22. v. 21. Neque opprimas eum. *Quod in Mecilta explicant:* Ne opprimas eum in facultatibus ejus. *Hoc vero negativum ſuperadditur illi, quod generaliter conſtringit Iſraelitas, ne facultates cujuſquam opprimant.*

LXV. שנמנענו מהכביד במעשה או אפילו בדיבור על היתומים ועל האלמנות שנ׳ כל אלמנה ויתום לא תענון. *Vetamur moleſti eſſe opere, aut etiam ſermone pupillis & viduis, argumento loci* Exodi 22. v. 22. Nullam viduam, aut pupillum affligetis. Sed כל משאו ומתנו של אדם עמהם יהיה בנחת ובחסד ובחמלה, *in omni commercio, emtione & venditione; quod quibuſcunque cum illis intercedit, eos tractent tranquille, miſericorditer, benigne.* Hujus præcepti ratio eadem eſt, quæ ſuperioris. Cum enim orphani & viduæ non habeant, qui cauſam eorum bona ſatis agant fide, commendatos eſſe lege & authoritate divina, tradunt Magiſtri, ut non ſecus ratio eorum & cura geratur, ac ſi eſſent ſuperſtites parentes eorum, & mariti. Huic etiam legi ſubjiciunt Regum orphanos & viduas. Habent aliquot,

quot, de jure, orphanis & viduis dicendo, Rabbini regulas, cujusmodi est, 1. שהבא להפרע ממונם אף על פי שיש בידו שטר מקויים לא יפרע אלא בשבועה מה שאין כן באחר *Qui cupit sibi aliquid solvi* (i. e. qui debitum exigit) *de pecunia eorum, etsi solido instructus sit documento, non pendendum tamen, nisi præmisso juramento, quod in aliis non contingit.* 2. שאם יש להם ריב עם שום אדם שב״ד חייבים לטעון בשבילם כנגד התובע או תן וטוענין לתועלתם כל מה שיחשבו שהיה יכול אביהם לטעון. *Si cum quoquam homine lis eis fuerit, tenetur domus judicii illorum nomine adversario opponere in rem illorum, quicquid, judicio ejus, ipse parens ipsorum potuisset objicere.* 3. ואם יש להם מעות שמכריחין ב״ד כל מי שימצאו שהוא עשיר מנכסים שיש להן אחריות ויהיה איש נאמן ואוהב שלום וכשר ומפקידין לו מעות היתומים בעניין שיהיה קרוב לשכר אל היתומים ור חוק להפסד מה שלא התירו באדם אחר משום רבית דרבנו ומכריחין גם כל אדם שהוא טוב להם שיפקח עינו על נכסיה אם לא הניח להם אביהם שום אפיטרופא. *Si præsentem* (orphani) *habuerint pecuniam, adigit domus judicii omnem, quem opibus, ad quas datur reditus* (sic *bona* vocant *immobilia*) *invenerit valentem, fidum, pacificum, & integrum; cui orphanorum facultates ideo committit, quia sic lucro illorum longe melius consulitur; damnum vero averruncatur: Id quod nulli alii concedunt homini, ob periculum fœnoris Rabbinorum. Adigunt etiam omnem hominem, qui aptus illis videtur, ut opum illorum curam gerat, si parens nullum ipsis reliquit tutorem.* 4. שכל משא ומתן שיהיה להם עם כל אחר יהיה ידם על העליונה כמו הקדש ויותר מהקדש באחרת. *In omni emtionis & venditionis commercio manum eorum esse superiorem, sicuti in sancto: imo etiam anteire sanctum in uno.* Exemplis agit author *lib. Chin.* pag. 29. b. Plura suppeditat *Talmud.* hinc inde in Gemara, & Midrasch. *Maimonid.* Hil. Deoth. cap. 6. סמג Neg. S. 7. *Nachmanides* præceptum de orphanis & viduis in duo dispescit ונוהגת מצוה זו בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות שחייבין בני אדם לנהוג עמהם דרך נחת וכבוד ועובר עליה והכעיסן או רדה בהן או אבד ממונם וכל שכן אם הכה אותם הרי זה עובר בלא תעשה. *Consuetudo hujus præcepti ubique locorum & temporum obtinet, in masculis & fœmellis. Tenentur enim filii hominum eos tractare benevole & honorifice. Qui vero transgressus ad indignationem eos provocaverit, aut iis insultaverit, aut perdiderit facultates eorum, multo magis, qui eos percusserit, ille reus est negativi:* quem, etsi non destinata ei sunt solennia verbera, ἔκδικον θεοῦ ὄμμα manet. Huc enim maxime applicant illud מדה בנגד מדה *Mensura pro mensura.* Imo θεήλατος est eorum pœna, juxta illud *Exodi* 22. v. 23. 24. *Si affligendo afflixeris eum, quia si clamando clamaverit ad me, audiendo audiam clamorem ejus: Irascaturque furor meus, & occidam vos gladio, eruntque uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli.* Unde Rab. *Levi* הש״י שהוא בוחן לבבות תובע צערם והרי ענשו מפורש בתורה שנ׳ והרגתי אתכם בחרב כלומר מדה כנגד מדה שתהיינה נשי המענים אלמנות ובניהם יתומים ולא ימצאו מרחם שכמדה שאדם מודד בה מודדין לו ואם נקבה היא המענה תמות ואישה ישא אחרת שתענה בניה ודרשו ז״ל והיה כי יצעק אלי בן קובל לאביו אשה לבעלה אלמנה ויתום אלי ושמעתי כי חנון אני. *Deus Benedictus,* ὁ καρδιογνώστης, *ulciscetur afflictionem eorum; Ecce enim pœna eorum expressa est in lege, sicut dicitur:* Occidam vos gladio; *Quasi diceret;* Mensura pro mensura; *quod mulieres affligentium futuræ sint viduæ; & filii eorum orphani, nec reperturi misericordem. Mensura enim, qua metiuntur homines; alii iterum illis metientur. Si mulier afflixerit, morietur; maritus autem ejus aliam ducet uxorem, quæ & ipsa liberos ejus affligat. Ita autem Rabbini locum;* Cum ad me clamaverit, &c. *explicant: Filius clamat ad patrem, uxor ad maritum; vidua & orphanus ad me, & ego exaudiam, quia misericors sum.*

SECTIO VIII.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XXI.

ab Exod. cap. 25. ad v. 20. cap. 27.

Præcepta Affirmativa habet ſeptem, quibus Judæi jubentur.

1. Mutuo dare pauperi. 2. Plurium ſequi vota & ſuffragia. 3. Jumentum, ſuccumbens oneri, ſublevare. 4. Libera relinquere ſeptimo anno prædia & agros. 5. Sabbatho quieſcere. 6. Solennitates majores Paſchatis, Pentecoſtes, & Feſti tabernaculorum celebrare. 7. Afferre primitias.

Negativa vero viginti duo, quibus prohibentur.

1. Exigere debitum a paupere, qui non eſt ſolvendo. 2. Operam locare vel ſcribendo, vel teſtando, mutuo danti & accipienti. 3. Maledicere vel judici. 4. vel Principi. 5. vel Deo. 6. Anticipare ſtatuta proventuum. 7. Edere diſcerptum. 8. Audire accuſationem actoris, abſente reo. 9. Hominis infamis admittere teſtimonium. 10. In ſuppliciis capitalibus pluralitatem, ex unius acceſſione ortam, ſequi. 11. Mentem aut ſententiam abſolventem mutare in damnantem. 12. Miſericordia affici erga pauperem in judicio. 13. Pervertere judicium peccatoris propter impietatem ejus. 14. Judicium ferre tantum ex conjecturis. 15. Accipere munera. 16. Jurare per Idola. 17. Impellere Iſraelitas ad Idola. 18. Mactare agnum Paſchalem die 14. Niſan, quandiu fermentum fuerit in noſtra poteſtate. 19. Relinquere per noctem, quicquam de reliquiis Paſchatis. 20. Coquere carnem cum lacte. 21. Pangere fœdus cum VII. Nationibus Cananiticis, aut quibuſcunque aliis Idololatris. 22. Sedem dare Idololatris in noſtra terra.

LXVI. מצות הלואה לעני. *Præceptum mutui-dationis pauperi*, id eſt, ut plenius R. *Levi* explicat : להלוות לעני בהשגת היד כפי מה שצריך לו למען הרחיב לו ולהקל מעליו אנחתו והארת המצוה של הלואה היא יותר חזקה ומחויבת מנתינת הצדקה משי שנתגלה ונודע דוחקו בין בני אדם וגלה פניו לשאול מהם אין דחקו ואפלתו כמי שעדיין לא בא לאותה בושה וירא מהכנס בה ואם יהיה לה מעט סעד של הלוא׳ במה שירויח מעט אולי לא יצטרך לשאולה לעולם וכשירחמנו האל בריוח ישלם נשיו ויחיה בנותר ועל כן ההירתנו תורתנו השלמה על זה לסעור המך בהלואה טרם יצטרך לבוא אל השאלה שנ׳ אם כסף תלוה את עמי ואמרו ז״ל במכילתא כל אם ואם מבתורה רשות חוץ מג׳ מהם חובה וזה אחד מהם ויכריחו הדבר מרכת׳ במקום אחר בתורה דרך צואה והעבט תעביטנו. *Ut mutuo demus pauperi, pro facultate, quantum opus habet, ut dilatetur, & ſublevetur gemitu, quo urgetur. Atque hoc præceptum de mutuo ſtrictius eſt, magiſque obligat, quam illud de eroganda eleemoſyna. Cujus enim manifeſta & nota eſt res anguſta domi in vulgus, quique frontem perfricuit mendicando, non accedit ad illius anguſtiam & afflictionem, qui publice nondum ita eſt confuſus, timetque, ne illud forte contingat : Quod ſi aliquid ſaltem ſubſidii ex mutuo habeat, unde paululum reſpiret, forte ad mendicitatem non adigetur unquam. Ubi Deus jam miſericordia eum ſua proſequetur, red-*

det

det debitum ſuum , & de reſiduo vivet . Proinde monet nos Lex noſtra perfecta, ut ſuccurramus homini attrito , mutuo , antequam mendicare cogatur , quemadmodum dicitur Exodi 22. v. 25. Si pecuniam mutuo dederis populo tuo pauperi, qui eſt tecum, &c. *Dicunt autem Magiſtri noſtri in Mecilta : Quoties particula* אם Si , *in lege occurrit , optionem aut arbitrium notat , exceptis tribus locis , quæ debiti ſunt , ex quibus & hic eſt . Neceſſitatem autem huic rei afferunt ex eo , quod alibi in Lege ſcriptum eſt, per modum præcepti ;* Deut. 15. 8. Mutuando mutuabis ei ad ſufficientiam uſque , id , quo indiguerit . Ratio hujus præcepti prima : שרצה האל להיות ברואיו מלומדים ומורגלים במדת החסד והרחמים . *Quia conſtituit Deus hac ratione creaturas ſuas aſſuefacere benignitati & miſericordiæ .* Hanc vero ſubordinationem Deum, qui ἀμέσος de victu & amictu proſpicere ſuis potuiſſet, propterea inſtituiſſe male volunt ; aut eſſemus שלוחים לו לזכותינו *ejus legati , in juſtitiam nobis .* 2. שרצה האל בה״ לפרנס העני על ידי בני אדם מגודל חטאו כדי שיוכח במכאוב בשני פנים בקבלת הבושת מאשר כנילו ובצמצום מזונו . *Voluit Deus Benedictus ſuſtentare pauperem beneficio hominum , propter magnitudinem peccati ſui , ut ita gemino afficiatur dolore , confuſione facta ; a coætaneo , vel ſimilis conditionis homine ; & arctatione alimoniæ ſuæ .* Quis vero proprie ſit ille עני , *pauper , afflictus ,* ad quem Lex hæc referenda , & quibus cautelis eam Rabbini limitaverint , hinc inde occurrit in *Miſchna* Cod. Bab. *Batra*, Gemara, &c. Confer *Maim.* Hil. Malvæh vel ovæh c. 1. סמג A. S. *93.* סמק S. 251. Tritum eſt apud illos : שהאדם מרוחק ונמאס ונתעב ונאלח ותשוקץ עד שקרוב להיות מיאוסו כמיאוס ע״א אם יש לי ומושך ידו ממצוה זו . *Hominem remotum , contemtum , abominabilem , fœtidum , & ita eſſe deteſtabilem , ut non multo ſit inferior Idololatria , ſi , opibus pollens , manum ſuam ab hoc præcepto retrahat .*

LXVII. מצוה הטייה אחרי רבים . *Præceptum de inclinatione poſt multos :* Id eſt , לנטות אחרי רבים והוא כשיפול מחלוקת בין החכמים בדין מדיני התורה כולה וכמו כן בדין פרטי כלומ׳ בדין שיהא בין ראובן ושמעון על דרך משל כשתהיה המחלוקת בין דייני עירם שקצתם דנין לחיוב וקצתם לפטור לנטות אחר הרב לעולם שנ׳ אחרי רבים להטות ובביאור אמרו ז״ל רובה דאוריתא ובחיר׳ רוב זה לפי הדומה הוא כששני הכתות החולקות יודעות בחכמת התורה בשוה שאין לומר שכת חכמים מועטת לא תכריע כת בורים מרובה ואפילו כיוצאי מצרים אבל בהשוית החכמה או בקרוב הודיעתנו התורה שרבוי הדיעות יסכימו לעולם אל האמת יותר מן המיעוט . *Declinandum poſt multos ,* i. e. Plurium ſuffragiis applaudendum . *Nempe , cum inciderit controverſia aliqua inter ſapientes , de judiciis Legis tum particularis , verbi gratia , de judicio inter Ruben & Simeon . Si ergo , exempli cauſa , orta fuerit diſſenſio inter judices urbis eorum , aliis quidem eum damnantibus ; aliis vero abſolventibus , ſemper majoris partis ſuffragia ſequenda , ſicut dicitur ;* Exodi 23. v. 2. Poſt multos, ad inclinandum , &c. *In explicatione autem dicunt Rabbini b. m. eſſe* multitudinem legis. *Electio autem multitudinis illius, ut videtur , eſt , cum duæ diſceptant turmæ Legis pariter peritæ , tum non dicendum turmam vel ſectam Sapientum minorem , non præponderare turmæ Idiotarum majori , ſi vel multitudine iis fuerint pares , qui Ægypto ſunt egreſſi . Ubi autem ſapientia pares ſunt , aut non multum differunt , indicat nobis Lex , quod pluralitas magis ſcientiarum ſemper patrocinetur veritati , quam paucitas .* Aliter hanc opinionem explicat R. *Levi* ipſe . Sed utraque interpretatio loci , inepta plane παρερμηνέια eſt , & cæcitatis Judaicæ indicium . Alius longe Moſi, loco citato , ſcopus eſt , nempe , non numero perſonarum , ſed rationibus & argumentis , pro judicio , eſſe certandum . Nec cedere nos debere multitudini ſuffragantium , momenta potius rerum eſſe expendenda . Præcepti hujus fundamentum eſſe volunt conſervationem totius Legis . Si enim , inquit , integrum cuique eſſet pro arbitrio Legem interpretari , tot ſenſus eſſent , quot capita . שבל עכשיו בפירוש נצטוינו לקבל בה דעת רוב החכמים יש תורה אחת לכולנו והוא קיומינו גדול בה ואין לנו לזוז מדעתה , id eſt . *Nunc autem , dum expreſſe injunctum nobis eſt ,* *ut recipiamus* ſententiam pluralitatis ſapientum , *una nobis & eadem Lex eſt omnibus . Atque hoc magnum noſtrum in eo eſt ſtabilimentum : Nec noſtrum fuerit a ſententia ejus recedere .* Qua vero obedientia & devotione apellæ fidem ſuam Rabbinis addixerint, claris id exprimunt verbis : ובכן בעשותנו מצותם אנו משלימין מצות האל ואפילו לא יביאנו לפעמים אל האמת חלילה עליהם יהיה החטאת ולא עלינו . *Id autem dum præſtamus , implemus nos præceptum Dei : Etſi enim quandoque veritatem nos non docerent , quod tamen abſit , illi peccarent , non nos .* Cautelas in judiciis, capitalibus cumprimis, hic obſervandas, tradunt in *Talm.* Sanhedrin , ſub finem . Canones notiores ſunt I. שצריכים גם כן אלו העושים רוב בדיני נפשות להיות סמוכין והסמיכה עדות להם שהם

שהם חכמים ונבונים ושלמים שראויין לעשות כל דבר על ידם. *Necessario illos, qui in judiciis capitalibus ejusmodi pluralitatem constituunt, esse debere* χειροτονηθέντας. Χειροθεσίαν *vero testimonium præbere, illos sapientes, intelligentes, sanos, dignos quorum opera quidvis perficiatur*. II. לא נמית אנשים על פי אנשים חסירי חכמה פן יטעו בדין. *Nec supplicium sumimus de homine, ad decretum hominum sapientia destitutorum, ne in judicio erretur*. III. למיתה אין תשלומין. *Pro morte non esse* ἀντάλλαγμα, *seu lytrum*. Plura vide *Maim.* Sanhed. c. 8. סמג A. S. 58. סמק S. 228. *Chinnuk* p. 30. b. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ולא נטה אחריהם בטל עשה וענשו גדול מאד שהוא העמוד שהתורה נסמכת בו. *Valet omni loco & tempore, in masculis & fœmellis. Qui autem transgressus eos secutus non fuerit, reus est gravis multæ. Est enim hæc columna, cui Lex Dei innititur*.

LXVIII. להסיר המשא מעל הבהמה שינעה במשאה בדרך שנ׳ כי תראה חמור שונאיך וכו׳ והשונא זה פירושו ישראל ואעפ שכת׳ לא תשנא את אחיך בלבבך דהיינו ישראל אמרו הכמים שעניין זה הוא כגון שראהו עובר עבירה ביחוד והתרה בו ולא חזר שזה מותר לשנאותו ומה שאמרו חמור ולא כל בהמה אלא שדבר הכתוב בהוה שהחמורים למשא וכו׳ עזב תעזב עמו כלומר עזרהו מלשון ויעזבו את ירושלים שהוא מלשון חוזק. *Auferendum esse onus bestiæ, quo delassata est in via; juxta illud* Exodi 23. vers. 4. Si videris asinum osoris tui, &c. Osoris *autem nomine Israelita intelligitur. Etsi enim moneat Scriptura* : Non odio habebis fratrem tuum corde tuo; *Israelitam nempe; Limitant tamen illud Rabbini, ita ut, si quis alterum videat peccare in fidem unitatis, eumque moneat, ipse vero non revertatur, talem odio prosequi licitum sit. Cur vero asini tantum fit mentio, & non cujusvis bestiæ? Loquitur Scriptura de præsenti tum tempore, quo asini oneri ferendo adhibebantur. Habet autem Scriptura*: עזב תעזב עמו, id est, Juva eum, *quo sensu vox hæc sumitur Neh.* 3. v. 8. Solidarunt Jerusalem; *ubi* robur *significat, seu* confirmationem. Est & hæc Rabbinorum glossa (quæ, per *osorem* intelligit *Israelitam* tantum, ne Christianis quoque obstringantur) torta & perversa. Melius placet ratio præcepti, quam esse tradunt, ללמד נפשינו במדת החמלה שהיא משובחת ואין צריך לומר שהיא חובה עלינו לחמול על האיש המצטער בגופו אלא אפילו על המצטער באבידת ממונו מצוה עלינו לחמול עליו ולהצילו. *Ut doceat animos nostros virtutem mansuetudinis, quæ laude dignissima est. Neque necesse fuerit dicere, teneri nos misereri hominis afflicti in corpore suo; etiam & periclitantis de facultatibus, præcepto jubemur misereri, eumque liberare*. Casus & circumstantiæ præcepti examinantur in *Talm.* Mass. Metzia cap. 2. Quærunt 1. Quid facto sit opus : אם הבהמה של גוי ומשאו של ישראל או בהפך. *Si jumentum fuerit gentilis, & onus ejus Israelitæ; vel vice versa?* Item 2. דין הפוגע באוהבו ישראל ובשונאו שמצוה בשונא לכוף היצר. *Quæ ratio ejus, qui in Israelitam incidat geminum, alterum amicum, alterum vero osorem?* ubi respondent, *Quod, ex præcepto, osoris major habenda sit ratio, ad subigendam pravam cupiditatem*. Quo usque vox תראה si *videris*, se extendat? Ad spatium nempe ריס, quod Talmudici definiunt אחד משבעה ומחצה במיל *septimam & dimidiam partem milliaris* אבל רחוק מזה השיעור אין חייב להטות הדרך אליו. *Longius spatium non tenetur deflectere a via ad sublevandam bestiam*. Præceptum est καθολικὸν, absque loci, temporis, aut sexus discrimine. Transgressor vero בטל עשה ומראה בעצמו מדת האכזריות שהיא מדה מכוערת וכל שאינו מרחם אין מרחמין עליו מן השמים שאין ראוי גופו לקבלת הרחמנות. *Negativum irritum reddit, simulque probat crudelitatem suam, quæ turpe est vitium. Nam qui misericordia nulla tangitur, neque ipsius Deus miseretur. Indignus enim est, qui corpore suo misericordiam recipiat*. Plura *Maim.* Hil. Rotzeach. cap. 13. סמג A. S. 80.

LXIX. מצות שמטת קרקעות. *Præceptum intermissionis fundorum*; Id est; להפקיר כל מה שהוציא הארץ בשנת השביעית שהיא נקראת מפני המעשה הזה שנתחייבנו בה שנת השמטה ויזכה בפירותיה והיה כל הרוצה לזכות שנ׳ והשביעית תשמטנה ונטשתה ואכלו אביוני עמך ויתרם תאכל חית השדה כן תעשה לכרמך ולזיתך ולשון מכילתא והלא הכרם והזית בכלל היה כלומר שראש הפסוק שאמר תשמטנה ונטשתה יכלול כל מה שיצמח בארץ בין פירות אילן בין פירות אדמה ולמה פרטן הכתוב שתי אלה להקיש לכרם שאר מיני אילן ללמד כמו שיש בכרם עשה ולא תעשה שהרי בפירוש נכתב עליו ואת ענבי נזירך לא תבצר כמוקן משאר האילן יש בהן עשה ולא תעשה ולפיכך פרבכרם וזית ללמד על עניין זה כי כוונת הכתוב דלאו דוקא זית לבד אלא הוא הדין לכל שאר פירות האילן אלא שהזכיר אחד מהן והוא מלמד לכולם שזה מן המדות שהתורה נדרשת בהם. *Prostituenda seu libera relinquenda esse omnia, quæ terra anno septimo produxerit, quod ipsum, ab opere, ad quod obligamur*, Annus Intermissionis *dicitur, quo fructus cujusvis*

jusvis usui permittuntur, juxta illud Exodi cap. 23. vers. 10. In septimo anno relinques terram tuam, atque deseres, & comedent pauperes populi tui, residuum autem eorum comedet bestia agri. Sic facies vineæ tuæ & oliveto tuo. *Mecilta : Nonne* vinea & olivetum *generaliter comprehenduntur? Quasi diceret : Principium versus, quod ita habet :* Relinques eam & deseres eam*; comprehendere quicquid produxerit terra, sive fructus arboris fuerint, sive terræ proventus. Cur ergo Scriptura duo hæc speciatim exprimit? Ut comparet viti omnes reliquas arborum species, ad docendum nempe : Quod, quemadmodum circa vitem sit affirmativum & negativum (Scriptura clare de hoc loquitur, Levit.* cap. 25. vers. 5. Uvas separationis tuæ non vindemiabis) *ita & in cæteris arboribus omnibus affirmativum sit & negativum. Proinde specialiter ponit vineam & olivetum, ad docendum in hac materia, ex scopo Scripturæ, non præcise olivetum intelligendum; sed eandem obtinere rationem in cæteris etiam frugibus arborum. Meminit autem unius, & innuit cæteras species omnes. Qui quidem unus ex modis illis est, quibus Lex explicatur.* Rationes huic præcepto assignant tres. Prima est *μνημόσυνον* tum creationis Mundi, tum conservationis, & productionis rerum omnium, solius Dei potentia & nutu, ומשרשי המצוה לקבוע בלבנו ולצייר ציור חזק במחשבותינו ענייך חידוש העולם כי ששת ימים עשה יי׳ את השמים ואת הארץ וביום השביעי שבת שלא ברא דבר הכתיב מנוחה על עצמו ולמען הסיר ולעקור ולשרש מרעיונינו דבר הקדמות אשר יאמינו הכופרים ובו והרסו כל פנותיה ויפרצו חומותיה באה חובה עלינו להוציא כל זמנינו יום יום ושנה שנה על דבר זה למנות שש שנים ולשבות בשביעית לכן צוה בה׳ להפקיר כל מה שהוציא הארץ בשנ׳ ז׳ מלבד השביתה בה כדי שיזכור האדם כי הארץ שמוציאה אליו הפירות בכל שנה ושנה לא בכחה וסגולתה כי יש להם אדון ועל אדוניה וכשהוא חפץ הוא מצוה אליו להפקירם. *Ex radicibus hujus præcepti est, ut infigat cordibus nostris, & forti imaginatione cogitationibus nostris imprimat negotium Creationis Mundi. Quia enim sex diebus Dominus fecit cœlum & terram, septimo autem die quievit, ita ut nihil plane crearit, hanc de se ipso consignari voluit quietem. Ut igitur amoveret, evelleret & eradicaret e cogitationibus nostris æternitatem Mundi, quam asserunt infideles, utque destruerentur omnes anguli ejus, & muri ejus rumperentur, obligatione constringimur, ut excipiamus aliquid ab omnibus temporibus nostris, diem a diebus, & annum ab annis. Atque hac de causa numerandos sex annos, & quiescendum septimo.* Hæc de creationis memoria : Cætera ad conservationem pertinent. *Propterea enim*, inquit, *præcepit Deus benedictus, ut prostituamus quicquid terra illo anno produxerit; præterquam, quod quiescere illam vult; ut meminerit homo, terram, quæ fructum ei, prefert singulis annis, non viribus illud propriis præstare, aut sua sponte, sed quod Dominum habeat, a cujus nutu pendeat, & quod, cum voluerit, usui ea publico destinare possit.* Sed & viam præceptum hoc sternit magnæ exercendæ liberalitatis: כי אין נדיב כנותן מבלי תקוה אל הגמול. *Neque enim quisquam ita liberalis est, sicut ille, qui largitur absque spe retributionis.* Tandem etiam auget fiduciam in Deum & Providentiam ejus, avaritiamque impedit. Vide plura *Maim.* Hil. Schemitah. cap. 4. סמג A. S. 148. Speciale casuum, circa hoc præceptum, examen instituitur in *Talmud.* Mass. Schebhiit. Distinguunt autem Hebræi, inter ea, quæ anno hoc septimo ad cultum terræ conferre prohibentur ex præscripto Legis, ut sunt זריעה זמירה קצירה ובצירה *serere, putare, metere, vindemiare;* & inter reliqua, quæ Rabbinorum interdicto sunt fugienda, ut *stercorare, fodere, arborum stolones amputare, vermes supposito fumo exstinguere*, & si quæ sunt alia. Tradunt etiam שהחיוב להמנע מעבודת ארץ ל׳ יום קודם שנת השביעית והיא הלכת למשה מסיני. *Teneri se abstinere a cultu terræ 30. dies ante annum septimum, idque ex traditione Mosaica, e monte Sinai.* ונוהגת בזכרים ונקבות בארץ ישראל בלבד ובזמן שישראל שם שנ׳ עליה כי תבאו אל הארץ ומדרבנן נוהגת אפילו בזמן הזה בארץ דוקא וכל מקום שהחזיקו בו עולי בבל עד כזיב ולא כזיב בכלל אסורה בעבודה וכל הספיחים הצומחים שם אסורים באכילה כי הם קדשו המקומות שהחזיקו בהם לעולם והמקומות שהחזיקו בהם כבר עולי מצרים ולא עולי בבל שהן מכזיב ועד הנהר ועד אמנה ואע״ש שהן אסורין היום מדרבנן בעבודה בשביעית שהחמירו בהן הספיחין הצומחין שם מותרין באכילה אחר שלא נתקדש בעולי בבל ומן הנהר ואמנה והלאה מותר בעבודה סוריא והוא מהמקומות שכבש דוד קודם שנכבשה ארץ ישראל כולה זהו נקרא לרבותינו כיבוש יחיד והארץ הזאת היא כנגד ארם נהרים וארם צובה כל יד פרת עד בבל כגון דמשק ואחלב וחרן ומקומות אחרים סמוכין לאלי אע״פ שאין שביעית נוהג בהן שן התורה גזרו בהן שיהיו אותן המקומות אסורין בעבודה כארץ ישראל אבל עמון ומואב ומצרים ושנער אף על פי שהן חייבין במעשר אין שביעית נוהגת בהן וכל שכן שאין נוהגת בשאר חוצה לארץ ועובר עליה ונעל׳ כרמו או

שדהו

שדהו בשביעית או אסף כל פירותיו לביתו בזמן שישראל על ארמתן בטל עשה ומכל מקום מותר לאסוף מהן מעט אל הבית ולאכול ובלבד שתהא יד הכל שוה בהן כאילו אין לקרקע בעלים ידועים. *Obtinet usus in masculis & fœmellis, sed tantum in terra Israel, eoque tempore, quo Israelitæ habitarunt ibi, quemadmodum dicitur :* Cum ingressi fueritis eam, &c. *Ex mente autem Rabbinorum nostrorum, valet etiamnum, sed solum in terra Israel, & omnibus locis, quæ tenuerunt Majores nostri reversi ex Babel Kezibam usque, quæ tamen interdicto cultus,* septimo anno omittendi, *non tenetur. Quæcunque enim in locis istis sponte crescunt, edere non licet, quia loca illa, quæ tenuerunt, in æternum consecrarunt. Loca autem, quæ jam ascendentes ex Ægypto occuparunt, non vero reduces domum ex Babel (a Kezib nempe ad fluvium, & Amanah) etsi interdicto hodie, ex Rabbinorum sententia, subjaceant, ita ut septimo ea anno colere non liceat; iidemque (Rabbini) sponte in illis crescentia, quasi rem difficilem vetitamque decernant, esui tamen concessa sunt, cum illa per ascendentes ex Babylonia non sint sanctificata. A Fluvio vero, Amanah, & ultra, colere ea licet. Syriam, quæ & ipsa ex illis locis est, quæ David, antequam universa terra Israelis subacta esset, subjugavit; unde &* Rabbinis singularis subjugatio *vocatur; hanc, inquam, terram, oppositam Aram Naharaim, & Aram Zobæam, totum Euphratis tractum, Babyloniam usque, Damascum nempe, Achleb, Harran, & alia ipsis vicina loca, colere per Rabb. non licet, plane ut terram Israel, etsi Lege intermissionis in Scr. non teneantur. Ammon vero & Moab, Ægyptus & Schinear, etsi teneantur dare decimas, non tamen anni septimi recepta est intermissio, quanto minus in reliquis locis extra terram Israel? Qui autem transgressus clauserit vineam suam, aut agrum suum anno septimo, aut collegerit omnes fructus suos domi, tempore, quo Israelitæ terram suam incoluerunt, affirmativum reddit irritum. Licet tamen ex singulis locis pauca quædam colligere pro domo cuique sua, & edere : Modo æqualis omnium in iis sit manus, (ratio) perinde ac si fundi nulli certi essent possessores.*

LXX. מצות שביתה בשבת. *Præceptum quietis Sabbathicæ*, id est, לשבות ממלאכה ביום השבת שנ׳ וביום השביעי תשבת. *Cessandum ab opere die Sabbathi, sicut dicitur:* Die septimo cessabis, *Exodi* 23. 11. Hoc præceptum 12. vicibus repetitur in Lege.

LXXI. מצות חגיגה ברגלים. *Præceptum de obeundis festis, & celebrandis solennitatibus*, id est, לחוג ברגלים והוא שנצטוינו לעלות לרגל למקדש שלש פעמים בשנה והן סמוך לפסח ושבועות וסוכות כדי שנחוג שם שנ׳ שלש רגלים תחוג לי בשנה ומעניין החגיגה הוא שנעלה שם בקרבן ונקריבהו שלמים לכבוד החג ונכפלה מצוה זו פעמים בתורה ואמרו ז״ל במסכת חגיגה ג׳ מצות נצטוו ברגל חגיגה ראיה שמחה. *Festivitates seu solennitates majores celebrandas. Jubemur nempe tribus anni vicibus pedibus ascendere Hierosolymam Paschate, festo hebdomadarum & Tabernaculorum, ut festum ibi celebremus, sicut dicitur Exodi* 23. v. 14. Tribus vicibus festum mihi celebrabis uno quoque anno. *Ad festivitatem autem illam pertinet, ut adducamus illuc oblationem, & offeramus ibi eucharistica, vel pacifica in honorem festi. Repetitur autem præceptum hoc in Lege, dicuntque Rabbini nostri in Mass. Chagigah : Tria continet solennitatis præceptum. Ferias festivas, apparitionem* (in atrio templi) *lætitiam.* משרישי מצוה זו לפי שאינו בדין לבוא בידים רקניות לפני המקום בה׳ ואע״פ שהאמת כי אינו צריך דבר מידינו כמו שכתוב אם ארעב לא אומר לך אע״פכ בדמיון מחשבותינו אנחנו רואים כאילו נעמד לפניו והאמת שהנפשות קרובות אל הטוב במקום יותר משאר מקומות ואור פני מלך נוגה עליהם שם ועל כן ראוי לנו לעשות מעשה בעת ההיא כי בפעולות הקרבן נתקן לקבלת הטובה ותתעלה נפשותינו מעלה מעלה. *Ratio hujus præcepti est, quod non conveniat, manibus vacuis nos camparere in loco Dei benedicti.* Etsi autem verum sit, Deum nulla re, e manibus nostris, indigere, sicut scriptum est : *Si esuriero, non dicam tibi* : Licet, inquam, ita sit, mentis tamen nostræ conceptu eum videmus, quasi præsentes coram illo staremus. Verum etiam est, animas, uno in loco, bono esse viciniores, quam in altero, ubi lux vultus Regis illustrat eos: Convenit proinde eo nos tempore facere opus : operibus enim oblationis disponimur ad recipiendum bonum, & extollitur anima nostra gradu excelso. Confer *Maimon.* Hil. Chag. cap. 1. סמג A. S. 227. 228. Speciales casus examinantur in *Talmud.* Mass. Chagig. Receptum autem est apud Rabbinos 1. שקרבנות אלו אין להם שיעור. *Quod sacrificia illa nullam expressam habeant mensuram.* 2. שחייב לעלות לירושלם עכ״פ בקרבן בידו או בכסף שיקנה לו קרבן בירושלם אבל בשורה כסף אינו פטור. *Quod teneatur homo ascendere (pedibus* nempe ; unde claudi vel unipedes ab hac lege excepti fuerunt) *Hierosolymam, instructus vel sacrificio, vel pecunia, unde sacrificium emere potuerit;* num-

nummo tamen æquivalente absolvi non poterat. ונוהגת בזמן הבית בזכרים אבל לא בנקבות ולא כל הזכרים שחיגר וסומא אפילו באחד וחולה וזקן ועגוג הרבה שאינו יכול לעלות ברגליו כולם פטורין וכן פומטום ואנדרוגינים ועבדים אבל כל שאר הזכרים חייבים אפילו ישל הם אומנות מכוער כגון קמצן ומצרף ועברן מטהרין גופן ומלבושן ועולין לפני השי והם מקובלין לפניו כשאר ישראל שטינוף הנפש הוא הממאים בני אדם לפני המקום ולא האומנות כל זמן שעושין אותו בנאמנו׳ ועובר עליה ונראה בעזרה ביום ראשון של חג ולא הביא קרבן בטל עשה וגם עבר על לאו שנאמר על זה לא יראו פני ריקם. *Concernit hoc præceptum, stante templo, masculos (fœmellas non item) non tamen omnes: Claudus enim & cæcus, aut altero tantum orbus oculo, ægrotus senex & delicatus valde, qui non potest pedibus suis ascendere, omnes illi liberi sunt. Ita & obthuratus, & androgynus, & servi. Cæteri vero masculi tenentur omnes, etsi artes exerceant sordidas, ut fossor, fusor, coriarius, qui purgatis corporibus & vestibus ascendunt in conspectum Dei benedicti, a quo suscipiuntur sicut reliqui Israelitæ. Pollutio enim animæ abjectos reddit homines coram Deo, non autem artificium tempore eo, quo sibi commissa diligenter expediunt. Qui violaverit hoc præceptum, & visus in atrio die primo festivitatis, sacrificium non obtulerit, affirmativum reddit irritum, & negativum, de quo dicitur:* Non conspicientur coram me vacui; *Exodi* 23. v. 15.

LXXII. מצות הבאת בכורים *Præceptum de afferendis primitiis*, i. e. להביא בכורים למקדש והוא הפרי הראשון שמתבשל באילן שחייבין אנו להביאו שם וליתנים ולא כל האילנות במצוה זו מן התורה אלא שבעת המינים בלבד שנשתבחה בהן ארץ ישראל והם חטה ושעורה גפן ותאנה ורמון זתים ותמרים שנ׳ ראשית בכורי אדמתך תביאו וכו׳ ובא הפירוש שלא נאמר אלא על׳ פירות אלו ולפי הדומה כי בדרך זו למדו ז״ל לומר כן כי אחר שלא הוזכרו פירות אחרים חוץ מאילו בתורה בשום מקום וצונו בה׳ להביא מארצנו בכורי פירות סתם באמת יש לדון כי על פירות שהודיענו בתורה שהן בארץ וששבחה בהן על אותם צונו ואפשר כי יש לרבותינו עוד הכרה הכתוב בעניין או שמא דברי קבלה הן וכן היה דרכם להביא אותן הסמוכין לירושלם מביאין אותן רכים והרחוקים מיבשין אותן. *Adducendas primitias in Sanctuarium, id est, fructum primum in arbore maturum, quem illuc deportare, ibidemque Sacerdotibus dare tenemur. Non intelliguntur autem hoc præcepto Legis, fructus arborum omnium; sed septem duntaxat specierum, quibus celebrata est terra Israelis, nempe triticum, hordeum, ficus, malogranatum, oleæ, & dactyli, quemadmodum dicitur Exodi* 23. v. 19. Primitias primitivorum terræ tuæ adduces, &c. *Intelligi autem illud tantum volunt de septem illis speciebus. Videntur vero ita docuisse Magistri nostri, quod, cum præter hos fructus, nullorum præterea in Lege ullo in loco fiat mentio; Jusserit autem nos Deus benedictus, afferre de terris nostris primitias absolute; vere colligere possimus, fruges intelligi, quas notas nobis fecit in Lege, ut quæ in terra sint, famamque ei conciliarunt, quodque de his nobis præceperit. Fieri etiam potest, Rabbinos adhuc alio loco Scripturæ urgeri, aut hoc traditione iis commendari. Hæc tandem, in afferendis primitiis, ratio fuit observata. Qui urbi vicini erant, primitias afferebant recentes, cæteri eas arefaciebant.* Usum habet hoc præceptum *μνημονικὸν καὶ εὐχαριστικὸν* כדי שנזכור ונדע כי מאתו ב״ה יגיעו לנו כל הברכות בעולם על כן נצטוינו להביא למשרתי ביתו ראשית הפרי המתבשל באילנותיו. *Ut memores simus & cognoscamus, quod ab ipso Deo benedicto pertingant ad nos benedictiones in mundo, in mandatis nobis datum est, ut afferamus Ministris domus suæ primitias fructuum, quos in arboribus suis ad maturitatem produxit.* Qui veto fructus, ex Rabbinorum instituto, ad hoc pertineant præceptum, & quibus ceremoniis vel offerantur, vel excipiantur, peti potest ex *Talm.* Mass. בכרים *Maim.* Hil. Bicur. cap. 3. סמג A. S. 139. ונוהגת בזמן הבית בזכרים ובפירות ארץ ישראל וסוריא ועבר הירדן אבל לא בפירות חוצה לארץ ועובר עליה בטל עשה. *Valet hoc præceptum, durante templo, in masculis, & in fructibus terræ Israel, Syriæ, & trans Jordanem crescentibus; non autem in fructibus extra Israelem: Qui violat præceptum hoc, reum se facit affirmativi.*

LXXIII. שלא נתבע חוב מעני שאין לו מה לפרעו. *Ne exigamus debitum a paupere, qui non est solvendo; vel plenius;* שנמנענו מלתבוע החוב מן הלוה בעת שנדע שאינו יכול לפרוע חובו לפי שאין לו שנ׳ לא תהיה לו כנושה ודע כי זאת המניעה תכלול גם כן שלא להלוות ברבית לישראל. *Quod prohibeamur exigere debitum a mutuo accipiente, eo tempore quo constat nobis, illum, propter inopiam, non esse solvendo parem, sicut dicitur:* Non eris ei tanquam usurarius, *Exodi* cap. 22. v. 25. *Scito autem hoc interdicto etiam contineri, ne quid Israelitæ mutuo dent pro usura.* משרשי המצוה לקנות לנו מדת החסד והחנינה והחמלה וכשיהיו קבועות לנו אז נהיה ראוים לקבלת הטובה וישלם חפץ השי בנו שחפץ השי להטיב בעולם הזה ובעולם הבא. *De fundamentis hujus præcepti*

cepti est, ut acquiramus nobis virtutem misericordiæ, gratiæ, & clementiæ; quæ cum nobis erunt infixæ, erimus digni ad recipienda bona, & satis fiet voluntati Dei benedicti in nobis. Vult enim Deus benedictus beneficentiam exercere, & in hoc, & in futuro seculo. Speciales casus proponuntur in Misch. Cod. *Metzia*, & hinc inde in Gèmara; *Maimon.* Hil. Malveh veloveh cap. 1. סמג. N. S. 185. Reus, cujuscunque sexus, & quocunque tempore, in offensam incurrit Dei, est enim כעובר על מצות מלך *ut violator præcepti regii.*

LXXIV. שלא נשית יד בין לוה למלוה ברבים. *Ne apponamus manum nostram inter mutuo accipientem & dantem publice.* Id est, שלא נתעסק במלות רבית בין הלוה והמלוה כלומר שלא נעשה להם ערבות ולא נעיד אליהם ולא נכתוב ביניהם שטר שיש בו הזכרת רבית שנ׳ לא תשימון עליו נשך ובא הפירוש במציעא שהלאו הזה נאמר על המתעסקים בעניין כגון ערב ועדים וסופר ושם נאמר גם כן שהמלוה נכלל עמהם בלאו זה מלבד הלאוין האמרים שמיוחדין בו. *Ne operam nostram locemus in vocibus fœnoris* (stylum nostrum in causa fœnoris offeramus) *inter mutuo accipientem & mutuo dantem*, q. d. *Ne offeramus iis sponsionem, aut testimonium, neve scribamus inter reos instrumentum, in quo sit mentio* רבית usuræ, *juxta illud* Exodi 22. v. 25. Non ponetis super illum usuram. *Explicatur autem in* Metzia, *negativum hoc intelligi de iis, qui huic negotio operam suam locant, ut obsides, testes, & scribæ. Ibidem etiam habetur, quod mutuo dans cum iis hoc negativo præcepto contineatur, præter negativa alia.* (Rab. *Abbæus* numerat negativa sex, quorum reus fieri possit) *quæ de illo solo loquuntur.* משרשי המצוה כי האל הטוב חפץ ביישב עמו אשר בחר ועל כן צוה להסיר מכשול מדרכם לבל יבלע האחד חיל חבירו מבלישירגיש בעצמו עד שימצא ביתו ריקם מכל טוב כי כן דרכו של רבית ידוע הדבר ומפני כן נקרה נשך ובהמנע מן המעשה הזה ערב וסופר ועדים ימנעו בני אדם ממנו. *Ratio hujus præcepti est, quod voluerit Deus populum suum, quem elegit, habitare quiete. Proinde jussit amovere de viis eorum offendiculum, ne validior proximum suum deglutiat sine sensu, donec tandem domum suam reperiat omni bono spoliatam. Hæc enim, ut constat, ratio est usuræ, quæ propterea* נשך morsus *appellatur. Dum autem ab opere coercentur præs, scriba, & testes; ab ipsa etiam re probibentur homines.* Reliqua pete ex *Metzia*, *Maimonide* Malveh veloveh cap. 4. סמג N. S. 193. סמק 261. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות והעובר על זה ונעשה סופר או ערב או עד במלוה עבר על לאו זה אבל אין לוקין עליו. *Valet hoc præceptum omni loco & tempore, in masculis & fœmellis, & qui, transgressus illud, constitutus fuerit scriba, aut sponsor, aut testis mutuo danti, hoc præceptum negativum violat, propter quod tamen non flagellatur.*

LXXV. שלא לקלל הדיינים שנ׳ אלהים לא תקלל ופירושו לדיינים כמו אשר ירשיען אלהים והוציאן הכתוב בלשון אלהים כדי שיהא הכלל עם הלאו הזה לאו אחר והוא לאו דברכת הש״י כמו שאמרו ז״ל במכילתא ובסיפרי אזהרה לברכת הש״י דכתיב אלהים לא תקלל ומה שכת׳ בתורה במקום אחר ונוקב שם יי׳ מות יומת זהו העונש אבל האזהרה היא מכאן כי לא יספיק לנו הזכרת העונש במצוה מבלי אזהרה וזהו שיאמרו רבותינו תמיד עונש שמענו אזהרה מנייץ. *Non esse maledicendum judicibus, sicut dicitur*: Diis non maledices; *Exodi* cap. 22. v. 28. & v. 29. quem condemnaverint Dii: *voce autem* אלהים Deorum *Scriptura eos profert, quod sub hoc negativo comprehendatur negativum aliud, non maledicendum vid. nomini Dei benedicti; prout dixerunt Magistri nostri in Mecilta & Siphri*: Admonitio, *Ne maledicamus Nomini Dei benedicti*, quia scriptum est: Diis non maledices; *quod vero in Lege loco alio exstat*: Qui perforarit, id est, execratus fuerit nomen Domini, morte moriatur; *Levit.* 24. v. 16. *hæc multa est, at præmonitio hinc* (ex loco præsenti) *Neque enim sufficit nobis pœnæ mentio absque præmonitione. Atque hoc est, quod dicunt Magistri nostri*: Semper audimus multam; at præmonitio unde? Cujus postea dicti sensum, & quid pœna simpliciter in Lege expressa, a mandato differat, plenius R. *Levi* pag. 32. b. explicat. Usus præcepti est 1. להסיר מעל הדיינים יראת הנידון וקללתו כדי שיוציאו הדין לאמיתו. *Ut adimatur judicibus timor hominis judicandi* (rei) *& execrationis ejus; atque ita judicium proferant secundum veritatem suam.* 2. כי בקללת הדיין תקלות כי המון העם בסכלותם שונאים אותם ואם לא יוזהרו על קללתו אולי יקללוהו ויתעוררו מתוך כך לקום עליו. *Quia maledictionem judicis multa comitantur offendicula. Vulgus enim, pro stultitia sua, odio habet eos. Quod si non reprimeretur admonitione a convitiis seu maledictione ejus, sine dubio ei malediceret, & excitaretur hac ratione ad insurgendum contra eum.* שחינב הלאו אינו אלא המקלל הדיין בשם משמות הש״י כגון יה או שדי ואלהים וכיוצא בהן או בכנוי כגון חנון או קנוא וכיוצא בהן אבל בלא שם וכוני כגון ארור פלוני או אל יהי ברוך אין בו חיוב לאו אבל אסור הוא. *Reatum*

hujus

hujus negativi non cadere nisi in eum, qui maledicit judici per nomen aliquod Dei benedicti, cujusmodi sunt Jah, aut Schaddai, Elohim, &c. aut per Epitheta, ut sunt benignitas, zelotes, &c. Qui vero absque nomine & Epitheto dixerit, Maledictus sit N. aut non benedictus; non quidem tenetur hoc negativo, facit tamen quod non licet. 2. שהחינב אינו במקללו בלשין הקודש דוקא אלא אפילו בכל לשון והתראה בזה ככל חייבי לאוין. *Quod negativo hoc teneatur, non modo ille, qui præcise ei maledicit lingua Hebræa; sed omni alia lingua, accedente tamen admonitione, sicut in reliquis reis negativorum.* ונוהגת בכל מקום ובכל זמן ועובר עלה וקלל הדיין בשם או בכנוי לוקה ב׳ מלקיות אחד לפי שהוא ככל אחד מישראל הכשרים שהן בכלל איסור זה ואחד מפני שהוא דיין. *Consuetudo obtinet omni loco & tempore. Qui vero transgressus maledixerit judici per nomen Dei, aut Epitheton, bis vapulat, semel, quod eadem illius sit ratio, quæ cæterorum Israelitarum genuinorum qui hoc probibito continentur; & iterum, quod sit judex.* Cætera desume ex Talmud. Mass. Sanhed. *Maimon.* Hil. Sanhed. cap. 26. סמג N. S. 209. 210.

LXXVI. Nec convitiis proscindamus Deum. Hoc præceptum ex superioris præcepti verbis, ceu diximus, eliciunt. Ratio ejus est: לפי שמתרוקן האדם במאמר הרע ההוא מכל טובה וכל הוד נפשו נהפך למשחית והנה הוא נחשב כבהמות כי באותו דבר ממש שהבדילו השם לטובה ובו נעשה אדם והוא הדבור שנבהל בו ממיני הבהמות מבדיל הוא את עצמו לרעה ומוציא עצמו לגמרי מכל נדר הדעת ונעשה כשרץ נמאס ונאלח ולמטה ממנו ועל כן הזהירתנו התורה על זה כי אל הטוב יחפוץ בטובתינו וכל דיבור ודיבור הגורם מניעת הטובה ממנו יבא כנגד חפצו ב״ה. *Quod evacuatur homo, sermone hoc malo, omni bono, & omnis gloria animæ ejus convertitur in exitium, similisque æstimatur bestiæ. Ea ipsa enim re solida, qua separavit eum Deus ad bonum, & qua factus est homo, sermone nempe, quo distinguitur a speciebus bestiarum; se ipsum separat ad malum, ita ut omnino extra limites scientiæ, sua culpa, constitutus, reptilis instar, abjectus reddatur, & fœtidus, imo reptili inferior. Ac proinde nos ea de re Lex monet. Nam Deus benignus, bene nobis esse vult: Omnis autem sermo, qui bonum ejus impedit, contrariatur voluntati divinæ.* Quæ ad pœnam legis hujus violatoribus inflictam spectant, fuse tractantur in Sanhed. cap. 7. Tradunt Rabbini inter alia 1. שאין החיוב עד לשיפרש את השם המיוחד שהוא יו״ד ה״א ו״ו ה״א או שלאלף דל״ת נו״ן יו״ד כדעת קצת מפרשים. *Non cadere culpam nisi in eum, qui nomen Dei proprium explicuerit* Jod, He, Vau, He. *Aut*; Aleph, Daleth, Vau, Jod, *ad mentem quorundam Interpretum* 2. שמגדף אף על פי שחזר תוך כדי דבור נסקל ומי שמגדף השם בשם ע״א קנאים פוגעין בו ואם לא פגעו בו ובא לבית דין אינו נסקל עד שיברך בשם מן השמות המיוחדין והטעם שאינו נסקל לפי שהוא בעצמו מכיר אפילו בעת הכעס שאין דבריו אלא שטות גמור ומכל מקום פוגעין או קנאים אחר שהשחית והתעיב והעיז פניו לדבר דברים רעים כאלת. *Blasphemum, etsi revocaverit dimidium sermonem (qui alias pro toto habetur :* quamquam & Talmudici excipiant blasphemantem, Idololatriam exercentem, desponsantem & repudiantem, qui non dimidiatis, sed plenis & disertis verbis suam exprimere debeant mentem) *lapidibus obrui. Qui blasphemant Deum per nomen alicujus Idoli, in eum irruunt Zelotæ : Quod si non irruerint, & ipse convenerit Synedrium, non lapidatur, usque dum blasphemarit per nomen aliquod ejus proprium. Ratio autem, cur non obruatur lapidibus, quod agnoscat sua, etsi irati hominis, verba, meram esse fatuitatem. Omni autem ex parte in eum irruunt Zelotæ, postquam pernitiosa & abominabilia locutus, suam perfricuit frontem ad evomenda verba ejusmodi mala.* 3. שכל השומע ברכת השם מפי ישראל חייב לקרוע אבל השומע מן עכו״ם אינו חייב לקרוע ולא קרעו אליקים ושבנא אלא מפני שרבשקה מומר היה. *Omnem Israelitam, qui audit maledictionem nominis divini ex ore Israelitæ, teneri scindere* (vestes) *Qui vero ab Idololatra illud audiverit, non teneri scindere. Unde non sciderunt* (vestes) *Eliakin & Sebna, nisi quia Rabsake Apostata fuit.* 4. כל העדים והדיינים סומכין ידיהם אחד אחד על ראש המגדף ואומרים לו דמך בראשך שאתה גרמת לך ואין בכל הרוני ב״ד מי שסומכין עליו אלא מגדף בלבד שנ׳ וסמכו כל השומעים וכו׳. *Omnes testes & judices imponunt manus suas, unusquisque nempe, capiti blasphemantis, dicuntque ei : Sanguis tuus recidat in caput tuum, id quod tua tibi conciliasti culpa. Nullius autem a Synedrio damnati, capiti manum imponunt, nisi blasphemantis tantum, sicut dicitur :* Et imponent omnes audientes, &c. ונוהגת איסור זה בכל מקום ובכל זמן והעובר על זה ומברך השם בעניין שאמרנו נסקל בארץ על פי סמוכין ועכשיו בחוצה לארץ שאין לנו סמוכין מרחיקין כל ישראל ממנו ומחרימין אותו. *Consuetudo hujus interdicti obtinet omni loco & tempore : Qui vero transgressus maledixerit nomini Dei, modo quo diximus, lapidatur in terra Israelis ad mandatum* χειροθετημένων. (χειροτονηθέντας alias,

lias, sed laxe, vocavimus, prout quidam sumunt *Act.* 14. v. 23.) *Nunc autem extra terram, ubi tales non sunt, removent eum Israelitæ & anathemate feriunt.*

LXXVII. שלא לקלל את הנשיא שנ׳ ונשיא בעמך לא תאר ובזה הפירוש שהנשיא זה המלך ואמנם זה הלאו כולל כמי כן הנשיא שבישראל והוא ראש סנהדרי גדולה שנקרא נשיא גם כן לפי שכוונת הכתוב להזהירנו על כל מי שהוא ראש שררה על ישראל בין ממשלת מלכות בין ממשלת התורה. *Mon maledicendum Principi, sicut dicitur*, Exodi 22. v. 28. Principi in populo tuo non maledices. *Intelligitur nomine Principis Rex. Comprehendit autem negativum hoc Principem Israelis, qui caput est Synedrii magni, qui etiam Princeps appellatur. Intentio enim Scripturæ est, monere nos de omni, qui Princeps est Imperii in Israel; sive dominium spectetur regni, sive Legis.* Ratio; Quia non conveniat, de illo male quenquam vel loqui, vel sentire, cujus studio dissidia componuntur. Necessario enim Dux aliquis in populo aut Princeps esse debet, cujus statutis & decretis standum, ne dum sua quisquè profert, lis facile oriatur, quæ causa est omnis confusionis. Hæc author libri *Chin.* totidem pene verbis Hebraicis asserit p. 33. a. ונוהגת בזכרים ונקבות בארץ ובכל מקום שנהיה עם מלכינו או עם ראש סנהדרי גדולה ועובר עליה וקללו בשם או בכינוי לוקה ג׳ מלקיות ואם הנשיא קללו לוקה ארבע ג׳ משום שאמרנו וא׳ משום מקלל אביו. *Valet consuetudo in masculis & fœmellis, tam in terra sancta, quam alibi locorum, ubi fuerimus cum Regibus nostris, aut cum Principe Synedrii magni; qui vero, transiens illud, maledixerit ei per nomen Dei* (Essentiale) *aut per Epitheton, triplicis reus fit flagellationis: Quod si filius Principis fuerit, quater flagellatur, ter propter rationes quas diximus, & semel, quod maledixerit patri suo.* Monuit enim *Levi* paulo ante, ex mente Rabbinorum, אין שחייב עליו אלא המקלל בשם או בכינוי ושהמקללו לוקה ג׳ מלקיות משום אלהים לא תקלל ומשום ונשיא בעמך לא תאר ומשום לא תקלל חרש שהוא לאו כולל כל ישראל. *Neminem fieri reum, nisi qui maledixerit per Nomen* (τετραγράμματον) *aut Epitheton: Maledicentem autem damnari ad triplicem flagellationem. Primam mereri ex illo*: Diis non maledices; *Secundam ex isto:* Principi ex populo tuo non maledices; *Tertiam ex hoc*: Surdo non maledices. *Quod præceptum generale omnes complectitur Israelitas.* Plura traduntur in *Talmud.* & *Maim.* Hil. Sanhed. cap. 26. סמג N. S. 209. 210.

LXXVIII. שלא להקדים חקי התבואות. *Non esse anticipanda statuta proventuum.* Id est, ut fusius explicatur, שלא נקדים חוקי התבואה קצתם על קצתם אלא שנוציאם בסדר וביאור ענין זה הוא שהחטה כשתודש ותנקה הוא טבל ופיר׳ טבל היא תבואה שלא הותרמה והחיוב עלינו בזה להוציא ממנה תחלה תרומה גדולה ומן התורה אפי׳ חיטה אחת פוטר׳ הכרי אבל חכמים אמרו שהיא חלק אחד מחמשים ואחר כך ממה שנשאר החיוב עלינו להוציא ממנה מעשר והוא נקרא מעשר ראשון אחרו כך ממה שנשאר יש לנו להוציא מעשר אחר והוא מעשר שני ותנתן תרומה לכהן ומעשר ראשון ללוי ומעשר שני יאכלוהו בעליו בירושלים ועל זה הסדר אנו חייבים שנפריש מן התבואה חלקים אלה ובאה לנו המניעה בזה שלא נקדים מזה מה שראוי לאחר ולא לאחר מה שראוי להקדים שנ׳ מלאתך ודמעך לא תאחר והוא כאילו אמר ממלאתך מה שראוי להקדימו. *Non antevertamus statuta proventus alia aliis; sed reddamus ea ordine. Sensus est: Triticum, cum trituratum fuerit & purgatum, vocari* טבל thaval; טבל *enim est proventus, de quo nondum exhibita oblatio* תרומה *dicta; Atque de hoc incumbit nobis initio dare* תרומה *seu* oblationem magnam; *ita tamen, ut, juxta Legem, vel unico grano tritici, liberetur cumulus integer: Sapientes vero dicunt, dandam partem quinquagesimam. De reliquo autem tenemur dare decimas, quæ vocantur* decimæ primæ; *de residuo iterum obligamur pendere decimas, quæ* decimæ secundæ *sunt. Oblatio autem* Trumah *dicta, cedit Sacerdoti; decimæ primæ Levitæ; secundas edunt possessores earum Hierosolymis. Atque hoc ordine convenit segregare de proventu partes istas; interdictumque accedit, ne primo loco offeramus, quod debetur ultimo; aut ultimo, quod primo jubemur, juxta illud* Exodi 22. v. 29. Plenitudinem tuam, & lacrymam tuam non tardabis, *quod perinde est, ac si diceret: de eo, quod ex plenitudine tua aut lacryma tua offerre primo decet loco, ne ultimo exhibeas;* vel; *ne tardes.* Intelligunt autem vulgo Rabbini per מלא *plenitudinem*, בכורים *primitias*; per דמע vero תרומה *oblationem*. Ita in *Mecil.* & *Mass.* תרומה *Trumah.* Verba vero, לא תאחר *Non tardabis;* reddunt, לא תקדים תרומה לבכורים. *Non dabis oblationem*, Trumah *dictam, ante primitias.* Subjectum recipiens Legis hujus constituit Rab. *Maimonides*; זכרים ונקבות בארץ ישראל ובזמן שישראל שם. *Masculos & fœmellas, in terra Israel, tempore quo Israelitæ ibi habitarunt.* Uult enim שמצות תרומה ומעשרות מן התורה אינה אלא בזמן שארץ ישראל ביישובה. *Præceptum obla-*

tionis & decimarum ex Lege, nonnisi ad tempus restringi, quo Israelitæ terram suam incoluerunt. Qui secus tum fecit דינו כעובר
מצות מלך אבל אין לוקין עליו *ratio ejus fuit, quæ transgredientis præceptum Regium, qui tamen flagellationis pœnam non incurrit.* Confer *Talm.* & *Maim.* Mass. Trumah : סמג N. S. 253.

LXXIX. שלא לאכול מן הטרפה שנ'
ובשר בשדה טרפה לא תאכלו. *Non comedendum de discerpto, seu lacerato, juxta illud* : Exodi 22. v. 31. Carnem in agro raptam non comedetis. Ad sensum hujus præcepti eruendum, tradunt Judæi I. Non naturale aliquod vitium; sed plagam lethiferam forinsecus illatam intelligi : & quidem בכדי שתמות לשעה
או לזמן קרוב בשביל הטרף ההוא ואמרו
ז"ל שזמן זה הוא שנה אחת *ita ut ex plaga accepta, vel e vestigio, vel non longe post; (quod interstitium Rabbini spatio annuo definiunt) moriatur.* II. כי לא
תקפיד התורה כשהגיע לה טרפות על ידי
זאב או ארי או דוב אלא שתאסור כל
בהמה המוכה מכה המביאה אותה לידי
מות. *Legem non sollicite hoc velle, ut plaga hæc ei obvenerit a lupo, leone, aut urso; sed probibere omnem bestiam percussam vulnere lethali.* III. *Non in agro tantum, sed & alibi bestias hoc vitio notari posse. Solius autem* agri *mentionem fieri* A. שדרך הכתוב לדבר לעולם בהווה.
Quod consuetudo sit Scripturæ loqui semper de præsenti; seu; quod accommodet se ad statum præsentem. B. Ut allegoricas inde eliciamus explicationes : R. *Levi* hac de re fuse agit, vestique regiæ sensum Scripturæ confert. וגם כן נצרך
לכתוב בשדה כדי ללמד בו עוד דברים
אחרים רבים כי דברי התורה נדרשין לכמה
פנים יתלבשו מחוץ לבוש מלכות שש ומשי
ורקמה טהורים ומבפנים יש זהב ורב פנינים
ולבוש זה הפסוק הנראה והנגלה בו יותר
בתחלת העיון הוא ללמוד על הטרפה לבד
כמו שכתבנו ועל בשר מן החי שבכלל בשר
טרפה הוא ומה שבפנים בו הוא שמלמד
על כל בשר שיצא חוץ ממחיצתו שאסור
ונעשה כטרפה כגון בשר קדשים שיצא חוץ
לעזרה וכן העובר שיצא חוץ למעי אמו
ומשמעותו של מקרא הוא כן כאילו אמר
ובשר בשדה טרפה הוא כלומר בשר שיצא
חוץ למחיצתו. *Necessitas porro ei incubuit ut scriberet* in agro, *ut inde multa alia disceremus. Legis enim verba multis explicari possunt modis. Extrinsecus vestem induunt regiam e bysso, serico, & opere variegato puris; intrinsecus autem micat aurum & multitudo unionum. Vestis igitur versiculi apparens, & in ipso frontispicio magis conspicua, est, ut discamus inde, quid sentiendum de discerpto tantum; sicut scripsimus; & de carne vivi, quod & ipsum generaliter sub discerpto continetur. Intrinseca vero nos docet de omni carne, quæ sepimentum suum egreditur, quæ, vetita, similis est rapto, cujusmodi censetur caro sancta, extra atrium egressa. Talis etiam est embryo, qui exit extra viscera matris suæ. Sensu ergo literali Scriptura dicere vult; Caro quæ in agro, id est, caro sepimentum suum egressa, raptum est.* De ratione hujus præcepti prolixe agit R. *Levi.* Nos κατὰ πόδα eum hic sequamur. משרשי מצוה
זו לפי שהגוף כלי לנפש ובו תעשה פעולתה
וזולתה לא תשלם מלאכתה לעולם ועל כן
באה בצלו ולא לרעתה באמת כי האל לא
יריע אבל יטיב לכל נמצא כי הגוף בין
ידיה כמו הצבת ביד הנפח אשר עמו יוציא
כלי למעשהו ובאמת כי בהיות הצבת חזק
ומכוון לאחוז בו הכלים יעשה האומן טובים
ואם לא יהיה הצבת טוב לא יבאו לעולם
מכוונים ונאים וכמו כן בהיות בגוף שום
הפסד מאי זה עניין שיהיה תתבטל פעולת
השכל כפי אותו הפסד ועל כן הרחיקתנו
תורתנו השלימה מכל דבר הגורם בו הפסד'
ועל הדרך הזה לפי הפשט נאמ' שבא לנו
האיסור בתורה בכל מאכלות האסורות ואם
יש מהן שאין נודע לנו ולא לחכמי הרפואה
נזקן אל תתמה עליהם כי הרופא הנאמן
שהזהירנו בהן חכם יותר ממך ומהם וכמה
נסכל ונבהל מי שחשב שאין לו דברים נזק
או תועלת אלא במה שהשיג הוא ויש לך
לדעת כי לתועלתינו לא נתגלה סבתן ונזקן
פן יקומו אנשים מחזיקין עצמן בחכמים
גדולים ויתחכמו לאמר נוק פלוני שאמרה
התורה שיש בדבר פלוני איננו כי אם במקום
פלוני שטבעו כן ובאיש פלוני שטבעו כן
וכן יתפתה לדבריהם אחד מן הפתאים על
כן לא נתגלה טעמן להועיל לנו מן המכשול
הזה וידוע הדבר מדרכי הרפואה שבשר
כל הטרפות האסורות לנו מוליד הפסד אל
גוף אוכלו מחמת שהטרפות מורה חולי
בבהמה ואל תקשה עליך ולומר מה הפסד
יוכל להיות בבהמה שנטרפה מיד ונשחטה
כי לא מחכמה תקשה על זה הלא ידעת
כי לכל דבר התחלה ואם תורה אלי כי
באורך הזמן ימצא ההפסד בה מהמות
הטרפות תתחייב להודות כי ברגע הראשון
הותחל ההפסד אלא שהוא מועט בתחלה
ואין ספק כי מן הנזק רע אפילו מיעוטו.
De fundamentis seu rationibus hujus præcepti est : Cum corpus sit animæ receptaculum, quo opus illa suum peragit, & sine quo nunquam illud perficitur; propterea se in ejus recipit umbram, non vero ut quicquam inde accipiat incommodi. Neque enim Deus illi substantiæ male, sed benefacit. Est autem corpus in manu ejus (animæ) *sicut forceps in manu fabri, cujus ille beneficio instrumentum parat operi suo aptum. Et certe, si forceps firma fuerit, & recipiendis vasis bene accommodata, efficiet mechanicus polita; Sin*

minus

minus apta fuerit, nihil unquam præclari dabit aut pulchri. Eadem ratione, cum corpus aliqua corruptio, undecunque illa ſit, infeſtaverit, irrita reddetur operatio intellectus, ſecundum illam corruptionem. Unde Lex nos noſtra perfecta ab omni re, quæ cauſa eſſe poſſit illius corruptionis, removet. Atque hac de cauſa, ſecundum ſenſum literalem dicitur, prohiberi nobis in Lege omnes cibos illicitos. Quod ſi qui ex illis ſint, de quorum noxa nec nobis conſtat, nec Medicis, ne propterea mireris. Fidelis enim ille Medicus, qui a talibus nos dehortatur, ſapientior eſt te, & illis. Quam ſtultus autem & præceps fuerit, qui exiſtimat, nullis ineſſe rebus vel damnum vel utilitatem, niſi quantum ille aſſequitur! Scito etiam, noſtro commodo, non revelatas eſſe cauſas & nocumenta earum, ne ſurgant forte homines, qui magnam ſibi vindicantes ſapientiam, κακοσοφίσαιτες dicant: Damnum, quod Lex huic rei tribuit, tantum cadit in N. locum, quia natura ejus talis eſt; & in virum N. quod natura ejus hoc ferat: Sicque verbis eorum pelliciantur quidam ſimpliciores. Ideo ratio earum non eſt manifeſtata, ut utilitatem inde capientes hoc ſcandalum (malum) *evitemus. Clarum inſuper eſt ex medicina, omnem carnem raptam, quæ nobis prohibetur, corruptionem corporis, edenti illam, gignere, quia laceratio iſta morbum innuit in beſtia. Ne vero objicias: Quæ ineſſe poterit corruptio beſtiæ repente raptæ & mactatæ? Nec enim prudenter hanc moves objectionem. Annon noſti, ſuum unicuique rei eſſe principium? Quod ſi ergo conceſſeris mihi, progreſſu temporis inveniri in ea corruptionem, propterea quod rapta ſit, neceſſario etiam dabis, primo ſtatim momento corruptionis illius fieri initium, etſi tunc exigua adhuc ſit; Hanc vero, parvam licet, noxiam eſſe, dubitandum non eſt.* De ſpeciebus hujus in beſtiis affectus, fuſe agunt Rabbini. Octo earum ponunt אבות ſeu principales. Ita enim affecta creditur beſtia, cum fuerit דרוסה נקובה חסירה נטולה פסוקה קרועה נפולה שבורה *calcata, perforata, manca, ablata, diviſa, diſrupta, caſu ſaucia, vulnerata*. Certiſſimo κριτηρίῳ beſtia ejuſmodi eſui cenſetur inepta, cum fuerit דרוסה hunc enim caſum ipſa ponit Lex. Diſtinguit alias author *Lexici Aruch* טרף a דרס, illud explicat, *diſcerpendo occidere* & *interimere*; hoc vero *dilacerare*, non tamen ita ut animal moriatur. His generalioribus vitiis ſubjiciuntur a Rabbinis plura, quibus nec addere, nec detrahere deinceps quicquam licuit. Numerant in *Gemara* 72. quibus beſtiæ potiſſimum rejiculæ reddun-tur. Aves uno adhuc eas ſuperant. Eſſe tamen aliquod inter Judæos diſcrimen, in dijudicandis ſpeciebus carnis raptæ, quarum aliquas alii admittunt, ex ἀντιλογίᾳ *Maimonidis*, & R. *Levi* in Chin. p. 34. b. liquet. Vide plura *Ib.* & *Talm.* Maſſ. Chol. cap. 3. cap. ult. *Macc.* cap. 1. Bicur. *Maim.* Hil. Maaloc. cap. 4. סמג S. 134. סמק S. 201. Obſervat etiam Rab. *Levi* שנכפלה אזהרה זו בנביאים בספר יחזקאל בכהנים לבד שכתוב עליהן כל נבנה וטרפ׳ לא יאכלו הכהני׳ והודיעונו חכמים שמפני כן נכפלה בהם לפי שהכתוב צוה לאכול חטאת העוף במליקה ואע״פ שאסורה לישראל כנבלה ואולי תחשוב מתוך כך שיותר להן אפי׳ בחולין מליקה או שחטה נפסדת שלא תקפיר תורה בהן דמכיון שיצאו מן הגדר בדבר אחד יצאו לגמרי בכל עניין השחיטה ולפיכך החזיר הנביא בהם בפירוש להודיענו שלא הותרו רק במליקה לבד בקרבן אבל בחולין נשארים הם באיסורם כמו ישראלים. *Repeti hanc admonitionem in Prophetis, libro Ezechielis, ſed tantum de Sacerdotibus, de quibus ſcriptum eſt:* Omne cadaver & raptum non comedent Sacerdotes, *Ezech.* 44. v. 31. *Docent autem Sapientes: Propterea Sc. hoc denuo inculcare illis, quia, cum avem in ſacrificium pro peccato deſtinatam unguibus diſcerptam edere juſſerit (quæ reliquis Iſraelitis interdicta eſt non ſecus atque cadaver) fortaſſe cogites, etiam permiſſam illis eſſe illicitis diſcerptionem capitis per ungues, aut quamlibet illegitimam mactationem, quod Lex de iis non ſit ſollicita, atque ſic, quia excipiuntur in uno, excipi ſe putent in univerſum in cæteris mactationis caſibus; propterea repetitione hoc iis expreſſe inculcare Prophetam, ut doceret nos, diſcerptionem tantum capitis per unguem in ſacrificio pro peccato uſitatam, conceſſam iis eſſe; in cæteris vero illicitis, ad interdictum eorum illos aſtringi, more reliquorum Iſraelitarum.* Violatoribus, quocunque loco & tempore, infligitur pœna לקוי *flagellationis*, quam incurrit, quicunque de diſcerpto, aut reliquis ſpeciebus, quas Rabbini dicunt egredi מחיצתן *ſepimentum ſuum*, tantum comederit, quantum fuerit oliva. Eſt quidem Canon: *Præceptis ejuſmodi generalibus*, (quale illud eſt de diſcerpto, plures quippe ſpecies ſub ſe continet,) ſi violentur, *nulla parata eſſe verbera*, hoc tamen loco aliam eſſe rationem, *Maimonides* & *Nachmanides* fuſe docuerunt.

LXXX. שלא ישמע הדיין טענת האחד שלא בפני׳ בעל דינו שנ׳ לא תשא שמע שוא *Judicis non eſſe audire litem, niſi præſente adverſario juxta illud* Exodi 23. v. 1. Non aſſumes rumorem falſum mendacii.

dacii. וצוה אל הדיין על זה שלא יכניס בנפשו כזבין של אחד מהם וכן בא במכילתא שאזהרה זו של לא תשא וגו על זה נאמר׳ ועוד אמרו שם שהיא אזהרה גם לבעל הדין שלא יטעין גם הוא טענותיו לדיין שלא בפני בעל דין ואפילו ירצה לשמוע אותן הדיין ועל זה נאמר גם כן מדבר שקר תרחק ועוד אמרו ז״ל שזה הלאו כולל מספר לשון הרע ומקבלו ומעיד עדות שקר *Præcepit autem judici, ne intromittat in pectus suum mendacia alterutrius eorum. De hoc enim admonitionem;* Non assumes, &c. *accipiendam, habet Mecilta. Dicunt insuper ibidem: Hanc etiam admonitionem pertinere ad actorem, ne rationes suas proferat judici, absente reo, etsi eas audire judex paratus esset. Huc enim spectat illud:* A verbo mendacii recedes. *Addunt denique Rabbini: Negativum hoc complecti enarrantem calumniam, recipientem eam, & perhibentem falsum testimonium.* שורש המצוה ידוע כי השקר נתעב ונאלח בעיני הכל אין דבר מאוס ממנו והמארה והקללות בבית כל אוהביו מפני שה״שי אל אמת וכל אשר אתו אמת ואין הברכה מצויה וחלה אלא במתדמים אליו במעשיהם להיותם אמתיים כמו שהוא אל אמת ולהיותם מרחמים כמו שידוע שהוא רחום ולהיותם גומלי חסדים כמו שהוא רב החסד אבל כל מי שמעשיו בהפך מדותיו הטובות והם בעלי השקר שהם בהפך מדותיו ממש גם כן תנוח אותם לעולם מה שהוא הפך מדותיו והפך מדת הברכה שהיא בו הוא המארה והקללה והפך השמחה והשלום והתענוג שהם אתו הוא הדאגה והקטטה והצער כל אלה חלק רשע מאלהים ועל כן הזה ירתנו התורה להרחיק מן השקר כמו שכתוב מדבר שקר תרחק והנה הזכירה בו לשון ריחוק לרוב מיאוסו מה שלא הזכירה כן בכל שאר האזהרות ומזה הריחוק הזהירתנו שלא נטה אזנינו כלל לשום דבר שנחשוב שהוא שקר ואע״פ שאין אנו יודעין בבירור שיהא אותו הדבר שקר וכעין מה שאמרו ז״ל הרחק מן הכיעור ומן הדומה לו ובאמרי מדות בהקב״ה ית׳ אני נמשך בדבר אחר דברי רבותינו ע״ה שיחסו אליו בה״שם מדות על צד המקבלים אבל הוא ב״ה לגדלו וייחודו מצד עצמו אין לייחס אליו מדות כי הוא וחכמתו וחפצו ויכלתו ומדותיו אחד בלי שום שיתוף ופירוד בעולם *Ratio hujus præcepti est nota. Cum nempe mendacium abominabile sit* (vitium) *& fœtidum in omnium oculis, ita ut nihil sit eo abjectius, & ædes amantium illud maledictione & execratione repleantur, (propterea, quod & ipse Deus Benedictus, Deus veritatis est, & quæ cum illo, veritas sunt: nec reperiatur aut habitet benedictio, nisi cum illis, qui se operibus suis similes ei reddere student; ut sint veraces, sicut & ille verax est: ut sint misericordes, sicut ille; quemadmodum constat; misericors est: ut sint benefici, quia & ille multa benignitate est. Quorum vero opera contraria sunt bonis ejus attributis; quales sunt mendaces, qui bonis ejus proprietatibus plane repugnant; semper illis imminet id, quod virtutibus ejus opponitur. Sic benedictioni, quæ in illo, contraria est maledictio & execratio; gaudio, & paci, & oblectationi, quæ cum illo, sollicitudo, nausea & afflictio, quæ omnia homini malo Deus impertitur.) Monet nos proinde Lex, ut recedamus a mendacio, juxta illud* Exodi 23. 7. A verbo mendacii recedes. Removendi *autem verbum usurpat, propter excessum abominationis ejus, cujus tamen in cæteris admonitioninibus nunquam meminit. Qua remotione nos monet, ne aures nostras præbeamus ulli rei, quam falsam esse existimamus; etsi non explorate perspectum habeamus, quod vere mendacium fuerit. In quem sensum dicunt Rabbini nostri:* Secede a fœditate, & re quacunque ei simili, i. e. specie ejus. *Dum autem verba facio de attributis Dei, Optimi Maximi, ad alia Magistrorum placita trahor, qui Deo benedicto attributa, ratione recipientium, vendicant; cum illi, qua est magnitudine, & unitate, ratione essentiæ, non tribui possint. Ille enim; sapientia, voluntas, potentia ejus & proprietates unum sunt, absque ulla communicatione, aut separatione.* Vide cætera apud *Maim.* Hil. Sanhed. cap. 24. סמג S. 10. סמק *Talm.* in Sanhed. & alibi, in Midrasch. Subjectum hujus præcepti sunt tantum viri, omni tamen loco & tempore; mulieres non item לפי שאינן דנות *propterea quod illæ non judicent.* Transgressor habetur, tanquam reus præcepti regii אבל אין לוקין על לאו זה לפי שאין בו מעשה *Non tamen flagris eum cædunt propter hoc negativum, quia nullum in eo opus.*

LXXXI. שלא נקבל עדות איש חוטא ולא נעשה בשביל עדותו שום דבר שנ׳ לא תשת ידך עם רשע להיות עד חמס ובא הפי׳ לא תשת רשע עד אל תשת חמס עד כלומר בעל חמס להוציא את החמסנין ואת הגזלנין שהם פסולין לעדות שנ׳ לא יקום עד חמס באיש *Ne acceptemus testimonium hominis scelesti, nec quiquam ejus impulsu faciamus, quemadmodum dicitur* Exodi 23. v. 1. Ne ponas manum tuam cum impio, ut sis testis iniquus. *Quod ita explicant:* Ne ponas impium testem; Ne ponas violentiam, i. e. violentum testem; *ut ita excipiantur violenti & rapaces, qui non censentur idonei ad testimonium dicendum, juxta illud:* Non surgat testis iniquus in virum. Ratio, quia qui sibi non parcit, non parcet alii, ועל כן אין ראוי להאמינו בדבר *nec proinde dignus,*

gnus, cui ulla in re adhibeatur fides. Cætera pete ex *Maim.* Hil. Eduth. c. 10. סמג N. S. 214. סמק. S. 238. *Talmud.* Sanhed. ubi Rabbini decem excipiunt a dicendo teſtimonio, nempe נשים ועבדים וקטנים הרשים שוטים סומין רשעים ואנשים הבזויין ביותר וקרובים ונוגעין בעדות הרי אלו עשרה וטומטום ואדרוגנים בכלל נשים ומי שחציו עבד בכלל עבדים הנכפה בעת כפייתו בכלל שוטה וגם בעת שלא כפייתו צריך הדיין להתישב בדבר אם דעתו מבולבלת מצד החולי ומן הפתאים ביותר שאינן מבינים דברים הסותרין זו את זו וכן אנשים מבוהלים ונחפזים בדעתם ומשתגעין ביותר כל אלו בכלל שוטים *Mulieres, ſervos, minores, ſurdos, fatuos, cæcos, impios, præ aliis abjectos, propinquos, eos ad quos teſtimonium pertinet. Ecce hi ſunt decem. Obturatus & Androgynus ſub mulieribus comprehenduntur; & qui ex parte ſervus eſt, ſub ſervis. Epilepſian paſſus, tempore epilepſiæ, ſub fatuo. Extra caſum hunc judex nihilominus tenetur animadvertere, ſitne mens ejus per morbum perturbata. Simpliciores item illi, qui contradictiones non aſſequuntur: Homines denique turbati, & qui ingenio ſunt præcipiti, quique nimiam inſaniam ſimulant, omnes illi fatuis accenſentur.* Impii autem nomine potiſſimum intelligunt, 1. *aleatorem* משחק בקוביא .2 מפריחי יונים ומגדלי בהמה דקה *qui columbas volare docent, & qui alunt Jumentum gracile.* Obſervant & hoc; שחלוק בין פסול מן מתורה לפסול מדבריהם שפסול מן התורה אמרו ז״ל העיד עדותו בטלה אפילו קודם שהכריזו עליו והפסול דרבנן עדותו קיימת עד שיכריזו עליו *Diſcrimen eſſe inter illum, qui reprobus cenſetur ex Lege, & hunc, qui ex decreto talis habetur Rabbinorum. Qui Lege rejicitur, ejus teſtimonium, ſcribunt Magiſtri, irritum eſt, etiam antequam proclament eum. Reprobati vero per Magiſtros, ſubſiſtere teſtimonium volunt, uſque dum proclamarint eum.* Datum hoc eſt præceptum viris tantum, cujus tamen violatio flagris non eluitur, שאין בו מעשה.

LXXXII. שלא ילך הדיין אחר דעת הרוב בדיני נפשות כשיהיה התוספת איש אחד לבד *Ne ſequatur judex ſuffragia plurium in cauſis capitalibus, ſi additamentum illud uno tantum conſtiterit viro.* Senſus eſt: כשתהיה מחלוקת בין הדיינים בדין אדם אחד ויאמרו קצתם שהוא חייב מיתה וקצת שאינו חייב והיו המחייבין יותר על המזקין אחד שלא יעשה הדיין בחוטא כדברי המחייבין שנ׳ לא תהיה אחרי רבים לרעות כלומר לא תלך אחר הרוב שיזדמן לחתוך משפט מות וזהו לשון הכתוב שאמרו לרעות כלומר לחיוב מיתה וזהו כשיהיה רוב מצומצם כלומר שההכרע אינו אלא מחמת איש אחד אבל כשיהיה ההכרע בשנים אפילו לרעות מטין על פיהם ובמכילתא הטייתך לטובה על פי עד אחד ולרעה על פי שנים *Cum diſſidium inter judices in alicujus fuerit cauſa, ita ut alii eum mortis reum æſtiment, alii abſolvant; atque damnantes uno tantum ſuffragio vincant abſolventes, non judicabit judex peccatorem ex ſententia damnantium, ſicut dicitur* Exodi 23. v. 2. Non eris poſt multos ad mala: Id eſt, *Non ſequeris multitudinem, quæ ad deciſionem vergit judicii capitalis. Hæc enim phraſis eſt Scripturæ, quæ per malum* ſupplicium mortis *intelligit. Quod quidem accidit, cum multitudo ita fuerit præciſa, ut præponderatio unius tantum viri acceſſione fiat; ſed ſi duobus conſtiterit, inclinant ad ſententiam eorum, etſi fuerit ad malum.* Et in Mecilta: *Inclinatio tua, ad bonum, fiat prævalente uno teſte; ad malum vero, duobus.* Fundamentum præcepti להדמות במעשינו למדות הש״י וממדותיו שהוא רב חסד כלומר שעושה עם בני אדם לפנים משורת הדין וגם אנחנו נצטוינו בכך שיהיה הזכות בדיני נפשות יותר על החיוב לפי שהוא דבר שאינן לו תשלומין *ut in operibus noſtris aſſimilemur proprietatibus Dei Benedicti, ita ut, cum inter reliquas proprietates ejus referatur, quod magna ſit beneficentia, juxta quam ille, in hominibus certam judicii ante obſervarit jam menſuram; ita idem nobis injunctum cenſeamus, adeo ut abſolutio in judiciis capitalibus prævaleat condemnationi: Res quippe tanta, ut nullum ei ſit* ἀντάλλαγμα. עובר עליה וחייב ברוב המוכרע באחד עבר על מצות מלך וענשו גדול מאד שגורם לאיבוד נפש שלא כדין *Qui violat hoc præceptum, & condemnat cum multitudine uno tantum voto præponderante, tranſgreditur præceptum regium, cujus pœna gravis eſt, quod cauſa fuerit internecionis animæ* παρὰ τὸ δίκαιον. Plura pete ex *Talm.* cap. 4. Sanhed. *Maim.* Sanhed. cap. 8. סמג N. S. 195.

LXXXIII. שלא ילך אחד מן הדיינים אחר דעת דיין אחד גדול או אפילו אחר דעת הרוב על צד שיאמינהו לחיוב או לזכוי מבלי שיהיה הדבר מובן אצלו בשכלו ואם הוא דין התלוי בגזירת הכת׳ או מצד גזירה שוה או הקש שיהא יודע אותו הוא ולא יסמוך ויבטח על אחד מן הדיינים ולא על הרוב שנ׳ ולא תענה על ריב לנטות ירצה לומר לא תאמר על הריב דבר לנטות כלומר מצד הנטייה לבד אחר דברי הדיין אחד גדול או אחר הרוב ולא מצד הבנתך או שתרצה להחריש ממה שבלבבך על הדין ולהטות אחר דבריהם לא תעשה כן ולשון מכילתא לא תענה על ריב לנטות שלא תאמר די לי שאהיה כר׳ פלוני אלא אמור מה שלפניך יכול אף דיני ממונות כן ה״ל אחרי רבים להטות. *Ne judex*

dex ſequatur ſententiam judicis alicujus magni, aut etiam ſententiam multitudinis, ita ut fidem ei adhibeat vel in damnando, vel abſolvendo, antequam ipſe rem recte aſſequatur. Quod ſi judicium illud pendeat vel ex deciſione Scripturæ, aut argumentatione a pari, vel etiam analogia, ut de illo ei conſtet, neque innitatur ſuffragio cujuſquam judicis, aut etiam multitudinis (Pedarios Cicero vocat) *argumento loci* Exodi cap. 23. v. 2. Non reſpondebis in cauſa ad declinandum, &c. *Senſus eſt :* Ne verbum de lite aliqua pronunties ad declinandum, id eſt, *modo & via declinationis, & approbationis tantum ſententiæ a judice aliquo magno, aut multitudine dictæ, ſed juxta id, quod ipſe capis : Aut, ſi conſtituiſti ſilentio ſupprimere, quod corde concepiſti, ad probandum judicium illorum, ne illud facito. In Mecilta, verba :* Ne reſpondeas in cauſa vel lite ad declinandum, *explicantur :* Ne dicas; ſatis mihi eſt, me ſentire cum Rabbi N. Sed potius id, quod proponitur, edic. *Quæ etiam ratio in judiciis pecuniariis obtinet, utpote, ad quæ etiam referri poteſt, illud Scripturæ ;* Ad declinandum poſt multa. Alia etiam ex hoc monito Judæi eliciunt præcepta, cujuſmodi ſunt 1. שהמלמד זכות בדיני נפשות לא יחזור וילמד חובה כמו שאמר לא תענה על ריב לנטות כלומר לא יהיה דברך לנטות אותו לחובה. *Qui ſuo ſuffragio edixit abſolutionem in judiciis criminalibus, ne, mutata ſententia, redeat ad damnationem, juxta id quod dicitur :* Ne reſpondeas lite ad declinandum, i. e. *Ne ita ſit verbum tuum, ut inclinet illud ad damnationem.* 2. וכמו כן נכלל בו אין פותחין בדיני נפשות לחובה ויבא הפי׳ כן לא תענה על ריב לנטות כלומר לא יהיה פתח דבריך לנטות אותו לחובה כי על כרחינו בתחלת הדין יש לנו לפרש אותו שאין אפשר לומר שבכל הדין יזהיר שלא תענה בו לחובה שאם כן לא יהיה שום אדם נידון לעולם, i. e. *Ita etiam generaliter ſub hoc continetur illud :* Non faciunt judicandi initium a condemnatione in cauſis criminalibus. *Atque hinc verba ;* non reſpondebitis de lite ad declinandum; *ſic explicant : Ne ſit initium verborum tuorum, ut pervertas illud ad damnationem. Neceſſario autem illud de initio tantum judicii exponimus : Neque enim dici poſſet, ad omne judicium monitum illud extendi : Ne reſpondeas de eo ad condemnationem. Hac quippe ratione nullus unquam damnaretur homo.* 3. וכמו כן שמענו מזה הלאו שאין מתחילין בדיני נפשות מן הגדול אלא שלמטה ממנו יגיד תחלה דעתו וזהו לא תענה על ריב כמו על רב בלא יוד נכתב כלומר לא תענה על גדול אלא הוא יענה אליך שאתה תדבר תחלה והענין הוא כדי שלא יסמכו על דברי הגדול. i. e. *Pariter audivimus, hoc negativo fundari illud :* Non faciunt in judiciis capitalibus initium a magno, *ſed inferior eo, ſuam primo aperit mentem. Hoc enim eſt, quod dicit Scriptura : Non reſpondebis Magiſtro vel majori :* (*quaſi ſcriptum eſſet Rabb abſque Jod*) *Sed ille reſpondeat tibi, quia tu initium dicendi facis. Senſus eſt : Ne ſimpliciter in verbis alicujus magni acquieſcant.* Tot autem unius dicti explicationes iterum defendunt trito illo : שבעים פנים לתורה *Septuaginta facies habet Lex.* Cave metuas, Judæos tam craſſos & ſtupidos, ut myſteria hæc non aſſequantur. Vidit enim & prævidit Deus, Gentem, cui præcepta illa tradidit, aptam natam eſſe expoſitionibus illis myſticis omnibus intelligendis, quæ in cortice alias literarum laterent. Vide R. *Levi* pag. 36. a. Sed cur noluit Deus cæteros judices eſſe pedarios, & ſententiæ dictæ ſuaviter acquieſcere? שאפשר שמתוך כן יבא הדין כולו לפעמים על דעת אחד מהם וידוע הדבר כי כן הוא ולא רצה הש״י למסור דין נפש לדעת אחד. *Quia ita evenire poſſet, ut judicium ſæpe ab unius nutu penderet (id quod manifeſtum eſt) cum Deus Benedictus nolit, judicium animæ* (capitale) *unius tantum committi ſententiæ.* שאר הדברים שנלמדו ממנו כגון מלמד זכות שלא ילמד חובה ושאין פותחין לחובה ואין מתחילין מן הגדול כל זה לחמלת הש״י על בריותיו כאדם החומל על בניו. *Reliquæ autem, quæ hinc eliciuntur; Nempe,* Abſolvit, ne poſtea condemnet : Non faciunt initium a condemnatione: Non incipiunt a magno; *omnia, inquam, iſta indicant miſericordiam Dei Opt. Max. in creaturas ſuas, quemadmodum homo miſeretur liberorum ſuorum.* Id quod exemplo poſtea, ſeu ſimili author noſter illuſtrat ſequenti; אם יוליד איש מאה ובנה להם עיר והושיבם שם וראה שלא נתקיימו ביישוב אלא אם כן יגזור עליהם שכל המכה רעהו יענש בממונו ואם ימיתהו יומת וקם האחד ועבר על גזירתו אם ימחול לו הרי היישוב בטל שלא תשאר מורא על הנשארים מה יש לו לעשות ואל ירא במות בנו השני יחזור עכפ׳ בכל צד שיוכל לפוטרו מן הדין אם יוכל מוטב ואם אי אפשר בשום צד יצוה להמיתו לקיים יישוב האחרים. *Si quis genuerit centum liberos, quibus urbem ædificat, poſſidendamque tradit, videritque eos quieto ſubſiſtere non poſſe, niſi hanc illis figat legem, ut quicunque alium percuſſerit, pecunia multetur; ſi occiderit illum, occidetur & ipſe. Surgens autem unus, violat ejus decretum. Si pepercerit illi ; ecce turbatur quies,* adeo

adeo ut nullus reliquis ſuperſit hominibus timor. Quid ergo faciet, ne & ſecundi filii ſui mortem videat? Convertit ſe in omnes partes, ut liberare eum poſſit judicio. Si fieri poſſit, bene; ſin, jubet eum interfici, ut reliquis quies præſtetur. Eadem ratione volunt Deum, & judices, juſſu Dei, parcere quidem & ignoſcere reis, dummodo ſalus inde publica non turbetur. At ſi publicæ quis paci interceſſerit, præſtare jam perire unum, quam periclitari unitatem. De circumſtantiis variis hujus præcepti loquuntur *Talmudici* Sanhed. cap. 7. Confer *Maim.* Hil. Sanhed. cap. 1. סמג N. S. 196. Ab hoc præcepto iterum excipiuntur mulieres שאינן דנות *quæ non judicant*: Nec obſtat exemplum Deboræ, de qua vide apologiam R. *Levi* in Seph. Chin. pag. 36. b. ונוהגת מצוה זו בארץ ישראל בלבד שאין דנין דיני נפשות אלא שם והעובר על זה ולא רצה ללמד בדין מה שיש בדעתו וסומך על חביריו או שפתח לחובה או שחזר ולמד חובה אחר הזכות או גדול שפתח תחלה עברו על לאו ואין לוקין עליו לפי שאין בו מעשה. *Conſuetudo hujus præcepti obtinet tantum in terra Iſraelis: Neque enim alibi cauſas criminales decidunt. Qui autem præceptum hoc tranſgreſſus, in judicio ſuam non aperit ſententiam, ſed ſocios ſuos ſequitur; aut a condemnatione facit initium, aut, poſtquam abſolvit, mutato animo, damnat, aut ſi magnus aliquis incipiat; violat negativum, ob quod tamen non vapulat, quia nullum in eo fit opus.*

LXXXIV. שלא יחמול הדיין על החלש והדל בשעת הדין אלא שידין דינו לאמיתו לא על צד החמלה עליו אבל ישוה בין העשיר והדל להכריחו לפרוע מה שהוא חייב שנ' ודל לא תהדר בריבו ונכפל זה הענין במקום אחר שנ' לא תשא פני דל. *Ne miſericordia commoveatur judex erga infirmum & pauperem, tempore judicii: Sed judicium ferat, ex rei veritate, nullo motu miſericordiæ; ſicque pari loco habeat divitem & pauperem, & ad pœnam, quam quiſque debet, pendendam cogat, juxta illud*: Et pauperem non honorabis in cauſa ſua: *Exodi* 23. v. 3. *Quod quidem præceptum repetitur alibi*; Non accipies vultum pauperis. Ratio præcepti per ſe manifeſta eſt. Uſus ejus obtinet ubique locorum בזכרים *in maſculis*. Tranſgreſſor reus eſt על מצות מלך ואין בו מלקות, *præcepti regii, non tamen flagra meretur*. Plura vide in *Maim.* Sanhed. cap. 20. סמג Neg. S. 202. סמק S. 232.

LXXXV. שלא לחטות הדין על האחד מבעלי הדין כשידע שהוא רשע בעל עבירות שנ' לא תטה משפט אביונך בריבו ופירשו שהוא אביון במצות ולא בממון שאין צריך לומר שלא יטו עליו הדין לגזול ממנו בעניין אלא נצטוינו שאעפ שהוא רשע לא יאמר הדיין הואיל ורשע הוא אטה עליו הדין כי המשפט ברשעים לאלהים הוא ולא לו. *Non eſſe pervertendum judicium actoris illius, quem noverit* (judex) *malum eſſe, tranſgreſſionibuſque irretitum*, q. d. Non pervertes judicium pauperis tui in lite ejus. *Pauperem præceptorum intelligunt, non facultatum. Neque enim neceſſe fuiſſet dicere, ne ferrent ſententiam contra eum, ipſumque, qui pauper eſt, facultatibus ſpoliarent; ſed præceptum nobis datum eſt*, quod, etſi fuerit impius, judici *tamen non dicendum: Ecce impius eſt, pervertam ejus judicium. Judicium enim in impium Dei eſt, non judicis.* Scopus præcepti eſt æquitas in judicando, quæ omni tempore & loco obligat Iſraelitas הזכרים אבל לא נקבות שאינן דנות ועובר עליה והטה הדין על הרשע עבר על מצות מלך. *Maſculos; fœmellas, quæ non judicant, non item: Qui illud violaverit, & judicium impii perverterit, reus eſt præcepti regii.*

LXXXVI. שלא לחתוך הדין באומר הדעת *Non judicandum ex conjecturis*; i. e. שלא יהרגו בד״ הנדון כי אם בעדים מעידים על אותו עניין שהוא נהרג עליו שראוהו שעשה אותו בעיניהם ממש שיעידו עליו מצד אותות חזקות ועל זה נאמר ונקי וצדיק אל תהרג כלומר הזהר עד מאד לבל תהרוג אדם שיהא באפשרות שלא עשה מה שאמרו עליו שעשה *Ne e medio tollat domus judicii judicatum, niſi per teſtes, qui de ea re, ob quam interficitur, teſtentur, quod oculis eam ſuis viderint vere, teſtimoniumque perhibere poſſint ſolidis nixi rationibus, atque propterea dicitur Exodi* 23. v. 7. Innocentem & juſtum ne occidas: *Quaſi diceret: Caveto ſerio, ne hominem occidas, qui non feciſſe poteſt id, cujus inſimulatur.* Atque ita in Mecilta explicatur. ועוד נכלל בכלל לאו זה מי שהעידו עליו שני עדים שראוהו שעבר עבירה אחת כגון שאחד מעיד עליו שעשה מלאכה בשבת והאחד שעבר עא״ שזה אינו נידון בעדותן שנ' ונקי וצדיק אל תהרג *Hoc vero præcepto negativo continetur aliud, nempe: Si duo contra aliquem teſtimonium dicant, quod viderint ipſum tranſgredi tranſgreſſionem, ita tamen ut alter teſtetur, feciſſe illum opus die Sabbathi; alter vero, Idololatriæ crimen patraſſe, non judicatur talis ſecundum teſtimonium illorum, quia dicitur*: Innocentem ne occidas. Quam accuratus & certus teſtium *αὐτοπτῶν* (neque enim alii admittuntur) eſſe debeat conſenſus, habes in *Sanhed.* ונוהגת בארץ ישראל בזכרים כמו שאמרנו לפי שבה

המשפת

המשפט כמו שאמרנו כמה פעמים אבל לא בנקבות לפי שאינן דנות והעובר עליה ודן על פי עדות שאינה מכוונת כמו שאמרנו עבר כלל מצות מלך וענשו גדול מאד שגורם להרוג נפשות שלא כדין *Usus ejus est in terra Israel in masculis, sicuti diximus, ibi enim exercetur judicium, ut aliquoties jam monuimus; ad mulieres non pertinet, utpote quæ non judicant. Et qui, violato hoc præcepto, judicat secundum testimonium, non ita, ut diximus, comparatum, regii præcepti reus, in magnam incurrit pœnam*, utpote qui injustæ animarum occisionis causa existit. Adi *Maim.* Sanhed. cap. 20. סמג N. S. 200. Finis est resipiscentia peccatoris שמא עשה תשובה וניחם על רעתו שעשה ויהיה עדיין ממיישבי עולם והוא בה׳ חפץ ביישובו *Si forte resipuerit, & pœnitentia ductus eorum quæ fecit, fuerit ex eorum numero, qui habitabilem reddunt orbem, quo quidem Deus delectatur.*

LXXXVII. שלא יקח הדיין שוחד מבעלי הדין אפילו לדון דין אמת שנ׳ ושוחד לא תקח ונכפל הלאו בתורה בזה הענין במקום אחר וכן אמר בסיפרי לא תקח שוחד אפילו לזכות זכאי ולחייב חייב *Ne accipiat judex munus a litigantibus, ne quidem ad judicandum judicium veritatis, sicut dicitur* Exodi 23. v. 8. Nec munus accipies. *Repetitur autem hoc negativum in Lege alio loco. Ita & in Siphri: Non accipies munus, ne quidem ad absolvendum justum, & ad condemnandum nocentem.* Ratio: כדי להסיר מבינינו ההרגל הרע פן נבוא מתוך כך לדון בשוחד דיני שקר *Ut removeamus a nobis malam illam consuetudinem, ne prolabamur ad judicandum, muneribus corrupti, judicia falsa.* Violatæ autem hujus legis, ex Rabbinorum mente, reus fit הנותן והמקבל & *qui dat & qui accipit munera.* Etsi autem mercede judicia non prostent, judici tamen, si mechanicus fuerit, dijudicandæ liti vacanti, copiam Magistri faciunt שכר בטילתו *mercedis cessationis suæ.* Cætera pete ex *Talm.* & *Maim.* Hil. Sanhed. cap. 23. סמג N. S. 208. סמק S. 233.

LXXXVIII. שלא נשבע בשם ע״א ואפילו לעובדיה ולא נשביע בה שנ׳ ושם אלהים אחרים לא תזכירו *Ne juremus per nomen Idoli alicujus, ne quidem cultoribus ejus, nec juramentum per illud exigamus, sicut dicitur,* Exodi c. 23. Neque nomen Deorum aliorum memorabitis. Finis hujus præcepti להרחיק כל ענין ע״א בין במעשה בין בדיבור עד שלא יעלה זכרה בלבבנו לעולם והשניחו רז״ל ואמרו שבמ״ד מקומות הזהירתנו התורה עליה לרב מאסה *Ad removendam omnem rationem Idololatriæ, sive opere designetur illa, sive verbo, usque adeo ut ne quidem cor nostrum commemoratio ejus unquam subire debeat. Observarunt autem Magistri nostri, locis 44. legem ab ea nos debortari, præ nimia rei fœditate;* prop. *fastidio.* Iidem asserunt, ne quidem extra casum juramenti, exprimere licere Idolorum nomina, iis exceptis, quorum manifesta in S. Scriptura fit mentio. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות והעובר עליה ונשבע בדבר מכל הדברים שיאמינו בם הכופרים הסכלים מצד הגדולה חייב מלקות *Obstringit hæc Lex, omni loco & tempore, mares & fœminas. Qui vero, transgressus eam, juraverit per quamcunque rem, in quam stulti infideles, propter excellentiam ejus aliquam, credunt, reus est verberum.* Confer Sanhed. c. 7.

LXXXIX. שלא להדיח בני ישראל אחר הע״א *Ne provocemus aut impellamus Israelitas ad cultum Idololatricum*: Id est, שלא יקרא אדם בני אדם לעבודת ע״א ויזרז אותם על כך ואע״פ שזה הקורא לא יעבדנה ולא יעשה לה פעולה מן הפעולות רק הקריאה לבד וזהו נקרא מדיח *Ne invitet aut vocet quis homines ad cultum Idololatricum, aut ad eum excitet; etsi, talis invitans, ipse non colat illum, aut nullum faciet opus, præter solam vocationem. Vocatur ejusmodi homo* מדיח impellens. Observant autem Rabbini in Sanhed. cap. 10. eum, qui unum tantum impellat hominem, aut a veritate avocet, non appellari מדיח *impellentem*; sed מסית *persuadentem.* Quo vero fine, usu, & scopo, toties hoc, de vitanda Idololatria, iteratur interdictum? וזה שאתה מוצא כל הרחקות אלו בע״א וגודל העונש בה עד שנכפלה במ״ד מקומות בתורה ושתכנה התורה לשם בה׳ קנא אל עובדיה אל יעלה בלבך שקנאת האלה הרחקות אלו נכתבו זולתי מצד העובדים כי השם בה׳ וברוך שמו בין שיעבדו אותו בני אדם או יעבדו מלאך או גלגל או כוכב או אחר מכל ברואיו אין שום צד תוספת וגירוע נופל בזה בכבודו בה׳ Respondet Rab. Levi: *Quod vero reperis, toties iteratas remotiones Idololatriæ, & gravitatem pœnæ, usque adeo ut 44. locis in Lege repetatur: Et quod Lex Deo benedicto attributum zelotæ pro cultoribus suis, assignet; ne cogites, hunc toties per interdicta scriptum repeti zelum, nisi propter cultores. Benedictus enim est Deus, benedictum etiam est nomen Dei, sive colant homines ipsum, sive orbem, sive stellam, aut quamcunque aliam ejus creaturam, nihil accedit, nihilque decedit gloriæ ejus.* Zelotæ autem vox de Deo sumitur Metaphorice. Hæc vero Lex, etsi omni loco & tempore obligat utrumque sexum, sub pœna lapidationis, non tamen

men exigitur pœna אלא במקום הראוי למשפט שהוא הארץ הנבחרת *nisi in loco judicio convenienti, qui est terra electa*, i. e. Israel. Confer *Maim.* Hil. Ælil. cap. 4. סמג N. S. 23. סמק S. 116.

XC. שלא נשחוט שה הפסח בארבעה עשר בניסן שיהיה חמץ ברשותינו עד שוציאנו חמץ ביעורו עד חצי יום כמו שדרשו ז״ל *Ne mactemus agnum paschalem die 14. Nisan, dum adhuc aliquid nobiscum fuerit fermentati, usque dum quisque sustulerit illud. Tempus autem remotionis ejus, juxta Rabbinos, se extendit ad dimidium diei*. Fundamentum hujus præcepti est Exodi 23. v. 18. *Non immolabis cum fermento sanguinem victimæ meæ*. Id est; לא תשחוט שה הפסח ויהיה עדיין חמץ קיים ברשותך *Ne mactes agnum paschalem, quamdiu fuerit fermentum in potestate tua*. Ratio hujus præcepti est, ut omnia definito suo fiant tempore, illa cumprimis, quæ ad Paschatis pertinent solennia. Vide *Maim.* Korb. Pes. cap. 1. & cap. 10. סמג N. S. 347. 348. Pœna transgressoris, omni loco & tempore, est לקוי *flagellatio*.

XCI. שלא להניח אימורים של פסח עד הבקר שלא יקריבו אותן והן נפסלין בשהייה זו ונקראיה נותר שנ׳ ולא ילין חלב חגי עד בקר והוא הדין לשאר אימורים ולשאר קרבנות ולשון מכילתא לא ילין חלב בא הכתוב ללמד על החלבים שנפסלים בלינה וכבר נכפלה זאת המניעה במקום אחר שנ׳ ולא ילין לבקר זבח חג הפסח *Ne relinquamus partes paschales* (vox אימורים alias notat partes sacrificii, quæ super altari comburuntur; ut suo dicemus loco) *ad matutinum tempus, ne qui illas offerant, cum profanæ sint redditæ mora illa. Atque hæc vocantur τὸ λειπόμενον*, q. d. Ne pernoctato adeps sacrificii festi mei usque mane; Exodi 23. v. 18. *Eadem ratio est reliquarum partium sacrificiorum, & oblationum. In Mecilta habetur, Verba :* Non pernoctabit adeps, &c. *intelligenda de adipibus, quæ pernoctando profanantur. Atque hoc interdictum alio loco repetitur*, q. d. Non pernoctabit usque mane sacrificium festi paschalis. Ratio hujus præcepti, כי בשר הקר בן ראוי להקריבו בזמנו הקבוע אליו והמעביר המועד נראה כמתיאש ומשליך את הדבר אחרי גוו, *quia caro, sacrificio destinata, certo suo offerri debet tempore; qui autem terminum violat, videtur negotium hoc contemnere & post tergum abjicere*. Speciales hujus præcepti casus recensentur in *Pesach.* compendiose in lib. *Chinn.* S. 91. Præcepto hoc, stante templo, tenebantur sacerdotes masculi.

XCII. שלא נבשל בשר בהמה בחלב שנ׳ לא תבשל גדי בחלב אמו. *Ne coquamus carnem bestiæ cum lacte*, f. d. Ne coquito hædum in lacte matris suæ *Exodi* c. 23. v. 19. *Hædi* autem nomine omnis intelligitur *bestia*. Chinn. pag. 88. Ratio, quam *Maimonides* reddit : כי יש ע״א יעבדוה במעשה תערובת בשר עם חלב : *Quod Idololatræ Idola sua, mixtura carnis cum lacte, colant;* non probatur a Rab. *Levi* in Chinn. qui eandem causam subesse putat, quam supra retulit in negotio veneficæ. Transgressor, mas fœminave fuerit, fustuarii reus est; dummodo בשל בשר בחלב ואעפ׳ שלא אכלו *coxerit carnem cum lacte, etsi eam non comederit*. Plura vide *Maimon.* Hil. Maacol. cap. 9. סמג Neg. Sect. 141. סמק Sect. 213.

XCIII. שלא נכרות ברית כלומר שלא נבטיח באהבתינו אל׳ העם הרע הכופרים שהם שבעה עממין שבתירה שהיו מחזיקין בארצנו טרם בואנו שם והם חתי ואמרי וכו׳ שנ׳ לא תכרות להם ולאלהיהם ברית כלו׳ שלא נעשה עמהם שלום ונניח אותם לעבוד ע״א. *Ne pangamus fœdus, id est, ne securitatem amicitia nostra præstemus populo malo infidelium, septem videlicet Gentium, quarum in Lege sit mentio, quæque terram nostram occupabant, antequam eo pervenissemus, suntque Chettæi, Amoræi, Girgasæi, Chananæi, Perizæi, Hivæi, Jebusæi, sicut dicitur :* Ne pangito (*Exodi* cap. 23. v. 32.) cum iis, & cum Diis eorum fœdus, id est, *ne pacem cum iis faciamus, neque permittamus iis, ut cultum Idololatricum exerceant*. משרשי מצוה זו לאבד ע״א וכל משמשיה מן העולם ואלו הז׳ עממין היו עיקר ע״א ויסודה הראשון ועל׳ כן נעקרו מארצם ונצטוינו לשרש אחריהם ולאבד זכרם לעולם וכמו שכתוב עליהם בתורה החרם תחרימם והיא מצות עשה בסדר ואתחנן ושם אאריך במצוה בע״ה ונגיד סבות היות בעולם האומות הרעות למה ופי׳ מצוה זו בכלל מצות הנוהגות ואין האזהרה בהם נשמע אזהרה שלא לכרות ברית לכל׳ עובד ע״א ששאר האומות אם אין נלחמים עמנו אין מצוה עלינו להרגם אלא שלא ישבו בארצנו עד שיעזבו ע״א ואלו הז׳ עממים נצטוינו להרגם בכל מקום שנוכל להם אלא אם כן יניחו ע״א והענין לפי שהם הו עיקר ע״א ויסודה הראשון כמו שכתבתי וכל מי שבא לידו אחד מהם ויכול להרגו בלא סכנה ולא הרגו עובר בלאו. *Ratio præcepti hujus est, ut Idololatria, omnesque Ministri ejus de mundo tollantur. Hæ vero septem gentes, cum radix fuerint Idololatriæ, & primum ejus fundamentum, eradicatæ sunt e terra sua, nobisque, ut radices post illas agamus, injunctum est, memoriamque earum in sæculum aboleamus. Ita cum de iis scribitur in Lege :* Devovendo devovebis eos, *est illud præ-*

ceptum

ceptum affirmativum, *quod in Sidra*; Et orabam fupplex (Deuteron. cap. 3. verf. 24.) *occurrit* : *ubi prolixe*, *dante Deo*, *præceptum de Idololatria explicabo*, *caufas narraturus*, *cur in mundo malæ ejufmodi funt gentes*, & *quod præceptum hoc comprehendatur fub præceptis ufu* (vide Thef. Philolol. p. 447.) *receptis*. *Admonitio autem*, *quam de iis habemus*, *non eft admonitio*, *quæ velit*, *ut ne cum quoquam fœdus feriamus Idololatra* : *Cæteras enim gentes nulla lege tenemur occidere*, *fi nos bello non affligant*; *hoc tantum ab illis exigitur*, *ne noftras incolant regiones*, *nifi prius abjecta Idololatria* : *Has autem feptem gentes*, *ubicunque poffumus*, *nifi miffam faciant Idololatriam*, *jubemur interficere*. *Ratio eft*, *quia radix funt* & *fundamentum Idololatriæ primarium*, *ficut fcripfi*. *Quifquis ergo uni eorum obvius*, *occidere eum poteft*, *fine periculo*, & *non occidit*, *violat negativum*. Cætera pete ex *Talm.* Hil. Av. zar. cap. 20. סמג N. S. 49. *Talm.* Sanhed.

XCIV. שלא לשכון עובדי ע״א בארצנו שנ׳ לא ישבו בארצך פן יחטיאו אותך לי. *Ne habitent Idololatræ in regionibus noftris*, q. d. Ne habitanto in terra tua, ut non inducant te ad peccandum in me; *Exodi* cap. 23. verf. 33. Nempe; בשביל שלא נלמוד מכפירתם. *Ne quid nobis affricent fuæ infidelitatis*. Tempore V. T. Gentilem, modo fe Idololatria abdicarit, licuit tolerare, eumque גר תושב (ita dictum, שהוא גר לעניין שהותר לישב בארצנו *quod peregrinus fit*, *quia permiffum ei eft fedem dare in terra noftra*) appellabant. Verum; אם לא הניח ע״א אין צריך לומר שאין מוכרין לו קרקע שישבון בארצנו אפילו לשכור לו בית אסור כל זמן שישכור לדירה לפי שמכניס שם ע״א אבל לסחורתו מותר. *Si non deferat Idololatriam*, *non neceffe eft dicere*, *ei non vendi fundum*, *ut habitet in terra noftra*; *ne quidem pro mercede locare licet domum in habitationem*, *ne introducat in eam Idololatriam*; *ad mercaturam tamen conceffum eft*. Qui præceptum hoc violaverit, ומכר להם קרקע או שכרו להם במקום שאינו רשאי עבר על מצות מלך ואינו לוקה. *Et vendiderit iis fundum*, *aut pro mercede locaverit locum illicitum*, *tranfgreditur præceptum regium*, *non tamen propterea vapulat*.

XCV. לבנות בית לשם יי׳ כלומר שנהיה מקריבים שם קרבנותינו אליו ושם תהיה העלייה לרגל וקיבוץ כל ישראל בכל שנה שנ׳ ועשו לי מקדש וזאת המצוה כוללת עמה הכלים הצריכים בבית העבודה כגון המנורה וכל שאר הכלים כולם. *Erigendam Nomini Domini Ædem*, *ut* & *facrificia ibi noftra offeramus*, & *pedites illuc afcendamus*, & *Ifraelitæ ibidem congregentur fingulis annis*, q. d. Facite mihi facrarium; Exodi c. 25. 8. *Comprehendit autem hoc præceptum vafa etiam cultui facro neceffaria*, *luminare videlicet*, *cæteraque vafa omnia*. Præceptum hoc hominis bono datum effe, ut facra fua rite faciat, meditationibufque piis fe præparet; non vero, ut Deus, quem ne cœli quidem cœlorum capiunt, fedem aliquam quærat, fufe docet author lib. *Chinnuck*, pag. 39. 6. Neque vero ex facrificiis quicquam emolumenti ad Deum redire; fed ideo tam operofam illorum effe λειτεργίαν, ut unufquifque, peccati deformitate & gravitate ob oculos pofita, ferio caveat, ne ad eundem impingat lapidem, fequentibus *Nachmanidæ* exprimit idem verbis : כי בעבור שמעשה בני אדם נגמרים במחשבה ובדיבור ובמעשה צוה הש״י כי כאשר יחטא יביא קרבן יסמוך עליו ידיו כנגד המעשה ויתודה בפיו כנגד הדיבור וישרוף באש הקרב והכליות שהם כלי המחשבה והתאוה וכרעים כנגד ידיו ורגליו של אדם העושים כל מלאכתו ויזרוק הדם על המזבח כנגד דמו בנפשו בדי שיחשוב אדם בעשותו כל אלה כי חטא לאלהים בגופו ונפשו וראוי לו שישפוך דמו וישרף גופו לולי חסד הבורא שלקח ממנו תמורה וכופר הקרבן שיהיה דמו תחת דמו נפש תחת נפש וראשי איברי הקרבן כנגד ראשי איבריו והמנות להחיות בהן מורי התורה שיתפללי עליו וקרבן התמיד בעבור שלא ינצלו הרבים מחטוא תמיד. *Quoniam opus hominis abfolvitur cogitatione*, *fermone* & *opere*, *præcepit Deus benedictus*, *ut*, *cum quis peccaverit*, *adducat facrificium*, *eique manibus fuis innitatur*; *quod operi opponitur*; & *oris edat confeffionem*, *quod fermoni refpondet*. *Comburit autem inteftina* & *renes*, *quia funt organa cogitationis* & *defiderii*. *Crura* χέρω *habent ad manus* & *pedes hominis*, *quibus opera omnia fua facit* : *Sanguine*, *quo confpergit altare*, *fignificatur fanguis fuus ipfius*, *ut ita homo*, *dum hæc facit*, *cogitet*, *pecaffe fe in Deum corpore* & *anima*, *quodque dignus effet*, *cujus funderetur fanguis*, *nifi mifericordia Creatoris* ἀντάλλαγμα & *redemtionis pretium*, *facrificium nempe*, *accepiffet*, *cujus fanguis effet pro fanguine fuo*, *anima pro anima fua*; & *præcipua membra hoftiæ pro præcipuis membris fuis*; *partes ad fuftentandos Doctores Legis*, *ut pro fe orent*, *deftinari*. *Perpetuo autem facrificio innui vult*, *paucos*, *qui non perpetuo peccent*, *excipi*. Hæc Nachmanid. R. *Levi* Barzel. alium horum fymbolorum ufum σημαντικὸν oftendit. In facrificiis quibufdam ea requiri fymbola vult, quibus

bus homo maxime occupetur, panem, vinum, &c. ut animus ejus facilius excitetur. Farinam a paupere postulari, utpote in qua cor & oculos perpetuo habeat defixos. Bestiarum oblatione hominem in memoriam redire magnæ, ratione corporis, inter se, & bestiam analogiæ: unde protinus colligat peccator, se, quoties lineas peccando transiliat, in bestiarum censum venire, a quibus solo differat intellectu. Igni autem propterea omnia aboleri, ne ulla sceleris supersit recordatio. Non ipsum corpus humanum offerri, ut cognoscat hinc homo, quam nihil illud sit, nisi anima accedat, in cujus tamen consortio æternitatem post resurrectionem consequatur, modo consilio ejus a peccato dehortantis paruerit. His cogitationibus hominem a peccatis abstrahi, & in spem erigi, fore, ut per tantum consensum cum Creatore suo, remissionem obtineat erroris per ignorantiam commissi. Aliam esse rationem הזדונות *peccatorum elata manu* patratorum; non expiari illa, aut emendari cogitationibus ejus modi, aut oblatione rerum; sed verberibus & flagris, juxta illud; שבט לגו כסילים *Baculus debetur dorso stultorum*. Idem scopus est sacrificiorum voluntariorum, quibus ducitur homo להשפלת הגופות ולעילוי הנפשות *ad humilitatem corporis, & excellentiam animarum*. Quid עזאזל sibi velit, vide R. *Levi* pag. 40. b. De loco sacrificiis offerendis, consecrato, docent Rabbini, *eodem* teste, מקודם שנבנה בית בירושלם היו מקריבים קרבנום בשאר מקומותם אבל משנבנה הבית נאסרו כל המקומות לבנות בם בית לשם ולהקריב שם שנ׳ זאת מנוחתי עדי עד ואלו הן הדברים שהן עיקר בבניין הבית עושין בו קודש וקדש הקדשים ויהיה לפני הקדש מקום אחר והוא הנקרא אולם ושלשתם נקראים היכל ועושין מחיצה אחת סביב להיכל רחוקה ממנו כעין קלעי החצר שהיה במדבר וכל המוקף במחיצה זו שהיא כעין חצר אהל מועד הוא הנק עזרה והיכל נקרא מקדש. *Quod, antequam Ædes Hierosolymis exstructa esset, in cæteris suis locis sacrificia obtulerint. Erecto autem templo, non licuisse in alio ædificare loco Templum Domino, aut offerre ibi sacrificia, quemadmodum dicitur:* Hæc erit requies mea in æternum. *Hæc autem fundamentalia sunt hujus ædificii. Faciunt in eo Sanctum, & Sanctum Sanctorum. Extra Sanctum alius est locus*, Vestibulum *dictus*. *Atque hæc tria nomine* Templi *veniunt*. *Circumdant insuper eminus Templum sepimento, quod tapetibus respondet ocellatis atrii, quod in deserto habebant: Totumque, quod ambitu suo hoc sepimentum complectitur, & atrio tentorii conventus respondet*, (עזרה) Atrium *vocatur: Universa vero, conjunctim sumta, structura*, Sanctuarium. ונוהגת מצוה זו בזמן שרוב ישראל על אדמתן וזו מן המצות שאינן מוטלות על יחיד כי אם על הציבור כולו. Usus hujus præcepti erat, cum magna Israelitarum multitudo terram suam incoleret: Estque ex illorum numero præceptorum, quæ non uni imponuntur homini, sed toti cœtui. Confer *Maimon.* Hil. Beth habbech. c. 1. סמג A. S. 163.

XCVI. להשים בבירת המקדש לפני יי׳ לחם תמיד שנ׳ ונתת על השלחן לחם פנים לפני תמיד. *Perpetuo ponendum esse in Sanctuario, coram Domino, panem*, q. d. Et impones (*Exodi* 25. vers. 30.) huic mensæ panem faciei, ante faciem meam, jugiter. In ipso præceptorum indice paulo aliter hæc efferuntur, nempe: מצות סידור לחם הפנים ולבונה. *Præceptum de dispositione panis propositionis, & thuris*. De usu & ratione hujus ceremoniæ inter Judæos non convenit. Rab. *Maimon.* אבל השלחן והיות הלחם עליו תמיד לא ארע לו סבה ואיני יודע לאי זה דבר איחס אותו עד היום. *Mensam autem, & quod semper illi debuit imponi panis, nescio quæ ejus causa, aut cui illud assignem, ad hodiernum usque diem*. R. *Levi*, R. *Nachmanides*, & alii volunt esse παροξυσμῶ ad excitandam laudem Creatoris, & impetrandam benedictionem ad Sacerdotes masculos tantum. Vide *Maim.* Hil. Themid. cap. 5. סמג S. A. 156.

XCVII. שלא להוציא בדי הארון מתוך הטבעות שנ׳ בטבעות הארון יהיו הבדים לא יסורו ממנו. *Ne educantur vectes arcæ ex annulis ejus*, q. d. In annulis (*Exodi* 25. v. 15.) illius arcæ sunto vectes illi, ne amoventor inde. ומבואר הוא שמצוה זו בכלל מצות הנוהגות לדורות הוא שאין בהן הפסק נוהגות לדורות גשלא יפסק מישראל מעשה אותה מצוה לעולם בשום זמן אלא כן הוא העניין כל מצוה שלא נצטוינו עליה לעשותה רק בזמן ידוע ולא יותר רק מה שכתוב היו נכונים לשלשת ימים וכמו כן אזהרה דסיני וגם הצאן והבקר אל ירעו אל מול ההר ההוא וכל כיוצא בזה שלא היתה הצוואה אלא לשעה בלבד אלו יקראו מצות שאינן נוהגות לדורות אבל כל מצוה שלא נצטוו עליה לזמן ידוע אעפ״ שיש לו הפסק בזמן מן הזמנים מצד גלותנו או בסברת דבר אחר כגון עכשיו בעונותינו שאין לנו ארון מצוה הנוהגת לדורות נקראת לפי שכל זמן שיהיה לנו ארון חייבין אנו לבל נסיר בדיו ממנו כדי שיוציאוהו בהם הלוים אם נצטרך להביאו ממקום למקום בסבת מלחמה או מאי זה סבה שתבוא. *Constat autem, hoc præceptum esse ex eorum præceptorum numero, quæ in ævum durant. Sic autem non vocantur, quod*

nullam

nullam interruptionem aut cessationem patiantur; quasi semper inter Israelitas essent futuri, qui præcepta illa omni tempore implerent; sed sensus est, hoc nomine venire omnia illa præcepta, ad quæ non ad certum restringimur tempus, quod fieri videmus in illo: Estote parati ad diem tertium; Exodi 19. v. 15. *Ita se habet admonitio Sinaitica*: Gregem & armenta ne pascant, e regione montis hujus. *Eadem ratio reliquorum etiam est præceptorum, quæ una terminantur hora. Ista vocantur Præcepta* non ævum durantia. *Quæcunque vero præcepta certo tempore non sunt definita, etsi aliqua interveniat interruptio, vel propter captivitatem nostram, vel aliam aliquam causam; ut sunt hodie nostræ iniquitates; ubi non habemus arcam, præcepta illa* semper-duratura *dicuntur. Omni enim tempore, quo arcam habemus, tenemur non removere vectes ejus, quibus deportent illam Levitæ, si opus fuerit transferre de loco in locum, propter bellum, aut aliquam causam, quæ obtingere potest.* Ratio hujus Præcepti; לפי שהארון משכן התורה והוא כל עקרינו וכבודינו ונתחייבנו לנהוג בה כל כבוד וכל הדר בכל יכולתינו על כן נצטוינו לבל נסיר בדי הארון ממנו פן נהיה צריכים לצאת עם הארון לשום מקום במהירות ואולי מתוך הטרדה וחפזון לא נבדוק יפה להיות בדיו חזקים כל הצורך ושמא ח״ו יפול מידם ואין זה כבודו אבל בהיותם בו מוכנים לעולם ולא יסורו ממנו נעשה אותן חזקות הרבה ולא יארע תקלה בהן ועוד טעם אחר שכל כלי המקדש צורתן מחויבת לרמז עניינים עליונים כדי שיהא האדם נפעל לטובה מתוך מחשבתו בהן ורצה האל לטובתינו שלא תפסד אותה צורה אפילו לפי שעה. *Quia arca Legis, fundamenti nostri & gloriæ nostræ habitaculum est. Tenemur proinde ei exhibere omnem honorem & decorem pro viribus nostris. Propterea etiam mandatum nobis datum est, de non removendis vectibus arcæ, ne coacti forte cum arca prodire in locum aliquem ex improviso, præ festinatione & celeritate exquirere non possemus, an firmi satis essent, pro necessitate, vectes; atque adeo, quod tamen absit, de manibus eorum cadat, quod quidem honori illius non inservit: ut vero parati semper maneant, neque removeantur de loco, confirmemus eos valde, ne quid in iis accidat scandali. Habet hoc præceptum alium sensum: Nempe, ut omnium vasorum figura comparata sit, ad denotandas res excelsas, quo sic homo cogitatione sua per ea efficiatur melior: Vult igitur Deus bono nostro, ne illa corrumpatur figura vel ad horam.* Observat tandem Rab. *Levi*, tria, hujus Paraschæ תרומה, præcepta, hodie non amplius esse in usu. Vide *Maimonid.* kele hak kod. cap. 2. סמג A. S. 296.

SECTIO IX.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XXII.

ab Exodi cap. 27. v. 20. ad cap. 30. v. 11.

Præcepta Affirmativa continet IV.

1. De disponendis lucernis in Sanctuario. 2. De vestibus Sacerdotum induendis. 3. De edenda carne sacrificii pro peccato & reatu. 4. De suffitu quotidiano Sacerdotum.

Negativa III. quibus prohibentur.

1. Ne auferatur Ephod pectorale. 2. Ne laceretur pallium Sacerdotum. 3. Ne quid offeratur, aut adoleatur super altari aureo.

XCVIII. מצות עריכת נרות במקדש *Præceptum de dispositione luminarium in Sanctuario, id est,* להטב נירות תמיד לפני הש״י שנ׳ יערך אותו אהרון ובניו כלומר יערוך הנר לפני הש״י וזהו מצות הטבת נרות הנזכרת בגמרא *Ut aptentur lucernæ perpetuo coram Domino*, f. d. Aptato (*Exodi* c. 27. v. 21.) illam Aharon & filii ejus, *quasi dicat*: *Aptet lucernas coram Deo benedicto. Atque hoc est præceptum* Aptationis lucernarum, *cujus mentio fit in Gemara*. Ad hanc pertinebat juxta plerosque Interpretes mundatio acerrarum, mutatio ellychnii, re-

motio

motio olei veteris, infusio olei novi, impositio ellychnii novi. R. *Maim.* vero hoc præceptum tantum retulit ad הדלקת הנרות *incensionem lucernarum*. Ratio autem hujus præcepti, שצונו השי״ להיות נר דלוק בבית הקדש להגדלת הבית לכבוד ולתפארת בעיני הרואים כי כך דרך בני איש להתכבד בבתיהם בנרות דולקים וכל עניין ההגדלה בו כדי שיכניס האדם בלבו כשיר אהו מורא וענוה *quod injunxit nobis Deus benedictus, ut ardens sit lucerna in domo sanctitatis, spectat ad Majestatem & decorem Ædis in conspectu videntium. Fert enim consuetudo hominum, ut ardentibus domos suas honorent lucernis. Momentum autem & pondus magnificentiæ est, ut homo, cum eam viderit, cor suum imbuat reverentia & humilitate.* Porro præcepti hujus necessitas tanta traditur, ut Sabbathum pellat. Tribuitur autem cuilibet lucernæ dimidium Log olei, quod ex computatione Rabbinorum νυχθημέρῳ (id enim destinatum erat tempus) mensis Decembris etiam sufficiebat. Præceptum hoc datum est Sacerdotibus durante templo. Consule *Talm.* cap. 8. Menach. & alibi. *Maim.* Hil. Temid. cap. 3. סמג S. 192.

XCIX. מצות לבישת בגדי כהנים *Præceptum de induendis vestibus sacerdotalibus.* שנצטוו הכהנים ללבוש בגדים מיוחדים לגדולה וכבוד ואו יעבדו במקד׳ שנ׳ ועשו בגדי קדש לאהרן אחיך *Quod jussi sint Sacerdotes induere vestes dignitati & honori, proprie destinatas, quibus sua peragant sacra*, q. d. Fac (*Exod.* 28. v. 3.) vestes sanctitatis Aharoni, fratri tuo. Finis est, ut singulari hoc habitu Sacerdos dignitatis suæ monitus, ad obeundum munus, purificatione meditationum suarum, reddatur idoneus, & vel solius vestitus aspectu cogitet, cujus se servitio consecrarit. Tria autem habitus sacerdotalis sunt genera. בגדי כהן הדיוט מין אחד ובגדי כהן גדול שני מינים בגדי זהב ובגדי לבן ושל כהן הדיוט הם ארבעה כלים ושמם כן כתנם מכנסים ומגבעות ואבנט הכתנת הוא כעין חלוקרב של ישמעאלים והמכנסים צורתן ידוע בכל מקום והיו שלהם גדולים ממתנים ועד ירכים כלומר עד הירכים שהוא הנק׳ גינוי המגבעות הוא כלי שמניחין על הראש עשוי ככובע האבנט הוא כמין אזור שחוגרין בו אלא שהם היו מקיפין בו הרבה הקפין מה שאין אנו עושין כן באזור וארבעות כלים אלה של פשתן היו לבנים וחוטן כפול ששה והאבנט לבדו רקים בצמר ובאלו היה עובד לעולם כהן הדיוט ומותר ללבושן ביום בין בשעת עבודה או שלא שעתה דמותר ליהנות בהן חוץ מן האבנט לפי שהוא שעטנז ולפיכך אסו שלא בשעת עבודה ושל כהן גדול הם שמנה ושמם כן כתנת ומכנסים ואבנט כשם השלשה של כהן הדיוט ומצנפת לכהן גדול במקום מגבעות לכהן הדיוט שזה וזה על הראש נתון אלא שהמצנפת הוא עשוי כמו בגד ארוך שצונפין בו הנשים ראשן וכהן גדול צונף בה והמגבעת עשוי כמין כובע הרי ארבעה של כהן גדול שהיו ארבעתן של פשתן לבנים לברו וחוטן כפול ששה ומעשה רוקם היו עשויין אבל לא היה דומה רקימותן לרקימות האבנט של כהן הדיוט ועוד היו לו ארבעה אחרים של זהב ושמם חשן ואפוד מעיל ציץ ובבגדי השמנה היה עובד עבודת חוץ אבל בפנים שהוא לפנים מן הפרכת לא היה עובד לעולם כי אם בבגדי הבד ואחר שעבד בהן ביום הכפורים אחד אינו חוזר ועובר בהן לעולם שנ׳ והניחם שם וכל זמן שיעבוד הכהן בין הדיוט בין גדול בפחות מבגדיו המיוחדין לעבודה ההיא או ביותר מהם עבודתו פסולה וגם יתחייב מיתה שמים i. e. *Habitus, sacerdotis vulgaris, uniformis est: Vestes sacerdotis magni duum sunt generum, aureæ & albæ: Sed & quatuor sunt ornamenta sacerdotis Idiotæ, quorum nomina: Tunica, fœmoralia, tiaræ, baltheus.* Tunica, *est instar indusii magni Ismaelitarum.* Fœmoralium *figura est ubique nota: quorum quædam magna sunt, a lumbis ad genua pertingentia.* Tiara *est ornamentum, quod, galeæ instar paratum, capiti imponunt.* Abhneth, *est species cinguli, quo se sacerdotes cingunt; hoc tamen discrimine, quod aliquoties eo se circumdent, quod nos cingulo usitato non solemus facere. Hæc quatuor ornamenta linea, alba sunt, ex filo sexies contorto contexta; nisi quod* Abhneth *ex opere phrygionico tantum constat laneo. Atque his sacerdos vulgaris semper sacra peragit, quæ induere illi licet interdiu, sive sacris vacet, sive non; excepto baltheo, qui ex lana & lino commixtus, illicitus est, excepta hora ministerii. Magnus autem sacerdos octo habet ornamenta, quorum nomina: Tunica, fœmoralia, baltheus, quæ tria etiam competunt vulgari sacerdoti.* Sed Cidarim *habet sacerdos magnus loco tiararum sacerdotis vulgaris, quorum utrumque capitis tegumentum est; ita tamen, ut* Cidaris *sit instar vestis oblongæ, qua mulieres capita sua obnubunt; quo sacerdos se involvit. Mighaot autem, seu tiaræ, accedunt ad formam galeæ. Ecce hæ quatuor sunt sacerdotis magni vestes, quæ quatuor & lineæ sunt, & albæ tantum, ex sexies iterato filo, opere phrygionico, factæ: Differt tamen hæc acupictura ab altera illa balthei sacerdotis vulgaris. Sunt postea & alia quatuor ornamenta aurea, nempe Pectorale,*

Ephod

Ephod seu amiculum, pallium, lamina. His omnibus sacerdos administrat cultum extrinsecus: Intrinsecus vero, cum est ante propitiatorium, non peragit sacra unquam, nisi vestibus indutus lineis, in quibus cum semel die expiationum ministraverit, eo habitu postea nunquam amplius sacra facit: sicut dicitur: Et collocabit eas ibi: *Levit.* 16. v. 23. *Quotiescunque autem sacerdos tam vulgaris, quam magnus vel paucioribus vel pluribus, quam conveniat, administraverit vestibus, non modo cultus ille profanus est; sed & ipse mortis reus fit* Θεηλάτῳ. Vide *Maim.* Hil. kele hakkod. cap. 10. סמג A. S. 153. *Talm.* Zebach. Cipp. Succah.

C. שנצטוו הכהנים לאכול בשר קצרת מן הקרבנות כגון החטאת והאשם שנ׳ עליהם ואכלו אותם אשר כפר בהם *Quod in mandatis datum fuerit sacerdotibus, ut edant partem carnis sacrificiorum, peccati videlicet & reatus, sicut dicitur de iis:* Comedunto ista (*Exod.* 29. 33.) ii, pro quibus expiatio facta est. Hoc præcepto jubentur sacerdotes etiam edere partes, quæ debentur illis, de קרשים קלים *sanctis levioribus*. משרשי המצוה היסוד הקבוע אצלנו כי כל פעולת הקרבנות להכשיר מחשבותינו וכונתינו לטוב ולהשפיל הנפש המתאוה אשר בנו ולהגדיל ולחזק נפש השכל אל המצות ועל כן להתנהג בכל ענייני הבית והקרבנות דרך מעלה וגדולה וכבוד למען תנוח בלבבנו יראה וענוה ושפלות הרוח בהיותנו שם גם בזכרנו אותו ממקומינו ובאמת כי מן הנהגת הכבוד אל הקרבן שהכפרה תלויה בו להיותו נאכל את המשרתים בעצמם ולא שיתנוהו לעבדיהם ולכלבם או ימכרוהו לכל קונה וכן מן הכבוד הוא שיאכל במקום קדוש וכן שלא ישהו אכילתו הרבה כדי שלא יסריח ויהיה הנפש קצה בו הלא גם מראה גדולה וחשיבות *Ex rationibus præcepti, est fundamentum certum & fixum nobis, quod omnium sacrificiorum finis sit, ut recte disponantur cogitatio & intentio nostra ad bonum; tum ad humiliandam animam nostram concupiscentem, tum ad extollendam atque confirmandam animam rationalem ad præcepta. Propterea omnia negotia Templi & sacrificiorum celebrare jubemur magnifice, gloriose, honorifice, ut sedem habeat in corde nostro timor, mansuetudo, depressio Spiritus, quamdiu ibi* (in Templo) *vel ejus, in locis nostris, meminimus. Et vere gloriosum est sacrificio, e quo nostra pendet expiatio, edi illud a ministris ipsis, non autem famulis dari, aut canibus eorum, aut vendi cuilibet emtori. Honori etiam ejus cedit, quod comeditur in loco sancto. Præterea, quod nec diu comestio debuit differri, ne forte putredinem concipiat, atque sic anima ejus illud fastidiat, nonne & hoc ejus dignitatem innuit & pretium?* ונוהגת מצוה זו בזמן הבית בזכרי כהונה ועובר עליה ולא אכל חלקו המגיעו מהם בזמן המוגבל לו בטל עשה ונענש עוד מצד כפרת הבעלים שתלויה בו זהרמבן לא ימנה מצוה זו כי אמר שזה חלק מחלקי מצות הקרבנות הוא שצוה השי בהם מי יאכלם ולמי יהיו *Obtinet usus hujus præcepti, stante templo, in sacerdotibus masculis, & qui illud violaverit, neque de parte sua, tempore definito, ederit, irritum facit affirmativum; punitur insuper propter expiationem Dominorum* (eorum qui sacrificia offerunt) *quia hæc ab illo pendet. Ramban autem hoc præceptum in præceptorum numerum non refert.* Ait enim hanc partem esse ex partibus præcepti sacrificiorum, de quibus ordinarit Deus, quibus illa edenda, aut quibus cedant. Adde *Maim.* Hil. Maa. hakkorb. cap. 10. סמג A, S. 184.

CI. מצות הקטרת קטרת *Præceptum de adolendo suffimine*, i. e. שנצטוו הכהנים להקטיר קטרת סמים פעמים בכל יום על המזבח שנ׳ והקטיר עליו אהרן קטרת סמים בבקר בבקר בהטיבו וכו׳ ובכל שנה ושנה מצוה עליהם לעשות ממנה כדי להקטיר בה כמו שאמרו ועשייתה והמצוה שנעשית בה בכל יום נחשב למצוה אחת לפי שסוף מצות עשייתה אינה אלא להקטיר בה ואעפ ששני כתובין של צואה שצאנו בין העשייה וההקטרה שנ׳ בסדר כי תשא קח לך סמים וגומ׳ ועל עשיית׳ וכאן כתוב והקטי׳ עליו אהרן וגו׳ אעפכ ראיתי למחשבי המצו׳ שחושבין הכל מצוה אחת אין בזה מחלוקת ביניהם כלל אבל יחלקו בעניין אחר כי הרמ במזל ימנה קטרת שחרית ושל ערבית מצוה אחת והרמבן זל כתב שהן נמנות שתים *Quod jussi sunt sacerdotes adolere suffitum aromaticum, bis singulis diebus super altare,* q. d. Et adoleat (*Exodi* 30. v. 7.) super illud suffitum aromatum unoquoque mane, cum aptaverit lucernas, adoleat illum. *Singulis etiam annis, juxta præceptum, tenentur tantum parare* (suffimenti,) *quantum ad adolendum satis est. Unde dicunt: Et factus ejus, & præceptum, quo suffitum singulis diebus facere tenentur, pro uno supputantur præcepto, quia finis præcepti factus ejus est, ut adoleatur. Etsi autem duo reperiamus loca de factu & suffitu, sicut dicitur* Sectione *sequenti:* Cum acceperis, &c. Sume tibi aromata, &c. *Vidi nihilominus ab iis, qui præceptorum numerum inierunt, ea pro uno haberi præcepto. Neque propterea dissensio in hoc est. In alio propterea dissentiunt, quod Maimonides suffitum matutinum & vespertinum uno præcepto comple-*

ctitur ; Nachmanides vero duobus. Præceptum hoc Rabbini datum eſſe volunt להגדיל כבוד הבית *ad dignitatem extollendam templi*. Hujus condituram, quæ פיטום Hebræis dicitur, conſtare ſcribunt 15. ſpeciebus, ארבעה מהן מפורשין ואחרה ואחרת עשרה לקבלה *ex quibus quatuor explicitæ ſunt in Lege, undecim ex Kabbala habentur*. Rabbini dicunt (*Buxtorf.* Lex. Talmud.) Moſen non diſerte expreſſiſſe, quæ & quot aromata ad ſuffitum ſacrum adhiberi debuerint, quæ orali traditione ab ipſo didicerint, nempe undecim. Id occulte Moſes verbis indicavit *Exodi* 30. v. 34. ubi inquit : סמים aromata, *ſtacten, onychem & galbanum, aromata & thus purum, unumquodque ſolum*. Hic, iuquiunt, bis dicit indefinite *Aromata*, nec exprimit, quæ & quot. Unde docuerunt Rabbini, cum primo pluraliter dicat *Aromata* indefinite, minus numeri pluralis intelligi debet, nempe *Duo*. Poſtea exprimit tres ſpecies, quæ conjunctim faciunt quinque, & ita ſunt decem ſpecies. His adjicitur una, Thus purum, quæ faciunt in univerſum undecim, quot ſcilicet ſpecies ad ſuffitum olim adhibitæ fuerunt. At quænam? Id per Kabbalam poſteritati revelatum, nempe הצרי *reſina præſtans*, הצפורן *onyx*, החלבנה *galbanum*, הלבונה *thus* ; מר *myrrha*, קציעה *caſia*, שבלת נרד *ſpica nardi*, כרכום *crocus*, קושט *coſtus, ſive coſtum*, והקלופה *cortex odoratus*, הקנה *calamus odoratus*, והקנמון *& cinnamomum*. Hæc adducit Rab. *Sol.* in Comment. ex Tal. Kerithuth cap. 1. Hanc aromaticam condituram vulgari non minus Sacerdoti, quam ſummo Pontifici parare licuit. Dicunt etiam Rabbini : Sacerdos אם לא הקטיר בבקר מקטיר בין הערבים כל השיעור של יום אחד שהוא משקל מאה דינרין ובכל יום היה מקטיר חציים בבקר וחציים בערב אחר תמיד של בין הערבים קודם הטבת הנרות *Si non adoleverit mane, adolet inter duas veſperas totam menſuram unius diei, quæ eſt pondus* 100. *denariorum. Quotidie autem adolet alteram dimidiam partem mane, & alteram dimidiam veſperi, poſt juge ſacrificium duarum veſperarum, ante diſpoſitionem luminum*. Cætera pete ex Tamid. & Kerith. *Maim.* Hil. Temid. cap. 3. סמג A. S. 167. ונוהגת בזמן הבית בזכרי כהונה והמקטיר כדינו קיים עשה זה *Uſus ejus erat, ſtante templo, in Sacerdotibus maſculis : qui rite ſuffivit, ratum fecit hoc præceptum affirmativum*.

CII. שלא נסיר החשן מעל האפוד. *Ne removeamus pectorale ad Ephod*, q. d. Non ſeparator (*Exodi* 28. v. 28.) pectorale ſacrum ab illo amiculo. Erant enim colligata, חשן quidem a fronte, אפוד vero a tergo. והמפרק חיבורו בשעת עבודה לוקה מלאו זה. *Qui autem ruperit copulationem ejus, tempore miniſterii, vapulat, propter violatum hoc negativum*. Finis ejus eſt dignitas & decor cultus Levitici, ut recte diſpoſita omnia ſint, & perfectiſſime conſummata. Plura de his in *Talm.* Cod. Middoth. *Maimon.* Hil. Kele hammikd. cap. 10. סמג N. S. 298. 299. Reſpicit hoc præceptum, ſtante templo, utrumque ſexum, adeo ut, quicunque aut quæcunque compagem illam ſolverit, flagris cædi debuerit.

CIII. שלא להכרית פי המעיל של כהן גדול שנ׳ לא יקרע. *Non eſſe lacerandum os pallii Sacerdotis magni*, q. d. Ne (*Exodi* 28. verſ. 32.) laceretur. Nam, quia הקריעה דבר של גנאי אצלנו ועניין השחתה ואף כי בפי הבגד נתרחקנו מן הדבר והוזהרנו עליו בלאו כדי שילבשהו הלובשו באימה ובנחת ובדרך כבוד שיירא מלקורעו ומלהשחית בו דבר. *Laceratio turpe quid eſt apud nos, corruptionem ſignificans, etiam in ore veſtis, propterea avellimur ab ea, & monemur per negativum, ut ita, qui induit eam, cum terrore & tremore, cum tranquillitate & decore, induat, caveatque, ne quid de ea laceret aut perdat*. Pertinet hoc præceptum ad maſculos & fœminas, quæ, ſi, elata manu, illud violarint, flagellantur.

CIV. שלא להקריב במזבח הזהב שבהיכל כי אם קטרת שבכל יום זולתי הזאת הדמים מיום הכפורים ליום הכפורים שנ׳ לא תעלו קטרת זרה ועולה ומנחה ונסך לא תסכו עליו. *Non eſſe offerendum ſuper altare aureum templi quicquam aliud, quam ſuffitum quotidianum, præter aſperſionem ſanguinum ab uno die Expiationum ad alterum*, q. d. Ne offeratis (*Exodi* 30. v. 9.) in eo ſuffitum exterum aut holocauſtum, aut oblationem : neque libamen libatote ſuper illud. Ratio hujus præcepti, (tradunt Judæi) ſecundum literam, in ſolo Dei arbitrio & juſſu reſidet. Ita voluit : quicquid autem Deus vult, perfectum eſt, quod nec additionem patitur, nec detractionem. Quod ſi ſacerdos quicquam, præter ſuffitum, obtulit, in aureo altari, חייב מלקות *reus erat flagellationis*. Vide *Maim.* Hil. Kele hammikd. cap. 2. סמג N. S. 295. Kabbaliſtæ tamen magna hinc exſculpunt myſteria.

CV. מצות נתינת מחצית השקל בשנה. *Præceptum de dando dimidio ſiclo per annum*, id eſt, שיתן כל אחד מישראל מחצית השקל מבין עשרים שנה ומעלה בין עשיר בין עני שהוא משקל עשרה גרה כסף בכל שנה ליד הכהנים שנ׳ זה יתנו כל העובר על הפקודים והיו

מניהין

מניחין הכל בלשכה אחת שבמקדש ומשם היו מוציאין לקנות תמידין ומוספין וכל קרבן הקרב על הציבור ונסכיהם והמלח שמולחין בו את הקרבנות ועצי המערכה ולחם הפנים ושכר העושה לחם הפנים והעומר ושתי הלחם ופרה אדומה ושעיר המשתלח ולשון של זהורית. *Ut quiſque Iſraelitarum viginti annos, & ſupra, natus, tam dives, quam pauper, ſingulis annis in manus ſacerdotum exhibeat dimidium ſiclum, quod pondus eſt decem Gerarum argentearum*, q. d. Hoc danto (*Exodi* 30. 13.) quiſquis tranſit in numeratos. *Reponunt autem eos omnes in conclavi, quod in ſanctuario eſt, idque promunt ad emenda ſacrificia jugia, auctaria, omniaque cœtus ſacrificia & libamina; Sal, quo ſaliunt ſacrificia; ligna diſpoſitionis; mercedem illi, qui panes propoſitionis parat; Homer; duos panes; vaccam rufam; hircum emiſſitium; & linguam coccineam*, משרשי המצוה שרצה הש״י לטובת כל ישראל ולזכותם שיהיה יד כולם שוה בדבר הקרבנות הקרבים לפניו כל השנה בהתמדה. *Ex rationibus præcepti hujus eſt, quod voluit Deus Opt. Max. in bonum omnium Iſraelitarum, & ad juſtificationem eorum, ut communi ſubſidio omnes res ſacrificii peragant, quibus coram ipſo toto anno jugiter compareant*. Uſque adeo vero hic cenſus rigide primo die Adar proclamatur & exigitur, ut ne quidem pauper excipiatur ואם אין לו שואל מאחרים או מוכר כסותו שעליו. *Si forte non habeat, petit eum ab aliis, aut vendit veſtem ſuam*. אינו נותנו בפירעונות הרבה אלא הכל בפעם אחת והוא משקל פ׳ גרעיני שעורה שהשקל השלם היה בימי שלמה משקל מאה וששים שעורה והכל חייבי׳ ליתנם כהנים לויים וישראלים גרים ועבדים משוחררים אבל לא נשים ועבדים וקטנים ואם נותנין מקבלין מהן אבל לא מן העכו״ם הלק ונחלה לא יהיה להם בתוכנו ועוד אמרו ז״ל שכל מי שאינו נותן חצי שקל ממש שהיה מטבע באותו זמן ונותן בעבורו כסף או במשקלו או פרוטו׳ שמוסיף על משקלו זה מעט ואותו המעט נקרא קולבון ואותו המעט הוא שכר השולחני שמשתכר כשהוא מחליף חצי שקל שהיה טבוע בשביל פרוטות ולפיכך שנים שהביאו שקל שלם בין שניה׳ חייבים בקולבון שאלו רצו להחליפו צריכים היו לתת הקולבון לשלחני וכמו כן יתנהו לגיזבר לפי שבחצי שקל חייבם הכתוב ולכן חייבים בו או בערכו בכיוון. *Neque pendit eum diverſis ſolutionibus; ſed una vice: Eſtque pondus 80. granorum hordaceorum. Integer enim ſiclus tempore Salomonis pondus erat 160. granorum. Tenebantur autem eum omnes dare Sacerdotes, Levitæ, Iſraelitæ, advenæ, & manumiſſi: Mulieres, ſervi, & minorennes non item. Quod ſi vero ipſi exhibere voluerint, accipiuntur ab illis; ab Idololatris autem non, quibus in medio noſtri nulla erit portio aut hæreditas. Dicunt inſuper Magiſtri noſtri; omnem, qui non dimidium ſiclum dederit ſolidum, nummum videlicet eo tempore uſitatum; ſed ejus loco argentum* ἰσόῤῥοπον, *aut prutas* (פרוטה eſt nummulus, ſeu quævis moneta parva, cujuſmodi duplex fuit argentea & ærea) *ponderi ſui ſicli aliquid exigui addere, quod Kolbon* (vox Græca eſt κόλλυβον) *dicitur, eſtque merces Collybiſtæ, qui aliquid, permutatione dimidii Sicli propter Prutas cuſi, lucratur. Et propterea, ſi duo integrum Siclum pro ſe afferunt, collybon Collybiſtæ, ſi mutatum velint ſiclum; tenentur dare, ſicque poſtea œconomo pecuniarum Eccleſiaſticarum traditur, quia Scriptura eos ad dimidium ſiclum damnat, quem propterea, aut æquivalentiam ejus, tam præciſe debent pendere*. Plura vide in *Talm.* & *Maim.* Maſſec. Schekal. סמג A. S. 45. ונוהגת בזמן הבית שחייבים לתת אותם כל ישראל בין העומדים בארץ או חוצה לה ושלא בזמן הבית אין חייב בו אדם ואפילו העומדים בארץ ועובר עליה ולא נתנו בטל עשה ועונשו גדול שפירש עצמו מן הציבור ואינו בכלל בפרתן ועכשיו בעוונותינו שאין לנו מקדש ולא שקלים נהגו כל ישראל לזכור הדבר לקרות בבית הכנסת בכל שנה ושנה פרשה זו של כי תשא עד ולקחת את כסף הכפורים בשבת שהוא לפני ראש חדש אדר לעולם. *Conſuetudo obtinuit, ſtante templo, quo tenebantur illum dare omnes Iſraelitæ, ſive morati fuerint in terra ſancta, ſive extra eam. Deſtructo autem templo, nemo obligatur, ſi vel maxime in terra ſubſtiterit. Qui vero tranſgreſſor non exhibuerit eum, reus fit affirmativi, magnæque adeo pœnæ, quod ſeparet ſe ipſum a cœtu; neque comprehenditur ſub expiatione eorum*, id eſt, non particeps fit beneficiorum ἱλαστικῶν. *Hodie; dum, propter iniquitates noſtras, nullum habemus ſanctuarium, neque ſiclos; ſolent omnes Iſraelitæ ad memoriam rei, in Synagoga ſingulis annis hanc legere Paraſcham* : Cum ſuſtuleris, &c. *ad* : Et accipies argentum expiationis; *Sabbatho proxime novilunium Adar præcedente; idque in ſeculum*.

CVI. מצות קידוש ידים ורגלים בשעת עבודה. *Præceptum de ſanctificatione manuum & pedum, tempore cultus*; i. e. לרחוץ הידים והרגלים בכל עת הכנס להיכל והבא לעבוד עבודה וזאת היא קידוש ידים ורגלים שנ׳ ורחצו אהרן ובניו ידיהם ואת רגליהם בבואם אל אהל מועד או בגשתם אל המזבח. *Abluendas manus & pedes omni tempore*, (Sacerdoti) *quo ingreditur templum, & venit ad obeunda ſacra. Atque hæc eſt* conſecratio manuum & pedum,

dum, *ſicut dicitur* : Quum erant ingreſſuri (*Exodi* 30. v. 20.) tentorium conventus, lavanto aqua, ut non moriantur, aut cum erunt acceſſuri ad ipſum altare. Ritus hic facit להגדיל כבוד הבית וכל המלאכות הנעשות שם. *Ad magnificiendam gloriam Ædis, & omnium operum, quæ in eo fiunt*. Non neceſſaria tamen eſt ad ſingulas λειτεργίας ablutio. Semel lotus Sacerdos, aptus eſt, ad peragendum munus νυχθήμερον. Excepto die expiationis, quo, propter crebra negotia, ablutio repetitur. Huic actui certum fuit deſtinatum pollubrum, quod, ex Rabbinorum judicio, tantum capere debuit aquæ, quantum quatuor abluendis hominibus ſuffecit וכל מים כשירים לקידוש בין מי מעיין או מי מקוה ונפסלין בלינה. *Commoda autem eſt quælibet aqua, ſive ex fonte petatur, ſive alveo : illicita vere redditur pernoctatione* וכיצד מצות קידוש מניח ידו הימנית על רגלו הימנית וידו שמאלית על רגלו שמאלית ורוחץ עומד ולא יושב לפי שמכלל העבודה הוא קידוש ידים ורגלים ועל עבודת המקדש מעומד הן שנ׳ לעמוד לשרת וכל זה למעלת הבית. *Quomodo vero præceptum ſanctificationis peragitur? Imponit ſacerdos manum ſuam dextram pedi dextro, ſiniſtram vero pedi ſiniſtro : lavans autem ſtat, non ſedet. Pertinet enim ſanctificatio manuum & pedum etiam ad cultum : Omnis autem cultus ſanctuarii ſtando peragitur, ſicut dicitur : Ut ſtet, ad miniſtrandum*, (Deut. 18. 5.) Id quod facit ad decorem templi. Habuit hoc præceptum uſum בזמן הבית בזכרי כהונה בלבד ועובר עליה ולא קדש ידיו ורגליו שחרית או שיצא מן המקדש והסיח דעתו וחזר ועבד בלא קידוש חייב מיתה בידי שמים ועבודתו פסולה בין כהן גדול או הדיוט *ſtante templo in ſacerdotibus maſculis tantum, Qui vero tranſgreſſus illud, manus & pedes mane non abluerit, aut qui egreſſus ſanctuario, mente alio abreptus, redierit, ſicque ſanctificationem prætermiſerit, reus ſit ſupplicii capitalis* θεηλάτε, *ejuſque cultus redditur irritus, ſive ſummus fuerit ſacerdos, ſive vulgaris*. Plura vide *Talm.* c. Zebach. *Maim.* Hil. biath Mikd. c. 5. סמג A. S. 175.

CVII. מצות משיחת כהנים גדולים ומלכים בשמן. *Præceptum de unctione Sacerdotum magnorum & regum, oleo* ; Vel potius ; לעשות שמן המשחה על העניין שצותה התורה לעשותו שנ׳ ועשית אותו שמן משחת קדש וגו׳ שיהיה מוכן למשוח בו כל כהן גדול שיתמנה כמו שכתוב והכהן הגדול וגו׳ אשר יוצק על ראשו וגו׳ וכן מושחין בו קצת המלכים וכן גם כן משחו בו הכלים של בית המקדש. *De parando oleo unctionis ad eum modum, quem præcepit lex*, ſ. d. Et parabis ex illo (*Exodi* 30. v. 25.) oleum unctionis ſacræ, &c. *Ut paratum ſit ad inungendum omnem ſacerdotem magnum, qui ordinatus eſt, argumento loci* : Sacerdotem autem magnum, &c. cujus infunditur capiti, &c. *Eodem etiam inungunt quoſdam Reges : Item vaſa templi*. Atque hanc ceremoniam Majeſtatem templi Judæi innuere volunt, quod inunctio hæc Regibus tantum conveniat & Principibus. Modus conditura in lib. *Chinn.* ita deſcribitur : קנמון קדה חמש מאות שקל׳ מכל אחד אלא שהקנמון נשקל בין שני פעמים להרבות בו שתי הכרעית וקנה בושם חמשים ומאתים שקל וכולם נמצאים באיי הודו ושמן זית שיעור הין שהוא שנים עשר לוג ואחר שיתבשל הכל כדי צרכו חוזר הכל למדת השמן שהוא יב״ לוג. *Sumatur cinnamomum & caſia, pondus* 500. *ſiclorum de quolibet (gemino tamen libramento librari debet cinnamomum, ut præpondii mantiſſa hinc major ſit) & arundo aromatica*, 250. *ſiclorum* (intelligitur autem ſiclus ſacer ; Maim.) *pondus. Atque hæc omnia in Indicis inſulis ſunt obvia. De olivo addatur Hin, quod* 12. *facit Logos. Hæc ubi, quantum ſatis eſt, decocta fuerint, redeunt ad menſuram olei, id eſt*, 12. *Logos* ונוהגת בזמן הבית והיא ממצות המוטלות על הציבור כמו בניין הבית וכליה. *Obtinuit uſus ejus, durante templo : Eſtque præceptum hoc ex præceptis impoſitis toti cœtui ; ſicut ſtructura templi, & vaſorum ejus*. Plura in *Talm.* cap. 1. Kerith. *Maim.* Hil. Kelehamnikd cap. 1. סמג A. S. 196.

CVIII. לבטל עבודת הארץ בשנה השביעית שנ׳ בחריש ובקציר תשבת ובא הפירוש שעל שנה השביעית נאמר שנצטוינו שלא לעסוק בה כלל בעבודת הארץ ונכפלה המצוה בזה באמרו במקום אחר שנת שבתון יהיה לארץ וכן ושבתה הארץ שבת ליי. *Intermittendam culturam agri, anno* 7. *ſicut dicitur* : Die ſeptimo (*Exodi* 34. 21.) in ipſa aratione & meſſe ceſſato. *Explicant autem hoc de anno ſeptimo, de quo injunctum nobis eſt, ne quicquam in eo laboremus in cultura agri. Quod præceptum alibi quoque repetitur* : Annus Sabbathi erit terræ. *Item* : Et quieſcet terra Domino. Præcepti hujus rationem vide ſupra.

CIX. שלא יסוך זר בשמן המשחה. *Ne ungatur extraneus oleo unctionis*, vel שלא למשוח בשמן המשחה שעשה משה אלא הכהנים בלבד שנ׳ על בשר אדם לא ייסך ונתבאר בכתוב מש׳ שמשח בו מזיד חייב כרת שנ׳ ואשר יתן ממנו על זר ונכרת ואם נמשח בו בשוגג חייב חטאת קבועה כלומר שאין חלוק בו בין הדל׳ והעשיר אבל דבר קבוע הוא לכל. *Neminem eſſe inungendum oleo unctionis, quod Moſes fe-*

cit,

cit, nisi sacerdotes tantum, sicut dicitur: Carnem hominis (*Exodi* 30. v. 32.) ne quisquam eo ungito. *Expresse autem habetur in Scriptura, quod, qui alium eo inunxerit, destinata malitia, excidii sit reus*, q. d. Quisquis imponet ex (v. 33.) eo rei exteræ, propterea excindetur a populis suis; *sin autem unctus eo fuerit per errorem, damnas est sacrificii, pro peccato determinati, quod ita vocari solet, quia sine differentia, inter pauperem & divitem, omnibus* (æquale) *æque fixum est*. Porro, hujus præcepti ceremonia inservit להגדלת הבית *magnificentiæ Ædis*. Tradunt autem Rabbini: שחיוב כרת והקרבן אינו עד שיסוך ממנו שיעור כזית ושלא חייבנו הכתוב אלא על אותו שעשה משה ולא על אחר שיעשה שום אדם וקבלה בידינו שנס נעשה בו שיספיק לעולם ומה שאמרו זל שאין מושחין בו לדורות כל הכהנים המתחנכים לעבודה אלא כהן גדול ומשוח מלחמה ומלכי בית דוד וכל שאר מלכים אינם נמשחים בזה השמן אלא בשמן אפרסמון. *Reatum excidii & sacrificii non convenire nisi illi, qui se unxerit olei illius quantitate, oleæ respondente: Et quod Scriptura nos non obliget, nisi ad ipsum illud oleum, quod fecit Moses, non vero ad ullum aliud, quod quemcunque hominem habet authorem. Traditione insuper ad nos perlatum est, miraculose factum, ut in omne ævum illud sufficeret. Dicunt etiam Rabbini: Non ungi eo omnes sacerdotes Ministerio initiandos; sed sacerdotem tantum Magnum, Unctum belli, & Reges dumus Davidis: Reliquos Reges non ungi hoc oleo, sed oleo balsami*. De his & aliis, differentia præsertim inter unctionem Regum & Sacerdotum; ושאין מושחין מלך בן מלך אלא אם כן יש עליו מחלוקת ועל כן נמשח שלמה. *Et quod non ungant Regem, filium Regis, nisi forte controversia de eo oriatur, quo respectu unctus est Solomon*: loquitur *Talm.* cap. 3. Kerith. De supplicio transgressionis jam supra actum.

CX. שלא לעשות שמן המשחה שנ' ובמתכנתו לא תעשו. *Non esse faciendum* (alii) *oleum unctionis, juxta præceptum*: Et (*Exodi* 30. 32.) secundum confecturas ejus, ne facito simile ei. Ratio præcepti eadem est, quæ superioris. De hoc etiam monent, כי מעולם לא נעשה ממנו אלא אותו שעשה משה במדבר ואמרו שנס נעשה בו שכולו קיים לעתיד לבא. *A seculo nullam aliam ejus confecturam dari, nisi quam fecerit Moses in deserto; dicuntque, miraculose illud reservari in seculum futurum*. Vide Kerith. cap. 1. Transgressionis, cui omni tempore uterque subjicitur sexus, pœna eadem est, quæ superioris.

CXI. שלא לעשות קטרת כדמות קטרת כלומר שתהיה הרכבתו על עניין אותם המשקלים ויתכוין להקטיר עצמו בה שנ' ובמתכונתו לא תעשו לכם ונאמ' עליה אשר יעשה כמוה להריח בה כלומר שיתכון בעשייתה להקטיר עצמו. *Non esse conficiendum suffitum ad similitudinem illius suffitus, ita nempe, ut componatur ad modum ponderum illorum, & præparetur ea intentione, ut suffiatur*, q. d. Secundum (*Exodi* 30. v. 37.) confecturam ejus ne faciatis vobis: *Dicitur etiam de eo*: Quisquis (v. 38.) fecerit ei similem ad odorandum eam, q. d. ut intendat confecturam ejus ad suffiendum eo. Ratio hujus præcepti eadem est, quæ משיחת השמן *unctionis olei*. Quæ specialem hujus præcepti narrationem concernunt, habentur cap. 1. Kerith. Confer *Maim.* Kele hammikd. cap. 1. 2. 3. סמג N. S. 292. 293. 294. סמק S. 171. 172. ומצוה זו של איסור עשייתה בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ועשה ממנה לפי משקלה להריח בה במזיד חייב כרת בשוגג חייב חטאת קבועה אבל המריח בה לבד ולא עשאה אינו חייב כרת אלא דינו כדין כל הנהנה מן הקדש. *Præceptum autem hoc, de prohibita confectura, omni tempore & loco, utrumque constringit sexum. Qui trangressus illud fuerit secundum pondus ad odorandum, idque elata manu, excidii reus est. Qui vero per errorem violaverit, obligatur ad sacrificium fixum. Sed qui illud odoratur tantum, neque tamen fecit, non incurrit in pœnam excidii, sed tale ejus est judicium, quale solet illius esse, qui utilitatem percipit a sancto, seu re, sanctis usibus destinata*.

CXII. שלא לאכול ולשתות תקרובת עא שנ' פן תכרת ברית ליושב הארץ וכו' וזבחו לאלהיהם וקרא לך ואכלת מזבחו. *De Idolothytis nihil vel edendum, vel bibendum*, q. d. Ne pangito (*Exodi* 34. 15.) fœdus cum habitatore terræ, &c. Et sacrificabunt Diis suis, invitet te, & comedas de sacrificio ejus. Nempe, להרחיק ולסלק כל עניין עא וכל דבר המיוחס אליה מבין עיננו וממחשבתנו *ad removendam & tollendam omnem speciem Idololatriæ, & omnium rerum ei affinium, ab oculis & cogitationibus nostris*. Rabbinorum autem statutum est; שכל דבר שעשו ממנו תקרובת לעא אסור ואפי' מים ומלח כלומר שאעפ שמים ומלח הם דברים קלים ואפשר לומר בהם שאינם לתקרובת ולא הניחום לפני העא לכוונת כבוד כלל אעפכ אסור וכן אמרו זל לרוב ריחוק זה כל יין של עכו שאעפ שלא ידענו בו שנסכוהו לעא והוא נקרא להם סתם יינן אלא שחלקו עליו בין הנסך בידוע לסתם יינן שהידוע איסורו במשהוא מן התורה ולוקין עליו מדכתיב ולא ידבק בידך מאומה מן החרם ובסתם יינן

יינן שאין איסורו אלא מדבריהן אין בחיוב שתייתו אלא מכת מרדות בשותה ממנו רביעית אבל בפחות מרביעית אין בו מכת מרדות. *Omne, quod sacrificio Idolorum destinatur, esse probitum, ipsum etiam sal & aquam, Idololatrarum nempe.* Q. d. *Etsi aqua & sal res sint leves, verisimile etiam sit, non oblatas esse Idolis, nec positas coram Idolis, ea intentione, ut honorentur omnino tamen esse interdictas. Ita probibent Rabbini, augendæ abominationis ergo, omne vinum Idololatrarum, etsi vel maxime ignoremus, an Idolis illud libarint: quod illis simpliciter vinum eorum vocatur. Diffident tamen de libamine, quod certo tale est, & de vino eorum simpliciter sic dicto. Manifesti enim libaminis interdictum habent ex Lege, propter quod vapulant, juxta Scripturam;* Neque adhærebit manui eorum quicquam de anathemate. (*Deut.* 13. v. 17.) *Interdictum autem de vino eorum simpliciter, habemus ex Rabbinorum verbis, & expiatur reatus potationis ejus, plaga rebellionis.* Plura hac de re traduntur lib. *Chinnuk*, p. 48. b. *Talm.* Avod. zar. & Cholin. *Maim.* Hil. Isur. Maacol. cap. 8. סמג N. S. 147. De dissensu Rambam & Ramban in recensione hujus præcepti agitur in *Chinnuk*, pag. 47. ועובר עליה ואכל כל שהוא או שתה אפולו טיפת יין נסך גמור לוקה. *Qui vero, transgressus hoc præceptum, vel quantulumcunque ederit; aut biberit guttam tantum vini perfecte libati, vapulat.*

CXIII. שלא לאכול בשר בחלב שנתבשלו ביחד שנ׳ לא תבשל גדי בחלב אמו והרה הכתוב בא לאסור האכילה וההנאה בבשר בחלב ואל יקשה עליך אם כן למה לא נאמר בפירוש איסורו בלא תאכלו והוציאו בלשון בישול שהתשובה בזה מפני שנתחדשה איסור אכילתו מאיסור שאר אכילת איסורין ששאר איסורין אין חייבין אלא אם כן נהנת באכילתן וכאן אפילו לא נהנה באכילה מכיון שבלעו ואפילו יבלענו חם חם שורף גרונו בו וכיוצא בזה שאין לו הנאה בו מכל מקום לוקה *Non esse edendam carnem cum lacte, si simul cocta ea sint*, f. d. Non coques (*Exodi* 34. v. 6.) hœdum cum lacte: *Qui Scripturæ locus esum probibet & fruitionem carnis cum lacte. Ne autem moveat te, cur, si ita sit, non expresse interdicatur:* Ne comedatis; *sed proferatur* coquendi *verbo.* Resp. *Quia interdictum comestionis ejus alia ratione, quam reliqui cibi vetiti proponitur. Reliquis enim cibis nullus contrahitur reatus, nisi ex fruitione eorum aliquid utilitatis capiatur: hic vero, etsi nulla accedat ex comestione utilitas,* (vel *suavitas:* utrumque enim vox Hebræa notat) *postquam aliquis deglutivit illud: imo si, dum calidum illud absorbere velit, guttur suum ambusserit, aut alio quocunque modo, ex quo nihil ad ipsum redeat commodi, ederit, verbera meretur.* Sanxerunt autem Rabbini שאין איסור בשר׳ בחלב מן התורה אלא בבשר בהמה טהורה אבל לא בבהמה טמאה ולא בחיה אפילו טהורה ולא בעוף בין טהור בין טמא *Lege interdictam carnem cum lacte, pecoris tantum mundi, immundi non item, neque feræ, etiam mundæ; neque volucris, sive mundæ, sive immundæ;* argumento triplicis oppositionis, quæ inter hœdum & has tres species (bestiam immundam, feram & avem) in S. Sc. occurrunt. Unde *Rabbini* אמרו כי שלשה אלה תותר לבשלם בחלב ומותרין בהנאה אבל באכילה אסרו *dixerunt, tres has species impune cum lacte posse coqui, & ad usum adhiberi, comedi non item.* Quod tamen difficulter Magistri, quia carnis cum carne facilis est permutatio, indulserunt. Aliam tamen prorsus rationem esse volunt carnis piscium & locustarum, ubi confusionis aut permixtionis nullum periculum. Vide Rabb. *Levi* pag. 46. b. *Maim.* Hil. Maacol. asur. cap. 9. סמג N. S. 141. *Talm.* cap. 7. Chol. Habet hoc præceptum locum, semper & ubique, in utroque sexu; והעובר עליה ואכל כזית מן הבשר והחלב שנתבשלו יחד במזיד לוקה אבל נהנה בו כגון שנתנו או מכרו אינו לוקה *Eum vero, qui transgressus de carne & lacte simul coctis contumaciter tantum ederit, quantum est olea, plagæ manent: eum autem, qui tradidit illud alii, aut vendidit, adeoque utilitatem inde cepit, non item.*

CXIV. שלא יעשה הדיין דינים בשבת כלומר שמי שמתחייב מיתה בבית דין לא ימיתוהו בשבת שנ׳ לא תבערו אש בכל מושבותיכם ביום השבת ובא הפירוש עליו בזה שלא ישרפו בית דין בשבת מי שנתחייב שריפה והוא הדין לשאר מיתות *Ne exerceat judex judicia in Sabbatho, id est; ne eum, quem domus judicii damnavit, trahant ad supplicium die Sabbathi*, q. d. Non accendetis (*Exodi* 35. 3.) ignem in omnibus habitationibus vestris die Sabbathi. *Id quod sic explicant: Ne domus judicii die Sabbathi eum, qui dignus est ignis supplicio, comburat: quæ etiam reliquorum suppliciorum ratio est.* Hanc explicationem, cum foculum incendere generali interdicto Judæi prohibeantur, Rabbinico acumini debemus. Vide *Chinnuk*, pag. 47. *Jelam.* ad hunc locum. *Maim.* Hil. Schabb. cap. 24. סמג Neg. S. 67. Nempe רצה הש״י לכבד היום הזה שימצאו בו מנוחה הכל גם החוטאים והחייבים משל למלך גדול שקרא בני המדינה יום אחד לסעודה שאינו מונע הפתח לכל אדם

ואחר

ואחר יום הסעודה יעשה משפט כן הדבר הזה שהשי׳ צונו לקדש ולכבר יום השבת לטובתנו ולזכותנו כמו שכתבתי למעלה וזה גם כן מכבודו של יום הוא *Voluit Deus Benedictus honorare diem iſtum, ut quietem in eo reperiant omnes, illi etiam, qui peccatores ſunt & ſcelerati: Quemadmodum enim Rex aliquis magnus, cives die convivio indicto ad ſe vocat, nec foribus ſuis quemquam probibet; præterito vero die convivii, exercet judicium: Ita & Deus Benedictus præcepit nobis, ut ſanctificemus & honoremus Sabbathum in bonum & juſtitiam noſtram, ſicut ſupra ſcripſi; Atque hoc etiam ad honorem illius diei facit.* Spectat hoc præceptum ad viros, quibus, ſtante templo, datum ſuit. ואם עברו וצוו לשרוף בריה בשבת עברו על לאו זה ואין לוקין אם לא עשו בו מעשה כגון ששרפוהו הם בידיהם אם יש עדים והחראת נסקלים בשוגג מביאין חטאת קבועה *Si vero tranſgreſſi, præceperint creaturam Sabbatho comburere, violant interdictum hoc, quo tamen nomine non flagellantur, niſi ipſi aliquod opus fecerint, manibuſque admotis eam combuſſerint: tunc ſi teſtes adſint, & commonefactio, lapidibus tales obruuntur; ex ignorantia peccantes, ſacrificium pro peccato deſtinatum offerunt.*

CXV. לעשות העולה כמשפטה שנ׳ אם עולה קרבנו *Rite offerendum holocauſtum, ſicut dicitur*: Si holocauſtum fuerit oblatio ejus, &c. *Levit.* I. v. 3. & deinc. Qua de re prolixe apud *Talmud.* Zebach. *Maim.* Hil. Maaſe hakkorban. cap. 13. סמג Aff. S. 197. Incumbit autem hoc præceptum ſacerdotibus tantum maſculis וכהן שעבר ולא עשאה כסדר הזה בטל עשה *Sacerdos autem, qui contra, quam hæc Sidra exigit fecerit holocauſtum, irritum reddit affirmativum.*

CXVI. לעשות מלאכת המנחה על ענין הנזכר בתורה בפרשיותיה שנ׳ ונפש כי תקריב קרבן מנחה וכתוב ואם מנחה על המחבת וכת׳ עוד ואם מנחת מרחשת *Officium Minchæ peragendum ad modum memoratum in Lege, ejuſdemque Paraſchas*, q. d. Anima (*Levit.* 2. v. I.) autem cum offeret oblationem (Mincham) Item: Si vero Mincha (v. 5.) ſartaginis oblatio tua. *Et iterum ſcriptum eſt*: Quod ſi (v. 7.) Mincha oblatio craticulæ. Eſt autem *Mincha* ſacrificii genus, vario conſtans frumento, animantibus vivis non item; inquit Rab. Levi, in Chinnuk. Cur vero hoc ſacrificii genus מנחה appelletur, & quid ab holocauſto differat, idem hoc modo enarrat: וכבר כתבתי למעלה כי הקרבן בבעל היים הוא באמרת דמיון חזק אצל בני אדם להכניע ולהשפיל הנפש המתאוה והחוטארת מצד חולשת השכל תכלה ותאבד גם כן אם תתמיד בפעולות בהמיות שהן החוטאים כי החטא לא תבא רק משורש בהמי והקרבן במה שאינו בעל חיים אע״פ שהוא בא גם כן להכנעת היצר שיראה האדם כי בשביל חטאו נצטרך לשרוף ממנונו ולכלותו באמת אין דמיונו חזק כמו בבעלי החיים ומן הדומה לפי הפשט כי על כן יקרא מנחה מפני שעניינה מועא מקרבן בעל חיים כמו שמנחית בני אדם יהיו במועט ברוב הפעמים ועוד מפני שהרבה מהם באורת נדבה ומה שאינו בחיוב אצל בני אדם יקראו אנחה *Scripſi autem jam ſuperius, ſacrificium animalis viventis acuere fortiter imaginationem filiis bominum (ad deprimendam & bumiliandam nempe animam concupiſcentem, & peccantem) quod, quemadmodum animal videt, vita ſibi ſimile, ſed intellectu deſtitutum, comburi & penitus abſumi; ita & animam peccantem, ob intellectus infirmitatem, conſumendam eique pereundum, ſi in actionibus beſtialibus, cujuſmodi ſunt peccata, (neque enim peccatum aliunde pullulat, quam ex radice beſtiali) perſtiterit. Sacrificium autem, in quo nullum offertur animal vivum, etiamſi vel maxime deprimendæ pravæ concupiſcentiæ inſerviat, dum homo, propter peccatum ſuum, neceſſario aliquid de facultatibus ſuis comburi & conſumi, obſervat; certum tamen eſt, vim ejus imaginatricem non æque validam eſſe, ac in animalibus vivis. Veriſimiliter autem ex ſenſu literali, propterea ſacrificium hoc* מנחה munus, *vocatur, quod minus ſignificet, quam ſacrificium animali vivo peractum: quemadmodum hominum ſæpe munera tenuia ſunt. Inſuper, quod ſacrificia talia non raro voluntaria: unde & quicquid debitum non eſt, apud homines,* מנחה *ſeu* munus *vocatur*. Sunt autem מנחות vel toti cœtui communia, ut עומר בפסח שתי הלחם בעצרת לחם הפנים בכל שבת *Manipulus Paſchalis; duo panes feſto probibitionis, & panes propoſitionis diebus Sabbathi deſtinati*: vel ſingulis Iſraelitis propria, cujuſmodi ſunt I. מנחת חוטא והיא המנחה שיקריב העני כשיתחייב חטאת ולא תגיע ידו *Munus peccatoris, quod offert pauper, cum tenetur ſacrificium pro peccato offerre, neque tamen eo pertingit manus ejus.* 2. מנחת סוטה והיא מנחת הקנאות *Munus declinantis* (mulieris ad ſcortationem, vel adulterium) *quod munus eſt zelotypiarum.* 3. המנחה שיקריב כל כהן שיכנס לעבודה שמקריב אותה בידו והיא נקראת מנחת חינוך *Munus, quod ſinguli ſacerdotes officium, vel λειτεργίαν auſpicaturi, ſua manu, offerunt. Vocatur* munus initiationis. 4. המנחה שמקריב כהן גדול בכל יום והיא נקראת מנחת חביתין

Munus,

Munus, quod offert ſacerdos magnus ſingulis diebus; vocatur munus ſartaginum. Ita dicitur decima Ephæ, quam ſacerdotes quotidie offerre jubentur, *Levit.* 6. v. 13. quia de illa v. 14. ſcribitur: *In ſartagine cum oleo parator*. 5. מנחת הסלת והיא באה בנדר ובנדבה *Munus ſimilæ, quæ in voto, & voluntaria oblatione locum habet*. 6. מנחת המחבת והיא באה בנדר ונדבה *Munus ſartaginis, quod itidem in votis & ſpontaneis uſitatum eſt*. 7. מנחת המרחשת והיא באה בנדר ובנדבה *Munus cacabi, quod in iiſdem occurrit*. 8. מנחת מאפה תנור והיא חלות ובאה בנדר ונדבה *Munus igni coctum; ſuntque collyræ, in iiſdem oblationibus receptæ*. 9. מנחת מאפה תנור והיא רקיקין ובאה בנדר ונדבה *Munus coctum in clibano, ut ſunt placentæ tenues, habetque locum in voto, & ſponte oblato*. Quia autem quædam e muneribus, quæ ſacerdotibus in cibum ceſſerunt, igni combuſta ſunt, ut, quo illud ordine ſit factum, conſtet, Rab. *Levi* verbis hic utemur: ארם מביא סלת מתוך ביתו בכלי כסף או זהב או של מתכת ומוליכת אל הכהן והכהן מוליכה אל המזבח וקומץ ממנה הכהן בראשי אצבעותיו ומקטיר הקומץ כולו במזבח והשאר נאכל לכהנים *Offert homo e domo ſua ſimilam in vaſe argenteo, aureo; aut ex alio metallo confecto, offertque illam ſacerdoti, ſacerdos vero ad altare defert, indeque extremis digitis pugillum accipit, quem totum in altari adolet, cætera autem a ſacerdotibus comeduntur*. Reliqua peti poſſunt ex *Talm.* Maſs. Menach. & citato *Maim.* loco. Datum eſt hoc præceptum בזמן הבית בזכרי כהונה וכהן שעבר ושינה מעשה המנחה בטל עשה *durante templo maſculis ſacerdotibus; ſacerdos autem, qui, tranſgreſſus, mutabit rationem muneris, irritum reddit affirmativum*.

CXVII. להקריב מלח על כל הקרבנות כלומר שיתן מלח בבשר הקרבן וכן בקמח המנחות שנ׳ על כל קרבנך תקריב מלח *Offerendum ſuper omnibus ſacrificiis ſal, id eſt, ſale condiendam carnem ſacrificio deſtinatam; farinam item munerum, juxta illud:* Et omne ſacrificium (*Lev.* 2. v. 13.) ſale condies. Ut ſalem ſacrificiis adhiberent, duabus de cauſis illud factum ſcribit Rab. *Levi*; לעורר נפשו של מקריב נצטוה בהקרבת דברים הטובים והערבים והחביבים עליו והמלח בו גם כן מן השורש הזה כדי שתהיה אותה פעולה שלימה לא תחסר לפי הנהג׳ האדם דבר כי אז יתעורר לבו אליו יותר כי כל דבר מבלי מלח לא יערב לאיש לא טעמו ולא אף ריחו ומלבד זה יש במלח עניין אחר רומז כי המלח מקיים כל דבר ומציל על ההפסד והרקבון וכן במעשה הקרבן ינצל האדם מן ההפסד ותשמור נפשו ותשאר קיימת לעד *Ad excitandam animam ſacrificantis, mandato debent offerri res bonæ, ſuaves, ipſique gratæ, (in quem cenſum etiam ſal venit) ut ita opus illud fiat perfectum, cui nihil, ex hominum etiam more, deſit: Ita enim cor ejus vehementius excitabitur. Nam ſi ſal deſit, nihil hominis ſapit vel palato, vel placet odoratui. Habet præterea ſalis uſus aliam rationem, innuentem, quod, quemadmodum ſal omnia confirmat & a corruptione atque putredine conſervat; ſic in ſacrificii negotio eripiatur homo a corruptione, ſerveturque anima ejus, & æternum ſtabilis maneat*. Tradunt autem Rabbini; כי כל הקרבנות נמלחים קודם שעילו למזבח *Omnia ſacrificia ſale condiri, antequam imponantur altari*. Plura hac de re vide in *Talm.* Menach. hinc inde: *Siphra*, *Maim.* Hilc. Iſur. Mizb. cap. סמג. Aff. S. 179. Et quanquam ſacerdos, ſtante templo, ſacrificaturus neglecto ſale, geminum violaverit præceptum, Affirmativum & Negativum, ratum tamen habebatur ejuſmodi ſacrificium חוץ מן המנחה שהמלח מעכבה שנ׳ בה בפי׳ ולא תשבית מלח ברית אלהיך מעל מנחתך *præter munus, quod abſentia ſalis impeditum fuit; quia expreſſe de eo dicitur:* Neque ceſſare facies ſalem fœderis Dei tui a munere tuo; *Levit.* 2. v. 13.

CXVIII. שיקריבו סנהדרי גדולה קרבן אם טעו והורו שלא כהלכה בעבירות חמורות שחייבין עליהם כרת ומתו הקהל או רובו על פיהם שנ׳ ואם כל עדת ישראל ישגו ונעלם דבר וכו׳ *Ut Synedrium magnum ſacrificium, ſi erraverit, offerat, & non, prout convenit, in tranſgreſſionibus gravioribus, quibus ſupplicium excidii debetur, proceſſerit, idemque integer cœtus, aut maxima ejus pars ad mandatum illorum fecerit*, q. d. Et, ſi integer cœtus Iſrael erraverit, & latuerit res in oculis congregationis, &c. *Lev.* 4. v. 13. Ratio hujus præcepti eſt, ut Proceres, ſeu Primores populi erroris, in re manifeſta, convicti, adeoque ex infirmitate intellectus lapſi יבאו אל הבית אשר שפע השכל עליו ויעשו מעשה הקרבן וישיבו על לבם בכח הפעולה גריעו׳ הנפש הבהמית הנעשה וחשיבו׳ השכלית המיושרת הזכה ומתוך מחשבת טהרה זו ישגתו וישכילו בכל הוראותם לעולם *Veniant in Ædem, ubi influxus intellectus, ſacrificium ibi peracturi, ſicque, virtute operis illius, ad animum revocent tenuitatem (abjectam conditionem) animæ ſenſitivæ, & præſtantiam animæ rationalis rectificatæ, emundatæ, &, beneficio hujuſmodi cogitationum, puræ; adeoque in demonſtrationibus ſuis caute ſemper procedant & prudenter*.

Prolixi ſunt Talmudici in hac materia ob varietatem caſuum : Unde dicunt, שיש טעות בהוראות שהבר חיי׳ להביא הקרבן ולא על העושה על פיהם ויש שהעושה חייב ולא הם *Eſſe errorem in demonſtrationibus judicialibus, ob quem teneatur Domus judicii offerre ſacrificium; non autem illi, qui mandatum ejus ſequuntur; & eſſe ob quem, qui ſequitur, reus ſit, non autem Proceres vel Synedrii aſſeſſores*. Quando autem vel primores vel ſubditi hujus ſacrificii damnentur, fuſe in *Talmude*, & a *Maimonide* diſputatur. Compendium vide Hil. Scheg. cap. 12. & deinc. R. *Levi* Chinn. pag. 48. Certum eſt, ſatis caviſſe Rabbinos ſuæ famæ & authoritati, ne ſibi crebrius, quam vulgo πλημμελοῦντι ſacra hæc incumberent. Omnem moverunt lapidem, ne error per ignorantiam commiſſus, Synedrio toti (nam niſi demonſtratio a toto conventu LXXI. virali, conſentiente Rectore facta fuerit, irrita æſtimabatur) potius, quam plebi tribueretur. Sed & ipſum utriuſque partis ſacrificium definiunt. Rab. *Maim.* lib. cit. cap. 15. ait, ab Idiota ſeu plebejo πλημμελοῦντι expectari כבשה או שעירה ואם שנג בה הנשיא מביא שעיר ואם שנג בה כהן משיח מביא פר *Agnam, aut capram; a Principe hœdum, & a Sacerdote uncto* (i. e. ut Rab. *Levi* explicat שנמשח בשמן המשחה *qui unctus eſt oleo unctionis*) *juvencum*, Vide plura in Horaj. Zebach. & alibi. סמג A. S. 217. Habuit locum Lex hæc florente Synedrio.

CXIX. שיקריב כל שונג מחטא מהחטאים הגדולים הידועים קרבן חטאת שנ׳ ואם נפש אחת תחטא בשגגה מעם הארץ *omnis, qui, ex ignorantia, commiſerit peccatum, ex peccatis grandioribus & notis, ſacrificium offerat pro peccato, ſicut dicitur*, Levit. c. 4. v. 27. Quod ſi anima aliqua peccaverit per errorem de populo terræ, faciendo unum ex præceptis Jehovæ, quæ non ſunt facienda, & deliquerit, offeret oblationem ſuam capellam, &c. Vocatur hoc ſacrificium קבועה *conſtitutum, ratum, fixum;* propterea שהיא לעולם קרבן בהמה ולא יעלה וירד לפי עושר המקריב ועניו *quia hoc ſacrificium ſemper ex animali conſtat, neque ei accedit quicquam vel decedit ex offerentis vel opibus, vel paupertate*. Sed & hoc obſervant; והחטאים שיתחייבו אליהם חטאת הם לעולם אותם שחייבין על זדונו כרת *Peccata, quibus deſtinatum ſacrificium pro peccato, ea eſſe, quæ, elata manu ſeu proterve commiſſa, excidii pœna caſtigentur*. Excipiuntur tamen tria peccata: יש בתורה שלש חטאים שאע״פ שיש בזדונו כרת אין בשגגתן חטאת ואלו הן מגדף ומבטל מילה וחדל מעשות פסח *Tria ſunt in Lege peccata, quibus etſi, deſtinata malitia, commiſſis, debeatur excidii pœna, eadem tamen ex errore patrata, ſacrificio non expiantur; nempe: Blaſphemus, irritam reddens circumciſionem, & Paſcha non celebrans*. Pro cæteris omnibus ſacrificium offerunt fixum, חוץ מטמא שאכל את הקודש וטמא שנכנס למקדש שאע״פ שזדונן כרת אין מביאין חטאת קבועה אלא קרבן עולה ויורד שהוא עוף או קמח *Exceptis pollutis illis, qui vel ſanctum edunt, vel ſanctuarium ingrediuntur, qui etſi, proterve peccantes, puniantur excidio, non tamen offerunt ſacrificium fixum, ſed ſacrificium aſcendens & deſcendens*, (mobile) *avem videlicet aut farinam*. Numerant autem Rabbini ſpecies πλημμελημάτων 43. ob quæ ſinguli ſacrificium fixum offerre tenentur. Requirunt & hoc Magiſtri, a reo hujus ſacrificii; שיהיה שוגג מתחלה עד סוף *ut ſit peccator per errorem ab initio ad finem*. Cætera, quæ lucem huic tractationi afferunt, pete ex *Talm.* Cod. Horajoth, Kerit. Schabb. Schebhu. Zebach. Habetque locum בזמן הבית בזכרים ונקבות ועובר עליה ולא הקריב חטאת על שגגתו בטל עשה *Tempore templi in utroque ſexu: qui autem tranſgreſſus non obtulerit ſacrificium propter errorem ſuum, irritum facit affirmativum*.

CXX. להגיד העדות לפני הדיינים בכל מה שנדעהו בין שיתחייב בעדות מיתה או ממון המועד עליו או שיהיה הצלתו בממונו או בנפשו שנ׳ והוא עד או ראה או ידע אם לא יגיד ונשא עונו. *Edicendum teſtimonium coram judicibus omnium eorum, quæ ſcimus, ſive id, de quo teſtandum eſt, vitam opeſve tollat, ſive liberat*, q. d. Cum autem anima peccaverit (*Levit.* 5. v. 1.) & ipſe ſit teſtis, quod aut viderit, aut ſciverit, niſi renuntiaverit, feret pœnam iniquitatis ſuæ. Etſi vero fateantur Judæi שבכל חובה עליהם להגיד העדות לפני הב״ד *ſibi de omni negotio incumbere teſtimonii enuntiationem coram Synedrio*, diſtinguunt tamen inter judicia capitalia, & pecuniaria שבדיני ממונות אין אדם חייב להעיד עליהם מעצמו אלא אם כן יתבענו בעל דבר או ב״ד ובדיני נפשות ובעדות שאר איסורין שבתורה כגון שראה אחר שעבר על איסור וכן בעדות נפשות כגון שראה מי שהרג חבירו או בעדות מכות שהכה האחד את חבירו בכל זה חייב אדם לבוא מעצמו ולהגיד העדות לפני הב״ד כדי לבער הרע ולהפריש האדם מאיסור. *Nam in judiciis pecuniariis homo tenetur edicere teſtimonium ſua ſponte, niſi exigat hoc ab ipſo actor, aut Synedrium: At in judiciis capitalibus, & in teſtimonio* cæterorum, quæ in Lege prohibentur,

tur, ut cum aliquis viderit alium interdiſtum aliquod violare; Item, *in teſtimonio* animarum, *ut cum quis aliquem obſervarit proximum ſuum tollere; aut in teſtimonio* plagarum, *cum quis proximum ſuum percuſſerit; in his omnibus tenetur homo ſponte accedere, & coram Senatu teſtimonium perhibere; ut extirpetur malum, & removeatur homo ab interdicto.* In hoc vero edicendo teſtimonio diſcrimen Magiſtri ponunt, neque omnes promiſcue hac Lege teneri notant. V. G. אם היה העד חכם גדול והב״ד פחות ממנו שיש לו להמנע אם ירצה מלהעיד לפניהם שעשה של כבוד תורה דוחה עשה העדות וכן כהן גדול אינו חייב להעיד אלא עדות שהיה למלך בלבד ומלכי ישראל לא מעידים על אחרים ולא אחרים עליהם משום מעשה שהיה כמו שבא בסנהדרין פרק כהן גדול אבל מלכי בית דוד מעידין ומעידין עליהם ודנין אותן ואין נמנעין מלקבל עדות בשביל אהבה ושנאה כי שארית ישראל לא יעשו עולה בעדותן אבל לעניין הדין אינו כן שאין דנין האוהב והשונא מפני שהשונא אינו רואה זכות ולא האוהב חובה. *Si teſtis fuerit vir præclare ſapiens, adeoque Dominus judicii eo minor, recuſare, ſi velit, poteſt, teſtimonium coram iis edicere: Affirmativum enim de honore Legis, pellit affirmativum teſtimonii. Ita etiam Sacerdos magnus non tenetur teſtimonium dicere, niſi ipſius Regis cauſa agatur. Reges autem Iſraelis, nec ipſi contra alios proferunt teſtimonium, nec alii de ipſis, quocunque illud nomine exſtat, ſicut habetur in Sanhed. Cap.* Sacerdos magnus. *At Reges Domus Davidis & teſtantur, & teſtimonium perhibetur ab aliis de ipſis; eoſdemque judicant: Neque enim illi prohibentur accipere teſtimonium propter amorem aut odium: Reliqui vero Iſraelitæ nullo ſe hic ſcelere obſtringent in teſtimoniis ſuis. Alia ratio eſt judicii: Ubi neque amici judicant, neque oſores. Nam ut oſor non videt abſolutionem, ita nec amicus damnationem.* Porro quæritur: Utrum neceſſaria ſit, in teſtimonio, oris confeſſio; an ſcripto illud exhibuiſſe ſufficiat? *Maimonides* vult, שעיקר עדות של תורה הוא מפי העדים ולא מפי כתבם שנ׳ על פי וכו׳. *Fundamentum teſtimonii Legalis eſſe, ut ex ore teſtium audiatur, non vero ex illorum ſcripto recitetur, ſicut dicitur:* Ex ore, &c. Rabbinis tamen pleriſque, in pecuniariis litibus, ſufficit שטר ſeu *inſtrumentum*. Nachmanides סובר שעדות שטר דאוריתא הוא דכתיב וכתוב בספר וחתום. *Exiſtimat, teſtimonium ſcripto exhibitum in Lege fundari*, q. d. Et ſcribere in libro, & obſignare, i. e. *ſcribent & obſignabunt*; Jer. 32. 44. Requiritur autem in teſte conſtantia. Unde illud Rabbinorum: כל אדם שהגיד עדותו בפני ב״ד וחקרוהו כרצונם אין יכול לחזור ולסתור כל מה שהגיד לפניהם ולומר שמוטעה או שוגג היה או שנזכר אח׳ כך שאין הדבר כמו שהעיד ואפי׳ נתן טעם לדבריו אין שומעין לו. *Quicunque edixerit teſtimonium ſuum coram Synedrio, & in illud Synedrii aſſeſſores pro voto ejus inquiſiverint, non poteſt revocare aut deſtruere id, quod coram iis eſt effatus, prætendendo, ſe in errorem eſſe abreptum, aut* πλημμέλημα *commiſiſſe, aut in memoriam ſibi revocatum eſſe, rem ita ſe non habere, prout ille teſtimonium perhibuerit: Imo, ſi vel maxime verborum ſuorum dederit rationem, non tamen audiunt eum.* Neque etiam teſtimonium ſcripto exhibitum mutari poteſt. Qui vero teſtes admitti debeant aut poſſint, qui rejici, qua item ratione examen teſtimonii ſcripti inſtituatur, hinc inde apud Rabb. explicatur. Vide *Talm.* Sanhed. & Schebhu. *Maim.* Hil. Eduth. סמג A. S. 150. Rab. *Levi* pag. 49. Confer ſupra pag. 106. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים אבל לא בנקבות שאין הנשים בתורה עדות לקלות דעתן ועובר עליה ולא העיד בדיני ממונות כשתבעוהו לעדות בעל דבר או ב״ד או בדיני נפשות ומכות ובאיסורין של תורה מעצמו בטל עשה ועונשו גדול מאד כי בכח העדות יקיימו היישובים על כן נכתב בו אם לא יגיד ונשא עונו ואם תהיה העדות אשר כבש עדות ממון וכחש בה העד ונשבע עליה כלומר שנשבע שאינו יודע לו עדות חייב להביא קרבן עולה ויורד. *Valet hoc præceptum ubique & ſemper in maſculis, in fœminis non item. Neque enim fœminæ lege teſtimonii tenentur, propter infirmitatem ingenii. Tranſgreſſor autem, qui non dixerit teſtimonium, quod vel actor popoſcerit, vel Synedrium; in rebus pecuniariis, aut etiam in capitalibus, flagris, & interdictis Legis; ſua ſponte irritum facit affirmativum præceptum, cujus proinde pœna eſt magna: Virtute enim teſtimonii confirmabunt quietem, (vel; orbem reddent habitabilem:) de quo propterea ſcriptum eſt: Quod ſi non annuntiaverit, ferat iniquitatem ſuam. Si autem teſtimonium, quod ſuppreſſit, pecuniam concernat, negetque teſtis, & juramento confirmet, ſe neſcire ullum pro eo teſtimonium, ſacrificii aſcendentis & deſcendentis damnas eſt.* Neque refert, utrum per ignorantiam an contumaciam ita peccarit.

CXXI. מצות קרבן עולה ויורד. *Præceptum de ſacrificio aſcendente & deſcendente*, id eſt, להקריב קרבן עולה ויורד על חטאים מיוחדים והם טומאת המקדש כלומ׳ אדם שהוא טמא באב הטומאה ונכנס למקדש בשגגה וטומאת קדשיו גם כן שהוא טמא

טמא ואכל בשר קדש בשגגה ושבועת בטוי כלומר שנשבע לשקר על דבר לעשות או שלא לעשות ושאר צדדי שבועות בטוי הידועים ועובר עליה בשגגה וכן שבועת העדו׳ כלומר שנשבע לחבירו שאינו יודע לו עדות בין בשוגג בין במזיד על׳ אלו החטאים חייב אדם להביא קרבן עולה ויורד כלומר לפי עשרו ועניו של׳ אדם כמו שמפורש בכת׳ שנ׳ ונפש כי תחטא ושמע׳ קול אלה כלומר קול שבועה שהשביעוהו אם יודע עדות אם לא יגיד ונשא עונו וסוף העניין והביא את אשמו ולא נאמר שם ונעלם ממנו ללמד שחייב בקרבן בין שוגג בין מזיד וכתוב בטומאת מקדש וקדשיו או נפש אשר תגע בכל דבר טמא וגו׳ ונעלם ממנו וכו׳ ונאמרו על׳ הכל׳ בסוף העניין והביא את אשמו ולא בא בכתו׳ מפורש שחיוב הטמא שנאמרו שם יהיה בהכנסו במקדש או באכלו בשר קודש ולא מפי השמועה שמענו שהוא מדבר על׳ זה ואף על׳ פי שהדבר מפי הקבלה מצאנו בפירוש במקום אחר היוב כרת לטמא שאכל׳ קודש או נכנס למקדש שנ׳ והנפש אשר תאכל בשר מזבח השלמים אשר ליי׳ וטמאתו עליו ונכרתה וכתוב אחר אומר בטמא שנכנס למקדש כי את מקדש יי׳ טמא ונכרתה ואחר שנכתב כרת בזדונו יש קרבן שגגתן עם הכלל׳ שלנו שכל שבזדונו כרת יש בשגגתו חטאת וכתו׳ בשבועת בטוי או כי תשבע לבטא בנשפתים וכו׳ ונעלם ממנו וכו׳ והביא את אשמו ומניין שהחיוב בה בקרבן עולה ויורד שכתו׳ שם בפרשה ואם לא תסיג ידו. i. e. *Offerendum ſacrificium aſcendens & deſcendens ob peccata peculiaria, ut eſt*. Pollutio ſanctuarii : Pollutio ſanctorum : Juramentum futilitatis : Juramentum teſtimonii. Pollutio ſanctuarii *eſt, cum homo pater pollutionis* (*patres pollutionum* ſunt generales ſeu principales, alias ſpecies ſub ſe continentes, quæ contactu polluunt; ſicut *patres damnorum* damna ſunt principalia, ſub quibus, תולדות ſpecies aliæ) *pollutus, ſanctuarium, per errorem, ingrediatur*. Pollutio *autem* ſanctorum *ejus eſt, cum immundus per ignorantiam carnem edit ſanctam*. Juramentum futilitatis *eſt, cum quis mendaciter, ſe hoc vel facturum, vel non facturum, ait. Idem obtinet in reliquis ſpeciebus, juramenti futilitatis notis. In his, qui ignorans peccaverit*, hujus ſacrificii reus fit. *Eadem eſt ratio* Juramenti teſtimonii, *ubi videlicet quis juramento, ſive per ignorantiam ſive contumaciam, proximo ſuo juraverit, ſe illi teſtimonium perhibere non poſſe. Propter omnia hæc peccata tenetur homo offerre ſacrificium aſcendens & deſcendens, id eſt, pro facultate, copia vel inopia hominis, quemadmodum id explicatur in Scriptura, ſequenti dicto* : Cum autem (*Lev.* 5. 1.) anima peccaverit, id eſt, audierit vocem execrationis (i. e. vocem juramenti, quo adjurarunt eum) utrum ſciat teſtimonium nec ne, & non indicarit illud, feret pœnam iniquitatis ſuæ; *& finis materiæ eſt* : Adducet (v. 6.) oblationem pro delicto ſuo. *Ubi non additur* : Et abſconditum fuerit ab eo, *ad indicandum, debere ipſum ſacrificium, ſive ignorans peccarit, ſive contumax. Ita ſcriptum eſt* de pollutione ſanctuarii & ſanctorum ejus : Aut anima (v. 2. 3.) ſi tetigerit aliquam rem immundam, ſive cadaver feræ immundæ, ſive cadaver animalis immundi, ſive cadaver reptilis immundi, idque latuerit eam, tunc ipſe immundus erit & deliquit, aut ſi tetigerit immunditiem hominis in omni immunditia ejus, qua polluitur & latuerit eum, & ipſe cognoverit poſtea, deliquit. *Et de his omnibus ſub finem materiæ dicitur* : Et afferet oblationem pro delicto ſuo. *Etſi autem nec in Script. ſit expreſſum, reatum immundi, cujus ibi mentio, contrahi ab illo, qui vel ſanctuarium ingreditur, vel carnem ſanctam comedit, neque etiam auditione illud acceperimus; pollutum tamen, qui comederit ſanctum, aut ingreſſus fuerit ſanctuarium, exterminii pœna multari, non traditione tantum ad nos perlatum eſt, ſed expreſſe alio in loco id reperimus, juxta illud* : Et anima, (*Levit.* 7. v. 20.) quæ comederit carnes de ſacrificio pacificorum quod eſt Jehovæ, & immunditia ejus fuerit ſuper ipſum, excindetur anima illa e populis ſuis. *Alius autem Scripturæ locus de polluto, Sanctuarium ingrediente, dicit* : Quoniam (*Num.* 19. v. 20.) ſanctuarium Domini polluit, exſcindatur anima ejus, *& poſtquam excidii pœna poſita eſt contumaciæ, ſacrificium deſtinatur ignorantiæ delicto, juxta regulam noſtram generalem* : Omne peccatum, quod contumaciter commiſſum, excidium meretur, ſacrificium pro peccato debet, ex ignorantia patratum. *De juramento futilitatis ſcriptum eſt* : Aut anima, (*Levit.* 5. v. 4.) ſi juraverit proferendo labiis, ſe malefacturam aut benefacturam, ſecundum omne quod profert homo juramento, & id latuerit eum, adducet oblationem pro delicto ſuo. *Unde vero conſtat, deberi ſacrificium aſcendens & deſcendens? Quia ea ſectione ſcriptum eſt* : Quod (v. 7.) ſi facultas offerendæ pecudis defuerit ei, tunc offeret duos turtures. Ratio hujus præcepti eadem eſt, quæ reliquorum ſacrificiorum, ut nempe rei male geſtæ homo moneatur, veniam a Deo delicti roget, & cautior in poſterum ſit. Placuiſſe autem Deo, ſcribit Rab. *Levi*, pro peccatis iſtis tam tolerabiles exigere pœnas, quod facilior in illa

illa ſit lapſus. Nam juramentum temerarium quod attinet, linguæ vitium eſt; At אין ספק כי חטא הלשון קרוב ותמידי יותר מחטא המעשה *non dubitandum, quin peccatum linguæ proclivius & familiarius ſit peccato operis. Ita etiam* עניין הטהרה קשה מאד על כל אדם לשמרו עד שיש לו לאדם הטהור להזהר מהתקרב אצל בני אדם מחשש הטומאה. *Purificationis negotium omni homini ſervatu eſt difficile, adeo ut caute agendum homini mundo, ne appropinquet ad hominem pollutionem patientem.* His jam accedit juramentum teſtimonii, cui violato, ob frequentem uſum, eadem infligitur pœna. Fieri hæc magna & ſingulari Dei bonitate, qui tamen hac ipſa ratione hominem a peccatis iiſdem prorſus abſtractum velit, quaſi diceret; אין רצוני שתעשו אותו בשו׳ פנים ואולם הנכשל מכם ויעבור עליה יעשה תשובה בכל כחו ויגדור עצמו בהרבה גרים ויביא קרבן לקבוע הדבר בלבו שלא יכשל בו עוד. *Nolo equidem, vos hæc talia deſignare: Quod ſi tamen quis veſtrum impegerit, tranſgreſſuſque fuerit, pro viribus reſipiſcat, & ſibi ſepta multa conſtituat, ſacrificiumque offerat, quo cordi rem illam imprimat, ne deinceps amplius impingat.* De examine tranſgreſſionum, & modo ſacrificii, conſulendi ſunt Hebræorum Juris conſulti, præſertim *Maim.* Hil. Schegag. cap. 10. סמג Aff. S. 251. *Talm.* Kerith. & Schebhut. Id breviter tenendum 1. שכל אחד מד׳ חטאים אלה מחייב עושהו להביא כשבה או שעירה כדין חטאת קבועה הידוע ואינו נפטר בעוף או בקמח אלא אם כן הוא עני ואם הוא עני והביא כשבה או שעיר לא יצא ידי חובתו והטעם לפי שאחר שהאל בה׳ רחם עליו ופטרו בכך אינו בדין שידחוק עצמו להביא ביותר מה שתשיג ידו. *Unumquemque, qui 4. hæc deſignaverit vitia, teneri offerre agnam aut capellam, ex præſcripto ſacrificii fixi noto. Volucri aut farina, niſi pauper fuerit, non abſolvi. Quod ſi pauper agnam aut capellam obtulerit, non egredietur manum officii ſui, id eſt,* non ſatisfacit. *Ratio, quia, cum Deus Benedictus ejus miſertus, exiguo eum abſolvit, non convenit, ut ſe ipſum compellat ad offerenda plura, quam manus ejus aſſequatur.* Qua quidem ratione homo facile ad furta & rapinas incitari poſſe. II. חיוב קרבנות אלה דוקא בשוגג ובשבועת העדות אפילו במזיד אבל באנוס אין בו חייוב קרבן באחד מהם שכל אנוס התורה פטרתו מכל חייוב. *Debitum ſacrificiorum illorum præciſe cadere in peccantem ex ignorantia, in juramento tamen teſtimonii a contumace etiam exigi: Coactum vero nullo horum ſacrificiorum debito teneri; quia Lex omnem coactum a debito abſolvat.* III. כי בארבעה חטאים אלה הכל שוין בהן בקרבן מלך וכהן משיח והדיוט שאין חלוק ביניהם בקרבנן אלא שחייבין על שגגתן חטאת קבועה אבל באלו מחייבן עולה ויורד הכל שוין בהן. *In his quatuor peccatis omnes pari loco haberi, ita ut Regis ac Sacerdotis, & hujus quidem tam uncti, quam vulgaris, eadem ſit ratio, quod nullum inter eos ſit diſcrimen in ſacrificiis eorum, niſi quod propter peccata ignorantiæ ſacrificium quique fixum offerre teneantur: Sed in illis, quorum debitum eſt ſacrificium aſcendens & deſcendens, omnes ſunt æquales.* Hoc præceptum reſtringi *a.* בזכרים ונקבות *ad mares & fœminas*, excepto tamen juramento teſtimonii, ad quod mulieres non admittuntur. *b.* Tranſgreſſorem cujuslibet ſupra memorati præcepti, ſi ſacrificium pro eo obtulerit, irritum facere affirmativum.

CXXII. מצות תוספת חומש לאוכל מן התרומה או מועל בה *Præceptum de addenda quinta parte per eum, qui comedit de Trumah* (oblatione) *aut in ea prævaricatur.* Id eſt; לשלם על הנהנה מן ההקדש או אוכל קודש בשגגה כלומ׳ התרומה כל מה שאכל או נהנה ממנו בתוספת חומש ויבא קרבן על שגגתו איל בשתי סלעים או יותר והוא נקרא אשם מעילות והוא אחד מחמש אשמות ודאות הידועים שנ׳ נפש כי תמעל מעל וכו׳ והביא את אשמו וכו׳ ונאמר ואת אשר חטא מן הקדש ישלם וחמישתו יוסף עליו וכו׳ *Ut, qui utilitatem aliquam ex rebus Deo devotis percepit, aut ſanctum, cujuſmodi eſt Trumah, edit per errorem, quicquid de illo ederit, aut quamcunque utilitatem inde perceperit, non modo illud reddat; ſed & quintam partem addat, ſacrificiumque propter errorem ignorantiæ, arietem duorum ſiclorum aut plurium, adducat. Vocatur hoc* ſacrificium Reatus (*oblatio pro reatu*) prævaricationis, *eſtque ex V. reatibus certis*, (*qui noti ſunt:* Maim. Scheg. c. 9.) q. d. *Anima cum prævaricata fuerit* (*Lev.* 5. 15.) *prævaricationem*, & & peccaverit per errorem in una re ex ſanctificationibus Jehovæ, *adducat oblationem* pro delicto ſuo Jehovæ, arietem perfectum de pecudibus ſecundum æſtimationem tuam, argenti ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctitatis, pro delicto: *Ei quod peccaverit in ſanctificatione reddet, & quintam partem ipſius addet ei*, tradetque illud ſacerdoti: Sacerdos vero expiabit eum in ariete oblationis pro delicto, & remittetur ei. Ratio hujus præcepti eſt, ut reverentia & timor excitetur in omnibus, qui ad res ſacras appropinquant. Rab. *Levi*: qui ex Rabbinorum ſctiptis plenius hanc materiam dedu-

deducit. Quod si duo, rem sacram, fecerint suam, uter est מועל seu *prævaricator?* אם הראשון בשגגה האחרון פטור לפי שכבר נתחלל ההקדש אחר שהר אשון נתחייב בתשלומין ובקרבן ואם הראשון במזיד שאינו בתורת קרבן האחרון בתורת מעילה *Si prior per ignorantiam peccaverit, posterior liber est, quia res sacra jam profanata est, postquam prior damnatur ad restitutionem & sacrificium: Sin autem prior contumaciter peccaverit, quia lege sacrificii non tenetur, alterum obligat Lex prævaricationis*. Duos ejusdem subjicimus Canones alios. I. אין מועל אחר מועל אלא בבהמה וכלי שרת בלבד *Non datur prævaricator post prævaricatorem*, (i. e. res semel profanata, non potest iterum profanari ab alio) *nisi in bestiis & vasis ministerii*. II. שיעור מעילה בשוה פרוטה *Æstimatio prævaricationis est ἰσόῤῥοπον Prutæ*. Id est, si quis ex sacrificiis, aut aliis Deo sacris rebus privatim & clam, tantum ceperit utilitatis, ut vel ad Prutæ pretium accedat, illum incurrere in מעילה *prævaricationem*. Transgressor, mas fœmellave fuerit, stante templo, si temerarius fuerit plagis cæsus, ad summæ capitis ejus, quod in sancto deest, restitutionem, & additionem partis quintæ non obligatur; ומעל בשגגה משלם מה שנהנה ומוסיף חומש ומביא קרבן *Qui vero ex ignorantia fuerit prævaricatus, reddit id, unde commodum accepit, additaque parte quinta sacrificium offert*. Plura vide lib. *Chinn.* pag. 50. a. *Maim.* Hil. Meil. cap. 1. סמג Aff. S. 210.

CXXIII. מצות קרבן אשם תלוי. *Præceptum de offerendo sacrificio pro reatu suspenso, seu dubio*. Id est; להקריב קרבן מי שנסתפק לו אם חטא בחטא מן החטאים הגדולים שאדם מתחייב בעשותו אותם בזדון כרת ובשגגה חטאת קבועה ויתחדש עליו הספק בעניין זה כמו שתאמר על דרך משל שהיו לפניו שתי חתיכות אחת חלב ואחת שומן כשר ואכל אחד מהם ונאבדה האחרת ודואג בנפשו שאינו יודע אם של חלב אכל אם של שומן זה הקרבן הבא על הספק הזה נקרא אשם תלוי ומלת תלוי נאמרת על כל דבר שראוי לבוא אחריו עניין שיגלה בו מה שלא נודע בו מקודם כגון שאם יודע אל החוטא שחלב אכל הרי נגלה לו שהראשון לא השלים לו וצריך להביא קרבן אחר הנקרא חטאת קבועה לתשלום כפרתו ואם יוודע אליו שההתר אכל הרי נגלה לו שהראשון הספק לו ואינו צריך עוד לקרבן אחר אחריו זהו פירוש תלייתו וצווי קרבן זה מדכ׳ נפש כי תחטא בשגגה ועשתה אחת מכל מצות יי׳ אשר לא תעשינה ולא ידע ואשם ונשא עונו והביא איל תמים מן הצאן בערכך לאשם אל הכהן וכפר עליו הכהן על שגגתו אשר שגג והוא לא ידע כלומר על היותו לא ידע אם שגג או לא שגג וזה העניין יקראו אותו חכמים לא הודע. *Offerendum sacrificium illi, qui dubitat, an commiserit peccatum ejusmodi magnum, quod hominem, si contumaciter illud perpetravit, reum facit excisionis;* (cujus Rabbini numerant species 36.) *Sin autem per errorem, sacrificii fixi. Occurrit autem dubium ejusmodi, cum, verbi gratia, quis habeat ante se duas portiones, alteram adipis, alteram vero pinguedinis rectificatæ, quarum si unam comedit, altera vero periit, sollicitus tum secum, nescit, adipem ne ederit an pinguedinem illam: ob hoc dubium, oblatum sacrificium vocatur oblatio* pro reatu suspenso. *Vocabulum autem* suspensus *dicitur de omni re digna, quam sequatur aliquod, quo illud, quod antea in ea notum non fuit, reveletur: ut, si notum fiat peccanti, quod adipem ederit, utique notum ei fit, quod explorate perspectum ante non habuit. Huic jam necessitas incumbit offerendi, ad consummationem expiationis suæ, sacrificium aliud, quod* oblatio fixa *appellatur. Sin autem manifestum ei fuerit, licitum edisse; utique jam revelatur ei, quod dubium primo fuit, nec opus est, ut aliud offerat sacrificium. Atque hæc ratio est suspensionis ejus, præceptumque hujus sacrificii est ἔγγραφον*: Anima si peccaverit (*Levit.* 5. v. 18.) & fecerit unum ex omnibus præceptis Jehovæ, quæ non sunt facienda, & non cognoverit, & deliquerit & portaverit iniquitatem suam: Tunc adducet arietem immaculatum de pecudibus, secundum æstimationem tuam in oblationem pro delicto ad sacerdotem: & expiabit eum sacerdos ab errore suo, quem per errorem admisit, neque intellexit, *an scil. per errorem peccarit nec ne: Atque hoc appellant sapientes* Non-notum factum. Ratio præcepti, שיהיה האדם זהיר וירא חטא ויעיין בכל מעשיו עיון טוב לבל יכשל בדבר עבירה *ut cautus sit homo, peccati timens, & probe attendat in omnibus actionibus, ne in transgressionis negotio impingat: Atque adeo operam det, ne sua negligentia accidat, ut ad iterandum sacrificium compellatur*. Canones Rabbinorum de hac Lege sunt: אין חיוב קרבן זה לעולם עד שיהא שם איסור קבוע. *Debitum hujus sacrificii non cadit, nisi in rem, de qua interdictum est fixum & determinatum*. Verbi gtatia: שהיו לפניו שתי התיכות ובודאי אחת מהם חלב שהרייש כאן איסור קבוע ואכל אחת מהן וכן נמי אם אכל בודאי חלב אבל הוא מסופק אם הוא כזית שלם אם לא גם זה הוא איסור קבוע אבל היתה לפניו אחת וספק אם היתה חלב או שומן ואכלה פטור

מן

מן הקרבן שאין באן איסור קבוע. *Si quis ex appoſitis ſibi duabus portionibus, quarum altera certo eſt adeps; de quo interdictum eſt fixum; alterutram comederit: vel ſi indubitate ederit adipem, dubitarit autem, tantum ne præciſe fuerit, quantum integra eſt olea, de hoc etiam interdictum eſt fixum. Sin autem unica ei modo appoſita fuerit portio, & dubitarit, ſit ne adeps an pinguedo*, (de quarum vocum diſcrimine conſulatur Lex. *Martin.* voce *Adeps*) *& comederit eam, liber eſt a ſacrificio, quia nullum ibi eſt interdictum fixum.* Tangit hoc præceptum בזמן הבית בזכרים ונקבות ועובר עליה ולא הקריב קרבן זה אם אירע לו ספק המחייב בו בטל עשה *ſtante templo, maſculos & fœminas, qui vero tranſgreſſus non obtulerit ſacrificium, ſi inciderit in ejuſmodi dubium, quo reatum hunc contrahit, irritum reddit affirmativum.* Cætera pete ex *Maimonide* Hil. Schegag. cap. 8. סמג A. S. 214. *Talmud* Kerith.

CXXIV. מצורת קרבן אשם ודאי. *Præceptum ſacrificii reatus manifeſti*: Id eſt, להקריב קרבן על הטאים ידועים *offerendum ſacrificium pro peccatis certis*, quod quidem eſt קרבן של איל שצריך להיורת שוה שתי סלעים *ſacrificium arietis, quem æquivalere oportet duobus ſiclis.* Obſervandum autem, כי יש מן החטאים אלו שקרבן זה בא עליהם בין חטא בהם בשוגג בין במזיד ויש שאינו בא אלא בשוגג דוקא ולא במזיד. *Ex peccatis, quibus ſacrificium hoc debetur, quædam tam per ignorantiam committi, quam per contumaciam*: (ea nempe, quæ inferius occurrunt num. 1. 3. 4.) *Quædam vero ignorantia tantum patrata, ita elui*, (vide num. 2.) De 5. nempe מצורע dicunt Hebræi שאין נופל בא לשון שגגה והדון *quod nec ignorantiæ nec ſuperbiæ vitium in lepram cadat*: Eſt enim naturæ peccatum. Atqui ex horum peccatorum numero eſt, male partum. Ita enim Rab. *Levi* מי שיש בידו ממון ישראל משוה פרוטה ומעלה שלא בדין כגון שגזלו או גנבו או נשאר בידו מפקדון שהפקיד לו או נשאר בידו מחמורת הלואה או שותפורת. *In cujus manu eſt aliquid facultatum Iſraeliticarum, quod vel ad Prutam accedit, aut ultra, nullo jure, quod vel furto abſtulit, vel rapina, aut in cujus manu relictum eſt ex depoſito, quod alius ei depoſuit, aut propter mutuum, aut communionem; ſumma quicquid ſciens & volens, quod ſuum non eſt, retinuerit, inſuper etiam illud negaverit, & ejuraverit*, hujuſmodi peccati reus fit, והיה כי ישוב ונחם מחטאו וישיב החמס אשר בכפיו חייב להביא קרבן זה שאמרנו על חטאתו מלבד החומש שחייב להוסיף על הקרן ולתתו לנגזל שנ׳ נפש כי תחטא ומעלה מעל ביי׳ וכחש בעמירת והיה כי יחטא ואשם. *Cum vero reſipuerit, pœnitentiaque ductus peccati commiſſi, rapinam, quæ in manibus ejus eſt, reſtituerit, tenetur ſacrificium illud, quod diximus, propter peccatum ſuum offerre, præter quintam partem, quam ſubſtantiæ, ei videlicet, quod raptum erat, debet addere*, q. d. Anima (*Levit.* cap. 6. v. 2.) cum peccaverit, & prævaricata fuerit prævaricationem contra Dominum, mentitaque fuerit in depoſito proximo ſuo, aut in depoſitione manus, aut raptum, aut vim fecerit proximo ſuo. Quum ergo peccaverit & deliquerit (Rab. *Levi* tamen explicat; *pœnitentiam fecerit, ſacrificio nempe deſtinato*) tunc reddet raptum quod rapuit, &c. Atque hic reatus vocatur אשם גזילות. *Reatus*, vel *ſacrificium pro reatu rapinarum*; qui in delinquentes cadit tam πλημμελοῦντας, quam elata manu peccantes. Numerant autem Hebræi quinque אשמות ודאות *certa pro reatu ſacrificia.* 1. אשם גזילות de quo jam egimus אשם מעילות *Reatus prævaricationum*, quo nomine quid veniat, jam ſupra meminimus, nempe שמעל ונהנה מן ההקדשים *cum quis prævaricatus fuerit & uſum acceperit ex rebus Deo conſecratis.* Synecdochice autem, in hac materia, *prævaricandi* verbum adhibetur ob gravitatem ſceleris ejus, qui in ea, quæ Dei ſunt, involat; Rabbi *Levi*. In hunc tamen reatum מועל non incurrit, niſi ignorans delinquat. 3. אשם שפחה חרופה. *Reatus ancillæ deſponſatæ*; Rab. *Levi*: alii vertunt *contemtæ*; nempe, cum quis vel per ignorantiam, vel contumaciam cum ejuſmodi ancilla (quæ libera partim eſt, partim ſerva, Rab. *Levi*) rem habuerit, ad אשם איל *reatum* (contra reliquorum præceptorum per contumaciam violatorum conſuetudinem; quæ ſolo ſacrificio non expiantur) *arietis condemnatur.* 4. אשם נזיר. *Reatus Nazitæi*, qui, cum pollutus fuerit, hoc reatu, ex Lege tenetur. 5. אשם מצורע. *Reatus leproſi.* Ratio hujus præcepti eſt לבל יחשוב אדם שאעפ שענייך איסור גזילרת הממון ניתן לעשה שנ׳ עליו והשיב את הגזילה שילך כל אחד ויגזול מחבירו מה שירצה מדמות בלבבו לאמר לכשיהיה לו וישיב גזילתו יכופר עונו ויטהר ממנו והרי הוא כאלו לא עשאום מעולם ויהיה זה פתח לעוברי עבירה לכן הודיעה התורה שאף עם ההשבה בתוספרת חומש צריך קרבן לכפרה. *Ne homo, exiſtimans, interdictum rapinæ facultatum datum eſſe præcepto affirmativo, juxta illud*: Et reſtituet rapinam; *quiſque abeat, & furto proximo ſuo, quidquid libuerit auferat,*

cogi-

cogitans corde ſuo; ſe, modo reſtituerit rapinam, placatum & purgatum eſſe ab illo, non ſecus, ac ſi nunquam illud deſignaſſet: Quod quidem eſſet oſtium tranſgreſſoribus, ad tranſgreſſionem, patefacere. Propterea notum facit Lex, quod præter reſtitutionem, & additionem quintæ partis, neceſſario offerre debeat ſacrificium ad expiationem. His ergo Deus odium peccati in nobis excitare voluit: Vide *Chinn.* pag. 52. Hæc vero expiationis media, non unius omnia erant valoris. Illorum major, horum vero minor erat neceſſitas, juxta Canonem: הקרבן והקרן מעכבין את הכפרה ואין החומש מעכב. *Sacrificium & caput* (ſors capitalis) *moram injiciunt expiationi, additio quintæ partis non item.* Speciales caſus examinantur in *Talm.* Maſſ. Kerith. & Schebh. *Maimon.* Hil. Schegag. cap. 9. סמג A. S. 210. ונוהגת מצות חיוב קרבן זה בזמן הבית בזכרים ונקבות ועובר עליה ולא הקריבו אף על פי שהשיב גזלו לא נתכפר חטאו ואולם יש להאמין שאין ענשו חזק כמו שהיה אלו לא השיב הממון. *Conſuetudo præcepti, obligationis ad ſacrificium hoc, obtinuit ſtante templo, in maſculis & fœmellis; qui vero, tranſgreſſus illud, ſacrificium non obtulit, etſi raptum reſtituerit, peccatum ejus non fuit expiatum; etſi veriſimile ſit, pœnam ejus non tam fore gravem, quam quidem fuiſſet, ſi pecuniam non reſtituiſſet.*

CXXV. מצות השבת הגזל. *Præceptum de reſtituendo rapto*, quod ita Judæi aliter exprimunt; שנצטוינו להשיב את הגזילה לעין כלומר שאם הדבר ממש שנגזל הוא אצלו ולא נשתנה ברשותו שחייב להשיבו אל הנגזל כמו שהוא ולא שיקחנו לעצמו ויתן דמיו לנגזל שנ׳ והשיב את הגזילה אשר גזל יחזיר כעין שגזל ואם נשתנית הגזילה ברשותו של גוזל חייב להשיב דמיה ופטור בכך. *Præceptum nobis eſt, ut reſtituamus raptum idem numero, i. e. ſi id, quod quis rapuit, totum ſecum habeat, nec, dum in illius poteſtate fuit, ullam mutationem ſubivit, quod teneatur illud ei, cui ablatum eſt, reſtituere, eo plane modo, quo fuit; non autem, rapto ſibi vendicato, pretium ejus loco ſubſtituat, ſicut dicitur:* Et reſtituet (*Levit.* 6. v. 4.) raptum quod rapuit. *Idem numero reſtituet, quod abſtulit. Si autem rapina fuerit mutata in poteſtate rapientis, tenetur reddere pretium ejus &, ita erit liber*, ואי זהו שינוי הפותר מהשיב את הגזילה בעין זה השנוי שאינו יכול לחזור אחר כך לברייתו כגון הגוזל עצים ושרפן או קצץ מהן קצתן או שחפר בתוכן חפירות וכן הגוזל צמר וצבעו או הגוזל מטוה ועשה ממנו בגד וכל כיוצא בזה אבל הגוזל לוחות עץ אעפ שבנה מהם תיבה אין זה שינוי שאינו חוזר לברייתו שהרי אפשר לפרק אותן והן חוזרין לוחות כמו שהיו ולפיכך חייב להחזיר אותה בעין וכן כל כיוצא בזה. *Quæ vero mutatio illa, qua quis abſolvitur a rapinæ reſtitutione? Nempe, cum res ad creationem ſuam* (i. e. primum ſuum ſtatum) *non poteſt redire, ut, cum quis abſtulerit ligna, eaque combuſſerit, aut ſegmenta quædam ſiderit, aut foveam iis foderit: Ita, qui lanam abſtulerit, eamque tinxerit; aut netum, & veſtem inde confecerit, &c. Quod ſi vero rapiat tabulas ligneas, etſi arcam ex iis conſtruxerit, nulla hæc eſt mutatio, quæ non ad primum redire poſſit ſtatum; facile enim ſeparari poſſunt, ut tabulæ ſint eædem, quæ fuerunt antea; proinde tenetur eas reſtituere ia ſpecie. Eadem ratio ſimilium quoque eſt.* Ad præcepti hujus uberiorem explicationem faciunt ſequentia Rabbinorum theoremata. 1. Quilibet tenetur reddere raptum השוה פרוטה אבל פחות מיכן אעפ שעבר על איסור תורה אינו בתורת השב. *Si ſit* ἰσόῤῥοπον *Prutæ; ſin minus fuerit, etſi interdictum raptor tranſiliat Legis, non tamen tenetur lege reſtituentis.* Ratio: לפי שישראל בני אברהם יצחק ויעקוב נדיבים בני נדיבים וידוע הדבר שכל שהוא פחות משוה פרוטה אפי׳ עני שבישראל מכיון שנגזל ממנו מוחל אותו ואין חפצו אחריו כלל. *Quia Iſraelitæ, filii Abraham, Iſaac, & Jacob liberales ſunt, filii liberalium. Conſtat proinde, omne quod Prutæ valore minus eſt, etſi Iſraelita, cum ablatum fuerit, pauper ſit, condonare eum, nec poſtea ejus recuperandi deſiderio flagrare.* 2. שהגוזל שלש אגודות ששוות בשעת גזילה ג׳ פרוטות והוזלו ביד הגזלן ועמדו על שתי פרוטות אעפ׳ שהחזיר השתים חייב להחזיר השלישית שאחר שעת גזילה אנו דנין. *Qui tres rapuerit faſciculos, tribus, e tempore, quo rapuit illos, dignos Prutis, & tunc forte in manu raptoris viliori æſtimati prætio, duabus proſtent Prutis, etſi duas illas raptor reſtituerit, damnas tamen etiam eſt tertiæ, quia rapinam ex prima ſtatim hora ejus judicamus.* 3. הגוזל מחבירו שוה פרוטה שחייב להוליכה אחריו אפי׳ למדי כלומר למקום רחוק. *Qui abſtulerit proximo ſuo æquivalens Prutæ, tenetur illud ei afferre, ſi vel in Media fuerit, id eſt, loco remoto.* Ut vero moleſtia hac & magnis impenſis ei ſubleventur, permiſerunt Rabbini, ut rapinam raptor Synedrio tradat, &, cui illud debeatur, ſignificet, ut vel illi, vel filiis ejus reſtituatur. Porro, דיני ייאוש ſeu, *cauſæ deſperationis*, quæ ſic vocatur, quod poſſeſſor animum, de recuperatione, deſpondeat: Item, שינוי רשות *mutatio Dominii*; Ratio inſuper rapinæ in terra culta

ta

ta ablatæ, & in deſerto reſtituendæ; rapinæ in ſacros uſus converſæ; meliorationis item (liceat Rabbinorum vocem השבח ita exprimere, cum ſignificantius vocabulum non occurrat) rapti, & ſi quæ ſunt, hujus farinæ, alia, fuſius pertractantur in *Talm.* Baba Kam. quem tranſtulit *Clariſſ. L'Empereur*, capp. ultimis. *Maimon.* Hil. gezel cap. 1. סמג Aff. S. 73. סמק 249. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ולא השיב בטל עשה זה מלבד הלאו שעבר בשעת גזילה ואוי לו למי שבידו לתקן המעוו׳ ואינו מתק׳ טרם מותו. *Valet conſuetudo ubique & ſemper in utroque ſexu : Qui vero violaverit hoc præceptum, neque reſtituerit, irritum facit affirmativum hoc, præter negativum, quod tranſit tempore rapinæ. Væ autem illi, qui quod pervertit, antequam moriatur, non corrigit.*

CXXVI. שלא להקריב שאור ודבש לגבי המזבח שנ׳ כי לא שאר וכל דבש לא תקטירו ממנו אשה ליי׳ ונכפלה המניעה בראש הפסוק שנ׳ כל המנחה אשר תקריבו ליי׳ לא תעשה חמץ והדבש הוא שם כולל לדבש הידוע וכן דבש תמרים שהוא סתם הדבש של תורה וכן מהל היוצא מן הפירות המתוקים ובכלל לא תקריבו הוא גם כן שלא לתת ממנו בפיטום הקטרת: *Non offerendum fermentum & mel ſuper altare*, q. d. De nullo fermento (*Levit.* 2. v. 11.) & de nullo melle adolebitis oblationem ignitam Jehovæ. *Quod quidem interdictum initio ejuſdem verſus repetitur:* Omnis oblatio, quam offeretis, non fiet fermentata. *Nomen* דבש *autem generaliter & mel notum ſignificat, & mel Dactylorum, quod abſolute poſitum in Lege intelligitur*, (prout apud Arabes, teſte *Gieub.* apud *Gol.* دبس *mel eſt, e dactylis fluens*) *& ſuccum etiam, qui prodit ex fructibus dulcibus. Dum vero generaliter prohibetur*, ne offerant, *interdicitur etiam, ne quid de illo addant condituræ aromaticæ ſuffitus.* De ratione hujus præcepti inter Rabbinos non convenit : Rab. *Levi*, [qui vult, כי ענייני הקרבן כולם לעורר מחשבת המקריב ולפי המעשה ההוא יקח רמיונותיו בנפשו *Scopum ſacrificiorum omnium reſpicere excitationem cogitationis offerentis, ut, ex illo opere anima ejus tanquam typis informetur*] fermentatum a ſacrificio excludi aſſerit, ut moneatur homo alacritatis in cultu divino. Nempe, שהוא נעשה בשהייה גדולה מקרבנו יקח דמיון לקנות מדת הזריזות והקלות והמהירות במעשה הש״י וכמו שאמרו ז״ל הוי קל כנשר ורצי כצבי וכו׳ *quia* [fermentatio] *tarde fit, ut ex ſacrificio ſuo, analogia* [contraria] *excitetur ad acquirendam promtitudinem, velocitatem & celeritatem in opere Domini, juxta illud Rabbinorum : Eſto levis inſtar aquilæ, & curre inſtar capreoli.* Remotionem vero *mellis* ad delicatos, & molles pertinere juvenes, ut hoc typo monitus homo ימעט מלרדוף אחר המאכלים המתוקים לחכו כמנהג הסובאים והזוללים ימשכו לעולם אחר כל מתוק ולא יתן לבו כי אם אל המאכלים המועילים לגופו וצריכים למחייתו ושומרים בריאות איבריו *parce perſequatur delicatos, & palato dulces cibos, more belluonum, & epulonum, qui delicias ſemper ſectantur : Neque cor ſuum aliis applicet cibis, quam utilibus corpori ſuo, & neceſſariis vitæ ſuæ, & conſervantibus robur membrorum ſuorum.* Habet & aliam Tropologiam R. *Levi*. ועוד שמעתי טעם באיסור שאור ודבש לפי שהשאור מגביה עצמו וכן הדבש מעלה רתיתתו הרבה ולכן נתרחקו לרמוז כי תועבת הש״י כל גובה הלב *Audivi, aliam etiam eſſe rationem remoti fermenti & mellis, quia nempe fermentum ſponte tumeſcit, & mellis deſpumatio vel efferveſcentia magna eſt; illorum remotionem ſignificare, abominationi Deo eſſe omne cor elatum. Nachmanides* ita ἀλληγορεῖται: בעבור שהקרבנות לרצון לש״י הנכבר לא יובאו מן הדברים המתוקים לגמר כמו הדבש רק מן המזוגים כאשר אמרו ז״ל בבריאת העולם שתף מדת רחמים במדת הדין ובראו *Propterea, quod ſacrificia fiunt* πρὸς τὸ ἀρεστεῖσθαι *Deum benedictum & glorioſum, non afferuntur res dulces ullo modo, cujuſmodi eſt mel; ſed tantum mixtæ, juxta illud Rabbinicum :* In creatione mundi temperavit Deus miſericordiam judicio, & ſic eum [mundum] creavit. Proxime tamen ſcopum ferire mihi videtur *Maimonides*, cujus rationes pleræque magis placent, quam cæterorum, inſipide nimis, ut plurimum, delirantium. Teſtimonium ex *More Nev.* Arabico hac de re habes *Hiſt. Orient.* pag. 199. Obſervandus porro, de fermentato, Canon Judæorum : שכל המנחות הקרבות לגבי המזבח באות מצה וכן שירי המנחות שאוכלים הכהנים אע״פ שהם מותרים לאכול אותם חמץ *Omnia ſacrificia oblata in altari ἄζυμα eſſe : Nec non reliquias oblationum, quibus fruuntur ſacerdotes, etſi fermentata iis liceat edere.* Partem nihilominus illorum fermento inficere non concedebatur. Vid. R. *Levi* p. 13. a. Sit ne vero unum tantum, an duo hic præcepta negativa, Rabbini diſceptant. *Maimonides* חשב איסור שאור ודבש ללאו אחד *exiſtimat, interdictum fermenti & mellis unum eſſe*, ita tamen, ut ſive utrumque offerat, ſive alterutrum tantum, incurrat pœnam מלקות: *Nachmanides* vero

חלק

חלק עליו לחשוב שאור ודבש שני לאוין *contradicit ei, exiſtimans, duo eſſe negativa*. Specialem hujus controverſiæ tractationem habes in *Talm.* Maſſec. Menach. *Maim.* Hil. Iſur. Mizb. cap. 5. סמג N. S. 318. 319. ונוהגת בזמן הבית לכהנים כי להם העבודה *Obſtrinxit, ſtante templo, hoc præceptum ſacerdotes, quibus incumbit cultus adminiſtratio*.

CXXVII. שלא להקריב קרבן בלא מלח *Non eſſe offerendum ſacrificium abſque ſale*; vel paulo plenius; שלא להשבית מלח מעל הקרבן או המנחה כלומר שלא יקריבו הכהנים שום קרבן או שום מנחה אלא אם כן ישימו בהן מלח שנ׳ ולא תשבית מלח ברית אלהיך מעל מנחתך וכתוב גם כן על כל קרבנך תקריב מלח *Ne abeſſe patiamur ſal a ſacrificio, vel oblatione, id eſt, ne ſacerdotes ullum offerant ſacrificium, ullamve oblationem, cui non ſalem adjungant, argumento loci*, Levit. 2. v. 13. Neque ceſſare facies ſal fœderis Dei tui ab oblatione tua. *Scriptum etiam eſt*; In omni (v. 26.) oblatione tua offeres ſal. Ratio hujus præcepti, [præter cæteras, quas ſupra, p. 146. dedimus, & ex Abarban. ſuppeditat *L'Empereur*, Cod. Midd. p. 174.] juxta *Maim.* More Nev. lib. 3. cap. 46. eſt, מפני שעובדי ע״ז לא היו מקריבין לחם אלא שאור והיו בוחרים להקריב העניינים המתוקים ומלכלכים קרבנותיהם בדבש כמו שהוא מפורסם בספרים אשר ספרתי לך וכן לא תמצא בדבר מקרבנותיהם מלח מפני זה הזהיר ית״ מהקריב כל שאור וכל דבש וצוה בהתמדת המלח *Quia Idololatræ panem tantum fermentatum offerebant, reſque dulces ad offerendum eligebant, & melle ſacrificia ſua inungebant, id quod manifeſtum ex iis libris, quos recenſui: Neque reperies in negotio ſacrificiorum eorum, ſal adhibitum, ideo prohibuit Deus offerre fermentatum panem, aut mel; ſale autem uti ſerio præcepit*: Sal hic, quo ſacrificia erant perſpergenda, ex Rabbinorum inſtituto, eſſe debuit publicus, non privatus. Rab. *Levi* והמלח שמולחין בו הקרבנות הוא משל ציבור כמו העצים ואין היחיד מביא מלח או עצים לקרבנות *Sal, quo ſaliebant ſacrificia, cœtus fuit, ſicut ligna*; ex cenſu videlicet dimidii ſicli emtus. [Vide *ſupra*, pag. 133.] *neque ſinguli ſal aut ligna ad ſacrificia attulerunt*. ובשלשה מקומות היו נותנין המלח בלשכת המלח ועל גבי הכבש ובראשו של מזבח בלשכת המלח היו מולחין האיברים ובראשו של מזבח מולחין הקומץ והלבונה והמנחות הנשרפות ועולת העוף *In tribus locis promebant ſal: In conclavi ſalis; & ad clivum; & in capite* (faſtigio) *altaris. In conclavi ſalis ſaliebant membra* [partes animalium;] *In capite altaris ſaliebant manipulum, & thus, & munerum partes comburendas, & holocauſta avium*. Confer *Talmud.* Zebach. c. 7. *Maim.* loco ſupra S. 117. citato. De conclavi autem ſalis, ubi illud fuerit, loquitur *Cod. Midd.* c. 4. S. 2. שש לשכות היו בעזרה שלש בצפון ושלש בדרום שבצפון לשכת המלח לשכת הפרוה לשכת המדיחין לשכת המלח שם היו נותנין מלח לקרבן לשכת הפרוה שם היו מולחים עורות קדשים ועל גגה היה בית הטבילה לכהן גדול ביום הכפרים לשכת המדיחין ששם היו מדיחין קרבי הקדשים ומשם מסיבה עולה לגג בית הפרוה *Sex Conclavia erant in atrio* [*Templi*] *tria a Septentrione; tria ab Auſtro. Quæ a Septentrione, dicebantur Conclave ſalis, Conclave Parvæ, Conclave lavantium. In* Conclavi Salis *reponebant Sal pro oblationibus: In* Conclavi Parvæ [nomen Magi eſſe volunt, cujus opera hoc Conclave ſit exſtructum; quod mihi quidem veriſimile non videtur: Cur enim Magi ſuam huc contulerint operam, qui, ut audivimus, ſalis uſum in ſacrificiis non admittebant?] *ſale condiebant pelles victimarum; atque in ejus tecto erat balneum pro Sacerdote magno in feſto expiationis*: Conclave lavantium *erat, ubi lavabant victimarum inteſtina; atque inde cochlea ſurgebat in tectum illius Parvæ*. Datum fuit hoc præceptum, ſtante templo, בזכרי כהונה כי להם להשלים צרכי הקרבן *Maſculis ſacerdotum, quibus commiſſa fuit cura adminiſtrationis rerum ad ſacrificia neceſſariarum*. Tranſgreſſor, violati & affirmativi & negativi præcepti reus, לוקה *vapulabat*.

CXXVIII. שלא יפריד הכהן מן העוף הבא לקרבן והוא הנקרא חטאת העוף הראש מן הגוף כשימלוק אותו שנ׳ ומלק את ראשו ממול ערפו ולא יבדיל *Ne ſeparet ſacerdos in ave quæ ſacrificio* [*quod* ſacrificium ὀρνίθιον *vocatur*] *pro peccato deſtinatur, caput a reliquo corpore, cum illam unguibus diſcerpſerit, ſicut dicitur*; Et ungue [*Levit.* 5. v. 8.] ſecabit caput ipſius, e regione cervicis ejus, & non ſeparabit; *caput nempe a reliquo corpore*. Quid ſit מליקה eplicatur in *Talmud.* Cod. Zebach. cap. 6. & Chol. Et a Rab. *Levi*, in lib. Chinn. p. 53. Nempe; מליקה הוא שנועץ הכהן צפרניו ממול ערפו דהיינו עצם הנקרא עצם המפרקת וחותך העצם בצפרנו עד שמגיע לסימנים וחותך גם הסימנים בצפורנו או רובו של אחד מהם וזאת היא שחיטתו של חטאת העוף וצריך שיכוון שלא יחתוך הכל לגמרי עד שיהא נפרד הראש מן הגוף ועל זה נאמר ולא יבדיל Melikah *eſt, cum ſacerdos ſuos ungues e regione cervicis ejus* [avis] *oſſi, quod* os cervicis *dicitur, infigit, illudque unguibus ſuis, uſque dum ad*

ad ſigna ; [quibus videlicet avis munda ab immunda diſtinguitur] *pertigerit* , *incidit* , *ipſa imo etiam ſigna* , *aut unum ex iis* . *Atque hæc ratio eſt mactandi ſacrificium* , *pro peccato* , ὀρνίθιον . *Opus autem eſt* , *ut operam det* , *ne omnia ita diſcerpat* , *ut ſeparetur caput a corpore* : *De hoc enim dicitur* : Ne dividat. Oſtendunt autem Rabbini in hoc jugulandi modo peculiari 1. calcar & ſtimulum ad juvandos pauperes. Propterea enim vult Rabbi *Levi*, hoc pauperum ſacrificium, non, pro ritu gentis , operoſe , inveſtigatione diligenti adhibita, ſacrificandum, ſed unguibus diſcerpeadum , שימהר כל אדם בתכלית המהירות צרכו של עני *ut quiſque* , *qua potis eſt* , *feſtinet in neceſſitatibus pauperis* . 2. יש רמז בעניין המליקה שהיא ממול העורף בתורים ובני יונה שנמשלו ישראל בהם שלא נהיה קשי עורף Indicium eſt in negotio מליקה, quæ fit e regione cervicis in turturibus , & pipionibus , iis Iſraelitas aſſimilari, tanquam faciles, manſuetos & minime σκληροτραχήλους. ועניין איסור הבדלת הראש מן הגוף דבר ראוי הוא להידור הקרבן באמרה כשראש העוף דבק עמו הוא יותר מהודר וראוי לנו להדר קרבנו של עני בכל כחנו די לנו בענייותו אין לנו להוסיף בדלותו לפחורת תואר קרבנו *Ratio* , *cur non licuerit ſeparare caput a corpore* , *eſt*, *quia facit ad decorem ſacrificii* . *Vere enim* , *ſi caput avis conjungatur cum corpore* , *decorum magis eſt*: *Convenit autem nobis condecorare ſacrificium pauperis* , *pro viribus noſtris* . *Satis nobis ſit*, *afflictum eum eſſe* , *non neceſſe eſt* , *nos tenuitatem ejus augere ſacrificii forma contemta & abjecta*. Ad pleniorem ritus hujus explicationem pertinet illud , quod movent Rabbini : כיצד אוחז הכהן חטאת העוף בשעת מליקה אוחז שתי רגלי העוף בין שתי אצבעותיו ומולקו וזו מעבודו׳ קשות שבמקדש ואם שנה ואחז מכל מקום כשירה וכל מקום של מזבח כשר למליקה *Quomodo apprehendit ſacerdos ſacrificium pro peccato* ὀρνίθιον , *tempore diſcerptionis ejus per ungues*? *Apprehendit duos pedes avis duobus ſuis digitis*, *eamque diſcerpit* : *Quod quidem eſt ex difficilimis cultus ſacri muneribus* : *quod ſi iteret*, *& poſtea apprehendat* , *eſt utique hic actus diſcerptionis legitimus*: *Sed & quilibet altaris locus huic diſcerptioni commodus* : Nempe , למהר ענינו של עני , quod ita facile non fieret , ſi certus aſſignaretur locus . Vide reliqua in *Talm.* Cod. Zebach. *Maim.* Hil. Maaſ. hakkorban. &c. ונוהגת בזמן הבית בכהנים ובכל אדם שכל מי שהבדיל בחטאת העוף לוקה *Obtinet ſtante Templo in ſacerdotibus* , *& omnibus hominibus* : *Quiſquis enim ſeparaverit* [caput a corpore] *in ſacrificio*, *pro peccato*, ὀρνιθίῳ , *vapulat* .

CXXIX. שלא ליתן שמן זית במנחת חוטא. *Non eſſe oleo olivarum perfundendam Mincham* , ſeu oblationem , *peccatoris*; vel , שלא ישים הכהן שמן במנחת חוטא עני שנ׳ לא ישים עליה שמן ואע״פ שבשאר מנחות היו נותנין שמן ומפני כן אשרתי חוטא עני כי חוטא עשיר אינו מביא מנחת קמח לעולם כי אם קרבן בהמה כמו שמפורש בתורה. *Ne affundat ſacerdos oleum oblationi peccatoris pauperis*, *ſicut dicitur* Levit. 5. v. 11. *Si non fuerit ei facultas offerendi duos turtures*, *aut duos pullos columbæ* , *tunc afferet oblationem ſuam qui peccaverit*, *decimam partem Ephæ* , *ſimilæ* , *in oblationem pro peccato* : *non ponet ſuper eam oleum*; *etſi reliquis oblationibus oleum admiſcere licuerit*. *Propterea autem retuli hoc ad peccatorem pauperem* , *quia peccator dives nunquam oblationem farinæ* , *ſed ſacrificium beſtiæ offert*, *prout in Scriptura declaratur*. Ratio hujus præcepti prima eſt; לפי שהשמן רמז למעלה ולגדולה שאם אתה מערבו בכל משקים הוא צף על כולן והוא דבר חשוב מאד וידוע הוא חשיבות שמן הטוב על כן ימושחו בו המתחנכים למעלת או כהונה על כן אין ראוי לתת ממנו במנחת החוטא הצריך להראות בעצמו דאגה ושפלו׳ על שבא דבר עבירה בידו. *Quia oleum ſignum eſt excellentiæ & magnificentiæ*: *Cum quocunque enim illud miſcueris liquore*, *ſemper ſupernatat*. *Eſt etiam oleum*, *ut conſtat*, *res præſtans valde* . *Unde* , *qui ad dignitatem vel regiam vel ſacerdotalem inaugurantur* , *eo inungi ſolent*. *Ac proinde non convenit* , *de eodem aliquid adjungi oblationi peccatoris*, *a quo*, *ut in ſe ipſo dolorem & humilitatem* , *propter errorem commiſſum* , *oſtendat*, *requiritur*. Secunda ratio his effertur verbis : שהוא לחמלת העני שלא להטריחו יותר מדאי להביא שמן כי הש״י לא יטריח ברי׳ ומפני כן גם כן לא חייבו רק במעט קמח שאי אפשר לשום אדם אפי׳ בדלי דלות בלא מעט קמח. *Fit commiſeratione pauperis* , *ne prematur ultra id*, *quam ſatis eſt* , *offerendo oleum* : *Neque enim vult Deus premi creaturam ſuam*, *proinde ipſi pœnam pauxillæ farinæ imponit* , *quam pauperrimus quiſque hominum habet*.

Menſura etiam hujus Minchæ mediocris eſt ; עשרון לא פחות ולא יותר *Decima pars*, *Ephæ* , *nec minus*, *nec plus*. In cæteris מנחות ſeu oblationibus , oleum & thus , illius quidem לוג לכל עשרון *Log ad unamquamque decimam Ephæ partem*; hujus vero קומץ לכל מנחה בין שהיתה עשרון אחד או אפילו ששים עשרון , *pugillus ad omnem Mincham* , *ſive una decima parte illa conſtet* , *ſive ſexaginta*. Obligat

gat autem hoc præceptum, ſtante templo, ſacerdotes, quibus commiſſa eſt cura λειτυργίας. עובר עליה ונתו שמן במנחה של חוטא עני לוקה. *Tranſgreſſor, qui oleum addidit oblationi peccatoris pauperis, vapulabit.* Plura in *Talmud.* Menach. *Maimon.* 'Hil. Maaſ. hakkorb. cap. 12. סמג N. S. 327. 328. 329.

CXXX. שלא לתת לבונה במנחה זו שאמרנו של חוטא עני שנ׳ לא יתן עליה לבונה. *Non addendum thus oblationi illi peccatoris pauperis, de qua diximus, juxta illud* Levit. 5. v. 11. Neque ponet ſuper eam thus. Rationes hujus præcepti eædem ſunt, quæ ſuperioris: non igitur diutius illis repetendis immorandum. Certum tamen eſt, duo diſtincta eſſe præcepta.

Pertinent præcepta præcedentia 17. ad Sectionem X. & XI. quarum illa unicum habet ex Paraſcha XXIII. ab Exodi cap. 30. v. 11. ad cap. 35. hæc ſexdecim, ex Paraſcha XXV. ab Exodi 35. ad finem.

Sectionis X. Præceptum eſt unicum, idque Negativum.

Non licere domui judicii ſumere ſupplicium diebus Sabbathi.

Sectionis vero XI. Affirmativa ſunt XI.

1. Ratio holocauſti. 2. Sacrificii muneris. 3. De ſale condiendo ſacrificio. 4. De ſacrificio domui judicii offerendo, ſi in demonſtrationibus ſeu deciſionibus peccavit. 5. De ſacrificio pro peccato ſingularis cujuſvis perſonæ, quæ per errorem violavit præceptum negativum, quod contumaciter violatum excidii pœnam meretur. 6. De teſtimonio. 7. De ſacrificio aſcendente & deſcendente. 8. De additione quintæ partis, per eum, qui aliquid comedit de Trumah, aut prævaricatus fuit in ea. 9. De ſacrificio pro reatu ſuſpenſo. 10. De ſacrificio pro reatu manifeſto. 11. De reſtitutione rapinæ.

Negativa vero V.

1. Non eſſe offerendum fermentum aut mel. 2. Nihil offerendum abſque ſale. 3. Non volucrem offerendam pro peccato. 4. Non eſſe perfundendum oleo munus peccatoris. 5. Neque munus ei imponendum.

Sequitur jam

SECTIO XII.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XXVI.

a cap. 6. Levit. ad cap. 9.

Quorum Affirmativa ſunt IX. jubentia

1. Auferre, vel removere cinerem. 2. Quotidie ſuper altari accendere ignem. 3. Edere reliquias oblationum. 4. Offerre Sacerdotem ſummum quotidie ſacrificium muneris. 5. Offerre ſacrificium pro peccato. 6. Pro reatu. 7. Offerre ſacrificia pacificatoria. 8. Comburere reliquias ſanctorum. 9. Comburere carnem ſanctis quidem uſibus deſtinatam, ſed pollutam.

Negativa vero IX. quæ vetant

1. Exſtinguere ignem altaris. 2. Partes oblationum ſacerdotibus debitas fermento inficere. 3. Munus ſacerdotis comedere. 4. Edere de carne ſacrificii pro peccato intus facti. 5. Quicquam relinquere de carne ſacrificii Euchariſtici. 6. Comedere abominabile ſacrificium. 7. Comedere carnem ſanctam, ſed pollutam. 8. Comedere adipem. 9. Comedere ſanguinem beſtiæ, feræ, aut avis.

CXXXI. מצות הרמת הדשן. *Præceptum de removendo cinere:* Nempe; שיסיר הכהן הדשן בכל יום ויום מעל המזבח וזהו׳ שנק׳ תרומת הדשן שהיתה נעשית בכל יום שנ׳ ולבש הכהן מדו בד וגו׳ והרים את הדשן. *Ut removeat ſacerdos cinerem quotidie ab altari: Atque hoc vocatur* remotio cineris, *quæ fieri debuit ſingulis diebus, juxta illud Levit. 6. v. 10.* Induet ſe ſacerdos veſte linea, feminalibus item lineis induet ſe ſuper carnem ſuam, tolletque cinerem, &c. Ratio præcepti, quia decori inſervit altaris לפנות הדשן ממקום שראוי להדליק בו האש, *ut everratur cinis e loco, qui dignus eſt, iu quo accendatur ignis*. Unde etiam ſequitur: שהאש דולק יפה כשאין בו תחתיו הדשן. *Quod facilius ardeat ignis, ſi nulli ſubtus ſint cineres.* Quæ omnia ſpectant להגדיל כבוד הבית ולהדרו בכל יכלתנו, *ut augeamus gloriam Templi, & decoremus illud pro omnibus viribus noſtris*. Hæc decineratio, inter partes muneris ſacerdotalis relata, operoſa fuit, ut vel ex compendioſa Rab. *Levi* tractatione pag. 54. a. patet: אמרו ז״ל שהרמת הדשן היא עבודה מעבודות הכהונה ובגדי הכהונה שהיו תורמין בהן הדשן היו פחותין מן הכלי׳ שמשמש בהן שאר עבודות שנ׳ ופשט את בגדיו ולבש בגדים אחרים ואע״פ שפסוק זה נאמר בהוצאת הדשן אל מחוץ למחנה מכל מקום גם בתרומת הדשן דהיינו כשמסלק אותה מעל המזבח ומורידה לרצפה שאצל המזבח יש לנו ללמוד גם כן שאין ראוי לעשות אותה מלאכה באותן בגדים שהוא משמש ונאמר בזה על דרך משל בגדים שבשל בהם קדירה לרבו אל ימזוג בהם כוס לרבו ואמתי תורמין הדשן בכל יום משיעלה עמוד השחר ובמועדים משליש האחרון של לילה וביום הכפורים מחצות הלילה וכיצד תורמין אותה מי שזכה ובא גורלו לחסירה טובל וליבש בגדי הרמה ומקדש ידיו ורגליו והיו אומרין לו אחיו הכהנים הזהר שמא תגע בכלי עד שתתקדש ידיך ורגליך ואח׳ לוקח המחתה ושל כסף היתה נתונה במקצועות בין כבש למזבח במערבו של כבש ונוטל את המחתה ועולה לראש המזבח ומפנה את הנחלים הילך והילך וחותה מן הנחלים שנתאכלו בלב האש ויורד למטה לארץ והופך פניו לצפון ומהלך בארץ למזרח הכבש כמו עשר אמות כלפי הצפון וצובר את הנחלים שחתה על גבי הרצפה רחוק מן הכבש ג׳ טפחי׳ במקום מוראת העוף ודישון המזבח הפנימי והמנור׳ וחתיתה זו שחותה במחת׳ ומוריד לרצפה אצל המזבח היא המצוה של כל יום ואחר שירד זה שתרם רצים אחיו הכהנים ומקדשין ידיהם ורגליהם במהרה ונוטלין את המגריפות והצנורו׳ ועולין לראש המזבח וגורפין את הדשן מעל צידי המזבח ועושין ממנו ערימה על גבי תפוח והוא מקום מן המזבח הנק׳ כן וכשאותו תפוח היה גדול מורידין ממנו קצת למטה בכלי גדול׳ מוחזיק לתך שנקרא פסכתר ועומד שם עד שמוציאין אותו כולו חוץ למחנה. *Ajunt Rabbini noſtri: Decinerationem opus eſſe ex operibus ſacerdotis; Veſteſque, quibus induti ſacerdotes cinerem removent, viliores eſſe cæteris, quibus reliqua munia obeunt, ſicut dicitur* Levit. 6. v. 11. Poſt exuet veſtes ſuas, & induet ſe veſtibus aliis, efferetque cinerem extra caſtra ad locum mundum. *Et quanquam locus hic loquatur de exportatione cineris extra caſtra; intelligi tamen etiam debet de cineris remotione, cum nempe illum ab altari ſublatum, in pavimento altari vicino [ſacerdos] deponit. Unde etiam diſcimus, non convenire, ut faciat opus illud iiſdem veſtibus, quibus* λειτουργεῖ: *Eodem plane modo, quo non decet, ut quibus quis indutus veſtimentis coxit aliquid in olla Domino ſuo, iiſdem illi infundat;* pincernam agat, & coquum eodem habitu. *Quando vero cinerem removent? Quotidie, ex quo aſcenderit columna auroræ. Diebus vero feſtis, ultima noctis parte tertia. Die autem Expiationum a media nocte. Quomodo deponunt cinerem? Qui dignus fuerit* ex ſacerdotibus, *& ſorte remotio ei contigerit, abluit ſe, & induit veſtes depoſitionis, conſecrat manus ſuas & pedes ſuos; Tunc compellant eum fratres ejus ſacerdotes: Caveto, ne tangas vas, antequam ſanctificaveris manus tuas, & pedes tuos: Poſtea accipit thuribulum argenteum, in angulis collocatum inter clivum altaris, & altare ad partem clivi occiduam: Accepto autem thuribulo ad verticem altaris aſcendit, & prunas convertit hinc & illinc, arreptiſque prunis, in medio igni conſumtis, deſcendit in terram; vultuque*

Aqui-

Aquiloni obverſo, humi incedit ad ortum clivi quaſi decem cubitos, e regione Aquilonis, & prunas acceptas pavimento, tribus palmis a clivo remoto, in loco, ubi ingluvies avium deponitur, inſternit. Decineratio autem altaris interioris, & lychnuchi, & prunicipium hoc, quo, thuribulo acceptas prunas, in pavimento prope altare deponit, præceptum eſt quotidianum. Poſtquam autem is, qui *cineres removit, deſcenderit, occurrunt fratres ejus ſacerdotes, conſecrantque cito manus & pedes ejus; accipiunt ſcopas & fuſcinulas, & altaris ſummitatem conſcendunt, converruntque cinerem altaris, ex quo cumulum conficiunt ad* Tapuach [vox hæc proprie pomum ſignificat; hic vero pro meta ſumitur, aut loco, ubi cinis altaris in modum pomi cumulate & tumulate congeritur] *qui locus eſt altaris ita appellatus: Et cum hic cumulus accreverit, pauca quædam deponunt vaſe magno, Letech* [ſeu dimidium Chomer] *comprehendente, quod Peſactar* [alias pro *olla*, ſeu *lebete* ſumitur] *vocatur: ſtatque ibi, uſque dum totum extra caſtra deportarint.* Vide plura in Temid Vejoma, *Maimon.* Hil. Tem. cap. 2. סמג A. S. 191. 192. ונוהגת בזמן הבית בזכרי כהונה ועובר עליה ולא הסירה כמצוה בטל עשה. *Conſtringit hæc Lex, ſtante templo, ſacerdotes maſculos, qui vero tranſgreſſus eam, juxta præceptum, cinerem non depoſuerit, irritum reddit affirmativum.*

CXXXII. מצות הדלקת אש על המזבח בכל יום. *Præceptum accenſionis ignis, ſuper altari, ſingulis diebus,* argumento loci אש תמיד תוקד על המזבח. *Ignis ſemper ardebit in altari*; Levit. 6. verſ. 13. ובא חפירו' של תמיד כלומר להשים בו עצים בבקר ובין הערבים ובביאור אמרו ז״ל אע״פ שהאש יורד מן השמים מצוה להביא מן ההדיוט. *Senſus autem vocis* תמיד jugiter *eſt, ut apponant ligna mane & inter duas veſperas. Adduntque Rabbini expreſſe; Licet ignis deſcendat e cœlo, præceptum tamen eſſe, ut afferatur vulgaris.* ואל יקשה עליך לומר מה היא זו והלא עכ״פ היה להם להבעיר אש לצורך הקרבן שנתחייבו להקריב ובלא אש אי אפשר כי מצוה זו בפני עצמה היא כי מלבד אש הצריך לקרבן היו נותנים אש למזבח במצוה זו וכמו שדרשו ז״ל שלש מערכות של אש מן הכתובים. *Ne vero objicias: Annon alias neceſſario accendere debuerint ignem ad ſacrificia, quæ lege offerre tenebantur, cum abſque igni fieri non potuerit? Eſt enim hoc præceptum per ſe: Cum præter ignem ſacrificiis neceſſarium, ignem impoſuerint altari, authoritate hujus præcepti.* Triplex autem ignis diſpoſitio ex Scr. juxta Rabb. elicitur. Rationem præcepti R. *Levi* I. his tradit verbis: ידוע הדבר בינינו ואצל כל חכם כי נסים גדולים אשר יעשה האל אל בני אדם בטובו הגדול לעולם יעשה דרך סתר ונראים העניינים נעשים קצת כאלו הם בדרכי הטבע ממש או בקרוב לטבע כי גם בנס קריעת ים סוף שהיה נס מפורסם כתוב שם ויולך את הים ברוח קדים עזה כל הלילה וישם את הים לחרבה ויבקעו המים והמשכילים יבינו כי עניין סתר זה למעלת הארון ושפלות המקבל ומזה העניין צונו להבעיר אש על המזבח אע״פ ששם יורד אש מן השמים כדי להסתיר הנס ולפי ההומה שהאש היורדת לא היתה נראה בירידתה מן הטעם שאמרנו חוץ מיום שמיני של מלואים ושל גדעון ומנוח שהיתה נראית. *Conſtat inter nos, imo quemvis ſapientem, magna illa portenta, quæ ſingulari ſuo beneficio Deus Benedictus facere ſolet, ſemper fieri modo occulto, ita ut res factæ videantur vel pure naturales, vel fere naturales. Nam & de miraculo diſciſſi maris algoſi, quod utique miraculum notum eſt, ſcribitur:* Et recedere fecit mare vento orientali vehementi tota nocte, poſuitque mare in ſiccum, & jam ſciſſæ erant aquæ: *Exodi* 14. 14. v. 21. *Prudentes autem facile capiunt, hoc arcanum contingere ad extollendam majeſtatem Domini, & depreſſionem accipientis. Eodem ſenſu præcepit nobis Deus accendere ignem ſuper altari, etiamſi eodem deſcendat cœlitus, ac occultandum nempe miraculum. Proinde, ut veriſimile eſt, ignis delapſus, delabendo nunquam fuit viſus, excepto die octavo impletionum, & tempore Gideonis atque Manoæ.* Altera ratio, quæ hominem ipſum reſpicit, ex Rab. *Levi* mente, eſt שהאדם מתברך לפי מעשיו שהוא עוסק בהם לרצון בוראו ועל זה הדרך אמרנו שהברכה תתפש במינה וכמו כן הוא עסק המצוה באש בכל יום שיתברך האדם בעניין האש שבי ומהו אש זה הוא הטבע שבאדם כי מן הארבעה יסודות שבאדם הוא אש והוא ראש לארבעתן כי בו יתחזק האדם ויתנועע ויפעל ועל כן צריכה הברכה בו יותר ועניין הבריכה הוא שלימות כלומר דבר שאין בו חסרון ולא מותר וכן האש שבאדם צריך לברכה זו שיהיה ממנו באדם מה שצריך אליו לא פחות כי יחלש כחו ולא יותר כי ישרף בו כדרך בני אדם שמתים בתוספת האש בהם יותר מדאי והוא הקדחת ובני אהרון הוסיפו באש מבלי שנצטוו ונוסף גם בהם אש ונשרפו כי לפי פעולות בני אדם יבוא ענשן או תנוח ברכת הש״י עליהם: *Homini benedici pro ratione operum, quibus, volente Deo, occupatur. Et in hunc modum dicimus:* Benedictione acquiri, ſecundum ſpeciem ſuam. *Eandem rationem præcepti, de igni quotidie accendendo, eſſe dicimus, ut nempe igni, quem in ſe habet, homini benedicatur. Quis autem*

ignis ille? Est natura ipsa, in homine. Ex quatuor enim elementis, quæ in homine occurrunt, est etiam ignis, & quidem caput illorum, utpote, quo consortatur homo, movetur, & operatur. Propterea magis opus habet benedictione in illo. Benedictio autem hoc loco est perfectio, id est, res, in qua nec defectus nec redundantia: Ita ignis, qui in homine opus habet benedictione ista, ut ex illa obtineat homo quantum necessarium est. Non minus: *Ita enim debilitarentur vires ejus*. Neque plus, *ne consumetur eo, quod observatur in illis, qui ex nimia ignis abundantia, febri videlicet, moriuntur. Filiis autem Aharonis, quia plus, quam iis præceptum erat, addiderunt ignis, plus etiam iis accessit ignis, quo combusti fuerunt. Quia pro ratione operum hominum vel pœna eos sequitur, vel benedictio super iis quiescit Dei Opt. Max.* Hæc Judæi, majori subtilitate quam soliditate. Suo propterea ea loco relinquimus. Placet addere rationem aut modum hujus accensionis, & species ejus: בבקר היו עורכים עצים ועושין בראש המזבח מערכה גדולה של אש שנ׳ ובער עליה הכהן עצים בבקר בבקר ומלבד העצים הערוכים על המערכה מצוה על הכהן לעלות אל המזבח בשני גיזרין של עץ שנ׳ ובער עליה הכהן עצים ומיעוט עצים שנים וכן מוסיפין גם כן שני גיזרין עם תמיד של בין הערבים ומעלין אותם שני כהנים שנ׳ וערכו ושל שחר כהן אחד ושלש מערכות של אש היו עושין במזבח בכל יום הראשונ׳ גדולה שעליה מקריבין התמיד גם שאר הקרבנות שנייה בצרה קטנה שממנה לוקחין אש במחתה להקטיר קטרת בכל יום ומערכה שלישית אין עליה כלום אלא לקיים מצות האש שנ׳ אש תמיד וכו׳ ושלש כתובים בעניין שהם מורים על ג׳ מערכות אלה כמי שלמדנו מפי השמועה שאמרו ז״ל על מוקד׳ זו מערכה גדולה ואש המזבח תוקד בו מערכה שנייה של קטרת והאש על המזבח תוקד בו זה מערכה שלישיית של קיום האש. *Mane disponebant ligna, struebantque in vertice altaris struem magnam; sicut dicitur*, Levit. 6. v. 12. Et succendet in eo sacerdos ligna quotidie mane. *Præter ligna autem strui huic imposita, injunctum sacerdoti fuit, ut altare cum duobus schidiis conscenderet, juxta illud:* Et accendet (loc. cit.) sacerdos in eo ligna. *Ligni autem pluralitas in duobus minimum consistit. Ita & duo addunt segmenta* (scheiter) *sacrificio jugi inter duas vesperas oblato, quod duo offerunt sacerdotes, argumento loci:* Ponentque &c. *Levit.* 1. v. 7. *matutinum vero* (offert) *unicus. Tres autem strues illas lignorum* (tot enim ex ipsa Scriptura eliciunt Rabbini: vide *Chinn.* pag. 54. b.) *disponebant quotidie*. Prima *fuit magna, super qua juge, cum reliquis sacrificiis, offerebant*. Secunda, *a latere ejus, priori minor, e qua ignem desumebant thuribulo, ad faciendum suffitum quotidie*. Tertia *strues nullum habuit usum, quam ut præceptum de igni stabiliretur*, vult enim Scriptura, *ut ignis sit perpetuus*, Levit. 7. v. 13. *Tria autem Scripturæ loca hanc triplicem struem docent. Nam, ut auditione accepimus, Magistri nostri, ex verbis*, propter adustionem, *Levit. 6. v. 9. magnam struem: Ex dicto*: Ignis altaris succendetur in eo, *Ib. struem secundam, suffitui paratam*: Ex verbis tandem v. 12. & ignis qui erit super altare, succendetur in eo; *tertiam struem, de stabilimento vel constitutione ignis, eliciunt*. Cætera pete ex *Talm.* cap. 4. Joma, & 2. Tam. *Maim.* & סמג loc. cit. ונוהגת בזמן הבית בזכרי כהונה ואם לא הבעירו הכהנים מערכת שלישית במזבח בטלו מצות עשה זה. *Obtinuit consuetudo, durante templo, in sacerdotibus masculis, qui, si tertiam hanc struem seu rogum in altari non accenderunt, irritum fecerunt affirmativum hoc*.

CXXXIII. מצות אכילת שירי מנחות. *Præceptum de comedendis reliquiis munerum*; nempe, שנצטוו הכהנים לאכול שירי מנחות כלו׳ אחר שהפרישו ממנה מה שהיו מקטירין במזבח שיאכלו הם כל השאר שנ׳ והנותרת ממנה יאכלו אהרון ובניו מצות תאכל וכו׳ ולשון ספרי מצות תאכל מצוה יבמה יבא עליה מצוה כלומר ששניהם מצות עשה לא רשות. *Mandatum esse sacerdotibus, ut comedant reliquias oblationum, i. e. ut, postquam separarunt illa, quæ in altari sunt adolenda, ipsi cætera omnia comedant*, q. d. Quod autem superfuerit (*Levit. 6. 16.*) ex ea, comedent Aharon & filii ejus, in azymis comedetur. *In Siphri habetur:* In azymis comedetur; *præceptum*: Levir ejus (*Deut.* 25. v. 5.) ingredietur ad eam, *præceptum: Quasi diceret: Hæc duo Imperii esse, non arbitrii*. Ratio præcepti שכבוד הוא לקרבן שיאכלוהו משרתי הש״י בעצמם ולא שיתנוהו לפחותים לאכלם. *Quia hoc est de dignitate sacrificii, ut edant illud Ministri Dei Benedicti ipsi, non autem esui inferiorum destinent*. Est porro traditio Rabbinorum: שכל המנחות הקרבות לגבי המזבח נקמצות ומקטירין הקומץ כולו על גבי המזבח והשאר נאכל לכהנים חוץ ממנחת זכרי כהונה שאינה נקמצת שנ׳ וכל מנחת כהן כליל תהיה לא תאכל. *Omnes oblationes, adductas altari, pugillari, totumque pugillum adoleri super altari, cætera comedi a sacerdotibus, excepta oblatione sacerdotum masculorum, quæ non pugillatur*, q. d. Omnis autem oblatio sacerdotis tota esto, non comedatur.

tur. Excipiuntur ſacerdotum maſculorum oblationes (quibus annumerari ſolent, מנחת חינוך וחביתין ובוהן שהביא מנחת חוטא או מנחת נדבה *oblatio initiationis, & ſartaginum ſeu decimæ Ephæ, quam quotidie ſacerdotes offerre jubebantur; ſacerdotis item, qui oblationem obtulit peccatoris, aut oblationem ſpontaneam, quæ, nullo retento pugillo, comburebantur*) tantum; Fœminarum enim ſacerdotum oblationes eidem conſuetudini pugillandi ſubjiciebantur. Quid vero קמיצה *collectio*, ſeu *pugillatio illa*? Id explicatur a Rab. *Levi* inferius S. 142. ועניין הקמיצה הוא שנוטל הכהן מן הקמח בקומצו כלומר בראשי אצבעותיו כדרך שקומץ כל אדם שפושט פס ידו וקומץ בראשי אצבעותיו כלומ׳ שאין בעותיו דבקים עם הכף ואינם מחזיקים מן הקמח הרבה ואם הוסיף בקומץ כגון שהרחיק אצבעותיו וקמץ פסל. Kemitzah *eſt, cum ſacerdos de farina accipit pugillum, i. e. extremitatibus digitorum ſuorum tantum, quantum pugillo capit quilibet, qui extenſa vola extremitatibus digitorum poteſt, ita ut digiti cum vola cohæreant, neque multum farinæ prebendant: quod ſi digitis dilatatis pugillum abſtulerit, profanum reddit*. Plura occurrunt in *Talm.* Maſſ. Menach. *Maim.* Hil. Maaſe hakkorban. Uſum habuit Lex hæc בזמן הבית בזברי כהונה שנ׳ כל זכר בבני אהרן יאכלנה עבר ולא אכלה בטל עשה *ſtante templo in maſculis ſacerdotum*, q. d. omnis maſculus in filiis Aharon comedit ea. *Qui tranſgreſſus illa non comedit, irritum facit affirmativum*.

CXXXIV. מצות קרבן מנחה של כהן גדול בכל יום. *Præceptum ſacrificii oblationis, a ſacerdote magno quotidie offerendi*, idque פעמים בבקר ובין הערבים שנ׳ זה קרבן אהרן ובניו אשר יקריבו ליי׳ וכו׳ והיא הנקראת חביתי כהן גדול ונקרא גם כן מנחת כהן משיח *bis, mane & inter duas veſperas*, q. d. Hoc eſt ſacrificium Aharonis & filiorum ejus, quod offerent Domino, &c. *Levit.* 6. verſ. 20. *Vocatur alias*, ſartagines (nam in ſartagine ſeu craticula, admixto oleo, parari debuit) ſacerdotis magni; *Item* oblatio ſacerdotis uncti. Ratio præcepti eſt, לפי שהכהן הגדול הוא השליח בין ישראל לאביהן שבשמים כלומר כי הנושא תפילה אליו בעהם ועל ידי תפילותיו ומעשיו קרבנותיו מתכפרין הם ולכן ראוי לאיש כזה להיות לו קרבן מיוחד תמיד כמו תמידי הצבור וכמו שתתמידין שנים ליום נתחייב הוא גם כן לקריב מנחתו פעמים ביום. *Quia Quia Pontifex magnus eſt Nuncius inter Iſraelem, & Patrem eorum cœleſtem (quatenus preces ad eum pro illis defert, cujuſque precibus, operibus, & ſacrificiis illi reconciliantur) congruum proinde eſt, ut viro tali peculiare aſſignetur ſacrificium perpetuum, quemadmodum perpetuus eſt cœtus: Et quemadmodum duæ quotidie ſemper recurrentes ſunt vices; ſic & ille quotidie bis ſuum tenetur offerre ſacrificium*: idque eo fine, *ut excitentur* כל מחשבותיו וישים דעתו וכוונתו אצל השׁי ולמען זאת יועיל לו ולהם *ejus cogitationes, & applicet ſcientiam & intentionem ſuam ad Deum Benedictum, ſicque ſibi & illis proſit*. Quæ vero ratio חביתי כהן גדול *ſartaginum ſacerdotis magni?* מביא עשרון שלם של קמח וחוצהו בחצי עשרון שבמקדש שאעׂפ שמנחת העשרון קריבה לחצאין כלומר חציה בבקר וחציה בערב אינה מתקדשת לחצאין כלומר שכולה מביאה ביחד ומביא עמה שלוש לוגין שמן ובולל הסולת בשמן וחולט אותה ברותחין ולש מכל חצי עשרון שש חלות נמצא שהם שתים עשרה חלות ואחת אחת היו נעשות וכיצד עושה מחלק השלשה לוגין ברביעית שבמקדש רביעית לכל חלה ואופה החלה מעט ואחר כך קולה אותה על המחבת עם השמן שלה ואינו מבשלה הרבה ואחר כך חולק כל חלה לשתים כדי שיקריב החצי בבקר והחצי בערב ולוקח החצאין וכופל כל אחד מהם לשנים ופותת עד שתמצא כל פתיתה כפולה לשנים ומקריב החצאין עם חצי קומץ לבונה בבקר והחצי הנשאר עם חצי קומץ לבונה בערב והיא כליל לאישים. *Affert ſacerdos magnus decimam* (Ephæ)*partem perfectam farinæ, eamque dividit mediæ decimæ* menſura, *quæ in ſanctuario eſt: Etſi enim Mincha ſeu oblatio decimæ partis duarum dimidiarum oblatio ſit, quarum par una mane offertur, altera vero veſperi, non tamen dimidiata conſecratur, ſed integram eam ſimul affert, adjunctis tribus Logis olei, miſcetque ſimilam oleo, & ſubigit eam in cacabis, depſitque ex qualibet dimidia parte decimæ ſex collyras, ut in univerſum ſint duodecim collyræ ſigillatim factæ. Quomodo vero eas parat? Dividit tria Log* (ſextarius eſt, menſura liquidorum, vigeſima pars ſeæ, ſive ſati, ſex ova continens, ſcribit *Kimchius*, lib. Radic.) *quartæ partis menſura, quæ in ſanctuario eſt; ſingulas quartas partes ſingulis tribuit. Collyram autem non multum, ſed parum primo coctam poſtea ſuper ſartagine cum oleo, torret: Tum ſingulas collyras in duas partitur partes, quarum alteram mane offert, alteram veſperi. Accipit autem duas illas dimidiatas partes, alteramque altera duplicat, & in fruſta confringit, ita ut fruſtum fruſto duplicetur, ſicque offert illas dimidias partes cum dimidio pugillo thuris mane, & reliquum dimidium cum dimidio pugillo thuris veſperi: Atque hoc eſt ſacrificium illud prorſus abſumendum igni*. Pertinet hoc præ-

ceptum,

ceptum, ſtante templo, ad ſacerdotem magnum, cujus fuit quotidie bis offerre, mane & veſperi. Conſule *Maim.* Hil. Temidum uſaph. cap. 3. סמג Aff. Sect. 195.

CXXXV. מצות מעשה החטאת *Præceptum ſacrificii pro peccato;* nempe שיעשו הכהנים קרבן החטאת על עניין הנזכר בכתוב *ut offerant ſacerdotes ſacrificium pro peccato ad eum modum, cujus mentio fit in Scriptura*, Levit. 6. v. 25. & deinc. Iſta eſt lex hoſtiæ pro peccato: In loco, in quo mactabitur hoſtia holocauſti, mactabitur hoſtia pro peccato coram Jehovah, quia ſanctificatio ſanctificationum eſt. Rationem hujus præcepti generalem, communem eſſe ait Rab. *Levi*, cum reliquis ſacrificiis: cætera ſpecialia, ſuum captum ſuperare fatetur. Sed & Rabbi *Nachmanides* exiſtimat, has ſacrificiorum circumſtantias peculiare præceptum non conſtituere. Unum enim eſſe Aharonis poſteris datum præceptum, quod cætera omnia complectatur. Verba ejus ſunt: כל מעשה הקרבנות מצוה אחת ונצטוו כל זרע אהרן בעבודתם והיא מצות עשה אחת שנ׳ יעבדתם עבודת מתנה אתן את כהנתכם ופירוש תעבדו בכל עבודת הכהונה כי היא עבודה ומתנה לי ומתנה לכם שיש לכם בה שכר כאשר תקחו משלחן גבוה ית״ . *Omnis liturgia ſacrificiorum uno continetur præcepto, quod, datum ſemini Aharonis univerſo in cultu eorum, unicum tantum affirmativum eſt*, q. d. Et miniſtrabitis, (*Numer.* 18. v. 7.) miniſtrationem doni poſui ſacerdotium veſtrum. Miniſtrabitis, *omni videlicet cultu ſacerdotii*, *quod* miniſterium *mihi eſt & donum*: donum *vero vobis*, *quia mercedem inde habetis*, *ut qui accipitis de menſa alta Benedicti*. Eſt porro Canon Rabbinorum: שהחטאות באין מחמשה מינין מכבשים ועזים ובקר בין גדולים וקטנים וקטנות וגדולות שלחם ובאין גם כן בין מן הזכר או הנקבה ומן התורים או מן בני היונה *Sacrificia pro peccatis quinque eſſe ſpecierum. Conſtare enim agnis, capris, armento magno & parvo, utriuſque ſexus; turturibus aut pipionibus.* Objecti reſpectu; יש מן החטאות שהיו באין על הציבור כולן ויש שהן באין על היחיד ומהן מן הציבור ומן היחיד שהיו נשרפין כולן על המזבח החיצון ומהן שהיו נאכלות כולן חוץ מן האימורין שבהן שהיו נשרפין על מזבח החיצון שאין עושין בפנימי כל השנה אלא הקטרת *Sunt alia ſacrificia pro peccato, quæ offeruntur pro integro cœtu; alia pro ſingularibus hominibus. Ex utriſque quædam tota comburuntur in altari exteriori; quædam tota comburuntur in altari exteriori; quædam tota comeduntur*, *præter Immurim* (partes ſunt ſacrificiorum, quæ ſuper altari comburuntur, ita appellatæ, quaſi eſſent קרבנות האמורות ברגל *oblationes offerri juſſæ in feſto*: aliter tamen *Baal. Ar.* vide Lex. *Buxt.*) *quæ in altari exteriori comburuntur; interioris enim per totum annum nullus eſt uſus, quam ad ſuffitum*. Quæ vero ſunt אימורים ſeu partes illæ? אלו הן האימורין של שור או של עז החלב שעל הקרב ובכללו שעל נפי הקיבה ושתי הכליות בחלב שעליהן עם החלב אשר על הכסלים ויתרת הכבד ונוטל עם הכבד מעט עם היותרת והאימורין של מין כבש הם אלו בעצמם ומוסף עליהם מין שנוטלין עוד ממנו האליה תמימה עם חוליות שבשדרה עד מקום הכליות שנ׳ לעמת העצה יסירנה כלומר מלעמת מקום הכליות וכנו המקום ההוא כן מפני שאמרו ז״ל שהכליות יועצות *Hæ ſunt* Immurim, in bove & capra, *adeps, qui operit inteſtina, ſub quo etiam comprehenditur adeps, qui eſt ſuper ventriculo; duo renes & adeps ipſorum, cum adipe ilium, & reticulo hepatis: aufertur autem nonnihil hepatis cum reticulo. Partes* agni *eædem ſunt, una tantum addita ſpecie. Accipiunt enim adhuc ab illo caudam integram* (אליה dictam: vox autem אליה apud Hebræos & Arabes *caudam* duntaxat notat *ovis* vel *arietis magnam & craſſam*, quales in ovibus Orientis ſpectare eſt: quarum minimæ X. vel XII. libras noſtrates pendunt. Eas autem minutatim conciſas liquant, & adipem in uſum ſervant, vel ad condiendum, in primis frumentaceum cibum, vel etiam, ut in Perſia & alibi, ad conficiendas candelas) *cum vertebris ſpinæ dorſi ad locum uſque renum*, q. d. E regione ſpinæ dorſi removebit eam; *Levit.* 3. v. 9. id eſt, *e regione loci ſeu ſedis renum, quem locum propterea ſic* (עצה) *appellant, quod Rabbini dicant, renes conſulere*. Radicem ergo voci עצה *ſpina dorſi*, aſſignant יעץ *conſuluit*. Reliqua pete ex *Talm.* Maſſ. Zebach. *Maim.* Hil. Maaſ. hakkorb. cap. 8. 9. 11. סמג Aff. S. 181. 182. 183. Concernit hoc præceptum, ſarto templo, ſacerdotes maſculos, violatores rei cenſebantur hujus præcepti affirmativi.

CXXXVI. מצות מעשה האשם *Præceptum de offerendo ſacrificio pro reatu*, quo injunctum fuit, שיעשו הכהנים מלאכת קרבן האשם על העניין הנזכר בכתוב שנ׳ וזאת תורת האשם וכו׳ כמו שכתב בפרשה *ut faciant ſacerdotes* λειτεργίαν *ſacrificii reatus ad eum modum, qui exhibetur in Scriptura, ſicuc dicitur:* Iſta autem lex eſt hoſtiæ pro reatu, *& quæ Paraſcha illa* (capite illo) *ſequuntur*. Ratio huic ſtatuto generali eadem da-

tur,

tur, quæ cæteris oblationibus. In objecto, ſeu materia hujus ſacrificii obſervant Rabbini 1. שהאשם אינו בא לעולם אלא מזכרי כבשים מלבד *Ad hoc ſacrificium pro reatu, præter agnos, nihil adhiberi*. 2. יש אשם בא מגדולי המין ויש מן הקטנים מעשהו בשחיטה וזריקה ומליחה והאימורין והתנופה באשמות שוה חוץ מאשם מצורע שיש שנוי קצת בקבלת דמו *Eſſe quædam ſacrificia pro reatu ubi majora offerantur illius ſpeciei individua, in aliis minora, quæ peraguntur mactatione, diſperſione, & ſalitura. Partes ſeparatas*, (Immurim) & *ventilationem in quatuor mundi partes, ſeu agitationem, in ſacrificiis pro reatu æquales eſſe, excepto ſacrificio leproſi, quod nonnihil variat in acceptione ſanguinis ejus*. Cætera ſpecialia ſuppeditantur in *Talm.* & *Maim.* libris citatis. Peccatum transgreſſoris cum ſuperiori plane coincidit.

CXXXVII. מצות מעשה זבח השלמים *Præceptum de ſacrificio pacificorum*, ut nempe rite illud ſacerdotes, juxta præſcriptum *Levit.* 7. v. 11. *Hæc autem eſt Lex ſacrificii pacificorum, quod offeret Jehovæ, &c.* peragant. Monet hoc loco Rab. *Levi*, כד׳ שמות נכללים ענייני הקרבנות כולן והם עולה חטאת ואשם ושלמים שכל קרבן שיקרבו ציבור או יחיד מאלה יהיה לעולם *Quatuor nominibus contineri totam ſacrificiorum materiam, nempe* 1. holocauſti, 2. ſacrificii pro peccato, 3. pro reatu, 4. pacificorum. *Omne autem ſacrificium, quod vel integri offerant cœtus, vel ſinguli ex iis, ex hoc ſemper ordine quaternario eſſe*. De ſacrificio vero pacificorum in ſpecie tradit 1. Materiam eorum eſſe מן הכבשים ומן העזים מן הבקר מן הזכרים ומן הנקבות מן הגדולים ומן הקטנים ואין העוף בא שלמים וקטנים נקראים מבין שמנת ימים עד שנה תמימה מיום ליום נתעברה השנה נתעברה לו כלומר ויהיה קטון עד תשלום העיבור וגדול נקרא בבקר משנה עד ג׳ שנים ובצאן משנה עד ב׳ שנים שלימות יותר על כן הוא זקן ואין מקריבין אותו *Agnos, capras, & armenta utriuſque ſexus, majora & minora: Aves vero ad pacifica non adhiberi*. Minora *vocantur ab octavo die, ad integrum annum, de die in diem*, (i. e. numeratis diebus, non menſibus, ſecundum quos annus Solaris a Lunari differt) *adeo ut, ſi intercaletur annus, intercaletur ei, ita ut minus vocetur ad finem uſque anni intercalaris: qui duodecim conſtat menſibus, duodecimo duplicato*. Majus *in armento appellatur ab anno primo ad tertium; in* grege ovium *ab anno primo ad ſecundum completum; ſi quæ excedat hanc ætatem, inter annoſas refertur, quam ſacrificiis non amplius adhibent*. 2. Adjunctum occupatum vel integros eſſe cœtus, vel ſingulares homines. וד׳ מינים הם השלמים האחד שלמי ציבור והג׳ שלמי יחיד שלמי ציבור נקראים קדשי קדשים ואין לציבור שלמים כי אם קרבן אחד והוא שני כבשים הבאים עם שתי הלחם בעצרת אותן שני כבשים הם הנקראים זבחו שלמי ציבור ונאכלים לכהנים חוץ מן האימורין כחטאת וכאשם המלאכות שלהן כגון שחיטה זריקה הפשט וניתוח ומליחה והקטרת אימורין מפורש במנחות ושלמי היחיד נקראים קדשים קלים ומקום שחיטתו ומעשה הזריקה והפשט ונתוח ותנופה והפרשת אימורין מפורש במנחות והשלשה מינין אלו של שלמי יחיד שוין הם במלאכות אלו אבל יש לדעת עניין החילוק שביניהם בקצרת ענייני הם דרך כלל דע כי משלשה מינין של שלמי יחיד האחד הוא קרבן השלמים הבא בלא לחם עמו והם שלמי חגיגה ושמחה ואלו הם הנקראים שלמים והשני השלמים הבאים עם הלחם הידוע והוא הבא בנדר או בנדבה ואלו השלמים נקראים תודה והלחם הבא עמו נקרא לחם תודה והמין השלישי שלמים המקריב הנזיר ביום מלאת ימי נזרו הם באים גם כן עם לחם ואלו השלמים נקראים איל נזיר *Sunt autem quatuor ſpecies pacificorum*: Una *cœtus integri*; tres *ſingulorum hominum. Pacifica cœtus, vocantur* ſancta ſanctorum. *Suntque pacifica cœtus integri unum tantum ſacrificium, duobus conſtans agnis, oblatis cum duobus panibus die prohibitionis. Duo autem agni illi* ſacrificia pacifica cœtus *dicti, comeduntur a ſacerdotibus, exceptis partibus combuſtioni deſtinatis, ſicut in ſacrificio pro peccato & reatu. Opera in illo uſitata; ut ſunt mactatio, aſperſio, excoriatio, in partes diſſectio, ſalitura, adolitio partium; explicantur in Menachot. Pacifica ſingulorum appellantur* ſancta leviora, *de quorum loco mactationis, opere aſperſionis, excoriationis, diſſectionis, agitationis, diſtinctione partium comburendarum, agitur ibidem. Tribus autem ſpeciebus iſtis pacificorum ſingularium hæc opera conveniunt æqualiter; niſi quod in particularibus quibuſdam differant. Generaliter nota, quod ex his tribus ſpeciebus pacificorum prima offertur abſque pane, cujuſmodi ſunt pacifica feſti & lætitiæ, quæ proprie vocantur* pacifica. *Secundæ ſpeciei adjungitur panis notus, in voto videlicet, & oblatione ſpontanea. Atque hæc pacifica dicuntur Confeſſio, & panis, qui cum illo offertur*, Confeſſionis panis *dicitur. Tertiam pacificorum ſpeciem offert Naziræus, die, quo Naziræatum ſuum abſolvit, quæ & ipſa adjunctum habet panem. Hæc pacifica* aries Naziræi *nuncupantur*. De pectore, crure, aliiſque partibus, quæ ſacerdo-

 cerdo-

cerdotibus cedunt in cibum. pane fermentato & azymo, collyris, laganis, cæterisque, quæ ad hæc requiruntur sacrificia, prolixe scribunt Talmudici in *Zebach.* & *Maim.* lib. cit. Compendiose in lib. *Chinn.* p. 56. b. ונוהגת מצות השלמים בזמן הבית בזכרי כהונה כי להם חייוב העבודה ועובר עליה ושינה את סדרן בצדדין ידועים בגמרא בטל עשה מלבד שיש צדדין שהקרבן פסול *Valet præceptum pacificorum, stante templo, in sacerdotibus masculis, quibus cura cultus incubuit. Transgressor, qui mutavit ordinem eorum in modis ex Gemara notis, irritum fecit affirmativum, præterquam quod quidam sint modi, quibus sacrificium profanum redditur.*

CXXXVIII. מצות שריפת בשר נותר הקדשים. *Præceptum de comburendis reliquiis sanctorum, id est, rerum sacrarum, seu consecratarum;* vel clarius; שנצטוינו לשרוף הנותר והוא בשר הקדשים שנשאר אחר עבור זמן אכילתן המוגבל להם שנאמ׳ והנותר מבשר הזבח ביום השלישי באש ישרף וזאת השריפה היא מצות עשה שכן אמרו במכילתא נבי פסח לא תותירו ממנו וכו׳ והנותר באש וכו׳ בא הכתוב ליתן עשה על לא תעשה שמשמע שמצות שריפת נותר עשה הוא ודין הפיגול והנותר שוה בזה שיש מצות עשה גם כן בשריפתו שמצינו הכתוב מוציא הפיגול בלשון נותר. *Injunctum nobis est, ut comburamus residuum, carnem nempe sanctam, quæ relinquitur ultra terminum comestioni ejus destinatum, q. d. Levit. 7. v. 17.* Quod vero superfuerit de carne sacrificii die tertia, igni comburetur. *Hæc vero combustio imperativa est, juxta id quod in Mecilta habetur, ad illud quod de Paschate dicitur:* Nihil de eo relinquetis, &c. Et residuum igni comburetur; *Venit Scriptura, & addit affirmativum negativo. Sensus ejus est: Præceptum de comburendo residuo affirmativum esse. Ratio autem carnis abominandæ & residuæ eadem in hoc, quod & de illa comburenda præceptum habeamus affirmativum: Reperimus enim Scripturæ locum, qui carnem abominandam residui nomine exprimit.* Præcepto rationem assignant geminam. Prima est הגדלת דבר הקרבן *Magnificentia sacrificii.* Propterea enim caro ejusmodi fuit abolenda, ne tetro suo odore esset molesta. Igni autem tolli voluit, quia תכלית הכליון הגמור הוא על ידי האש יותר מן הפיזור והריה לרוח או כל דבר אחר *consumtio consummatissima igni potius fit, quam dispersione aut dissipatione in aerem, aut quacunque alia re.* 2. רמז אל הבטחון בשם בה׳ שלא יהא אדם חונק עצמו במאכלו יותר מדאי להצניעו ליום מחר בראותו כי האל יצוה לבלות בשר קדש משעברה שעתו כליון גמור ולא רצה שיהנה בן בריה אחר לא אדם ולא בהמה. *Inculcat fiduciam in Deum, ne videlicet homo nimium angatur cibo suo, ultra quam satis est reponendo in diem crastinum, cum videat, Deum præcepisse, ut aboleatur caro sancta, postquam hora ejus transiit, totaliter, neque voluit, ut quicquam emolumenti ex eo ad ullam redeat creaturam, neque hominem, neque bestiam.* Notant autem Rabbini; שבכלל הנותר והפיגול שנשרפין הם כל פסולי המוקדשין שכולן נשרפין גם כן וקרבן שנפסל או נתפגל בודאי מיד נשרף *sub generali Lege residui & carnis abominabilis, quæ comburuntur, comprehendi omnia sacrorum profana, quæ & eodem modo omnia abolentur: Sacrificium enim quod aut profanum, aut fœtore corruptum est, statim comburitur:* ואין שורפין את הנותר אלא ביום שנ׳ וביום השלישי באש ישרף ואע״פ שהשלמים אסורים באכילה מתחלת ליל שלישי אין שורפין אותו אלא ביום. *Neque vero comburunt residuum nisi interdiu,* q. d. Die tertio igni comburetur. *Et quanquam pacifica edere non liceat ab initio noctis tertiæ, non tamen comburunt illa nisi interdiu.* Cætera vide in *Talm.* Maff. Pesach. & Temur. *Maim.* Pesul. hammukd. cap. 19. סמג A. S. 208. Requiritur hujus præcepti observatio a sacerdotibus masculis. Violatores rei sunt affirmativi, & negativi; non tamen vapulant; quia nullum accedit opus.

CXXXIX. מצות שריפת בשר קדש שנטמא. *Præceptum de comburenda carne sancta, postquam polluta fuerit,* argumento loci *Levit. 7. v. 19.* Et caro, quæ contigerit ullum immundum, non comedetur, sed igni comburetur. Notentur Canones 1. אמרו ז״ל שאם נטמא בפנים שורפין אותו בפנים נטמא בחוץ שורפין אותו בחוץ. *Dicunt Magistri nostri: Si polluta fuerit intus, intus etiam comburitur; si foris, foris comburitur.* 2. בין שנטמא באב הטומאה או בולד הטומאה שורפין אותו *sive polluatur pollutione principali, sive minus principali, comburunt illud.* 3. נותר של קדשים קלים שורפין אותו הבעלים בבתיהם *Quod reliquum ex carnibus sacris levioribus, comburunt illud patres familias* (offerentes illorum) *domi suæ.* 4. כל עצמות הקדשים שאין בהן מוח אין טעונין שריפה חוץ מעצמות פסח *Nulla ossa carnium sacrarum, in quibus non est medulla, combustionis legi astringi, exceptis ossibus paschalibus, de quibus expressa lex;* Illa non frangenda. 5. ואלו הן הנשרפין בשר קדש שנטמא או נותר או קרבן שנפסל וכן המנחה שנטמאה או נפסלה או נותרה ואשם תלוי שנפסל וכן המנחה שנטמאה או נפסלה או נותרה ואשם תלוי

שנודע

שנודע לו לבעליו שלא חטא אחר שנזרק דמו וחטאת העוף הבאה על הספק ושעיר נזיר טהור והערלה וכלאי הכרם הרי אלו ישרפו. *Hæc autem sunt, quæ comburuntur: Caro sancta cum fuerit polluta, aut relicta; sacrificium profanatum; sic & Mincha, quæ polluta aut profanata est, aut relicta; sacrificium pro reatu dubium, cum nempe ei, qui offert, constituerit, se non peccasse, postquam jam sanguis ejus sparsus est; sacrificium* ὀρνίθων *pro peccato, pro re controversa aut dubia oblatum; hircus Naziræi mundi, præputium; heterogenea vitis; hæc omnia comburuntur.* Cætera sancta, *bos lapidatus, vitula decervicata, ungues leprosorum, hircus Naziræi polluti, primogenitus asini, caro cum lacte. abortus animalis, sacrificio destinati, animalia in ambitu templi mortua; profana vel ægrota, quæ in atrio mactantur;* sepeliri solent. ונוהגת שריפת הקדשים שנטמאו בזמן הבית בכהנים ובישראלים כיצד קדשים שטעונין שריפה במקדש שריפתן מוטלת על הכהנים והנשרפין בכל העיר כגון קדשים קלים הבעלים שורפין את חלקם אם נטמא או נותר בבתיהם והעובר על זה ולא שרף בשר טמא או נותר שהוא בידו בטל עשה זה. *Lex combustionis sacrorum pollutorum, tempore templi, obstrinxit Sacerdotes, & Israelitas. Quomodo? Sacrorum in sanctuario comburendorum cura imposita erat sacerdotibus; cætera, quæ in qualibet urbe comburi debuerunt, ut sacra levia; comburebant quilibet offerentes partem suam vel pollutam, aut domi suæ residuam. Qui vero transgressus non combussit carnem immundam, aut penes se relictam, irritum reddidit hoc affirmativum.* Cætera desume ex *Talm.* Mass. Pesach. *Maimon.* Pesul. hammukd. cap. 19. סמג A. S. 208.

CXL. שלא לכבות אש מעל המזבח שנ׳ אש תמיד תוקד על המזבח לא תכבה. *Non extinguendum esse ignem ab altari*, q. d. Ignis perpetuo ardebit in altari, non extinguetur; *Levit. 6. v.* 13. Rationem præcepti habes in affirmativo æquipollenti, דאש תוקד *ut ignis semper ardeat*. Rigor præcepti eo usque exstenditur a Rabbinis, ut asserant; שאפי׳ הוריד האש מעל המזבח וכבהו לוקה אבל אש מחתה ואש מנורה שהכינה במזבח להדליק ממנה אעפ שכבה אותה בראש המזבח פטור *Illum, cum ignem, quem deponere voluit ab altari, extinxerit, propterea vapulare: Liberum tamen pronuntiari, cum ignem in fastigio altaris extinxerit, quem in altari, vel thuribulo, vel lumini accendendo, destinavit, extinxerit*. Etsi vero in contextu sacro passiva vox תכבה *extinguatur*, occurrat, elicint nihilominus Doctores

שכל המכבה עובר בלא תעשה in Siphri; *omnem, qui extinguit, violare negativum* ונוהגת בזמן הבית בזכרים ונקבות אפילו ישראלים ועובר עליה וכבה אפי׳ גחלת אחת מאש המזבח לוקה. *Usus hic obtinuit, stante templo, in masculis & fœmellis, dummodo Israelitæ fuerint; qui, Legem hanc violando, vel unicam de igni altaris extinxerat prunam, merebatur verbera*. Reliqua pete ex *Talmud.* cap. 10. Zebah. *Maim.* Hil. Temid. umusaph. ca. 2. סמג N. S. 334.

CXLI. שלא לבשל שירי מנחות חמץ והוא חלק המנחות אשר לכהנים ש׳ במנחה לא תאפה חמץ חלקם נתתי אותה וכו׳ והוא כאלו אומר חלקם מהוא שירי המנחה לא יאפה חמץ. *Non coquendum residuum oblationum in fermentato. Intelligitur autem pars oblationum sacerdotibus debita, juxta illud de Mincha seu oblatione*: Non coquetur in fermentato portio eorum, quam dedi &c. *Quasi diceret: Pars illorum* [Levit. 6. v. 17.] *residuum nempe oblationis, non coquetur in fermentato.* Duo hic Rabbini observant 1. Non violari hoc præceptum ab eo, שמחמץ מנחה פסולה *qui Mincham profanam fermentato inficiat;* cum de ea expresse sermo sit oblatione, quam obtulerint Jehovæ: non licere autem Deo aliam offerre oblationem, quam כשירה *legitimam*, פסולה *profanam*, non item. 2. Nec legem illum transgredi, qui oblationem in vertice altaris fermentaverit, argumento loci, אשר תקריבו ליי׳ *quam attuleritis Domino;* hanc vero jam allatam esse. ונוהגת מצוה זו בזמן הבית בזכרים ונקבות אפילו עבד ישראל אחד ואפאה חמץ חייב מלקות ואין צריך לומר כהן. *Observatio hujus præcepti, stante templo, exigebatur a masculis & fœmellis, servo etiam Israelita, qui si coxit eam* (partem) *in fermentato, reus fuit flagellationis: de sacerdote illud moneri ne quidem est necesse*. Specialia habentur in *Talmud.* cap. 5. Menach. *Maimon.* Hilc. Maas. hakkorban. cap. 10. סמג N. S. 230.

CXLII. שלא לאכול ממנחת כהן שנ׳ וכל מנחת כהן כליל תהיה לא תאכל. *Non esse comedendum de oblatione sacerdotis*, q. d. Et omnis Mincha (oblatio) sacerdotis tota cremabitur, non comedetur; *Levit. 6.* vers. 23. Ratio præcepti כי כונת הקרבן לעורר לב המקריב אותו ואם יאכל הכהן מנחתו לא יתעורר לבו עליה יפה שהיא דומה בעיניו כאופה פת לצרכו ואוכלו ואף כי יאכלו חבריו כולו והוא שלהן יעלה הכל לחשבון אחד לכן צוה שתהיה כליל לא תאכל לשום אדם. *Quia scopus sacrificii est, ut excitetur animus offerentis illud: Quod si comederit sacerdos suam oblbtionem, non satis illo excitatur*

tatur cor ejus ; quia, dum loco cibi coćti & ad neceſſitatem ſuam parati (munus ſuum ſacerdos) *habet, comedit illud. Si ſocii ejus, totum illud, quod eorum eſt , comederint, res eodem redit. Proinde præcepit, ut totum igni abſumatur, nec a quoquam homine comedatur.* Reliqua repeti debent ex lege cxxxiii. S. שכל המנחות *Talm.* Maſſ. Menach. *Maim.* Hil. cit. c. 12. סמג S. 252. ונוהגת איסור אכילת מנחת כהן בזכרים ונקבות בזמן הבית ועובר על זה ואכל ממנה כזית לוקה. *Uſus hujus interdićti de non comedenda oblatione ſacerdotis, obſtringit maſculos & fœminas, ſtante templo; qui illud tranſgreſſus magnitudinem oleæ comederit, vapulat.*

CXLIII. שלא יאכלו הכהנים מבשר החטאות הנעשות בפנים כלומר מאותן חטאות שהיו מזין מדמם במזבח הפנימי שהיה בהיכל שנ׳ וכל חטאת אשר יובא מדמה אל אוהל מועד לכפר בקדש לא תאכל באש תשרף. *Ne comedant ſacerdotes de carne ſacrificiorum pro peccatis intus oblatorum, id eſt, de iis ſacrificiis , quorum ſanguine aſpergebant altare templi interius*, q. d. Et omnis hoſtia pro peccato, de cujus ſanguine inferetur aliquid in tabernaculum Conventus, ad expiandum in ſanćtitate, non comedetur, igni comburetur, *Levit. 6.* v. 30. ולשון ספרי באש תשרף כל שהוא טעון שריפה לעבור בלא תעשה על אכילתו וכל החטאת שדמן טעון הזייה בפנים כלומר במזבח שהיה בהיכל הין נשרפין ידוע הדבר ומפורסם ומפורש בכתובי׳ וכל החטאת שלא היו מזין מדמן לפנים אלא במזבח שבחוץ היו נאכלים ועל זה נאמר מקרא זה שכל חטאת שדינה בשריפה לא יאכלו ממנה. *In Siphri ad verba :* Igni comburetur. *Quicquid comburi debet, ejus comeſtione violatur præceptum negativum. Omne autem ſacrificium pro peccato, cujus ſanguis debet perſpergi intrinſecus, id eſt, in altari quod fuit in templo, comburebatur. Re nota, vulgata & explicata eſt in Scripturis : Omne autem ſacrificium pro peccato, cujus ſanguinem intus non ſpargunt , ſed in altari exteriori, comedebatur. Atque de his præſens agit textus , ut de omni ſacrificio pro peccato, igni comburendo, nihil edant.* ופרטי החטאות אי זה מהן נשרף ואי זה נאכל מפורש בכתוב ומה שאינו מבואר יפה במקרא פירשו לנו חכמינו ז״ל כזבחים. *Specialia ſacrificiorum pro peccato, quæ videlicet ex iis comburenda, quæ comedenda, explicantur in Scriptura : Quod vero ibi ſatis diſerte non exponitur, elucidant illud Sapientes noſtri Cod. Zebachim ;* inquit Rab. *Levi* in lib. Chinn. pag. 56. b. Obiter hæc attingimus, cætera petantur ex *Maim.* lib. cit. cap. 11. סמג S. 324. ונוהגת איסור אכילת חטאת פנים בכהנים והוא הדין לכל אדם שדרך כלל נאמר לא תאכל והעובר ואכל ממנו כזית לוקה. *Conſuetudo interdićti de non comedendo ſacrificio pro peccato interiori non ſacerdotes modo obligat, ſed & quemvis hominem : generaliter enim dicitur :* Non comedetur , *qui vero tranſgreſſus tantum de illo ederit , quantum eſt moles oleæ, vapulat.*

CXLIV. שלא להותיר שום דבר מקרבן התורה עד הבקר בלומר למחרת יום זביחתו שנ׳ בקרבן תודה לא יניח ממנו עד בקר וממנו למדנו לשאר קדשים גם כן שכל מה שישאר מהם אחר זמן אכילתו שהוא נותר וחייב לשורפו. *Nihil reſidui faciendum de ſacrificio laudis ad tempus matutinum, diem videlicet maćtationem ejus ſequentem , quemadmodum dicitur de ſacrificio laudis :* Non dimittet ex eo uſque mane ; *Levit. 7. v. 15. Unde diſcimus, idem etiam obſervandum in reliquis ſanćtis. Quicquid enim relićtum fuerit poſt tempus comeſtionis ejus, reſiduum eſt, quod comburere debet.*

CXLV. שלא לאכול הפיגול ופיגול הוא קרבן שחשב עליו הכהן המקריב מחשבת פסול בשעת זביחה או הקרבה ופסול המחשבה הוא כגון שהסכים בדעתו בעת הזביחה או בעת ההקרבה שיאכל מאותו קרבן אחר זמן המוגבל לאכילתן או יקטיר ממנו מה שאין הקטרה אחר זמן המוגבל להקטרה שאכילת המזבח ואכילת אדם הכל נשמע בלשון אכילה ובאר הכתוב שהאוכל ממנו שישא עון שנ׳ ואם האכל יאכל וכו׳ והנפש האוכלת עונה תשא. *Non eſſe comedendum* Pigul, i. e. *abominandum. Eſt autem* Piggul *ſacrificium, de quo, ſacerdos offerens, tempore maćtationis aut oblationis ; profanam ſuſcipit cogitationem. Profanatur igitur tale ſacrificium cogitatione, cum, tempore maćtationis aut oblationis, mente ſua conſenſum præbuit, quod de ſacrificio illo comeſurus eſſet poſt elapſum terminum comeſtioni deſtinatum; aut ſuffitum paraturus de eo, termino, ei definito, præterito : Nam & altaris & hominis comeſtio, voce* אכילה *pariter exprimitur. Clare autem Scriptura ſe explicat, quod, qui de illo edat, ſuam ſit laturus iniquitatem*, q. d. Si autem comedendo comedatur aliquid (*Levit.* 7. v. 18.) de carne ſacrificii pacificorum ejus die tertia, non placabit offerens illud, neque imputabitur illi; abominatio erit, & anima comedens ex eo, iniquitatem ſuam portabit : Exemplum, quod Rab. *Levi* affert, ſpeciem tantum exhibet profanæ cogitationis, (*Intentionem* vocarent Scholaſtici, de qua Canon apud *Maim.* Hil. Peſul. hammukd. cap. 14. אין המחשבה הולכת אלא אחר העובד אבל מחשבת בעל הקרבן אינה מועלת כלום. *Cogita-*

tio ſequitur tantum Miniſtrum ſacra facientem; illius vero, qui ſacrificium exhibet, cogitatio nihil prævaricatur, i. e. ſacerdotis tantum offerentis, non vero rei Intentio prava, actioni ſacræ quicquam incommodat) unicam, quæ מחשבת זמן *cogitatio temporis* dicitur, quæque ſacrificium reddit פינול; Sunt & aliæ ſpecies, quibus ſacrificia profanantur, quas ut intricata hæc de ſacrificiis materia plus lucis habeat, ex *Maim.* lib. modo citato, cap. 13. exprimemus שלש מחשבות הן שפוסלין את הקרבנות ואלו הן מחשבת שנוי השם ומחשבת המקום ומחשבת הזמן. *Triplex eſt cogitatio, qua profana redduntur ſacrificia; Cogitatio mutati nominis; Cogitatio loci; & Cogitatio temporis. Illa* eſt, cum qui ſacrificium mactat, neſcit quale ſit, adeo ut, cum holocauſtum offerat, putet eſſe pacificum, aut vice verſa. *Iſta*, cum quis cogitat, ſe partem comeſtioni deſtinatam eſurum, ſed non ſuo loco. *Hæc*, cum concipitur actus aſpergendi ſanguinis poſt occaſum ſolis, quod quidem tempus actui illi non convenit: Atqui talia ſacrificia זבחים שנשחטו חוץ לזמנן *ſacrificia extra ſuum tempus mactata*, nomineque ſtrictiori פינול vocantur; id quod ipſum ex Rab. *Levi* modo audivimus. Pœna tranſgreſſori hujus præcepti infligenda concipitur his verbis; *Anima comedens de eo* עונה תשא *iniquitatem ſuam portabit*, id eſt, quod per שוה נזירה *argumentationem a pari* (eadem enim phraſis, quæ, de edente reſiduum, uſurpatur, expreſſo verbo נכרת) eliciunt, תכרת *excindetur*. Agnoſcunt Judæi, pœnam hoc loco ſatis diſtincte proponi; ſed ubi formale ſit interdictum, nonnihil variant. Oſtendunt illud alii in verbis. *Exodi* 29. v. 33. *Alienigena non comedet de ariete conſecrationum, quia ſanctificatio ſunt;* quibus verbis Rabbini innui volunt, כל מה שנפסד מן הקרשים ואין ראוי לאוכלו כמו הנותר והפינול. *Quicquid corruptum eſt ex ſanctificationibus, ſeu conſecratis, neque edere illud licet, ut ſunt relictum & abominandum.* Alii huc rapiunt verba, לא תאכל כל תועבה. *Non comedes ullam abominationem*, Deut. 14. v. 3. Et quia cum tanto periculo conjunctum eſt de ejuſmodi edere ſacrificio, monent Judæi ſuos, ut non curioſi ſint in expiſcandis aliorum de ſacrificiis ſuis cogitationibus, de quo quidem, ut & cæteris; ratione hujus præcepti, variis ejus accidentibus, rebus ſacrificio deſtinatis, quæ a פינול excipiuntur; compendioſe agit Rab. *Levi*, p. 58. a. b. *Talm.* Maſſ. hakkod. *Maimon.* lib. cit. ונוהג איסור אכילת הפינול בזמן הבית בזכרים ונקבות אפילו ישראלים שרנן כלל אסרתו התורה לכל בין כהן בין ישראל ועובר עליה ואכל ממנו כזירת במזיד חייב כרת בשונג מביא חטאת קבועה. *Uſus interdicti de non edendo abominabili, ſtante templo, pertinebat ad utrumque ſexum Iſraeliticum: Generaliter enim Lex omnibus interdicit, ſive ſacerdos fuerit; ſive Iſraelita* (laicus) *Tranſgreſſor, qui proterve tantum de illo edit, quantum olea eſt, excidii reus habebatur: qui vero per ignorantiam peccavit, ſacrificium obtulit deſtinatum.*

CXLVI. שלא לאכול בשר הקרשים שנטמא שנ׳ והבשר אשר יגע בכל טמא לא יאכל. *Non comedendam carnem ſanctam, ſi polluta fuerit*, q. d. Et caro, quæ contigerit ullum immundum, non comedetur, *Levit.* 7. v. 19. quemadmodum vice verſa, homini polluto non eſt fas edere carnem ſacram; quod fieri volunt להגדיל ענייני הקרבן בכל ענייך. Nec enim dubitandum, *quin ad ſacrificiorum pertineat dignitatem, a mundis munda excipi munde.* Statuunt porro Rabbini, שאסור לטמא הקרשים או לסכב להם טומאה אבל המטמאן אינו לוקה אלא טהור האוכלן טמאים הוא שלוקה. *Probibitum eſſe polluere ſacra, aut cauſam exiſtere pollutionis eorum; ita tamen, ut qui polluat ea, non vapulet, ſed mundus, qui ea, cum polluta fuerint, comedit, vapulet;* ſi tantum guſtaverit, quantum moles oleæ fuerit: quod tamen non de qualibet pollutione intelligunt, de ſpeciali pollutione Legis, quam ולד הטומאה תורה *prolem pollutionis Legis* appellant; aliam rationem fatentur eſſe *pollutionis Rabbinorum*, ob quam tranſgreſſor, non cæditur flagris Lege præſcriptis, אלא מכין אותו מכת מרדות *ſed percutiunt illum percuſſione rebellionis*. Cætera petet ex *Talm.* cap. 13. Zebach.. *Maim.* Hil. Peſul. hammukd. c. 18. סמג N. S. 337. 338. Subjecta locorum & perſonarum cum ſuperiori coincidunt.

CXLVII. שלא נאכול חלב בהמה טהורה. שנ׳ כל חלב שור וכשב ועז לא תאכלו. *Ne comedamus adipem beſtiæ mundæ, ſicut dicitur*: Adipem omnem bovis, agni, & capræ ne comedatis; *Levit.* 7. v. 23. Rationem hujus præcepti Rab. *Levi* phyſicam reddit. Cum enim temperamentum corporis ipſa ſequatur anima, ſingulari Dei beneficio interdictum fuiſſe ait, uſum & eſum omnium ciborum noxiorum. Conſtare autem כי החלב דבק ומוליד ליחות רעורת. *Adipem adhæreſcere, & malos humores gignere*. Repete plenius hanc rationem ex ſuperiori, Lege 79. de diſcerpto, quo & author ipſe nos rejicit. Notandum autem שפירשו לנו ז״ל שאין איסור חלב אלא בג׳ בהמות שכתוב שור

שור וכשב ועז ואותן ג׳ בין כשירות או טריפות ונבילות חייב על חלבן אבל שאר מיני בהמה וחיה בין טמאה בין טהורה חלבה כשירה וכן העובר הנקרא שליל הנמצא במעי ג׳ בהמות הנזכרות אין בו גם כן איסור חלב ולפיכך אמרו השוחט את הבהמה ומצא בה שליל כל חלבו מותר ואפילו מצאו חי ואם שלמו לו חדשיו ומצאו חי אע״פ שלא הפריס על גבי קרקע ואינו טעון שחיטה חלבו אסור וחייבין עליו כרת והרי דינן כשאר כל הבהמות בעניין חלבו ולפיכך יש לנו להוציא ממנו כל החוטין וכל הקרומות האסורין. *Statuere Rabbinos, non probiberi adipem nisi trium tantum bestiarum, bovis, agni & capræ: Reatum autem contrahi propter trium harum bestiarum adipem, sive esui aptæ illæ fuerint, sive discerptæ, sive casu fractæ vel attritæ. Reliquarum, sive bestiarum, sive ferarum tam mundarum, quam immundarum adipem esse licitum. Ita nec embryonis, quem* Schelil *vocant* (Hebræi definiunt talem בן תשעה *fœtum novem mensium*, atque adeo vivum partuique vicinum) *reperti in ventre trium harum bestiarum memoratarum adeps probibetur. Unde dicunt: Qui mactat jumentum, & Schelil in eo invenit, adeps ejus concessus est, etsi vivum jam reperiant. Si autem absolutis mensibus vivum eum deprehendant, etsi ungulis fissis per terram gradi non possit, neque mactationi idoneus sit, ejus adeps probibitus est, ob quem in pœnam excidii incurritur. Eadem enim ejus ratio est, quæ reliquarum bestiarum, in materia de adipe: Propterea etiam extrahere tenemur omnes medullas spinæ dorsi, & crustas seu tegumenta illicita.* Hanc vero sententiam, de vetito adipe *Schelil*, si menses suos compleverit, vendicat Rab. *Levi*, soli Majmonidæ, cui consensum plerorumque Rabbinorum aliter sentientium opponit. Inter Gemaristas alii affirmativam tuentur, negativam alii. Intelligitur autem expresse trium bestiarum adeps triplex, quorum *ille* intestina, *iste* renes, *hic* ilia munit & contegit: de quibus prolixe in *Gemara*. Neque adeps tantum; sed & alia quædam חוטין וקרומות ut monuimus, præter illum, vetita sunt. De quibus, ut & laniorum hac in re diligentia, adipe item (quam שומן *pinguedinem* appellant; qualis est חלב הלב חלב המעים *adeps cordis, viscerum, &c.* quique licitus) agitur in *Talm.* Mass. Chol. c. 7. *Maim.* Hil. Maac. chel. cap. 6. סמג N. S. 173. 138. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל כזית חלב במזיד לוקה בשוגג מביא חטאה קבועה. *Usus ejus omni loco & tempore, utrumque obligat sexum. Transgressor, qui tantum ederit, quantum fuerit olea, vapulat; si ignorans, sacrificium destinatum affert.*

CXLVIII. שלא לאכול דם בהמה חיה ועוף שנ׳ וכל דם לא תאכלו ונאשר במקום אחר לעוף ולבהמה וחיה בכלל בהמה ונכפלה המניעה בדם בהרבה מקומות בתורה *Non esse comedendum sanguinem jumenti, feræ, aut avis, juxta illud:* Nullum sanguinem comedetis; *Levit.* 7. v. 26. *quod alio loco expresse dicitur de ave & bestia. Fera sub bestia comprehenditur. Repetitur autem interdictum hoc in Lege aliquoties.* Rationes hujus præcepti tradunt I. *Physicas*, easque vel *communes*, cum interdicto discerpto, adipe, &c. quo refertur רוע מזגו *malignitas temperamenti sanguinis*; vel *proprias*, qualis illa est *Nachmanidæ*: כי ידוע שהנאכל ישוב בגוף האוכל ואם יאכל אדם הדם תהיה עובי ונסות בנפש האדם כמו שנפש הבהמה עבה ונסה *Constare enim, illud quod comeditur, migrare in corpus comedentis: Ac proinde, si homo edat sanguinem, densitatem & crassitiem* * *in anima hominis orituram, quemadmodum anima bestiæ densa fuerit & crassa. b.* Non convenire, שתאכל הנפש את הנפש *ut devoret anima animam*. Habere autem bestias animam, (quam sapientes נפש חיונית *animam vivam* appellant; ejus beneficio caute eas agere, ne in foveas decidant, aliisque periculis involvantur) quæ in sanguine sedem habeat. II. *Ethicas*. Hominem enim, crudum edendo sanguinem, ad sævitiam facile pertrahi, si videlicet is de animantibus vivis deglutiat id, quod commune cum illis habet. Observant porro Rabbini I. Hac lege non contineri sanguinem reptilium, locustarum, & hominis, adeo ut homo, qui sanguinem e gingivis exuctum abliguriverit, non fiat, ex Lege, reus. Rabbinos autem humanum sanguinem propterea sua authoritate interdixisse מפני מראית העין *quod visus ab eo abhorreat*. Permittunt etiam sanguinem piscium, excepto tamen sanguine piscium immundorum, juxta Canonem generalem: מאכל היוצא מן הטמא טמא כמו שמצינו שאסרה תורה ביצת היענה לפי שיוצאה מן הטמא *Cibum provenientem ex immundo immundum esse, sicut reperimus, Scripturam vetuisse ovum ululæ, quia ex immundo prodit*. II. Distinguendum inter דם הנפש *sanguinem animæ*; & הם האיברים *sanguinem cæterorum membrorum*, de quibus Rab. *Levi*, pag. 59. b. דם האסור מן התורה יש שאיסורו בכרת ויש ממנו בלאו דם הנפש הוא

* De anima sensitiva, non rationali est intelligendum.

הוא בכרת שבמקום שבא בתורה הכרת בדם נאמר שם נפש שנ׳ כי נפש הבשו בדם הוא ומה שאינו דם הנפש אלא דם האיברים אין איסורו אלא בלאו שעליו נאמר סתם וכל דם לא תאנלו ולפיכך בארו ז״ל ואמרו שחייבין כרת בדם היוצא בשעת שחיטה ונחירה או התזת הראש כל זמן שיש בו אדמיתות וכן בדם המכונס בתוך הלב ודם הקזה כל זמן שמקלח ויוצא שגם הוא דם הנפש כשהוא מקלח ולפיכך חייבין עליו ודוקא מקלח לחוציא השותת בתחלת הקזה ובסופה שאינו דם הנפש שאין חייבין עליו כרת וכן דם התמצירת כלומר אותו הדם שמתמצה בשעת שחיטה מעט מעט אחר שיצא דם הטבע וכן דם האיברים כגון דם הטחול ודם הכליות ודם שבבצים ודם שמתכנס ללב בשערת שחיטה אין חייבין עליו כרת אלא מלקות והוא שיאכל ממנו כזית דם הבלוע בשאר הבשר שנק׳ גם כן דם האיברים כל זמן שלא פירש מותר לאכול הבשר עם הדם הבלוע לתוכו שאותו דם כבשר נחשב לנו כל זמן שלא פירש מן הבשר *Sanguis lege vetitus geminus est, alter quidem per pœnam excisionis, alter per nudam negationem*. Sanguis animæ *probibetur ſub pœna excidii, quia ſi in Lege mentio fit excidii propter ſanguinem*, animæ *vox additur, quia* anima carnis in eo eſt. *Qui vero non* animæ, *ſed* membrorum *ſanguis eſt, non niſi nuda negatione prohibetur, de hoc enim ſimpliciter dicitur* : Nullum ſanguinem comedetis. *Propterea explicate Magiſtri noſtri dicunt : Hominem reum fieri excidii propter ſanguinem, qui exeat tempore mactationis, aut narium diſciſſionis, aut capitis amputationis, quam diu in illo rubedo conſpicua fuerit : Eandem rationem eſſe ſanguinis congregati in medio cordis, ſanguinis in phlebotomia, ebulliendo erumpentis (nam & hic ſanguis animæ eſt, dum ebullit,) ob quem aliquem reum faciunt : Præciſe autem ebullientem intelligunt ſanguinem, ad excipiendum ſanguinem initio & fine phlebotomiæ guttatim deſtillantem, qui, ut non eſt ſanguis animæ, ita nec excidii pœnam meretur. Similis ratio eſt ſanguinis, qui in mactatione, poſtquam ſanguis naturalis effluxit, lente exprimitur : Sanguinis item membrorum, ut ſanguinis lienis, & renum, ſanguinis, qui in teſticulis, ſanguinis, qui tempore mactationis ad cor ſe aggregat ; ejuſmodi ſanguis reatum excidii non conciliat ; ſed flagellationem, cum tantum de illo ederit, quantum olea eſt. Sanguis a reliqua carne abſorptus etiam vocatur* ſanguis membrorum. *Quamdiu autem non ſeparatur [a carne] licet edere carnem cum ſanguine, quem imbibit : Talis enim ſanguis ut reliqua caro a nobis reputatur, quamdiu a carne non fuerit ſeparatus*. Cætera pete ex *Talm.* Maſſ. Kerith. cap. 5. *Maim.* l. c. סמק 204. 205. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל כזית דם הנפש במזיד חייב כרת בשוגג מביא חטאת קבועה ואם אכל כזית מדם האברים במזיד לוקה בשוגג פטור *Conſtringit hoc interdictum omni loco & tempore, utrumque ſexum : Qui autem illud violaverit, & tantum de ſanguine animæ, elata manu, ederit, quantum eſt olea, reus eſt excidii ; ſi per ignorantiam tranſgreſſus fuerit, affert ſacrificium deſtinatum, ſi vero tantundem de ſanguine membrorum ederit deſtinata malitia, vapulat ; ſi ignoranter, impune fert*.



SECTIO

SECTIO XIII.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XXVII.

a cap. 9. Levitici ad cap. 12.

Abſoluta Præceptis Affirmativis ſex; Negativis undecim.

Illa agunt 1. De examine & inveſtigatione ſignorum beſtiæ & feræ. 2. De ſignis piſcium. 3. Locuſtarum. 4. De pollutione octo reptilium. 5. De pollutione eſculentorum. 6. De pollutione cadaveris.

Hæc nolunt 1. Ingredi ſacerdotes ſanctuarium, promiſſam alentes comam. 2. Ingredi ſanctuarium laceratis veſtibus. 3. Egredi ſanctuario tempore cultus. 4. Intrare ſacerdotem ſanctuarium ebrium, aut docere. 5. Quemquam edere beſtiam aut feram immundam. 6. Edere piſcem immundum. 7. Edere avem immundam. 8. Edere reptile terræ. 9. Edere reptilia tenuia, ex ſeminibus & frugibus nata. 10. Edere reptilia aquatilia. 11. Edere reptilia ex putredine orta.

CXLIX. מצות בדיקת סימני בהמה וחיה *Præceptum indagandi ſigna beſtiæ & feræ*, id eſt, שנצטוינו לבדוק סימני בהמה וחיה כשנרצה לאכול מהם והם מעלת גרה ושסעת שסע שנ׳ זאת תהיה אשר תאכלו מכל הבהמה אשר על הארץ כל מפרסת פרסה *Quod injunctum nobis ſit, ut inveſtigemus ſigna beſtiæ & feræ, ubi voluerimus edere de iis, ſuntque ruminatio & ungularum fiſſio; juxta illud;* Hæc ſunt [*Levit.* 11. v. 2. 3.] animalia, quæ comedetis ex omnibus, quæ ſunt ſuper terram: Omne dividens ungulam, & findens fiſſuram ungularum, & ruminans inter animalia, illud comedetis. An præcepta hæc de inveſtigandis beſtiis, avibus, piſcibus & locuſtis, diſtincte ad numerum Præceptorum Moſaicorum pertineant, Rabbini certant, & adhuc ſub judice lis eſt. *Ramban* negat; cui ſe opponit *Rambam*: qua de re Rab. *Levi* in Chinn. qui Rab. *Moſi* fil. Nachman hoc loco accedit, etſi in cæteris, numero præſertim præceptorum, Maimonidem ſe ſequi fateatur. Ratio *Nachmanidæ* eſt: שאין ראוי שנמנה בדיקת סימני טהרה בבהמות מצוה כי באמת אחר שאסרה לנו התורה קצת הבהמה עכ״פ יתחייב להודיענו סימני הטהורות להפרישנו מן האיסו׳ *Quia non convenit, ut annumeremus inveſtigationem ſignorum munditiei in beſtiis, præceptis; cum, poſtquam interdixit nobis Lex quaſdam beſtias, neceſſario etiam nota nobis faciat ſigna mundarum, ut ab interdicto eas ſeparare poſſimus.* Sequitur alias præceptum inveſtigationis, ex interdicto ſponte; שכל מה שבא לנו איסור עליו ראוי ומחוייב עלינו לבדקו יפה *quum omne id, quod prohibetur nobis, neceſſario exacte & accurate explorandum nobis veniat.* Notas beſtiarum mundarum ipſa Sacra Scriptura expreſſit: Illis tam ferarum, quam beſtiarum inſigniuntur viginti, ex quibus notiores ſunt bos, agnus, caper. Reperiuntur autem notæ iſtæ duæ, מעלת גרה ושסעת שסע *ſemper fere conjunctæ*. Unde Rab. *Levi* כל בהמה בעולם מעלת גרה היא מפרסת פרסה חוץ מן הגמל וכל שמפרסת פרסה היא מעלת גרה חוץ מן החזיר *Omnis in orbe beſtia quæ ruminat, dividit ungulam, excepto camelo; & quæcunque dividit ungulam, ruminat etiam, excepto porco.* Confert, exactum beſtiarum atque ferarum mundarum & immundarum examen, multum etiam, ad decidendas controverſias de adipe & ſanguine, teſte eodem Rab. *Levi*, וכמו שאנו צריכין לדעת סימני הכשרות להבדילו מן הטמאות כמו כן אנו צריכין לידע אי זו היא הבהמה ואי זו היא מין חיה מצד החלב שחלב בהמה אסור וחלב חיה מותר ועוד שדם החיה טעון כיסוי ולא דם הבהמה *Quemadmodum neceſſum eſt nos perſpecta habere ſigna conceſſarum* [beſtiarum & ferarum] *ut ab immundis illas diſtinguere poſſimus:* ſic etiam opus eſt, *nos noſſe, quænam illa beſtiarum aut ferarum ſit ſpecies, propter adipem: Adeps enim beſtiæ prohibitus eſt: feræ vero conceſſus. Sanguis inſuper*

ſuper feræ tegi debet, ſanguis beſtiæ non item. De ſignis mundæ beſtiæ res ex Scriptura clara eſt: ſed quæ indicia ſunt feræ licitæ? Traditioni hoc deberi fatetur Rab. *Levi*, qui γνωρίσματα ferarum in cornibus oſtendit, quæ ſi accedant ad ſimilitudinem bovis, capræ, & capreoli, feram dabunt mundam. Quid ſi vero animal aliquod repertum nullum habeat cornu? Tuto illud Iſraelita comedat, ſi uſu & conſuetudine didicit illud cognoſcere & ab aliis diſtinguere. Verum conſuli de his poſſunt *Talmud.* in Chol. *Maim.* Hil. Maacol. cap. 1. סמג A. S. 9. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ולא בדק אלא שראה בה הסימן האחד וסמך עליו ואכל ממנה אף על פי שמצא אחר כך שהיתר אכל בטל עשה זה של בדיקת הסימנים *Valet hoc præceptum omni loco & tempore, in maſculis & fœmellis; Qui vero tranſgreſſus illud, ſcrutinium non inſtituerit, ſed, poſtquam unum tantum in ea [beſtia aut fera] ſignum viderit, eique fiſus de illa ederit, etſi poſtea deprehendat, ſe licitum ediſſe, reddit irritum affirmativum hoc, de inveſtigatione ſignorum.*

CL. לבדוק בסימני דגים כלומ׳ שהרוצה לאכול מן הדגים שיבדוק תחלה בהן יפה הסימנין שנתנה התורה בהן והן סנפיר שנ׳ את זה תאכלו מכל אשר במים *Inveſtiganda ſigna piſcium. Id eſt, ut qui de piſcibus edere cupit, exploret prius accurate in illis ſigna, quibus Lex nobis illos notat, ſuntque pinnæ & ſquamæ, juxta illud:* Hoc autem comedetis [*Levit.* 11. v. 9.] ex omnibus, quæ ſunt in aquis: omnia quibus ſunt pinnæ & ſquamæ in aquis maris, & in fluminibus, illa comedetis. Obſervant Rabbini 1. unica ſquama piſcem eſui licitum reddi. Rab. *Levi*. סנפיר הוא מה שבדג שהוא לא כעין כנפים שפורח בהן וקשקשת היא אותה קליפה שעליו הרבוק בכל גופו ואע״פ שלא נמצא הקשקשת כי אם במקצת גופו ואפילו אחת לבד דיו וכשר Senappir *eſt in piſce loco alarum, efflorеſcens in illo:* Kaskeſchet *autem eſt teſta, quæ toto ei corpore adhæret: Etſi vero ſquama in quibuſdam locis corporis, imo in unico tantum appareat, ſatis, fitque legitimus:* Si nempe, ut eſt in *Toſiphta*, ſquama illa ſubter branchiis, aut pinnis reperiatur: In cæteris locis duæ minimum requiruntur. Quod ſi ergo, loco dicto, ſquama ſe prodat, ne quidem ulteriori inveſtigatione opus eſt, an etiam pinnam habeat, quod neceſſario ſequitur: אבל כשימצה בו סנפיר צריך לבדוק אם יש בו קשקשת כי יש דגים טמאים הרבה שיש להם סנפיר *Verum, cum reperta fuerit in eo pinna, explorari debet, an & ſquamas habeat: Quia multi ſunt piſces immundi, pinnis præditi.* 2. כל דג שבטבעו יש לו קשקשים אע״פ שאין נעשין בו בעודו קטון עד שיגדיל כגון הם ולתנית והאפיין הרי זה מותר *Omnem piſcem natura ſquamoſum; etſi ſquamæ non creſcant, dum parvus eſt, ſed demum ubi adoleverit, ut tunina, & aphian; permitti.* 3. כל שיש בו קשקשים בעודו בים אע״פ שהוא מסיר אותו שעולה מן הים הרי זה כשר *Omnem piſcem, qui, quamdiu in mari eſt, ſquamas habet, etſi eas, dum e mari aſcendit, abjiciat, licitum eſſe.* Uſus, objectum, & pœna hujus præcepti iiſdem exprimuntur verbis, quibus ſuperius. Plura pete ex *Maim.* Hil. Maacol. cap. 1. סמג A. S. 42.

CLI. לבדוק בסימני חגבים והם הסימנים הכתובים בתורה אשר לו כרעים ממעל לרגליו וכו׳ שנ׳ את זה תאכלו מכל שרץ העוף *Signis explorandas eſſe locuſtas; ſigna autem in lege expreſſa ſunt, ut habeant crura ſupra pedes ſuos; juxta illud:* Hoc comedetis ex omni [*Lev.* 11. 21.] reptili alato, quod graditur ſuper quatuor pedes, cui ſunt crura ſuper pedes ſuos, quibus ſaliant ſuper terram. ופירשו ז״ל ששמנה מיני חגב טהור הן ואלו הן אחד שנקרא חגב שני שנקרא רבנית והוא מן חגב שלישי שנקרא חרגול רביעי עוצרכיא והוא מין חרגול חמישי ארבה ששי צפורת כרמים והיא מין ארבה שביעי סלעם שמיני יוחנא ירושלמית והוא מין סלעם מי שהוא בקי בדק בהן לפי בקיאותו ובשמותיהן ואוכל ומי שאינו בקי בהן בורק בסימנין שנתנה התורה בהן ושלשה סימנין הן ואלו הן ד׳ כנפים שחופות רוב אורך ורוב היקף גופו וד׳ רגלים ושני כרעים לנתר בהן על הארץ ויש אומר׳ שצריך לדעת שיהא שמו חגב *Ponunt Rabbini octo ſpecies* Chagab, *ſeu locuſtarum, quæ mundæ ſunt. Prima vocatur* Chagab; locuſtæ ſpecies, quam alii cicadam vertunt, alii bruchum. *Secunda* Rabbanit; *ſpecies Chagab. Tertia* Chargol; cantharus, juxta quoſdam. *Quarta* Uzercaia, *ſpecies Chargol. Quinta* arbeh; vulgo locuſta. *Sexta* avis vinearum, *ſpecies arbeh. Septimæ* Solham; bombyx. *Octava* Juhanna Jeroſolymitana, *ſpecies Solham. Si quis ſubtilior fuerit, explorat illas pro ſubtilitate ſua, ſecundum nomina eorum, poſteaque* edit. *Tardior vero in examine illarum, ſcrutatur illa per ſigna in Lege data, cujuſmodi ſunt tria, nempe:* Quatuor aliæ *quibus teguntur, longæ valde, & amplæ in ambitu corporis:* Quatuor pedes, & duo crura, *quibus ſaltare poſſint ſuper terram. Dicunt tamen alii, requiri ut ſciat quiſque, nomen ejus eſſe* Chagab. Pœna, & ſubjectum præcepti coincidit cum duobus ſuperioribus.

CLII. להיות שמנה שרצים טמאים ומטמאין שנ׳ וזה לכם הטמא בשרץ השורץ על הארץ החולד והעכבר והצב וכו׳ *Octo esse reptilia, quæ & polluta sint, & polluant*, q.d. Et hæc vobis immunda erunt [*Levit.* 11. v. 29.] inter reptilia, quæ reptant super terram, mustela & mus, & rubeta secundum speciem suam : Et mygale, & chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa. Ad pleniorem hujus præcepti explicationem Rab. *Levi* 1. præfatur, neminem eam sapientiæ arcem ingressum esse, ut omnium rerum exquisitissima notitia sit imbutus. Verba ejus sunt : לא יספק כל מי שיש בו דיעה שלא היה אדם בעולם שהשיג לדעת כל החכמ׳ עד סופה שלא יתעלם לו ממנה שהרי אפי׳ על משה רבינו אמרו ז״ל ששים שערי חכמ׳ הן וכולו נמסרו למשה חוץ מאחד וכן שלמה המלך החכם אמר על עצמו אמרתי אחכמה והיא רחוקה ממנו *Nemo sapiens dubitat, quin nullus in mundo sit homo, qui sapientiam omnem ad finem usque sit assecutus, adeo ut nihil ipsum lateat. Nam & de Mose dixerunt Magistri nostri.* Sexaginta sunt portæ scientiæ, & omnes Mosi sunt traditæ, una excepta. *Ita & Salomo, sapiens ille Rex, de semetipso dixit* : Dixi, sapienter agam, & ipsa [sapientia] recessit longe a me. 2. Proinde non esse magnopere mirandum, si vel maxime omnium præceptorum ratio non sit plene & explorate perspecta. Sufficere, nihil Dei providentiam permittere, quod nobis non cedat in bonum. וכן לא יספק כל שיש לו מוח בקרקדו כי הש״י שהוא אב החכמה ומאתו נמצאות בו נכללת כולה ואין שום ספק גם כן כי אב כל הטובות לא יצוה דבר את בריותיו רק לטובתם ולתועלתם ולהרחיק כל נזק מעליהם ועל כן כאשר נשיג בחכמתנו מן המצות לדעת התועלת המגיע לנו בהם נשמח בו וכאשר אין אנחנו משיגים מהם בחכמתנו התועלת שלנו בהם יש לנו לחשוב עכ״פ כי ביתרון החכמה אשר לש״י על כל בריה ידע התועלת אשר לנו באותה מצוה ועל כן צונו עליה *Nemo præterea dubitat, qui cerebrum habet in capite, quin in Deo Benedicto, patre sapientiæ, universa sapientia reperiatur : Neque vero ambigendum, quin Pater omnium bonorum nihil præcipiat creaturis suis, quod bono & commodo illorum non inserviat, & quo omne damnum ab illis averruncetur. Proinde, si sapientia nostra præceptorum quorundam usum, qui inde ad nos redit, assequamur, lætemur de eo; sin autem commodum illud, nostra sapientia, assequi, non possimus, cogitandum tamen est, Deum, ex abundantia sapientiæ, qua superat omnes creaturas, nosse utilitatem, quæ in illo nobis præcepto reconditur, proptereaque illud nobis præcepisse.* 3. Neque etiam propterea, quod rationes Physicæ non semper appareant in negotio pollutionum, [cujusmodi nonnullæ plane sint obscuræ, ut vacca rufa, quæ purum polluat, & pollutum mundet] nullas plane subesse, putemus. Fieri enim posse, ut pollutio ejusmodi corporis, ipsi animæ noxia sit, & inimica. Etsi enim corpus & anima rationalis multum differant, ut animæ a corporis morbis & malis, nihil extimescendum videatur, interim מפני שתופה לנפש עם הגוף אירע לה כן עכ״פ tamen ei, propter κοινωνίαν animæ cum corpore hoc accidere posse. 4. Octo tantum esse reptilia, quæ mortua contactu pulluant; Rab. *Levi* שמנה שרצים הם נקראים אב הטומאה כלומר שמטמאין אדם וכלים במגע ואם הכלים של חרש מטמאין אותן מכיון שיכנסו בתוך אוירו וזהו החילוק שיש בעניין הטו מאה בין מה שנק׳ אב למה שנקרא ולד הנקרא אב מטמא אדם וכלים והשרצים אינם מטמאין עד שימותו שנ׳ הנוגע בהם במותם יטמא וה שרצים אלו דוקא הוא שמטמאין אבל כל שאר שרצים נחש ועקרב וכיוצא בהן אינו מטמאין כלל *Octo reptilium species vocantur* paternæ pollutiones, *quod videlicet contactu polluant homines & vasa, & hæc quidem, si testacea fuerint, polluunt, ex quo vacuum ejus locum* [*concavitatem*] *intraverint*. Atque hoc discrimen est *inter pollutionem* patrem & prolem. Paterna pollutio *polluit hominem & vasa. Reptilia autem hæc non polluunt antequam mortua fuerint*, q.d. Quicunque tetigerit illa [*Levit.* 11. v. 31.] postquam mortua fuerint, immundus erit. *Sunt autem expresse octo hæc reptilia quæ polluunt: Cætera reptilia omnia, serpens, scorpius, &c. prorsus non polluunt.* Pollutionis macula æstimatur עדשה *spatio lentiginis*. Cum enim Lex absolute pollutionis horum reptilium meminerit, quædam vero lentiginem magnitudine non excedant, tantillo spatio definiendam illam pronuntiant. Cætera pete ex *Talm.* Tohor. Kel. *Maimon.* Hil. Sche. Abh. c. 4. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות לעניין שכל שנטמא בשרצים נקרא טמא ולא יעלה מטומאה עד שיטבול במים כדינו *Valet omni loco & tempore, in utroque sexu, nempe, ut quicunque pollutus fuerit a reptilibus istis, vocetur pollutus, neque a pollutione liberetur, usque dum, prout convenit, aqua fuerit ablutus.* Monet tamen Rab. *Levi Nachmanidem* nolle, specialibus pollutionum casibus, præceptorum numerum, esse augendum; neque hoc præceptum hodierno die, quo sanctorum & pollutorum, propter de-

stru-

ſtructum templum, tam exactam rationem habere non poſſint, inter הנוהגות *uſitata præcepta*, referendum.

CLIII. מצות עניין טמאת אוכלין. *Præceptum de pollutione ciborum*, vel, ut plenius ipſa præceptorum ſeries habet; שנצטוינו בשמירת טומאת אוכלין ומשקין ולהתנהג בעניין על פי התורה שהודיעתנו אין נדין בכל עניין טומאת אוכלין ומשקין והכלים המטמאים על ידן שנ׳ מכל האוכל אשר יאכל אשר יבא עליו מים. *Jubemur obſervare rationem pollutionis eſculentorum & liquidorum, & aſſueſcere præſtituto Legis, quæ notum nobis fecit, quomodo judicandum ſit omne negotium ciborum & liquorum, & vaſorum ſuper iis pollutorum*, q. d. Omnis cibus, qui comeditur, ſuper quem venerit aqua, immundus erit: Et omnis potus, qui potatur, in omni vaſe impuro, immundus erit; *Lev.* 11. v. 34. Obſervandum hic I. Cibi nomine eum tantum intelligi, qui hominis uſui & eſui cedit. Unde Canon Rabbinorum: כל אוכל שאינו מיוחד לאדם אינו מקבל טומאה כלל. *Omnis cibus, qui homini non eſt proprie aſſignatus, non recipit pollutionem*. II. שאינו נקרא אוכל לעניין קבלת הטומאה עד שיעקר מן הקרקע. *Non vocari cibum, ratione recipiendæ pollutionis; uſque dum e fundo fuerit evulſus*. Requiſitum videlicet cibi, pollutionis capacis, eſt, ut ne in viſceribus terræ defixus vel lateat, vel promineat, ſed ut evulſus ad cibum uſitatum præparetur. III. אין כל אוכל שבעולם נקרא אוכל לקבל טומאה עד שיבא עליו מים. *Nullum in orbe cibum, vocari cibum pollutionis capacem, antequam venerit ſuper eum aqua* לפי שהתורה לא תחשב שום דבר להיות ראוי לדיניו שבו עד שעת נגמר מלאכתו כמו שידוע בדיני הפירות לעניין תרומה ומעשרות. *Quia Lex non reputat quicquam reſpondere judiciis ſuis ante horam operis perfecti, ut conſtat ex judiciis frugum in negotio oblationis* (Trumæ) *& decimarum*. Senſus eſt: Legem in ejuſmodi præceptorum objectis menſuram perfectionis ſpectare. Habent Rabbini varias de liquorum pollutionibus obſervationes, quas, qui petit, ipſum adeat Rab. *Levi; Talm.* Tohor. Macſchir. *Maim.* Hil. okel. umaſchk. cap. 1. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות שנדון בעניין זה טומאת האוכלים והכשירן ומכל מקום עכשיו בחוצה לארץ שאין לנו בעונותינו מקדש וקדשים דיני הטמאות בטלים מכל מקום אם רצה לנהוג בהם בעצמו מנהג קדשים כאלו היה בארץ ולהזהר באוכלין לאוכלן בטהרה בזה ראוי לדין בהם. *Obtinet uſus omni loco & tempore, in utroque ſexu, ut ad hunc modum pollutionem ciborum, & rectificationem eorum judicemus. Nunc tamen, extra terram ſanctam, ubi, propter peccata noſtra non habemus ſanctuarium, & res ſacras, judicia pollutionum apud nos ceſſant. Quod ſi vero quis ſponte ſua conſuetudinem ſanctorum, perinde ac ſi eſſet in terra* (Iſraelis) *ſequi, cautioneque in edendis cibis adhibita, eoſdem edere munde velint, oportet, ut ſecundum hæc judicetur*, id eſt præſcriptam de his cibis legem per omnia ſequatur.

CLIV. מצות עניין טמאת נבלה. *Præceptum de negotio pollutionis cadaveris*, id eſt, להיות הנבלה טמאה ומטמאה שנ׳ וכי ימות מן הבהמה אשר היא לכם לאכלה וכו׳: *Cadaver & pollutum eſſe, & polluere*, q. d. Quum autem mortuum fuerit aliquod animal, quod ſit vobis in cibum, qui tetigerit cadaver ejus, erit immundus. Recte, ex *Maimonide*, Rab. *Levi* obſervat, præcepta affirmativa de pollutione, nolle hoc, quaſi quiſquam ſe polluere juberetur; quin potius, ut, qui rem immundam contrectavit, ex Legis præſcripto, immundus pronuntietur. Definiendam enim tranſgreſſionem ejuſmodi ad ſenſum eſſe, & mentem Legis. Eſt autem cadaver, ex Rabbinorum decreto אב מאבות הטמאות וכזית מבשרה מטמא אדם וכלים במגע וכלי חרש באויר. *Ex pollutionibus paternis, adeo ut tantum carnis ejus, quatenus eſt olea, ſolo contactu polluat hominem & vaſa; & vaſa quidem teſtacea, in ſpatio vacuo*. Vocatur porro נבילה ſeu *cadaver*, כל שמתה מאליה או שאירע פסול בשחיטתה. *Quicquid ſua ſponte perit, aut cui profani quid ex mactatione accidit*. Unde Canon Talmudicorum: כל שנפסלה בשחיטתה נבילה וכל ששחיטתה כראוי ודבר אחר גורם לה להפסל טריפה. *Quicquid mactationis vitio profanum habetur*, cadaver *dicitur*: *Quod vero rite mactatum aliam cauſam, ob quam profanum cenſeatur, habuerit*, diſcerptum *vocatur*. De hac materia hinc inde agitur in *Talm.* Maſſ. Kel. Tohor.

CLX. שלא יכנסו הכהנים למקדש מגודלי שיער כמו שיעשו האבלים כלומר שלא יגדלו שערותיהם כלומר ראשיכם אל תפרעו. *Ne ingrediantur ſacerdotes ſanctuarium promiſſam alentes comam, more lugentium, ſicut dicitur*: Neque nutriatis promiſſum capillitium. *Levit.* 10. v. 6. Vulgo reddunt; *Neque capita veſtra nudetis*. Aliam ſignificationem urgent hoc loco Rabbini. Eandem interpretationem *Targum* etiam habet & *Siphra*. Adeo ut ſenſus hujus interdicti ſit: * *Ne ſint capita veſtra integro, longo, & humeris involitante capillitio*; quæ ſignificatio apud Ara-

* Videat ſtudioſus Lector ea quæ ad hunc locum adnotavimus, Theſauri Tom. I. pag. 774.

Arabes in nomine فرع crebro occurrit: quemadmodum & فرعة *cæsariem & capillitii duos cirros ramorum instar diffusos* notat, וכבר נכפלה מניעה זו בכהן גדול ואמר את ראשו לא יפרע ואולם נכפלה כדי שלא נחשב מה שנ׳ לאלעזר ולאיתמר ראשיכם אל תפרעו שיהיה מצד המת בלבד. *Repetitur autem hoc præceptum in sacerdote magno cum dicitur*: Capillitium longum non habebit. *Lev.* 21. v. 10. *Propterea vero iteratur, ne id, quod Eleazari & Ithamaro* (cap. scil. 10. *Lev.* v. 6.) *dicitur*: Capita vestra prolixam comam ne nutriant, *dictum iis existimetur ob luctum tantum*: Ne igitur putent, extra hunc casum sibi cæsariem alere licere, iterum summo sacerdoti inculcatur, ut cultus gratia factum illud fuisse, certius cognoscat. Finis hujus præcepti est הגדלת הבית *dignitas & Majestas Ædis*. Si enim, ut est in Historia Estheræ, habitu lugubri non licuit salutare regiam; multo minus Templi sacri limina, schemate lugubri, esse subeunda: cum in ejus structura & apparatu huc omnia spectent, ut, excitatis animis, feramur ad remotionem mali, & consecutionem boni. Externis enim ejusmodi gestibus cogitationes nostras, gradibus quasi, ad spiritualia evehi. Observant porro Rabbini: שאסור גדל פרע בכהנים הדיוטים אינו אלא בשעה ביאה למקדש אבל כל זמן שאין כהן הדיוט נכנס למקדש אינו באיסור גדול פרע כלל אבל כהן גדול לפי שהוא תמיד למקדש אסור בגידול פרע לעולם. *Interdictum de alenda coma in sacerdotibus vulgaribus, non valere nisi tempore, quo sanctum ingrediuntur: Omni reliquo tempore, quo sanctum non ingrediuntur, plane hoc præcepto de non nutriendis promissis comis non teneri. Sacerdotem vero magnum, qui in sanctuario semper occupatus est, interdicto hoc perpetuo teneri.* Terminus גידול פרע *crescentis comæ* definitur spatio 30. dierum, quod in Nazirætu etiam observabatur, ונוהגת בזמן הבית בזכרי כהונה ועובר עליה ונכנס למקדש פרוע ראש כלומר אחר שיגדל שערו ל׳ יום ועבר שם חייב מיתה בידי שמים שנ׳ ראשיכם אל תפרעו ולא תמותו ודברי התורה נוטריקון הם כלומר הא אם יפרעו ראשיהם ימותו ומכל מקום אין עבודתו פסולה ומי שנכנס לשם ולא עבד הוא באזהרה כלומר שעבר על לאו ולוקה אבל אינו במיתה אלא אם כן עבד שכן בא לנו הפירוש. *Præcepti hujus usus fuit sub templo, in sacerdotibus masculis. Violator præcepti, qui sanctuarium fuit cum capillitio promisso ingressus, id est, qui comam suam ultra trigesimum diem aluit, ibique sacra fecit, mortis* θεηλάτε *erat reus*, q. d. Comam in capitibus vestris ne nutriatis, neque moriamini. *Continent verba Legis in se Notaricon, quasi diceret: Ecce, si comam aluerint, morientur. Cultus tamen administratio non censetur propterea profana. Qui vero illuc intraverit quidem, sacra autem non peregerit, in admonitione est, quia transgressus est negativum, vapulat: Morte tamen non multatur, nisi etiam cultum administraverit*: Hanc enim expositionem accepimus. Confer *Maimon.* Hil. Biat. Mikd. cap. 1. סמג N. S. 300. 301. 302.

CLVI. שלא יכנסו הכהנים למקדש קרועי בגדים שנ׳ ובגדיכם לא תפרמו פי׳ אל תקרעו בגדיכם ונכפלה מניעה זו בכהן גדול שנ׳ עליו ובגדיו לא יפרום וכפל המניעה בו מפני תוספת דבר שבו שאינו רשאי לקרוע על מת שימות לו ואפי׳ שלא בשע׳ עבודה ואמרו בספרא ראשו לא יפרע ובגדיו לא יפרום על מתו כדרך שבני אדם פורעין ופורמין על מתיהן הא כיצד כהן גדול פורם מלמטה וההדיוט מלמעלה. *Ne ingrediantur sacerdotes sanctuarium laceratis aut dissutis vestibus*, q. d. Et vestes (*Levit.* 10. v. 6.) vestras ne scindatis. *Repetitur autem hoc præceptum in sacerdote magno, de quo dicitur*; Et vestes suas non discindet; *Levit.* 21. v. 10. *Ubi repetitio instituitur propter additamentum, quod illi accedit, non licere videlicet ei propter mortuum suum scindere vestes, etsi hora cultus non insit. Dicitur autem in Siphra: Capillitium longum non alat, nec vestes suas scindat propter mortuum suum, eo nempe modo, quo reliqui homines vel comam nutriunt, vel vestes discindunt. Quo vero discrimine? Sacerdos magnus scindit superne, Idiota inferne.* Vox פרם quæ rarissime apud Hebræos occurrit, etiam Arabum lingua significat *minutatim, in particulas discindere*. Ratio hujus præcepti cum proxime præcedenti coincidit, וחיוב קריעה הוא זו שתהיה כמו קריעה שקורעין על המתים ומן הרומה שהיא טפח שכן אמרו במועד קטון שאין קריעה פחות מטפח. *Reatum discissionis hujus contrahi, cum illa responderit discissioni eorum, qui vestes propter mortuos lacerant. Verisimiliter autem illa spatio spithamæ definitur.* Dicunt enim in *Moed Katon*; Discissionem spithama minorem non esse, ונוהגת בזמן הבית בזכרי כהונה ועובר עליה ונכנס למקדש מן המזבח ולפנים קרוע בגדים ועבד חייב מיתה בידי שמים ואם לא עבד הרי הוא באזהרה ולוקה. *Usitatum fuit hoc præceptum stante templo, in masculis sacerdotibus. Qui vero transgressus illud, sanctuarium inde ab altari vestibus a fronte laceratis intraverit, cultumque peregerit,*

rit, reus eſt mortis θενλάτȣ. *Si ſacra non adminiſtraverit, ecce in admonitione eſt, proptereaque vapulat.* Ita Rab. *Levi* ex Rab. *Maimon. Nachmanides* vero, liberat ab omni pœna ſacerdotem, qui laceris veſtimentis templum ingreditur, ſi ſacra non faciat.

CLVII. שלא יצאו הכהנים מן המקדש בשעת עבודה שנ׳ ומפתח אהל מועד לה תצאו ולא תמותו ונכפלה מניעה זו כמו כן בכהן גדול ואמרו ומן המקדש לא יצא. *Ne egrediantur ſacerdotes e ſanctuario, tempore cultus*, q. d. Neque ab oſtio tabernaculi conventus egrediemini, ne moriamini; *Levit.* 10. v. 7. *Quod quidem interdictum repetitur in ſacerdote magno, cum dicunt*: Et de ſanctuario ne egrediatur. Rationem repetitionis reddit *Maimon.* Hil. biathammikd. cap. 2. מפני מה נשנית אזהרה זו בכהן גדול שכהן הדיוט שהיה במקדש בעבודתו ושמע שמת לו מת שהוא חייב להתאבל עליו אעֿפ שאינו יוצא מן המקד׳ אינו עוב׳ מפני שהוא אונן ואם עבד והוא אונן של תורה חלל עבודתו בין בקרבן יחיד בין בקרבן ציבור אבל כהן גדול עובד כשהוא אונן שנ׳ ומן המקדש לא יצא ולא יחלל כלו׳ ישב ויעבו׳ עבודה שהיה עבודה שהיה עוסק בה ואינה מתחללת. *Cur repetitur hæc admonitio in ſacerdote magno? Quia ſacerdos vulgaris, ſi in ſanctuario, cultui ſuo vacans, audierit, eſſe aliquem ſibi mortuum, tenetur lugere ipſum; etſi talis non egrediatur ſanctuario, non tamen ſacra facit, quia in luctu eſt. Quod ſi, ſecundum Legem lugens,* λειτȣργεῖν *pergat, profanus eſt ejus cultus, ſive ſingulare ſit ſacrificium, ſive commune totius cœtus. Sacerdos autem magnus ſacrum obit, etſi ſit in luctu*, q. d. Et de ſanctuario ne egrediatur (*Levit.* 21. v. 12.) neque profanet, id eſt, *maneat, cultumque ſuum, in quo occupatus eſt, peragat, talis enim non profanatur.* Idem habet R. *Levi*, pag. 63. b. Ratio præcepti eſt dignitas & majeſtas cultus ſacri. ועל כן ראוי עכֿפ שלא להניח ולצאת העבדה היקרה בשום עבודה שבעולם כי אם באמת אם יניחוה יהיה זלזול בה ווהיו מראים בעצמם שיהיה בעולם דבר גדול מעבודת השֿי אשר שתהיה נדחית אפילו לפי שעה בשביל שום דבר אחר ועל כן הוזהרו על זה במיתה. *Propterea omnibus modis convenit, ne egrediendo (cultus) tam pretioſus, ob quemcunque alium cultum in mundo deſeratur. Vere enim, ſi ſacerdotes eum deſererent, in contemtum ejus illud cederet, & ſuo monſtrarent exemplo, eſſe aliquid in mundo cultu Dei Benedicti majus, quod vel ad horam illum pellat: Proinde ſub pœna mortis ea de re ſunt moniti.* ונוהגת בזמן הבית בזכרי כהונה עבר ויצא בשעת עבודה לוקה. *Valet ſtante templo in ſacerdotibus maſculis. Tranſgreſſor, qui, tempore cultus, egreditur, vapulat.* Plura in *Maim.* loc. cit. סמג S. 303.

CLVIII. שלא להכנס שתוי במקדש וכן שלא להורות כלומר שלא לדון בדבר מדיני התורה בעוד שיהא האדם שכור שנ׳ יין ושכר אל תשת. *Non eſſe poto* [minus eſt, quam שכור *ebrius*] *ingrediendum ſanctuarium, neque docendum, id eſt, judicandum de judiciis Legalibus cuiquam, dum ebrius eſt, quemadmodum dicitur*: Vinum & ſiceram non bibes, tu, & filii tui tecum, cum intraturi eſtis tabernaculum Conventus, & non moriemini; *Levit.* 10. verſ. 9. Ratio manifeſta eſt שאין ראוי להתעסק בדבריהם היקרים בתכלית היוקר כמו ענייני המקדש ודברי התורה רק בעת שיהיה האדם מיושב בדעתו ומכוון בכל מעשיו. *Quod non deceat tractare res pretioſiſſimas; cujuſmodi ſunt res ſanctuarii, & negotia Legis, niſi eo tempore, quo homo compoſita eſt mente, & recte diſpoſitus in omnibus ſuis operibus.* Subjectum hujus præcepti *primarium* ſunt ſacerdotes. Rab. *Levi* אמרו זֿל שכל כהן הכשר לעבודה אם שתה יין הרי זה אסור לו להכנס מן המזבח ולפנים ואם נכנס ועבד עבודתו פסולה וחייב מיתה בידי שמים שנ׳ ולא ימותו. *Dicunt Magiſtri noſtri: Omnem ſacerdotem, ad obeundum cultum, legitimum, ſi vinum biberit, prohiberi ne ab altari, & ulterius ingrediatur*, (in penitiorem videlicet ſacrarii partem) *ſi vero ingreſſus ſacra fecerit, cultum ejus cenſeri profanum, ipſum autem fieri reum mortis* θενλάτȣ, q. d. Neque moriantur. *Secundarium* vero quilibet Iſraelita. אסור לכל אדם בין כהן בין ישראל להכנס למקדש שלו מתחלת עזרת ישראל ולפנים כשהוא שתוי יין או שכור או פרוע ראש דרך ניוול כלומר ששערות ראשו גדולים ביותר או קרוע בגדים ואעֿפ שאינו באזהרה איסור יש בדבר והאיסור אינו אלא מפני כבוד הבית ולפיכך ישראל מותר ליכנס שם בשערות רשו מגודלות יותר מל׳ יום שאין זה ניוול אצל בני אדם. *Non licet cuiquam, ſive ſacerdos fuerit, ſive Iſraelita, ingredi ſanctuarium, ab initio atrii Iſraelitarum & ultra, ſi vel potus fuerit, vel ebrius, aut turpiter, id eſt, præter decorum nimis prolixam aluerit comam, aut laceratas habuerit veſtes. Et quanquam nullam habeat hac de re admonitionem, probibita tamen illa eſt, non alio fine, quam ad decus Templi. Proinde conceditur Iſraelitæ eo intrare, etſi comam ſuam ultra dies triginta nutriverit, quia hoc hominum* (vulgi) *judicio fœdum non eſt.* Alia tamen & paulo rigidior ratio eſt ſacerdotis, ut *ſupra* S. 155. monuimus. Arcetur autem homo tam ab ingreſſu ſanctuarii, quam ferenda

da ſententia in negotiis gravioribus אם ישתה לוג שהוא ביצה ומחצה ושישתה חי ובבת אחת *Si biberit quartam partem Logi, quæ continet ovum cum dimidio* (eſt enim Log ſextarius, menſura liquidorum, vigeſima quarta pars ſeæ, ſive ſati, ſex ova continens, inquit *Kimch.* lib. Radic.) *ſi merum illud biberit una vice.* Quod ſi ſacerdos שתה יותר מרביעית מן היין אעפ שהיה מזוג ואעפ שהפסיק ושתה מעט מעט חייב מיתה ופוסל העבודה *plus biberit quam quartam partem vini, etſi mixtum illud fuerit, & per interſtitium paulatim biberit, ipſe mortis reus eſt, cultus vero ejus illegitimus.* Sed ſi limites & menſuram præſcriptam non tranſilierit, cultui ejus nihil decedit: Nam ſi biberit כרו רבועית בלבד והיה בה מים כל שהוא או ישן מעט הלך כדי מיל כבר עבק היין ומותר לעבוד *quartam partem tantilla permixtam aqua, aut dormiverit nonnihil, aut etiam iter unius quaſi milliaris fecerit, adeoque vinum tranſierit, miniſtrare ipſi licet.* Quid ſi vero inebriatus fuerit alio potu? היה שכור משאר המשכרים אסור להכנס למקדש ואם נכנס ועבד והוא שכור משאר המשכרים אפילו מן החלב או מן הדבילה הרי זה לוקה ועבודתו כשירה שאין חייבין בשעת העבודה ואין מתחללת אלא בשיכור מן היין. *Si ebrius fuerit ex alio potu inebriante, non licet ei ingredi ſanctuarium: Si tamen ingreſſus fuerit, cultumque adminiſtraverit ebrius, ex reliquis inebriantibus, imo etiam ex lacte aut palatha, plagas accipit, ſalvo tamen cultu ejus, quia non in mortis reatum incurritur niſi propter vinum tempore miniſterii, nec irritus redditur cultus niſi ab eo, qui vino eſt inebriatus.* Quemadmodum autem, inquit Rab. *Levi*, אסור לכהן לבוא למקדש מפני השכרות כך אסור לכל אדם בין כהן בין ישראל להורות כשהוא שתוי אפילו שתה דבש תמרים או חלב ונתאלבלה דעתו אל יורה שנ׳ בפרשה יין ושכר אל תשת. *Interdictum eſt ſacerdoti ingredi ſanctuarium propter ebrietatem: Ita unuſquiſque, ſive ſacerdos fuerit, ſive Iſraelita, probibetur docere, cum potus fuerit, etiam ex potu mellis dactylorum* (Arabibus سكر certe *vinum dactylorum* peculiariter notat) *aut lactis, & turbata fuerit mens ejus, ne doceat, juxta monitum Paraſchæ*: Vinum & potum inebriantem ne bibat. Interim, הורה בדבר שהוא מפורש בתורה עד שיודיעוהו הצדוקין מותר *docere, ſeu ſententiam pronuntiare de re in Lege ita clare tradita, ut ne a Sadducæis quidem in dubium vocetur,* licet. Permittunt etiam ebrio לקרות בתורה ואפילו הלכות ומדרשות והוא שלא יורה *Lege in Lege: Imo etiam in Hilcoth, & Medraſchot, non tamen eo fine, ut demonſtrationes faciat.* Ordinario Doctori ne quidem diſcipulos inſtituere licet, quia inſtitutio demonſtrationi reſpondet. ונוהגת איסור ביאת המקדש בשכרות בזמן הבית בזכרים ונקבות ומניעת ההורייה בכל מקום ובכל זמן בזכרים וכן באשה חכמה הראויה להורות וכל מי שהוא חכם גדול שבני אדם סומכין על הוראתו אסור לו לשנות לתלמידיו והוא שתוי שהלימוד שלו כמו הוראה הוא כמו שאמרנו ועובר עליה ונכנס שתוי יין מבין האולם ולמזבח ולפנים חייב מלקות ואם עובר עבודה חייב מיתה בידי שמים ואם שתה משאר המשכרים ועבר חייב מלקות לבד לא מיתה וכן כל מי שהורה והוא שתוי בין כהן בין ישראל עבר על לאו בין שתוי מן היין או שתוי משאר המשכרים: *Uſus interdicti ingreſſus in ſanctuarium, propter ebrietatem, obtinuit, ſtante templo in utroque ſexu: Probibitio vero demonſtrationis obſtringit omni loco & tempore maſculos, & fœminam, ſi quæ ſit faciendis demonſtrationibus apta, ſapientem. Omnis autem præclare ſapiens, cujus demonſtrationibus alii innituntur, probibetur docere diſcipulos ſuos, ſi potus ſit; quia talis inſtitutio demonſtrationi ſimilis eſt, ſicut diximus. Qui vero, violato hoc præcepto, vino madidus progreſſus fuerit, inde ab atrio ad altare, & ulterius, reus eſt flagellationis: Si cultum adminiſtrarit, mortem meretur* θεήλατον: *Si, poſtquam de cæteris inebriantibus biberit, ſacra peragat, in plagarum tantum pœnam incurrit, mortis non item. Qui autem docuerit, aut demonſtrationes fecerit potus, ex quocunque potu, tam vino, quam reliquis inebriantibus, ſive ſacerdos fuerit, ſive Iſraelita, tranſgreditur negativum. Nachmanides* tamen aſſerit, Rabbinorum tantum decreto prohiberi vino potis ingreſſum ſanctuarii; Lege vero arceri a liturgia ſacerdotes. Conſule *Maim.* Hil. Biat. Mikd. cap. 1. סמג N. S. 300. 301. 302.

CLIX. שלא לאכול בהמה טמאה שנ׳ את זה לא תאכלו ממעלה הגרה וממפריסי הפרסה וכו׳ ואת הגמל והחזיר והארנבת והשפן ומיני שאר בהמה טמאה לא בא עליהם לא בביאור אלא מכיון שאמרה תורה כל בהמה מפרסת פרסה ומעלה גרה בבהמה אותה תאכלו נדע שכל מה שאין בו שני הסימנין יחד הוא נמנע מלאוכלו *Non edendam beſtiam immundam*, ſ. d. Verumtamen (*Levit.* 11. v. 4.) hoc non comedetis ex his quæ ruminant, & ex his quæ dividunt ungulam, camelum, & porcum, & leporem, & cuniculum. *Reliquæ ſpecies beſtiæ immundæ expreſſe non ponuntur; ſed ex eo, quod Lex dicit*: Omne dividens ungulam (*Levit.* 11. v. 3.) & findens fiſſuram ungularum,

&

& ruminans inter animalia, illud comedetis; *cognoſcimus, omnis ſpeciei, quæ has duas notas conjunctim non habet, eſum eſſe interdictum*. ופירוש מפרסת פרסה הוא שפרסותיה סדוקות ופיר׳ שוסעת שסע לומר שתהא הפרסה מובדלת לגמרי מלמעלה ומלמטה אבל אם היתה סדוקה למטה ומחוברת למעלה או בהפך טמאה היא ופי׳ מעלה גרה המקיאה האוכל מן המעים ומשיבה אותו לפיה לכותשו ולטוחנו הדק. *Volunt autem verba* מפרסת פרסה; ut ſint ungulæ ejus (beſtiæ) fiſſæ: *Verba vero* שוסעת שסע ut ſit ungula ejus plane diſtincta ſuperne & inferne: *Quod ſi fiſſa fuerit pars ſuperior, inferior vero conjuncta, aut vice verſa, impura eſt. Denique verba* מעלה גרה *ut revomat cibum ex viſceribus, & in os reducat, ad conterendum eum, & minutim commolendum*. Ratio hujus præcepti repetenda eſt ex interdicto טרפה cum qua convenit; utraque conſiſtit in *συμπαθέᾳ* corporis & animæ, ita ut noxius ciborum uſus & eſus ipſi quoque animæ periculoſus ſit. Aſſerunt autem Rabbini: שלא חלק הכתוב בבהמה וחיה טמאה בין בשרה לחלבה שהבל אסור ובשר אדם אע״פ שנקרא האדם נפש חיה ואינו מעלה גרה ושסע שסע אין בשרו בכלל איסור בהמה טמאה לעבור עליו בלאו ולפיכך האוכל מבשרו או שותה מהלבו בין חי בין מת אין לוקין עליו אבל מכל מקום אסור הוא בעשה שהרי מינה הכתוב שבעת מיני חיה ואמרו בהן זאת החיה אשר תאכלו מכלל שכל שהוא חוץ מאלו לא תאכלו: *Non diſtinguere Scripturam inter beſtiæ & feræ immundæ, carnem & adipem: Omnia eſſe prohibita. Carnem autem hominis, etſi homo vocetur anima vivens, neque ruminet, aut dividat ungulam, non comprehendi ſub generali interdicto beſtiæ immundæ, ut in eo violetur negativum. Nec, qui de carne ejus edit, aut de adipe ejus tam vivi quam mortui bibit, propterea vapulare. Prohibetur tamen per affirmativum; quia Scriptura ſeptem annumerat beſtiarum ſpecies, de quibus dicitur*: Hæc eſt beſtia, quam comedetis. *Ubi ſummatim colligitur*, reliquas omnes, extra has, non eſſe comedendas. Ita *Maimon. Nachmanides tamen vult, hominis carnem & ſanguinem ne quidem per affirmativum illicitis annumerari*. Canonem univerſalem eſſe apud Legulejos כל מיוצא מן הטמא טמא *Quidquid promanat ab immundo, immundus eſt.* At ſi ſanguis humanus ſub hunc ordinem redigeretur, quid de indulto Rabbinorum, quod ſanguinem gingivarum deglutire permittit, fieret? Neque tamen מכל מקום בשר ישראל מת אסור בהנאה *ex carne Iſraelitæ defuncti utilitatem quærere licet*. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל כזית מכל בהמה טמאה או שתה רביעית מחלבה במזיד לוקה בשוגג פטור Obſtringit uſus hujus Legis *utrumque ſexum omni loco & tempore: Qui vero tranſgreſſus tantum ederit, quantum eſt oliva, de quolibet animali immundo, aut biberit quartam partem de adipe ejus contumax, vapulat; ignorans, liber eſt*. Quod ſi vero propter immundas illas beſtias, quæ alteram munditiei habent notam, ut porcus, camelus, vapulant, qui tantillum comederint, quanto magis reatus ille contrahitur per eſum beſtiarum, quæ neutro munditiei charactere inſigniuntur? quærit Rab. *Levi*. Plura *Maim.* Hil. Maacol. cap. 2. סמג N. S. 121. סמק S. 206.

CLX. שלא לאכול דג טמא שנ׳ מבשרם לא תאכלו ואת נבלתם תשקצו. *Non comedendos piſces immundos*, q. d. De carne eorum non comedetis, & cadaver eorum abominabimini; *Lev.* 11. v. 11. De ſignis judicandi piſces mundos ab immundis, ratione item præcepti, diximus quædam *ſupra*. Nempe שהאל ב״ה הרחיק מעמו כל מה שנזק נמצא בו הן בהמה או עוף או דגים. *Quod Deus Benedictus removerit a populo ſuo, quicquid noxium eſt, ſive beſtia fuerit, ſive volucris, ſive piſcis*. Tranſgreſſor, tranſgreſſionis modus & pœna cum præcedenti conveniunt. Plura occurrunt in *Talm.* Chol. c. 3. *Maim.* loc. cit. סמג N. S. 132. 139. סמק 211. 212.

CLXI. שלא לאכול עוף טמא שנ׳ ואת אלה תשקצו מן העוף לא יאכל. *Non eſſe comedendam avem immundam, argumento loci*; Hæc autem abominabimini ex volatilibus; non comedetur, &c. *Levit.* 11. v. 13. Obſervant Rabbini 1. שסימני בהמה וחיה נאמרו מן התורה כלומר שהן מפורשין בתורה והן פרסה חלוקה לגמרי כמו השור והכבש ומעלה גרה וסימני העוף לא נאמר לפי שהתורה פירשה לנו כל הטמאי׳ שבעולם וכיון שכן הוא אין צורך לכתוב סימניהם כל עוף הנמצא בעולם חוץ מהם היא כשר. *Signa beſtiæ & feræ exprimi in Lege, ungulam nempe plane fiſſam, qualis eſt bovis & agni, & ruminationem: Signa autem avium non exprimi, quia Lex omnes aves immundas, quæ in univerſo ſunt mundo, nominibus ſuis proponit. Neque proinde opus fuit ſcribi omnes illarum notas, quia omnis avis, quæ in toto terrarum orbe reperitur*, exceptis illis (24. de quibus *Levit.* 11.) *legitima & licita eſt*. Quatuor nihilominus monent Rabbini eſſe ſigna, quibus aves immundæ a mundis diſtinguantur, ſi forte avium nomina ignota eſſent. Mun-

Mundi volatilis notæ ſunt, ſi 1. אינו דורס non infigat ſuas ungues; ita enim Rab. *Levi* explicat; id eſt, non ſit rapax. Arabes vocant أرعاب q. d. *aves timidas*. 2. habeat אצבע יתירה *redundantem digitum*, nempe האצבע הגדול שיוצא יותר משאר האצבעות *pollicem, qui præ cæteris digitis eminet*. 3. זפק *Ingluviem:* הואמקום רחב בסוף הושט קרקבן נקלף שמקבץ העוף שם המאכל בתחלת האכילה. 4. *Veſiculam gutturis nudam*. Rab. *Levi* eſt, המקום שטוחן בו העוף המאכל ויש לו עור רך בתוך הבשר לפנים יאותו העור נקלף ממקצרת העופות. Et quia, quod ipſi fatentur Rabbini (vide סמק N. 207.) has avium ſpecies Judæi diſcernere non poſſunt, neque eas aliis fere exprimere nominibus, ne in hanc legem impingant, quærunt. I. Quid de illis ſentiendum ſit avibus, in quibus tres tantum munditiei notæ apparent? Reſp. Rab. *Levi*. נמצא בגופו שלשה סימני הטהרה והם אצבע יתירה וזפק וקרקבן נקלף בידוע שהוא כשר וגם חרביעי הוא כן כלומר שאינו דורס שאינו בעולם עוף בג׳ סימנים אלו שיהיה דורס ואין צריך לבדוק אחריו כלל שיאכלנו מיד אבל נמצאו בו ג׳ סימני טהרה ויהיה אחד מן הג׳ שאינו דורס בזה וראי יש לספק כי רוב הטמאים הם כן שיש להם ג׳ סימני טהרה כאלו וצריך כל אדם לשאול על עוף כזה אם אינו מכיר כל המנואי׳ בתורה. *Si reperiuntur in corpore ejus tres notæ munditiei, digitus nempe redundans, ingluvies, ſtomachus denudatus, in confeſſo eſt, ejuſmodi avem eſſe mundam. Quarta enim nota tum ſponte ſequitur, quod non ſit rapax* (i. e. ut vocem Hebræam Germani rectiſſime reddunt, ein Stoßvogel) *quia nulla in orbe reperitur avis, tribus his ſignis notata, rapax. Quam proinde abſque ulteriori ſcrutinio poteſt comedere. Si vero reperiantur tria munditiei ſigna, ex quibus unum, quod non ſit rapax, jam manifeſtum eſt dubium, quia multæ aves ſunt immundæ, quæ eaſdem munditiæ habent notas; de tali ave omnem hominem, qui ſpecies in Lege numeratas, explorate diſtinctas non habet, inquirere oportet*. II. Quid faciendum in locis exteris in avium mundarum & immundarum examine? אמרו ז״ל שהן נאכלות במסורת כלומר שאם קבלו בני המקום ונהגו בפשיטות לאכלו בחזקת טהור שאין לפקפק עליו כלל ואין צריך לבדקו. *Dicunt Rabbini, eas comedi per traditionem, id eſt, ſi incolæ loci eas admiſerint, & ſimpliciter; quod puræ conſuetudine habeantur; edere conſueverint, non eſſe dubitandum de illis, nec ſigna perſcrutanda*. Quot modis dubius reddatur eſus avium? נמצא לפי דברונו שכל עוף שיסופק עלינו אם טמא או טהור יהיה עכ״פ בשני צדדים שיהיו לו ג׳ סימני טהרה ואחד מהם אינו דורס שיש לספקו ברוב מיני הטמאים או שיהיו לו שני סימני טהרה ואחד מהם אינו דורס שיש לספקו כעורב ומיניו אבל כל שאר הצדדין אינו בא לידי הספק אלא נדין אותו בו בטהור או בטמא מיד. *Conſtat autem; ita enim nos ſentimus; omnem avem, de qua dubitatur, ſit ne munda an immunda, duobus modis dubiam reddi. Si tria habuerit ſigna munditiæ, & unum ex illis fuerit, non eſſe rapacem, dubitandi occaſionem naſci ex multitudine ſpecierum immundarum: Sin autem duo tantum habuerit ſigna, quorum alterum etiam eſt, non eſſe rapacem, dubitandi rationem dari ex eo, quod corvus & ſpecies ejus, eadem nota inſigniantur. In omnibus cæteris modis nullum eſſe dubium, ſed e veſtigio judicandum de illis, ſint ne mundæ an immundæ*. Cætera pete ex *Talm.* cap. 3. Chol. Maim. loc. cit. סמג N. S. 128. 130. סמק S. 207. 209. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל כזית מעוף טמא במזיד לוקה בשוגג פטור. *Uſus ejus eſt omni loco & tempore in utroque ſexu; Qui vero tranſgreſſus tantum ederit de ave immunda ſuperbe, quantum eſt oliva, vapulat; ignorans vero liber pronuntiatur*.

CLXII. שלא לאכול שרץ הארץ שנ׳ כל השרץ השרץ שקץ הוא לא אכל. *Non eſſe comedenda reptilia terræ*, q. d. Omne reptile reptans ſuper terram, abominatio eſt, non comedetur: *Levit.* 11. verſ. 14. Obſervant hic Rabbini שחילוק בח׳ שרצים האמורים בתורה משאר שרצים שהם נחשים עקרבים חפושית נדל וכיוצם בהן שאמרו שמנה שרצים האמורים בתורה שיעור חייוב אכילתן כשיעור טמאתן שהיא כעדשה ושיעור האחרים כזית וכל השיעורים הלכה למשה מסיני. *Diſcrimen eſſe inter 8. ſpecies reptilium, in Lege expreſſorum, & cætera reptilia, ſerpentes, ſcorpiones, ſcarabæos, ſcolopendras, &c. Dicunt enim* (prop. menſuram & æſtimationem) *reatus comeſtionis earum, quæ in Lege exprimuntur, & pollutionis eſſe eandem, magnitudinem videlicet lentis: Æſtimationem autem cæterorum reptilium reſpondere olivæ. Omnes tamen pariter æſtimationes traditionem eſſe Moſis e Sinai*. Reliqua petantur ex *Talmud.* Maſſ. Chol. *Maimon.* Hil. Maacol. cap. 2. סמג 131. S. N. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל כזית מתולעים שבארץ במזיד לוקה ואם אכל משמנה שרצים אפילו כעדשה ליקה בשוגג פטור. *Obtinet omni loco & tempore in maſculis & fœmellis. Tranſgreſſor ejus, qui tantum proterve ederit e vermibus terræ, quantum oliva fuerit; vapulat: Si vero*

ederit

ederit ex octo illis reptilibus, quantum lens eſt, itidem plagas accipit; errorem ignorantiæ impune fert.

CLXIII. שלא לאכול מיני שרצים דקים הנולדים בזרעים ובפירות מעת שיצאו בארץ והוא הדין כל זמן שנעשו בפרי בעודו מחובר לקרקע אפילו שלא יצאו ושרצו על הארץ נקרא מכיון שנעשה בפרי בהיותו מחובר שנ׳ לכל השרץ השורץ על הארץ לא תאכלום ואם יצאו על הארץ אעֿפ שחזרו אחר כך לתוך הפרי שורץ על הארץ נקרא גם כן מכיון שיצא. *Non eſſe edendas ſpecies reptilium minutiorum, quæ naſcuntur in ſeminibus & frugibus, ex quo prodeunt & repunt ſuper terram. Id quod intelligendum de omni tempore, ex quo adnaſcuntur frugibus ſolo adhuc adhærentibus, etſi non egrediantur & ſuper terram reptent; appellantur, ea tamen ita, ex quo adnata ſunt frugibus, fundo adhuc junctis*, ſ. d. Omnia reptilia, quæ reptant ſuper terram non comedetis; *Lev.* 11. 42. *Et quoties egreſſa fuerint ſuper terram, etſi poſtea redeant in frugem, vocatur quodvis* reptile ſuper terram, ex quo tempore egreſſum eſt. *Maim.* ait שהלאו הזה הוא מכיון שיצאו לאויר אוהלכו על שטח הפרי. *Negativum hoc intelligi* (de inſectis illis) *primum atque prodierint in aerem, aut reptarint per circumferentiam fructus*, a quo R. *Levi*, etſi fateatur ſe libenter eum in reliquis ſequi, diſſentit & diſcedit, propterea, quod expreſſe in *Cholin* habeatur, שישאר עניין זה בתוקי *relinqui hanc rem in theca ſua*, i. e. ut ipſe *Maimon.* in Jad. chaz. obſervavit; שעניין זה הוא ספק ואין לוקין עליו. *Negotium hoc dubium eſſe, neque propterea plagas infligi cuiquam.* Unde & *Nachmanides* hunc Maim. errorem miratur. Excipiuntur autem ab hac lege multa inſecta, quæ non vocantur שרצי הארץ, nempe, זיזין של עדשים ותולעים שבאוכלוסים והוא מין קטנית ותולעים שבתמרים וגרוגרות והוא הדין לכל התולעים הנעשים בפירות אחר שנעקרו ולא פירשו מתוכן שאינו בלאו זה דשורץ על הארץ והיו מותרין מן הדין אלא שיש באוכל אותן שיקוץ לנפש קצת ואם יש בדבר ספק אם נעשו התולעים בפירו׳ קודם שנעקרו או אחר כך יברוק אותן יפה ואם הם דקים מאד עד שאינו יכול לבדוק ישהא אותם שנים עשר חדש ואחר כך מותרין לאכל בלא בדיקה מהכלל שידוע לרבותינו שבל אותם תולעים הפירות אין מתקיימין יבֿ חדש פי׳ אינו מתקיים כלו׳ מרכיון שעברו עליו יבֿ חדש הרי הוא כעפר׳ נמור. *Vermes lentes infeſtantes, & vermes ciceris* (legendum enim eſt כליסין de quo *Buxtorff.* Lex. Talm.) *quod & genus leguminis eſt* (alii tamen dicunt, eſſe nomen ficus) *vermes item, qui ſunt in dactylis, & ficis aridis: Eadem etiam eſt ratio omnium vermium, fructibus poſtquam evulſi fuerint, adnaſcentium, & ab iis recedentium, qui præcepro negativo reptilis reptantis ſuper terram non includuntur, ſed jure illi liciti ſunt, niſi quod edenti nauſeam aliquam creent. Quod ſi cui dubium fuerit ortum, utrum vermes fructibus, antequam evellerentur, an vero poſtea demum, ſint adnati, probe eos exploret. Si exiles valde fuerint, adeo ut eos explorare non poſſit, retineat eos ſecum duodecim menſes, poſteaque eſui omnino ſunt liciti abſque ſcrutinio. Nititur enim hoc, trito Rabbinorum axiomate;* Nullos ejuſmodi fructuum vermes durare 12. menſes; *nam, poſtquam duodecim menſes præterierint, inſtar pulveris eos eſſe minutiſſimi.* Ita etiam definierunt Rabbini; שתולעים הנמצאים במעי הדגים אסורים משום שרץ כי מבחוץ הם באים אבל הנמצאים בהם בין עור לבשר או בתוך הבשר מותרין והנמצאים במעי הבהמה אסורין שמבחוץ הם באים ואף הנמצאים במוח הבהמה ובתוך בשרה אסורין לפי שאין שוא דבר בבהמה שיהא מותר בלא שחיטה והם אינם בני שחיטה. *Vermes, qui reperiuntur in viſceribus piſcium, eſſe illicitos propter rationem reptilis, quoniam forinſecus accedunt: Qui vero exſtant in iis inter cutem & carnem, aut in medio carnis, liciti ſunt. Qui reperiuntur in inteſtinis beſtiæ, vetiti ſunt, quia extrinſecus accedunt; etiam illi ſunt illiciti, qui reperiuntur in cerebro beſtiæ, & in medio carnis ejus, quia nihil occurrit in beſtia licitum niſi mactetur; at hi mactari non poſſunt;* prop. *non ſunt filii mactationis.* Vide plura *Maim.* loc. cit. *Talm.* אֿע & Chol. lib. *Chinn.* p. 66. a. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל במזיד בריה קטנה שלימה לגמרי טמאה בין חיה בין מתה ואפילו פחותה מן החרדל ואפי׳ היתה סרוחה ובין שהיתה על יד זכר ונקבה או מכל העפושין שבעולם ושרצה בארץ מי שאכלה כולה לוקה עליה אבל חסרה אפי׳ רגל אחד אינו לוקה עד שיאכל ממנו כזית ממנה. *Uſus ejus omni loco & tempore conſtringit utrumque ſexum: qui autem tranſgreſſus ſuperbe* (*ederit creaturam parvam, integram tamen*) *prorſus immundam, ſive viva fuerit, ſive mortua, etſi minor ſit grano ſinapis, putida etiam, tam a maſculo & fœmella, quam ex quolibet mucore progenita, ſi per terram reptaverit, quiſquis talem comederit totam, vapulat propter eam: Si vero unicus tantum beſtiolæ defuerit pes, non accipit plagas, niſi tantum de illo ederit, quantum eſt moles oleæ.*

CLXIV. שלא לאכול משרץ המים שנ׳ אל תשקצו את נפשותיכם בכל השרץ

השורץ ולא תטמאו בהם ונטמאתם בם ושרץ המים ידוע עניינו שהוא מבריות דקות השטות במים והם נקראים שרץ המים וזה הלאו מיוחד בהם מלבד הלאו המיוחד לדג טמא שאין אלו בכלל דגים כלל כי מין אחר בפני עצמו הוא לגמרי *Nihil comedendum de reptilibus aquaticis*, *juxta illud* : Ne impuras reddatis animas veſtras (*Levit.* 11. v. 43.) in omni reptili quod reptat, nec polluatis vos in eis, nec coinquinetis vos per ea. *Conſtat autem*, *reptilia aquatica eſſe exiles creaturas*, *per aquas diſcurrentes* : *Tales reptilia aquatica vocantur*. *Hoc vero negativum*, *quod proprie de illis agit*, *diſtinctum eſt a ſpeciali præcepto de piſce immundo*; *quia ut illa ſub generali interdicto de piſcibus non comprehenduntur*, *ita integram per ſe ſpeciem conſtituunt*. Eſt hæc mens *Maimonidis* : *Nachmanides* vero חולק עליו בזה וכתב כי הלאו הזה איננו לאו מיוחד על שום שרץ אלא שהוא מן הלאוין הכלקים שאין לוקין עליהן כמו לא תאכל כל תועבה הכתוב במשנה תורה בתחלת הפרשיות של איסור בעלי החיים *Diſſentit ab illo*, *ſcribitque*, *hoc negativum non eſſe proprium cuiquam reptili*, *ſed eſſe ex generalibus illis*, *ob quæ nemo vapulet*, *quale eſt* : Non commedes ullam abominationem; *quod in Deuteron. occurrit*, *initio* Paraſch. *ubi viventia interdicuntur* : Deut. 14. v. 3. Acriter uterque pro ſententia ſua dimicat. Vide Compendium in lib. *Chinn.* S. cit. עיקר מחלוקתם תלוי אם תולין באיסור אחד ב׳ מלקיות אם לא *Fundamentum controverſiæ ex hoc pendet* : utrum ab uno negativo gemina flagellatio dependeat, nec ne? *Maimonides* ſtatuit, שלא נלקה לעולם על עבירה אחת שני מלקיות ואפילו יבאו עליה בכתוב כמה לאוין כאילו תאמר דרך משל שבא בתורה בחמש הקריאות או אפילו במאה לא תאכל חזיר אם אכלו לא ילקה לעולם באכילה אחת אלא מלקות אחת *Neminem unquam propter unicam Legis violationem bis vapularet*, *etſi in Scriptura plurima de ea habeantur interdicta* : *ut ſi*; *exempli gratia*, *Lex quinquies*, *imo centies clamat* : Non comedes porcum; *ſi quis ederit illum*, *nunquam is propter unicum edendi actum acerbius*, *quam una flagellatione caſtigatur*. At *Nachmanides* יסבור שיש לנו ללקות על איסור אחד כמה מלקיות אם יתרבו עליו דלאוין בתורה Exiſtimat, *plagas in interdicto varie multiplicandas*, *ſi ejus frequentia in Lege occurrant negativa*. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל בריה אחת שלימה מהן ואפי׳ קטנה ביותר לוקה ואם אינה שלימה אינו לוקה עד שיאכל מהם כזית ומכל מקום אסור לאכל מהן דבר תורה אפי׳ פחות מכזית שחצי שיעור דאוריתא הוא אסור אבל און חייוב מלקות אלא על אכילת השיעור המקובל *Valet omni loco & tempore in utroque ſexu*. *Qui autem præceptum hoc violando vel unam integram ederit creaturam*, *etſi parvam valde*, *vapulat* : *Si autem perfecta non fuerit*, *non vapulat*, *niſi molem olivæ de illa comederit*. *Edere autem*, *ex Legis præſcripto*, *ne minus quidem licet*, *quam olea ſit*, *quia æſtimatio dimidia Legis vetita quidem*, *ſed non contrahitur reatus flagellationis*, *niſi propter comeſtionem æſtimationis Kabbala nobis traditæ*.

CLXV. שלא לאכול מן השרצים המתהוים מן העפושים אעפ שאינו מין ידוע ולא יתהוה מזכר ונקבה שנ׳ לא תטמאו את נפשותיכם בכל השרץ הרומש על הארץ *Non eſſe edenda reptilia ex putredine nata*, *etſi nec nota ſint*, *nec procreata ex mare & fœmina*, q. d. Ne polluatis animas veſtras per aliqua reptilia, quæ reptant ſuper terram; *Levit.* 11. v. 44. Rab. *Maimonides* רומש, & שורץ ita diſtinguit : כשרץ הנולד מזכרים ונקבות נאמר שורץ ואשר הוא נעשה מן העיפוש נאמר עליו רומש *Reptile*, *procreatum ex mare & fœmina*, *dicitur* שורץ : *at natum ex mucore vocatur* רומש: Utrumque tamen vocabulum de utraque ſpecie indifferenter ſumi, contra Moſen Ægyptium, diſputat *Nachmanides*. Ratio hujus præcepti petita eſt ex generali interdicto, quo Judæis prohibebantur כל שרצי העפושים שבעולם הרומשים בארץ חוץ משרצי עיפושי הפירות שנעשו שם אחר שנעקרו ושרצי עפושי המים שבכלים *omnia totius mundi reptilia ex putredine nata*, *& per terram reptantia*, *iis exceptis reptilibus*, *quæ ex frugibus putrefactis*, *poſtquam evulſæ jam ſunt*, *progignuntur*; *reptilibus item omnibus ex aquarum*, *vaſis contentarum*, *putredine procreatis*. Unde & aquæ verminoſæ a Rabbinis conceduntur. Nam de poſterioribus hiſce Canon eſt Rabbinorum : במים שבכלים שהתליעו או אפילו בבורות שיחין ומערות כלומר כל מים מכונסין *Licitas eſſe aquas*, *quæ in vaſis produxerunt vermes*, *imo etiam in puteis*, *foveis*, *& ſpeluncis*; *atque adeo in omnibus aquis congregatis*. De vocum harum diſcrimine, ſcribunt Hebræi, בור eſſe *ciſternam rotundam*; שיח *foſſam longam & anguſtam*; מערה *ſpeluncam*, *quadratam & tectam tabulato*, cui tamen eſt orificium. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל בריה מכל העיפושים שבאשפות ובכל המקומות אפילו קטנה שבקטנות מכיון שאכלה והיא שלמה לוקה עליה ואם אינה שלימה שיעורה בכזית *Obſtringit Lex hæc omni loco & tempore*,

utrumque sexum: Qui vero, transgressus eam quamcumque ederit creaturam ex omni mucore, qui in fimo, aut quibuscunque aliis locis fuerit, natam, etsi, quam edit, parva admodum sit & exilis, perfecta tamen; vapulat. Sin autem imperfecta, æstimatio, [mensura vel pondus] ejus est moles oleæ.

SECTIO XIV.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XXVIII.

a cap. 12. Levit. ad cap. 14.

Affirmativa sunt sequentia V.

1. De pollutione puerperæ. 2. Ejusdem sacrificio. De pollutione leprosi. 4. De leproso & omnibus polluentibus hominem, quorum vestis tam secundum suturas, quam in solido extra suturam, laceranda fuit. 5. De plagis vestium.

Negativa vero II.

1. Ne comedat immundus de sanctis. 2. Ne tondeatur capillus porriginis.

CLXXI. לטמא היולדת כלומר האשה כשתלד שתהיה טמאה לבעלה וכל שכן לטהרות שבעה ימים כשתלד זכר ושבועים כשתלד נקבה שנ׳ אשה כי תזריע וילדה זכר וטמאה שבעת ימים וגו׳ ואם נקבה תלד וטמאה שבועים וגו׳. *Impuram pronuntiandam puerperam, id est, uxorem, cum pepererit, immundam esse marito suo, quanto magis rebus puris, septem diebus, si masculum, & duabus septimanis, si fœmellam peperit*, q. d. Mulier, si misso semine conceperit, & peperit masculum, immunda erit septem diebus, &c. *Levit.* 12. v. 2. quod si fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus; v. 5. Ratio cur Deus הרחיקנו מן היולדת ומן הנדה והזבה ימים מספר *interdixerit consuetudinem puerperæ, menstrua & fluxum passæ*, juxta R. *Levi*, est, ut consulatur valetudini hominis. Omnem enim vel defectum, vel redundantiam, ait, ita nostræ naturæ esse inimicam, ut ex alterutro omnes morbi hinc suam habeant originem. אין ספק כי חליי בני אדם יבאו או מפני מותר שבגוף או מפני חסרון או מצד הפסד שיקבל מאי זו סבה שתהיה. *Non est dubium, inquit, quin morbi humani pullulent ex redundantia corporis, aut defectu, aut respectu corruptionis, ex quacunque ea causa concipiatur.* ומן השורש הזה מצד המותר צותה התורה להיות טמאה מן הזכר שבעה ומן הנקבה שבסים שאין ספק כי מותרי היולדת נקבה גדולים מן היולדת זכר. *Ex hac ratione, respectu videlicet πλεονασμοῦ, præcepit Lex ut immunda sit puerpera, ob masculum septimanam, ob puellam, duas septimanas, quia major in illius, quam hujus puerperio est πλεονασμός*. Vide *Chinn.* pag. 68. a. Unde & Rab. *Nachmanides* בעבור כי טבע הנקבה קר ולח והלבנה ברחם האם רבה מאד וקרה ועל כן ילדה נקבה ולפיכך היא צריכה נקיון גדול מפני רבוי הליחות והדם המעופש שבהן ומפני קרירותן בירוע כי החלאים הקרים צריכים בנקיונם אריכות זמן יותר מן החמין. Hanc ipsam, ait R. *Levi*, esse rationem cur mulieris נדה, id est, *immunditia menstrua laborantis*, ἀφορισμὸς, *seu separatio, juxta Legem*, septimo die terminetur, si vel maxime eo ipso demum die fluxus cesset; Mulieri vero זבה *fluvium*, extra tempus ordinarium (הרקת דמיה ימים רבים אחר ימים הנהוגים) *passæ*, integri septem dies puri destinentur. Sed & alias author interdicti hujus, loco cit. commemorat rationes, quas studio omittimus. Subest huic legi omnis puerpera, sive vivum edat fœtum, sive mortuum; ne illa quidem excepta, quæ abortit. Unde Canones 1. כל היולדות טמאות ואעפ״ שלא ראו דם. *Omnes puerperæ sunt immundæ, etsi non videant sanguinem*; quanquam אין אפשר לפתיחת הקבר בלא דם *aperiri non possit uterus* [vocatur uterus *sepulcrum*, quia in utero quasi in sepulcro jacet infans]

sine sanguine. 2. שצריכך לחוש לולד דוקא שעברו עליה מ׳ יו׳ משנתעברה אבל לא עברו עליה מ׳ יומי אינה חוששת ללידה ואפילו ביום ארבעים ממש שיו׳ ארבעי׳ כלפני ארבעים הוא חשוב׃ 3. כל אשה שיש לה ימי לידה לטומאה יש לה ימי טוהר מדין תורה ימי הטוהר הם ל״ג לזכר וס״ו לנקבה והעניין הוא כן דין שהאשה אחר שילדה מונה ז׳ ימים מיום שילד ובין שילדה מתחלת הלילה או בחצי היום או אפילו סמוך לשקיעת החמה מונה אותו היום של לידה יום אחד ומשלים עליו ששה ימים ובין רואה קצת ימים מן השבעה או כל השבעה לערב של שביעי שהוא ליל שמיני טובלת וטהורה לבעלה ואפי׳ שופעת דם באותו ליל שמיני טובלת וטהורה לבעלה שהתורה התירה כל הדמים שתראה היולדת אחר ז׳ ימים לזכר בתוך ל״ג יום ואחר י״ד לנקבה בתוך ס״ו יום ועל זה אמרו ז״ל כי מעיין אחד הוא והתורה טהרתו והתורה טמאתו כלומר שדמי הלידה שטמאה התורה ודמי הטוהר שטהרה התורה ממקו׳ אחר והוא מן המקור שהוא מקום טומאה יוצאות שניהם אלא שהתורה תחלה העניין בזמן ותטמא הדם היוצא ממנה בזמן אחד ותטהר השני וברוך היודע כל החכמה כי הכל עשה בטעם נכון ומחוייב והוא ב״ה ידע שעד אותו הזמן הדמים מזיקין ומשם ואילך לא יזיקו. Ita quidem Judæi puerperio, & puerperarum impuritate, qua a suis ipsorum maritis, & amplexu eorum cohibentur; alius terminus observatur in purificatione legali, seu ceremoniali, qua integrum requiritur septiduum, quo a sanguinis fluxu libera illa fuit, quæ quidem consuetudo a Judæis ipsis non negligitur; juxta illud Rabbi *Levi*: שאין האשה עכשיו עולה מטומאתה לעולם עד שתעמוד ז׳ ימים שלמים נקיים מכל דם ותתחיל למנותן מבערב: זהו כלל גדול וטוב היום בכל מקומות ישראל הכשרים ובזה יוצא מכמה ספיקות. Dubii in hac materia casus ventilantur in *Talm.* Cod. Nidda; Confer *Maimon.* Hil. Metammee Mischcabh. umosch. cap. 4. סמג A. S. 243. Usum habet hoc præceptum omni loco & tempore; והעובר עליה במזיד בתוך הזמן המוגבל לא סור או אפילו אחר הזמן המוגבל כל זמן שלא טבלה בטל עשה זה וגם עבר על לאו כמו בנדה וחייב כרת בשוגג מביא חטאת קבועה בזמן הבית. *Quis transgreditur illud procaciter, tempore, quod interdicto destinatur, aut etiam alio quocunque sequenti, antequam [puerpera] fuerit lota, irritum reddit tum affirmativum hoc, tum negativum, sicut in separatione menstrua, fitque reus excidii: Si autem per errorem peccavit, offert sacrificium pro peccato fixum, stante templo.*

CLXVII. מצות קרבן יולדת. *Præceptum oblationis puerperæ*, id est, שתקריב היולדת קרבן כשישלמו ימי הטוהר לבן או לבת והוא כבש בן שנתו לעולה ובן יונה או תור לחטאת ואם היא ענייה תקריב שתי תורים או שני בני יונה אחד לעולה ואחד לחטאת שנ׳ במלאת ימי טהרה לבן או לבת תביא וכו׳ והיא מחוסרת כפרה עד שתקריב קרבנה. *Ut offerat puerpera sacrificium, cum impleti fuerint dies purificationis pro filio aut filia, agnum nempe anniculum in holocaustum; pipionem aut turturem pro peccato; si autem pauper illa fuerit, offerat duos turtures, aut duos pullos, alterum in holocaustum, alterum pro peccato*, q. d. Postquam autem impleti fuerint dies purificationis suæ pro filio aut filia, afferet agnum anniculum, quod si non potuerit offerre agnum, tunc accipiet duos turtures, aut duos pullos columbæ, &c. *Levit.* 12. v. *6.* 8. *Neque reconciliationis capax erit, donec sacrificium suum obtulerit.* Scopus hujus sacrificii, ex Hebræorum mente, fuit, שתתעורר לתת הוראה לאל ב״ה שהצילה מחבלי יולדה שהוא דבר נס *ut excitetur ad impertiendum laudem Deo, qui liberavit eam* ἀπὸ τῶν ὠδίνων, *quod utique miraculo non caret*. Ridicula est Rabbinorum *αἰτιολογία* alia, nempe, שהאשה קופצת ונשבעת בעת ציריה שלא תזקק עוד לאיש ולפיכך צריכה כפרה ועל כן יקרא קרבנה חטאת ונאמר בו וכפר עליה הכהן. *Mulierem exilire, seu annuere, & partus doloribus pressam juramento confirmare, se deinceps cum viro non amplius coituram: propterea opus habere expiatione. Atque hanc ob causam vocari sacrificium ejus* Chattaah, id est, *sacrificium pro peccato, de quo dicatur:* Et expiabit eam sacerdos. Decreverunt autem Magistri שאין היולדא מביאה קרבנה ביום מ׳ לזכר וביום פ׳ לנקבה אלא למחר שהוא יום מ״א וכן ביום פ״א שנ׳ ובמלאת ימי טהרה כלומר שיהיו שלימים לגמרי ואם יביאו בתוך ימי מלאת לא יצתה ידי חובתה עבר זמן זה ולא הביאה כפרתה מביאה לאחר זמן וכל זמן שלא הביאה אסורה לאכל בקדשים: *Puerperam sacrificium suum non offerre die 40. propter masculum, aut 80. propter fœmellam, sed postridie, id est, die 41. aut 81. quemadmodum dicitur*: Postquam autem impleti fuerint dies purificationis ejus: *Vult igitur ut perfecti omnino sint dies illi. Si interea temporis obtulerit* [sacerdos] *illud, non absolvitur ab eo. Si autem, tempore illo præterito, expiationem nondum attulerit suam, afferat eam post tempus: Totoque tempore, quo illud non obtulit, illicitus ei est esus rerum sacrarum.* Est enim universalis Rabbinorum Canon: מביא כפרתו אוכל בקדשים *Qui affert expiationem suam, admittitur ad esum sanctorum.* Vide *Talm.* Cod. Nidda, *Maim.* Hil. Mechuss. Cappara cap. 1. סמג Aff. S. 220. ונוהגת בזמן הבית בנקבות והעוברת על זה

ולא

ולא קרבה קרבנה בטלה עשה והיא מחוסרת כפרה ואסורה לאכל בקדשים ואוי לה אם תמות קודם שתקריבנו ותשא עונה. *Usus ejus fuit sub templo in fœminis: qui violavit illud, neque obtulit sacrificium suum, irritum reddidit negativum, neque particeps fuit, vel expiationis, vel esus rerum sacrarum. Væ autem illi, si mortua fuerit, antequam illud obtulerit, feretque iniquitatem suam!*

CLXVIII. מצות עניין טומאת מצורע *Præceptum de pollutione leprosi*, vel; לטמא אדם מצורע כלומר שמצוה היא עלינו שכל מי שיהיה מצורע שיבא אל הכהן לשאול על צרעתו והכהן יטמאנו או יטהרנו והוא יתנהג על פי התורה הכתובה כאשר יצונו הכהן ולא יקח הדבר כחולי במקרה אלא יתן לב עליו וידע כי גודל עונו גרם לו שנ׳ אדם כי יהיה בעור בשרו וגו׳ ובא אל אהרן הכהן אל אחד מבניו הכהנים ומצוה זו כוללת כל משפטי צרעת אדם מה שממנה טמא ומה שממנה טהור ומה שממנה צריך הסגר ומה שאינו צריך הסגר ומה שצריך עם ההסגר גילוח או אינו צריך גילוח *Immundum pronuntiandum leprosum: Id est, datum nobis hoc præceptum, ut quicunque leprosus est, ad sacerdotem accedat de lepra sua quæsitum, quem postea sacerdos vel mundum pronuntiabit, vel immundum: Assuescet autem sententiæ legis præscripto, quod mandabit ei sacerdos. Neque perinde hoc æstimabit, ac si morbus esset fortuitus, sed animum advertet, & cognoscet, peccati gravitatem illius causam esse*, q. d. Cum in cute carnis hominis fuerit tumor, *Lev.* 13. 2. tunc veniet ad sacerdotem Aharonem, vel unum e filiis ejus sacerdotem. *Hoc autem præceptum complectitur omnes rationes lepræ hominis, juxta quam is vel mundus vel immundus sit pronuntiandus, ob quam claudi vel non; tonderi insuper vel non tonderi debeat*. Quid vero, aut cujusmodi fuit hæc lepra? R. *Levi* eam sic describit: ועניין הצרעת הוא שילבין מקום אחד או הרבה מקומות בעור בשר האדם ויהיו אותם המקומות לבנים הרבה עד שידמה הלובן שלהם ללובן קרום ביצה ולמעלה ממנו בלבנינות אבל כל זמן שיהיה כהה למטה ממראה קרום ביצה אין זה צרעת אלא בוהק הוא כלומר חולי אחר שאינו ממין צרעת בכלל אלא כמיני הגרב *Lepra hæc est, cum albus fuerit locus unus aut plures in cute carnis hominis; ita ut locorum illorum albedo accedat ad albedinem testæ ovi, aut etiam superet eam. Quamdiu vero subobscura, infra albedinem testæ ovi, fuerit, non est lepra; sed leuce vel vitiligo, id est, alius morbus, qui ex lepræ genere non est, sed scabiei*. Præcepto hoc Deum homini commendare voluisse sensum specialis Providentiæ, idem tradit Rab. *Levi*, cujus mentem, ut recte eam percipiamus, distinctis aphorismis proponemus. Primum ergo fatetur, Doctrinam de Providentia in creaturas, esse Legis Judaicæ פנה גדולה *Angulum magnum*, multa proinde de ea in Sacris literis tradi. II. Diversas de Providentia Dei esse sententias A. יש כתות בני אדם יחשבו כי התנהת הש״י על כל ענייני העולם בין בעלי חיים או כל שאר הדברים כלומר שלא יתנועע דבר אחד קטן בעולם הזה רק בחפצו ב״ה ובגזרתו עד שיחשבו כי בנפול עלה אחד מן האילן הוא גזר עליו שיפול ואי׳ אפשר שיתאחר או יקדם זמן נפילתו אפי׳ רגע וזה דעת רחוק הרבה מן השכל *Esse quosdam, qui statuant, Providentiam Dei omnia complecti in mundo, tam viventia, quam cætera, adeo ut ne minima quæque res moveatur absque voluntate & decreto Dei Benedicti, ita ut existiment, dum folium cadit de arbore, Deum ut ita caderet decrevisse, nec citius nec tardius cadere potuisse, vel uno momento. Atque hæc sententia a sensu recto longe recedit*. Tibi, apella, qui ex Evangelio discere non vis, etiam capillos capitis nostri Deum in enumerato habere. B. יש כתות רעות יחשבו שלא ישים השגחתו ב״ה כלל בכל ענייני העולם השפל בין באנשים או בשאר בעלי חיים והוא דעת הכופרים *Alios velle, Deum Providentia sua nullas plane res in mundo hoc inferiori curare, sive homines sint, sive reliqua animantia. Esse hanc opinionem Atheorum*. C. ובעלי הדת האמתית מאמינים שהשגחתו ברוך הוא על כל מיני בעלי החיים בכלל שכל מין מן המינים הנבראים בעולם יתקיים לעולם לא יכלה ויאבד כולו כי בהשגחתו ימצא קיום לכל דבר ובמין האדם נאמין כי השגחתו ב״ה על כל אחד ואחד בפרט והוא המבין אל כל מעשיהם וכן קבלנו מגדולינו וגם נמצא על זה הרבה כתובים יורו כי העניין כן *Professores fidei Orthodoxæ credere, Providentiam Dei extendere se ad omnes species viventium. Omnes enim species creatas in mundo semper subsistere, nec unquam aboleri omnino aut perire, cum cujuslibet speciei substantia in Providentia ejus reperiatur. De specie autem humana credere se, Deum Providentia sua cujuslibet peculiarem habere rationem, singulorumque nosse actiones. Atque hoc accepimus, inquit, a magnis nostris [Doctoribus,] de quo etiam multa in S. Scriptura occurrunt, quæ docent, rem ita se habere*. III. Præceptum hoc, de judicanda & cognoscenda lepra, παιδαγωγίκα esse, ad arcanum Providentiæ specialis cuique insinuandum, Nempe, כי בהניע אל האדם החולי הרע והוא הצרעת שלא יקחנו דרך מקרת רק יחשוב

מיד

מיד כי עונותיו גרמו וירחיק מחברת בני
אדם כאשר המרוחק מרוע מעשיו *ut cum*
hic morbus hominem invaserit malus, *vi-
delicet lepra*, *ne cogitet fortuito sibi ob-
venisse*, *sed e vestigio suis hoc acceptum
ferat peccatis*, *sicut remotus habetur pro-
pter fœditatem operum suorum*, *&c.* Cæ-
teris etiam, quæ sacerdotis jussu, homi-
ni de lepra suspecto peragenda erant,
duci debuit ad altiorem theoriam, de
qua Rab. *Levi*, pag. 69. ויש לנו לבא
אל הכהן שהוא העומד לכפרת החוטאים
ועם חברת המכפר אולי יהרהר תשובה
ויוסגר קצת ימים כדי שישיב אל לבו
ענייניו במתון ויפשפש במעשיו ולפעמים
יוסגר שני הסגרים שמא הרהר תשובה ולא
תשובה שלימה לגמרי כאלו תאמר על דרך
משל שהשב להחזיר מחצית גזילתו ואז
יחדש בו השי קצת סימנים שיוסגר שנית
אולי ישלים תשובתו ויטהר לגמרי וכל
עניין הסגרים אלו יורה השגחתו ברה על
כל דרכי האדם : Quod adeundus est no-
bis sacerdos, *qui stat ad impetrandam
expiationem pro peccatoribus*; *consortio ejus
fortassis monebitur pœnitentiæ*. *Includetur
autem* [de lepra suspectus] *per aliquot
dies*, *ut ad animum revocet res suas pe-
detentim* (considerate) *diligenterque per-
scrutetur opera sua*. Bis nonnunquam ta-
lis includitur, *si forte meditetur pœni-
tentiam*, *sed non perfecte consummatam*,
ut si, *exempli causa*, *cogitarit restituere
mediam rapinam*, *&* *postea in eo Deus
alia nova signa ostendit*, *ut secundo in-
cludatur*, *forsitan tunc suam perficiat pœ-
nitentiam*, *&* *omnino mundus pronuntie-
tur*. Inclusiones *autem istæ innuunt Pro-
videntiam Dei Benedicti in omnes vias
hominum*. Hæc de usu allegorico & tro-
pologico materiæ de lepra. De ipsis ve-
ro tum lepræ, tum reliquarum plaga-
rum *κριτηρίοις* Rabbini monent 1. Lepram
dignosci albedine illa, cujus *supra* memi-
nimus, ושאר מיני נגעים הנעשים באדם
וארבע מראות לובן של בשר הם בעור
בשר האדם השתים הן אבות והן שאת
ובהרת והשתים תולדות להן כלומר שהם
למטה בלובן מאלו השתים *Ex quatuor
reliquis speciebus plagarum homini infli-
ctarum*, *&* *quatuor aspectibus albedinis
carnis*, *qui in cute hominis apparent*, *duas
esse partes* (principales) *tumorem* *&* *pa-
pulam*, *&* *duas filias* [minus principa-
les] *quæ albedine duabus partibus sint
obscuriores*. Prolem seu filiam utrique tri-
buunt. Unde & *Maimonides*, & Rab.
Levi; בהרת וספחתה *Papula* *&* *filia*,
seu accessorium ejus (est enim ספחת iis-
dem testibus, nihil aliud, quam טפלה]
שאת וספחתה *Tumor* *&* *accessorium ejus*.
Distinguuntur etiam hi aspectus & affe-
ctus coloribus. *Tumorem* albedine assi-
milant Rabbini לצמר *lanæ*. *Papulam*
לשלג *nivi*: Prolem papulæ, calci tem-
pli; prolem tumoris crustæ ovi. De his
aspectibus immundis, qui non κατὰ τὰ
γνωρίσματα judicare potest, ab aliis re-
rum istarum peritis judicium petat. Cæ-
tera de plagæ hujus שיעור seu *spatio*;
עין ראיית seu *aspectu*, necessario requi-
sito discernendæ lepræ, (neque enim
sufficiebat contactu constitisse, aspectum,
de quo sermo, cute esse inferiorem, vi-
su oculi etiam probari debuit) & reli-
quis ad hanc rem spectantibus, desumi
possunt ex *Talm.* Mass. Negah. *Maimon.*
Hil. Tumath Zorah cap. 1. סמג S. 233.
234. ונוהגים דיני צרעת בזכרים ונקבות
בכל זמן שיהיו הכהנים בקיאין רואין אותן
*Usus horum judiciorum lepræ fuit in utro-
que sexu*, *omni tempore*, *quo sacerdotes
periti inspicere plagam potuerunt*. Ita qui-
dem *Maimonides*: ואפילו שאי׳ אפשר
להביא קרבן עכשיו לכשיבנה בית המקדש
ויהיה אפשר הביא קרבן בטהרתו מצרעתו
יביא קרבן *Etsi vero jam*, *usque dum ex-
tructum fuerit templum*, *&* *offerre iterum
liceat sacrificium*, *postquam pronuntiatus
fuerit mundus a lepra sua*; *sacrificium of-
ferre non possit*; *offeret nihilominus mu-
nus*. וכל מי שנצטרע ולא התנהג על פי
התורה הקבועה במצורע אלא שלקח הדבר
בדרך מקרה ולא חש לבוא אל הכהן
ולהראותה לו בטל עשה זה ומן הרומה
שיהיה ענשו שתרבק בו הצורעת לעולם
Qui vero, *lepra percussus*, *hunc legis le-
proso latæ ductum non fuerit secutus*; *sed
fortuito hoc evenisse existimaverit*, *nec sol-
licitus est de eo*, *ut sacerdotem conveniat*,
eique lepram ostendat, *reddit irritum hoc
affirmativum*. *Ejusque ut videtur*, *pœna
erit*, *ut perpetuo ei lepra adhæreat*.

CLXIX. הנהגת המצורע וכל מטמאי
אדם בקריעה ופרימה. *Consuetudo*, *quæ
vult ut leprosus*, *&* *omnes polluentes ho-
minem*, *vestes habeant extra*, *&* *secun-
dum futuram laceratas*. Vel שיתנהג המצורע
כמשפט הכתוב בפרשה שנ׳ בגדיו יהיו
פרומים וראשו יהיה פרוע וכן כל שאר
המטמאים גם כן צריכים להודיע את עצמן
ולשון ספרא מת ובועל נידה וכל המטמאין
את האדם מנין ת״ל וטמא טמא יקרא
והקריאה היא שיעשה בגופו עניין שאסרו
בני אדם בו שהוא טמא ויסורו ממנו. *Ut
satisfaciat leprosus Scripturæ consuetudini*,
exhibitæ loco (Parascha) *Lev.* 13. v. 4.
Porro leprosi, in quo fuerit plaga, ve-
stimenta erunt scissa, & caput ejus erit
nudum (vel potius, *capillitium ejus erit
prolixum*) *quæ ratio est cæterorum im-
mundorum*, *qui etiam se ipsos debent χα-
ρακτηρίζειν*. *Nempe*, *ut est in Siphra*, *quem
polluit mortuus*, *aut qui rem habuit cum
menstruata*, *aut cum quocunque polluente
homi-*

hominem. Unde vero hoc colligimus? Ex Scriptura; Immundus, immundus ſum, clamabit, *Levit.* 13. v. 45. *Quæ quidem exclamatio, quam de ſe ipſo facit, vult, ſibi cum hominibus, quia immundus ſit, converſari non licere, & ut ab ipſo recedant.* Ratio præcepti eſt, ut ex hac remotione & diſceſſu diſcat quilibet, peccatum eſſe, quod nos ab omni bono ſejungat, ac proinde operam det, ut a deviis ad regiam pietatis revertatur viam. Verba Rab. *Levi* ſunt : משרשי המצוה שיקח הדמיון בנפשו בהרחקתו מבני אדם כי בסבת החטא ירוחק האדם מכל טוב למען ישוב מדרכו הרעה וזהו אמרו זל הוא הבדיל בלשון הרע בין איש לאשתו אין אדם לחבירו ולפיכך מחוץ למחנה אהלו ולכן ראוי שיקרא לכל אדם שיסורו ממנו . Atque hac occaſione tritum illud Rabbinorum apophthegma, במדה שאדם מודד בה מודדין לו. *Qua menſura homo alii metitur, alii ei remetientur*, fuſius paulo explicat. Satis illud coacte, & obtorto fere collo ad hujus præcepti αἰτιολογίαν raptum videtur : inſiſtam tamen authoris verbis, quia mentem ille ſuam de Providentia Dei circa malum aperit ופי׳ דבר זה לא ידעוהו רבים כי יחשבו לפרש דבר זה אצל השי בדוגמת גמול בני אדם שכל אחד ישלם את חברו גמול כפי הטובה שעשה עמו או כפי הרעה ולא כן העניין אצל השי חלילה כי אין הקבה כי אם טובה וחסד ורחמים לעולם ובכל שעה טובו מוכן אל כל הראוי לקבלו ולא ינום ולא יישן שומר ישראל ומדה שאמרו זל אצלו בה במדה שאדם מודד בה מודדין לו הכוונה לומר כי לפי מעשה האדם אם לטובה יתכן מעשיו בדוגמתו ממש תמשך עליו הברכה או ההפך וכן אמר הכתוב כי לא ענה מלבו ויגה בני איש וכתב גם כן כי לא אל חפץ רשע אתה כלומר שהשי לא יחייב בריה מחפצו בחיוב כי האל הטוב חפץ בטוב העולם אבל האדם הוא שמחייב את עצמו בנטותו מן היושר ויסיר מגופו ההכנות המכשירות אותו לקבל הטובה והמשל על זה ההולך בדרך ישר ופנוי מאבנים ומכל דבר המכשול ויש לדרך גדר קוצים מכאן ומכאן ועבר אחד ונתחכך בגדר ונכוה באמת אין לומר על האיש הזה שהשי חפץ בכוייתו אבל הוא הגורם כי לא נזהר ללכת ביושר וכמו כן בעל החטא מדת הדין תחייבנו עכפ ואין לומר עליו שהאל הטוב יחפוץ בחיובו אבל בהמנע ממנו הטוב מצד חטאו ימצא אליו הרע וכעין דבר זה אמרו זל אין דבר רע יורד מלמעלה וכלל דברינו כי כל המקרה הרע המתחדש באדם הוא פעולה המתחדשה באדם בהסתרת פני השי מן האיש כלומר שהשי מסיר שמירתו מעלוי מצד חטאו עד שיקבל העונש הראוי לו לפי החט׳ ואז יצוה מלאכיו לשמרו כאשר בתחלה וכמו שכת׳ והסתרתי פני מהם והיה לאכול ומצאוהו רעות רבות צרות ואמר ביום ההוא הלא על כי אין אלהי בקרבי מצאוני וגו׳ וכתב חכם אחד ידענו כי השי אחד והשנוי יבא מן המקבלים והשי לא ישנה מעשיו כי כולם הם בחכמה *explicationem apophthegmatis hujus multi ignorant, putantes, ſenſum ejus, reſpectu Dei, deſumendum exemplo retributionis humanæ, ubi unuſquiſque proximo retribuit ſecundum id, quod obtigit ei, ſive bonum fuerit, ſive malum. At ita ſe res in Deo non habet : Abſit! Eſt enim Deus Benedictus nihil niſi bonitas, benignitas, & miſericordia in ſeculum : Parataque eſt omni tempore, & hora bonitas ejus illi, qui dignus eſt accipere eam : neque nutat, neque dormit cuſtos Iſraelis. Quid igitur eſt, ſi de Deo Rabbini memoratum apophthegma pronuntient? Intentio eſt, hominem pro ratione operis, ſive in bonam, ſive malam illud vergat partem, præparari & diſponi ad recipiendam retributionem. Semper enim illud, quo ita occupatur, ut omnes ſuas ei impendat cogitationes, & ad ejus exemplum opera ſua perficiat, ſequitur vel benedictio, vel contrarium ejus. Unde dicit Scriptura* : Quia non affligit ex corde ſuo, nec dolore afficit filios viri, *Thren.* 3. verſ. 33. *Scriptum item eſt* : Non es Deus volens iniquitatem; *Pſal.* 5. v. 4. q. d. *Deum, volentem, neminem condemnare, ſed Deum, qui bonus eſt, ſemper velle bonum. Hominem autem ſemetipſum condemnare, recedendo a recto, & removendo a ſe ipſo diſpoſitiones, quæ aptum illum redderent, ad recipiendum bonum. Quemadmodum qui ambulat in via regia, purgata a lapidibus & aliis offendiculis; in illa autem via ſepimentum eſt ex vepribus hinc atque illinc concinnatum, tranſeatque aliquis, & in ſepto ſe fricet, indeque uratur; non poteſt utique de tali dici, quod Deus ejus voluerit uſtionem, ſed ipſe cauſa eſt, quia incaute rectam ſemitam non trivit. Ita etiam peccatorem condemnat proprietas judicii : Neque dicendum, Deum velle condemnationem ejus; verum, dum propter peccatum ejus, arcetur ab eo bonum, reperitur in eo malum. In hunc ſenſum dicunt Rabbini* : Nihil mali ſuperne deſcendit. *Summa verborum noſtrorum eſt, quod omne accidens malum obveniens homini, opus ſit in homine, productum ex abſcondito vultu Dei Benedicti ab eo, cum nempe Deus illi cuſtodiam ſuam ſubtrahit propter peccatum ipſius, uſque dum pœnas peccato debitas ſolverit; Tunc præcipit Angelis ſuis, ut eum iterum, ſicut initio, cuſtodiant. Unde ſcriptum eſt*: Et abſcondam faciem meam ab eis, & conſumetur, & invenient eum multa mala & anguſtiæ, dicetque in die illa : Nonne propterea, quod non eſt Deus meus

in

in medio mei, invenerunt me mala hæc? *Deut.* 31. v. 17. *Monet etiam ſapiens quidam* : Scimus, Deum eſſe unicum; *mutationemque evenire ex parte Subjectorum recipientium : Deum vero actiones ſuas non mutare, ſed omnes ſapienter adminiſtrare.* De fragmento hoc, Theologiæ Judaicæ, ſuo loco ἐπίκρισιν noſtram commodius addemus. Aliud hic agimus, de ſolo fere circa Legis ſenſum, Rabbinorum judicio ſolliciti. Sed pergendum ad leproſorum diſcrimen. Tradunt Magiſtri : שאין בין מצורע מוסגר למצורע מוחלט אלא פריעה ופרימה ותגלחת וצפרים כלומר שהמוסגר אינו פורע ופורם ופי׳ פורע גדול שיער ופורם שיקרע בגדיו והטהור מתוך הסגר פטור מתגלחת וצפרים והטהור מתוך החלט חייב בתגלחת וצפרים אבל טומאת שניהם שוה לכל דבר. *Non eſſe diſcrimen inter leproſum clauſum, & leproſum ſimpliciter talem, niſi promiſſo capillitio, & laceratione veſtis ſecundum ſuturam, & raſione, & unguibus.* Senſus eſt : *Clauſum neque comam alere, neque veſtes ſcindere: illud enim* פרע, *hoc* פרם *ſignificat.* Mundum beneficio incluſionis, *liberum eſſe a raſione, & unguibus;* Mundum vero abſolute, *teneri raſione & unguibus : Immunditiem vero utriuſque in omnibus æqualem.* Tria habent Hebræi de leproſis verba, פטר *dimittere*, id eſt, liberum & immunem pronuntiare a lepra : החליט *abſolute & ſimpliciter ad primam inſpectionem pro leproſo declarare & pronuntiare :* הסגיר *includere*, per ſeptem ſcilicet dies, ut videatur interea, an plaga accreſcat, & quid de ea ſit ſtatuendum; cum videlicet res eſt dubia. Id vero quomodo & quibus interſtitiis fiat, prolixe commemoratur *Lev.* 13. At breviter & perſpicue R. *Levi*, S. 168. eorum ſenſum ita reddit : ג׳ סימני טומאה הן שער לבן מחית בשרחי פשיון כיצד מי שנולד בו שאת או ספחרת או בהרת ובה שער לבן או מחית בשר חי כשיראנו הכהן יאמר לו מיד שטמא מוחלט הוא לא היה בו שער לבן ולא מחיה יסגירנו שבעה ימים ואם פשה הנגע יחליטנו מיד גם כן שגם הפשיון הוא סימן טומא׳ כמו שאמרנו לא נולד בו אחד משלשת סימני טמאה בשבוע של הסגר ראשון יסגירנו בשבוע שנ׳ ואם נולד בו אחד מג׳ סימני טומאה אלו יחליטנו לטומאה ואם לאו יטהרנו שאין הסגר לצרעת עור בשר יותר מב׳ שבועות ואם אחר כן שטיהר אותו יולד בו מג׳ סימני הטומאה יטמאנו מיד גם כן שאותן ג׳ סימני טומאה לעולם מטמאין בין בתחלה בין אחר ההסגריך נגע הצרעת שהיתה לבנה הרבה כמו הצמר הלבן והשלג ואחר כך כהה וחזרה כמרא׳ קרום הביצה וסיד ההיכל אין זה סימן טהרה כלל אלא הרי היא בטומאת׳ ממש כמו בתחלה עד שיכהה למטה מלובן קרום ביצה ואז הוא נק׳ בוהק וטהור i. e. *Tria ſigna immunditiei ſunt, nempe* albedo capillitii, vita (ſanitas aliqua) *carnis vivæ, & diffuſio. Quomodo ſe hæc habent? Si cui naſcitur tumor aut abſceſſus, aut leuce, ubi pilus albus, aut vita carnis vivæ, eum ſi viderit ſacerdos, ſtatim abſolute impurum pronuntiabit. Si vero neque pilus albicans fuerit, neque caro viva, includet ipſum dies ſeptem. Si diffuderit ſe plaga, iterum ſine mora abſolute eum pronuntiabit pollutum, quia hæc etiam diffuſio impuritatis ſignum eſt, ſicut diximus. Si vero nullum trium iſtorum ſignorum pollutionis, tempore ſeptimanæ, qua primo includitur in eo natum fuerit, ſecunda etiam ſeptimana ipſum includet. Si tum exeruerit ſe unum ex tribus illis pollutionis ſignis, abſolute eum immundum declarabit; ſin, mundum eum pronuntiabit, quia duarum tantum ſeptimanarum detentio ob lepram, quæ in cute carnis exiſtit, deſtinata eſt. Quod ſi, poſtquam eum pronuntiarit purum, in eo exortum fuerit unum ex tribus ſignis impuritatis, e veſtigio impurum ipſum pronuntiabit, quia tria illa pollutionis ſigna ſemper polluunt, tam ab initio, quam poſt factas incluſiones. Plaga lepræ, ſi albore acceſſerit ad lanam candidam, aut nivem, poſtea vero obſcurior fiat* (contrahatur) *& redeat ad aſpectum teſtæ ovi, & calcis templi, nondum eſt ſignum puritatis, ſed omnino impuritatis ſicut ab initio, uſque dum obſcurior fuerit candore teſtæ ovi, tunc, quia puſtula eſt, mundus cenſetur.* ואם תשאל אם כן מהו שנ׳ בתורה והנה כהה הנגע בעור וטהרה הכהן תשובתך שזה נאמר כשכהה הנגע למטה מקרום ביצה אבל בקרום ביצה ולמעלה ממנו אין זה כהוי שעדיין מכלל מראות הטמאים הוא. *Si quæras : Si ita res ſe habeat, quid ergo ſibi vult, quod in Lege dicitur :* Et ecce ſubnigra (*obſcura*) plaga in cute, & mundum eum declarabit ſacerdos? *Levit.* 13. v. 6. Reſp. *Dictum hoc eſſe, cum plaga obſcurior fuerit albore teſtæ ovi; ſed ſi albedini teſtæ vel reſpondeat, vel eam ſuperet, non eſt illa obſcuritas* (requiſita) *ſed ex aſpectibus immundis* ומה שנ׳ ולא פשה הנגע בעור וטהרו יורה שכל זמן שלא פשה כלל ולא נולד בו אחד מג׳ סימני הטומאה שאמרנו אעפ שלא כהה אלא עמד בעיניו מכיון שלא פשה טהור הוא. *Quid vero illud eſt, cum dicitur :* Neque creverit plaga in cute, mundum declarabit eum? *Ibid. Docet, quam diu plaga nihil creſcit, neque in illa natum fuerit ullum ex tribus ſignis pollutionis, ut diximus, quod, & ſi obſcurior illa non fiat, ſed eadem in oculis ejus ſubſiſtat,* (i. e. idem ſemper ejus ſit aſpectus)

modo

modo incrementum non ſumat, mundus ſit. Sed diu nimis his immoramur; plura qui deſiderat de lepra & leproſis, *Talmud* adeat, Maſſ. Nega. *Maim.* l. c. cap. 10. ונוהגת בכל זמן שיהיו לנו חכמים כהנים שיודעים הנגעים שראויים לטהר ולטמא ועובר על זה ולא עשה בעצמו כמשפט הזה בטל עשה. *Valet hoc præceptum omni tempore; quo ſapientes habemus ſacerdotes, qui plagas norunt, dignique ſunt ad pronuntiandos mundos & immundos. Qui vero violaverit hoc, neque in ſe ipſo, juxta hunc morem, fecerit, irritum reddit affirmativum.*

CLXX. מצות עניין נגעי בגדים. *Præceptum de plagis veſtimentorum*, id eſt, לעשות בנגעי בגדים כמשפט הכתוב בפרשה שנ׳ והבגד כי יהיה בו נגע וכו׳ ומצוה זו כוללת כל דיני צרעת בגדים איך יטומאו ואיך לא יטומאו ומה מהם צריך הסגר או קריעה או שריפה או רחיצה וטהרה. *Obſervandum in plagis veſtimentorum modum præſcriptum Paraſcha hac*, q. d. Quum autem in veſte plaga fuerit lepræ; *Levit.* 13. v. 47. *Quod quidem præceptum complectitur omnes rationes obſervandas in lepra veſtium, quomodo puræ, aut impuræ ſint pronuntiandæ; quæ includendæ, aut dilacerandæ, aut comburendæ & purgandæ.* Ratio mandati eſt, שרצה האל בטובו הגדול ליסרנו כאשר ייסר איש את בנו כי זה העניין אינו בטבע אבל מופת הוא באומה הקדושה למען ילמדו יקחו מוסר בהשתנות הכלים המיוחדים לתשמישם והם הבגדים של צשר ופשתים כי בהם רוב תשמיש בני אדם וישובו מתוך כך מדרכם הרעה טרם יזרח הצרעת גם בגופם. *Quia Deus Benedictus caſtigare nos voluit, quemadmodum quis filium ſuum caſtigat. Neque enim res hæc naturalis, ſed portentoſa eſt in populo ſancto, ut diſcant & erudiantur mutatione vaſorum uſui deſtinatorum; cujuſmodi ſunt veſtes laneæ, quarum uſus apud homines frequens eſt; ejuſque beneficio revertantur a via ſua mala, antequam oriatur lepra etiam in corpore ipſorum.* Notæ hujus lepræ, quæ בגדי צמר ופשתים *veſtes laneas & lineas* inficit & infeſtat, ſunt tres, ירקרק אדמדם ופשיון *color ſubviridis*, (vide Grammat. noſtram Hebræam, pag. 73.) *ſubrufus & diffuſio*: Rab. *Levi* tamen in illa geminatione ſecundæ & tertiæ radicalis ἐπίτασιν agnoſcit, ut ירקרק ſit ודוק שבירוקין כבנף הטואס *maxime viride, ut ala pavonis*; אדמדם vero אדום שבאדומים כמו זהורית. *Inter rufa, maxime rufum, ut coccinum*, שיעור Seu menſura pollutionis lepræ veſtium eadem eſt, quæ in homine, quam Rab. *Levi* S. 168. definit, מקום מרובע בעור מחזיק שש שערות רוחב ושש אורך שהוא בתשבורת מקום שלשים ושש שערות. Legi huic ſubjacent veſtes virorum & mulierum: Quicunque vero hunc ductum in illis examinandis non fuerit ſecutus, irritum reddit affirmativum. Cætera quære in *Talm.* Maſſ. Tohor. & Negah. *Maim.* Hil. cit. c. 12. סמג A. S. 239.

CLXXI. שלא יאכל טמא מן הקדשים עד שיטבול ויעריב שמשו ואם הוא טמא שצריך כפרה עד שיביא כפרתו שנ׳ בכל קדש לא תגע. *Non comedat immundus de rebus ſacris, uſque dum ſe laverit, & occiderit ſol ejus: aut ſi ita immundus ſit, ut opus habeat expiatione, uſque dum attulerit expiationem*, q. d. Nullam rem ſanctam tanget, neque ad ſanctuarium veniet; *Levit.* 12. v. 4. Utrumque ſub pœna excidii interdictum eſſe, authoritate *Siphra* aſſerunt, quod tamen non de pollutione dictum volunt; ſed de ea tantum, quæ eſt טומאה דאוריתא *pollutio Legis*. Ratio præcepti eſt, ut reverentia rerum ſacrarum in homine excitetur, quod ſit, cum mundis tantum eſus earum conceditur. Speciales hujus præcepti caſus & exceptiones ſuggeruntur a *Talmud.* Tract. Zebach. cap. 13. *Maim.* Hil. Peſul. hammukd. cap. 18. סמג N. S. 339. Præcepti hujus uſus fuit בזמן הבית בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל כזית בשר קדוש טהור או בשר קדוש טמא בעודנו טמא טומאה דאוריתא במזיד קודם שיטבול חייב כרת בשוגג מביא קרבן עולה ויורד ואם אכלה אחר שטבל קודם שיעריב שמשו או קודם שיביא כפרתו כמו היולדת שצריכ׳ להביא וכן כל הצריך לכפר׳ לוקה ואינו חייב כרת שנ׳ בעניין כרת זה וטומאתו עליו ופירשו ז״ל עד שתהיה כל טומאתו עליו ואם היה טמא בטומאה של דבריהם אינו לוקה ואין צריך לומר שאין חייב כרת אלא מכין אותו מכת מרדות *ſtante templo in maſculis & fœmellis. Qui vero illud tranſgreſſus fuerit, & de carne ſancta, tam pura quam polluta quamdiu pollutione legali pollutus manet, proterve, antequam lotus eſt, molem oleæ ederit, reus eſt exciſionis: Sin autem per errorem deliquerit, offeret ſacrificium aſcendens & deſcendens. Quod ſi vero, poſtquam fuerit lotus, neque tamen Sol ejus occubuit, aut expiationem obtulerit, quemadmodum puerpera, & quicunque alii tenentur afferre ſuum* ἱλασμὸν; *ederit, vapulat quidem, ſed in pœnam exciſionis non incurrit, quia de illa exciſione dicitur:* Et immundities ejus ſit ſuper eum, *quod Rabbini explicant; uſque dum omnis impuritas fuerit ſuper eo. Si vero pollutus fuerit ex decreto tantum Rabbinico, non vapulat, multo minus pœnæ exciſionis reus eſt; ſed cædunt flagris rebellionis.*

CLXXII. שלא לגלח שער הנתק שנ׳

ואת הנתק לא יגלח כלומר אותו שיער שעל מקום הנתק לא יגלח. *Non eſſe detondendum pilum porriginis*, q. d. Porriginem non radet; *Levit.* 13. v. 33. id eſt *pilum, qui in loco eſt porriginis, ne detondeat.* שיסבול כל אדם אי זה צער ואיזה עונש שיגע ישהו הקבה ולא יבעט בהם ואל יחשב שיהיה יכולת בידו לבטל אותם ולהעלימם מן דבריות רק יש לו לבקש תחינה מאת האל שירפא מחץ מכתו. Ratio hujus præcepti tropologica monet hominem, *ut patienter quamlibet Dei pœnam, & quamlibet caſtigationem, qua Deus in ipſum animadvertit, ferat, neque recalcitret, neque cogitet, poſſe ſe ea abolere aut abſcondere a creaturarum aſpectu: ſed potius gratiam quærat a Deo, qui ſanet fractionem plagæ ſuæ.* Quærunt porro Rabbini. כיצד מגלחים הנתק מגלח סביב לו ומניח שתי שערות סמוך לו כדי שיהיה מכיר הפשיון. *Quomodo abradunt porriginem? Abraditur circumcirca, duobus tantum relictis pilis ei propinquis, ut dignoſcere poſſit diffluxionem, ſive incrementum.* Abraſio autem hæc perfici poteſt a quolibet homine, modo fiat בתער *novacula*, quæ neceſſaria eſt. Uſus præcepti utrumque conſtringit ſexum בכל זמן שיש בהן כהן חכם לראות הנגעים ועובר עליה וגלח את הנתק לוקה *omni tempore, quo habetur ſacerdos plagarum dijudicandarum gnarus: Tranſgreſſor, qui porriginem abraſit, vapulat.*

SECTIO XV.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XXIX.

a cap. 14. Levitici ad cap. 16.

Habet Præcepta Affirmativa undecim.

1. Περὶ τῦ καθαρισμῦ leproſi, qui certis conſtat ſpeciebus. 2. De radendo leproſo die ſeptimo. 3. De abluendis pollutis. 4. De ſacrificio leproſi, ubi ſanatus fuerit. 5. De ratione pollutæ domus, ſi plaga fuerit affecta. 6. De pollutione profluvium patientis. 7. De ſacrificio a gonorrhæa affecto offerendo, ubi de ſuo profluvio fuerit ſanatus. 8. De ratione pollutionis ex ſemine concubitus. 9. De pollutione ἀφορισμῦ, ſeu mulieris immunditia laborantis. 10. De pollutione fœminæ fluxum patientis. 11. De ſacrificio fœminæ fluxum paſſæ, poſt reparatam valetudinem, offerendo.

CLXXIII. מצות הטהרה מן הצרעת שתהיה במינים ידועים. *Præceptum purificationis a lepra, quæ certis peragitur ſpeciebus*, id eſt, להיות הטהרה מן הצרעת אדם או בגד או בית בעץ ארז ואזוב ושני תולעת ושתי צפרים ומים חיים ושיעשה בדם כל מה שכתוב בעניין שנ׳ זאת תהיה תורת המצורע. *Ut peragatur καθαρισμὸς a lepra, ſive hominis illa ſit, ſive veſtis, ſive domus, ligno cedrino, hyſſopo, cocco vermiculi, id eſt, coccineo dibapho, duobus paſſeribus, & aqua viva, quibus utetur ſecundum id quod ſcriptum eſt Levit.* 14. v. 1. & deinc. Iſta erit Lex leproſi, &c. Tres autem enarrantur ſpecies in tali purificatione neceſſariæ. Prima מים *Aqua*. וזה המין של מים יכלול טהרה כל טמא כלומר שאי אפשר לכל טמא לעלות מטומאה כי אם במים. *Quæ quidem ſpecies aquæ univerſaliter convenit purificationi cujuslibet immundi, adeo ut nullus a pollutione ſua exire poſſit, niſi per aquam.* Secunda ſpecies eſt, מי נידה והוא המין של טהרה המיוחר בטומאת מת. Aqua ſeparationis, *quæ propria eſt purificationi a pollutione mortui.* Tertia ſpecies continetur ligno cedrino, hyſſopo, coccineo dibapho, duobus paſſeribus, & aqua viva, quæ, ut eſt מיוחר לצרעת *propria lepræ*, ita, monentibus Rabbinis, leproſo in memoriam revocat, ſtatum in quo, antequam plaga fuit affectus, exſtitit. אמרו ז״ל שהעניז הוא לקבוע בנפשו של מצורע שאם היה טרם בא עליו החולי גבה לב כמו הארז שהוא על׳ דרך משל אילן גבוה ישפיל עצמו כאזוב ואמרו בטעם צפרים הוא עשה מעשה פטיט כלומר שהרבה דברים בלשון הרע לפיכך יקריב צפרים שהם מצפצפים תמיד ובשני התולעת איני יודע ונזכור שאמרו ז״ל עליו דבר ואפשר

נס

גם כן שהוא לרמז שישפיל עצמו ויהיה הרמז מצד השם של תולעת ובטעם המים שיטהרו כל טמא אחשוב על הפשט כי העניין הוא כדי שיראה האדם את עצמו אחר הטבילה כאילו נברא באותה שעה כמו שהיה העולם כולו מים טרם היות בו אדם וכמו שכתוב ורוח אלהים מרחפת על פני המים ויתן אל לבו ברמיון כי כמו שנתחדש בגופו יחדש גם כן פעולותיו לטוב ויכשיר מעשיו וידקדק בדרכי השי ועל כן אמרו חז״ל שלא תבשר הטהרה במים שבכלי רק חיים או מכונסין שהן על קרקע לא בכלי מכל מקום כדי לתת אל לבו במחשבה כאלו העולם כולו מים והוא נתחדש בעלותו מהן כמו שאמרנו ואם יהיו המים בכלי או אפילו עברו על כלי לא יתכן העניין הזה שאמרנו אל מחשבת הטובל כי יש גבול אל כל אשר הוא בכלי מעשה ידי אדם ועל כן לא יחשוב בטבלו בכלי כל העולם למים למים כאשר בתחלה ושהוא נתחדש לשעתו׃

Tradunt Magiſtri noſtri, ſymbolis iſtis juberi imprimere menti ſuæ leproſum, ut, ſi antequam in morbum illum incidit, elato fuerit animo, inſtar, exempli gratia, cedri, arboris excelſæ, ſe ipſum inſtar Hyſſopi humiliet. Paſſeribus *autem innui volunt, quod fecerit opus blateronis, id eſt,* quod crebro fuerit calumniatus*: offerendos proinde eſſe paſſeres, quod ſemper* (vox, quæ hoc loco adhibetur, apud Hebræos & Arabes *paſſerum garritum*, quem commoda ὀνοματοποΐα exprimit, ſignificat) *pipiant*. *Quo* coccineum dibaphum *referant, neſcio; memini tamen Rabbinos ea de re aliquid habere. Fieri autem poteſt, ut & hoc illi humiliationem ſui commendet: quod ſi ita ſit, in nomine* תולעת vermis *ejus rei indicium erit*. Aqua autem, *qua quilibet immundus purgatur, puto moneri hominem, ut ſemetipſum, poſt ablutionem, intueatur, quaſi ea ipſa hora creatum; quia mundus ante creationem hominis totus fuit aqua, juxta id quod ſcriptum eſt*: Et Spititus Dei motitabat ſe ſuper aquas, *Geneſ.* I. v. 2. *Mente igitur ſua per ſimilitudinem concipiet, ut, quemadmodum renovatus eſt in corpore ſuo, renovet etiam omnes ſuas operationes in bonum, factaque ſua rectificet, & vias Dei attente obſervet. Propterea etiam dicunt Rabbini: Non legitimum eſſe* καθαρισμῶ *factum aqua, quæ in vaſe aſſervatur; ſed viva tantum, aut congregata in fundo, non autem in vaſe, ut ſic animo ſuo cogitet, ſe, mundi inſtar, totum eſſe aquam, & quod reſtauratus ſit, aſcendendo ex ea, ſicut diximus: Quod ſi aqua fuerit in vaſe, aut tantum in tranſitu attigerit illud, tam aptam analogiam lavanti non ſuppeditabit; quia mixtura eſt in omni vaſe* χειροποιήτῳ, *proinde dum ſe in eo abluit, mentem cogitatio de mundo, quod totus aqua ſit, non ſubit, ſicut antea, & quod eadem quaſi hora conditus ſit*. Modum purificationis audire placet ex Rab. *Levi*, qui κατὰ πόδα fere *Maimonid.* ſequitur Hil. Tum Zoraat. cap. II. כיצד מטהרין את המצורע מביא מזרק של חרש כשהוא חדש ונותן לתוכו רביעית מים חיים הראויים לקדש איתם למי חטא׳ ושיעור זה מדברי סופרים ומביא שתי צפרים דרור טהורות לשם טהרת המצורע שנ׳ ולקח למטהר ושוחט את הברורה שבשתיהן על המים שבכלי חרש וממצה עד שיהיה הדם ניכר במים וחופר וקובר הצפור השחוטה בפניו ודבר זה קבלה מפי השמועה ונוטל עץ ארז ומצותו שיהא ארכו אמה ועביו כרביע כרע מכרעי המטה ואזוב שאין לו שם לווי ולא יהא פחות מטפח ושני תולעת משקלו שקל ואם טעמו פסלו כצביעו׳ התכלת שנפסל בטעימה וכל השיעורין הלבה ולוקח עם שלשתן הצפור החיה וארבעת מינין אלו סעכבין זה את זה ועץ ארז ואזוב שנתקלפו פסולין וכורך האזוב עם הארז בלשון של זהורית ומקיף להם ראשי אנפים וראש הזנב של צפור החיה וטובל ארבעתן במים שבכלי ובדם שעליהן ומזה שבע פעמים על גב ידו של מצורע ומשלח את הצפו׳ וכיצד משלחה עומד בעיר וזורקה חוץ לחומה ואינו הופך פניו לאהלים ולא לעיר אלא למדבר שנ׳אל מחוץ לעיר אל פני השדה שלח וחזרה חוזר ומשלחה אפי׳ מאה פעמים ואחר כך מגלח הכהן את המצורע וכיצד מגלחו מעביר תער על בשרו הנראה ואפי׳ בית השחי ובית הערוה ושאר כל הגוף עד שיעשה כדלעת שנ׳ את כל שערו אם כן למה נאמר ראשו והקנו וגבות לרבות כל כיוצא בהן ול׳ מעט שיער שבתוך החוטם לפי שאינו נראה ואחר כך מכבם בגדיו וטובל ויטהר בכך מלטמא בביאה ומלטמא במשב׳ ומושב ויכנס לפנים מן החומה ומונה שבעת ימים והוא אסור בשבעת הימים אלו בתשמיש המטה שנ׳ מחוץ לאהלו מלמד שאסור בתשמיש המטה אבל מצורעת מותרת בתשמיש המטה כל שבעת הימים אלו עדיין הוא אב הטומאה ומטמא אדם וכלים במגע ואינו מטמא במשא שהרי הוא אומר והיה ביום השביעי וגו׳ וכבס בגדיו מלמד שהיה מטמא בגדים וכשם שהיה מטמא בגדים במגע כך מטמא אדם במגע שכל המטמא אדם מטמא בגדים ושאינו מטמא אדם אינו מטמא בגדים וביום השביעי מגלחו הכהן תגלחת שנייה כתגלחת ראשונה ומכבס בגדיו וטובל ויטהר מלטמא אחרי׳ והרי הוא ככל טבולי יום ואוכל במעשר העריב שמשו אוכל בתרומה הביא כפרתו אוכל בקדשים שחיטת הצפור והתגלחת וההזאה ביום ושאר כל מעשיו בין ביום בין בלילה ואלו באנשים וכל השאר אפילו בנשים ואלו בכהנים וכל השאר אפילו על ידי ישראל ואותו כהן שטמאו מצוה לטהרו או לטמאו. Id eſt: *Quomodo purificant leproſum? Affert* [ſacerdos] *craterem teſtaceum novum, eique*

quartam partem aquæ vivæ, aptæ quæ in aquam purificationis consecrari possit, infundit: quæ mensura traditione nititur Scribarum: Affert etiam duas hirundines [est enim צפר דרור avis libera, id est, hirundo, quamvis passerem Scripturæ verba, ex communi fere consensu, requirant] mundas, propter purificationem leprosi, q. d. Et tollet ei, qui mundatur, duos passeres vivos mundos; Levit. 14. v. 4. & mactabit selectiorem seu pinguiorem super aqua, vasi testaceo infusa, sanguinemque tam diu exprimet, quoad in aqua sanguis cognoscatur; fodit deinde scrobem, passeremque mactatum sepelit coram ipso leproso. Atque hanc etiam traditionem auditione accepimus. Postea accipit lignum cedrinum, quod, ex præcepto, longitudine respondere debuit cubito, crassitie vero quartæ parti pedis lecti: Hyssopum, cui nullum hic adjungitur Epitheton, ad minimum palmarem. Coccinum dibaphi, pondere Sicli: si colore accedat ad hyacinthinum, eum rejiciunt; Atque hæ mensuræ sunt πατροπαράδοτοι. Tribus autem speciebus illis passerem adjungit vivum: Et ut ex quatuor istis aliæ alias impediunt; ita lignum Cedrinum & Hyssopus decorticata censentur profana. Circumvolvit autem Hyssopum cum ligno cedrino, lingua coccinea, iisque circumdat extrema, tum alarum, tum caudæ passeris vivi, & immergit quatuor ista aquæ & sanguini vasi infusis, septiesque aspergit eminentiam (prop. dorsum) manus [Maim. tantum habet, aspergit alterutram manum] leprosi, atque sic passerem dimittit. Quomodo dimittit illum? Stans in urbe projicit illum extra mœnia, neque convertit vultum suum vel mare, vel urbem versus, sed ad desertum, q. d. Extra civitatem in agrum; Levit. 14. v. 7. Si missus redeat, iterum emittit, si vel centies repetere deberet. Tum demum sacerdos tondet leprosum: Quomodo vero tondet eum? Traducit novaculam super carnem ejus, quæ videtur, [an forte commodius legendum in שערו pilum ejus, qui videtur] ipsa etiam cavitate axillæ, & loco pudendorum, totoque adeo corpore, usque dum fecerit [circumtondendo] instar cucurbitæ, q. d. Omnem pilum suum Levit. 14. v. 8. Si vero ita sit, cur dicitur: Caput suum, & barbam suam, & supercilia oculorum suorum? Facit ad αὔξησιν similium etiam; & ad μύστακα pili, qui in naribus est, neque videtur. Tandem ablutis vestibus, & immersus purus erit, ita ut nemo amplius, propter pollutionem ejus, arceatur a concubitu, strato aut sessione: moxque ingressus intra mœnia numerat septem dies, quibus septem diebus rem cum uxore habere ei non licet, q. d. Extra tentorium suum. Docens, probibitum ei esse concubitum: qui tamen mulieri leprosæ conceditur. Et hactenus ille refertur inter pollutiones patres (principales) qui polluit hominem & vasa solo attactu, non tamen onere (portando) q. d. Die autem septimo lavabit vestes suas, quo innuitur, eum polluere vestes: quemadmodum igitur vestes, sic & hominem contactu polluit. Omnis enim, qui polluit hominem, vestem etiam polluit; & qui hominem non polluit, nec vestem. Die autem septimo radet eum sacerdos secunda tonsura, juxta priorem, posteaque ubi ablutis vestibus, se tinxerit, mundus est, ut ne quidem alios polluat, eodemque habetur loco, quo ἡμεροβαπτισταί, editque de decimis: Si occiderit Sol ejus edit de Trumah; si obtulerit expiationem suam, sacra etiam edit. Mactatio porro passeris, tonsura, & aspersio diurna sunt opera; cætera omnia tam diurna esse possunt, quam nocturna. Illa per viros, reliqua per mulieres etiam peraguntur. Illa sacerdotum, hæc reliquorum etiam Israelitarum studio perfici possunt. Idem autem sacerdos, qui pollutum eum pronuntiavit, lege tenetur eundem iterum vel pollutum vel purum declarare. Plura habet Maim. Hil. cit. & Talm. Mass. Nega. סמג A. S. 236. 237. ונוהגת טהרה זו בכל מקום ובכל זמן שיש כהן חכם בנגעים ועובר עליה ולא עשאה כמשפט בטל עשה Usus purificationis hujus est omni loco & tempore, quo sacerdos est plagarum peritus: Qui vero illud violaverit, neque secundum hunc modum illam peregerit, irritum reddit affirmativum.

CLXXIV. מצות תגלחת מצורע ביום השביעי Præceptum de rasura leprosi die septimo: vel, שיגלח שמצורע את כל שערו והיא הטהרה השנייה כמו שאמרו ז״ל בנגעים שנ׳ והיה ביום השביעי יגלח את כל שערו וכו׳ ואמרו ז״ל שלשה מגלחין ותגלחתן מצוה הנזיר והמצורע והלוים ולוים צריכים תגלחת כמצורע וזה היה במדבר. Ut radat leprosus omnem pilum suum, quæ purificatio secunda est, quemadmodum Magistri nostri, Tractatu de plagis, dixerunt; juxta illud: Die autem septimo omnem suum pilum radet; Levit. 14. v. 9. Est & hoc Magistrorum nostrorum: Tres raduntur, quorum rasura præcipitur, Nazīræus, leprosus, & Levitæ. Levitæ autem rasura respondet leprosi, ut est in libro Numerorum: vide cap. 8. v. 7. Ratio præcepti est, כדי שיראה האדם עצמו כאלו היום נברא והיום מתחיל שערו לצמוח ויחדש מעשיו לטוב כי בהיות האדם מנוקה מכל שיער

אז

אז ינקה יפה מכל לכלוך ולכן ראוי לו לעלותו מטומאת צרעתו לעשות בעצמו מעשה הנקיות בכל כוחו כדי שינקה מעשיו גם כן בכל כוחו ויהפכם מרעה לטובה ולהכשיר. *Ut se homo quasi ἀφπίχτισον intueatur, sicque eo die, quo incipit crescere pilus ejus, ipse renovet opera sua in bonum. Dum enim homo fuerit purgatus ab omni pilo, tersus etiam erit ab omni squalore. Proinde ei, qui ascendit a pollutione lepræ suæ, convenit, ut in se ipso opera faciat munditiæ pro viribus suis, actionesque suas pro virili etiam mundet, & mala convertat in bona, eaque rectificet*. Hæc vero rasura, quomodo fieri debuerit, *supra* jam expressimus. וכשהוא מגלח בשתי התגלחות אינו מגלח אלא בתער ואם גילח שלא בתער או שהניח שתי שערות לא עשה כלום *Geminam illam rasuram novacula perficit: Si vero quis absque novacula se raserit, aut duos pilos reliquerit, nihil præstat*. Etsi vero purificatio leprosi dependeat a rasura, qua facta, purus pronuntiatur, habetur nihilominus talis מחוסר כפורים usque dum obtulerit sacrificium suum ἱλαστικόν. Vide Rab. *Levi* ex *Maim.* Hil. cit. סמג A. S. 236. 237. Usus, transgressio, & pœna transgressoris iisdem, quo præcedentis præcepti, exprimitur fere verbis.

CLXXV. מצות טבילה לטמאים *Præceptum de abluendis impuris*, id est, שנטבול במי מקוה ואז נטהר מאי זה מין ממיני הטמאות שנטמאנו בו שנ׳ ורחץ את כל בשרו ובאה הקבלה מים שכל בשרו עולה בהן ושערו חכמים שהם מ׳ סאה וזהו שיעור מקוה מן התורה בין שיהיו המים שאובין או שאמשיכו אותן מן המעינות או מן הגשמים הכל כשר שהתורה אמרה מקוה מים מכל מקום אבל חכמים פסלו כל מקוה שמימיו שאובין ולא עוד אלא אפי׳ עברו בכלי שלם בעת שמשיבין אותן לתוך החפירה פסלוהו וזהו השיעור שלמ׳ סאה בעינן במי מקוה אפילו להטביל בו מחט לדעת קצת מפרשים אבל במים נובעין כלומר מים היוצאים ממעיונות אין להם שיעור כלל אלא כל זמן שיתכסה האדם כל גופו בהן כיחד או שיתכסו בו הכלים הטמאים ביחד ראוי לטבול בו וכתב הרמ׳ במ״זל ואין כוונתנו באמרנו שהטבילה מצות עשה שיהיה מצוה על כל טמא שיטהר עכ״פ כמו שחייב כל מי שיתכסה בכסות שיעשה ציצית וכן כל מי שיש לו גג שחייב לעשות לו מעקה אבל הוא שהודיעתנו התורה שמי שירצה להטהר מטומאה לא יתכן לו זה אלא בטבילה במים וצותנו לקבל העניין ולעשותו כן כשירצה לחטהר אבל אם ירצה להשאר בטמאתו ולא יכנס למחנה שבינה זמן רב הרשות בידו תוספת ומכל מקום אין זו ממדת החסידים ואנשי מעשה להיותם מטמאים בטומאתם כי הטומאה מאוסה והטהרה אהובה ונפשו של אדם מתעלה ומזדככת בטהרה עכ״ *Ut immergamus nos aquæ conceptaculo* (lavacro aquario) *sicque mundi reddamur, quacunque simus pollutionis specie polluti*, q. d. Et lavabit omnem carnem suam, *Levit.* 13. v. 9. *Traditionem autem habemus, eam intelligi aquam, quæ totum corpus capiat, cujus mensura, ex Rabbinorum æstimatione, est* 40. *satorum. Hæc enim mensura lavacri est ex Lege, sive jam aquæ haustæ fuerint, sive ex fontibus vel pluviis, attrahendo, collectæ; omnis illa aqua apta est; quia Lex simpliciter receptaculum aquæ ponit. Rabbini autem omne receptaculum rejiciunt, cujus aquæ sunt haustæ, imo, si dum colligunt eam in scrobem, transeat vas aliquod integrum, eam etiam profanam judicant. Atqui hanc mensuram* 40. *satorum in aqua lavacri, per se necessariam esse, etsi vel unica eluenda sit acus sartoria, quidam interpretes statuunt: Aquæ vero ebullientes*, i. e. ex fontibus promanantes, *mensuram non habent, sed, quoties hominis corpus integrum aut polluta vasa simul iis contegi possunt, ablutioni illæ aptæ sunt. Neque vero*, scribit Maimonides, *intentio nostra est, cum dicimus, ablutionem* (βαπτισμὸν) *præceptum esse affirmativum, quasi cuilibet immundo injunctum esset, ut se purgare teneretur eo modo, quo omnis, qui veste operitur, tenetur fimbriam addere, & quilibet, qui domum possidet, lorica munire debet: Sensus potius est: Velle Legem, quod qui mundari ab immunditie cupiat, aliter assequi non possit, quam ablutione facta per aquam, nobisque eam præcepisse, ut ductum hunc sequamur, si velimus purgari: Si vero relinqui quis velit in sua impuritate, neque ingredi castra Majestatis divinæ aliquandiu, optioni ejus dari*. Additio. *Hoc vero homines pios & practicos minime decet, ut impuritate sua alios polluant; quia pollutio abjecta est; puritas vero adamata, qua anima hominis extollitur & mundatur*. Hæc ille. Ratio præcepti, præter alias communes, est, שיש רמז אל הטובל שינקת נפשו מכל חטא כמו שטבע המי׳ לנקות כל דבר המתכבס בהם *ut qui intingitur, indice, aqua, purget animam suam ab omni peccato, quemadmodum aquæ natura purgat quicquid ea abluitur*. Ad pleniorem hujus βαπτισμȣ̃ notitiam, sequentes Rabbinorum observentur aphorismi. I. מי מקוה ראויים להטהר אדם מכל טומאה כגון נדה וזבה ושאר כל הטמאות של אדם וכלים חוץ מטומאת זב לבד לפי שהכתוב פירש בו לבד מים לטהרתו פי׳ מים נובעין *Aquæ receptaculum adhibetur* pur-

purgationi ab omni immunditie, menſtrua & profluvium paſſæ, cæterarumque impuritatum hominis & vaſorum, excepta immunditie fluxu laborantis viri, quia in eo Scriptura aquam tantum ebullientem requirit. II. שאעפ שטבילת קצתם ביום לא תשלם טהרתם עד הערב שמש כמו שכתוב במים יובא וטמא עד הערב וטהר *Quod, etſi quorundam baptiſmus fiat interdiu, illorum purificatio demum perficiatur ad occaſum Solis*, q. d. *Lev.* 11. 32. In aquam mittetur, & immundum erit (vas) uſque ad veſperam, & mundabitur. III. שצריך לטבול גופו מגולה כלומר שנוגע לשטח המים כולו כלומר שלא יהא שום דבר חוצץ בין כל גופו והמים ואם טבלו בבגדיהם דיעבד עלתה להם טבילה מפני שהמים באין בהם וגם הנדה כדין זה דיעבד ומותרת לבעלה והוא שלא יהיו הבגדים מהודקין יותר מדא *Neceſſario immergendum corpus denudatum, ita ut attingat ſuperficiem aquæ totam, id eſt, ut nihil plane diſtinguat inter totum corpus & aquas : quod ſi qui ſe cum veſtibus immerſerint, rata habetur lotio eorum, quia aqua per eas penetrat [mulier etiam menſtrualis hanc obſervans rationem licita redditur*, reſtituitur, *marito ſuo] quod fit, cum veſtes non ſunt conſtipatæ ultra quam ſatis eſt*. IV. כל חייב טבילות טבילתן ביום חוץ מנדה ווולדת שטבילתן בלילה *Quibuſcunque ablutio incumbit, illi peragunt eam interdiu, excepta menſtruali, & puerpera, quæ noctu lavantur*. Porro de חציצה ſeu *diſcrimine ablutionis* [res eſt, quæ partem aliquam corporis tegit, quo minus aqua eo penetret, & ita partem eam ab aquæ inundatione diſcriminat] quatenus lotionem vel legitimam reddat vel illegitimam; de aquis hauſtis, & quæ lavacrum profanent; de notis dijudicandi lavacri (Canonem enim habent : שאין המקוה נפסל לא בשינוי הריח ולא בשינוי הטעם אלא בשינוי מראה לבד *Lavacrum non profanari mutatione odoris aut ſaporis, ſed aſpectus ſeu coloris, lactis, ſanguinis, vini, &c.*) de modo abluendæ mulieris tum ex Legis, tum Eſræ inſtituto; de filiarum Iſraeliticarum conſuetudine, abluendi ſe calida; de pectinatione capillorum, quæ lotioni præmitti debet; de deponendis annulis digitorum, armillarum, &c. tempore lotionis, fuſe agitur in *Talm.* Maſſ. Mikvaoth, & Tibbul jom. *Maim.* Hil. Mikv. סמג S. A. 248. ונוהגת מצוה זו של טבילה בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות שמצוה עליהם כשירצו להטהר מטומאתם שיטבלו במים כעניין שאמרנו במים ראוין ושלא וחא בהן דבר חוצץ אבל מכל מקום אין המצוה שיטהרו עצמן עכפ אם רצו להשאיר בטומאתן אלא בא ליכנס למקדש או לאכול קודש וזהו בזמן הבית כי אז בזמן ההוא אם עשה כן בטל עשה זה מלבד החיוב שעליו באוכלו קודש בטומאה והכנסו למקדש כמו שכתבנו למעלה *Uſus præcepti hujus, ablutionis, obtinet omni loco & tempore in utroque ſexu, quibus mandatum eſt, ut ſi velint purgari ab immunditia ſua, aquæ, ad eum modum, quem diximus, immergentur; neque in aqua huic actui deſtinata, ullum ſit diſcerniculum, &c. Neutiquam tamen præceptum iis eſt, ut ſe purgent, ſi manere velint in ſua impuritate; ſed tum demum, cum, ingredi quis conſtituerit ſanctuarium, aut edere rem ſacram; id quod ſtante templo fieri conſuevit. Tunc enim, ſi quis ita ſe geſſit, reddidit irritum affirmativum hoc, præterquam quod reatum contraxerit propterea quod in immunditie ſanctum edit, aut ingreſſus eſt ſanctuarium; quemadmodum ſupra diximus*.

CLXXVI. מצות קרבן מצורע כשיתרפא מצרעתו. *Præceptum oblationis leproſi, cum a morbo ſuo fuerit ſanatus;* והוא ג׳ בהמות אחד לעולה ואחד לחטאת ואחד אשם ועוד לוג שמן ואם הוא עני כבש אחד לאשם ועשרון סולת ולוג שמן ושתי תורים או שני בני יוני האחד חטאת והאחד עולה שנ׳ וביום השמיני יקח שני כבשים תמימים וכבשה אחת וכתוב בפרשה שאחר זו ואם דל הוא וכו׳ וזה המצורע נקרא מחוסר כפרה עד שיקריב זה הקרבן *quæ conſtat tribus beſtiis, una in holocauſtum, altera in ſacrificium pro peccato, & tertia pro reatu, addito Logo olei. Si vero pauper fuerit, agno uno pro reatu, & decima parte ſimilæ, & Logo olei, duobus inſuper turturibus, aut pipionibus altero, pro peccato, altero in holocauſtum*, q. d. Die octavo tollet duos agnos immaculatos, & unam anniculam immaculatam, & tres decimas ſimilæ pro mincha mixta oleo, & ſextarium unum olei, *Lev.* 14. verſ. 10. *Et in eadem Paraſcha, poſtea dicitur* : Si autem pauper fuerit, & manus ejus non poſſit aſſequi, tunc accipiet agnum unum in hoſtiam pro delicto in elevationem ad expiandum illum, & decimam partem ſimilæ unam permixtam oleo pro mincha, ſextariumque olei : Duos præterea turtures, aut duos filios columbæ, eritque unus in hoſtiam pro peccato, & alter pro holocauſto, v. 21. 22. Hic vero leproſus, antequam dictum ſacrificium obtulerit, vocatur מחוסר כפרה *deſtitutus, carens expiatione*. Ejuſmodi Rabbini quatuor ponunt, *leproſum, ſeminifluum, fœminam* αἱμοῤῥοοῦσαν, & *puerperam* והעניין שיקראו מחוסרי כפרה הוא לומר שכל אחד מהם אעפ שטהר מטומאה וטובל ומעריב שמשו ביום השביעי עדיין הוא

הוא חסר כפרה זו ואינו יכול לאכול בקדשים עד שיקריבנה ביום השמיני. *Ratio autem cur vocentur* מחוסרי כפרה, *est, quod quilibet eorum, etsi purus sit pronuntiatus ab immunditia sua & tinctus aqua, occiderit etiam Sol ejus, die septimo, adhuc tamen destitutus maneat hac expiatione, adeoque nec sancta edere possit, usque dum obtulerit illam die octavo.* ואל יקשה עליך למה אנו מונין כל אחד מארבעה אלה מצוה אחת ולא נכללו כולן במצוה אחת שיקריבו ארבע׳ מחוסרי כפרה ואחר כך יהיו מכופרים כמו שאנו אומרים בטהרת מי מקוה שיטבול כל טמא ואחר כך יטהר ואין אנו מחלקים בענייני הטמאות לחשוב טהרת כל אחת מצוה כי העניין הוא מפני שקרבנות ארבעה אלה אינם שוים ונמצא שהדבר שתשלים כפרתו של אחד מהם לא ישלים כפרת האחר ולכן ימנו כל אחד מצוה מה שאין כן במי מקוה שהטהרה שוה בכל. *Neque tibi scrupulum moveat: Quod unum quodlibet horum sacrificiorum sigillatim pro totidem præceptis numeremus, & non generaliter uno comprehendamus, hoc videlicet modo :* Ut quatuor destituti expiatione sacrificia offerant, posteaque reconciliati sint; *quemadmodum dicimus in mundatione lavacro peracta, quod pollutus omnis, postquam is sparsa aqua corpus suum tinxerit, purus sit : neque enim in negotio pollutionum discrimen facimus, ut existimemus, quemlibet* καθαρισμὸν *peculiare esse præceptum. Ratio autem diversitatis est, quia hæc quatuor sacrificia non eodem modo se habent. Reperitur enim, quod illud, quo expiatio unius perficitur, alterius expiationem non absolvit : proinde unum quodlibet pro peculiari Sacrificio reputatur, id quod in aqua lavacri aliter est comparatum, ubi omnium purificatio est æqualis.* Præcepti scopns est, להשפיל יצר הגוף החוטא ולהגדיל מעלת הנפש *ut deprimatur cupiditas corporis peccantis, & extollatur dignitas animæ;* cum enim corpori inflicta sit pœna, aut propter pravam concupiscentiam, aut sermones profanos & impios, aut opus ἄνομον, merito etiam corpus plectitur. Monent autem Rabbini : שכל מחויבי קרבן אין מקריבים אחרים קרבנו אלא מדעתן חוץ ממחוסרי כפרה שאין צריכין דעת בעלים ומפני כן אמרו שאדם מביא קרבן על בניו ובנותיו הקטנים אם היו מחוסרי כפרה ומאכילן בזבחים. *Quicunque teneatur sacrificium offerre, pro iis nemo illud, nisi de consensu eorum* (consciis illis) *offert, exceptis destitutis expiatione, quorum consensus non requiritur. Propterea etiam dicunt, aliquem afferre pro filiis suis sacrificium, aut filiabus minorennibus, si fuerint destituti expiatione, eisdemque de sacrificiis cibum* (portionem aliquam) *suppeditare.* Plura hac de re in *Talmud* hinc inde, præsertim Zebach. cap. 2. Erk. c. 2. Kerit. cap. 1. Nazir, cap. 8. & in fine Negah. & Kinian. *Maim.* Hil. Mechuss. Kapparah. cap. 4. סמג N. S. 281. ונוהגת בזמן הבית בזכרים ונקבות ועובר עליה ולא הקריב קרבנו בזמנו בטל עשה. *Usus ejus obtinuit sub templo, in utroque sexu. Transgressor, qui sacrificium suo tempore non obtulit, irritum fecit affirmativum.*

CLXXVII. מצות עניין טמאת בית שיהיה בו נגע. *Præceptum de pollutione domus, in qua fuerit plaga lepræ;* id est, לטמא בית מנוגע כלומ׳ שנעשה בבית שיהיה בה צרעת כמשפט הכתוב בפרשה כמו שנ׳ ובא אשר לו הבית וכו׳. *Pollutam pronuntiandam domum plaga percussam, id est, ut in domo lepra affecta modum & rationem observemus hac Parascha descriptam :* Veniet ille cujus est domus, renuntiabitque sacerdoti, dicendo, tanquam plaga lepræ visa mihi est in domo, &c. *Levit.* 14. vers. 35. & deinceps. ומצוה כוללת כל ענייני טומאת הבית אי זה צריך הסגר או הריסה בקצת הקירות או בכולן. *Præceptum hoc generaliter complectitur omnem materiam pollutionis domus, ob quam illa vel claudi, vel parietes aliquot dirui, vel universa etiam destrui debeat.* Hanc vero ædium & lapidum lepram peculiare quid fuisse, neque communi naturæ cursui tribuendam, notat Rab. *Levit.* וזה העניין של צרעת ההוא באבנים שמעתי שאיננו דבר טבעי אבל הוא עניין מופתי יבא לפעמים לבתי ישראל להוכיחם כי מאהבת י׳ אותם יודיעום מוסרו במה שהוא חוץ לגופם כדי שיחזרו בתשובה יתחייבו לענוש אותם בגופם וזה היה העניין שאם לא עשה תשובה יתפשט הנגע גם בבגדיו לא הרגיש עדיין יתפשט גם בגופו ועוד אמרו ז״ל כי בתחלה כשכבשו הארץ הביא הש״י בקצת בתים נגע צרעת לטובת׳ כדי שיהרסו הבית ויתגלה להם מטמון שטמנו שם האמוריים ואע״פ שהיה אפשר להודיעם זה על ידי נביא מכלי נגע ידוע הדבר שהאל יעשה לבני׳ אדם דרך סתר. *Audivi autem lepræ, qua & lapides infestantur, rationem non naturalem esse; sed portentosam, quæ nonnunquam Israelitarum ædes occupet, ut moneantur, amore divino castigari se ea castigatione, quæ sit extra corpus, ut resipiscant, antequam digni fiant, qui in ipsis etiam puniantur corporibus. Hæc enim hujus ratio fuit, ut si* [is, in cujus ædibus hæc plaga apparuit) *non resipuisset, plaga ad vestes ejus extenderetur; si ne hoc quidem sensisset, corpus etiam illa infecisset. Dicunt etiam Rabbini, quod initio, cum occupassent terram, intulerit Deus hanc plagam in quasdam ædes, in* bonum

bonum eorum (Iſraelitarum) *quo ſic* , *ædibus illis deſtructis theſaurus*, *quem abdiderunt ibi Amorrhæi* , *retegeretur* : *Et quamquam hoc illis ſignificari potuiſſet per Prophetam abſque plaga* , *conſtat tamen Deum ſolere hæc talia ſecreto modo peragere*. Sed Rabbinorum hoc eſt ſuaviludium , quod ad Magiſtros ultra fluvium Sabbathion habitantes relegamus. Judicium autem , cognoſcendæ & dijudicandæ lepræ hujus , non ad ullum ſpectat ſapientem, ſed ſacerdotem tantum, cujus ſolius eſt, לטמא ולטהר נגעים ולא לאדם אחר. *Puras vel impuras pronuntiare plagas* , *& non ullius alius hominis*. Excipiuntur autem ab hoc plagarum morbo. 1. ædes obſcuræ , juxta Canonem . בית אפל אינו מטמא לעולם בנגע. *Domus obſcura nunquam polluitur plaga*. 2. Domus quatuor cubitis minor ; כי אין הבית מטמא בנגע עד שיהא בו ד׳ אמות על ד׳ אמות או יותר שאין קרוי בית בפחות מוכן והתורה אמורה בית וכן בעינן שיהא לו ד׳ כתלים ובנוי על הארץ באבנים ועצים ועפר שנ׳ את אבניו ואת עציו ואת כל עפרו והלבנים והשייש אינם חשובים באבנים וירושלים וחוצה לה גם כן אין בהן דין טומאת בתים שנ׳ בבית ארץ אחזתכם וחוצה לארץ אינה אחוזה וירושלם גם כן לא נתחלקה לשבטים ולפיכך אינה בכלל אחזתכם. *Domus non polluitur plaga*, *niſi alta fuerit quatuor cubitos*, *ſuper quatuor aut plures cubitos alios* : *Neque enim domus vocatur* (ſtructura ulla) *ſi minor ſit*. *Lex autem ponit* Domum. *Unde etiam poſcimus* , *ut quatuor habeat parietes* , *& ſuperſtructum ſit terræ lapidibus*, *lignis*, *& pulvere* (*arena* , aut , juxta alios, *luto*) q. d. *Levit.* 14. v. 45. Deſtruet lapides ejus , & omne lutum ejus. *Lateres* , *& marmor inter lapides non referuntur*. *Neque etiam Hieroſolyma* , *aut quæ extra eam eſt regio* , *hujus pollutionis legi ſubjecta eſt* , *ſicuti dicitur* : Cum poſuero plagam lepræ in domo terræ poſſeſſionis veſtræ; *Levit.* 14. v. 34. *Quod vero extra terram eſt* , *poſſeſſio utique non eſt*. *Neque etiam Hieroſolyma diviſa inter tribus*; *proinde neque ſub poſſeſſione generaliter continetur*. Reliqua occurrunt in *Talm.* Maſſ. Negah. *Maim.* Hil. Tumath Zorah. cap. 14. סמג A. S. 239. ונוהגת בבית של זכר או נקבה בארץ ובכל זמן שיש כהנים ראויים לדבר ועובר עליה בטל עשה, *Uſus præcepti in domo maſculi & fœminæ*, *in terra ſancta*, *omnique tempore*, *quo ſunt ſacerdotes huic rei idonei* : *Tranſgreſſor illius* , *irritum reddit affirmativum*.

CLXXVIII. שיהא הזב טמא וטמא את אחרים. Id eſt, Γονόῤῥοιον *& pollutum eſſe*, *& polluere alios*, *juxta illud* : Unuſquiſque autem cum ſemen ejus defluet de carne ſua , immundus eſt, &c. *Levit.* 15. 2. Polluit nempe , המשכב והמושב והמרכב בחמשה דרכים ואלו הן עומד יושב שוכב נתלה ונשען *ſtratum*, *ſagma* , *& ephippium quinque modis* , *ſtando* , *ſedendo* , *pendendo*, *nitendo*. Quid vero differat זיבה a שכבת זרע ita explicat Rab. *Levi* : זיבה הוא שיוצא מן האדם מפי האמה כעין ליחה ואין לו ביציאותו תאוה ולא הנאה ואמרו ז״ל שהוא דומה למי בצק שעורים וכמו כך דומה ללובן ביצה המוזרת ושכבת זרע אינו כן כי הוא ידמה ללובן ביצה שאינ׳ מוזר׳ וזהו החילוק בהן להכיר בין זה לזה. Pœnam hanc, reo inflictam voluiſſe Deum *idem* ſcribit, ut ſanctitatis & ſobrietatis in nobis ardentius ſtudium excitet. Rabbinicum enim eſſe axioma, דרכא דמיכלא יתירא לאיתוי לידי זיבה, Item : בז׳ דרכים בודקין את הזב במאכל ובמשתה בקפיצה במשא בחולי במראה בהרהור. Vide pag. 74. a. b. ubi de cauſis, occaſionibus, & diverſitate hujus morbi : Fatetur etiam , omnem omni tempore בעל זיבה vocari immundum, בעונותינו אבל עכשין לנו מקדש ולא (inquit) שאין טהרות אין לנו לחשוב טומאת הזב במצוה נוהגת לפי שאין לנו לעשות בעניין הזיב׳ שום דבר ובזמן הבית נוהג להביא עלה קרבן ועובר עליה ונכנס למקדש או אכל קודש קודם שיטהר בטל עשה מלבד שיש עליו עונש.

CLXXIX. להקריב הזב קרבן אחר שיתרפא מזובו שנ׳ וכי יטהר הזב מזובו וגו׳ וביום השמיני יקח שנ׳ תורים וכו׳ והקרבן ההוא הוא שתי תורים או שני בני יונה אחד לעולה ואחד לחטאת והוא נקרא מחוסר כפרה עד שיקריבהו. *Ut offerat gonorrhæus ſacrificium* , *poſtquam ſanatus fuerit a fluxu ſuo* , q. d. Et cum mundus fuerit ſeminifluus a fluxu ſuo , *Levit.* 15. v. 13. Die vero octavo capiet ſibi duos turtures, &c. *Conſtat autem ſacrificium hoc duobus turturibus aut duobus pipionibus* , *altero in holocauſtum* , *& altero pro peccato* : *Vocaturque* ἐνδεὴς ἱλασμοῦ, *uſque dum illud obtulerit*. Nam, præterquam quod rebellans hominis caro ita reprimenda & ſubigenda eſt , cognoſcere etiam debet ſeminifluus רוע תאותו *Malitiam ſuæ cupiditatis* , & initium facere emendationis ſuæ , interveniente ſacrificio. ונוהגת בזמן הבית ועובר עליה ולא הקריב בטל עשה והוא מחוסר כפרה וחבל על רישיה אי מיית וישא עונו בנפשו. *Uſus præcepti fuit ſtante templo* : *Qui tranſgreſſus illud non obtulit* , *irritum reddidit affirmativum* , *eſtque* ἐνδεὴς ἱλασμοῦ. *Væ autem capiti ejus* , *ſi moritur* ! *Feret enim iniquitatem ſuam in anima ſua*. Vide *Maimon.* Hil. Mechuſſ. Kapp. cap. 1. סמג A. Ss 218.

CLXXX.

CLXXX. להיות שכבת זרע טמא ומטמא. שנ׳ ואיש כי תצא ממנו שכבת זרע. Hominem *ex semine concubitus & pollui, & polluere*, q. d. Quum autem ex aliquo egressa fuerit effusio seminis, lavabit aqua totam carnem suam, & immunda erit usque ad vesperam. Ratio præcepti, לפי שעניין זה לא יקרה רק מצד מחשבת התאוה הגופניו׳ הודיעתנו תורתנו השלימה כי הגוף נקרא טמא בהן כי עיקר היותו בעולם אינו רק להבין במושכלות ולעבוד בוראו לפיכך כשיקרה בו אותו דבר שמראה בו הטייתו אל התאוה חמרית ראוי לעמוד יום אחד בטמאתו כדי שתתקנה מחשבתו יפה ואחר כך יטהר: Statuunt porro Rabbini 1. ששיעורו למגע בבעדשה ולרואה הקרי בכל שהוא ואחר רואה קרי באונס או ברצון טמא וזרע של קטן אינו מטמא וזרע אדום אינו טמא אלא לבן וכל זרע שאין האדם מרגיש בו לא בתחלה ולא בסוף אינו טמא והמהרהר בלילה וראה ששמש בחלום ועמד ומצא בשרו תם אע״פ שלא ראה שכבת זרע טמא: 2. שנוהגת טומאת שכבת זרע בכל מקום ובכל זמן אבל עכשיו בעונותינו שאין לנו לא מקדש ילא קדשים אין אנו צריכין להזהר בעניין הטומאה ואע״פכ עזרא תקן טבילה לבעלי קריין כדי שיהיו נקיי׳ וטהורים יותר במחשבתן ולא יהיו בני אדם מצויין עם נשותיהן כתרנגולין ובזמנו לא היה אדם מתפלל ושונה בתורה עד אחר טבילה ובזמן הזה פסקנו בגמרה ובטלוה חכמים לטבילותא ואין אדם נמנע מלהתפלל ולשנות גם להניח תפילין בשביל קרי ואפי׳ לנטילותא דהיינו הרחת הגוף בט״ קבין מים גם כן בטלו ועכשיו לא יטבלו ולא ידיחו כלל ואמנם בעל נפש המטהר לקרוא גם היום מדה אובה ומשובחת היא לו ותבא עליו ברכה ויודע דרך הטהרה ורוב טובה יחזיק בה: Vide *Talmud.* Mass. Zabh. *Maimon*. Schear Abhoth hattum. cap. 5. סמג A. S. 245.

CLXXXI. להיות הנדה טמאה ומטמאה אחרים שנ׳ וכל הנוגע בה נטמא עד הערב. *Menstruo laborantem mulierem & pollutam esse, & polluere alios*, q. d. Omnis qui tetigerit eam, cujus fluit sanguis) immundus erit usque ad vesperam; *Levit.* 15. v. 19. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן ועובר עליה ולא התנהג עמה בטומאה וכן היא שנהגה בעצמה מנהג טהורה בטל עשה זה מלבד העונש שיש בה: Vide *Maimon.* Hil. Metamee mischc. umosch. cap. 3.

CLXXXII. להיות הזבה טמאה ומטמאה שנ׳ ואשה כי יזוב דמה ימים רבים וגו׳. *Mulierem* αἱμοῤῥοῦσαν *& pollutam esse, & polluere alios*, q. d. Mulier, cum fluet fluxus sanguinis ejus diebus multis præter tempus menstrui sui, &c. *Levit.* 15. vers. 25. עניין הריחוק מהן וטומאתן מפני המחלה שבהן שמזקת הרבה לבני אדם וכל שכן השוכב אותן כי לפי רוב קרבתו עמהן ההזק יתר prout hac de re fusius dictum est S. 166. *de puerpera*. Ad præcepti hujus explicationem, Rabbini tradunt 1. שאחד עשר יום הם שהם בין נדה לנדה כלומר שהאשה נעשית בהן זבה: כך היא הלכה למשה מסיני. 2. Modum & rationem דם נידות seu ἀφορισμοῦ, & quomodo a זיבה differat, ita describunt: שאם תראה יום אחד דם או אפי׳ שבעה ימים כל זמן שתפסוק הדם ביום שביעי מבעוד יום טובלת לערב דהיינו הלילה שמחרתה יום שמיני לתחלת ראייתה ואחר טבילתה טהור׳ לבעלה ואחר שבערת ימי הנידות אם תראה דם בתוך אחד עשר יום אחר השבעה יקרא אותו הדם דם זיבה ודינו כן שאם תראה ממנו יום אחד בין שתראה בתחלת הלילה או בסוף היום משמרת יום אחד כנגדו וטובלת וטהורה לבעלה לערב וטבילתה אפי׳ ביום משתנץ החמה וזאת היא זיבה קטנה: וכן אם תראה דם שני ימים ותפסוק בשלישי דינה כמו כן לשמור יום אחד ובכן יספיק לה אפילו לשני ימים ותטהר וזאת גם כן תקרא זיבה קטנה ואם תראה דם בתוך י״א יום אלו ג׳ ימים רצופים תקרא זיבה גדולה וצריכה לישב ז׳ נקיים ואחר כך טובלת וטהורת לבעלה: ואחר י״א עשר יום אלו אם תראה חוזרת לתחלת נידות ויש לה ז׳ ימים כדין נידה: וכן יהיה לעולם שאחר הנידות יש לה י״א יום שבהם נעשית זבה ואחר שעברו אותן הי״א אם איננה נעשית זבה לעולם עד שיעברו עליה ז׳ ימי נידות ומפני שכבר טעו בזה אחרים וחשבו שהחשבון ההוא שתמנה ימי׳ של נידות וי״א של זיבות וז׳ של נידות וי״א של זיבות וכן לעולם הארכתי בעניין לומר שאינו כן אלא לעולם אין דין ימי זבה אלא י״א יום אחר ז׳ של נידות ולא אחר כך לעולם עד שתחזור לתחלת הנידות ר״ל שאם תעמור ולא תראה אחר הי״א יום אפילו שנה אין לה דין זבה עד שיעברו עליה ז׳ ימי נידות. Omnia hæc fusius disputantur in *Maim.* Hil. cit. סמג A. S. 241. 242. *Talm.* Mass. Zab. Mass. Nidda ועובר על מצוה זו והוא מקל בעניינים אלו זבעניין טומאתה בטל עשה זה מלבד העונש שהשוכב עמה הוא בכרת:

CLXXXIII. שתקריב הזבה קרבן כשתתרפא מזובה והוא שתי תורי׳ או שני בני יונה שנ׳ ואם טהרה מזובה וגו׳ וביום השמיני תקח לה שתי תורים. *Ut afferat* αἱμοῤῥοοῦσα *sacrificium, postquam a fluxu fuerit sanata, nempe duos turtures, aut duos pipiones*, q. d. Quod si mundata fuerit a fluxu suo, tunc numerabit septem dies, & postea mundabitur: die autem octavo tollet sibi duos turtures, aut duos pullos columbinos, afferetque illos ad sacerdotem, ad ostium tabernaculi Ecclesiæ; *Levit.* 15. v. 28. 29. Distinguitur autem hoc sacrificium mulieris αἱμοῤῥοούσης, a sacrificio viri seminiflui, quia, juxta

juxta *Maimon.* טומאתן של אלו אינה שוה כלל שהאיש מטמא בלובן והאשה באודם Alia ratio lepræ, quæ eodem præcepto & masculum & fœminam morbo illo laborantem, constringit. Unde Talmudici c. 4. *Kerit.* ubi numerant מחוסרי כפרה ἐνδεῶς ἱλασμοῦ, זב & זבה distincte exprimunt. ונוהגת בזמן הבית והעוברת ולא תקריב קרבנה כשתתרפא מזובה בטלה עשה זה מלבד שהיא מחוסרת כפרה. Confer *Maimon.* Hil. Mechuss. Kappara cap. 1. סמג A. S. 209.

SECTIO XIV.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XXX.

a cap. 16. Levit. ad cap. 19.

Constans Affirmativis duobus.

1. De cultu diei Expiationum. 2. De tegendo sanguine.

Negativis viginti sex, quæ prohibent.

1. Sacerdotibus, multo magis aliis, sanctuarium semper ingredi. 2. Sacrificare sancta extra atrium. 3. Incestos omnes concubitus. 4. Cum patre. 5. Matre. 6. Noverca. 7. Sorore, tam germana, quam uterina. 8. Nepti ex filio. 9. Nepti ex filia. 10. Filia. 11. Sorore ex patre, quæ filia novercæ. 12. Matertera. 13. Amita. 14. Patruo. 15. Patrui uxore. 16. Nuru. 17. Fratria. 18. Cum matre & filia. 19. Avia & nepti ex filio. 20. Et ex filia. 21. Duabus sororibus superstitibus. 22. Menstruali muliere. 23. Dare semen nostrum Moloco. 24. Misceri cum masculis. 25. Congredi cum masculis. 26. Ne congrediantur mulieres cum bestiis.

CLXXXIV. מצות עבודת יום הכפורים *Præceptum datum de cultu diei Expiationum.* Id est, שיעשה כהן גהול כל מעשה הכפורים על הסדר הקרבנות והוידוים ושילוח השעיר ושאר העבודה כמו שכתוב בפרשה שנ׳ בזאת יבא אהרון וגמ׳ כל הפרשה *Ut faciat Pontifex summus omne opus expiationum, juxta ordinem sacrificiorum, confessionum, & dimissionis hirci, & reliqui cultus, ex præscripto Paraschæ* (textus) q. d. Cum hoc ingredietur Aharon sanctuarium, cum juvenco filio bovis in hostiam pro peccato & ariete in holocaustum, & quæ sequuntur toto capite. Ratio præcepti est, שהיה מחסדי האל על בריותיו לקבוע להם יום אחד בשנה לכפרה על החטאים עם התשובה שישובו שאלו יתקבצו עונות הבריות שנה שנה תמלא סאתם לסוף שנתים או שלש או יותר ויתחייב העולם כלייה על כן ראה בחכמתו בה״ לקיום העולם לקבוע יום אחד לשנה לכפרת חטאים לשבי׳ ומתחלת בריאת העולם יעדו וקדשו לכך ואחרי שיעדו האל בה״ אותו היום לכפרה נתקדש היום וקבל׳ כח הזכות מאתו ית׳ עד שהוא מסייע בכפרה וזהו שאמרו ז״ל בהרבה מקומות ויום הכפורים מכפר כלומר שיש כוח ליום בעצמו לכפרה בעבירות קלות *Quod, qua est misericordia, Deus in creaturas suas, figere iis voluerit diem per annum unum, ad expiationem peccatorum adjuncta pœnitentia, ut resipiscant. Si enim coacervarentur peccata creaturarum per annos, repleretur mensura earum ad finem biennii aut triennii, aut ultra, & sic mundus reus efficeretur proditionis. Prævidit proinde Deus Benedictus sapientia sua, ad constitutionem seu stabilimentum mundi, ut singulis annis dies constitueretur ad expiationem peccatorum resipiscentium: Ad quod ipsum a creato mundo destinavit & sanctificavit. Et postquam Deus Benedictus diem illum expiationi consecravit, ita sanctificatus est dies ille, facultatemque accepit justitiæ a Deo Benedicto, ut auxilium ad expiationem conferat. Atque hoc est, quod dicunt*

cunt Rabbini, *pluribus in locis*: Dies expiationum expiat, i. e. *habet dies iſte in ſe facultatem expiandi tranſgreſſiones leviores*. Modus celebrandi hujus feſti a Rabbinis ita deſcribitur : שביום זה היו מקריבין תמיד בשחר ותמיד בין הערבים כסדר כל יום ויום ומקריבין מוסף היום פר ואיל ושבעה כבשים הכל עולות ושעיר לחטאת ונעשה בחוץ נאכל בערב ועוד מקריבין יתר על זה פר בן בקר לחטאת והוא נשרף ואיל לעולה ושניהם משל כהן גדול ואיל הבא משל ציבור האמור בפרשה זו הוא האיל האמור בחומש הפקודים בכלל המוסף והוא הוקרא איל העם ועוד מביאין משל ציבור שני שעירי עזים אחד היו מקריבין חטאת והוא הנשרף והשני שעיר המשתלח נמצאו כל הבהמות הקרבין ביום הצום מלבד שעיר המשתלח שאינו קרב חמשה עשר שני תמידין ופר ושנ׳ אלים ושבעה כבשים כולן עולות ושני שעיר הטאת אחד נעשה חוץ ונאכל לערב והשני נעשה בפנים ונשרף ועוד פר בן בקר לחטאת עבודת כל חמשה עשר בהמות אלו הקרבין ביום זה אינה אלא בכהן גדול בלבד אחד הכהן המשוח בשמן המשחה או המרובה בבגדים ואם היתה שבת אף מוסף אין מקריב אותו אלא כהן גדול וכן שאר העבודות של יום הקטרת של כל יום והטב׳ הנרות הכל בכהן גדול נשאוי שנ׳ וכפר בעדו ובעד ביתו זו אשתו ויתר כל העבודות וחליפת בגדים מבגדי לבן לבגדי זהב ומבגדי זהב לבגדי לבן וחמש טבילות שהיה טובל ביום זה ועשרה פעמים שמקדש ידיו ורגליו ועניין ההפרשה שמפרישין אותו קודם ליום הצו׳ שבעה ימים והכבוד שיהיו נוהגין בו והוידוים שהיה אומר וכל שאר דיני יום זה הכל במסכת׳ הבנויה על זה והיא מסכת יומא *Offerunt hoc die ſacrificium juge*, *mane & vesperi*, *eo modo*, *quo illud quotidie fieri ſolet* : *Offerunt etiam additamentum diei*, *juvencum*, *arietem*, *& ſeptem agnos*, *omnia in holocauſta* : *hircum vero in ſacrificium pro peccato*, *qui extra paratus*, *comeditur veſperi*. *Inſuper offerunt juvencum*, *filium bovis in ſacrificium pro peccato*, *quod comburitur*; *& arietem in holocauſtum*, *utrumque autem nomine Sacerdotis* : *Aries vero nomine cœtus ſequens*, *& Paraſcha hac mandatus*, *ipſe ille aries eſt*, *cujus mentio fit generaliter ſub Additamento in Pentateuchi eo libro*, *qui de recenſionibus ſeu numeris agit*, *& qui* aries populi *dicitur*. *Cœtus etiam nomine offerunt duos hircos caprarum*, *alterum pro peccato*, *qui comburitur*; *& alterum emiſſarium*. *Omnes autem beſtiæ expiationis feſto oblatæ*, *etiam in* Jejunio *offeruntur*, *excepto hirco emiſſario*, *qui die* 15. *non offertur*. *Duo jugia*, *& juvencus*, *duo arietes*, *ſeptem agni omnia ſunt holocauſta* : *Duo vero arietes pro peccato*, *quorum alter extra* [horum verborum explicando ſenſui inſerviunt ea, quæ diximus pag. 195.) *paratus veſperi comeditur* ; *alter vero paratus intra*, *comburitur* : *Juvencus præterea*, *filius bovis pro peccato*. *Cultus omnium* 15. *beſtiarum*, *quæ die hoc offeruntur*, *peragitur ab uno & ſolo Pontifice ſummo*, *Pontifice nempe uncto oleo unctionis*, *aut multiplici veſtitu* [nam & in hoc Pontifex ſummus a ſacerdote vulgari diſtinguebatur, quod hic quatuor indueretur veſtibus ſacris, nempe כתונת *tunica*, מכנסים *femoralibus*, מצנפת *cidari*, & אבנט *cingulo*. Ille vero octo, additis nempe, חשן *pectorali*, אפוד *amiculo*, מעיל *pallio*, וציץ & *lamina* : Vide *ſupra*, pag. 127.] *ornato*. *Etſi in Sabbathum* [feſtum] *illud incidat*, *ne auctarium quidem alius offert quam ſummus Sacerdos*. *Eadem ratio eſt reliquæ liturgiæ illius diei*, *ſuffitus diei totius*, *apparatus luminum* : *omnia hæc ſacerdoti imponuntur*, q. d. Et expiationem faciet pro ſe, & pro domo ſua; [cap. 16. v. 6.] i. e. pro uxore ſua. *De muniis reliquis* ; *mutatione veſtium*, *candidarum nempe in aureas*, *& contra* ; *quinque lotionibus*, *quibus ſe die illo abluit*, *& decies ſanctificatis manibus & pedibus* ; *ſeparatione*, *qua eum ſeparant dies ſeptem* [e domo nempe & uxore ſua propter menſtruorum periculum in conclave templi, *Maim.*] *ante jejunium*, *& reverentia ſolenniter ei exhibita* ; *confeſſionibus*, *quas recitat*, *cæteriſque ceremoniis hujus diei*, *agitur in Tractatu Talmudico*, *huic materiæ peculiariter deſtinato*, *qui* Joma *dicitur*. Vide etiam *Maim.* Hil. Abhod. Jom. haccippur. c. 1. מסג A. S. 209. ונוהגת כל מצוה זו בזמן הבית ועכשיו בעונותינו שאין לנו לא מקדש ולא כהן גדול ולא בגדי שירות ולא קרבנות נהגו כל ישראל לעבוד ביום זה בתפילות ובתחנונים וכמו שכתוב ונשלמה פרים שפתינו *Uſus hujus præcepti fuit ſub templo*. *Nunc autem*, *propter peccata noſtra*, *deſtituti ſanctuario*, *ſacerdote magno*, *habitu item miniſterii*, *& ſacrificiis*, *ſolent omnes Iſraelitæ cultum illum celebrare precibus & deprecationibus*, *&*, *ſicut ſcriptum eſt*, *reddimus fructum labiorum noſtrorum*.

CLXXXV. מצות כסוי הדם. *Præceptum contegendi ſanguinis*, id eſt, לכסות הדם אחר זביחת חיה או עוף שנ׳ כי יצוד ציד חיה או עוף וגו׳ ושפך את דמו וכסהו בעפר : *Tegendum ſanguinem*, *poſtquam mactata fuerit beſtia aut avis*, q. d. Et quicumque e filiis Iſrael, & e peregrinis, qui peregrinantur in medio eorum, venatus fuerit venationem beſtiæ vel avis quæ comeditur, tunc effundet ſanguinem ejus, & operiet illum pulvere; *Lev.* 17. v. 13. Rationem præcepti reddunt, לפי

שהנפש תלויה בדם כמו שאמר באיסור דם ולכן ראוי לנו לכסות הנפש ולהסתירו מעין רואיו טרם נאכל הבשר כי גם בזה נקנה קצת אכזריות בנפשינו לאכול הבשר והנפש נשפך לפנינו ובבהמות לא נצטוינו כן לפי שדם הבהמה ניתן לקרבן לכפרה על נפשותינו ואי אפשר לכסותו. *Quia anima pendet a ſanguine, quemadmodum dixit* (Moſes) *in probibitione ſanguinis. Congruum proinde eſt, ut tegamus animam, eamque abſcondamus ab oculo intuentium illam, antequam edatur caro. Nam & hinc facile aliquid contrahemus crudelitatis in animabus noſtris, dum, edentibus nobis carnem, effunderetur anima in conſpectu noſtro. De jumentis tamen præceptum nobis datum non eſt, quia jumenti ſanguis in ſacrificium expiationum conſervatur, pro animabus noſtris; qui proinde tegi non poteſt.* Statutum autem Rabbinicum eſt I. שכסוי הדם נוהג בכל עוף ובכל חיה. *Contegendum eſſe ſanguinem cujuſvis volucris & feræ.* Neque obſtare verba אשר יצוד *quem venatus fuerit*, cum, ex præſentis temporis ratione illa prolata, Synecdochice intelligenda ſint. II. נוהג בחולין אבל לא במוקדשים. *Valere in profanis tantum, in ſacris non item*; adeo ut ferarum & volucrium conſecratarum ſanguis non debeat tegi. Verum; שחט חיה ועוף ואחר כך הקדישן או הקדיש את הדם חייב לכסות *ſi quis feram ſeu beſtiam, aut volucrem mactarit, poſteaque vel ea, vel ſanguinem eorum ſanctificaverit, tenetur eum operire.* III. נוהג בכוי מפני שהוא ספק אם מין חיה או בהמה ואין מברכין בכיסויו מספק. *Valet etiam in* Kevi, *de quo dubitatur, ſi ne ſpecies feræ an jumenti: neque ob dubium hoc, dum tegunt ſanguinem ejus, formulam uſitatam benedictionis adhibent.* Nam, ut *Maim.* Hil. Schech. c. 14. loquitur, ſanguinem operturus, קודם שיכסה ברוך אתה ה׳ אלהינו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וצונו על כסוי הדם *antequam illum contegit, ita inquit: Benedictus es Tu Domine Deus noſter, Rex Mundi, qui ſanctificavit nos præceptis ſuis, & juſſit tegere ſanguinem.* אין חייב בכסוי אלא דם שחיטה הראויה לאכילה שנ׳ אשר יאכל לפיכך השוחט ונמצאת טרפה או השוחט חולין בעזרה או השוחט חיה ועוף שננמר דינן לסקילה והשוחט ונתנבלה בידו פטור מלכסות. *Non debet ſanguis alius contegi, niſi ſanguis mactationis eſui aptæ*, q. d. Quæ comeditur; *Levit.* 17. v. 13. *Propterea ſi, qui mactat, diſcerptum illud* (animal) *deprehenderit, aut qui profanis uſibus deſtinata in atrio mactaverit; aut qui beſtiam vel volucrem, quæ lapidationi ſunt adjudicata, mactaverit; aut, dum illud mactat, morticinii inſtar abominabile ſub manu ejus redditur, liber eſt a contegendi lege.* Qui vero contegit, צריך ליתן עפר למטה ולמעלה וכל עפר בעולם שהוא דק בכדי שאין היוצר צריך לכותשו ראוי לכסות וכן כל מה שנקרא עפר אעפ״ שאינו עפר ממש מכסין בו כגון זהב שחוק שנקרא עפר שנ׳ ועפרות זהב לו ומי שראה חבירו ששחט ולא כסה חייב הוא לכסות שנ׳ במצוה זו ואמר אל בני ישראל ודרשו ז״ל מצוה זו על כל בני ישראל *contegat oportet pulvere ſuperne & inferne. Omnis autem in mundo pulvis ita minutus, ut non opus ſit a figulo eum conteri, aptus habetur ad contegendum. Ita etiam quicquid pulvis vocatur, etſi proprie talis non ſit, eo tegunt, ut eſt aurum contuſum, quod pulvis appellatur*, q. d. Pulveres auri ſunt ei, *Job.* 28. verſ. 6. *Et quiſquis viderit ſocium ſuum mactare, neque tegit; ipſe* (ſanguinem) *tegere tenetur, quemadmodum præcepto illo dicitur*: Et dicito filiis Iſrael; *quod, interpretibus Magiſtris noſtris, de omnibus filiis Iſrael intelligendum.* Cætera habent *Talmud.* Chol. cap. de tegendo ſanguine. *Maim.* Hil. Schechit. cap. 14. סמג S. A. 194. ונוהג בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ולא כסה דם חיה ועוף בטל עשה. *Uſus ejus eſt omni loco & tempore, in utroque ſexu. Tranſgreſſor, qui ſanguinem beſtiæ aut avis non texerit, irritum reddit affirmativum.*

CLXXXVI. שלא יכנסו הכהנים בכל עת במקדש וכל שכן זרים. *Ne ingrediantur ſacerdotes quolibet tempore ſanctuarium, multo minus extranei*: Vel, paulo plenius; שלא יכנסו הכהנים בכל עת אל המקדש אלא בעת העבודה שנ׳ ואל יבא בכל עת ויזהיר בכאן כהן גדול מהכנס בבית קדשי הקדשים ואפילו ביום הכפורים אלא בזמן העבודה ויהיה ביאור המניעה לומר שכל כהן לא יכנס במקום שהוא ראוי אלא בזמן שהוא ראוי להכנס בו דהיינו בשעת עבודה. *Ne quovis tempore ſacerdotes ſanctuarium ingrediantur, ſed eo duntaxat, quo cultus ratio id exigit*, q. d. Dixit Jehova ad Moſen; Loquere ad Aharon fratrem tuum, ut ne ingrediatur omni tempore ſanctuarium intra velum coram propitiatorio, quod eſt ſupra arcam, ne moriatur; *Levit.* 16. verſ. 2. *Atque ſic monetur ſummus Pontifex, ne ingrediatur ſanctum ſanctorum, ne quidem die expiationis, niſi tempore cultus. Explicatio autem interdicti hujus eſt, ne ullus ſacerdos locum ſibi congruum ingrediatur niſi tempore congruo, id eſt, hora miniſterii.* Ratio eſt; שיקבעו המשרתים בנפשותם גדולת המקום ומעלתו ותהיה תמיד יראתו על פניהם *ut Miniſtri ad animum revocent magnificentiam loci, ejuſque reverentia oculis eorum obverſetur.*

Quo-

Quoties vero vel ſummo Pontifici vel Sacerdoti vulgari ſacra hæc adyta intrare licuerit, Judæorum verbis proponam. Docent ergo : שכהן גדול אינו נכנס לקדש הקדשים אלא ביום הכפורים שנכנס ד׳ פעמים ולא יותר שאם נכנס חמישית חייב מיתה בידי שמים וכהן הדיוט נכנס בהיכל לעבודה בכל יום וכל הנכנס להיכל שלא לצורך עבודה בין כהן גדול או כהן הדיוט כדי שיכנס אפילו להשתחו׳ לוקה ואינו חייב שנ׳ אל פני הכפרת ולא ימות על קדש הקדשים במיתה ועל שאר הבירה בלאו. *Non ingrediendum eſſe Pontifici ſanctum ſanctorum, excepto die expiationum, quo quater illud intrat, ſed non amplius : Nam ſi quinquies ingrediatur, reus eſt mortis cœlitus illatæ. Ita ſacerdos vulgaris Templum ingreditur quotidie ad peragenda ſacra. Quod ſi vero extra neceſſitatem obeundi ſacra, vel ſummus Pontifex fuerit ingreſſus, vel ſacerdos vulgaris, adorandi etiam cauſa, vapulat.* Neque tamen *reus eſt illius quod dicitur :* Coram propitiatorio, ne moriatur. *Nam de ſancto ſanctorum mortis ſupplicium intelligendum; reliquæ partes Templi negativo tantum muniuntur.* Id eſt, ut in *Siphra* habetur, verba, *coram propitiatorio quod eſt ſuper arcam ;* ſupplicii mortis, reliqua vero commonefactionis aut admonitionis tantum rationem habent, qua ingreſſus ab Æde generaliter prohibetur. Ita R. *Levi* ad mentem Maim. *Nachmanides* tamen negat, tam ſevere ſacerdotes extra tempus λειτεργίας a Templo, Lege arceri : Rabbinorum hunc eſſe rigorem, neque proinde illum mereri plagas, qui adorationis ergo Templum ingrediatur. Cætera pete ex *Talmud.* Menach. Lib. Siphra. *Maim.* Hil. biat Mikd. cap. 2. סמג N. S. 302. ונוהגת בזמן הבית בכהנים ואפילו עכשיו שלא בזמן הבירת אמרו ז״ל שמוזהרים אנו שלא להכנס למקדש ודרשו הדבר מדכתו׳ והשמותי את מקדשיכם ולא אמר מקדשכם אשים שממה דמשמע קדושתן עליהן ואפי׳ כשהם שוממין וכיון שכן יש לי למנורת איסור זה בכלל איסורין היום. *Uſus ejus eſt, ſtante templo, in ſacerdotibus. Etſi autem jam Templum non habeamus, dicunt tamen Magiſtri noſtri, monitos nos eſſe, ne ingrediamur ſanctuarium, id quod eliciunt ex Scripturæ verbis :* Deſolabo ſanctuaria veſtra, *Levit.* 26. verſ. 31. *Non dicit ;* Ponam ſanctuarium veſtrum deſolationem ; *quia ſenſus literalis eſt : Sanctitatem eorum, ſuper eos eſſe, etſi vel maxime ſint devaſtati. Quod cum ita ſit, volui hoc interdictum referre in catalogum interdictorum hodie etiam uſitatorum.*

CLXXXVII. שלא לזבוח קדשים חוץ לעזרה והה׳ יקרא שוחט בחוץ שנ׳ אשר ישחט שור או כשב או עז וגו׳ ואל פתח אהל מועד לא הביאו וגו׳ דם שפך ונכרת ואין האזהרה לנו מזה הכתוב כי כתוב זה לא יפרש כי אם העונש וקימא לן לא ענש אלא אם כן הזהיר ואמרו ז״ל שהאזהרה בזה נלמדה בהקש כדאית׳ בגמרת זבחים שאמרו ז״ל שם השוחט והמעלה בחוץ חייב על השחיטה וחייב על העלייה פי׳ שריפה באש והקשו שם בשלמא עלאה כת׳ עונש וכתב אזהרה עונש אל פתח אהל מועד לא הביאו ונכרת אזהרה השמר לך פן תעלה עולותיך.. *Non eſſe mactanda vel ſacrificanda ſacra extra atrium. Hoc qui fecerit,* extra-ſacrificans *appellatur,* q. d. Quicunque de domo Iſrael mactaverit bovem, aut agnum, aut capram, &c. & ad oſtium tabernaculi conventus non adduxerit eum, &c. ipſe ſanguinem fudit, excideturque vir ille ; *Levit.* 17. v. 3. 4. *Nulla hic eſt admonitio, quia textus præſens pœnam tantum explicat : At conſtitutum nobiſcum eſt ; nullam eſſe pœnam, ubi non detur admonitio. Verum, reſpondent Rabbini, admonitionem nos diſcere ex comparatione vel proportione, ſicut eſt in Gemara Tractat. Zebach. ubi Magiſtri noſtri dicunt.* Et qui mactat, & qui holocauſtum offert extra, reus eſt tam mactionis, quam aſcenſionis. *Eſtque aſcenſio nihil aliud, quam combuſtio facta per ignem. Conferunt autem ibi pacificum cum holocauſto. Scribitur* ibi pœna, & admonitio. Pœna; *Et ad oſtium tabernaculi conventus non adduxerit eum & excidetur.* Admonitio; *Cave, ne offeras holocauſta tua.* Eſt enim, teſtibus Talmudicis, particula אל, vel formula השמר לך *cave tibi* nota ſemper interdicti, ſeu præcepti negativi, excepta mactatione pacificorum, ubi pœnam ſignificat. Ratio præcepti eſt לפי שהש״י קבע מקום לישראל להביא שם קרבנותם ולהכין שם לבבם אליו ומתוך קביעו׳ המקום והגדלתו ויראתו אל לב בני אדם נפשם מתפעלת שם לטוב והלבבות מתרככי׳ ונכנעים לקבל שם מלכות שם שמים שלימה על כן מנענו הש״י מעשות מעשה הקרבנות רק במקום ההוא כדי שתהא הכפרה שלימה לנו וכלל הדברים כי כל אשר צונו לטוב לנו כמו שתוב כי האל חפץ בטובת בריותיו בטובו הגדול ואמר כי מי שיקריב חוץ לאותו המקום הנבחר דם יחשב לו והעניין הוא כי הש״י לא התיר לבני אדם בשר בעלי חיים רק לכפרה או לצרכי בני אדם כגון מזון או רפואה או כל דבר שיש בו שום צורך בני אדם אבל להמיתם שבלי שום תועלת כלל יש בדבר השחתה ונקרא שופך דם ואע״פ שאינו כשפיכות דם האדם למעלת האדם ופחיתות הבהמה מכל מקום שפיכות דם יקרא מאחר שלא התירו הכתוב לשפכו ללא תועלה ועל כן אמר סתם שהוא כשפיכות דם אחר שהוא שופך דמה במקום שלא נצטוה לשחטה ואין

באותה

באותה שחיטה תועלת כלל אבל יש בדבר נזק שעבר על מצות בוראו ולכן ענשו הכתוב בכרת : *Quia Deus Benedictus Israelitis certum assignavit locum, ut illuc sacrificia sua afferrent, & corda sua ad ipsum disponerent : Et quia, beneficio fixi loci, majestatis ejus & reverentiæ, quia cor hominis imbuitur, anima bona redditur, corda molliuntur & humiliantur ad recipiendum ibi regnum cœleste perfectum; interdixit propterea Deus Benedictus nobis, ne sacrificiorum opus alibi faciamus, quam illo in loco, ut ita expiatio nostra perfecta reddatur. Summa verborum est; omnia quæ nobis Deus præcepit, nostro bono eum præcepisse, quemadmodum scriptum est, quod Deus bonum velit creaturarum suarum bonitate magna. Dicitque* (Lex) *quod, qui obtulerit sacrificium extra locum electum, sanguis ei imputetur. Quæ etiam ratio est, cur Deus Benedictus hominibus non concesserit carnem viventium nisi ad expiationem, aut necessitates hominum, victum nempe aut medicinam, aut quamcunque aliam necessitatem humanam; occidere vero ea, absque usu ullo, res est cum corruptione conjuncta.* Hæc qui designat, *fusor sanguinis dicitur. Etsi vero non eadem ejus sit ratio, quæ fusionis sanguinis humani* (*præstantior enim sanguis hominis est, abjectior bestiæ*) *omnino tamen sanguinis effusio appellatur, quia illum, per Legem, inutiliter effundere plane non licet. Proinde etiam simpliciter dicit, quod sit instar fusionis sanguinis alius,* (*quia talis sanguinem fudit loco, quo non fuit jussus, eum mactare*) *quodque mactatio illa plane inutilis, imo detrimentosa sit, qua transilitur præceptum creatoris : Transgressorem proinde Scriptura excisionis supplicio multat.* Sanxerunt autem Rabbini 1. שאם שחט בחוץ אעפ שהעלה בפנים חייב לפי שהשחוטה והעלייה בכל אחד לאובפני עצמו. *Quod, qui extra mactavit, etsi intra illud offerat, reus sit, cum mactatio & ascensio vel oblatio holocausti separatim, singula negativum constituant.* 2. אין אדם חייב אלא בשחיטת קדשים הראוים ליקרב על גבי המזבח אבל השוחט בחוץ אחד מאיסורי מזבח הרי זה פטור שנ׳ לפני משכן כל שאינו ראוי לבוא אל משכן יי׳ אין חייבין עליו. *Quod non teneatur homo, nisi mactatione sacrorum eorum, quæ digna sunt, ut offerantur super altari : At sacrificans foris, quid est ex interdictis altaris, excipitur,* q. d. coram tabernaculo Jehovæ. *Quod enim non meretur venire in tabernaculum Domini, propter illud neminem faciunt reum.* Vide plura apud *Maim.* Hil Maasf. hakkorb. cap. 18. 19. *Talm.* Mass. Zebach. cap. 13. Interdicti usus est omni loco & tempore; ועובר עליה ושחט קדשים בחוץ במזיד חייב כרת ואעפ שלא העלה אותן מערת ששחטן חייב וכן אמרו זל חייב על השחיטה וחייב על העלייה ואם עבר ושחט בשוגג חייב להביא חטאת קבועה בזמן הבית. *Qui transgressus extra mactavit sacra, elata manu, reus est excidii; etsi illa quæ mactavit, a mactationis tempore non obtulerit. Id quod & Rabbini ita confirmant* : Reus fit tum propter mactationem, tum propter ascensionem, sive oblationem. *Quod si per errorem Legem violavit, fixi sacrificii sub templo, damnas erat.*

CLXXXVIII. שלא להתעדן באחת מכל העריות *Non esse deliciandum ulla specie libidinis;* vel *illicitæ* [vox alias Hebræa *nudationem pudendorum, scortationem impuram & impudicam*, cujus species c. 18. *Levit.* enumerantur, significat] *conversationis*, והן קרובות ואשת איש ונדה ואפילו בלא ביאה כגון חיבוק נישוק וכל הדומה לאלו הרעות שמעמיקים בהן בעלי הזמה ההולכים אחרי ההבל ויהבלו שנ׳ איש איש אל כל שאר בשרו לא תקרבו לגלות ערוה ואפילו כאלו אמר לא תעשו שום קריבה שהוא הגורמת והמביאה האדם לגלות ערוה וכן דרשו זל לא תקרבו לגלות אין לי אלא שלא יגלה מניין שלא יקרב תל ואל אשה בנדת טומאתה לא תקרב אין לי אלא נידה וכל תגלה מניין לכל העריות תל לא תקרבו לגלות ושם נאמר ונכרתו הנפשות העושות שמא תאמר יהיו חייבים כרת על הקריבה לבד תל העושות ולא הקריבות ונכפל הלאו באיסור זה באמרו לא תעשו מכל התועבות שיכלול כל עניינים אלה שהם תועבת הש״י כלומר שהעושה אותם יתרחק מן הטובה ומסיר מעליו השגחת הש״י וזהו פי׳ תיעוב הש״י בכל מקום לפי מה ששמעתי *qualis est propinquarum, uxoris viri* [alterius conjugis] *& mulieris menstruo laborantis; etiam si illa sit extra congressum, amplectendo videlicet, osculando aut simili modo malo tractando, quibus se alte immergunt homines scelesti, qui sequentes vanitatem, vani facti sunt,* q. d. Nemo ad ullam propinquam carnis suæ accedat ad revelandam turpitudinem; *Levit.* 18. v. 6. *quasi diceret, ne ullo accessu propinquo peccetis, qui causa existere & ducere vos posset ad retegendam nuditatem. Hinc etiam Rabbini, illud*; Ne accedatis ad revelandam turpitudinem, *ita explicant; Observo tantum*, non esse retegendam nuditatem; *unde vero habemus*, ne quidem appropinquandum? *Quia textus dicit* : Et ad mulierem in separatione impuritatis [in menstruo immunditiæ] suæ non accedes; *Levit.* 18. v. 19. *Sed de menstruali duntaxat muliere sermo est, unde colligo revelandi verbum ad omnem illicitam libidinem*

dinem

dinem referri? Quia textus dicit : Non appropinquabitis ad revelandum. *Ibidem etiam habetur* : Animæ, quæ fecerint talia, excidentur: *Ibid. v. 29. Et ne forte dicas : Reos eſſe exciſionis eos, qui acceſſerint, aut appropinquaverint illis tantum, dicit Lex* : quæ fecerint, *non quæ appropinquaverint*. (At nugatoria hæc eſt explicatio: non avelli debet verbum קרב a לגלות quaſi ſine diſtincti ſignificarentur actus ; ad vagam denotandam libidinem utraque vox adhibetur. Certe Rab. *Joſi*, Talmudiſtæ, בל תקרב *ne appropinques*, æquipollet τῷ בל תגלה *ne nudes*) *Repetitur autem negativum hoc, dum ſequitur* : Ne faciatis aliqua e ſtatutis abominationum, &c. *quod omnes res illas complectitur, quæ abominationi Deo ſunt, propterea quod is, qui facit eas, a bono longe removetur, & ſubducit ſibi providentiam Dei* [ſpecialem ejus bonitatem] *hoc enim vult nomen* תיעוב abominationis *Deo tributum, ubicunque illud occurrit, prout audivi*. Præcepti ratio repetenda eſt ex ſuperiori. Sect. 35. Habent Rabbini leges quaſdam *προφυλακτικάς* quas גדרים *ſepimenta* appellant, ut ipſis ea ratione principiis obſtare, & obicem vagæ libidini ponere poſſint, ex quibus eſt I. שלא יקרוץ בעיניו לאחת מן העריות ושלא לשחוק עמהם כלל ואפילו להריח בשמים שעליהם אסרו *Ne quis nictet oculis ulli ex interdictis* (mulieribus) *neque rideat cum illis : ſed nec odorari aromata, quibus veſtes earum ſunt imbutæ, licet*. II. Non permittunt ullam libidinoſe aſpicere mulierem, ne ſponſam quidem. Excipiunt tamen aſpectum conjugis, menſtruo licet laborantis. Verba Rab. *Levi* ita ſonant: שלא להביט בנשים כלל ואפילו בפני בלה לכוונת הנאה ואפילו באצבע קטנה שלהן אסרו להסתכל חוץ מאשתו של אדם שמותר לו להביט ביופיה ואפי׳ בעודה נדה מפני שהיא מותרת לו לאחר זמן וחזקה בישראל שיצרו מסור בידו כגון דבר זה שתלוי בזמן Ubi tamen iterum aſpectum mulieris menſtrualis reſtringunt ad locum manifeſtum & patulum, non autem abſconditum vel clandeſtinum כדי שלא ילבשנו יצר הרע *Ne forte ipſum induat prava concupiſcentia*. III. Volunt inſuper שאסור להסתכל אפילו בשערה של אשה האסורה לו ואפילו לשמוע קולה לכוונה שיהנה בה ואפי׳ להסתכל בבגדי צבע של אשה כלומ׳ בגדים נאים שדרכן לעשותן מבגדים צבועים אסור להסתכל בהן כל זמן שמכיר האשה הלובשת אותן לפי שמתוך ראיית המלבוש יבא להרהר בה והרחיקו גם כן שלא לשאול בשאלום אשת איש כלל ואפי׳ ע״י בעלה *Non licere vel pilum aſpicere mulieris prohibitæ, aut vocem ejus audire ea intentione, ut quis jucunditatem inde capiat. Nec licere aſpicere veſtes phrygionicas mulieris. Id eſt : Vetitum eſſe, veſtes formoſas, quales variegatæ & coloratæ illæ eſſe ſolent, aſpicere, quotieſcunque aliquis novit uxorem, veſtibus ejuſmodi ſe induentem. Quoniam aſpectus veſtimenti, cogitationem ei de illa excitat. Nolunt etiam, nos ulla ratione uxori alterius dicere ſalutem, ne quidem opera mariti ejus*. Occurrunt & alia apud Talmudicos his ſimilia apophthegmata, cujuſmodi eſt, *a.* כל המסתכל באשה בכוונה כאילו בא עליה *Quicunque aſpicit mulierem cum intentione, perinde eſt, ut ſi rem habuiſſet cum ea*, Talm. *Kalla* ab initio, *b.* כל המסתכל בעקבה של אשה הוין ליה בנים שאינם מהוגנים *Quicunque aſpicit calcaneum mulieris, erunt ipſi liberi inhoneſti*. Nedar. *c.* כל המסתכל באצבע קטנה של אשה כאלו מסתכל במקום תורפה *Quicunque aſpicit minimum digitum mulieris, perinde eſt, ac ſi aſpexiſſet locum pudendum ejus* : Schabb. cap. 5. Quæ omnia non longe abeunt ab illo Servatoris, *Matth.* 5. v. 28. πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα, πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. כלל הדבר הוא שלא יעשה האדם שום דבר בעולם המביאו לידי הרהור בנשים לא במעשה ולא בדיבור ולא שום רמז *Summa rei eſt, ne quicquam homo faciat in mundo, quod inducere poſſet cogitationem de mulieribus, vel opere, vel verbo, vel etiam nutu*. Nam, ut loquuntur Rabbini, הרהור מביא לידי מעשה *Cogitatio impellit ad ipſum opus*. Quo etiam illud facit: היצר בתחלה חלש מאד והולך ומתחזק על האדם הרבה ואתה בני הזהר הרבה על זה מאד ואל יבטיחך יצרך ואם אלף ערבים יתן לך *Figmentum* (concupiſcentia prava) *initio debile eſt*, (vide etiam Lex. Talmud. *Buxt.* R. יצר) *poſtea progreſſu confortatur contra hominem valde. Serio igitur, fili mi, cave, ne pollicitis te concupiſcentia pelliciat, ſi vel maxime mille obſides ſiſtat tibi*. Rab. *Levi* pag. 77. b. Idem etiam rationem reddit, cur hodierno die majori rigore adſtringantur ad ejuſmodi ſepimenta, & Leges *προφυλακτικὰς* Judæi, quam majores illorum Talmudiſtæ. Illi nempe fuerunt כמלאכים שלא היה עסקם אפילו שעה קלה כי אם בתורה ובמצות והיתה מפורסמת כוונת׳ לכל העולם כשמש ולא היו מרגישים הרגש רע בשום דבר מרוב דבקותם בתורה ומצות *Inſtar Angelorum, qui ne horam quidem aliis conſecrarunt ſtudiis, quam Legi & præceptis : Fuitque intentio eorum manifeſta toti orbi, inſtar Solis meridiani : Neque etiam ulla in re quicquam mali ſenſerunt præ aſſiduo ſtudio, quo Legi & præceptis adhæſerunt*. Aliam longe poſterita-

ritatis eſſe rationem, cui non conveniat, לפרוץ אפי׳ גדר קטן בענייניהם אלו כלל אלא לשמור כל ההרחקין שהודיעונו ז״ל בפרט *rumpere minimum etiam ſepimentum in ejuſmodi rebus; ſed obſervandas omnes illas remotiones, quas notas fecerunt Magiſtri in ſpecie*. Quod ſi quis ſtatutis Rabbinorum non ſatis munitum ſe animadvertat, ipſe officium faciat. Incumbit enim cuique id præſtare, כפי שימצא את גופו מוכן *quod corpori ejus maxime expedit*, שאם הוא מוצא את עצמו שצריך גדר אף על המותר יגדור עצמו *adeo ut, ſi obſervet in ſe, ſibi opus eſſe ſepimento, etiam in licitis, eo ſe ipſum muniat*, כמו שמצינו אחד מן החכמים שאמר הזהרו בי מפני בתי ואע״פ שמותר לאדם להתיחד עם בתו לפי שעניין זה קשה מאד ויצר הרע חזק בו על כן צריך כל אדם להרבות בשמירה *quemadmodum reperiſſe tradunt ſapientem quendam, qui dixerit: Curam mei gerite, propter filiam meam. Etſi enim homini permiſſa ſit filiæ ſolitaria converſatio, nihilominus, quia res gravis valde eſt, & concupiſcentia potens in eo, opus cuilibet eſt accurata cuſtodia*. Quam vero vagæ huic libidini opponunt medicinam? אם יחשוב האיש בפגעו באשה נאה כי גיהנם פתוח בין ריסי עיניה וכאש תמיד תוקד כל הקרב הקרב אליה ויחזיר כל מחשבותיו אל הדברים האלה לא תהיה לו לפוקה *Si homo, quoties in mulierem formoſam incidit, cogitet, eſſe gehennam apertam in palpebris ejus; & omnem propinquum acceſſum, quo quis ſe ei applicat, eſſe ignem ſemper ardentem; hæc omnia ſi ad animum revocet, non poterit illi* (ejuſmodi mulier) *eſſe in titubationem*, id eſt caſum. Quod ſi ne ſic quidem ſubigere poſſit pravas cupiditates; אמרי ז״ל שאם אין כח בידו להמירת היצר ולהרחיק מחשבתו ממנה שיקרא קרית שמע או יעסוק בתורה והודיעונוש עכ״פ ימות בכך *Suadent Rabbini, ut ſi in alicujus poteſtate non fuerit occidere concupiſcentiam, & cogitationes ſuas ab ea avertere, legat* Audi Iſrael; *aut occupet ſe in Lege; certoque ita eam exſtinctum iri ſignificarunt*. Statuerunt inſuper Magiſtri: שאסור להתיחד עם כל העריות דבר תורה בין זקנה בין ילדה שהיחוד לגלות ערוה הזא הזא יגורם חוץ מן האם עם בנה והאב עם בתו והבעל עם אשתו נדה שמותרין חוץ מחתן שפירסה אשתו נדה קודם שיבעול ומותר להתיחד עם הזכור ועם הבהמה שלא נחשדו ישראל על כך כשאירע מעשה אמנון ותמר גזו דוד ובית דינו דפנויה שמאי והלל גזרו על ייחוד גוים מה והתירו ז״ל להסתכל בפני פנויה למי שמסתכל בה שישא אותה לאישה אם תהיה נאה בעיניו והם אמרו שראוי לעשות כן שלא ישא אדם אשה עד שיראנה כדי שלא יבא לגרשה אחר כן אם תתגנה בעיניו. Verum prolixi ſunt hac de re Talmudiſtæ hinc inde in *Gemara*; *Maimon*. Hil. Iſſure biah. cap. 21. סמג N. S. 126. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות שגם להן אסור להרהר אחר האנשים זולתי בבעליהן שעליהם ראוי להן להמשיך כל חפצן וחשקן וכן יעשו בנות ישראל הכשירות ועובר עליה וקרב אל הערוה קירוב בשר כדי שיהנה ממנה במזיד ובהתראה לוקה ואם עבר על שאר הדברים שאסרי ז״ל להרחיקה כגון השוחק עמהן וקלות ראש והתרו בו ולא נמנע מכין אותו מכת מרדות. *Uſus præcepti hujus eſt omni loco & tempore, in maſculis & fœmellis: nam neque his licet cogitare de aliis viris, quam maritis ſuis, quibus convenit ad voluntatem & nutum, ſeu deſiderium earum ſe componere: Atque hunc morem obſervant genuinæ filiæ Iſrael. Tranſgreſſor, qui illicita carnis appropinquatione ita appropinquaverit, ut delectationem aliquam inde habeat, vapulat, ſi ſciens & monitus peccavit. Si vero quis limites cæterorum, a quibus nos Magiſtri longe abeſſe voluerunt, tranſilierit, ut ſi luſerit cum illis, aut levitatem capitis oſtenderit, neque monitus cedere velit, percuſſione rebellionis multatur. Nachmanides* præceptum hoc inter Legalia non numerat, exiſtimans שלא הרחיק הקריבה דרבנן היא *Omnem remotionem appropinquationis Rabbinici eſſe inſtituti*.

CLXXXIX. שלא לגלות ערות אב *Non eſſe detegendam nuditatem patris*, id eſt, שלא ישכב אותו משכבי אשה argumento loci *Levit*. 18. v. 19. Turpitudinem patris tui non revelabis. Ratio legis manifeſta eſt, ex כיעור הגדול *turpitudine ſceleris*, cujus reatus, ſecundum Judæos, contrahitur בהכנסת עטרה מיד ולא קודם והוא הדין לכל העריות חוץ מהבא על השפחה שהחיוב בנומר ביאתו Plura apud *Maim*. Hil. Iſſ. bi. cap. 2. סמג N. S. 89. in *Talm*. Cod. Sanhedrin, ubi dicto, ערות אביך לא שגלה ממש *turpitudinem patris tui prorſus non revelabis*, innui volunt geminum interdictum, gemina pœna multandum, אחר משום לאו דאביו ואחר משום לאו דזכור Quorum utrumque, omni loco & tempore, utrumque obſtringit ſexum. Reus, teſtibus & admonitione convictus, ſi contumaciter peccaverit, נסקל *lapidibus obruitur*; ſi per ignorantiam, geminum, ſtante templo, obtulit pro peccato ſacrificium.

CXC. שלא ינלה הבן ערות האם שנ׳ אמך היא לא תגלה ערותה *Ne retegat filius nuditatem matris*, q. d. Mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus. Rationem interdicti *Maimonides* eſſe vult, לפי שהתורה תרחיק המשגל מבני אדם לבד מה שצריך לפריה ורביה או למצוה

לוכן

ולכן אסרה לנו הקרובות לפי שהכשלת ימצא בהם יותר מפני שהם מצויות אצלו תמיד Sed recte *Nachmanides*, infirmitatis eam arguit; quamvis nec hic ad rhombum quicquam dicat. Vult enim in hoc præcepto latere ſenſum myſticum, nempe סוד מיסודות היצירה דבוק בנפש והוא מכלל סוד העיבור *Arcanum ex arcanis creationis, animæ adhærens, quod ipſum etiam arcanum emboliſmi complectitur.* Sed aliam *Maimonides* rationem proponit his verbis: כי תרחיק התורה שלא יעיז פניו האדם לבוא על האשה שראוי לה כבוד Quid vero neceſſe eſt tot rationibus interdictum ſtabilire, quod in ipſa natura eſt fundatum? Docent præterea Magiſtri, I. שאסור האם אפילו היתה אנוסת אביו שהרי מכל מקום אמו היא *Interdictum hoc de matre etiam concernere, quæ vi a patre fuit compreſſa: Nam & talis omnino mater ejus eſt.* II. שהבא על אמו שהיא אשת אביו כלומר שלא היתה אנוסתו חייב שתים משום אמו ומשום אשת אביו ואין חלוק בזה בין שבא עליה בחיי אביו בין לאחר מותו *Qui rem habet cum matre ſua, quæ uxor patris ejus eſt, videlicet non vi ſtuprata, duplici reatu conſtringitur, altero, quia mater ejus, altero vero, quia uxor patris ejus. Neque refert, ſive ſuperſtite patre cum ea fuerit congreſſus, ſive eo defuncto.* III. Huic interdicto non tantum ſubjiciunt matrem, ſed etiam אם אמו כלומר זקנתו וכן אם אם זקנתו עד מעלה מעלה אפילו אלף דור אם יהיה באפשר לראותן כולן אסורות מדברי סופרים *Matrem matris ejus*, i. e. aviam; *Imo proaviam, & longe ulterius, in milleſimam etiam generationem, ſi poſſet omnes præſentes cernere, probibitas ei eſſe ex ſententia Scribarum.* IV. אלו שאסורות מדרבנן נקראות שנייות כלומר שהן שנייות לעריות שאסרה התורה *Illæ* (mulieres) *quarum prohibitio eſt a Magiſtris, vocantur* Secundariæ, *quod ſint ſecundæ ab illicito congreſſu, quem Lex probibuit.* Variat autem Rabbinorum judicio linea maſculina a fœminina. Hanc, ut diximus, ad ultimam retro ætatem, illam (quod ipſum tamen non omnes ſentiunt) tantum ad אם אבי אביו בלבד ואם אבי אמו בלבד utramque proaviam. Rationem diverſitatis Rab. *Levi* his exprimit verbis: לפי שהראשונות תקרבנה אל אסור האם שהוא עיקר האסור שהרי יש בהן זקנה אסורה דהיינו אם האם ואם האב ועל כן ראוי לגזור בהן עד למעלה אבל בשתי אלה האחרונות אין בהן זקנה אסורה וכיון שאין הענין מתקרב לאמות שהיא עיקר האיסור ראו ז״ל כי דיי לנו שנגזור בשתי אמות לו לבדו: Reus interdicti, ſi במזיד peccavit, exciſione multatur: accedentibus teſtibus lapidatur; בשוגג חייב להביא חטאת קבועה בזמן הבית ואם שכב עם אחת מן השנייות לוקה מכת מרדות וזאת מן העריות שנצטוו עליה כל בני העולם בכלל אבל חלוק יש בין ישראל לשאר האומות בעניין כי ישראל גדרו גדר בעניין השניות אבל שאר האומות אין אסור עליהן אלא האם לבד *Si per errorem, ſeu ignorantiam, deliquerit, tenetur offerre ſacrificium pro peccato fixum, ſtante templo. Si vero cum ſecundaria aliqua rem habuerit, percutitur percuſſione rebellionis. Atque huic præcepto de illicito coitu ſubjacent omnes omnino gentes. Eſt tamen inter Iſraelitas & reliquas gentes hoc diſcrimen, quod Iſraelitæ Legi ſepem poſuerunt per ſecundarias ſive ſecundas; reliquis vero gentibus tantum incumbit præceptum de Matre interdicta.* Ut autem in enumerato haberent Judæi שניות, eas hoc ordine *Maim.* Hil. Iſch. c. 1. recenſuit. Prima eſt, אם אמו וזו אין לה הפסק אלא אפי׳ אם אם אם אמו עד מעלה מעלה אסורה *Mater matris, id eſt,* avia materna, *quæ terminum non habet, ſed, ſi vel maxime ſit abavia, ad ultimum retro ætatem, probibetur.* 2. אם אבי אמו בלבד *proavia ex patre tantum.* 3. אם אביו וזו אין לה הפסק אלא אפילו אם אם אם אביו עד למעלה אסורה *Mater patris, id eſt,* avia paterna. *Neque illa finem habet, cum & abaviæ in multas retro generationes huic interdicto ſubjaceant.* 4. אם אבי אביו בלבד *Proavia paterna, tantum* 5. אשת אבי אביו וזו אין לה הפסק אפי׳ אשת יעקב אבינו אסורה על אחד ממנו *Uxor avi paterni; neque huic finis aut ceſſatio, cum & uxor Jacobi, patris noſtri, unicuique noſtrum probibita ſit.* 6. אשת אבי אמו בלבד *Uxor avi materni tantum.* 7. אשת אחי האב מן האם *Uxor patrui uterini.* 8. אשת אחי האם בין מן האם בין מן האב *Uxor avunculi, ſive uterini, ſive germani.* 9. כלת בנו וזו אין לה הפסק אפילו כלת בן בן בנו עד סוף כל העולם אסורה *Nurus, cui etiam nullus terminus, uſque adeo, ut patri probibita ſit ea, quæ & abnepoti ejus deſponſata eſt, ad finem ſeculi:* hæc tamen exceptionem patitur. 10. כלת בתו בלבד *Nurus filiæ ipſius, tantum.* 11. בת בת בנו בלבד *Proneptis ex nepti & filio, tantum.* 12. בת בן בנו בלבד *Proneptis ex nepote & filio, tantum.* 13. בת בת בתו בלבד *Proneptis ex nepti & filia, tantum.* 14. בת בן בתו בלבד *Proneptis ex nepote & filia, tantum.* 15. בת בן בן אשתו בלבד *Proneptis uxoris ex nepote & filio, tantum.* 16. בת בת בם אשתו בלבד

Proneptis uxoris ejus, ex nepti & filia, tantum. Ita ascendendo, ad conjugis avias & proavias, quatuor etiam gradus numerantur prohibiti. 17. אם אם אם אם אם אשתו 18. אבי אשתו בלבד אם אב אבי אשתו בלבד 19. בלבד 20. אם אם אם אשתו בלבד De quibus tamen inter Talmudicos per omnia non plane convenit.

CXCI. שלא לגלות ערות אשת אב ואעפ שאינה אמו שנ׳ ערות אשת אביך לא תגלה *Non esse nudandam turpitudinem uxoris patris sui, etsi illa mater ejus non sit*, q. d. Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis; *Levit.* 18. v. 8. Ratio hujus præcepti eadem est, quæ reliquorum עריות præterquam quod sit בדבר קלון אצל אביו. Scribunt autem Rabbini I. שאשת אביו אסורה מן התורה בין מן האירוסין פיר׳ הקרושין בין מן הנשואין בין בחיי אביו ואפי׳ נירשה בין אחר מותו *Ex Lege uxorem patris esse interdictam, sive sola desponsatione talis fuerit, sive etiam solenni consecratione, tam vivo patre, etsi eam repudiaverit, quam eodem mortuo.* II. Ut septem huic præcepto aptarent, prohibuerunt אשת אבי אביו כלומר אשת זקנו אעפ שאינה זקנתו וכן אסרו גם אשת אבי זקנו וכן עד מעלה מעלה אפי׳ עד יעקוב ואסרו גם כן לגדר אוסור זה אשת אבי אמו בלבד והטעם לפי שעיקר איסור זה הוא מצד האבות דהיינו אשת אב על כן החמירו זל יותר בצד האבות ואמות שיהיה אסור למעלה עד לעולם ובצד האם לא נזרו אלא באשת אבי אמו לבד *Mulierem avi, etsi avia illa non sit. Ita etiam probibuerunt mulierem proavi, & sic deinceps, etiam usque ad Jacobum. Sepimentum porro interdicti hujus esse voluerunt probibitionem uxoris avi materni tantum. Ratio* discriminis *est, quod fundamentum hujus interdicti sit respectu patrum* [vel paternitatis) *id est, mulieris patris. Proinde etiam Magistri nostri majorem difficultatem respectu patrum moverunt, dicentes, illud interdictum se retro longe in omne seculum extendere. At ratione matris nihil statuerunt, nisi respectu uxoris avi materni tantum.* Pertinere volunt Judæi præceptum hoc ad Gentes æque ac Judæos, hoc tamen discrimine, שבשאר האומות אין נקראת אשת אביו אלא על ידי בעילה ובישראל אפיל׳ בקידושין וכן בענין השניות שאין איסור שניות באומות *Quod reliquis Gentibus* uxor patris ejus *non vocetur, nisi accedente* συνουσιασμῷ; *cum tamen id Israelitis sola desponsatio præstet. Ita etiam differentia est in secundariis* [congressibus] *quorum apud illos nullum est interdictum.* Subjectum, tempus, locus, transgressionis modus & pœna cum superiori coincidunt; nec proinde tœdiosa opus est iteratione.

CXCII. שלא לגלות ערות אחות בין שהיא אחות מאב לבד בין שהיא אחות מאם לבד ובין שהיא מאנוסת אביו ובין שהיא אחות מאם מן הזנות בכל צדדין אלו נקרא אחות וחייבין עליה שנ׳ ערות אחותך בת אביך או בת אמך מולדת בית או מולדת חוץ : Id est, *Non esse retegendam nuditatem sororis, sive ab eodem sit patre tantum, id est,* germanæ, *sive ab eadem matre tantum, id est,* uterinæ: *sive ex vi compressa fuerit a patre suscepta, sive a matre meretrice genita. Omnibus his modis vocatur soror, propter quam reatus contrahitur*, q. d. Nuditatem sororis tuæ non revelabis filiæ patris tui, aut matris tuæ, quæ genita est domi, vel genita foris. Excipiunt autem Magistri utrinque privignos & privignas. אמרו זל דדוקא בת אשת אביו שהיא אחתו כלומר שהולידה אביו היא אסורה עליו אבל בת אשת אביו היה לה בת מאיש אחר זו אינה אסור׳ כלל אלא מותר לו לאדם לישא אותה לבתחלה *Dicunt Magistri nostri, præcise requiri, ut sit filia uxoris patris ejus, quæ soror ejus, id est, quam genuerit pater ejus; hanc ei probibitam esse. Filiam vero uxoris patris ejus, ex alio genitam marito, nulla ratione probiberi, sed omnino ei licere illam in uxorem ducere.* ונוהגת בכל מקום ובכל זמן ועובר עליה ושכב את אחותו במזיד חייב כרת לבד כלומר שאפי׳ בעדים והתראה אין בדבר אלא חיוב כרת ובשוגג מביא חטאת קבועה וזאת מן העריות שנצטוו עליה כל בני העולם אבל חלוק יש בהן בין ישראל לשאר האומות אין אסור עליהם אלא אחותם מאם לבד ובישראל בין מאב בין מאם וכלל זה יהי בידך בכל מה שנצטוו האומות שכל זמן שהם תחת ידינו עלינו לעשות דין בהם בעוברם על מצותם וכבר כתבתי למעלה בסדר וישמע יתרו שהדין שלהם לעולם היה מיתה בין מזידין בין שוגגין ושאין צריכין התראה אלא שני עדים צריכין והוראת פיהן ומן הדומה שאעפ שלא היו כשרים להעיד על ישראל ראויים היו להעיד זה על זה : *Valet omni loco & tempore: Transgressorem, qui cum sorore sua rem habuerit superbe, pœna manet excisionis tantum, id est, etsi, præeunte admonitione, testibus convincatur, non in alium, quam excisionis reatum incurrit. Qui per ignorantiam deliquit, sacrificium pro peccato offert constitutum. Esi autem hæc etiam illiciti congressus species, quæ omnibus mundi incolis interdicta est, discrimen tamen observandum inter Israelem & reliquas gentes. His interdicta tantum est soror uterina; Illis quælibet soror tam* ὁμοπάτριος, *quam* ὁμομήτριος. *Hoc autem axioma universalis*

verſale tibi eſto : Quicquid Lege præceptum eſt gentibus, in eas tranſgredientes, judicium ſemper, dum noſtræ ſubſunt poteſtati, exercendum, ſecundum præcepta eorum. Jam autem ſupra, Sidra, Et audivit Jethro, *ſcripſi, ex lege illorum mortis ſupplicio in tranſgreſſores, ſive deſtinata malitia peccarunt, ſive per ignorantiam, fuiſſe animadverſum; & quod licet non requiratur admonitio; neceſſarii tamen ſint duo teſtes, præter confeſſionem oris eorum. Atque ut veriſimile eſt, quanquam illi ad dicendum teſtimonium contra Iſraelitam non ſunt idonei, idonei tamen ſunt ad edicendum teſtimonium contra ſe mutuo.*

CXCIII. שלא לגלות ערות בת הבן שנ׳ ערות בת בנך וכו׳ לא תגלה ולפי הדומה הוא כי האיסור הוא בין שהבן כשר או אפי׳ ממזר בנו הוא מכל מקום ובין שבת הבן גם כן כשירה או אפי׳ ממזרת *Non eſſe retegendam turpitudinem neptis ex filio*, q. d. Turpitudinem filiæ filii tui non revelabis; *Levit.* 18. v. 10. *Veriſimile autem eſt, hoc interdictum omnino concernere filium tam legitimum, quam nothum, neptim etiam legitimam & ſpuriam.* Sepimento hujus Legis prohibent בת בת בנו בלבד *proneptim ex filio & nepti, tantum* : Alii tamen hanc lineam in omnem ætatem extendunt. ונוהג איסור זה בכל מקום ובכל זמן ועובר עליה ושכב את בת בנו במזיד ויש עדים במזיד חייב שריפה כמו שאמרו ז״ל בסנהדרין ואם אין עדים חייב כרת בשוגג מביא חטאת קבועה בזמן הבית ואם שכב את בת בת בנו וכן כל שאר השניות לוקה מכת מרדות *Uſus hujus interdicti eſt omni loco & tempore. Tranſgreſſor, qui rem habuerit cum nepti ex filio elata manu, & teſtibus ſceleris proterve commiſſi convictus fuerit, comburitur, ſicut Magiſtri ſtatuunt in Sanhedrin : ſi teſtes abſint, exciſionis reus eſt. Si per errorem deliquit, ſtante templo, ſacrificium fixum offert. Quod ſi cum pronepti ex filio & nepti fuerit congreſſus [quæ etiam ratio eſt reliquorum concubituum illicitorum ſecundariorum] damnas eſt percuſſionis rebellionis.*

CXCIV. שלא לגלות ערות בת הבת שנ׳ את בת בתך לא תגלה ערותן כי ערותך הנה כל דיניה כדין בת הבן ושנייות לה גם כן בת בת בתו וכן בת בת בנו ויש שאומרין שאין להם הפסק לעולם. *Non revelandam turpitudinem filiæ filiæ* (neptis ex filia) q. d. Filiæ filiæ tuæ nuditatem non revelabis, quia turpitudo tua ſunt. *Levit.* 18. ver. 10. *Eadem illarum ratio, quæ neptis ex filia, vel ex nepti & filio: quamvis alii nolint eas unquam ceſſare aut terminari poſſe.*

CXCV. שלא לגלות ערות הבת ולא נתבארה בלשון התורה שיאמר הכתוב ערות בתך לא תגלה ומפני כן לא בא עליה כתוב מפורש לפי שאין צורך בו דכיון שאסרה התורה בת הבן ובת הבת שהן רחוקות ממנה אין צריך לומר שהיא אסורה. *Non revelandam turpitudinem filiæ. Quod quidem in Lege expreſſis his verbis Scripturæ* : Nuditatem filiæ tuæ non revelabis, *non proponitur. Propterea autem Scriptura de ea expreſſe non agit, quia non neceſſarium illud eſt. Poſtquam enim Lex* neptim ex filio & filia, quæ remotiores ſunt *ea, prohibuit, non opus erat dicere, eam etiam illicitam eſſe.* Hoc autem præceptum, ut & pœnam tranſgreſſoris Talmudiſtæ per גזרה שוה, *argumentationem a pari*, eliciunt, ut videre eſt in lib. *Chinn.* p. 79. De uſu hujus præcepti, tranſgreſſoris pœna, diſcrimine inter filiam legitimam, ex toro legitimo natam, & illegitimam ex vi ſtuprata ſuſceptam, &c. idem prolixe ſatis agit. Annectemus ejus verba Hebraica, ne qua parte hiulca ſit *νομοθεσία* Judaica : Verſionem tamen *κατὰ ῥητὸν* addere in hac præſertim & ſuperiori Paraſcha, tam nobis non neceſſarium aut conſultum ſemper videbatur, quam certum eſt, multa in foro olim Judaico uſitata & recepta fuiſſe, quæ nullum, niſi Hiſtoricum, jam habent uſum. Eum viri docti facile ex textu originali obtinebunt, cæteri abſque periculo aut jactura carebunt. Ita locus ſonat : עובר על זה ושכב עם בתו מאנוסתו במזיד ויש עדים נדון בשריפה בלא עדים חייב כרת בשוגג חייב חטאת קבועה ואם שכב את בתו מנשואתו חייב שתי חטאות אחת משום בתו ואחת משום ערות אשה ובתה שאין חייוב ערות אשה ובתה אלא בנשואי הראשונה שהרי בפי׳ כת׳ בהן לא תקח בין במקום האזהרה׳ עליהן בין במקום העונש ולשון קיחה משמע לן לשון נשואין ומפני כן אמרו ז״ל כי מרין התורה שאם אנס ארם אשה מותר היה לישא בתה אלא שחכמים ז״ל גדרו גדר ואסרו הדבר ואמרו שמי שנאף אשה אסור לישא אחת מן השבע נשים קרובתיה הידועות כל זמן שהזונה באה לבקר אותן והוא מתיחד עמה ולבו גם בה ויבא לידי עבירה שיבעול הערוה ולא עוד אפילו נטען על אשה הרי זה לא ישא אחת מקרובותיה עד שתמות זאת שנטען עליה ומכל מקום אם כנסה לזו שקרובה לאותה שזנתה עמה אין מצריכין אותו להוציאה ועוד אמרו ז״ל בעניין זה שכל מי שנטען על ערוה או שיצא לו שם רע עמה שלא ידור עמה במבוי אחד ולא יראה באותה השכונה אנס אביו או בנו או אחיו אשה או בתו אותה הרי זו מותרת לו לישא אותה שלא נאסרו אלא דרך אישות ולא החמירו ז״ל לאחר משום זנות של קרובו.

Sepimento hujus Legis Rabbini אסרו כלת בנו וכלת בן בנו עד סוף העולם ואסרו גם כן כלת בתו בלבד *probibuerunt nurum filii, & nepotis, ad finem uſque ſeculi; at nurum filiæ, tantum.* Ratio diverſitatis לפי שהאיסור בא בכתוב בכלתו נזרו הם בכל הכלות הבאות מחמת הבן ונזרו מחמת בתו בלבד ודיי לנו בכך ואלו נקראות שנייות Vide *ſupra*. Uſus præcepti nec loco nec tempori aſtringitur; Tranſgreſſor השוכב את כלתו במזיד ויש עדים בסקילה ואם אין עדים בכרת בשוגג מביא חטאת קבועה ואם שכב את כלת בנו או בן בנו עד סוף העולם או כלה בתו מכין אותו מכת מרדות *qui rem habuerit cum nuru ex malitia, teſtibuſque fuerit convictus, lapidatur: ſine teſtibus exterminii reus habetur: per ignorantiam violans, ſacrificium deſtinatum affert. At ſi concubuerit cum nuru filii, aut nepotis & ſic deinceps ad finem ſeculi; aut cum nuru filiæ, flagris eum cædunt rebellionis.*

CCII. שלא לבוא על אשת אחיו שנ׳ ערות אשת אחיך לא תגלה *Non accedendum ad uxorem fratris*, i. e. glorem, q. d. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, *Levit.* 18. v. 16. Frater hic intelligitur 1. מאבין לבד או מן אמו 2. בין מן הנישואין בין מן הזנות לבד Vocatur autem fratris uxor מכיון שאירסה וכל שכן אחר שנשאה *Ex quo deſponſata ei eſt, quanto magis ſolenniter conſecrata?* Neque intereſt, ſive vivat frater, ſive mortuus fuerit, אסורה עליו משום אשת אח חוץ מאשת אח שלא הניח בן שהתורה צותה על זו בפירוש שישאנה האח וזאת היא מצות יבום: *Interdictum hoc, de uxore fratris, ipſum obligat, ea excepta fratris uxore, ex qua non ſuſcepit prolem, de hac enim Lex expreſſe mandavit, ut ducat eam frater. Atque hoc eſt præceptum leviratus.* Eſt & hoc præceptum καθολικὸν, temporum & locorum ratione, ועובר עליה ושכב את אשת אחיו חייב כרת אם מזיד ואם שוגג חייב להביא חטאת קבועה והרה יהיה אחר מות אחיו ונשאר לו בנים או אחר שגרשה שאלו בחייו בעודה תחתיו ידוע הוא שדין השוכב את אשת אחיו מיתתו בחנק ואין באיסור אשת אח מקום לאיסור תנייות: *Qui illud violat, & cum uxore fratris ſui rem habuerit, reus eſt exterminii, ſi malitioſe peccavit; ſi per ignorantiam, ſacrificium deſtinatum offerre tenetur: Si nempe illud fiat poſt mortem fratris, prolem relinquentis, aut poſtquam illam repudiavit. Nam, ſi ſuperſtite illo, dum ei adhuc ſubjecta eſt, ſcelus hoc patretur, conſtat, ſupplicium ejus, qui cum muliere fratris ſui congreſſus fuerit, eſſe ſuffocationem: Neque in interdicto uxoris fratris locus eſt interdicto Secundariarum.* Vide *Maim.* Hil. Iſſur. biah cap 2. סמג N. S. 101. 102. 103.

CCIII. שלא לגלות ערות אשה ובתה שנ׳ ערות אשה ובתה לא תגלה. *Non eſſe revelandam turpitudinem mulieris & filiæ ejus*, q. d. Turpitudinem mulieris & filiæ ejus non revelabis; *Levit.* 18. v. 17. Quo hæc ſenſu Judæi ſumant, verbis R. *Levi* proponemus: יבא הפירוש שאין החיוב אלא כגון שנשא האחת תחלה ואחר כך כשבא על השנייה הוא מתחייב אבל אם לא נשא אחת מהן לא יתחייב עליהן לפי שכתוב בהן לשון קיחה דמשמע על ידי נישואין דהכי משמע לן לשון קיחה בכל מקום לשון נשואין Diſcrimen hoc ex delinquentium ſupplicio plenius elucet, de quo *idem*: ונוהג איסור זה בכל מקום ובכל זמן ועובר עליה ושכב את אשה ואת בתה שניהם נשרפין הוא ואותה ששכב אחרונה שאין לראשונה חטא שהרי בהיתר נשאה ואם בא על השנייה אחר מיתת אשתו הראשונה הרי אלו בכרת ואין בהן מיתת בד׳ שנ׳ במקום אחר בסדר קדושי תהיו באש ישרפו אותו ואתהן ופי׳ ר׳ אליעזר בסנהדרין באש ישרפו אותו ואחת מהן דהיינו האחרונה כמו שאמרנו ודוקא כששתיהן קיימות שכן בא הפי׳ אבל כשאין שתיהן קיימות אין שם שריפה אלא שהם בחיוב כרת במזיד ובשוגג מביא חטאת קבועה:

CCIV. שלא לגלות ערות אשה ובת בנה שנ׳ בת בנה לא תקח *Non revelandam turpitudinem mulieris & filiæ filii ejus*, q. d. Filiam filii ejus non accipies. Muniunt Rabbini hoc præceptum, interdicto 1. בת בן בנה והיא מכלל השנייות *abneptis ex nepote, quæ ex numero ſecundariarum*. 2. אם אם אבי אשתו בלבד Valet autem præceptum בכל מקום ובכל זמן ועובר עליה ושכב אשה ובת בנה בנשואי הראשונה שניהם נשרפים בחיי הראשונה ואם מתה ראשונה שניהם בכרת במזיד בשוגג מביאין חטאת קבועה ואם שכב את השנייה לוקה מכת מרדות מדרבנן:

CCV. שלא לגלות ערות אשה ובת בתה וכבר אמרנו שאיסור זה בנישואין מהראשונה שנ׳ ואת בת בתה לא תקח וכו׳ ולשון קיחה משמע לן לשון נישואין *Non eſſe revelandam turpitudinem mulieris & filiæ filiæ ejus: Jam autem diximus, hoc interdictum dependere ex deſponſatione cum* prima, q. d. Filiam filiæ ejus non accipies; *Ibid. At nomen* קיחה acceptionis *literaliter*, *nobis* deſponſationem *ſignificat*. Sepimentum hujus legis eſt איסור בת בת בתו בלבד *interdictum proneptis ejus, ex nepti & filia*. וכלל הענין של איסור אשה ובתה ובת בנה ובת בתה כי התורה תאסור לאדם מלישא שש קרובות של אשתו מלבד האחות שלש

למעלה

למעלה דהיינו אמה ושתי זקנותיה ושלש למטה דהיינו בתה ובת בתה ובת בנה וחכמים הוסיפו עליהן גם כן לגדר שש אחרות ארבע למעלה ושתים למטה כי כן יאות הענין להיות בהכרח כי שתי הזקנות נודרות ארבע אחרות לגדר להן אבל בת בנה ובת בתה אי אפשר להן לגדור אלא שתי כמותן והאם והבת אין להוסיף עליהן לגדר שהרי יש נשים אסורות מן התורה למטה ולמעלה *Summa interdicti hujus concernentis mulierem, filiam ejus, neptim ex filio ejus, neptim ex filia ejus, eſt, quia vetuit homini Lex conjugium ſex propinquarum uxoris (præter ſororem) tres ſuperiores, id eſt, matrem, & duas avias ejus; tres inferiores, filiam, & neptes ex filia & filio ejus. Quibus ſapientes addiderunt, ſepimenti loco, ſex alias, quatuor ſuperiores, & duas inferiores; ita enim, ut rei congrueret, neceſſario debuit fieri. Duas proinde avias quatuor aliæ ſepimento quaſi cuſtodiunt. At neptim ex filio, & neptim ex filia non poſſint niſi duæ illis ſimiles ſepire. Mater & filia non opus habent ſepimento, quia uxores ſunt Lege prohibitæ inferiores & ſuperiores, id eſt* juxta: *gradus aſcendentes & deſcendentes.* ונוהג בכל מקום ובכל זמן ועובר עליה ושכב אשה ובת בתה שניהם נשרפין בחיי ראשונה ואם מתה ראשונה שניהם בכרת במזיד ובשוגג מביאין חטאת קבועה ואם שכב את השניות מלקין אותו מכת מרדות: *Uſus præcepti eſt omni loco & tempore: Qui, violando illud, rem habuerit cum muliere, & nepti ejus ex filia, vivente priori, ambo comburuntur; ſed ſi, priori mortua, per malitiam quis peccarit, exſterminio adjudicatur; per errorem ſacrificium offerunt fixum. Sin autem congreſſus fuerit cum ſecundis, flagris eum cædunt rebellionis.*

CCVI. שלא לבוא על שתי אחיות כלומר שלא ישא אדם שתי אחיות ביחד ולא אפילו זו אחר זו בחיי הראשונה ואפילו גרשה לראשונה שנ׳ ואשה אל אחותה לא תקח לצרור לשון צרה כדי שלא תעשה האחרת צרה לחברתה בחייה בא ולמד שאפילו גרשה לראשונה לא ישא אחותה וזהו לשון בחייה כלומר כל זמן זמן שהיא בחיים אבל אחר מות האחרת אין ספק שמותר לישא האחרת דהיינו שאמר הכתוב וכן השוכב דרך זנות עם האחות אחר שנשא הראשונה או קדשה גם כן בכלל האיסור כי בנשואי הראשונה הקפידה תורה, Id eſt, *Non eſſe rem habendam cum duabus ſororibus, id eſt, ne quis duas ſimul ducat ſorores, neque aliam poſt aliam, priori adhuc ſuperſtite, etſi alteram repudiaverit,* q. d. Mulierem cum ſorore ſua non accipies ad affligendum. *Levit.* 18. v. 18. Afflictionis *autem nomine vult, ne altera alteri, dum vivit, moleſta ſit. Veni autem, & diſce, quod, etſi divortium fecerit cum priori, ſororem ejus ducere non liceat; hoc enim vult vox;* Ea vivente, i. e. *quamdiu in vivis illa fuerit. Mortua autem illa, non eſt dubium, quin alteram ducere conceſſum ſit: Hoc enim eſt quod Scriptura dicit:* Vivente ea. *Sic, qui ſtuprum intulerit alteri ſorori, poſtquam priorem jam duxit, aut ſibi deſponſavit, generali interdicto continetur, quia Lex ſollicita potiſſimum eſt de ſponſalibus prioris.* Rationes interdicti hujus vel communes ſunt cum aliis, vel propriæ: Ex his Rab. *Levi* ſequentem affert: כי ארון השלום יחפוץ בשלום כל בריותיו וכל שכן אותן בריות שהטבע והשכל מחיבין להיות שלום ביניהם ולא קטטה ותחרות תמיד כל היום. *Quia Dominus pacis, paci omnium creaturarum conſultum voluit; quanto magis paci illarum creaturarum, quas natura & intelligentia obligat, ut pax inter eas conſtituatur, non autem quotidianis digladientur jurgiis & rixis?* Ad hujus explicationem ſequentes faciunt Aphoriſmi. I. פירשו ז״ל שאחות אשתו נקרא בין אחותה מאמה בין אחותה מאביה בין מן הנשואין בין מן הזנות ופירשו גם כן שהאיסור יחול מכיון שיקדשנה. *Expreſſe dicunt Magiſtri noſtri,* ſororem uxoris ejus *vocari ſororem ejus tam uterinam, quam germanam, ſive legitime, ſive illegitime natam. Volunt etiam, eam interdicto huic ſubjici, ex quo deſponſaverit eam* [uxorem] *ſibi.* II. שאסרו ז״ל לגדר זה אחות זקוקתו. *In ſepimentum hujus Legis probibent ſororem uxoris jure leviratus obligatæ.* Ita enim vocem זקוקה ſumi in jure de cauſa matrimoniali, Rab. *Levi* condocefacit: פי׳ זקוקתו כגון מי שהיה לו אח ומת ולא הניח בנים שהוא חייב לישא אשתו מן התורה או לחלוץ לה כמו שבא המצוה בכת׳ בפירוש וזאת האשה זקוקה לאח כלומר שהיא ברשות האח לישא אותה אם ירצה כי׳ מן השמים הקנוה לה תקרא זקוקתו ואסרו ז״ל מלישא החותה מכיון שהיא זקוקה אליו ואע״פ שלא קידשה ולא עשה בה שום עניין זקוקתו. *Eſt autem cum quis habuerit fratrem, qui* ἄτεκνος *diſcedit, tunc tenetur ille ducere uxorem ejus ex lege, aut calcei extractione eam rejicere, juxta expreſſum Scripturæ tenorem: Atqui talis uxor obligatur fratri, id eſt, penes fratrem eſt, eam, ſi velit, ducere uxorem: Hæc quia cœlitus ei obtigit,* זקוקה *vocatur, ejuſque ducere ſororem Magiſtri probibent, ex quo tempore jure leviratus ei altera obligatur, etſi nondum eam deſponderit ſibi, aut quicquam negotii cum illa habuerit.* III. אסרו גם כן לגדר זה אחות גרושתו. *Probibent etiam ſepimento ſororem uxoris expulſæ vel repudiatæ.* IV. גם כן אסרו הם אחות חלוצתו. *Neque permittunt ſororem uxoris illius,*

illius, quam extractione calcei repudiavit, id est, viduæ illius, quam levir ejus ducere renuit. Ubi tamen expresse monent, interdictum τῆς חלוצה & זקוקה Legis esse ἀγράφου, non vero ἐγγράφου, ideo tam rigide propositum שלא לינע באיסורא דאוריתא. *Ne ipsa violentur interdicta Legis*. Vide Rab. *Levi*, pag. 81. ונוהגת אזהרה זו מקום ובכל זמן ועובר עליה ושכב עם האחות בין על ידי נשואין בין דרך זנות בחיי הראשונה במזיד חייב כרת ואם יש עדים והתראה לוקה בשונג מביא חטאת קבועה ואם שכב עם אחות זקוקתוא או אחות חלוצתו לוקה מכת מרדות דרבנן. *Usus hujus admonitionis valet omni loco & tempore. Transgressor, qui rem habuerit cum sorore* (uxoris) *sive desponsationis jure, sive scortationis injuria illud fiat, priori superstite, reus est excidii, si proterve deliquerit: Accedentibus testibus, & admonitione vapulat. Si per errorem peccavit, sacrificium offert fixum. Si congressus fuerit cum sorore fratris jure leviratus sibi addictæ, aut per extractionem calcei repudiatæ, plagas rebellionis Magistrorum accipit*. Observandum denique, Judæos conjugium legitimum ob violatum præceptum tum hoc, tum cæterarum עריות non tollere, sed stabilire, dimissa tantum ערוה i. e. illa, cum qua per Legem rem habere non licet. Excipiunt casum, si duas quis sibi desponsarit sorores, ubi priorem, etiam propter posteriorem, illicitam decernunt. Negant tamen ejusmodi vitiatas libello repudii dimittendas. Locum ἰσοεικῶς recitabo ex Rab. *Levi*: מכל מקום אין אשתו דהיינו האחות שנשא ראשונה אסורה עליו מפני נישואי שנייה או זמתה אלא אשתו מותרת לו וזאת השנית תלך לה ואפי׳ נשאה על ידי חופה וקידושין אינה צריכה ממנו גט שאין קידושין תופסין בעריות להצריכן גט אבל מכול מקום מתחייב העושה בהן מעשה הקדושין שהתורה אמר׳ לא תקח ומשמע לשון קדושין ואע״ג דאם עבר ולקח כלומר שקדש לא מהני ליה כלומר שאינה לוקחתו לשום דבר ואינה צריכה ממנו גט מכל מקום נתחייב בכך כמו שאמרנו וזה הדין אינו באחו׳ לבד אלא אף בכל שאר העריות הוא שאם נשאן בחזקת היתר ונמצאו עריות שאינן צריכות גט מן הטעם שאמרנו שאין קדושין תופסין בעריות וכן אם נשא או עבר ונאף עם אחת מן השש נשים שאמרנו למעלה שהן עריות עליו מן התורה מחמת אשתו אינן אוסרות אשתו עליו אלא ילכו להן בלא גט ותשאר אשתו מותרת לו כמו שאמרנו זולתי באחות ארוסתו שהחמירו חכמים ואסרו אף הראשונה מפני השנייה שאמרו ז״ל שאם אירס אדם אשה כלומר שקדשה ואח׳ כך נשא אחותה ששתיהן אסורות עליו וצריכות ממנו גט:

CCVII. שלא לבוא על אשה בעת שהיא נדה שנ׳ ואל אשה בנדת טומאת לא תקרב וזמן נירותה נמשך שבעה ימים כדכת׳ שבעת ימים תהיה בנדתה ובין שתראה פעם אחת בהן או שופעת על השבעה נידה היא וכל זמן שלא תטבול אף אחר הז׳ היה נידה לעולם כי בימים וטבילה תלה הכ׳ שנ׳ בטמאים ורחצו במים ואמרו ז״ל בניין אב לכל טמא שהוא בטומאה עד שיטבול וגם כן דרשו ז״ל תהיה בנדתה תהא בנידתה עד שתבא במים. *Non esse congrediendum cum uxore, tempore menstrui*, q. d. Ad mulierem præterea in menstruo immunditiæ suæ non accedes. *Levit*. 18. v. 16. *Tempus autem hujus* ἀφορισμοῦ *extenditur ad dies septem, teste Scriptura*, septem diebus erit in separatione sua; *Lev*. 15. v. 19. *sive semel tantum in ea appareat*, (fluxus) *sive abundet toto septem dierum spatio, separatio est; talisque omni tempore, elapsa etiam hebdomada, manet, quamdiu lota non fuerit, in seculum, quia Scriptura hoc negativum a diebus & lotione suspendit, sicuti dicitur de immundis*; postquam laverit se aqua; *Lev*. 15. vers. 8. *Tradunt etiam Doctores nostri, structuram principalem*, i. e. Canonem generalem *esse, de omni polluto, quod in immunditia maneat, usque dum lotus fuerit. Iidem cant*, erit in separatione sua, usque dum *verba*: erit in separatione sua, *expli*- attigerit aquas. Quid vero sit נידות & quamdiu duret, R. *Levi* plenius hunc in modum explicat, ועניין הנידות הוא כי יש בנשים עניין שיזוב דם מהן דרך ערותן בכל חדש וחדש שני ימים או שלשה או יותר עד ז׳ וצוה הכתוב דבין שיזוב הדם ממנה יום אחד לבד או אפי׳ כל הז׳ יהיה הדין שוה בהם שאם זב כל שבעה ופסק מבעוד יום בשביעי טובלת לערב שהוא ליל שמחרתה יום שמיני וטהורה: וכן אם לא זב אלא יום אחד מכל השבעה ואפי׳ דם טיפה כחרדל מצוה ז׳ ימים ולערב שהוא ליל שמיני טובלת וטהרה לבעלה: Canones de hac Lege apud Rabbinos occurrunt aliquot. *Primus* ponit discrimen inter נידה & זיבה his verbis: האשה מטמאה בנידה ואפי׳ ביום לידתה מה שאין הדין כן בזבה שאין האשה מטמאה בזיבה עד עשרה ימים. *Secundus* ostendit objectum: כל הנשים בכלל איסור זה ואפי׳ שפחות כלו׳ שפחות כנעניות מכיון שהן בכלל מצו׳ הרי הן כישראליות לעניין זה אבל הנשים של אומות העולם מה׳ אין בכלל איסו׳ נידות וזיבות אלא מדרבנן שגזרו עליהן בין בזכרים בין בנקבות שיהיו כזבים לכל דבריהם וזה שאמרו בגמרא שהבא על הגויה חייב עליה משום נשג״ז פי׳ נדה שפחה גויה זונה זה החיוב אלא אינו מדרבנן באיש ישראל אבל באיש כהן חייב עליה מדאוריתא משום זונה ולוקה עליה. *Omnes mulieres huic subjiciuntur interdicto*,

cto, ancillæ etiam, nempe ancillæ Cananeæ, quæ postquam sub præceptis comprehenduntur, instar reliquarum Israeliticarum hoc in negotio habentur. Mulieres vero Gentilium lege menstrui & fluxus non tenentur. Magistri tamen de iis, tam masculis, quam fœmellis, decreverunt, earum plane eandem, quæ fluxu laborantium, esse rationem. Atque hoc est, quod dicunt in Gemara : Qui rem habet cum gentili, propter eam reus fit Legis de menstruo, ancilla, gentili, & scortatione : *Hic vero reatus fundamentum habet a Rabbinis in Israelita laico. At sacerdotem reum facit ipsa Lex propter scortationem, ob quam etiam vapulat. Tertius* tum alia multa de Legis hujus observantia tradit; tum vero, *κριτήρια* hujus sanguinis immundi, veteres Israelitarum sapientes facilius olim quam nunc indicare potuisse. Factum proinde, ut, ne Israeliticæ filiæ peccarent, legem *τῶν αἱμοῤῥουσῶν* sibi ipsis fixerint. Totum exscribam locum Rab. *Levi*, quia rarior usus ejus est, Historice recitasse sufficiet. Ita ergo authoris verba habent : שחמשה מראות דמים הן שמטמאה התורה ושאר מראות הדמים טהורים והעניין הוא לפי שחכמים ידעו בחכמתן שכל דם שאינו מאותן חמשה מראות אינו בא ממקום טמא כי מקום ידוע באשה שהדם הבא ממנו בלבד טמא הוא הנקרא מקור ובלשון חכמים קרוי חדר ובימיהם היו בקיאים בכל חכמה היו הנשים מראות דמן לחכמים ומטהרין אותן או מטמאין לפי מה שהן ובאותן הימים היו כל הנשים נוהגות כדין תורה לנידות ולזיבות שהזבה היתה יושבת ז׳ ימים נקיים והנדה טובלת בליל שמיני ואפיל שופעת של שבעה מכיון שפסק הדם בשביעי מבעוד יום : ומשרבו הצרות נתמעט לבם של חכמים ויודעי התורה ולא רצו לסמוך לדעתן לדון מראות הדמים כלל ולפיכך עכשיו בזמן הזה כל שיש בו מראה ארמותית כלל או מראה שחרות בין שהוא עמוק הרבה או דיהא כלומר שאינו עמוק טמא אבל הירוק והלבן אע״פ שהוא עבה כמו דם הרי זה טהור ונאמנת האשה לומר כמראה זה ראיתי ואבדתיו ואם אמרה ירוק או לבן היו מטהרין לה וכשבאר׳ וראה שנתמעטה החכמה בעולם ואין החכמים בקיאים במראות הדמים וכי הנשים היו נוהגין בדין תורה שהיו מונות ימי נדה לנדה וימי זיבה לזיבה חשש לדבר שמא לפעמים תראה האשה דם שהוא מן התורה טהור ומפני שלא תמצא חכם שיכיר בו תחוש לו מן הספק ותשב עליו ואם אתה מנהיגה בדין תורה הרי שתהיה מונה מאותו היום שתתחיל לראות שבעה ימים ובליל שמיני אע״פ ששפעה כל שבעה אם פסקה ביום שביעי טובלת לערב כמו שאמרנו למעלה ונמצא לפעמים שבאים עליה לידי איסור כרת כי יש לחוש שמא כל דם שראתה כל ששה

ימים הוא טהור ושל יום השביעי היה טמא והיא התחילה למנות שבעה ימי נידות מיום ראשון שראתה והיה לה להתחיל ולמנותם מיום שביעי כי הוא התחלת נידותה שהיא דם טמא ועל ידי טעות זה באה לטעות הרבה פעמים מנידה לזיבה ומזיבה לנדה שתהא סבורה להיות בימי נידות ותהא בימי זיבוה : לפיכך עמד ד׳ ותיקן שכל אשה שרואה יום אחד תשב ששה ימים נקיים וכן אם ראתה שני ימים תשב גם כן ששה נקיים שכל זמן שאינה רואה יותר משני ימים כשהיא יושבת עליהן ששה ימים נקיים אין בהן מקום ספק מעתה שאם אותן הימים שניהם בימי נידה הם לסוף שבעה טהורה היא ואם שניהם בימי זיבה הם לא היתה צריכה אלא יום אחד ואפי׳ הראשון בימי זיבה והשני בימי נידה אין בכך כלום שהרי היא יושבת אחר מכן ששה נקיים והאחד מאותן ששה נקיים עולים לימי זיבה ואם ראתה שלשה ימים תיקן הוא שתהא יושבת ז׳ נקיים מפני שיש לחוש שכל השלשה בימי זיבה היו והרי היא זבה גדולה שצריכה לישב ז׳ נקיים מדין תורה זאת היתה תקנתו של ר׳ ועם תקנה זו הוסיפו עוד בנות ישראל והחמירו על עצמן שאפילו רואות דם טפה כחרדל כלו׳ אפי׳ בראייה אחת יהיו יושבות שבעה נקיים שלא רצו לחלוק בין רואה יום אחד או שנים לרואה שלשה ימים ואין עניך החומרא שחמירו הם משום דם מועט כחרדל כי מדין תורה אין חילוק לעניין ימי נידות בין דם מועט לדם מרובה כי לעולם צריכה לישב ז׳ ימים רצופים כמו שאמרנו אבל החומרא הוא שעשו עצמן כזבות אפי׳ בראייה אחרת וחומרא זו שקבלו על עצמן היא מוזכרת בהרבה מקומות בגמרא ונראה מתוך כך שחכמים ראו חומרתן טובה וצריכה והודו לדבריהם נמצא שכל הנשים היום אפילו בראייה אחרת דינן כזבות גדולות וצריכות לספור שבעת ימים נקיים וכן כל אשה שמוצאה כתם במקום שראוי לחוש לו אע״פ שהכתמים מדרבנן כי מן התורה אין אשה מתטמאה עד שתרגיש בעצמה דם טומאתה שנ׳ דם יהיה זובה בבשרה כלו׳ שתרגיש אותו אעפ״כ כבר החמירו חכמים על הכתמים והצריכו ספירת שבעה עליהן והפסק טהרה ולפיכך אם מצאה כתם בשיעור האוסר במקום שראוי לחוש לו צריכה לישב עליו גם כן שבעה נקיים ומאימתי האשה מונה שבעה ימים נקיים ממחרת יום שפסק הדם לגמרי כיצד ראתה ב׳ ימים או ג׳ בודקת עצמה תדיר אם פסק הדם ביום שני או ביום שלישי אפילו בשחרית אינה מונה שבעה מאותו יום שפסק אדם בו אלא למחר בודקת עצמה פעם אחרת ומתחלת לספור ז׳ מאותו היום ובד״א שראתה ב׳ או ג׳ ימים או עוד אבל לא ראתה אלא יום אחד אע״פ שבאותו היום בדקה עצמה והפסיקה בטהרה אינה מונה מיום המחרת שחזקת היום הראשון כולו טמא והוחזק מעיין פתוח כל אותו היום וחוששין שמא דמיה חזרו לה לאמר בדיקתה ושפעה כל

הלילה ואין יום שנ׳ זה לראיית׳ מן המניין ואפי׳ בדקה עצמה מבעת חוששין שמא עם סילוק ידיה ראתה אלא אם כן היו ידיה בין עיניה כל בין השמשות כלומר שבדקה עצמה והניחה בפנים מוך או בעד לבן מבעוד יום ועמד שם בין השמשות עד הלילה ולא מצאה עליו דם כלל בעניין זה אפשר שנ׳ שתתחיל למנות מיום המחרת והמוצאה כתם אין מחמירין בה כל׳ כך שנצריך אותם יום הפסק טהרה מלבד היום שמצא׳ בו הכתם כמו שאמרנו ברואה יום אחד לבד אלא ודאי מכיון שבדקה עצמה אחר שמצאה הכתם ומצאה טהור מונה ז׳ נקיים חוץ מאותו יום שמצא הכתם כלומר שמתחלת מניינה למחרתו של יום שמצאה בו הכתם כדין אשה שראתה דם שני ימים או שלשה כמו שאמרנו למעלה כל ז׳ ימים צריכה האשה בדיקה בכל יום ויום ובדיעבד את בדק׳ יום ראשון בלבד שהוא מחרת יום שהפסיקה ושוב לא בדקה אפי׳ עברו עליה כמה ימים אחר השבעה בודקת עצמה בשעת טבילה ודייה שכבר הפסיקה בטהרה קודם לכן לא בדקה לא ביום ראשון ולא ביום שביעי אפי׳ בדקה בליל שמיני ואע״פ שהפסיקה בטהרה קודם לכן אין עולין לה כלל אותן ז׳ ימים שעברה מכיון שלא בדקה בהן לא בתחלה ולא בסוף וצריכה למנות מעת שבדקה ז׳ ימים נקיים ואפשר שעיקר דבר זה מכיון שהתורה צותה וספרה לה ואחר תטהר ומכיון שלא בדקה לא בתחלה ולא בסוף אין כאן ספירה ובדיקה זו צריכה האשה לעשותה בצמר נפן נקי הנקרא בלעז קוטון או צמר לבן נקי ורך או בבגד פשתן לבן שמחמת יושנו הוא רך וכולן יהיו לבנים כדי שיהא ניכר יפה בהן כל מרא׳ אדמימו׳ ואלו הבגדים שבודקת בהן נקרא בגמרא עדים וכשבודקת צריכה להכנים העד בכל חורים וסדקים שבאותו מקום ואם מצאה עליו אחר כן שום מראה אדום טמאה כל בדיקה שאינה עשויה כך אינה בדיקה אפי׳ הכניסה העד באותו מקום ולא בדק׳ בחורין וסדקין אונה בדיקה יפה שאין זה קרוי אלא קינוח וכל׳ שכן שאין שינוי חלוקה עולה לבדיקה ז׳ ימים נקיים אלו צרכים שיהיו רצופים שלא תפסוק טומאה מביניהם אפילו ישבה לה כל הימים ולא ראתה וביום השביעי אפילו מבערב ראתה הרי זו סותרת כל׳ מניינה וצריכה לספור אחר כך ז׳ ימים רצופים. Plura alia hac de materia habentur in Rabbi *Levi*, pag. 83. præcepti eſt καθολικός : ועובר עליה ושכב את הנדה במזיד מכיון שהערה בה חייב כרת בשוגג מביא חטאת קבועה ובן הנדה אינו נקרא ממזר אלא ולד פגום. *Tranſgreſſor, qui rem habuerit cum menſtruali proterve, ex quo denudavit*, (hujus phraſeos ſenſum *infra* habes S. 209.) *reus eſt exterminii; ſi ex ignorantia deliquit, ſacrificium offert fixum. Filius autem menſtrualis non vocatur ſpurius, ſed proles inboneſta.*

CCVIII. שלא נתן מזרעינו למולך. *Ne quid de ſemine noſtro offeramus Moleco* : Vel, שלא ניתן קצת מבנינו להעבירם לפי ע״א שהיו עושין בני אדם בזמן מתן תורה שהיה שמו מולך שנ׳ ומזרעך לא תתן להעביר למולך מקצת זרעך ונכפלה האזהרה דכת׳ לא ימצא בך מעביר בנו וגו׳ *Ne quos tradamus filios noſtros, ad traducendum eos coram Idolo*, (*quod ſolenne fuit hominibus tempore Legiſlationis*) *cujus nomen Molech*, q. d. Et e ſemine tuo ne des, ut tranſire facias Idolo Molech *Levit.* 18. v. 21. *Repetitur autem hæc admonitio* : Ne reperiatur in te, qui tranſire faciat filium ſuum. Ritum hujus Idololatriæ ita deſcribunt : וכך היו עושין האב מוסרו לכומרים לשם שקוצ׳ כעין מה שכת׳ בקרבנות כשרים ונתנם אל הכהן ואפשר שהכומרים עושין בו תנופה או הגשה לפני המולך ואחר כך מחזירין אותו לאב ומבעירין אש גדולה לפני המולך והאב לוקח בנו ומעבירו בלהב האש וכך אמר בירושלמי אינו חייב עד שימסור לכומרי׳ ויטלנו ויעבירנו ודעת הרש״י ז״ל והרמ״ם במול׳ שלא היה שורפו אלא העבודה היה להעבירו לבד ומכיון שהעבירו כמו שהיה דרכם להעביר חייב ודעת הרמב״ן ז״ל שהיה מעבירו בלהב עד שנשמתו יוצאת וראיותיו בפירוש חומש שעשה. Sacra hæc ita peragebant : *Pater tradebat eum* (filium) *ſacrificulis, nomine Idoli, eo modo, quo ſcriptum eſt de legitimis ſacrificiis*; Et dabit ea ſacerdoti, *Lev.* 15. 14. *Fieri autem poteſt, ut, vel ventilent illum, vel adducant Molecho, poſteaque reducant Patri. Tum ignem incendunt magnum coram Molecho, acceptumque filium ſuum pater traducit per flammam ignis. Unde dicunt in Hieroſolymit. Non reus fit, uſque dum tradiderit eum ſacrificulis, eumque projectum traduxerit. Volunt autem R. Sol. Jarchi, & R. Moſe, fil. Maim. quod illum* (pater) *non combuſſerit, ſed quod cultus in hoc conſtiterit, ut traduceret eum tantum, & quod, poſtquam eum more illorum traduxiſſet, reatum contraxerit. Sed Rab. Moſe, fil. Nachman ſtatuit, quod per ignis flammam tam diu eum traduxerit, uſque dum egreſſa fuit anima ejus. Rationes ejus exſtant in Comment. in Pentat. quæ adornavit.* Cur vero noluerit Lex in generali interdicto de Idololatria acquieſcere, ſed ſpeciale hoc de Molecho acceſſerit, ratione non caret. *Maimonid.* factum hoc eſſe ſcribit ; לפי שהיתה עבודה רעה ביותר והיו אדוקין בה הרבה באותו זמן נתיחד׳ בה אזהרה מלבד כל האזהרות ע״א הרבה בתורה *Quia hæc Idololatria præ cæteris turpis fuerit, cui eo tempore multi adhæſerint, ac proinde propriam ei deſtinatam admonitionem, præter crebras alias in Lege contra Idololatriam editas.* Rab. *Nachmanides* autem exiſtimat, peculiarem plane, & diverſam,

hujus

hujus, quam cæterorum de Idololatria interdictorum esse rationem. Cur vero Scriptura ponat tantum קצת *partem* seminis, id, Rab. *Levi* monente, factum forte fuit מפני שהכומרים השקרנים היו
מבטיחין אבי הבן כי על ידי תקרובת בן זה
יצלח שאר זרעו בכל אשר יפנה ותהיה
הברכה והטובה מצויה בביתו ולרוב תרמית
לא רצו מתחלה לקבוע החק רק במי שיש
לו זרע מלבד אושו שהוא נותן להם פן
ימאנו מלשמוע אליהם הן לשורפו לגמרי הן
להעבירו בתוך הלהב כדעת קצת המפרשים
ולמען יבטיחו גם כן על הברכה והטובה
בנשארים ויתפתו אליהם מתוך כך הפתאים
quia falsi stamines patri prolis spondebant, beneficio oblati filii prospere habiturum reliquum ejus semen, quocunque se verteret, adeoque domi suæ locum habituram benedictionem & prosperitatem. Utque dolus facilius succederet, nullam initio fixerunt legem, nisi illi, cui præter semen datum aliud superesset, ne obsequium detrectarent, sive comburendus plane fuerit filius, sive traducendus tantum, juxta quosdam Interpretes, per flammam, &, ut certos eos redderent benedictionis & prosperitatis in reliquis, sicque his blanditiis commodius simplices pellicerent. De objecto & modo transgressionis ridicule sic loquuntur Talmudici: מסר ולא העביר
העביר ולא מסר פטור ושאינו חייב עד
שיעביר מקצש זרעו ויניח מקצתו ושחייב
בין על זרעו כשר בין על זרעו פסול ושחייב
על כל יוצא ירכו בנים או בנות בין בנים
או בני בנים עד לעולם אבל אם העביר
אחיו או אחיותיו או אבותיו או שהעביר
עצמו פטור *Qui tradidit, sed non traduxit; vel traduxit, sed non tradidit, liber est. Neque reus fit, nisi traduxerit partem tantum seminis sui, alteram vero relinquat. Reatum autem contrahit tam propter semen legitimum, quam illegitimum: Nec non propter omnes ex femore ejus exeuntes posteros, filios, & filias, filios & nepotes in sæculum usque.* * *Si autem fratres aut sorores, ant parentes suos traduxerit, aut semetipsum, liber pronuntiatur.* De cæteris specialibus consulatur *Talm.* Mass. Sanhed. cap. 7. *Maim.* Hil. ע״א cap. 6. סמג N. S. 140. סמק S. 44.
ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות
ועובר על לאו זה במזיד ויש עדים והתראה
נסקל בזמן שדנין דיני נפשות ואם אין עדים
והתראה חייב כרת ובשוגג חייב להביא
חטאת קבועה. *Usus ejus omni loco & tempore obstringit sexum utrumque. Transgressor negativi temerarius, si, præmissa exhortatione, testibus convictus fuerit, lapidibus obruitur, tempore, quo judicia capitalia exercent. Sed si admonitio & testes desint, reus fit exterminii. Per ignorantiam commissus error fixo sacrificio eluitur.* Legi huic etiam Gentiles subjiciuntur.

CCIX. שלא לבוא על הזכרים שנ׳ ואת
זכר לא תשכב משכבי אשה תועבה היא
Non esse cum masculis concumbendum, q. d. Cum masculo autem non concumbas concubitu mulieris, abominatio est *Levit.* 18. vers. 22. Repetitur hoc interdictum, secundum *Maim.* Deut. 23. v. 7. לא יהיה קדש מבני ישראל *Non erit Cynædus ex filiis Israel*. Ubi tamen *Onkelos* in Targ. aliter: לא יסב גברא מבני
ישראל איתא אמה *Ne ducat vir ex filiis Israel uxorem ancillam*, scil. כנענית *Cananiticam*. Maimon. vero, locum *Deuter.* existimat, tantum inservire לחזוק אזהרה
שלא לבוא על הזכרים At Rab. *Nachmanides*. יחשוב לאו דלא יהיה קדש לבל
נכניח בינינו איש מזומן לזנות כדרך
הישמעאלים Vel, ut paulo superius jam dixit; להיות נשכב מן הזכרים כידוע מהם
בארצות היש מעאלים עד היום: Ratio præcepti, לפי שהשי חפץ ביישוב עולמו
אשר ברא ולכן יצום לבל ישחיתו זרעם
במשכבי הזכרים כי היא באמת השחתה
שאין בדבר תועלת פרי ולא מצות עונה
מלבד שעניין אותו טרוף נמאס ומכוער הוא
מאד בעיני כל בעל שכל והאיש שנברא
לעבור בוראו לא ראוי להתנוול במעשים
מכוערים כאלו ומזה השורש אמרו ז״ל
שאסור להשיא אשה לקטן דכעין זנות הוא
וכן שלא ישא אדם זקנה ועקרה שאינה
ראויה לולד: Valet hoc interdictum omni loco & tempore, עובר עליה מכיון
שהערה כלומר שהכניס ראש העטרה בלבד
חייב סקילה ואם אין עדים והתראה חייב
כרת במזיד חייב להביא חטאת וזארת מן
העריות שנצטוו עליה כל בני העולם בכלל
בין ישראל או שאר כל האומות וכתב הרמ״ב
במה״ל שראה בעצמו כי אפילו עבדים כנענים
ישנן בכלל איסור זה של זכר ונהרגין עליו
אע״פ שאינן בכלל איסור עריות של קורבה
שהם מותרין אפי׳ באמ׳ ואחות׳ לפי שהם
יצאו מכלל עכו״ם ולכלל ישראל לא באו אף
על פי כן אסור וכן איסור בהמה שוה לכל
אדם: Sed & hoc statuunt: שהבא על
הזכור או הביא זכור עליו אם שניהם
גדולים נסקלים ואם היה האחד גדול והאחד
קטן עד ט׳ שנים ויום אחד שניהם פטורין
מדאוריתא ומכין הגדול מכת מרדות
מדרבנן ואם היה האחד קטון שלא הגיע
לכלל יג״ שנה ויום אחד אבל מכל מקום
הוא מט׳ שנים ויום אחד ולמעלה הגדול
נסקל בין שבא עליו או הביאו על עצמו
והקטון פטור מדאוריתא ומכין אותו מדרבנן
ואחר הבא על הזכור או הבא על אנדר
וגינס דרך זכרותו חייב על דרך נקבותו פטור
מדאוריתא ומכין אותו מכת מרדות מדרבנן
הטומטום ספק יש בו ולפיכך אסור מדרבנן
ואנדרוגינס מותר לישא אשה ומפני חשש

* Ridicula sane explicatio, & distinctio.

משכב זכור אסרו ז״ל שלא למסור תינוק ישר׳ לעכו״ם ללמד ספר או אומנות מפני שכולן חשודין על משכב זכור:

CCX. שלא לשכב עם הבהמות בין שבא האיש על הבהמה או שהביא בהמה עליו הכל בכלל ובכלל בהמה חיה גם כן שנ׳ ובכל בהמה לא תתן שכבתך: משרשי המצוה שהש״י חפץ שיהיו כל המינין שברא בעולמו עושין פירו׳ למינה׳ וכמו שבא בכתוב בתחלת הבריאה שכתוב בכל מין ומין למינהו ומהיות חפצו ב״ה בזה לא תמצא ברכה וגרולה כמו שהוא בהפך כמו שידוע לנו בפרדות שבאות מתערובת שני מינין שאינן פרות ורבות: וכן כל אילן המורכב משני מיני אילנות לא יצלח לעשות פרי כמוהו וכל שכן במין האדם שהוא מבחר כל המינים שאין ראוי שיתערב במין הבהמה הפחות והגרוע: מדיני המצוה מה שפירשו ז״ל שאין חילוק בזה בין בהמה גדולה לקטנה שנ׳ ובכל בהמה בלומ׳ אפי׳ ביום לידתה ואין חילוק בין הבא עליה כדרכה או שלא כדרכה בכל עניין מכיון שהערה בה בלומ׳ שהכניס ראש העטרה או הערת הבהמה כי שניהן נסקלין הוא והיא אם הוא גדול כלומ׳ שהגיע לכלל עונשין והוא מזיד: אבל בשוגג אין הבהמה נסקלת ואם יש לו מתשע שנים ויום אחד ומעלה הבהמה נסקלת על ידי והוא פטור עד שיגיע לכלל עונסין ומכל מקום ראוי ליסרו ואם הוא פחות מט׳ שנים ויום אחד אפילו הבהמה אינה נסקלת על ידו: ונוהג איסור זה בכל מקום ובכל זמן ועובר עליה במזיד ויש עדים והתראה נסקל כמו שאמרנו ואם אין עדים בכרת בשוגג חייב להביא חטאת קבועה בזמן הבית:

CCXI. שלא תשכבנה הנשים עם הבהמות שנ׳ ואשה לא תעמד לפני בהמה לרבעה וכתב הר״מ במ״זל שזה מצוה בפני עצמה בחשבון המצות ואינה נכנסת בכלל המצוה שלפניה לפי שאיסור הזכר לבוא על הבהמה ואיסור האשה שלא תביא בהמה עליה שני איסורין חלוקין הן ולולי הלאו שבא עליהן בפי׳ לא היו נלמדים זה מזה והביא ראיה ממה שאמרו ז״ל בפרק א׳ מכריתות שלשים ושש כריתות יש בתור׳ ומנו אותם ומנו בכללם הבא על הבהמה לאחד והאשה המביאה בהמה על עצמה לאחד עם היות׳ מונים שם כללי עניינים: מדיני המצוה מה שאסרו ז״ל שהאשה גדולה כלומר שהגיעה לכלל עונשים שהיא בת שתים עשר׳ שנה ויום אחד שהביאה בהמה עליה בין גדולה בין קטנה כיון שהערת בה בין כדרכה בין שלא כדרכה שתיהן נסקלות היא והבהמה ואם האשה קטנה כלו׳ פחותה מי״ב שנים ויום אחד הבהמה נסקלת והיא פטורה וראוי ליסרה: ואם היא פחותה מג׳ שנים ויום אחד אפילו הבהמה אינה נסקלת על ידה: ונוהג איסור זה בכל מקום ובכל זמן והעוברת עליו והביאה בהמה עליה חייבת סקילה כמו שאמרנו ואם אין עדים והתראה היא בכרת ובשוגג חייבת להביא חטאת קבועה וכבר אמרנו שבכל שוגג אין הבהמה נסקלת ואע״פ שאמרו ז״ל בטעם סקילת הבהמה כדי שלא יאמרו בני אדם זו היא שנכשל בה פלוני זה לא נאמר אלא במזיד כי הוא הכשלון הגדול אבל שוגג קצת אונס ישנו: נמצא לפי דברינו שאין איסו׳ על הע״כו משום יזרוה אלא אם ואשת אב ואחות מאם ואשת איש והזכור ובהמה והעבדים אינן בכלל איסור עריות שלקורבה ומותרין אפי׳ באמם ואחותם: Plura de עריות fuggerunt Talmud. Sanhed. Kerith. Jebham. Kethubh. Kiddufch. Chinn. S. cit. qui & hoc ex Maim. obfervat omnia hæc fcelera mortis, etfi diverfæ, fupplicio multari. שאלה העריות שכתבנו בהן שהן בכרת בא עליהן הכרת בלשון התורה מבואר וכמו שאמר הכתוב אחר מניינם כי כל אשר יעשה מכל התועבות האלה ונכרתו הנפשות העשות מקרב עמם וכמו כן כל אשר כתבנו בהן שהעובר עליה חייב מיתת ב״ד הוא כמו כן לשון תורה אמנם התחלף המיתה ואמרנו בקצתם סקילה ובקצתם חנק ובקצתם שריפה יש מהן מן הכתוב ויש מהן בקבלה:

SECTIO XVII.

DE PRÆCEPTIS PARASCHÆ XXXI.

a cap. 19. Levitici ad cap. 22.

Affirmativa habet XIII. jubentia,

1. Timere parentes: 2. Relinquere angulum in agro usibus advenæ. 3. Eidem concedere spicilegium. 4. Angulum illi permittere in vinea. 5. Relinquere racemationem. 6. Justitiam judicem exercere. 7. Exorbitantem Israelitam reprehendere. 8. Eundem diligere. 9. Quarti anni proventum sacris destinare. 10. Revereri sanctuarium. 11. Colere sapientes. 12. Justam habere rationem librarum, ponderum, & mensurarum. 13. Comburere eum, qui supplicio illo dignus est.

Negativa vero XXXVIII. prohibentia:

1. Convertere se ad Idololatriam cogitatione, verbo, aut aspectu. 2. Facere Idolum vel sibi, vel alii. 3. Edere residuum. 4. Angulos agri omnino demetere. 5. Spicas decidentes, tempore messis, colligere. 6. Angulos vineæ absolvere. 7. Racemare. 8. Furto pecuniam auferre. 9. Inficiari depositam ab alio nobis pecuniam. 10. Jurare propter negationem facultatum. 11. Jurare falso. 12. Opprimere quenquam. 13. Rapere quicquam. 14. Mercenarii mercedem differre. 15. Maledicere cuiquam ex Israelitis, sive vir fuerit, sive fœmina. 16. Offendiculo esse in via homini integro. 17. Pervertere judicium. 18. Honorare magnum in judicio. 19. Obtrectare. 20. Resistere sanguini sociorum. 21. Odio habere fratres. 22. In ruborem convertere Israelitam. 23. Ulcisci. 24. Μνησικακεῖν. 25. Bestias diversæ speciei commiscere. 26. Diversarum specierum semina serere, &c. 27. Edere de præputio, i. e. arbore nondum tertium annum a plantatione egressa. 28. Epulonum more omnia edendo & bibendo consumere. 29. Augurari. 30. Præstigiis uti 31. Circumtondere caput. 32. Corrumpere angulum barbæ. 33. Inscribere carni stigmata. 34. Consulere Pythones. 35. Hariolari. 36. Fraudibus uti in mensuris. 37. Maledicere parentibus. 38. Insistere institutis gentium.

CCXII. ליראה מהאבות כלומ׳ שיתנהג האדם עם אמו ואביו הנהגה שאדם נוהג עם מי שיירא ממנו שנ׳ איש אמו ואביו תראו ולשון ספרא איזהו מורא לא ישב במקומו ולא ידבר במקומו ולא יסתור את דבריו: *Timorem deberi parentibus*, i. e. conversandum homini cum patre & matre eo modo, quo quis solet cum illo, quem timet, q. d. Quisque matrem suam & patrem suum timeat. *Siphra*. Qualis hic timor? Non sedebit loco ejus. neque verba ejus refutabit. Quærunt Rabbini I. עד היכן מוראת אב ואם שאפילו הכוהו וירקו בפניו לא יכלים אותם: *Quo usque se extendit reverentia parentum? Etsi percusserint eum, aut sputo faciem ejus texerint, non tamen ignominia afficiet eos*. Mandarunt interim, sub pœna excommunicationis, לבל יכה אדם את בנו גדול לפי שיש בדבר משום ולפני

עור

עור לא תתן מכשול *Ne quis feriat filium majorennem, quia conjunctum aliquid habet cum illo* : Coram cæco non pones offendiculum; *Lev.* 19. v. 14. II. Statuunt, שאפילו נטרפה דעת האב והאם שישתדל הבן לנהוג עמהם דקך כבוד לפי דעתם אבל אם נשתטו ביותר יכול להניחם ויצוה אחרים עליהם להנהיגם כראוי אם יש לו : *Etsi parentes mentis non sint compotes, operam tamen dandam filio, ut reverenter eos tractet, pro captu rationis eorum. Quod si tamen plane infatuati fuerint, relinquere eos, aliisque, qui, si facultates ferant, curam eorum gerant, commendare potest*. III. שאם יצוו האבות לעבור על דברי תורה ואפילו על מצוה דרבנן שאין שומעין להם *Si jusserint parentes violare verba Legis, aut Magistrorum nostrorum, non auscultant iis*. Cætera pete ex *Maim.* Hil. Mam. cap. 6. סמג A S. 113. סמק S. 7. *Talm.* in Gemar. hinc inde, ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה והקל ביראתם בטל עשה זה אלא אם כן מדעת האב ובמחילתו שהאב שמחל על כבודו כבודו מחול *Valet omni loco & tempore, in utroque sexu. Transgressor, qui vilipenderit reverentiam eorum, irritum reddit hoc affirmativum, nisi fiat cum consensu & venia patris. Patre enim condonante honorem suum, honor ejus condonatus est*.

CCXIII. מצות פאה *Præceptum anguli*, id est, להניח הפאה מן התבואה שנ׳ לעני ולגר תעזב אותם אחר שזכר לא תכלה פאת שדך *Relinquendum angulum proventus*, q. d. Pauperi & proselyto relinques ea, *Levit.* 19. v. 9. *postquam antea dixisset* : Non finies (*rigide demetes*) angulum agri tui. Et quamvis, proselyti nomine, in ejusmodi rebus גר קדצ *Inquilinus justitiæ*, intelligatur, non tamen arcent Magistri suos מעניי גוים מפני דרכי שלום *a pauperibus gentilium, in quos, studio pacis, eandem licet exercere benevolentiam*. Quid vero פאה sive *angulus*? ענין הפאה הוא שיניח האדם בעת שיקצור תבואתו מעט מן התבואה מעט בקצה השדה ואין לשאר זה שיעור מן התורה אבל חכמים נתנו שיעור לדבר והוא חלק אחד מששים *Ratio anguli hujus est, ut quis, tempore messis, aliquid de proventu suo in termino agri, relinquat; cui tamen καταλέιμματι in Lege nulla est mensura : Sapientes vero illud definiunt parte sexagesima*. Nempe, כי השי רצה להיות עמו אשר בחר מעוטרים בכל מדה טובה ויקרה ושיהיה להם נפש ברכה ורוח נריבה וכבר כתבתי כי מתוך הפעולות תתפעל הנפש ותהיה טובה ותחול ברכת השי בה ואין ספק כי בהותיר האד׳ חלק אחד מפירותיו בשדהו ויפקירם שיהנו בו הצריכים תראה בנפשו שובע רצון ורוח נכון ומבורך וכי השי השביעו בטובו וגם נפשו בטוב תלין והמאסף הכל אל הבית ולא ישאיר אחריו ברכה שיהנו בו האביונים אשר ראו השדה בקמותיה ויתאוו תאוה אליה למלא נפשם בה כי רעבו יורה בנפשו בלי ספק רוע לב ונפש רעה תבואהו *Voluit Deus benedictus, ut populus, quem elegit, redimitus esset omni virtute & præstantia, animamque haberet benedictam, & spiritum voluntarium. Jam autem scripsi, actionibus perfici animam, ut bona reddatur, & benedictio Dei in ea moretur. Neque dubitandum, quin, dum homo relinquit partem fructuum suorum, in agro suo, eosque publico usui, ut juventur inde egeni, exponit, prodat in se αὐτάρκειαν, spiritum promtum, & benedictum, & quod bonitate divina sit satiatus, & proinde anima ejus in bono permansura. At, qui omnia plane colligit, nullamque post se benedictionem relinquit, quæ usui cedat pauperum, qui in agro stantem videntes segetem, desiderio illius magno tenentur, ut famelici impleant animas suas, indicat, procul dubio malitiam cordis, & anima prava invadet eum*. Idem scopus est præceptorum בלקט ושכחה ופרט הכרם ועוללות *de spicilegio, manipulo per oblivionem relicto, acinis deciduis, & racematione*. Canones de hac lege sunt, I. הקוצר או התולש חייב בפאה ואם עבר וקצר הכל נותן מעט מן הקצור לעניים *Qui metit, aut evellit, debet relinquere angulum. Transgressor, qui omnia messuerit, ex ipsa messe aliquid distribuit pauperibus*. II. אדם חייב להוסיף בפיאה לפי גודל השדה ולפי רוב העניים ולפי ברכת הזרע *Homo debet aliquid addere angulo pro ratione magnitudinis agri, multitudinis pauperum, benedictionis seminis*. III. אין במתנות עניים אלו טובת הנאה לבעלים אלא הם נוטלין אותם בעל כרחם *Nihil ex his muneribus pauperum redit utilitatis ad possessores, sed necessario illa pauperes* (nisi nulli obvii sint) *auferunt*, IV. שאם אין עניים שיטלו הפיאה שמותר לבעל השדה ליטלה שנ׳ לעני ולגר ודרשו ז״ל לא לעורבים ולעטלפים *Quod si nulli fuerint pauperes, qui angulum demetant, permittitur usus illius possessori agri*, q. d. pauperi & proselyto, *non autem, ut Rabbini explicant, corvis & vespertilionibus*. V. Generale hoc præceptum complectitur הפיאה בין בפיאה של תבואה או של אילן כל אוכל שגידולו מן הארץ ונשאר ונלקט כולו כאחד ומכניסין אותו לקיום כגון התבואה והקטנית והחרובין ואגוזים ושקדים וענבים וזיתים ותמרים וכל כיוצא באלו חייב בפיאה *tam angu-*

lum

lum proventus, quam arborum. Omnis cibus, cujus incrementum eſt ex terra, quique relinquitur & colligitur, eodem habetur loco, eumque in cenſum referunt hujus conſtitutionis, ut eſt proventus, legumen, ſiliqua, nuces, amygdala, uvæ, olivæ, dactyli, & ſimilia; quæ Legi de angulo ſubjiciuntur. IV. אין מניחין הפיאה אלא בסוף כדי שידעו העניים מקומה. *Nonniſi in fine relinquunt angulum, ut locum ejus pauperes norint*. Quid facto fuerit opus in agro, quem fratres vel ſocii diviſerunt; aut cujus partem quis alteri vendidit; ubi ipſi pauperes inter ſe angulum diſtribuunt, &c. tradunt *Talm.* in Maſſec. Peah. ונוהגת מן התורה בזכרים ונקבורת בין בישראל בין בכהן ולוי ובארץ ישראל דוקא ובזמן שישראל שם בתרומה ובמעשרורת כדעת הרמב״ם מז״ל שאמרו כי תרומה ומעשרות אינן נוהגין אלא בארץ ובזמן שישראל שם דוקא ומדרבנן נוהגרת אפי׳ בחוצה לארץ וכת הוא ז״ל שיראה לו דהוא הדין לשאר מתנות עניים שהם כולן נוהגרת בחוצה לארץ מדברי סופרים ועובר עליה ולא הניח פיאה בארץ בזמן שהיא ביישובה בטל עשה זה וחייב לתת מן הפירות שעור הפיאה לעניים ואם אבדו או נשרפו כל הפירות קודם שיתן מהם כלום לעניים לוקה משום לאו דלא תכלה פארת וגו׳ מכיון שאין בידו עוד לתקן הלאו אבל כל זמן שיש בידו מן הפירות נותן מהם ופטור בכך. *Obſtringit, ex Lege, maſculos & fœmellas, Iſraelitam, Sacerdotem, & Levitam, ſed in terra Iſraelis tantum eo tempore, quo Iſraelitæ ibi fuerunt; conſuetudo de Teruma, & decimis, ſecundum Maimonidem, qui vult, Terumas & decimas tantum receptas eſſe in terra Iſraelis, & præciſe eo tempore, quo Iſraelitæ ibi habitarunt: At Rabbinorum inſtituto, uſitata ſunt etiam extra terram; Illorum videlicet Magiſtrorum, quibus placet, eandem rationem eſſe reliquorum munerum pauperum, quæ omnia, ex Scribarum decreto, etiam extra terram locum habeant. Tranſgreſſor, qui angulum in terra eo tempore, quo incolebatur, non reliquit, irritum fecit hoc affirmativum, tenebaturque de fructibus ſuis dare æſtimationem anguli pauperum. Si autem fructus omnes perierint, aut incendio abſumti fuerint, antequam quicquam de illis dederit pauperibus, vapulat propter negativum*; non finies angulum, &c. *ex quo nempe non amplius eſt in manu ejus, unde negativum hoc corrigat: Quandiu vero tantum in ejus fuerit manibus, liber eo pronuntiatur*.

CCXIV. לעזוב הלקט לעניים והוא מה שנופל מתוך המגל בשעת קצירה או מתוך היד בשערת תלישה שנ׳ בלקט לעני ולגר תעזב אותם. *Relinquendam collectionem, ſeu ſpicilegium pauperibus. Intelligitur autem omne quod decidit de falce tempore meſſis, aut de manu tempore evulſionis, quemadmodum dicitur de collectione*; Pauperi & advenæ relinques ea; *Levit.* 19. v. 9. Monent porro Rabbini: שבולרת אחת או שתים לקט שלש אינו לקט כלומר שאם נפלו שלש שבלים או יותר ביחד מיד הקוצר בלא אונס אבל הכהו קוץ בידו ונפל אין זה לקט. *Unam vel duas ſpicas eſſe collectionem, tres non item. Id eſt, ſi tres aut plures ſpicæ pariter exciderunt manu meſſoris, abſque violentia; Sed ſi ſpina læſerit manum, atque deciderit, non eſt illa collectio*. De collectione dubia, proventu reperto in formicarum antris, &c. diſceptatur in *Talm.* Maſſec. Peah. *Maim.* Hil. Mattan. anii. cap. 1. & 4. סמג A. S. 156. 157. 159. 160. Locus, ſubjectum, pœna tranſgreſſoris ex præcedenti Lege repeti debet.

CCXV. מצות הנחת פאת הכרם. *Præceptum de relinquendo angulo vineæ*. Id eſt, להניח פיאה בכרם ופיא הזו של כרם הוציאה הכתוב בלשון עוללות בלומ׳ שנצטוינו שנשאיר כל העוללות שבכרם לפיאה וזהו דכתיב לעני ולגר תעזב אותם אחר שזכר וכרמך לא תעולל זהו דערת הר״מ במ״זל בעוללות הכרם שהם במקום פיארה שבשאר אילנות והרמבן ז״ל לא פירש כן. *Relinquendum angulum in vinea; Angulum autem hunc Scriptura exprimit nomine* עוללות racemationum. *Senſus eſt, ut relinquamus omnes racemationes, quæ in vinea ſunt, anguli loco, juxta id quod ſcribitur*, pauperi & proſelyto relinquas ea, *poſtquam præceſſit*; & vineam tuam non racemabis, *Levit.* 19. v. 10. *Ita ſentit R. Maimonides de* עוללות הכרם *racemationibus vineæ, quæ idem ſunt, quod in arboribus anguli: Aliter tamen explicat R. Nachmanides*.

CCXVI. לעזוב פרט הכרם והוא מ׳ה שיתפרד ויפלו מן הענבים בשעת בצירה שנ׳ לעני ולגר תעזב אותם אשר שזכר ופרט כרמך לא תלקט. *Relinquenda decidua vineæ, id eſt, omne quod ſeparatum deciderit ex uvis, tempore vindemiæ*, q. d. pauperi & proſelyto relinques ea, *Lev.* 19. verſ. 10. *Poſtquam præceſſit*; acinos vineæ tuæ non colliges.

CCXVII. לשפוט בצדק שנ׳ בצדק תשפט עמיתך. *Juſte judicandum*, q. d. In juſtitia judicabis proximum tuum, *Levit.* 19. verſ. 15. Hoc præcepto mandari volunt ſibi Judæi I. להשוורת בעלי הריב כלומר שלא יכבד הדיין אחד מבעלי הדין יותר מן האחר. *Ut pari loco habeant partes litigantes, neque judex unam alteri præferat*. Unde tum in *Siphr.* tum ipſo *Talmude* hæc Legis verba ſic explicantur: בצדק תשפט עמיתך שלא יהא אחד עומד ואחד יושב ואחד מדבר כל צרכו ואחד אומר לו

קצר

קצר דבריך. *Juſte judicabis proximum tuum, ne, altero ſtante, alter ſedeat; alter ſufficienter animi ſenſa exprimat, alteri dicatur; brevitati ſtude.* II. שכל איש שהוא חכם בדיני התורה וישר בדרכיו שהוא מצווה שידין דין תורה בין בעלי הריב אם יש כוח בידו ואפי׳ יחידי יכול לדון בדין תורה. *Cuivis, juris ſacri perito, & integro moribus, mandato Legis incumbere, ut cauſam Legalem inter partes litigantes, ſi penes ipſum fuerit, judicet: Nam etſi ſolus ſit, judicare tamen poteſt judicio Legis.* III. שראוי לכל אדם לדון את חבירו לכף זכות ולא יפרש מעשיו ודבריו אלא לטוב. *Convenire omni homini, ut* ἐπιεικῶς *de proximo ſuo judicet, ejuſdemque facta & dicta in meliorem partem interpretetur.* His vero monitis ſingulas ſuas aſſignant rationes. Nam, אם יכבד הדיין אחד מבעלי הדין על האחר יפחד בעל הריב מלהגיד כל טענותיו לפניו ומתוך כך המשפט יצא מעוקל וכמו שאמרו שמצוה על החכם בדברי תורה והוא איש ישר לדון בין החולקים שזהו בכלל המצוה כמו כן גם בזה תועלת כי החכם והישר ידין דין אמת ואם הוא היודע לא ירצה לשפוט ישפטום שאר בני אדם שאינם חכמים ויטו הדין על האחד מבעלי ידיעה גם במה שאמרו שכל אדם חייב לדון את חבירו לכף זכות שהוא בכלל המצוה יהיה סבה להיות בין אנשים שלום וריעות ונמצא שעיקר כל כוונת המצוה להועיל בישוב בני אדם עם יושר הדין ולתת ביניהם שלום עם סילוק החסד איש באיש. *Si judex partium alteram alteri honore prætulerit, erubeſcet actor omnes ſuas, coram ipſo, recenſere rationes, ſicque judicium prodibit diſtortum. Ita cum dicunt, injunctum eſſe perito rerum Legalium, modo etiam integer ſit, ut judicium ferat inter diſſidentes (id quod generaliter ſub hac Lege continetur) etiam hoc ſuam habet utilitatem. Vir enim ſapiens & probus, judicabit veritatis judicium. Si tamen is, qui ita peritia pollet, judicium ferre nolit, judicabunt reliqui homines, minus licet ſapientes, judiciumque inclinabunt ad mentem ejus, qui ſapientia cæteros antecellit. Hujus denique, quod dicunt, Omnem hominem debere proximum ſuum judicare* ἐπιεικῶς, *(quod ipſum etiam præcepto hoc generaliter comprehenditur) cauſa eſt, ut pax & amicitia inter homines conſtituatur. Reperitur autem, fundamentum omne intentionis præcepti eſſe, ut conſulatur converſationi hominum, rectitudine judicii, & ut pax inter illos concedatur, cum complemento mutuæ benevolentiæ.* Sunt & ſequentes notandæ regulæ. 1. אמרו ז״ל ששני בעלי דין שהיה האחד לבוש בגדים יקרים והשני בגדים בלויים אומר למכובד הלבישהו כמותך או לבש כמותו ואחר כך נדין ביניכם כדי שתהיו שוין ועכשיו בזמננו לא ראינו ב״ד שעשה כן. *Dicunt Magiſtri noſtri: Si ex duobus litigantibus alter amictus fuerit veſte pretioſa, alter vero detrita, dicit* (judex) *honoratiori; Vel eum habitu inde tuo ſimili, vel contra, poſtea demum inter vos judicabimus, quo ita ſimiles ſitis. Nunc autem, noſtro tempore, non videmus Domum judicii hoc obſervare.* 2. Dicunt iidem, שמצוה להושיבם בשוה ולא האחד למעלה מחבירו או האחד בישיבה והאחד בעמידה רק בתלמיד חכם ועם הארץ שאמרו בהם מושיבים החכם ואומרים לעם הארץ שב ואם לא ישב אין מקפידין על כך. *Eos, ex præcepto, pari collocandos loco, non alterum altero ſuperiori; aut alterum jubendum ſedere, alterum vero ſtare. Obſervato tantum diſcrimine inter diſcipulum ſapientem* (virum eruditum) *& plebejum, quod illum collocent, huic tantum dicant, ſede, ſi ſedere nolit, non multum ſunt ſolliciti de eo.* 3. שאם באו לפניך הרבה הרבה דינין ויש ביניהן דין יתום ואל מנה שמצוה להקדימם שנ׳ שפטו יתום ריבו אלמנה כלומר שבדינם נצטוינו לזרז יותר מדין אחרים וכן אמרו ז״ל שדין תלמיד חכם קודם לעם הארץ ודין אשה קודם לדין איש לפי שבושת האשה מרובה. *Si forte multæ ſe tibi offerant lites, inter quas nonnullæ orphani, & viduæ, juberi judices, has præ reliquis maturare*, q. d. Judicate orphanum, & contendite pro vidua, *Jeſ.* 1. 17. *q. d. injunctum nobis eſſe, ut præ aliis judicium* (cauſam) *illorum acceleremus. Sic etiam ſtatuunt Rabbini, præcedere judicium ſapientis plebejorum judicium; judicium mulieris prius eſſe judicio viri, quia mulieris verecundia major eſt.* Reliqua deſume ex *Maimon.* Hil. Sanhed. cap. 21. סמג A. S. 106. סמק S. 227. *Talmud.* hinc inde in Gemara Sanhed. & Schebh. Præceptum, temporis & loci ratione, καθολικὸν, obligat maſculos, שחייבים לדון ולא הנקבות ואולם גם הנקבות חייבות לדון את החבר לכף זכות *quorum eſt judicare, mulierum non item: Niſi quod etiam teneantur proximum κατ᾽ ἐπιείκειαν tractare.*

CCXVIII. מצות תוכחה לישראל שאינו נוהג כשורה. *Præceptum de caſtigando Iſraelita,* μὴ ὀρθοποδοῦντος αὐτοῦ. Vel plenius; להוכיח אחד מישראל שאינו מתנהג כשורה בין בדברים שבין אדם לחבירו או בין אדם למקום שנ׳ הוכח תוכיח את עמיתך ולא תשא עליו חטא ואמרו בספרא מנין אם הוכחתו ד׳ וה׳ פעמים ולא חזר שאתה חייב לחזור ולהוכיח ת״ל הוכח תוכיח ואמרו ז״ל בגמרא הוכח תוכיח אפילו מאה פעמים. *Redarguendum Iſraelitam non recte incedentem in quibuſcunque rebus, ſive homines concernant inter ſe, ſive Deum & homines concernant inter ſe, ſive Deum & hominem*, q. d. Corripiendo corripies pro-

ximum tuum, neque impinges illi crimen; *Levit.* 19. v. 17. *Quæritur autem in Siphra: Unde habes, ſi quater aut quinquies reprehendiſti eum, neque reſipiſcit, te teneri repetitionem iterare? Quia Scriptura dicit*: Corripiendo corripies eum. *Unde dicunt Magiſtri noſtri in Gemara: Corripiendo corripies eum, centies etiam.* Conſtare autem debet hæc reprehenſio gradibus. בתחלת התוכחה ראוי להוכיח בסתר ובלשון רכה ודברי נחת כדי שלא יתבייש ואין ספק שאם לא חזר בו בכך שמכלימין החוטא ברבים ומפרסמין חטאו ומחרפין אותו עד שיחזור למוטב. *Initium reprehenſionis fieri debet clam, lingua molli, & verbis placidis, ne in ruborem convertatur. Sine dubio tamen, ſi hac ratione in regiam non redeat, peccatorem publice confundunt, peccatum ejus* παραδειγματίζοντες, *& exagitantes, uſque dum ad frugem redierit.* Ratio præcepti eſt, לפי שיש בזה שלום וטובה בין אנשים כי בשיחטא איש לאיש ויוכיחנו במסתרי' יתנצל לפניו ויקבל התנצלותו וישלם עמו ואם לא יוכיחנו ישטמנו בלבו ויזיק אליו לפי שעה אן לזמנים כמו שנ' ברשעים ולא דבר אבשלום את אמנון. *Quia hoc inſervit paci & bono hominum. Si enim quis in alterum peccarit, & ipſe* (reus) *ſe* (offenſo) *clam purgarit, excuſatione admiſſa in gratiam cum illo redit: Si vero ipſum non reprehenderit, inteſtino ipſum odio proſequetur, eidemque oblata opportunitate nocebit, quemadmodum de impiis dicitur*: Neque locutus eſt Abſalon cum Amnone. Tradunt porro Rabbini. 1. שחיוב מצוה זו עד הכאה כלומר שחייב המוכיח להרבות תוכחותיו אל החוטא עד כדי שיהא קרוב החוטא להכות את המוכיח. *Obligationem hujus præcepti ſe extendere ad percuſſionem uſque* i. e. *Teneri correptorem ſuis reprehenſionibus uſque eo inſtare adverſus peccatorem, ut vix ſe peccator a verberibus continere queat.* 2. שאם יראה המוכיח שאין בדברי תוכחותיו שום תועלת ומצא מתוך גודל רשע החוטא איש אלם ורשע ביותר ומתירא ממנו שמא יעמד עליו ויהרגנו שאינו חייב במצוה זו באיש כזה. *Si correptor videat, ſe nihil reprehenſionibus ſuis proficere, propter magnam impietatem peccantis, viri ſurdi & impii valde, inſuper timeat, ne inſurgendo in ipſum vita privet, non obligari quemquam hoc præcepto propter ejuſmodi virum.* Unde & Rabbini ſuadent, in homine deſperato nihil tentandum: neque vero animum ſtatim abjiciendum, ſed intrepide peccatorem officii monendum, ויבטח בשי כי יעזרנו בהלחמו עם שונאיו ואל ירך לבבו ואל ירא כי השי שומר את כל אוהביו וכל הרשעים ישמיר ואם ישוב החוטא מחטאו יהיה לו בזה שכר גדול. *Spem collocabit in Dei Benedicti auxilio, cum certaverit cum oſoribus ſuis, neque molliatur cor ejus, neque timeat, quia Deus Benedictus cuſtodit omnes amantes eum, omnes autem impios perdet. Si peccator a peccato ſuo fuerit reverſus, habebit in hoc mercedem magnam.* 3. שאפילו הקטן חייב להוכיח הגדול אם הגדול הולך לא טוב. *Etiam parvum teneri reprehendere majorem, ſi viderit majorem in via mala ambulantem.* Eſt hoc præceptum univerſale temporis, loci, & ſexus reſpectu. Tranſgreſſor irritum reddit affirmativum, ועוד שהוא מכת הרשעים שעושין כן *eſtque ex turba impiorum, quia ita facere ſolent.* Confer *Talm.* hinc inde in Gemar. *Maim.* Hil. deh. cap. 6. סמג A. S. 9. 11.

CCXIX. מצות אהבת ישראל. *Præceptum de diligendo Iſraelita.* Id eſt, לאהוב כל אחד מישראל אהבת נפש כלומ' שנחמול על ישראל ועל ממונו כמו שאדם חומל על עצמו וממונו שנ' ואהבת לרעך כמוך ואמרו ז"ל דעלך סני לחברך לא תעביד ואמרו בסיפרי אמר ר' עקיבה זה כלל גדול בתורה כלומ' שהרבה מצות שבתורה תלויים בכך שהאוהב חבירו כנפשו לא יגנוב ממונו ולא ינאף את אשתו ולא יונהו בממון ולא בדברים ולא ישיג גבולו ולא יזיק לו בשום צד וכן כמה מצו' אחרו' תלויות בזה. *Unumquemque Iſraelitam amandum amore animæ, id eſt, ut eadem clementia Iſraelem, & ejus facultates, complectatur, qua quiſque ſe & ſuas facultates complectitur*, q. d. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum; *Levit.* cap. 19. v. 18. *Dicunt autem Rabbini*: Quod odioſum tibi, ſocio tuo ne feceris. *Et in Siphre ait Rab. Aquiba, hanc eſſe magnam ſummam Legis, id eſt, multa præcepta Legis inde dependere. Qui enim proximum ſuum diligit ſicut ſemetipſum, alteri furto non auferet opes ſuas, neque violabit uxorem ejus, neque opprimet ipſum in facultatibus vel verbis; neque transferet terminum ſuum, neque ei officiet ulla ratione. Eodem modo alia multa præcepta inde dependent.* Ratio præcepti manifeſta eſt; כי כמו שיעשה הוא בחבירו כן יעשה חבירו בו ובזה יהיה שלום בין הבריות. *Quod enim quis fecerit proximo ſuo, idem & ille proximo ſuo rependet, hoc enim ſtabilitur pax inter creaturas.* Et quemadmodum danda eſt homini opera, שיתנהג עם חבירו כמו שהוא מתנהג עם עצמו לשמור ממונו ולהרחיק ממנו כל נזק ואם יספר עליו דברים יספרם לשבח ויחוס על כבודו *ut eandem in proximo, quam in ſe obſervet rationem, cuſtodiendo facultates ejus, & removendo omnem noxam, & ſi quæ de illo commemoravit,* κατ' εὐφημίαν *& honorifice illud præſtet;* Ita ſerio monent,

nent, ne quis ex ignominia alterius, famam & nomen ſibi quærat. Unde dicunt: המתכבד בקלון חבירו אין לו חלק לעולם הבא. *Qui ſe honorat ex ignominia ſocii ſui, non habet partem in ſeculo venturo*. Contra vero, המתנהג עם חבירו דרך אהבה ושלום וריעות ומבקש תועלתם ושמח בטובם עליו הכתוב אומר ישראל אשר אתפאר. *Qui proximum ſuum amice, pacifice & familiariter tractat, commodum ejus quærit, de bonis illius gaudet, de eo dicit Scriptura*: Iſrael, quia in te gloriabor; *Eſaiæ* 49. verſ. 3. Et hoc præceptum omnes obligat, omni loco & tempore. Quiſquis vero vel proximo, & facultatibus ejus non caverit, vel quocunque illi modo moleſtus fuerit, non modo irritum reddit affirmativum; ſed & Legum de damnis (de quibus *ſupra*) reus eſt.

CCXX. מצות נטע רבע. *Præceptum de planta quarta*, Nempe, להיות נטע רבעי כולו קודש פי׳ כל פירות היוצאים באילן בשנה הרביעי׳ לנטיעתו הם קודש כלומר שהם נאכלים לבעלים כמו מעשר שני בירושלים וזהו קדושתן שנ׳ ונטעתם כל עץ מאכל ובשנה הרביעית יהיה כל פריו קודש הלולים ליי׳ ובא הפיר׳ שהוא לבעלים ופיר׳ הלולים הוא שיאכלוה הבעלים בירושלם וזהו ההילול וזה יקראו חכמים בכל מקום רבעי ובספרי דורש שנטע רבעי הוא לבעלים מדכת׳ ואיש את קדשיו לו יהיו שאמרו שם איש את קדשיו וגו׳ משך כל׳ הקדשים ונתנם לכהנים ולא שייר מהם אלא תודה ושלמים ופסח ומעשר בהמה ומעשר שני ונטע רבעי שיהיו לבעלים: *Plantam quartam totam eſſe ſanctam, id eſt, fructus prodeuntes ex arbore, anno quarto plantationis, ſanctos eſſe, id eſt, comedi a ſuis poſſeſſoribus, quemadmodum decimæ ſecundæ, Hieroſolymis*. Hæc enim eſt ſanctitas eorum, q. d. cum plantaveritis, cujuſcunque generis, arborem fructiferam, quarto anno erit omnis fructus ejus ſanctitas Jehovæ, *Levit.* 19. 24. *quod de poſſeſſoribus intelligendum eſſe volunt. Ita per laudes ſignificari contendunt, ut comedant eos* (fructus) *poſſeſſores Hieroſolymis. Hæc enim laudatio eſt, quam Sapientes ubique* quartam *appellant. In Siphri quidam quartam plantam poſſeſſoribus adjudicari, ex eo probant, quod ſcriptum eſt*: Et cujuſcunque ſanctificata ipſi ſacerdoti erunt; *Num.* 5. verſ. 10. *Quia dicit ibi*; Cujuſcunque ſanctificata, &c. *omnia extrabit* [intelligit] *ſancta, quæ ſacerdotibus tradit, e quibus nihil relinquit, niſi ſacrificium Euchariſticum, pacifica, Paſcha, decimas jumenti, decimas ſecundas, plantam quartam, quæ debentur poſſeſſoribus*. Prima hujus præcepti ratio eſt, שרצה האל להיות האדם מעורר להלל השי׳ בתחלת מבחר פירות אילנותיו כדי שינוח עליו נועם השי׳ וברכתו ויתברכו פירותיו כי האל הטוב חפץ בטוב בריותיו לכן צונו להעלותם ולאכול אותם במקום שבחר בימי קדם לעבודתו בה כי שם צוה השי׳ את הברכה ומבחר פירות האילן הם היוצאים השנה הרביעית. *Quia voluit Deus, ut eſſet homo excitatus ad laudem Dei Benedicti, primitiis electorum fructuum arborum ſuarum, ut habitet ſuper ipſum benignitas Dei Benedicti, & benedictio ejus, atque ſic benedictionem conſequantur fructus ejus. Voluit enim Benignus Deus conſultum bonitati creaturarum ſuarum. Proinde in mandatis dedit nobis, ut adducamus, & comedamus eos in loco, quem elegit olim in cultum ſuum, Æde videlicet ſacra. Ibi enim Deus præcepit benedictioni. Selectiſſimi autem fructus arboris ſunt illi, qui producuntur anno quarto*. 2. ועוד יש תועלת לאדם בהיותו מצווה לאכול במקום ההוא קצת פירותיו כגון זה מעשר שני וגם מעשר בהמה כי מתוך כך יקבע מושבו או מושב קצת מבניו באותו המקום ללמוד תורה כי שם מורי התורה ועיקר החכמה. *Habet & aliam hinc homo utilitatem, quando jubetur quoſdam fructus ſuos, hos ipſos nempe, decimas ſecundas, & decimas jumenti, ibi edere. Nam ejus beneficio vel ſedem ſibi quæret ibidem, vel quibuſdam filiis ſuis ad diſcendam legem, quia ibi ſunt Doctores Legis & fundamentum ſapientiæ*. 3. *Nachmanides* ſcribit, hoc fieri, לכבד השי׳ מראשית כל תבואתינו ולא נאכל מהם עד שנביא כל פרי בשנה אחת הלולים ליי׳ והנה אין הפרי בתוך שלש שנים ראוי להקריבו לפי שהוא מועט גם שאין נותן טעם בפריו או ריח טוב גם כי רוב האילנות לא יוציאו פירות כלל עד שנה רביעית לנטיעתן ולכך נמתין לכולן. *Ut honoretur Deus Benedictus ex primitiis omnium proventuum noſtrorum, neque de iis quicquam edamus, donec attulerimus integrum unius anni proventum in laudem Dei. Ecce autem nullus fructus trium primorum annorum dignus cenſetur, tum quia modicus eſt, tum quia nullus in eo ſapor, vel bonus odor. Inſuper multæ ſunt arbores, quæ ante quartum a plantatione annum nullos plane proferunt fructus. Tamdiu igitur in cæteris etiam expectandum*. 4. שהפרי בתחלת נטיעו עד השנה הרביעית רב הלחות הדבק מאד מזיק לגוף ואיננו טוב לאכול כדג שאין לו קשקשת והמאכלים הנאסרי׳ בתורה שהם רעים גם לגוף. *Quia fructus ab initio plantationis ad annum uſque quartum, refertus eſt humiditate lenta valde, quæ noxia eſt corpori, neque eſui apta, ſicut piſces ſquamis carentes, & reliqui cibi in Lege probibiti, qui & ipſi corpori maligni ſunt*. Hunc vero quar-

quarti anni proventum redimere licuit, juxta illud Rabbinorum : הרוצה לפדות נטע רבעי פודהו כמו מעשר שני שהוא נפדה כלומ׳ שפודה הפירות בכסף ומעלה הכסף לירושלם ואם פודהו לעצמו מוסיף חומש שכן הוא הדין במעשר שני אבל הפודה מעשר שני לאחרים אין מוסיף חומש. *Qui redimere vult quartam plantam, redimit eam ſicut decimas ſecundas, quæ redimi poſſunt, id eſt, quod, qui redimit eam argento, argentum afferre debeat Hieroſolymam. Si ſibi illam redimit, quintam addit partem, quia ratio hæc obtinet in decimis ſecundis. At qui aliis decimas ſecundas redimit, quintam partem non addit.* Cætera, quæ in redemtione hujus anathematis obſervanda erant, exhibentur a *Talmudicis*, cap. ult. Maaſ. Scheni ; *Chinn.* S. 220. *Maimon.* Hil. Maaſ. Scheni, &c. c. 9. סמג Affir. S. 137. סמק S. 253. ונוהגת מצוה זו בזמן הבית בארץ בזכרים ונקבות אבל לא בחוצה לארץ וכן כתב הרמ״ב במ״זל כשם שאין מעשר שני בסוריא כך אין נטע רביעי בסוריא ע״כ וכל שכן בחוצה לארץ ויש מרבתינו שהורונו היום שחיוב מצוה זו הוא אפי׳ עכשיו בארץ ואפי׳ בחוצה לארץ נוהג כרם רבעי מדרבנן ולפי זה צריך כל אדם עכשיו לפדות פירות כרם רבעי שלו על שוה פרוטה או יותר גם אמר שמברכין על הפדיה ואחר כך משליך הפדיון לים המלח כלומר למקום האבד כדי שלא יהנה בו בריה לפי שהוא קידוש היום מדרבנן ואחר כך אוכל פירות כרמו אבל נטע רבעי אינו נוהג כלל בחוצה לארץ אפי׳ מדרבנן ועובר על מצוה זו ולא העלה הפירות לירושלם או פריונן בזמן הבית או שלא פראן בארץ כדעת קצת המפרשים אפילו עכשיו בטל עשה זה ולא חפץ בברכה ומקיימה יהיה ברוך. *Uſus hujus præcepti, ſtante templo, in terra ſancta fuit, in maſculis & fœmellis ; ſed non extra terram. Ita etiam Maimonides ſcribit : Non locum habere in Syria decimas ſecundas ; neque quartam plantam in Syria. Hæc ille. Multo minus extra terram. Docent autem nonnulli ex Magiſtris noſtris hodie, hujus præcepti uſum etiamnum in terra obtinere. Sed & ex decreto Rabbinorum locum habet extra terram* vitis quarta, *id eſt, fructus vitis anni quarti. Proinde etiam nunc cuivis neceſſario incumbit, ut redimat fructus vitis quadriennis ſuæ, Perutæ* ἰσορρόπω, *aut pretio majori. Idem inquit, quod benedictionis formulam recitent ſuper redemtionem. Poſtea abjicit redemtionis pretium in mare ſalſum, id eſt, locum perditionis, ut ne ulli creaturæ illud uſui ſit ; quia hodierno etiam die res ſacra eſt ex ſententia Magiſtrorum noſtrorum ; & poſtea demum edit fructus ſuæ vitis. At* quarta planta *prorſus non habet locum extra terram, ne quidem per Rabbinos. Transgreſſor hujus præcepti, qui non attulerit fructus Hieroſolymam, aut pretium eorum, ſtante templo, aut qui, juxta quoſdam interpretes, in terra ſancta non redemerit eos etiamnum, irritum reddit hoc affirmativum, neque delectatur benedictione ; qui vero ſtabilierit illud, erit benedictus.*

CCXXI. מצות היראה מן המקדש. *Præceptum de reverentia, quæ ſanctuario debetur*, vel, ut plenius proponitur, לירוא מן המקדש כלומר שנעמידהו בנפשותינו מקום הפחד והיראה כדי שיתרככו לבבינו בבואינו שם להתפלל או להקריב קרבנות שנ׳ ומקדשי תיראו ופירשו ז״ל בספרא ובברכות כמו כן איזהו מורא לא יכנס להר הבית במקלו ובנעלו ובאפונדתו ובאבק שעל רגליו ובמעות הצרורים לו בסדינו ולא יעשנו קפנדריא כלומר שיכנס מפתח אחד ויצא מפתח שכנגדו כדי לקצר הדרך לבד ורקיקה מק״ו ואין צריך לומר שאסור המקום ברקיקה וביארו גם כן בסנהדרין שאין ראוי כלל לשבת בעזרה כי אם למלכי בית דוד משום כבוד המלכו שנ׳ ויבא המלך דוד וישב לפני יי׳ ואמרו בספרא לא מן המקדש אתה ירא אלא ממי שפקד על המקדש. *Ut reverenter colamus ſanctuarium, i. e. ut conſtituamus illum in animabus noſtris locum tremendum & venerandum, quo ſic molliantur corda noſtra, quotieſcunque eo pervenerimus, ſive ad orandum, ſive ad ſacrificandum*, q. d. Sanctuarium meum reverebimini, *Levit.* 19. 30. *Id quod Magiſtri noſtri in Siphra & Beroch. explicant : Quænam hæc reverentia ? Non ingredietur montem Ædis cum loculo ſuo, aut cum cingulo ſuo* (intelligitur autem cingulum cavum, uſum loculi præſtans) *aut pulvere in pedibus ſuis, neque pecuniis ligatis in ſindone ſuo, neque faciet eam* [Ædem, ſanctuarium] *compendium* [obſervat Clariſs. *L'Empereur*, in Midd. cap. 2. S. 2. aliud eſſe *Kephandriam facere*, ut ſolummodo viæ compendium facias per locum ſacrum tranſeundo, aliud vero eo modo ad ſacrum cultum accedere iterumque diſcedere ; nam illud illicitum, hoc vero juſſum) *ingrediendo videlicet per unam portam, egrediendo vero per aliam ei oppoſitam, brevioris viæ cauſa : quanto minus ſpuere licet ? Neque vero dicere neceſſe eſt, ipſam non licere conſpuere. Explicite etiam tradunt in Sanhedrin : Non convenire cuiquam ſedere in atrio, niſi Regibus Domus Davidis, propter honorem regium*, q. d. Venitque Rex David, & ſedit coram Domino. *Dicunt inſuper in Siphra : Ne timeas ſanctuarium ipſum, ſed illum, qui ſanctuario præeſt.* Ad reverentiam templi augendam ſequentia etiam obſervanda ſuis mandarunt Rabbini. I. שאין אדם נכנס בכל הר הבית

אלא לדבר מצוה וכל מי שהשלים עבודה בבירת ונסתלק מהלך אחורנירת מעט מעט וכן אנשי משמר ואנשי מעמד ולויים מדוכנם כך הם יוצאים מן המקדש. *Totum Ædis montem neminem ingredi, niſi propter negotium præcepti* (i. e. cultus ſacri peragendi ergo.) *Et quiſquis, abſoluto cultu in Templo recedit, retrorſum paulatim incedit. Eodem modo & illi, quibus* φυλακὴ *ſeu cuſtodia commiſſa eſt* [nocturna videl. ea antiquitus diſtributa erat in tres vigilias, quarum quæque quatuor complectebatur horas] *& ſtatio*, [erat cœtus delectus, miniſterio ſacro oblationum & precum præfectus, ut iſta legitime fierent nomine totius populi : quales cœtus numerabantur 24. quorum quiſque caput ſuum ראש המעמד dictum habebat] *Levitæ inſuper e ſuis ſuggeſtis* [e quibus cantabant] *templo egrediuntur*. II. אסור לאדם שיפנה או יישן לעולם בין מזרח למערב מפני שההיכל במערב וכן אסור לאדם לבנות בירת תבנירת היכל ואכסנדרה תבנית אולם חצר תבנית העזרה וכל זה להוראת המקום. *Vetitum homini ſe unquam convertere aut dormire inter Orientem & Occidentem, quia templum ad occaſum eſt. Interdictum eidem ædificare domum ad formam templi ; aut* ἐξέδραν *ad formam porticus; aut veſtibulum ad formam atrii ; idque omne in reverentiam Templi*. De reliquis agit *Maimonides*, Hil. beth habbech. cap. 7. סמג A. S. 164. *Talm.* Maſs. Middoth & Themid. ונוהגת מצוה זו בזכרים ונקבות בכל מקום שאעפ שהמקדש חרב היום בעונורת חייב כל אדם במוראו ולא יכנס אלא במקום שהוא מותר להכנס בו בבניינו ולא ישב אפי׳ בעזרה ולא יקל ראשו כנגד שער המקש שנ׳ ארת שבתותי תשמרו ומקדשי תיראו ואומרים בסיפרא מה שמירה שברת לעולם אף מורא מקדש לעולם ועובר עליה ונהג קלורת ראש בעניינים אלו שאמרנו בטל עשה זה : *Uſus hujus præcepti eſt in maſculis & fœmellis omni loco. Etſi vero ſanctuarium hodie devaſtatum eſt propter iniquitates, tenetur tamen omnis homo reverentia ejus duci, neque ingredietur locum alium, quam qui in ipſo ejus ædificio licitus eſt, neque ſedebit vel in atrio ejus ; neque ſuperbe tollet caput ſuum verſus portam ſanctuarii*, q. d. Sabbatha mea cuſtodietis, & ſanctuarium meum reverebimini. *Dicunt in Siphra : Quid eſt cuſtodia Sabbathi in æternum? utique reverentia ſanctuarii in æternum. Qui vero, tranſgreſſus hoc præceptum, ſolet in iſtis, quas diximus rebus, elate & ſuperciliose agere, irritum reddit affirmativum hoc*.

CCXXII. לכבד החכמים ולקום מפניהם שנ׳ מפני שיבה תקום ותרג׳ אונקלוס מן קדם דסבר באוריתא תקום והדרת פני זקן פירשו ז״ל אין זקן אלא מי שקנה חכמ׳ וזה שהוציא הכתוב החכם בלשון זקן הטעם מפני שהבחור החכם ראה בחכמתו מה שראה הזקן ברוב שניו. *Honorandos ſapientes, iiſdemque aſſurgendum*, q. d. Ante canitiem ſurge ; *Levit*. 19. verſ. 32. *Quod Onkeloſus ita* παραφράζει : *Illi, qui peritus eſt Legis, aſſurges : Et honora faciem ſenis*; Ibid. *Tradunt enim Magiſtri : Non eſſe ſenem, niſi qui ſapientiam ſibi acquiſiverit. Ratio autem, cur Scriptura ſapientem ſenis vocabulo exprimat, eſt, quia ſapiens ſua ſapientia videt, quod ſenex multitudine annorum ſuorum*. Ratio præcepti eſt, לפי שעיקר היות נברא בעולם הוא מפני החכמה כדי שיכיר בוראו על כן ראוי לבני אדם לכבד מי שהשיג אותם ומתוך כך יתעוררו האחרים עליה ומזה השרש פי׳ איסי בן יהודה בגמ׳ בקידושין שאפילו זקן אשמאי כלומר שאינו חכם הוא בכלל המצו׳ שראוי לכבדו מפני שברוב שניו ראה והכיר קצרת במעשי הש״י ונפלאותיו ומתוך כך ראוי לכבוד. *Quia præcipua cauſa, ob quam in hoc mundo conditus eſt* [homo] *in ſapientia conſiſtit, ut agnoſcat creatorem ſuum. Proinde convenit, ut hominibus ejuſmodi, qui aſſequuntur talia, honorem exhibeant; ſicque hac ratione alii ad ſtudium ejus* (ſapientiæ) *excitentur. Ex hoc fundamento condocefacit Rab. Iſi, fil. Judæ, in Gemar. Kidduſch. quod etiam ſenex* Aſchmæus, *id eſt, inſipiens, ſub hoc præcepto comprehendatur, adeoque dignus ſit, qui honoretur, quia annorum multitudine vidit & cognovit quædam Dei opera, ejuſdemque mirabilia, quo reſpectu honorem meretur*. Hæc vero reverentia non a laicis tantum, aut mechanicis defertur ſapientibus, ipſi eam ſapientes a ſe mutuo expectant. Unde Rab. *Levi*, p. 88. אין צריך לומר שמי שאינו חכם חייב בכבוד החכם אלא אפילו החכם חייב בכבוד החכם כמו שאמרו ז״ל תלמידי חכמים שבבבל עומדים זה מפני זה ומה שביארו גם כן בכבוד הרב על התלמיד יש תוספת גדול על הכבוד שחייב לכל חכם אחר והפליגו בזה עד שאמרו מורא רבך כמור׳ שמים ובביאור אמרו אביו ורבו רבו קודם בכבוד ובאבידה ובמשא ובשביה אבל אם היה אביו חכם אעפ שאינו שקול כרבו אביו קודם ובפרק חולין אמר כל החולק על י״י ושם האריכו בענין הרבה ומה שאמרו ז״ל במורא׳ רבו שלא ישב במקומו ולא יפריע דבריו ולא יסתור דבריו ולא יורה בפניו לעולם. *Non opus eſt dicere, quod, qui ſapiens non eſt, ſapientem teneatur honorare ; etiam ſapiens ſapienti honorem deferre debet, quemadmodum dixerunt ſapientes : Diſcipuli ſapientum Babylonicorum alii ſtant coram aliis. Sic diſerte dicunt, honorem diſcipuli in Magiſtrum majorem*

jorem longe eſſe debere, quam quo cuicunque alii obligatur ſapienti. Quin adeo hyperbolice hac de re loquuntur, ut dicant: Reverentia Magiſtri tui, ſicut reverentia cœli, id eſt, Dei. Quid ergo miremur Servatori turgidos illos titulos diſplicuiſſe? *Expreſſe etiam dicunt: Si pater & Magiſter ejus* (dubiam faciant optionem, ut ambigat quis, cui primæ debeantur) *Magiſtrum priorem eſſe ratione reverentiæ, jacturæ, oneris, & captivitatis: Sed ſi & ipſe pater ejus fuerit ſapiens, etſi Magiſtri loco non reputetur, prior tamen eſt pater ejus. Et in cap. Cholin habetur: Quiſquis contradicit Magiſtro ſuo, perinde eſt ac ſi contradiceret Majeſtati divinæ,* q. d. Dum litigarent illi contra Dominum; *Num. 26. v. 9. ubi prolixe hac de re agunt. Inſuper addunt, de reverentia Magiſtri ſui: Ne locum ejus occupet,* [diſcipulus] *verba ejus retegat, aut ea refutet, neque in conſpectu ejus unquam doceat.* Qualem vero diſcipulus ſe gerere debeat erga Magiſtrum, Legem violantem; quodnam diſcrimen inter Doctorem ſuum celebrem, & vulgarem? &c. examinant Talmudici hinc inde, præſertim *Kidduſch.* cap. 1. *Maimon.* Hil. Tal. Torah. cap. 5. סמג A. S. 13. סמק S. 91. 92. Nomine porro reverentiæ Magiſtris debitæ Rabbini etiam intelligunt exemtionem ab angariis, tributis, & oneribus publicis. Ita enim R. *Levi*: מדיני המצוה העניינים שפוטרין מהן חכמים מצד כבודם ומוראם כגון בניינים וחפירות המדינה וכיוצא בהן וכן המסים שמטילים המלכים על אנשי הארץ בין מס שהוא קצוב על איש ואיש או שאינו קצוב כלל מכל זה הם פטורים: *Ad modos hujus præcepti ſpectant res illæ, a quibus ſapientes, honoris & reverentiæ ergo, illi excipiunt, ut ſunt ædificia, & foſſæ urbis, &c. Item tributa, quæ Reges incolis ſuis ſubditis imponunt, ſive præciſe & definite omnibus & ſingulis ſint injuncta, ſive non. Ab his omnibus cenſentur immunes.* Præceptum hoc obſtringit utrumque ſexum, omni loco & tempore, ועובר עליה בטל עשה ועונשו גדול למען כי יסוד חזק בדרת. *Transgreſſor violat affirmativum, cujus pœna magna eſt, propterea quia firmum hoc in Lege fundamentum cenſetur.*

CCXXIII. לצדק המאזנים והמשקלים והמדות ולישר אותם ולהשמר מאד בם שנ׳ שאזני צדק אבני צדק איפת צדק והין צדק׳ יהיה לכם. *Juſtificandas ſtateras, pondera, & menſuras, eaſdemque rectificandas, & caute cum iis agendum,* q. d. Statera juſta, pondera juſta, Epha juſtum, Hin juſtum erit vobis; *Levit.* 19. 36. ולשון סיפרי מאזני צדק ארת המאזנים יפה יפה כלומר שתהיינה המאזנים מיושרות ויש בעניין המאזנים כיונין גדולים לפי שאפשר לעשות בהן כמה מיני שקרים ידוע הדבר אבני צדק את המשקלות יפה יפה גם במשקלות גם כן אפשר לעשות בהן תרבה מיני שקר וכעין מה שאמרו ז״ל אני עתיד ליפרע ממי שטומן משקלותיו במלח איפת צדק את האיפות יפה והין צדק את ההינין יפה והאיפה היא מדת היבש והין מדת הלח והזהירתנו התורה בכל אחד ואחד מדברים אלו בפרט לחומר הענין ואע״פ שהכל נכלל בכלל לא תונו איש את עמיתו ולשון ספרא על תנאי כך הוצאתי אתכם מארץ מצרים שתקבלו עליכם מצות מדות. *In Siphre:* Statera juſta, *juſtifica ſtateras exacte, id eſt, fac ſint ſtateræ veſtræ rectificatæ. Opus autem habet ſtatera magna accuratione, quia variæ in illa, ut notum eſt, exerceri poſſunt fraudes.* Pondera juſta; *Exquiſite juſtifica pondera etiam: Nam & hæc variis falſitatibus obnoxia ſunt, ſecundum id, quod Rabbini dicunt: Ego vindicabo eum, qui pondera ſua abſcondit in ſale; ubi corroduntur.* Epha juſtum. *Probe etiam juſtifica* τὰ *Ephot.* Hin juſtum. *Juſtifica accurate* τὰ *Hinin. Eſt autem Epha menſura aridi, ut Hin menſura liquidi. De quolibet horum ſeparatim nos Lex monet, propter rei gravitatem: Quanquam generaliter omnia comprehendantur interdicto:* Ne opprimat quiſque proximum ſuum. *Et in Siphra:* (Siphra commentarius eſt in Leviticum; Siphre in lib. Numerorum & Deuteron.) *Hac conditione eduxi vos ex Ægypto, ut in vos ſuſciperetis Legem de menſuris.* Ratio præcepti, היושר והרחקת הגזל והתרמית מבין בני אדם. *Æquitas eſt, & remotio rapinæ & fraudis a filiis hominum.* Notandi de hoc juſtitiæ exercitio Canones, I. אין עושין משקלות מבדיל ועופרת וכל שאר מיני מתכות מפני שמעלין חלודה ומתחסרין אבל עושין אותן של אבן ושל זכוכית וכיוצא בהן. *Non faciunt pondera ex ſtanno, vel plumbo, aut reliquis metallis, quia rubiginem contrahunt, & deficiunt; ſed parant ea ex lapide, vitro, &c.* II. שלא ירתיח במדת הלח בעת שמודד ואפילו היתה מדה קטנה ביותר שהרי מצינו שהתורה הקפידה על המדות בכל שהוא שנ׳ לא תעשו עול במשפט במדה במשקל ובמשורה והמשורה היא מדה קטנה ביותר שהיא חלק אחד משלשה ושלשים בלוג. *Ne ſpumet liquor, dum quis metitur eum, etſi menſura parva valde ſit, quia reperimus Legem ſollicitam eſſe de omnibus menſuris, qualeſcunque illæ ſint,* q. d. Non facietis iniquitatem in judicio, in menſura *magna*, in pondere, & in menſura *parva*; *Levit.* 19. v. 55. *Eſt autem* משורה *parva admodum menſura, pars nimirum una ex* 33. *Logi.* III. חייבין ב״ד להעמיד

שוטרים

שוטרים בכל מקום ומקום להיות מחזירין לצדק המאזנים והמשקלות ויש להם רשות לקנוס בממונו גם בגופו כל שנמצא עמו משקל חסר. *Incumbit Domui judicii, ut conſtituat ubique Ephoros, qui reſtituant juſtum ſtateræ, & ponderibus. Atque his licet multam pecuniariam & capitalem irrogare iis, penes quos pondus reperitur deficiens.* De figura hoſtorii, & reliquis, quæ hanc concernunt materiam, eamque controverſam reddere poſſunt, agunt *Talmudici*, cap. 5. Bab. Bat. *Maim.* Hil. genebh. cap. 8. סמג A. S. 72. Tranſgreſſor non modo affirmativi hujus reatum contrahit; ſed & negativum violat de furto, rapina & oppreſſione; ita tamen, ut periculoſius erretur circa hoc de menſuris præceptum, כי המשקר במדות לא יתן לב לכל הלוקחו׳ ואינו יודע למי גזל שיחזיר אליו גזלו וזהו שאמרו ז״ל כי קשה מאד עונשו של מדות. *Qui fraudolenter agit in menſuris, non animum advertit ad accipientes* (emtores) *omnes, neque novit, cui quod rapina abſtulit, reſtituat, atque hoc eſt, quod dicunt Magiſtri: Gravem pœnam menſurarum eſſe.*

CCXXIV. מצות שישרפו מי שיתחייב שריפה. *Præceptum de comburendo eo, qui combuſtione dignus eſt.* Vel plenius; להיות ב״ד שורפין באש כלומר שנצטוו הב״ד לעשות משפט בשריפה במקצת עבירות ואחת מהן היא הבא על אשה ועל אמה שנ׳ ואיש אשר יקח את אשה ואת אמה זמה היא באש ישרפו אותו ואתהן וגו׳. *Ut ſupplicium ignis Domus judicii exerceat; quaſi diceret; injunctum eſſe Domui judicii, ut quaſdam tranſgreſſiones ignis ſupplicio expiet, ex quibus eſt, ſi rem quis habuerit cum uxore & matre ejus*, q. d. Qui vero acceperit mulierem, & matrem ejus, ſcelus eſt: igni comburent illum & illas, &. *Levit.* 20. v. 14. Ubi tamen Rabbini אתהן *illas* explicant, אחת מהן *alterutram ex iis*, id eſt, אחרונה *poſteriorem*, argumento manifeſti loci in Sanhedrin, addita ratione inepta, quod alicubi הן idem ſit, quod אחת. Modum ſupplicii ex R. *Levi* dedimus *ſuper* p. 58. Nunc paulo diſtinctius eum nobis proponit, מצות הנשרפין היו משקעין אותו בזבל עד ארכובותיו ונותנין סודר קשה בתוך סודר רך וכורך על צוארו ושני עידיו זה מושך אצלו עד שהוא פותח את פיו ומתיכין את הבדיל והעופרת וכיוצא בהן וזורק לתוך פיו והיא יורדת ושורפת את בני מעיו. *Præceptum de comburendis tale accepimus. Damnatum fimo immergunt uſque ad genua: Linteum poſtea durum molli involvunt, quod collo ejus circumdatur, & a duobus teſtibus ejus hinc inde trahitur, uſque dum os dehiſcat. Tunc inſtillant ſtannum & plumbum, & ſimilia his, quod ori illius illiquatum deſcendit, & viſcera ejus comburit.* Vide *Talm.* Maſs. Sanhed. cap. 7. *Maim.* Hil. Sanhed. cap. 14. סמג A. S. 128. ונוהגת המצוה זו בזכרים כי להם המשפט ובארץ ישראל בלבד כי היא מקום המשפט ובית דין שעברו עליה ולא דנו החייב בדינו בטלו עשה וענשם גדול כי במשפט יתיישב העולם. *Uſus præcepti maſculos, quorum eſt judicare, idque in terra Iſraelis tantum, conſtringit. Hæc enim locus eſt judicii. Synedrium autem ubi violet hoc præceptum, & ſupplicio memorato reum rite non affecerit, irritum reddit affirmativum, eſtque pœna illius gravis, quia judicio incolitur mundus.*

CCXXV. שלא לפנות אחר ע״א במחשבה או בדיבור ולא אפילו בראייה לבד כדי שלא יבא מתוך כך לעבוד אותו שנ׳ אל תפנו אל האלילים. *Ne quis convertat ſe ad Idola, cogitatione, ſermone, imo ne aſpectu quidem, ne hac ratione ad cultum pelliciatur*, quaſi diceres: Ne convertatis vos ad Idola; *Levit.* cap. 19. v. 4. ואמרו ז״ל בספרא אם פונה אתה אחריהם אתה עושה אותן אלוהות כלומר אם אתה מתעסק בעניינה כלו׳ להרהר אחר השגעונות אשר יאמרו המאמינים בה שמזל פלוני או כוכב פלוני יעשה פעולה כן וכן בקטרת או בעבודה פלוני׳ או תביט תמיד בצורית שעושין עובדיה כדי לדע׳ איכות עבודתה מכל זה יהיה סבה שתהיה נפתה אחריה ותעבדה ובפירוש נאמר שם בסיפרא שאפילו ההבטה לבד אסורה שאמרו שם ר׳ יהודה אומר אל תפנה לראותם והעניין מן הטעם שאמרנו שהוא סבה לטעות אחריה וכן כדי שלא יתבטל חלק מהזמן ויתעסק באותם ההבלים והאדם איננו נברא רק לעסוק בעבודת בוראו. *Tradunt Magiſtri noſtri in Siphra: Si te converteris poſt ea,* (Idola) *Deos illa conſtituis. I. e. ſi occupatus fueris rebus illa concernentibus, cogitando videlicet de deliramentis, quibus, credentes in ea, dicunt, hoc vel illud ſidus, hanc vel illam ſtellam, hoc vel illud efficere, adhibito ei ſuffitu, aut cultu certo. Vel, ſi ſemper aſpexeris imagines, quas cultores earum faciunt, ut hinc modum cultus earum cognoſcas. Quæ omnia cauſam tibi præbent, ut pelliciaris ad cultum illarum. Expreſſe autem ibi in Siphra dicitur: Ipſum etiam aſpectum eſſe probibitum. Dicunt enim ibi: Rabbi Jehuda ait: Ne convertas te ad videnda ea. Cujus rei, ut diximus, ratio eſt, quia cauſa exiſtit ſeductionis, & ut ne pars aliqua temporis irrita reddatur, dum occupatur ejuſmodi vanitatibus, cum homo non ſit creatus, niſi ut occupetur cultu Creatoris ſui.* Quid? quod דיוקני עצמה אפי׳ בחול אסור להסתכל בה משום שנ׳ אל תפנו אל האלילים *ipſam etiam imaginem, etſi uſu profano, non liceat intueri; argumen-*

mento loci; Ne convertatis vos ad Idola. Ita *Talm.* Cod. Schabb. ונכפל לאו זה באיסור המחשבה בעא במקום אחר שנ׳ השמרו לכם פן יפתה לבבכם וסרתם ועבדתם וגו׳ כלו׳ שאם ירבה לבך לחשוב בה יהיה סבה לנטותך מן הדרך הישרה ולהתעסק בעבודתה ועוד נאמר בזה הענין ופן תשרת עיניך השמימה וראית וגו׳ שאין הענין שלא ישא האדם ראשו ויביט בשמים אבל הכוונה בדבר שלא יביט בהם בעין הלב לדעת כוחן ועניינן כדי לעבדן וכמו שנ׳ במקום אחר ופן תדרש לאלהיהם לאמר איכה יעבדו הגוים האלה את אלהיהם ואעשה וגו׳ שימנענו הכתוב על איכות עבודתה לפי שכל זה סבה לטעות בה : *Repetitur hoc negativum; interdicens vel cogitare de Idololatria; alio loco, q. d. Cavete ergo vobis, ne forte ſeducatur cor veſtrum & recedatis colatiſque Deos alienos, &c. quaſi diceret: Si crebro cor tuum de iis cogitaverit, cauſa erit, ut a regia via occuperis cultu ejus. Sic etiam de eadem materia dicitur:* Ne attollas oculos tuos in cœlum, & videas ſolem, & lunam, &c. *Deut.* 4. v. 19. *ubi non eſt ſenſus, ne homo, capite ſublato, cœlum intueatur; ſed ſcopus rei eſt, ne aſpiciat illa oculo cordis, ad cognoſcendas earum vires, & rationem cultus, & quemadmodum alibi dicitur:* Ne inquiras de Diis earum [*Gentium*] dicendo, quomodo colebant gentes illæ Deos ſuos, & faciam ſic ego etiam, *Deut.* 12. v. 30. *Probibuit autem Scriptura modum cultus illorum, quia hæc omnia in errorem inducere nos poſſunt.* Ratio mandati eſt ריחוק עא *remotio Idololatriæ.* Hoc vero præceptum, de quo fuſe in *Gemara*, hinc inde, agitur, adeo ſtudioſe Rabbini ſuis commedarunt, ut dixerint; שאין הקבה מחשב לישראל מחשבת עבירה במעשה חוץ ממחשבת עא שהיא נחשבת לו לאדם כמעשה. *Deum Benedictum Iſraelitis nullam cogitationem tranſgreſſionis pro ipſo facto reputare, excepta cogitatione Idololatriæ, quæ homini imputetur ut opus ipſum.* ונוהג איסור זה בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ופונה אחר עא בדרך שיהא עושה בה מעשה לוקה. *Uſus præcepti ubique & ſemper, utrumque obligat ſexum: Tranſgreſſor, qui ſe converterit ad Idola, ea via & modo, (ita) ut opus etiam exerceat, vapulat.* Vide *Maim.* Hil. עא c. 2.

CCXXVI. שלא לעשות עא לא לעצמו ולא לזולתו. *Non eſſe faciendum Idolum, vel ſibi vel alii*, argumento loci *Levit.* 19. 4. Deos fuſiles ne faciatis vobis. ואמרו זל בסיפרא אפי׳ לאחרים ושם נאשר העושה עא לעצמו עובר משום שתי אזהרות כלומר משום לא תעשו ומשום לא לכם. *Dicunt Rabbini in Siphra: Ne quidem aliis. Ibidem traditur, qui ſibi Idolum facit, geminam violat admonitionem, alteram: Ne faciatis; alteram, Vobis.* Ponunt autem diſcrimen inter Idola Iſraelitarum & Gentium: עא של עכום אסורה בהנאה בלבד מיד שנ׳ פסילי אלהיהם תשרפון באש וכו׳ משפסלו נעשה לו אלה ושל ישראל אינה אסורה בהנאה עד שתעבר שנ׳ ושם בסתר ועד שיעשה לו דברים שבסתר שהם עבודתה ומשמשי עא בין של עכום או של ישראל אינן אסורין עד שישתמשו בהן לעא והעושה עא שהוא לוקה שכרו מותר ואפי׳ עשאה לעכום שהיא אסורה משנגמרה אפילו קודם שתעבר מכל מקום אינה אסורה עד שתגמר ואין בה שוה פרוטה. *Quæſtus ex Idolo Idololatræ illicitus habetur, ex quo confectum illud eſt*, q. d. Sculptilia Deorum eorum comburetis igni, *Deut.* 7. v. 25. *Nam ſtatim atque ſculpſit illud, ei loco Dei eſt. At Iſraelita quæſtum ex ſuo facere non probibetur, uſque dum cultus ei fuerit exhibitus*, q. d. & poſuerit in abſcondito; *Deut.* 27. v. 15. *uſque dum contulerit illi res arcanas, cultum videlicet ejus. Ea vero, quæ cultui Idolorum tam Gentium, quam Iſraelitarum inſerviunt, non probibentur, uſque dum ad Idolorum cultum fuerint adhibita. Merces autem Idolopœi, etſi ille propterea vapulet, conceſſa eſt, nec impedit, quod Gentili Idolum illud fecerit. Quod quidem probibetur ex quo perfectum eſt, etiam antequam colatur; antequam vero perficiatur, non probibetur; neque unius oboli cenſetur.* Ictus videlicet ultimus, juxta illud *Gem. Av. Zar.* cap. 1. S. 8. עז מאן קא גרים לה גמר מלאכה ואימת הויא גמר מלאכה במכיש אחרון מכיש אחרון לית ביה שוה פרוטה. *Quid eſt quod efficit Idolum? Conſummatio operis. Quando autem conſummatur opus? Ictu extremo. Ictus vero extremus non valet obolum.* Ita etiam *Maimon.* de Idol. cap. 7. S. 5. ונוהגת איסורה בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר ועשה עא לזולתו בין עשאה לעכום או לישראל לוקה מלקות אחד ואם עשה לעצמו לוקה שתי מלקיות כמו שאמרנו ושניהם משום העשייה לבד לכוונת עבודה ואעפ שלא עבדה. *Uſus interdicti omni loco & tempore utrumque obligat ſexum. Tranſgreſſor, qui fecerit Idolum alii, ſive Gentili, ſive Iſraelitæ, ſemel vapulat; ſed ſi ſibi fabricaverit illud, bis; quemadmodum diximus. Utrumque meretur propter* εἰδωλοποιίαν *tantum, intentione cultus peractam, etſi vel maxime Idolum non colat.*

CCXXVII. שלא לאכול נותר. *Non eſſe comedendum reliquum.* Id vero quid ſit, videamus והוא מה שנשאר מבשר הקדשים מקרבן שקרב במצותו אחר זמן הראוי לאוכלו שנ׳ במלואים לא יאכל כי קדש הם ובא הפירוש על זה כל שבקדש פסול

פסול ליתן לא תעשה על אכילתו וזה ירמוז הכתוב באמרו כי קדש הם זה הנסתר שהוא הם הוא כולל כל מה שנפסל מן הקדשים ואין לנו ללמוד בכך שנחשוב הפיגול והנותר ללאו אחד כי שני השמות הם וכמו שכתבתי למעלה באיסור הפיגול סדר צו לא תעשה ו׳ ומצינו שבאו בהם שני כתובים לגבי העונש דכתיב בפיגול בסדר צו ואם האכל יאכל וכו׳ וכתיב בתורה והנפש האוכלת עונה תשא ונשיאות עון זהוא כרת כמו שנלמוד בגזירה שוה מנותר וכת׳ הכא גבי נותר והנותר ביום השלישי פיגול הוא לא ירצה ואכליו עונו ישא כי את קדש יי׳ חלל ונכרתה וגו׳ ועל כן אע״פ שאזהרת שניהם ממקרא אחד לא נמנע מפני כן לחשבם שני לאוין. *Est autem* נותר *quicquid relinquitur de carne ſanctorum ex ſacrificio, quod mandato ejus* [Dei] *obtulit, ultra tempus, quo comedere illam oporteret, quemadmodum dicitur de impletionibus* [aries conſecrationum intelligitur, ſic dictus ex mente R. *Salom.* quod eo compleretur & abſolveretur actus ſacerdotalis] *Non comedet* (alienigena) *quia illa ſanctificatio ſunt*; Exod. 29. 33. *Id quod ſic explicant. Quicquid in ſancto profanum cenſetur, ejus eſum negativo præcepto interdicunt, id quod Scriptura indicat verbis* : Quia ſanctitas illa. *Pronomen enim tertiæ perſonæ* ILLA *generaliter complectitur, quicquid ex ſanctis profanatum eſt. Neque hinc diſcimus*, Abominabile *&* reſiduum *unum eſſe negativum : Duo enim ſunt nomina, &* [*quemadmodum ſcripſi ſuperius in interdicto de* Abominabili, *Sect.* Præcipe ; Negativo 6.] *reperimus etiam, quod duobus locis Scriptura de pœna eorum agat, ſicut ſcriptum eſt de Piggul ſeu abominando, Sid.* Præcipe : *Si autem comedendo comedatur aliquid, &c.* ubi ſequitur : Anima comedens iniquitatem ſuam portabit. *Portatio iniquitatis excidium eſt, ſicut, argumento a pari, diſcimus ex Reliquo. Scriptum autem eſt ibi propter* [ſuper] *reliquum* : Quod vero ſuperfuerit die tertia, abominatio erit, non placebit, & qui comederit ex eo, iniquitatem ſuam portabit, quia ſanctitatem Jehovæ polluit, & excindetur anima ipſa. *Etſi autem admonitio utriuſque ex uno Scripturæ loco reſultet, nihil tamen obſtat, quominus pro duobus reputemus negativis.* Rabbinorum Canon de Reliquo eſt : אכל מן העור או מן המורק או מן האלל או מן המוראה או מן הגידים או מן הקרנים ומן הטלפים ומן הצפרנים מן החוטים מביצי העוף מן הנוצה אינו חייב כרת וכן בדם אין חיוב בה משום נותר וכן בלבונה והקטרת והעצים אבל מן השליל או מן השליא חייב כרת וכן מה שאמרו כי קדשי גוים כלומר נדרים ונדבות שמקבלין מהן אין בהם משום נותר ופיגול. *Qui edit de pelle, aut jure, aut alal* [ſignificat carnem mortuam in corpore animalis, ſeu particulam carnis inter mactandum abſciſſam, aut in cute detracta relictam] *aut ex ingluvie, aut ex nervis, aut ex cornibus, aut ex ungulis ſciſſis, aut unguibus, ex medulla ſpinæ dorſi, ex ovis avium, pennis, non contrahit reatum excidii : Ita nec in ſanguine eſt reatus Reliqui. Eadem ratio eſt thuris, ſuffitus, & lignorum. Sed propter embryonem, ſecundinam*] cujus eſum alias illi, qui ob ejus fœditatem non abhorret, in *Chol.* cap. 4. concedunt] *contrahitur reatus excidii. Ita etiam dicunt de ſanctis gentilium, votis nempe & voluntariis, quæ ab illis recipiunt, quod & reliqui & abominandi Lex in iis non obtineat* ונוהג איסור זה בזמן הבית בזכרים ונקבות ועובר עליה ואכל כזית נותר במזיד חייב כרת בשוגג חייב להביא חטאת קבועה וכן הדין אם אכל כזית מנותר ופיגול ביחד. *Obligat hoc interdictum, ſtante templo, utrumque ſexum. Tranſgreſſor, qui ſuperbe tantum de reſiduo ederit, quantum eſt olea, excidii reatum contrahit : Per ignorantiam delinquens tenetur offerre ſacrificium fixum. Eadem ratio eſt, ſi quis molem oleæ comederit de reſiduo & abominando pariter.* Vox כרת *excidii*, cujus toties in hoc Jure Hebræorum mentio fit, varie explicatur. *Abarbanel* ad Num. 15. 30. ſignificata compendioſe enarrat. Dedit integrum illud ἀποσπασμάτιον cum verſione Cl. *Buxtorf.* ad finem Differt. de Sponſ. & Divor. unde ſententiarum diverſitatem mutuabimus. *Prima* ſententia eſt Rab. Saadiæ, cui placet, animæ vocabulum in toties repetita phraſi *excindetur anima ejus*, ſignificare carnem & corpus, adeo ut כרת ſeu *excidium* ſit abbreviatio dierum peccatoris & mors ejus in mundo ante tempus ipſius, nec quicquam aliud. *Secundam* ſententiam tribuit Rab. *Salomoni Jarchi*, qui vult, Excidium dici de illis, qui ἄτεκνοι moriuntur. Atque ſecundum hos diſtinguitur כרת a morte θεηλάτῳ. Illud enim ad ſemen peccantis extenditur, hoc ſoli infligitur peccatori. *Tertia* ſententia eſt Additionum Talmudicarum, qui etiam ſtatuunt, differentiam eſſe בין המחויבי כריתות למחויבי מיתה. *Inter reos excidii, & reos mortis* θεηλάτῳ, quod כרת ſit uſque ad annum quinquageſimum ; מיתה poſt annum illum. *Quartæ* ſententiæ meminerunt etiam *authores Additionum Talmudicarum*. Hæc probat כרת, ex numero dierum morbi. Excisum dici, qui tertio die morbi moriatur. *Quinto*, Maimonidæ Mors θεήλατος levior eſt Excidio. Eum enim, qui

qui reus eſt Excidii, manet adhuc pœna etiam poſt mortem: Hujus vero, qui morte ϑεηλάτῳ objit, expiatio ſolvitur morte. *Explic. in Miſch.* cap. אלו הן הנשרפין. Sententia Rabbi Nachmanidis, quæ *ſexta* eſt, tres ponit Excidii ſpecies, Excidium corporale tantum, ejus videlicet, cujus merita ſeu bona opera iniquitates ſuperant. Hunc corporis tantum pœnam ſubire vult, animæ non item. Mortuum enim in convenientem ſibi gradum horti Edenis transferri. Secundo, excidium animale tantum, ejus nempe, cujus plures ſunt iniquitates. Talem exſcindi e vita horti Edenis in mundo animarum, & a vita mundi futuri. Tertium & graviſſimum excidium eſſe corporis & animæ, illum ex futura, hunc ex præſenti exterminari vita. Atque hoc excidium Idololatræ tantum, & blaſphemanti nomen Dei, aſſignari: quod tamen *Abarbanel* rejicit, ut & ſententias præcedentes omnes, cui ſeptima ſupereſſe videtur, eaque ſuo judicio vera; Nempe, quod excidium in genere, in omnibus 36. caſibus, commune ſit corpori & animæ. Corpori in mundo hoc, per decurtationem dierum peccatoris, ut moriatur ante tempus ſuum, quo ſecundum naturam ſuam debuiſſet mori: Animæ, quod ea, poſt ſeparationem a corpore, in mundo animarum elonganda ſit a ſplendore Majeſtatis divinæ, & a receptione influentiæ ſuperne deſcendentis in animas juſtas illas ex faſciculo vitæ. Hac de cauſa venit hæc pœna nomine כרת *Excidii*, quod proprie competit Ramo, qui exſcinditur ab arbore, a qua accipit nutrimentum & vitam, quamdiu ei conjunctus manet: Sic anima exſcinditur ex illo faſciculo vitæ ſuperioris, neque recipit ſplendorem Majeſtatis divinæ, quæ eſt voluptas & merces animalis. Hæc tamen non eſt privatio animæ mera, aut deſtructio totalis: eſt enim ſubſtantia ſpiritualis per ſe ſubſiſtens, & natura ſua incorruptibilis. Sed כרת ſive *Excidium* eſt pœna & dolor magnus animæ, recipiens magis & minus, & poſtquam pœnam accepit, recipit etiam oblectationem & voluptatem, ſicut dicitur: Eſt enim de arbore ſpes, ſi præciſa fuerit, & adhuc pullulabit, & propago ejus non deficiet; *Job.* 14. v. 7. Et quamvis Rabbini noſtri dicant, pœnam impiorum durare duntaxat per duodecim menſes, tamen non dixerunt hoc de Excidiis: quia Excidiorum pœna animalis durat longiore tempore, neque omnia Excidia ſunt æqualia, quoad pœnam animalem. Sed variant in duratione temporis, quoad magis & minus pro gravitate vel levitate peccati. Ita hæc erit ratio יכרת. Si quis fuerit, qui plura habeat merita ſeu bona opera & pauciores iniquitates, juxta proprietatem Divinam, ſumetur de ipſo ultio, ſecundum paucitatem iniquitatum, quas fecerit in mundo hoc, ut detur ei perfecta merces ejus in mundo futuro. Quod ſi jam inter illas paucas iniquitates, quas patravit, fuerit כרת ſive *Excidium* aliquod; tum, etiamſi acceperit pœnam ſuam in mundo hoc, non evadet tamen, quin anima ejus quoque accipiat pœnam in mundo futuro ſive magnam, ſive parvam pro peccati ratione. Sic, ſi habuerit plures iniquitates, quam bona opera, tum ſecundum proprietatem divinam datur ei merces meritorum bonorum in mundo hoc, ut ultio de eo ſumatur ob multitudinem iniquitatum ejus in mundo futuro; quod ſi autem inter illas iniquitates fuerit aliqua ſub pœna Excidii prohibita, tum omnino etiam reus eſt, qui in hoc quoque mundo pœnam ſuſtineat corporalem per abbreviationem dierum ſuorum. Nam hæc eſt ratio communis omnium Excidiorum, quod non judicentur ſecundum univerſitatem, ſed ſecundum particularitatem eorum, aut quod Excidium fiat, tum per pœnam in mundo hoc, tum per pœnam in mundo futuro. Et in hoc meo judicio, vacillarunt pedes ſapientiæ Rabbi *Nachmanidis;* quod non diſcrevit inter Excidium, & reliquas tranſgreſſiones, reſpectu proprietatis hujus commemoratæ. Itaque omnis כרת *Excidii* (ſive illud attribuat Scriptura viro, ſive animæ, tanquam ejus cauſæ) omnis, inquam, Excidii definitio & deſcriptio erit, quod ſit *Abruptio* vel *Abſciſſio* & *Decurtatio vitæ* in mundo hoc, & Abſciſſio voluptatis animalis in mundo venturo. Et hoc ſenſu dixerunt Sapientes noſtri b. m. quod כרת ſit ad annum quinquageſimum. Quod autem de blaſphemante dicitur; *Exſcindendo exſcindetur anima illa*, quod Rabbini noſtri ita expoſuerunt, ut alterum exceperint de Exciſione in mundo hoc; alterum de Exciſione in mundo venturo; non eſt pœna ſingularis vel propria Blaſphemantis, uti quidem exiſtimavit *Nachmanides*, ſed eſt ratio & definitio communis omnis excidii. Atque hanc ſententiam ſuam, quæ & ipſa dubia eſt, & ſcrupulos continet, *Abarbanel* confirmare poſtea conatur. Quod excommunicationem hinc Chriſtiani nonnulli elicere volunt, dictis probari non poteſt, tum aliis de cauſis, tum vero, quod (nuſpiam adhibita perſona ſecunda, *Exſcindes*, *exſcinderis*) Deus ſibi hanc pœnam vindicare & reſervare videa-

videatur. Sed non ſunt hæ, hujus loci, nec litem hanc noſtram jam facimus.

CCXXVIII. שלא לכלות הפאה בשדה. *Non eſſe rigide demetendum angulum agri*; vel; שלא לקצור כל הזרוע אבל יעזוב ממנו שארית לעניים בקצה השדה שנ׳ לא תכלה פאת שדך בקצרך. *Non demetendam omnem ſegetem, ſed relinquendum aliquid pauperibus in fine agri*, q. d. Non finies metere angulum agri tui, dum meſſueris, *Lev.* 19. v. 9. Vide *ſupr.* S. 213.

CCXXIX. שלא לקחת שבלים הנופלים בשעת הקציר אבל נעזוב אותם לעניים שנ ולקט קצירך לא תלקט. *Non eſſe colligendas ſpicas decidentes tempore meſſis, ſed relinquendas eas pauperibus*, q. d. Et collectionem meſſis tuæ non colliges, *Ibid.* vide ſupra, S. 214.

CCXXX. שלא לכלות פאת הכרם. *Non eſſe abſolvendum angulum vineæ*, argumento loci, *Levit.* 19. verſ. 10. *Vineam tuam non racemabis*. וזהו פאת הכרם כן כתב הרמ׳ במ׳זל ועוד אמרו כי מה שכתוב לא תפאר אחריך בזתים יורה גם כן על פאת הזית כי פאת הזתים נקראים פארות ופארת הכרם עוללות ומשניהם נלמוד לכול האילנות והרמבן ז״ל השיג עליו בזה ואמר כי כולו טעות ואמר כי לאו דכרמך מיוחד דוקא בכרם והוא שנניח בה כל הענבים הקטנים שאין להם כתף ונטף פי׳ כתף פסינין זה על גבי זה נטף תלויות כולן ויורדות ונמצא לפי זה שעוללות הם הענבים הקטנים הנמצאים בכרמים לפעמים הנקראים בלעז גטימש וזהו דבר מועט בודאי לפי הנראה בכרמים שלנו וכן אמרו ז״ל איזהו עוללות כל שאין לו לא כתף ולא נטף ומלבד חיוב זה של עוללות יש עלינו חיוב להניח פיאה ובפארת הכרם לא בא עליה כתוב מבואר אלא דוגמא אחריך אחריך מזתים וכדאמרינן בגמרת חולין בפי׳ ארבע מתנות שבכרם הפרט והעוללות השכחה והפאה וגמר שם פאה בכרם מדכת׳ בה לא תעולל אחריך ואמר ר׳ לוי אחריך זו שכחה כלומר מה שישאר אחריך דהיינו שכחה ופיאה גמרינן אחריך מזתים דכתיב בזית כי תחבט זיתך לא תפאר אחריך ותנא דבי׳ ר׳ ישמעאל שלא תטול תפארתו ממנו דהיינו פיאה וילמוד הרמבן ז״ל פיאה בכל האילנות מזית שחייב הכתוב בה פיאה בפי׳ ומכרם שלמדנוהו מלשון אחריך ואמר הוא ז״ל כי הרמ׳ במ׳זל כתב הענין בתיקון בחיבורו הגדול ומכלל מחלוקתם זה אין לנו תוספת וגירוע בחשבון הלאוין שאין המחלוקת אלא שהרמ׳ במ׳זל יפרש לא תעולל לפאה והרמבן ז״ל מפרש אותו לעוללות ממש וילמוד פאה מלשון אחריך. *Atque hic* Angulus *eſt vineæ juxta Maimonidem. Idem etiam ſtatuit, quod locus, Deut.* 24. v. 20. Non ſcrutaberis ramos poſt te (cum nempe olivas tuas decuſſeris) *ſignificet*, angulum olivæ, qui פארה *dicitur, quemadmodum vineæ angulus* עוללות *appellatur. Ex utroque autem, omnium arborum eandem eſſe rationem, diſcimus. Sed reprehendit ipſum eo nomine Nachmanides, omnia falſa eſſe. Statuit enim negativum* Vinea tua, *vineæ eſſe peculiare, exigens, ut relinquamus in ea omnes uvas minores, quibus neque Ketaph eſt, neque netaph.* Ketaph, i. e. *racemi aliis imminentes* : Netaph *vero totæ pendentes uvæ, & declinantes. Atque ſic* עוללות *erunt uvæ parvæ, quæ in vineis ſæpe reperiuntur, lingua vernacula* גטימש *dictæ, id quod, ut conſtat, leviculum eſt, ceu in vitibus noſtris apparet. Dicunt etiam Rabbini, b. m. Quid ſunt* עוללות *racemationes? Quæ nec* ketaph *habent, neque* netaph. *Præter debitum autem hoc racemationis tenemur inſuper relinquere angulum. De quo tamen angulo vineæ nullus expreſſus occurrit Scripturæ locus, ſed ſimilis eſt* אחריך poſt te, *in* אחריך *ubi de olivis agitur* Deut. 24. 20. *Sic dicimus in Gemara, Cod. Cholin, expreſſe* : Quatuor ſunt munera vitis, Acini decidui, racematio, oblivione relicta, & angulus. *Angulus autem vineæ ibi diſcitur ex eo, quod ſcriptum eſt* : Non colliges racemos poſt te, *Deut.* 24. verſ. 21. *Rab. Levi dicit* : Poſt te, *eſſe oblitum, id eſt, quod poſt te fuerit relictum, oblivione nempe* : Et angulum *colligi ex illo, ubi de olivis adhibetur* poſt te, *ubi nempe de oliva dicitur* : Quum excuſſeris olivas tuas, non ſcrutaberis ramos, quos reliqueris poſt te; *Deut.* 24. v. 20. *Quod domus R. Iſmaelis hoc modo* δὰπ-ροι : *Ne tollas ab eo ornamentum ejus, id eſt*, angulum. *Colligit autem Nachmanides b. m. angulum omnium arborum ex oliva, quæ expreſſe per Scripturam lege anguli tenetur* : *Vineæ vero angulum elici ex voce* אחריך poſt te, *Deut.* 24. 21. *Idem Nachm. monet, Maimonidem hæc ordine exhibere in Tract. ſuo magno. Ex ſumma autem controverſiæ eorum, numero negativorum nihil vel accedit, vel decedit* : *Neque enim alius diſſenſus eſt, quam quod Maimonides b. m.* לא תעולל non racemabis, *explicat de angulo* : *Nachmanides autem illud de racematione proprie & ſimpliciter exponit; ex* אחריך *vero diſcit angulum vineæ*. Cætera mutua ex *Maim.* Hil. Mattan. aniim cap. 4. סמג S. 286. 287. Canon Rabbinorum de עוללות eſt: שאם היה הכרם כולו הוא לעניים שנ׳ וכרמך לא תעולל ודרשו ז״ל אפילו כולה עוללות ואין העניים זוכים ליקח העוללות עד שיתחיל בעל הכרם לבצור כרמו שנ׳ כי תבצור כרמך לא תעולל : *Si vel tota vinea conſtiterit ex* עוללות, *tota illa cedit pauperibus*, q. d. Vineam tuam non racemabis, *Levit.* 19. v. 10. *quod Rabbini explicant, etſi tota vinea fuerit race-*

matio-

mationes. Neque vero pauperes racemare debent, uſque dum poſſeſſor vindemiare inceperit, q. d. Cum vindemiaveris vineam tuam, *Levit.* 24. v. 21.

CCXXXI. שלא נלקוט פרט הכרם אבל נעזוב אותו לעניים שנ׳ ופרט כרמך לא תלקט והוא הגרעינין הנותרין. *Ne colligamus particularitatem, i. e. acinos deciduos vineæ, ſed relinquamus eos pauperibus*, q. d. Et particularitatem vineæ tuæ non colliges, videlicet acinos relictos; *Levit.* 19. 10. Sed quæras : איזהו פרט. *Quænam illa particularitas?* זה גרגר או שני גרגרין הנפרטים מן האשכול בשעת הבצירה אבל שלשה גרגרין שנפלו בבת אחת אינו פרט. *Acinus unus aut duo a botro ſeparati tempore vindemiæ; tres vero acini, qui ſimul & ſemel cadunt, non particularitatis loco habentur.* Alia tamen ratio eſt, ſi quis uvas vel integram, vel mediam abjiciat ipſe; vel, dum eas evacuat, ſeparantur : de quibus omnibus *Talmud.* in Peah, & *Maim.* Hil. cit.

CCXXXII. שלא לגנוב שום ממון שנ׳ לא תגנבו ואמרו ז״ל שזה אזהרה לגונב ממון. *Nullas opes furto cuiquam auferendas*, q. d. Non furabimini, *Levit.* 19. v. 11. *Dicunt autem Magiſtri noſtri b. m. hanc admonitionem in eum eſſe, qui furatur facultates.* Eſt hoc præceptum מן המצות שהשכל מחייבם, *Ex præceptis, ad quæ ſenſus eos obligat.* Tradunt & hoc: שאסור מן התורה לגנוב אפילו על מנת למקט כלומר להכעיס בעל הגניבה ולהבהילו לשעה ולחזיר לו הדבר אחר כך. *Lege interdictum furari eo etiam fine, ut quis irritet poſſeſſorem rei furto ablatæ, eumque terreat ad breve tempus, poſtea futurum reſtituat.* וכן אמרו בסיפרא לפי שנ׳ בגניבה שנים ישלם למדנו עונש אזהרה מנין ת״ל לא תגנבו לא תגנב אפילו על מנת למקט לא תגנוב על מנת לשלם ד׳ דה׳. *Aſſerunt in Siphra, quod quia de furto dictum eſt*, duplum reſtituat, *diſcamus inde pœnam : Unde admonitionem? Quia Lex dicit : Ne furemini. Non fureris ut ad iram provoces eum* (poſſeſſorem) *Ne fureris, ut quadruplum reddas.* Sed & ſequentes notandæ ſunt cautelæ 1. כל דבר שחזקתו שהוא גנוב אסור ליקח אותו ולפיכך אמרו ז״ל שאין לוקחין מן הרועים צמר חלב וגדיים וכן אין לוקחין מן הנשים ומן העבדין ומן הקטנים אלא דברים ידועים וכן אין לוקחין משומרי עצים או פירות אלא במקומות ידועים. *Quidquid pro furto tenetur, illud accipere* (ab alio) *eſt illicitum. Unde decretum Magiſtrorum : Non accipiunt a paſtoribus lanam, lac, hœdos. Neque accipiunt a mulieribus, aut ſervis, aut minoribus, niſi res notas. Neque a cuſtodibus lignorum aut fructuum, niſi in locis notis.* 2. כל הגונב משוה פרוטה ומעלה עובר על לא תעשה שנ׳ לא תגנבו ואין לוקין על לאו זה שהרי ניתן לתשלומי׳ שהגנב חייבתו תורה לשלם ואחד הגונב ממון ישראל או הגונב ממון גוי עע״ז ואחד גונב את הגדול או את הקטן אסור לגנוב כל שהוא דין תורה. *Quiſquis furto abſtulerit æquivalens Prutæ, aut ſupra, violat negativum*, q. d. Non furabimini. *Neque vero propter hoc negativum* (reus) *vapulat, quia datum eſt ad reſtitutionem. Lege enim fur reſtituere tenetur ablata, ſive autem quis Iſraelitæ pecuniam fuerit furatus, ſive Gentili Idololatræ; ſive magnum quis furari velit, ſive parvum, non licet ei quicquam : Hæc enim Legis ratio eſt.* Ita *Maim.* cap. 1. Hil. Genebh. De diſcrimine furtorum ἐμψύχων καὶ ἀψύχων, conſule eundem, & *Talm.* Baba kam. cap. 7. ונוהג איסור זה בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר על לאו זה וגנב חייב לשלם כמו שמפור׳ בכתוב אם גנב דינר או כסות או חמור או גמל משלם שנים בדמיהן ונמצא מפסיד כשיעור שבקש לחסר חבירו ותשלימי כפל נוהגין בכל דבר חוץ משה ושור שיש בהן צרדין שמשלמין עליהן ד׳ וה׳ כגון שטבח ומכר וכמו שבא בכת׳ מבואר וכמשלם כפל או ד׳ או ה׳ בשור ושה דוקא שהעידו עליו ושלם על פיהם בב״ד אבל מודה מעצמו פטור עם תשלום הקרן לבר קנסות שהמודה בהן פטור : *Uſus hujus interdicti, omni loco & tempore, utrumque obſtringit ſexum. Trangreſſor, qui violaverit illud, & furto aliquid abſtulerit, tenetur reſtitutione, prout in Scriptura explicatum eſt. Si denarium fuerit furatus, aut veſtem, aut aſinum, aut Camelum, duplum pretium eorum; &, ſi quid corrupit, id quod ſocius ejus pro defectu petierit; reddit. Reſtitutio autem dupli in omnibus locum habet, exceptis parva pecude & bove, in quibus certi ſunt modi, pro quibus vel quadruplum reddunt*, [videlicet pro parva pecude) *vel quintuplum* (pro bove) *ſi mactaverit, aut vendiderit ea, prout in Scriptura illa clare proponuntur. Sive autem duplum quis reſtituat, ſive quadruplum aut quintuplum in parva pecude & bove præciſe, teſtimonio convinci, & ad decretum Domus judicii rependere illud debet. Qui vero ſponte fatetur* (furtum) *liber pronuntiatur, ſi ſortem tantum reſtituerit : Nam qui injurias civiles ipſe fatetur, eo modo evadit.* Hanc procul dubio ob cauſam שאין דנין דיני קנסות אלא בארץ *quia civiles injurias nonniſi in terra judicant.* Plura *Maim.* & *Talmud.* loc. cit. סמק S. 263. סמג N. S. 155.

CCXXXIII. שלא נכחש במה שהופקד בידינו ובכל מה שיש לזולתינו עלינו שנ׳ לא תכחשו ובא הפירוש שבממון הכתוב מדבר ולשון ספרא לפי שנ׳ וכחש בה ונשבע

עכ שקר למרנו עונש אזהרה מנין ת״ל לא תכחשו. *Ne negemus id quod depositum, aut quidquid alterius, apud nos, fuerit*, q. d. Non negabitis, *Levit.* 19. v. 11. *quem Scripturæ locum de facultatibus explicant. In Siphra legimus : Ex eo, quod exstat :* Et negaverit illud, aut juraverit falso, *Levit.* 6. v. 3. *discimus multam ; unde vero admonitionem? Quia Scriptura dicit* : Non negabitis. Quamvis autem transgressor hujus præcepti non vapulet, habetur tamen, כעובר על מצות מלך. *Tanquam violator præcepti regii*. 2. הכופר בפקדון פסול לעדות אע״פ שלא נשבע. *Qui negat depositum, ineptus est ad dicendum testimonium, etsi non juraverit*. Plura pete ex *Talm.* Cod. Schebh. c. 7. סמג N. S. 240. 241.

CCXXXIV. שלא; vel, על כפירת ממון לישבע על ההשכחה שלא נשבע על ההכשחה שנ׳ לא תשקרו כלומר שאם כפר איש בפקדון עבר על לא תכחשו Id est, ואם נשבע לו על הכפירה אחר כך עבר על לא תשקרו שכן בא לנו פי׳ זה הכתוב שהוא להזהיר על הנשבע בכפירת ממון וכמו שבא בספרא לא תשקרו מה ת״ל שנ ונשבע על שקר למרנו עונש אזהרה מניין ת״ל לא תשקרו ונתבאר במסכת שבועות שכל מי שישבע שבועת שקר על כפירת ממון בשני לאוין משום לא תשבעו בשמי לשקר ומשום לא תשקרו איש בעמיתו. *Ne juremus propter negationem*, q. d. Ne mentiamini, *Levit.* 19. 11. *quasi diceret ; quod, qui abnegaverit* (alicui) *depositum, violet negativum :* Ne negetis : *si quis vero ei propter abnegationem illam juraverit, reus fiat negativi* : neque mentiamini. *Ita enim locus hic explicatur, quod sit* νυθετικὸς *contra jurantem propter abnegationem opum. Et quemadmodum in Siphra, ad verba ;* Ne mentiamini, *legimus : Quid sibi vult Scriptura, cum dicit* : Et juraverit falso? *Discimus hinc pœnam. Unde vero admonitionem? Ex eo quod Lex dicit* : Ne mentiamini. *Ita explicatur in Codice Schebhuoth, quod qui falso juraverit propter negationem pecuniæ, duorum negativorum contrahat reatum, quorum illud* : Ne per nomen meum juretis falso; *hoc vero ;* Ne mentiatur quisque in proximum suum, ונוהגת בכל מקום ובכל זמן ועובר עליה ושקר ונשבע על הכפירה במזיד לוקה ואע״פ שאין בו מעשה מחומר השבועה חייבתו התורה מלקות : *Obtinet ubique & semper. Legirupa, qui & mentitus fuerit temere, & ad abnegandum depositum, juraverit, vapulat. Et quanquam nullum sit in hoc peccato opus, tamen propter gravitatem juramenti, Lex eum verberum reum facit*. Cætera petantur ex *Schebb.* & *Maim.* l. c.

CCXXXV. שלא לישבע לשקר. *Non esse jurandum falso*, argumento loci *Levit.* 19. v. 12. Non jurabitis in nomine meo mendaciter. Quem locum Rabbini explicant על שבועת בטוי *de juramento futilitatis*. Hoc vero quid sit, obiter jam attingimus *supra*, p. 44. Sed quia hæc propria est sedes ejus, paulo fusius rationem & species ex Hebræorum monumentis eruderabimus : Ita ergo R. *Levi* ושבועת בטוי הוא מה שנ׳ בתורה או נפש כי תשבע לבטא בשפתים להרע או להטיב והיא נחלקת לד׳ חלקים שתים להבא ושתים לשעבר כגון שנשבע על דבר שעבר שנעשה או לא נעשה ועל דבר שעתיד להיות שיעשה אותו או לא יעשה ואין שבועת בטוי נוהגת אלא בדברים שאפשר לו לאדם לעשותם בין להבא או לשעבר כיצד לשעבר אכלתי או לא אכלתי וכן זרקתי או לא זרקתי אבן לים וכיצד להבא אוכל או לא אוכל או אזרוק או לא אזרוק אבל כדברים שיש בהם מונע מן התורה אין שבועת בטוי נוהגת בהן שאין שבועה חלה אלא על דבר הרשות שאם רצה עושהו ואם רצה לא יעשהו שנ׳ להרע או להטיב אבל בכל דבר מצוה חייב עליו לעשותו לפיכך אין שבועת בטוי חלה עליו בין להבא בין לשעבר כגון שנשבע לקיים מצוה ולא קיימה וכן אם נשבע שקיים מצוה והוא לא קיימה דכמו שאין חייוב חל ברבר מצוה להבא כן אינו חל לשעבר וכן מתבאר הענין במקומו בשבועות ומן הטעם הזה שאמרנו שאין חייוב השבועה חל אלא במה שהוא ברשותו לעשותו פטרו ז״ל גם כן משבועת בטוי כל הנשבע להרע לאחרים מפני שהוא מצוה שלא להרע לחבירו וכתב הרמ״ב ז״ל כי יראה לו שהוא לוקה מכל מקום משום שבועת שוא והנשבע להרע לעצמו אע״פ שאינו רשאי חייב משום בטוי אם לא הרע נשבע להטיב לאחרים בדברים בדבר שהוא בידו לעשות ולא עשה חייב משום שבועת בטוי. *Juramentum futilitatis est id, de quo scriptum reperitur :* Aut anima si juraverit proferendo labiis, se malefacturam aut benefacturam, &c. *Levit.* 5. v. 4. *& in quatuor dividitur species, quarum duæ ad tempus pertinent futurum, duæ ad præteritum. Ut cum quis juraverit de re præterita, quod facta sit, vel non facta sit; Et de re futura, quod facturus illam sit, vel non facturus. Juramentum autem futilitatis locum non habet, nisi in rebus homini possibilibus, sive futuris, sive præteritis. Quomodo præteritis? Edi vel non edi ; sic, projeci, vel non projeci lapidem in mare. Quomodo futuris? Edam vel non edam ; projiciam vel non projiciam. In rebus vero, quæ impedimentum ex Lege habent, juramentum futilitatis non obtinet, quia juramentum non cadit, nisi in res arbitrii, ut si quis velit, eam vel peragere possit, vel non peragere*, q. d. Ad male faciendum, aut ad benefaciendum. *Sed omnem rem præcepti facere tenetur, proinde in eam juramen-*

mentum futilitatis non cadit, sive præterita illa sit, sive futura. Ut, cum quis jurat, præceptum se stabiliturum, quod tamen non stabilit. Ita si jurat, se præceptum stabilivisse, neque tamen stabilivit. Quemadmodum autem obligatio locum non habet in re præcepti futura; ita nec in præterita. Atque ita negotium hoc explicatum est suo loco in Schebhuot. Ex eo vero, quod diximus, obligationem juramenti tantum cadere in ea, quæ in hominis sunt potestate, ut ea possit præstare, liberum pronuntiant Rabbini nostri a juramento futilitatis eum, qui jurat, male facere aliis, quia præcepto mandatum est, ne proximo malefaciamus. Scribit autem R. Maimonides, sibi videri, quod omnino talis vapulet propter juramentum vanum. Et qui jurat ad male faciendum sibi, quod, etsi facultatem non habeat, reus sit propter juramentum futilitatis, si non malefecerit. Qui jurat, se aliis benefacturum re, quæ in potestate ejus est, neque præstiterit, reus fit propter juramentum futilitatis. Vide Talm. Mass. Schebh. Maim. Hil Schebh. c. 1. & 6. סמג N. S. 239. ונוהג איסור זה בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה אם היה מזיד לוקה ודוקא בעדים והתראה כמו שידוע בכל המצות ואם שוגג חייב להביא קרבן עולה ויורד. Usus interdicti, omni loco & tempore, ad utrumque sexum spectat. Transgressor temerarius vapulat, accedentibus præcise testibus & admonitione, ut notum est in omnibus præceptis. Qui vero per ignorantiam deliquerit, reus est sacrificii ascendentis & descendentis.

CCXXXVI. שלא לעשוק. Fraudem non esse faciendam. Id quo sensu intelligant Rabbini, ipsorummet exprimemus verbis. שלא נחזיק במה שיהיה בידינו מזולתינו דרך אונס או דרך דחייה ורמאות כמו אנשי און שדוחין בני אדם לאמ׳ להם לך ושוב כדי לסבב שישאר להם מה שבידם מזולתם וזאת היא מדה רעה ביותר והרחיקתנו תורתנו השלמה ממנה והזהירה בכך בזה המקום דכתיב לא תעשוק את רעך כי מחזיק ממון מזולתו בזה הענין שאמרנו נקרא עושק. Ne retineamus, quod, in manu nostra cum sit, ad alium spectat, modo violento, depulsionis aut fraudulento. Quomodo homines scelerati alios propellunt dicendo: Abi, & revertere, ut oblata hac occasione, sibi relinquatur, quod in manibus suis alieni habent. Atque hæc consuetudo cum pessima sit, longissime ab ea abesse nos vult Lex nostra perfecta, & monet nos de ea hoc loco, cum scribitur; Ne fraudulenter agas cum proximo, Lev. 19. v. 13. Qui enim hoc modo alterius facultates retinet, עושק oppressor vocatur. Quales etiam sunt, qui mercedem mercenarii subigunt, aut pecuniam alteri debitam intervertunt. Et quamquam tria illa præcepta, de עושק, והגזילה, יהגנבה, fraudulenta oppressione, rapina & furto sensu coincidant (hoc enim exigunt שלא יקח האדם ממון מזולתו משום צד ne quis alteri facultates quocunque modo auferat) singulis tamen sua sunt negativa peculiaria, idque, ex mente Rab. Levi duabus de causis, I. שכל שרצה האל בה״ להרחיק ממנו לטובתנו ריחוק גדול הרבה לנו בו אזהרות רבות. De omni illo, a quo Deus Benedictus longissime nos abesse voluit, multiplicavit nobis admonitiones. II. עוד לנו תועלת נמצא בריבוי האזהרותו והוא כמו שאמרו ז״ל שרצה המקום לזכות את ישראל ולפיכך הרבה להם מצות. Alia nobis ostenditur utilitas in multitudine admonitionum, nempe, ut dicunt Magistri nostri b. m. quia voluit Deus justificare Israelem, multiplicavit iis præcepta. Sed an non potius peccatorum ex multiplicatis præceptis augetur cumulus? Certe Rabba in Metzia, cap. המקבל tradit: זהו עושק זהו גזל ולמה חלקו הכתובים לעבור עליו בב׳ לאוין. Iste est oppressor; iste [de hac loquendi formula consulatur Clav. Talm. p. 144.] raptor. Cur vero in Scriptura distinguuntur? Quia gemini negativi transgressio significatur; vel, quia dupliciter illud violatur. Phrasi ista Rabbinica nolunt apellæ intelligi שירצה הש״י לבוא בעלילה על בריותיו ולכן שירבה חנקם עליהם כי חפץ השם בה״ וברוך שמו לזכות׳ בריותיו לא לחייב אבל יזרז אותם זירוז אחר זירוז למען ילמדו יקחו מוסר ויזכו בהתרחקם מן העבירה זכות רב quasi dolo agere vellet Deus cum creaturis suis, atque sic vindictam suam augere posset: Vult enim omnino Deus, qui benedictus est, & cujus nomen est benedictum, justificare creaturas suas & non condemnare. Sed crebris eas excitat exhortationibus, ut eruditæ & castigatæ, magna justæ censeantur justitia, dum recedunt a transgressione. Confer Talm. Bab. kam. cap. 9. 10. Maimon. Hil. gezel. veabh. cap. 1. סמג N. S. 156. 157. ונוהג איסור זה בכל מקום ובכל זמן ועובר עליו ועשק את חבירו עבר על לאו זה והוא לאו הניתק לעשה כלומר שישיב החמס אשר בכפיו וירצה את חבירו על שהקניטו והכעיסו. Usus interdicti est καθολικός loci & temporis respectu. Transgressor, qui fraude proximum suum oppresserit, violat hoc negativum: Estque ἀποσπασμάτιον affirmativi, quod vult, ut raptum, quod in manibus suis quisque habet, restituat, & sic cum proximo suo, quem irritavit, in gratiam redeat.

CCXXXVII. שלא לגזול. Non esse rapiendum. Id est, שלא נטול מה שאין לנו

זכות

זכות בו בכח ובזרע בפרסום שנ׳ ולא תגזל ובא הפירוש עליו שלשון גזילה נופל על החוטף דבר מיד חבירו או הוציאו מרשותו בעל כרחו דרך אונס ובפרסום כענין שנ׳ ויגזל את החנית מיד המצרי. *Ne auferamus id, quod nullo nobis debetur jure vi & exerto brachio, & palam*, q. d. Non rapies, *Lev.* 19. 13. *De quo habetur explicatio, quod vox* גזילה *cadat in eum, qui aliquid manu ſocii ſui eripit, aut invito eo, poteſtate ejus aliquid educit, modo violento, & manifeſte, ex ſignificatu loci* : Et rapuit haſtam e manu Ægyptii; *Paral.* lib. I. c. 11. v. 23. De hac lege notandi ſunt Legulejorum Judaicorum Canones ſequentes I. איסור דאוריתא לגזול אפי׳ כל שהוא אבל לאו דלא תגזול אינו חל אלא בשוה פרוטה כי התורה לא תחייב אלא בדבר שהוא ממון ופחות משוה פרוטה אינו נקרא ממון אבל מכל מקום אסור הוא דבר תורה כמו חצי שיעור שאין לוקין עליו והוא איסור דאוריתא. *Lex cujuslibet rei rapinam prohibet. At negativum hoc, ne rapias, non cadit niſi in* ἰσόρροπον *Prutæ. Neque enim Legis reatus contrahitur niſi propter rem, quæ* [Mamonis] *facultatum aut pecuniæ nomine venit : At minus* ἰσόρροπῳ *Prutæ, non vocatur Mamon. Omni tamen modo, tenore legis, illud prohibetur, quemadmodum dimidium æſtimationis, ob quod nemo vapulat, etſi interdictum ſit Legis.* II. אפילו גוי ועובד ע״א אסור לגזלו או לעשקו ואם גזלו או עשקו יחזיר. *Ne quidem gentili aut Idololatræ quicquam rapere, aut fraude auferre licet. Hoc qui fecerit, reſtituit* [ablatum] *illi*. Sic *Maimon.* III. אפילו אנשים שמותר לאבד גופם כגון המאינין אסור לאבד ממונם ולגזול או לגנוב להם ואמרו בטעם זה שמא יצא מהם זרע ראוי ויהיה ממונם להם. *Eorum hominum, quorum corpora perdere licet, ut Minæorum, facultates perdere non licet. Rationem reddunt, ne forte ſemen ab illis prodeat dignum, cui facultates illæ cedant.* Ita *Gemariſtæ*. *R. Lev.* tamen putat, hac ratione hominem, quo minus pravis aſſueſcat moribus, coerceri. IV. הגוזל חייב להחזיר הגזלה עצמה שנ׳ הגזלה אשר גזל ופירשו ז״ל יחזיר כעין שגזל ומפני כן אמרו כי בדין הוא שאפי׳ גזל מריש פי׳ קורה ובנאה בבירה מקעקע כל הבירה ומחזיר מריש לבעליו אלא מפני תקנת השבים תיקנו נותן את דמיה ויפטר. *Raptor tenetur reſtituere raptum ipſum*, q. d. Rapinam, quam rapuit, *Levit.* 6. v. 4. *quod ſic explicant Magiſtri : Reſtituet id ipſum, quod rapuit. Voluntque hanc rationem adeo accurate obtinere, ut, ſi quis vel trabem abſtulerit, eamque in extructionem palatii adhibuerit, totum deſtruat palatium, trabemque poſſeſſori reſtituat. Sed propter correctionem reſipiſcentium conſtituerunt* [Magiſtri] *ut, dato pro ea pretio, pronuntietur liber*. Quod tamen *ſupra*, S. 126. de mutata tantum rapina Rab. *Levi* intelligi voluit. Catalogum quarundam controverſiarum in hac materia recitat *idem*, pag. 92. Quarum examen pete ex *Maim.* l. c. *Talm.* Bab. kam. cap. 9. & 10. Quid vero de raptore fit, qui raptum in uſum domeſticum, cibum & potum, convertit? אם הניח קרקע חייבין הבנים לשלם דמי הגזילה אבל מן המטלטלין לא יהיי חייבין היתומים לשלם אלא מפני תקנת הגאונים. *Si relinquat fundum, tenetur filii reſtitutione pretii rapinæ : E bonis autem mobilibus quicquam reddere orphani non tenentur, niſi ex conſtitutione Geonæorum*, qui nec mobilibus hac in parte parcendum cenſent. Eſt & hoc axioma juris Hebraici: שאסור ליהנות מאדם שחזקתו שכל שיש לו מן הגזל אבל אם היה קצת מה שבידו שלא מן הגזל אע״פ שהוא מועט מותר ליהנות ממנו עד שידע בבירור שאותו דבר ממש שהוא נהנה גזול. *Nihil licere cuiquam ſuis uſibus deſtinare ab homine ſuſpecto, quaſi quicquid habet, raptum eſſet. Quod ſi vero vel aliquid poſſideat, quod raptum non eſt, etſi parvum fuerit, licet ab eo in uſus ſuos aliquid convertere, uſque dum explorate perſpectum habuerit, vere illud, quo juvatur,* [unde utilitatem vel commodum quærit] *rapptum eſſe*. Præceptum temporis, loci & perſonarum reſpectu univerſale judicatur, ועובר עליו וגזל משוה פרוטה ומעלה עבר על לא בל אין לוקין על לאו זה לפי שהוא ניתק לעשה דהשבה שנ׳ והשיב את הגזלה וגו׳ ואפילו בטל עשה שבה כלומ׳ ששרף את הגזלה או השליכה לים הגדול מקום שאינה נמצאת לעולם אינו לוקה לפי שהוא לאו שניתן לתשלומין שישלם מה שהיתה שוה ואם כפר בה ונשבע לשקר יוסיף החומש ויקריב אשם. *Tranſgreſſor, qui rapuerit* ἰσόρροπον *Prutæ, eoque majus, negativum violat, ob quod tamen eum non cædunt, quia* ἀποσπασμάτιον *eſt affirmativi de reſtitutione*, q. d. Et reddet rapinam, &c. *Et quanquam irritum reddat illud etiam, quod affirmativum in eo eſt, ut ſi, exempli gratia, combuſſerit rapinam, aut abjecerit eam in maris magni eum locum, ubi nunquam amplius reperitur, non tamen vapulat; quia hoc negativum datum eſt ad reſtitutionem, ut reddat nempe ei* [cui abſtulit] *æquivalens. Si abnegaverit illud, & falſo juraverit, quintam addet partem, ſacrificium inſuper pro reatu offeret* : ut habetur in *Kama*, & in fine *Macchot*.

CCXXXVIII. שלא נאחר שכר שכיר שנ׳ לא תלין פעולת שכיר אתך עד בקר וזה הכתוב אמרו ז״ל שמדבר בשכיר יום והאריכה התורה

התורה זמן פרעונו כל הלילה שנ׳ עד בקר ובשכיר לילה למדנו במקום אחר שזמן פרעונו כל היום שנ׳ ביומו תתן שכרו ולא תבא עליו השמש ופירשו ז״ל שהכתוב זה מדבר בשכיר לילה ולשון המשנה שכיר יום גובה כל הלילה ושכיר לילה גובה כל היום. *Ne retardemus vel differamus mercedem mercenarii*, q. d. Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane; *Levit. 19. v. 13. Atque hic Scripturæ locus, ajunt Magistri, loquitur de mercenario diurno, cujus tamen compensationis tempus Lex prorogat tota nocte*, q. d. usque mane. *Et de mercenario nocturno discimus alio loco, quod solutio ejus toto admittatur die, juxta illud*: In die suo dabis mercedem ejus, neque occumbet super eam sol; *Deut. 24. v. 15. Hunc locum, volunt Magistri, agere de mercenario nocturno*. Sic textus Misnicus: *Mercenarius diurnus exigit* (mercedem) *tota nocte; & mercenarius nocturnus, exigit tota die*. Ratio præcepti est, לפי שהשי׳ חפץ בקיום האדם אשר ברא וידוע כי באיחור המזונות יאבד הגוף ועל כן צונו לתת שכר שכיר כי אליו הוא נושא את נפשו להתפרנס בו. *Quia Deus Benedictus cupit subsistentiam hominis, quem creavit. Constat autem, mora escarum perire corpus. Et propterea præcepit nobis, ut mercedem solvamus mercenario*, quia cum ea sustentat animam suam, (vel potius; ad eam effert animam suam, *Deut. 24. v. 15.*) *ad alendum se ea*. De hac lege notentur Canones, I. אחד שכר האדם והבהמה והכלים יש בהם משום ביומו תתן וגו׳ ומשום בל תליך. *Eadem ratio mercedis est hominis, bestiæ & vasorum, tum respectu illius*; Die sua dabis, &c. *Deut. 24. tum hujus*: Non morabitur, *Lev. 19.* 11. II. שכיר שעות של יום גובה כל היום ושכיר שעות של לילה גובה כל הלילה שכיר חדש שכיר שבת שכיר שנה שכיר שבוע יצא ביום גובה שכרו כל היום יוצא בלילה גובה שכרו כל הלילה. *Mercenarius aliquot horarum diei, exigit toto die: Et mercenarius horarum aliquot noctis, exigit tota nocte. Mercenarius mensis, Sabbathi, anni, septimanæ, si exit interdiu, exigit mercedem suam tota die; si nocte, exigit mercedem suam tota nocte*. III. אין השוכר עובר אלא בזמן שתבעו השכיר ולא נתן לו. *Qui mercede aliquem conducit, Legem non violat, antequam mercedem conducto postulatam denegat* אבל אם לא תבעו אינו עובר או שתבעו ולא היה לו מה שיתן אינו עובר. *Si autem eam non petierit eam, hic vero non habeat, unde solvat, nec hic Transgressor*. IV. נותן טליתו לאומן גמרה והודיעו שכל זמן שהטלית ביד אומן אינו עובר נתנה לו ולא פרעו ביום שנתנה לו עובר. *Qui tradit pallium suum artifici conficiendum, non censetur transgressor, quamdiu pallium fuerit in manu artificis: Si vero, pallio restituto, non eo die, quo tradidit, solvit, transgressor est*. V. המשהא שכר שכיר עד אחר זמנו אע״פ שכבר עבר בעשה ולא תעשה חייב לותן לו מיד שיתבעהו וכל זמן שישהא לו פירעונו אפילו אחר הזמן עובר עוד על לאו של דבריהם ז״ל וסמכו לזה המקום שכת׳ אל תאמר לרעך לך ושוב. *Qui differt mercedem mercenarii ultra tempus suum, etsi jam talis violavit & affirmativum, & negativum, tenetur tamen primum atque petierit eam, exhibere. Et quotiescunque ejus solutionem procrastinat, etiam post tempus definitum, violat insuper negativum Magistrorum, qui, hoc loco, innituntur Scripturæ verbis*: Ne dicas amico tuo vade & revertere, & cras dabo; *Prov. 3. v. 28.* Præceptum autem hoc valet omni loco & tempore ועובר על לאו ואין לוקין על לאו זה לפי שניתן להשבון שהרי חייב הוא לשלם שכרו בכל עת ועוד אמרו ז״ל בכובש שכר שכיר על דרך האזהרה שעובר משום בל תעשוק ובל תגזול ובל תליך ומשום לא תבא עליו השמש. *Transgressorem hujus regativi non cædunt, quia illud datum est ad restitutionem. Tenetur enim talis mercedem reddere quolibet tempore. Dicunt porro Magistri nostri de eo, qui mercedem supprimit, admonitionis ergo violare illum præcepta*; Ne fraude agas; ne moretur; ne occumbat super eam sol.

CCXXXIX. שלא לקלל אחד מישראל בין איש בין אשה ואע״פ שאינו שומע הקללה שנ׳ לא תקלל חרש ובא הפיר׳ עליו מי שאינו שומע קללתך וכן תרג׳ אונקלוס ולשון ספרא אין לי אלא חרש מנין לרבות כל אדם ת״ל בעמך לא תאר. *Non esse maledicendum ulli Israelitæ, sive vir sit, sive fœmina, etsi maledictionem non audivit*, q. d. Non maledices surdo; *Levit. 19. v. 14. quod de illo intelligitur, qui maledictionem tuam non audit. Sic etiam Onkelosus explicat*. Et in Siphra: *Nonnisi surdum habeo. Unde colligo, idem de omnibus intelligendum hominibus? Quia Scriptura dicit*: Populo tuo non maledices; *Exod. 22. v. 28.* Rationes præcepti varias Judæi habent. 1. שמנענו הש״י מהזיק בפינו לזולתינו כמו שמנענו מהזיק להם במעשה וכעין ענין זה אמרו ז״ל ברית כרותה לשפתים כלומר שיש כוח בדברי פי אהם. *Quod cohibuerit nos Deus Benedictus, ne noceamus ore nostro aliis, quemadmodum probibuit, ne cuiquam detrimentum afferamus facto. Et ad hunc sensum dicunt Magistri nostri*. Fœdus percussum cum labiis, quasi diceret; virtutem verbis oris hominum inesse. 2. Est Rab. *Levi* אפשר לנו לומר לפי עניות דעתנו בי בהיות הנפש המדברת שבאדם חלק עליוני וכמו שכתוב

ויפח

ויפח באפיו נשמת חיים ותרג׳ אונקל׳ לרוח ממללא נתן בה כח רב לפעול אפי׳ במה שחוץ ממנה ועל כן ידענו ונראה תמיד כי לפי חשיבות נפש האדם ודבקותה בעליונים כנפש הצדיקים והסודים ימהרו דבריהם לפעול בכל מה שידברו עליו וזה דבר ידוע ומפורסם בין יודעי דעת ומביני מדע. *Dici poteſt; pro ingenii noſtri tenuitate, quod, quia anima rationalis in homine pars ejus eſt excellentior, (juxta id, quod ſcriptum eſt;* Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ; *Geneſ.* 2. v. 7. *quod Onkeloſus reddit :* In ſpiritum loquentem) *eidem magnam facultatem, id etiam operandi conceſſerit, quod extra eam eſt. Scimus proinde & videmus ſemper, quod, ſecundum præſtantiam animæ humanæ, ejuſdemque conjunctionem cum ſuperioribus, quæ in juſtorum & ſanctorum animabus cumprimis obſervatur; accelerent* (homines) *verba ſua, ad efficienda ea, quæ fuerunt locuti. Atque hoc notum & manifeſtum eſt peritis & gnaris rerum.* Sed & aliam idem recitat rationem δοξαστικῶς אפשר לומר עוד כי הענין להשבית ריב בין בני אדם ולהיות ביניהם שלום כי עוף השמים יוליך את הקול ואולי יבאו דברי המקלל באזני מי שקלל. *Dici etiam poteſt, rationem* (præcepti) *eſſe, ut ſublata contentione inter homines, pacifice vivant. Nam & avis cœli vocem poſſet deferre, & forte pertingent verba maledicentis ad eum, cui maledixit.* 3. והר״מ במ״ל אמר בטעם מצוה זו כדי שלא יניע נפשו המקלל אל הנקמה ולא ירגילנה לכעוס. *R. Maimonides rationem hujus præcepti reddit hanc, ne quis moveat animam conviciantis ad vindictam, neque eam aſſuefaciat iracundiæ.* Hic ergo non vult reſpici נזק אל מקולל בקללה אלא שתרחיק התורה הענין מצד המקלל שלא ירגיל נפשו אל הנקמה והכעס ואל פחיתות המדות *damnum quod ex maledictione* (convitiis) *redundet in maledictum; ſed quod Lex a nobis abeſſe velit hæc, reſpectu maledicentis, ne ipſe aſſueſcat vindictæ, iracundiæ, & defectui morum.* De modo autem execrationis monent, I. שאסור לקלל בשום ענין ומכל מקום אינו לוקה אלא המקלל בשם מן השמות כגון יה שדי ואלוה וכיוצא בהן או בכינוי מן הכינויין כגון חנון קנוא וכיוצא בהן ובכל לשון שקלל בשם או בכנוי חייב שהשמות שקוראין בהם הגוים להקב״ה הרי הן בכלל הכנויין. *Non licet maledicere ulla ratione: Neque vero quivis modus verbera meretur; niſi quis maledicat nomine ex nominibus Jah, Schaddai, Eloah, & ſimilibus : aut Epitheto ex Epithetis, qualia ſunt, miſericors, zelotes, &c. Quacunque autem lingua quis maledicit, nomine* (Dei) *aut Epitheto, reus eſt, quia nomina, quibus Gentiles, Deum Benedictum appellant, inter Epitheta referuntur.* II. שאפילו המקלל את עצמו לוקה שנ׳ השמר לך ושמור נפשך מאד. *Quod etiam ille, qui ſibi ipſi maledicit, vapulet,* q. d. Cave tibi, & cuſtodi animam tuam valde. III. לא תקלל חרש באמללין שבאדם. *Non maledices ſurdo, languidis, infirmis inter homines :* quod vel eſt ἐξηγητικόν prioris, vel ejuſdem αἰτιολογία. Ita Talmudici, & in Mecilta. IV. Tandem etiam dicunt : יש מדבר דבר אחד וחייב עליו משום ארבעה דברים בן נשיא שקלל אביו חייב עליו משום האב ומשום דיין ומשום נשיא ומשום בעמך לא תאר. *Eſt qui unicum loquens verbum, quatruplicem contrahit reatum. Filius Principis, qui maledicit patri ſuo, reus eſt propter patrem, judicem, Principem, & interdictum, populo tuo ne maledicas.* Præceptum omni loco & tempore utrumque conſtringit ſexum, ועובר עליה וקלל בשם או בכנוי אחד מישראל במזיד ויש עדים והתראה לוקה שזה אחד מג׳ לאוין שאף על פי שאין בהן מעשה לוקין עליהן והשנים אחרים הן נשבע וממר. *Tranſgreſſor autem, qui maledixerit nomine* (Dei) *aut Epitheto Iſraelitæ, elato animo, & teſtibus, prævia exhortatione, fuerit convictus, vapulat. Eſt enim hoc unum ex tribus negativis, propter quæ, etſi nulla accedat actio, reum cædunt. Altera duo concernunt jurantem* (falſo) *& Apoſtatam;* partialem videlicet, qui in quibuſdam a receptis Judæorum ſacris recedit : at משומד eſt *transfuga*. Vide *Maim.* Hil. Sanhed. cap. ult. סמג N. S. 211. סמק S. 181.

CCXL. שלא להכשיל בני ישראל לתת להם עצה רעה אבל ניישר אותם כשישאלו עצה במה שנאמין שהוא יושר ועצה טובה שנ׳ ולפני עור לא תתן מכשול. *Ne offendiculo ſimus Iſraelitis, dando iis conſilium malum. Sed ubi conſuluerint nos, ad id eos deducamus, quod rectum, & conſilium bonum dederimus ipſi,* q. d. Coram cæco non pones offendiculum, *Levit.* 19. v. 14. Nempe, quod Magiſtri, exempli loco, afferunt, אל יאמר אדם לחבירו מכור שדך וקח חמור והוא עוקף ונוטלה הימנו. *Ne quis dicat proximo ſuo :* Vende agrum tuum, & accipe aſinum; *ut ipſe aſtu ab illo accipiat,* וזה הלאו כולל כמו כן מי שיעזור עובר עבירה שהוא מביא אותו שיתפתה בזולת זה לעבור פעמים אחרים עוד ומצד הזה אמרו ז״ל במלוה ולוה ברבית ששניהם עוברים בלפני עור. *Complectitur etiam hoc negativum eum, qui tranſgreſſorem juvat, eumque inducit, ut pellectus, aliis iterum vicibus deinceps, peccet. Quo reſpectu Magiſtri, de mutuo dante & accipiente, in cauſa fœnoris, dicunt, quod uterque ſit Legirupa,*

pro-

propter illud : Coram cæco, &c. Ratio præcepti est manifesta כי תיקון העולם ויישובו הוא להדריך בני אדם ולתת להם בכל מעשיהם עצה טובה. *Quia constitutio mundi, & inhabitatio ejus in eo consistit, ut dirigantur homines & in omnibus actionibus eorum bono consilio adjuventur*. Late hujus præcepti sensum extendunt, adeo ut nec latroni, nec Idololatræ arma, aut quicquam aliud, unde publico incommodari posset, vendere liceat. Sed & Israelitis suæ sunt leges rigidissimæ, ne sibi ipsis, vitæ aut valetudini suæ per incuriam, damnum afferant, de quibus *Maimonid.* Hil. Rotz. cap. 11. Transgressor, cujuscunque sexus, aut quocunque tempore fuerit, qui השיא את חבירו לדעת עצה שאינה הוגנת לו אם סייע לו בדבר עבירה כגון המושיט כוס יין לנזיר וכל כיוצא בזה עבר על לאו זה והוא כעובר על מצות מלך ואין לוקין עליו לפי שאין בו מעשה. *Pellexerit proximum suum in sententiam ei non congruam, aut inhonestam, quæ causa esse possit transgressionis, ut si porrigat poculum vini Naziræo, &c. violat hoc negativum, estque instar transgressoris præcepti regii, propter quod tamen, quia nulla adest actio, neminem cædunt*. Reliqua pete ex סמג N. S. 186. *Talm.* hinc inde in Gemara.

CCXLI. שלא לעול בדין. *Non esse pervertendum judicium ;* vel, שלא יעשה הדיין עול בדין והעול יהיה בכל שיעבור על מה שצותה לנו התורה בענין הדין אלא אם כן עשה ברצון בעלי הדין ועל זה נאמרו לא תעשו עול במשפט. *Ne faciat iniquitatem judex in judicio. Iniquitas autem est, quotiescunque judex id, cujus mandatum habemus in lege, in causa judicii, transgressus fuerit, ipsarumque partium nutui se accomodarit ; propterea injunctum iis est ;* ne faciant iniquitatem in judicio : *Levit.* 19. v. 15. Ratio præcepti censetur extra dubii aleam, כי במשפט צדק יתקיים יישוב בני אדם *quia justo judicio stabilitur habitatio filiorum hominis*. Monita de judicio Rabbinorum notentur sequentia, I. כל הטועה לדון במה שהוא הפך כוונת התורה בלי ספק דינו בטל לגמרי והוא כאלו לא יאמר. *Qui erraverit in judicio, adeo ut intentionem Legis pervertat, judicium ejus absque dubio, habetur irritum, & quasi nunquam esset dictum*. II. המונע עצמו מן הדין מונע ממנו איבה וגזל ושבועת שוא. *Qui cohibet se a judicio, a se removet inimicitiam, rapinam, & juramentum vanum*. Quo innuunt Magistri, præmeditate agendum in judiciis, & ביישוב הדעת *sedata mente, ne quis hanc mercedem deportet*. Unde illud in *Pirke Abb.* הוו מתונין בדין. *Estote tardi in judicio*. III. חכם גדול צריך בדין. *Sapiens magnus requiritur in judicio* ; quo tamen, tanquam cote, *ἀγχίνοια καὶ ἐυστοχία* ejus acuitur, vel quasi dolabra exasciatur, juxta illud : הרוצה להתחכם יעסוק בדיני ממונות שאין מקצוע בתורה גדול מהם שהם כמעין הנובע. *Quisquis voluerit sapiens evadere, occupetur pecuniariis judiciis : Neque enim commodius est ὄργανον* (vocem Hebræam *dolabram* alias vertunt] *cum sint instar fontis scaturientis*. III. יהא חביב עלינו דין של פרוטה כדין של מאה מנה לדון אותו לאמיתו. *Sit nobis curæ, de Pruta non minus, quam centum minis judicium ferre æquum*. V. מפני חומר הדין שבחו הרבה מי שיכול להטיל פשרה בין בעלי הריב ועליו נאמר אמת ומשפט שלום שפטו בשעריכם וזהו משפט של שלום. *Propter difficultatem judicii valde commendant eum, qui litigantes partes componere potest, de hoc enim dicitur :* Veritatem ac judicium pacis judicate in portis vestris ; *Zach.* 6. v. 16. *quod ipsum est judicium pacis*. Confer *Maim.* Hil. Sanh. cap. 20. סמג N. S. 204. 205. סמק 231. Talm. in *Nez.* & *Sanhed.* hinc inde, præsertim c. 1. Gem. Sanhed. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים כי להם המשפט ועובר עליה ועשה עול במשפט כלומר שלא כדין תורה לדעת עבר על לאו זה אבל אין לוקין עליו חוץ מאותן שמנינו למעלה ועוד שהרי כל הדן שלא כדין תורה דינו חוזר ולפיכך אין לוקין עליו חוץ מאותן שמנינו למעלה. *Usus obstringit omni loco & tempore, sexum masculinum, cujus est judicium. Transgressor, qui iniquitatem fecerit in judicio, id est, non secundum legis præscriptum sententiam tulerit, violat negativum hoc ; propter quod tamen non vapulat, iis exceptis, quæ supra commemoravimus. Insuper, quicunque præter Legis præscriptum judicium dederit, repetit illud, & propterea non vapulat, exceptis supra memoratis*. Imo docent, שאם דן הדיין בהפך האמת שדינו דין וחייב לשלם מביתו למי שעוות לו דינו ומכל זה לא יתחייב מלקות ואפילו עשה בו מעשה שכל לאו שניתן לתשלומין אין לוקין עליו. *Si judex ferat judicium veritati contrarium, quod judicium quidem ejus habeatur ratum, ille vero damnetur ad restitutionem, de suo, ei cujus judicium pervertit. Neque tamen propterea flagra meretur, etsi opus eo faciat. Nam ob negativum, datum ad restitutionem, neminem cædunt*.

CCXLII. שלא יכבד הדיין אחד מבעלי הדין בשעה הריב ואפילו היה גדול ונכבד ונשוא פנים שנ׳ לא תהדר גדול ואמרו בסיפרא שלא תאמר עשיר הוא זה בן גדולים הוא היאך אבשיינו כלומר שלא אכבד אותו יותר מבעל דינו שאינו גדול כמוהו לכך נאמר לא תהדר פני גדול. *Ne*

honoret judex alteram litigantium partem præ altera, lite fervente, etsi [alter litigantium] *magnus sit, honoratus, & vultu suscipiendus*, q. d. Non honorabis faciem magni, *Levit.* 19. v. 15. *Tradunt in Siphra : Ne dicas : Ille est dives, hic filius magnatum est, quomodo confundam eum, scil. non honorem ei deferendo majorem, quam adversario ejus, qui ad authoritatem hujus non accedit? propterea dictum est : Non honorabis vultum magni*. Volunt proinde Magistri שלא יהא אחד יושב ואחד עומד אלא שניהם עומדים בי בהיותם לפני הב״ד ראוי להם לעמוד כאלו הם לפני שכינה כי רוח אלהים שוכן בתוך עדת דייני ישראל כמו שנ׳ אלהים נצב בקהל אל ומכל מקום אמרו ז״ל שאם רצו להושיב בעלי הדין הרשות בידם וברא בשעת משא ומתן אבל בגמר דין מן החיוב הוה בעמידה במו שנ׳ ויעמד העם על משה אלא שנהגו בכל בתי דיני ישראל מאחר הגמרא להושיבם מפני המחלוקת ואפי׳ העדים שכתוב בהם ועמדו שני האנשים נהגו גם כן היום להושיב. *Ne alter sedeat, alter vero stet; sed stent utrique, quia, quum fuerint coram Synedrio, convenit, ut stent, tanquam essent in conspectu Majestatis divinæ. Habitat enim spiritus Dei in medio coetu judicum Israelis*, q. d. Deus stat in coetu Dei, *Psal.* 82. v. 1. *Dicunt tamen Rabbini, quod sit*, (Synedrii assessores) *velint partes litigantes sedere, penes ipsos esse : quæ verba intelligi debent de hora illa, qua causa examinatur* (rationes utriusque partis audiuntur) *sed, dum sententia fertur*, (judicium concluditur) *omnino tenentur stare*, q. d. Et stetit populus juxta Mosen ; *Exodi* 18. 13. *Sed quia usu receptum fuit in omnibus consessibus judicialibus Israelitarum, ut post decisionem* (litis) *sedere juberentur, ad contentionem evitandam, etsi testes tantum fuerint*, (*de quibus tamen scriptum est*, tunc stabunt duo illi homines, quibus lis est, *Deut.* 19. v. 17.) *etiam hodie eos sedere jubent*. Reliqua examinantur in *Talm.* Sanhed. *Maimon.* סמג, loc. cit. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים כי להם המשפט ועובר עליה וכבד בעל דין אחד יותר מחבירו במזיד עבר על לאו זה ובטל עשה. *Obstringit hæc Lex omni tempore sexum masculinum, ad quem pertinet judicium. Transgressor, qui partem litigantem alteram alteri honore prætulerit, voluntarius, violat hoc negativum.* Aliam tamen hic rationem esse eruditi, aliam plebeji, supra audivimus.

CCLIII. שלא לרגל *Ne quem detrectemus*; vel, שנמנענו מן הרכילות שנ׳ לא תלך רכיל והענין הוא שאם נשמע אדם מדאר רע בחבירו שלא נלך אליו ונספר לו פלוני מדבר בך כן וכן אלא אם כן תהיה כוונתו לסלק הנזקין ולהשבירת ריב ואמרו ז״ל בפי׳ רכיל רך לזה וקשה לזה ד״א לא תהא כרוכל מטעין דברים והולך. *Interdictum nobis esse* famæ ac honoris proximi *nundinationem*, q. d. Non ambulabis ut detractor ; *Levit.* 19. v. 16. *Sensus est, ut, cum audiverimus quempiam male de proximo loquentem, ne accedamus illum, eique significemus N. de te hoc vel illo modo loquitur, nisi fiat ea intentione, ut tollantur damna, & sopiatur lis. Docent autem Rabbini in suis Commentariis*: Rachil est רך mollis *illi, huic autem durus : Vel aliter; Ne esto sicut mercator, qui postquam aliquid deportat* (onustus est) *abit*, scil. ut vendat. Unde & *Aben Esra:* רכיל *Mercator emit ab uno & vendit alteri ; sic* רכיל *revelat huic quod audivit ab illo*. Et Rab. *Maim.* cap. 7. lib. Deoth. S. 2. איזהו רכיל זה שטוען דברים והולך מזה לזה ואומר כך אומר פלוני כך וכך שמעתי על פלוני אע״פ שהוא אמת הרי זה מחריב את העולם *Quisnam est* delator ? *Qui captat verba, & se ab alio ad alium confert, & dicit : Ita dixit N. Ita & ita audivi de N. etsi verum sit, talis tamen mundum devastat*. Præcepto hoc Deus voluit consulere paci, & concordiæ hominum, juxta hanc Rab. *Levi* αἰτιολογίαν : הש״י חפץ בטובת הבריות אשר ברא וצונו כדי להיות שלום ביננו כי הרכילות לריב ומצה Varias Judæi contra hoc vitium habent νουθεσίας, hinc inde in Gemara & Midrasch obvias ; quibus accedit *Maim.* Hil. deoth. cap. 7. ubi notandum, quod distinguat *Maim.* inter לשון הרע *linguam malam*, quæ etsi in proximi vituperium loquatur, vera tamen dicit, ומוציא שם רע על חבירו *promum malæ famæ contra proximum suum*, qui mendacia spargit. סמג N. S. 7. סמק S. 122. Sint speciminis loco sequentia, לשון רע ממית האומרו והמקבלו יותר מכולם *Lingua mala occidit eum qui dicit, & qui accipit eam, præ aliis omnibus*. Quod Palæstini aliter exprimunt : לשון תליתאי קטיל תלתא קטל למספרו ולמקבלו ולאומרין עליו *Lingua tertia* (sic calumniantem ab hoc ipso perniciosissimo eventu & effectu vocant) *occidit tres; Loquentem, audientem, & de quo dicitur*. Unde volunt suos ἀπὸ παντὸς εἴδους epidemici hujus mali abstinere, usque adeo עד שאמרו דרך משל מאן דאית זקיפה בדיוקתיה לא לימא ליה זקוף ביניתא *ut moneant ; exempli causa; Si quis in sua familia habeat suspensum, ne quis illi dicat: Suspende mihi hunc piscem*. Tum *quia suspendii vox est ignominiosa, tum ne tacite opprobrium domesticum refricare videatur*. Improbant etiam אבק לשון הרע *pulverem linguæ malæ*, (de quo prolixe *Maim.* loc. cit.) id est,

eſt, ſubtiles, & indirectas ſycophantias atque calumnias, quo referunt 1. eum, המשבח חבירו בפני שונאו *qui laudat proximum ſuum, præſente ejus adverſario*; qui ad evomenda ſua convitia, quibus laudem obſcuret, irritatur. 2. Qui per riſum & jocum calumniatur ſocium ſuum, ac proteſtatur, ſe id ex animo aut deſtinata malitia non feciſſe. 3. Cum quis dixerit: Mittite hunc. Nolo commemorare quid ego in illo obſervarim, aut quid ei contigerit, &c. de quibus fuſe *Maim.* loc. cit. Vocatur autem *pulvis*, quia ut Rab. *Sol. Jarchi* ſcribit, *non eſt lingua mala ſimpliciter, ſed modus linguæ malæ, ſicut pulvis qui aſcendit* ex contuſione rei alicujus, in mortario. Conferatur etiam Lex. Talmud. *Buxtorf.* R. אבק & לשן *Florileg. Hebr.* pag. 35. De pœna hujus peccati ita loquitur *Maim.* loc. cit. אמרו חכמים שלש עבירות נפרעין מן האדם בעולם הזה ואין לו חלק לעולם הבא עכום וגילוי עריות ושפיכות דמים ולשון הרע נגד כולן *Dicunt Sapientes: Tria peccata vindicantur in homine in hoc mundo, neque ei pars erit in vita futura, idololatria, denudatio verendorum, id eſt, illiciti concubitus, & ſanguinum profuſio, lingua denique mala his omnibus æquivalens.* Et Rab. *Levi*, ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ורגל על לשונו עובר על לאו והוא כעובר על מצות מלך ואין בו מלקות לפי שהוא לאו שאין בו מעשה וכמה שלוחים למקום להלקות מלבד רצועה של עגל ושל פרות ואעפ שאין בלאו הזה מלקות לפי שאין בו מעשה פעמים שיש בו חיוב מיתה אפי׳ בידוע בדין מוסר וזה הדין התירו חכמים לעשות אפי׳ חוצה לארץ לתיקון העולם מוטב ימות איש אחד ולא יזיק ויאבד לרבים גופם או אפילו ממונם *Uſus hujus interdicti obligat, omni loco & tempore, utrumque ſexum. Legirupa, qui lingua ſua alium obtrectarit, violat negativum, habeturque tranſgreſſor præcepti regii; neque tamen propterea vapulat, quia nulla hic actio. Quot vero Deo ſunt nuntii, quibus* (rei) *cædantur, etſi non loris vitulinis aut vaccinis? Etſi vero nulla ob negativum hoc, deficiente actione, infligantur verbera, ſæpe tamen mortis reatus contrahitur, ut conſtat ex judicio traditoris, quod quidem judicium Sapientes exercere permittunt, etiam extra terram Iſraelis ad mundi diſpoſitionem* (in bonum & ſalutem orbis terrarum). *Præſtat enim unum mori hominem, ne noceat & perdat multorum vel corpora vel facultates. Moſerim* ſeu *Traditorum* duo ſunt genera, obſervante *Maimon.* Hil. Teſch. cap. 3. (vide *Theſaur. Philol.* p. 14.) quorum *illi* tradunt ſocium in manus Cuthæorum, ad occidendum eum, vel ad percutiendum; *Hi* facultates Cuthæis, vel prædonibus produnt. Utriſque Magiſtri abjudicant vitam æternam; & cum fateantur, extra terram ſupplicia capitalia ſibi ademta, in *Traditorem* tamen ejuſmodi arbitrium vitæ neciſque ſibi ſumunt, qua de re ex *Talmud.* & *Maim.* R. *Levi* paulo fuſius agit hac ipſa Sectione. Maimonidæ ſententia eſt: כיון שאמר הריני מוסר פלוני בגופו או בממונו ואפי׳ ממון קל הרי זה התיר עצמו למיתה ומתרין בו ואומרים לו אל תמסור אם העיז פניו ואמר לא כי אליו אמסור מצוה להרגו וכל הקוד׳ להרגו זכה עשה המוסר אשר זמם ומסר יראה לי שאסור להרגו אלא אם כן הוחזק למסור הרי זה יהרג שמא ימסור אחרים עב׳ לשון הרב שצריך התראה למי שאינו מוחזק למסור ושיקבל התראה ולמי שהוא מוחזק למסור נראה מתוך דבריו שאין צריך התראה ואין המוסר יכול לומר בשביל שפלוני מיצר לי אני מוסרו ביד עכום שאין זה פוטרו מעונשו אבל המיצר לציבור מותר לציבור למוסרו ביד עכום *Quod, poſtquam* (Traditor) *dixerit: Ecce ego trado N. cum corpore ſuo aut facultatibus ſuis, etſi illæ leviores ſint, hic ſui occidendi copiam facit ipſe, eum proinde monentes ſic compellant: Ne tradas. Quod ſi frontem perfricet, & dicat, ſe illi eum traditurum, præcepto talis jubetur occidi, quiſquis ergo primus accedit, vitaque illum privat, impune illud facit. Ubi Traditor, quod mente concepit ſcelus, dederit effectum, & tradiderit, tum meo judicio, occidere eum non licet; niſi habeatur pro tali, qui porro traditurus eſſet. Talis omnino occidendus eſt, ne alios tradat.* Hæc ille. *Vult Raſ, neceſſariam eſſe admonitionem illi, de quo nulla præſumtio, quod traditurus, ſed quod eam* (admonitionem) *admiſſurus ſit. Qui vero præſumitur traditurus, hic, quantum verba ejus præ ſe ferunt, non opus habet admonitione. Neque traditor poteſt dicere, propterea quod N. moleſtus mihi eſt* (anguſtia me afficit) *tradam eum Idololatris, neque enim hoc ipſum a pœna liberaret; ſed qui integrum cœtum affligit, illum poteſt cœtus tradere Idololatris.*

CCXLIV. שלא לעמוד על דם *Non ſtandum ſuper ſanguinem*, id eſt, שלא נמנע מלהציל נפש מישראל כשנראהו בסכנת המיתה והאבדה ויהיה לנו יכולת להצילו בשום צד שנ׳ לא תעמוד על דם רעך *Ne ceſſemus eripere animam Iſraelitæ, cum viderimus eam in mortis & interitus eſſe periculo, cum videlicet liberare eam, quocunque poſſumus modo*, q. d. Non ſtabis ſuper ſanguinem proximi tui, *Levit.* 19. v. 26. Quærunt autem Deuterotæ in Sanhedrin: מנין לרואה את חבירו שטובע בנהר או חיה גוררתו או

או ליסטים באים עליו שהוא חייב להציל בנפשו שנ׳ לא תעמוד על דם רעך *Unde conjicitur, quod videns proximum, quum ſe vel flumini immergit, aut quem beſtia raptat, aut latrones eum invadunt, teneatur vitam ejus eripere? Quia dicitur*: Non ſtabis ſuper ſanguinem proximi tui. Ex hoc præcepto aliud eliciunt axioma univerſale שלא לכבוש עדות כדי שלא יאבד חבירו וממונו וכן הוא בעסרא מנין שאם נודע לו עדות שאינו רשאי לשתוק עליה שנ׳ לא תעמד על דם רעך ומנין שאם ראיתו טובע בנהר וכו׳ ומנין לרודף אחר חבירו להרגו שאתה חייב להצילו בנפשו שנ׳ לא תעמד וגו׳ *Non eſſe ſupprimendum teſtimonium, ne interitum afferat ſocio ſuo, aut facultatibus ejus. Ita enim in Siphra legimus: Unde colligimus, quod ei, qui notitiam habet teſtimonii alicujus, non liceat ſilentio illud tegere? Quia dicitur*: Non ſtabis ſuper ſanguinem proximi. *Unde, quod, cum ipſum videris demerſum in flumine? &c. Unde, quod, cum obſerves aliquem proximum ſuum inſequentem, & ejus vitæ inſidias parantem, diſcis, quod ipſum tenearis liberare? Quia dicitur*: Non ſtabis, &c. Ratio præcepti manifeſta Talionis legi innititur. Tranſgreſſor non vapulat.

CCXLV. שלא לשנוא שנאת הלב אחד מישראל שנ׳ לא תשנא את אחיך בלבבך *Non eſſe proſequendum odio cordis, quenquam Iſraelitam*, q. d. Non odio habebis fratrem tuum in corde tuo; *Levit.* 19. 17. Vide *Maim.* Hil. Deoth. c. 6. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה וקבע שנאה בלבו לאחד מכל ישר׳ הכשרים עבר על לאו זה ואין לוקין עליו שאין בו מעשה אבל בשנאת הרשעים אין בו איסור אלא מצוה לשנאותם אחר שנוכיח אותם על חטאים ולא רצו לחזור בהם שנ׳ הלא משנאיך יי׳ אשנא ובתקוממיך אתקוטט *Uſus hujus præcepti, omni loco & tempore, obſtringit utrumque ſexum. Tranſgreſſor, qui odio proſecutus fuerit aliquem Iſraelitam perfectum, violat hoc negativum, propter quod tamen eum non flagellant, quia nullum concurrit opus. Odium autem in impios non eſt prohibitum, ſed jubemur eos odiſſe, poſtquam aliquoties propter peccata ſua a nobis reprehenſi, reverti ab iis noluerint*, q. d. Annon oſores tuos odio habebo, & propter eos, qui inſurgunt contra te, me torqueo? *Pſal.* 139. v. 21.

CCXLVI. שלא לבייש אחד מישראל וזה העון יקראו ז״ל מלבין פני חבירו ברבים והלאו על זה הוא מה שכתוב הוכח תוכיח וגו׳ ולא תשא עליו חטא ואמרו בספרא מנין שאם הוכחתו אפי׳ ד׳ וה׳ פעמים חוזר והוכח שנ׳ הוכיח תוכח אתה חייב אפילו ילבינו פניו ת״ל ולא תשא עליו חטא *Ne confundamus quemquam ex Iſraelitis. Atque hoc peccatum vocant Magiſtri noſtri*, vultum proximi ſui pallidum reddere publice. *At negativum hoc contrariari videtur textui*: Corripiendo corripies eum, neque ſuper eo habeas iniquitatem (alii, impinges ei crimen) *Lev.* 19. v. 17. *Et in Siphra dicunt: unde habes; quod, ubi reprehenderis eum quater aut quinquies, inſtandum tibi & iteranda ſit correptio? Quia dicitur*: Reprehendendo reprehendes. *Annon facere hoc teneris, etiamſi palluerit vultus ejus? Imo, docet Lex: Neque habeas iniquitatem ſuper eum.* Senſum hujus Legis commodius licebit intelligere ex *Maim.* Deoth. cap. 6. S. 8. המוכיח את חבירו תחלה לא ידבר לו קשות עד שיכלימנו שנ׳ ולא תשא עליו חטא כך אמרו חכמים יכול אתה מוכיחו ופניו משתנות ת״ל ולא תשא עליו חטא מכאן שאסור לאדם להכלים את ישראל וכל שכן ברבים *Qui prima vice proximum ſuum reprehendit, non dura cum eo loquatur, ut confundat eum, quia ſcriptum eſt: Neque habeas ſuper illo peccatum. Ita dicunt Sapientes: Num potes ita reprehendere proximum tuum, ut mutetur vultus ejus? Repugnat Scriptura, docens*: Ne feras ſuper eo peccatum. *Unde probibitum eſt, ne quis ſeorſim confundat proximum ſuum, multo minus publice*. Rationem præcepti reddit Rabbi *Levi*, לפי שהבושת צער גדול לבריות אין גדול ממנו ועל כן מנענו האל מלצער בריותיו כל כך כי אפשר להוכחה ביחוד ואל יתבייש החוטא כל כך *Quia confundi creaturis tam eſt* moleſtum, *quam quod maxime. Noluit proinde Deus nos affligere creaturas ſuas, adeo ut ſi commode reprehenſio fieri poſſit ſeparatim; non debeat peccator in ruborem* (vel, ut illi loquuntur, in pallorem) *converti publice*. In hujus tamen præcepti obſervatione monent Rabbini, aliam rationem eſſe τῶν πρὸς Θεὸν, aliam τῶν πρὸς ἄνθρωπον. In rebus divinis acriter inſtandum, & quidquid ad emendationem peccatoris fecerit, tentandum; in reliquis moderatio ſuadetur. Rab. *Levi*; אמרו ז״ל שלא בכל הדברים שבין אדם לחבירו אבל בדברי שמים אם לא חזר מן התוכחה שבסתר סותר להכלימו ברבי׳ ולפרסם חטאו ולבזותו ולקללו עד שיחזור למוטב כדרך שעשו הנביאים לישראל *Tradunt Magiſtri, hanc admonitionem non ad omnes omnino extendi res, ſed ad eas tantum, quæ inter homines mutuo intercedunt. Ubi Dei cauſa agitur, ſi non redeat* (peccator) *ad frugem, reprehenſione clam facta, licet eum* παραδειγματίσαι, *& proſtituere peccatum ejus, ipſum contemnere, & maledictis inſectari, uſque dum in meliorem redeat viam; eodem plane modo quo Prophetæ*

ſunt

ſunt ſoliti tractare Iſraelem. In negotiis vero humanis adeo hic rigor non placet, ut Rabbinorum judicio conſultius ſit homini שיפיל עצמו לכבשן האש ואל ילבין פני חבירו ברבים *ut præcipitet ſe in fornacem ignis, quam pallidum publice efficiat vultum proximi ſui*. Exempli loco Thamarem afferunt, quæ maluerit ſupplicium ignis ſubire, quam ſocerum ſuum publice confundere. Præceptum eſt καθολικὸν, temporis, loci & perſonarum ratione. Tranſgreſſor voluntarius, non quidem eſt μαστιγώσιμος, quia actionem non includit, eſt tamen παραβάτης νόμȣ βασιλικȣ̃, in quem Deus infinitis facile animadvertere poteſt modis.

CCXLVII. שלא לנקום. *Non eſſe vindictam ſumendam*, de Iſraelita videlicet, ut habet Rab. *Levi*, vel *proximo ſuo*, ut eſt in *Maim.* Hoc quid ſit, videamus; והענין הוא כגון ישראל שהרע או צער לחבירו באחד מכל הדברים ונוהג רוב בני העולם הוא שלא יסורו מלחפש אחר מי שהרע להם עד שיגמלוהו כמעשהו הרע או יכאיבוהו כמו שהכאיבם והזה הענין מנענו הש״י באמרו לא תקום ולשון ספרא עד היכן כוחה של נקמה אמר לו השאילני מגלך ולא השאילו למחר אמר לו השאילני קרדומך אמר לו משאילך שלא השאלת לי מגלך לכך נאמר לא תקום ועל כגון זה כל הדברים. *Res autem hæc ita ſe habet; cum, exempli gratia, Iſraelita moleſtia aut dolore affecit proximum quocunque modo, non ceſſant plerique homines occaſioni tam diu inhiare, donec male facienti ſibi, paria reddiderint, eodemque modo triſtitia illum affecerint: Atque ab hoc vitio Deus Benedictus mandato hoc ſuo*: Ne ulciſcaris; *nos coercet. In Siphra legimus. Quo uſque vis vindictæ ſe extendit? Si quis alteri dicat: Da mihi mutuo falcem tuam, neque dat; Hic vero cras ab altero utendam petat ſecurim, qui, negaturus illam, dicat: Non mutuo do, quia neque tu mihi falcem tuam dediſti; propterea dictum eſt*: Ne ulciſcaris. Atque hæc ratio in aliis quoque obtinet. Cauſam finalem præcepto Rab. *Levi* aſſignat ſequentem, שידע האדם ויתן אל לבו כי כל אשר יקרהו מטוב עד רע הוא סבה שתבא עליו מאת הש״י ומיד האדם מיד איש אחיו לא יהיה דבר בלתי רצונו בה״ על כן כשיצערהו או יכאיבהו אדם ידע בנפשו כי עונותיו גרמו והש״י גזר עליו בכך ולא ישית מחשבותיו לנקום ממנו כי הוא אינו סבת רעתו העון הוא המסבב וכמו שאמר דוד ע״ה הניחו לו ויקלל כי אמר לו תלה הענין בחטאו ולא בשמעי בן גרא ועוד נמצא במצוה תועלת רב להשבית ריב ולהעביר המשטמות מלב בני אדם ובהיות שלום בין אנשים יעשה הש״י שלום להם: *Ut noverit homo, & ad animum revocet, quod, quicquid ei, ſive bonum, ſive malum, acciderit, ipſe cauſa ſit, cur a Deo Benedicto illud immittatur. Unde nihil a quoquam, imo ne a fratre, ei continget abſque voluntate Dei Benedicti. Proinde, ſi quis ipſum moleſtia aut dolore affecerit, ſciat, peccata ſua cauſam eſſe, & quod Deus hoc de illo decreverit, neque ulciſci aut perſequi cogitet illum, qui non eſt cauſa iſtius calamitatis (peccatum enim cauſa illius exiſtit) quemadmodum dicit David*: Sine ipſum, ut maledicat: quoniam ſic ei [*Deus*] præcepit. *Suſpendit negotium hoc a peccato ſuo, non a Simei, filio Gera. Habet hoc præceptum aliam etiam inſignem utilitatem, ut tollantur lites, & aboleantur odia ex cordibus hominum, & ut pax ſit inter homines, ipſe Deus Benedictus inter illos eam componit*. Uſus præcepti omnium locorum eſt, temporum & perſonarum, ועובר עליה וקבע כלבו לשנא חבירו על שהרע לו עד שיגמלהו כרעתו עבר על לאו זה ורעתו רבה כי סבה הוא לתקלה מרובה אבל אין לוקין עליו לפי שאין בו מעשה שאע״פ שעשה בו מעשה אינו לוקה עליו מפני כן מכיון שאפשר לעבור על הלאו מבלי מעשה ותזכר דבר זה בכולן כי דבר ברור הוא אין צריך לשנותו במקום אחר. *Tranſgreſſor, qui corde ſuo concepit odium contra proximum ſuum (propterea quod damno ipſum affecit) donec par malo illius retulit, violat hoc negativum: Eſtque malitia ejus magna, quia cauſa exiſtit multiplicis ſcandali; ſed non vapulat propter illud, quia nulla concurrit actio. Imo quamvis aliqua in eo eſſet actio, non tamen cædunt eum, quia hoc negativum facile poteſt violari ſine concurſu actionis. Atque hujus memento in omnibus aliis. Quod quia clarum eſt, nulla deinceps indigebit repetitione*. Confer *Maimon.* Hil. Deoth cap. 7. סמג N. S. 11. 12. סמק S. 128. 129.

CCXLVIII. שלא לנטור. *Non oportere* μνησικακεῖν. Ita enim Rabbini verbum נטר *retinere*, explicant, שנמנענו מלנטור בלבבנו מה שהרע לנו אחד מישראל ואע״פ שנסכים בנפשותינו שלא לשלם לו גמול במעשיו אפילו בזכירת חטאו בלב לבד נמנענו ועל זה נאמר לא תטור. *Non licere alta mente retinere repoſtam injuriam, ſi qua nos affecit Iſraelita, etſi conſtitutum nobis ſit, nos ei ſecundum malitiam ipſius non retributuros; ne quidem meminiſſe peccati ejus in corde licet, de hoc enim dictum eſt*; Non ſervabis; *Levit.* 19. v. 18. Ratio hujus præcepti eadem eſt, quæ ſuperioris.

CCXLIX. שלא להרביע בהמה כלאים שנ׳ בהמתך לא תרביע כלאים. *Heterogeneis animalium ſpeciebus non eſſe congreſſum permittendum*, q. d. Animal tuum

non

non facies coire cum diversi generis animali, *Levit.* 19. v. 19. Ratio præcepti est, ut omnia primo Creatoris ordini, quo perfectioni creaturæ consultum voluit, respondeant. Ita enim Rab. *Levi :* הקבה׳ ברא עולמו בחכמו בתבונה ובדעת ועשה וצייר כל הצורות לפי מה שהיה צורך ענינם ראוי להיות מכוונות כיוון השלם ובה׳ היודע והו שנ׳ במעשה בראשית וירא אלהים את כל אשר עשה והנה טוב מאד וראייתו בה׳ הוא ידיעתו והתבוננותו בדברים כי הוא בה׳ לגודל מעלתו אינו צריך לראיית העין אלא הדברים אחר מעשה כי הכל נגלה וידוע ונראה לפניו קודם מעשה כמו אחר מעשה אבל התורה תדבר לבני אדם במלות מכוונות אליהם ותכנה בש׳י דברים כדברים המכונים בהם שאי אפשר לדבר עם בריה אלא כמה שידוע אליו כי מי יבין שאין בכחו להבין וער׳ כיוצא בזה אמרו ז״ל כדי לשבר את האזן מה שהיא יכולה לשמוע ובהיות יודע אלהים כי כל אשר עשה הוא מכיון בשלימות לעניינו שהוא צריך בעולמו צוה לכל מין ומין להיות עושה פירותיו למינהו כמו שכתוב בסדר בראשית ולא יתערבו המינין פן יחסר שלימותן ולא יצוה עליהם ברכתו ומזה השרש לפי הנראה במחשבותינו נמנענו מהרביע הבהמות כלאים. *Creavit Deus Benedictus mundum suum in sapientia, intelligentia & scientia, fecitque & efformavit formas omnes, prout cuique necessarium erat, ut essent dispositæ dispositione perfecta. Id quod Deus noverat, juxta id quod legimus in opere creationis.* Et vidit Deus quicquid fecerat, & ecce, erat valde bonum : *Videre autem ejus, est illius* scire & intelligere *rem. Neque enim Deus Benedictus, ob magnitudinem excellentiæ suæ, opus habet ut oculis intueatur res, postquam fecit eas. Quia omnia illi sunt* τετραχηλισμένα, *nuda & aperta non minus ante, quam post opus. Lex tamen filiis hominum se applicat, vocibus illis aptis, & Deo tribuit Epitheta, quæ de illis* (hominibus) *dici solent : Neque enim creaturæ quicquam dici potest, nisi quod illi notum est. Quis enim intelligit, quod suis viribus assequi non potest? Atque de talibus dicunt Magistri : Ad frangendum* [sed rectius legitur לשבך ad *componendum*; quanquam & illa lectio in quibusdam Rabbinorum scriptis occurrat] *aures, ut possit rem audire* [intelligere, assequi, ideo Lex ἀνθρωποπαθῶς sæpe loquitur.] *Et quia novit Deus, quod, quidquid fecit, ordinatum est ad perfectionem naturæ suæ, cujus in mundo est indigus, unicuique propterea speciei præcepit, ut fructum suum edat secundum speciem suam, quemadmodum scriptum est* Gen. I. *neque commisceantur species, ne perfectio earum deficiat, super quibus proinde benedictioni suæ non præcepit. Atque hac de causa, quantum meis assequi possum cogitationibus, probibemur concedere congressum diversarum specierum bestiis.* Canones de hoc præcepto observa sequentes. I. לאו דוקא בהמה לבד היא באיסור זה אלא אפילו חיה ועוף. כל שהרביען בשאינן מינן לוקה. *Non præcise bestia tantum hoc interdicto continetur, etiam fera & volucris; Qui heterogeneas eas commiscet, vapulat.* II. מותר להכניס שני מינין לסהר אחד ואם רבעו זה את זה אין זיקוק להפרישן III. Ne quidem Judæis per Gentiles hanc violare licet Legem אסור לישראל להרביע בהמתו כלאים על ידי גוי IV. Fœtum tamen heterogeneorum nec usu nec esu interdictum, si ex bestiis fuerint mundis. Tradunt enim Magistri; שמי שעבר להרכיב בשאינו מינו הנולד מהן הוא בהנאה ובאכילה ובלבד ששתיהן בהמות טהורות וכל שהן שני מינין בכלל איסור זה אע״פ שדומין זה את זה וכל שהן מין אחד אע״פ שהאחד מדברי והאחד ישובי מותרין אבל אווז ישובי ואווז הבר אינו בהיתר זה שהן שני מינין שהישובי V. ביציו מבפנים והמדברי ביציו מבחוץ כלאים עם הבהמה וחיה ואין לוקין עליו בענין איסיר זה הכל .VI מפני שהוא ספק .הולך אחר האם שאין חוששין לזרע האב De reliquis consulatur *Talm.* Mass. Kilaim; *Maim.* Hil. kil. c. 8. סמג N. S. 281. סמק S. 163. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה והרביע כלאים והוא שהכניס כמכחול בשפופרת לוקה מן התורה ואם העלה זה את זה .או שעזרם בקול מכין אותו מכת מרדות

CCL. שלא לזרוע כלאי זרעים ולא נרכיב .אילן בשום מקום בארץ. *Non serenda semina heterogenea, neque inserenda arbor* (arbori heterogeneæ) *uspiam locorum in terra Israelis.* Vel, aliter, in ipso textu: שלא לזרע שני מיני מינים כגון חטה ושערה או פול ועדשה ביחד בארץ ישראל דוקא שנ׳ שדך לא תזרע כלאים ובא הפירוש .עליו שבשדה שיהיה לנו בארץ הכתוב מדבר. *Ne duo diversa seminum genera serantur, triticum videlicet & hordeum, aut faba & lens pariter in terra Israel expresse,* q. d. Agrum tuum non seres diverso semine. *Ex mente autem, & explicatione* (Magistrorum) *Scriptura de illo loquitur agro, qui nobis fuit in terra.* Ratio ex superiori præcepto repetenda est. Canones contra hanc consuetudinem ἑτερογενείας observabimus sequentes, I. אחד הזורע ואחד המנכש או המכפה בעפר כולן בכלל זריעה הן ללקות עליהן ובין שחפה אותם .בידו או ברגלו או אפילו בכלי על כלן לוקה. *Et qui serit, & qui runcat* (heterogenea nempe) *& qui operit pulvere* [stercorat] *omnes continentur sub Lege, quæ hoc loco de satione, sub verberum pœna, fertur. Vapulat autem talis sive tegat ea* (su-

(ſubigat ſemina) *manu ſive pede, ſive etiam inſtrumento*. II. הזורע בעציץ נקוב בזורע בארץ ממש הוא. *Qui ſerit ea in vaſe concavo perinde eſt ac ſi ſeviſſet in ipſa terra*. III. אין איסור משום כלאי זרעים אלא זרעים הראוים למאכל אדם אבל זרעים המרים אפילו עובד לרפואת בני אדם אין בהם משום כלאי זרעים. *Interdictum de ſeminibus heterogeneis tantum concernere ſemina eſui hominum apta; cætera vero amara, etſi medicinæ hominum inſerviant, nullam habere rationem* ἑτερογενείας *ſeminum*. IV. כלאי אילנות הרי הן בכלל לאו זה של שדך לא תזרע כלאים. *Heterogenea arborum comprehendi ſub hoc negativo* : Non ſeres agrum tuum. Hæc vero ἑτερογένεια tantum fit דרך הרכבה. *Modo inſitionis*; nempe, cum quis שהרכב ייחור של תפוח באתרוג וכן כל כיוצא בזה שהן מינין אבל דרך זריעה כגון לזרוע זרע אילן עם זרעים דבר זה מותר אפילו לכתחלה חוץ מן הכרם. *Inſerit ramum ficus malo citreo, & ſic in aliis omnibus diſtinctis ſpeciebus. Modus tamen ſationis, ut cum quis ſerit ſemen arboris cum aliis rebus, licitus omnino eſt, excepta vite*. V. הזורע זרעים כלאים וכן המרכיב אילנות כלאים אעפ שיש מלקות בכל אחד מאלו הרי אלו מותרין באכילה ושלא נאסר אלא זריעתן לבד וכן התירו ליטע ייחור של אילן שהורכב כלאים או לזרוע מזרע שנזרע כלאים. *Etſi, qui vel heterogenea ſerit, vel arbores diverſas inſerit, propter utrumque vapulet, ipſorum tamen eſus eſt conceſſus : Neque quicquam prohibetur, niſi ſatio eorum. Ita permittunt plantare ramum arboris heterogeneæ inſitæ, aut ſerere ſemen ex heterogeneo productum*. Sed prolixa ſatis eſt hæc materia de ſeminibus, (quorum tres numerant ſpecies, תבואה קטנית זירועי גינה Illud *frumentum*, iſtud *legumina*, hoc *olera* ex parte complectitur) ſpatio, quod inter diverſarum ſpecierum areolas requiritur, &c. tractata in *Talm.* Maſſ. & *Maimon.* Hil. citatis ; סמג N. S. 279. סמק S. 162. 166. quo ſtudioſum remittimus, ונוהג איסור כלאי זרעים בזכרים ונקבות בארץ ישראל בלבד למו שאמרנו אבל בחוצה לארץ מותר לערב הזרעים לכתחלה ולזורען ובפי׳ בארץ אין האיסור אלא לישראל אבל מותר לומר לגוי לזרוע לו כלאים ומכל מקום אסור לקיימן לכשיגדלו בשדהו וכל זה שאמרנו דוקא בכלאי זרעים אבל כלאי האילנות כלומר ההרכבה שהיא אסורה בהן נוהגת אפילו בחוצה לארץ ועובר על זה בין איש בין אשה וזרע כלאי זרעים בארץ ישראל חייב מלקות והמרכיב אילן באילן שאינו מינו או ירק באילן או אילן בירק אפי׳ בחוצה לארץ וכל שכן בארץ חייב מלקות גם כן. *Uſus interdicti de heterogeneis ſeminum, in maſculis & fœmellis locum habet in terra Iſraelis tantum, quemadmodum* (author n. שדך *agrum tuum* terræ tantum ſanctæ cancellis jam ſupra, Rabbinorum verbis, incluſit) *diximus. Extra terram autem licet commiſcere ſemina, eademque ſerere. Neque vero in terra interdictum hoc ab alio obſervatur, quam Iſraelita; Gentili ejus juſſu, licet heterogenea illi ſerere. Sed & vetitum eſt ea alere, poſtquam jam in agro ejus creverunt. Atque hoc omne, quod diximus, intelligi debet de heterogeneis ſeminibus;* ἑτερογενείας *autem arborum ſive inſitionis probibitio obtinet etiam extra* (traditione enim Rab. Schem. eodem loco habetur הרכבת אילן והרבעת בהמה שנוהג בכל מקום *inſitio arborum & commixtio beſtiarum, quæ ubique recepta eſt*) *terram. Tranſgreſſor, ſive vir fuerit, ſive mulier, qui heterogenea ſeverit ſemina in terra Iſraelis, reus eſt flagellationis. Et qui arborem inſerit arbori heterogeneæ, aut olus arbori, etiam extra terram, quanto vero magis in terra? idem verbera meretur*. Et ut Legem hanc ſtrictius Judæi in terra ſancta obſervarent, באחר באדר ששמיעין על השקלים ועל הכלאים וכל אחד יוצא לגנתו ולשדהו ומנקה אותו מהם. *Primo die menſis Adar monebantur per præconem de ſiclis, & heterogeneis; ut unuſquiſque in ſuum egreſſus hortum & agrum ab illis eos purgaret*, ושיעור הרחקת שני מיני ירק שלא יינקו זה מזה אמרו ז״ל שהוא טפח ומחצה לכל אחד שנמצא ריוח בין שניהם ג׳ טפחים. *Menſura autem remotionis duarum ſpecierum olerum, ne altera ab altera ſuccum exſugat* (germina coaleſcant) *ſecundum Rabbinos definitur ſeſqui palmo utrinque, adeo ut inter utramque ſpeciem ſpatium detur trium palmorum*.

CCLI. שלא לאכול ערלה *Non eſſe edendum præputium*. Vel; שלא נאכל מפירות האילן תוך זמן ערלתו והם שלש שנים ראשונים לנטיעתו ואחד הנוטע נטיעה או ייחור מן האילן שנ׳ שלש שנים יהיה לכם ערלים לא יאכל. *Ne comedamus de fructibus arboris, durante præputio ejus, per primos tres, a plantatione ejus, annos. Perinde autem eſt, ſive plantam quis plantet, ſive ramum de arbore*, q. d. Tribus annis erit vobis incircumciſus, non comedetur ejus fructus, *Lev.* 19. v. 23. Refertur autem ייחור proprie ad *ficum*, ſicut זמרה ad *plantam*, & נרופיות ad *oleas*. Rationem præcepti Rab. *Levi* repetere jubet ex Lege 220. quibus addere placet aliam, eamque Tropologicam, ut nempe Iſraelitæ, præputii arborum recordatione, de tollendo cordis, aurium, &c. præputio ſint ſolliciti. Unde in *Tanch.* fol. 8. legitur : חמש ערלות הן

ארבע

ארבע באדם ואחד באילן *quinque ſunt præputia, quatuor in homine, & unum in arbore.* ערלת אזן *præputium auris*, de quo ſcriptum eſt: Ecce, præputiata eſt auris eorum, *Jerem. 6. v. 10.* ערלת הלב *præputium cordis*, ſicut ſcriptum eſt: Et circumcidetis præputium cordis veſtri; *Deuter. 10. v. 16.* ערלת לשון *præputium linguæ*, ſicut ſcriptum eſt; Præputiatus labiis, *Exodi 6. v. 12.* ערלת בשר *præputium carnis*, ſicut dicitur: Et circumcidetis carnem præputii veſtri, *Geneſ. 17. v. 11.* Neque ἀπροσδιόνυσον huic αἰτιολογίᾳ eſt illud ex *Betza;* נטיעה מקטע רגליהון דקצבים ודבעולי נדורת *Plantatio præcidit pedes lanionum, & eorum, qui comprimunt menſtruales. Baal Aruch* ſic enarrat: Homo maximas facit impenſas, ut plantet vineam & ſimile quid, & tamen exſpectat annos præputii, & annum quartum propter obſervationem præcepti; Is autem, cujus uxor eſt menſtrualis, non poteſt exſpectare donec purificetur, neque exemplo arboris plantatæ officii monetur. Nec lanius exſpectat donec licita fiat beſtia, ſed de ea edit ante ejus explorationem. Canones hujus Legis ſunt, I. הנוטע לסייג ולקורות פטור מן הערלה דעץ מאכל כתיב כלומר שלא יטע אותו לדעת שיאכל פירותיו אלא שיהיה האילן סייג סביב נגתו או לדעת שיעשה סמנו קורה לביתו נטע לסייג או לקורה וחזר וחשב עליו למאכל חייב בערלה: *Qui aliquid plantat, ut vel ſepimenti vicem illud præſtet, vel trabis, liber eſt a Lege præputii arboris eſculentæ, de qua Scriptura agit, ne eam plantet, ea nempe mente, ut edat fructus ejus: Si nempe eo plantet animo arborem, ut ſit ſepimentum, hortum ſuum circumvallans, aut ut inde domui ſuæ trabem faciat.* Sed ſi propterea, *ut vel ſepimenti, vel trabis officium faciat, eam plantat, poſteaque mutata ſententia, deſtinet eſui, tenetur lege præputii.* II. שומר הפרי חייב בערלה *Cuſtos fructuum* (ſic vocari ſolent putamina in nucibus, malogranatis, amygdalis, & ſimilibus) *etiam ſubjacet legi de præputio*. Unde & illud פריו *fructum ſuum* explicant, נופל הנופל לפריו כלומר שומר הפרי *quod deciderit de fructu ejus, ut eſt cuſtos fructus.* Excipiunt nonnulli הצלף de qua Rabbini: הצלף חייב בערלה מן האביונות בלבד אבל הקפריסין מותרין Tzelaph *præputii lege tenetur ratione tantum baccarum; ſed capparis cortex permiſſus eſt.* Triplicem arbor illa profert fructum, תמרות *dactylos*, inter folia extuberantes, & creſcentes; baccas, & קפריסין, quod juxta gloſſema Talmudicum ſignificat קליפה גדולה *corticem magnum circa fructum*, ut eſt putamen creſcens circa nucem. Vel, ut eſt in Gloſſ. Talmud. אביונות *baccas;* קפריסין *putamina;* ולולבין & *ſpatulas*. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר על מצוה זו ואכל כזית מפירות האילן תוך שני ערלה או אפילו משומר הפרי אותו הידוע שנאסר עמו חייב מלקות: *Obſtringit Lex omni loco & tempore utrumque ſexum. Tranſgreſſor præcepti, qui vel molem olivæ comederit de fructibus arboris, durantibus annis præputii, aut etiam de cuſtode illorum fructuum probibitorum, incurrit pœnam flagellationis.* Ubi tamen ex *Maimon.* notandum, איסור ערלה בחוצה לארץ הלכה למשה מסינו אמנם לשון התורה הוא בארץ בלבד: *Interdictum præputii, extra terram, eſſe traditionem Moſis e monte Sinai; Legem vero ad ſolam terram illud alligare.* Imo expreſſe addunt Magiſtri, traditione Moſaica haberi אסור ספיקא מותר *Interdicti hujus dubium licitum eſſe*, adeo ut כל זמן שלא ירע הארם בוראי שהיא ערלה שרי ליה למיכל מינירה *quamdiu homo explorate perſpectum non habuerit, eſſe præputiatam arborem illam,* (de qua aliquid decerpere conſtituit) *conceſſum ei ſit de ea edere;* cum בשאר איסורין שבתורה שבכל זמן שיתחדש עלינו ספק בדבר שהוא אסור מן התורה יש לנו לאסור אותו מספק *in reliquis interdictis Legis; quamdiu de re, lege probibita, dubitamus, eam ipſam probibere teneamur, propter dubium.* Alii tamen, ratione locorum, diſcrimen faciunt. Talmudici in *Berach.* ספק ערלה בא״י אסור ובסוריא מותר *Dubium præputium* (arborum) *in terra Iſraelis probibitum eſt: In Syria* (Syria Sobena) *licitum*. Reliqua petantur ex Cod. *Tam.* Orlah.

CCLII. שלא לאכול ולשתות כדרך זולל וסובא *Non eſſe edendum & bibendum more lurconum & potatorum*. Vel; שלא להרבות באכילה ושתייה בימי הנערות כתנאים הנזכרים בבן סורר ומורה בכתוב עם מה שפירשו בו חכמינו ז״ל במסרת סנהדרין ואזהרה לנו על זה מרכתיב לא תאכלו על הדם שכן אמרו בפיר׳ מסנהדרין אזהרה לבן סורר ומורה מנין ת״ל לא תאכלו על הדם כלומר לא תאכלו אכילה שהיא מביאה לשפוך דם והיא אכילת זולל וסובא שחייב על אותה האכילה רעה מיתה *Non eſſe genio indulgendum πολυφαγίᾳ καὶ πολυποσίᾳ, tempore juventutis, ſecundum illas conditiones, quarum facit mentionem in filio degenere & rebelli Scriptura, juxta explicationem Sapientum noſtrorum in Maſſec. Sanhed. Admonitionem autem hujus rei habemus ex eo, quod ſcriptum eſt:* Non comedetis ſuper ſanguine; *Levit. 19. v. 26. Id eſt, ne comeſtionem comedatis, quæ impellat vos ad effundendum ſanguinem. Atque hæc comeſtio eſt edacis*

cis & bibacis, ob quam malam comestionem reus fit mortis. Ratio hujus interdicti, לפי שרוב חטאות בני אדם יעשו בסיבת
רבוי האכילה והשתייה כמו שכת׳ וישמן
ויבעט וכן שמנת עבית כשית ויטש אלוה
ונו׳ וכן אמרו ז״ל מי גרם לך שתבעטי בי
ברסינין שהאכלתיך ודרך כלל אמרו מלי
בריסא זני בישא כלומר מלאוי הכרס יביאו
בני אדם לעשות חטאים רעים והענין הוא
לפי שהמזונות הם עיסת החומר והתבוננות
במושכל וביראת אלהים ובמצותיו היקרות
הוא עיסת הנפש והנפש והחומר הפכים
גמורים ועל כן בהתגב׳ עיסת החומר תחלש
קצרת עיסרת דנפש ומזה השרש היו מן
החכמים ז״ל שלא היו נהנים כמזונות רק למה
שצריך לחהיות לכד נפשם וכמו שכתוב צדיק
אוכל לשובע נפשו ועל כן תמנענו תורתנו
השלימה לטובתנו מהרבות באכילה ושתייה
יותר מדאי פן יתגבר החומר על הנפש
הרבה עד שיחליאה ויאבד אותה לנמרי
ולכן להרחיק הענין עד תכלית הזהרנו על
זה בעונש חזק והוא עונש המיתה *Quia nimius cibus & potus causa existit multorum peccatorum ab hominibus commissorum, sicut scriptum est :* Et impinguatus est, & recalcitravit: Item, Impinguatus est, incrassatus est; operuisti: & dereliquit Deum, &c. *Deuteron.* 32. 15. *Unde & Rabbini dicunt : Quid causæ est, quod calcitraris ventre tuo contra me? Quia cibavi te. Ita & generaliter loquuntur : Plenus venter omne genus malorum est, id est, plenitudo ventris impellit homines ad peccandum graviter. Ratio, quia alimenta sunt massa materiæ* (materialis, gravis) *Intelligentia autem intelligibilium, timoris Dei, & præceptorum ejus pretiosorum, est massa animæ. Anima autem & materia e diametro sibi opponuntur. Propterea, ubi prævaluerit massa materialis, debilitatur quadantenus massa animæ. Atque hac de causa ex Magistris nostris quidam non utebantur alimentis nisi ad sustentationem suam necessariis, prout etiam scriptum est:* Justus edit ad saturitatem animæ suæ. *Proinde etiam Lege nostra perfecta, bono nostro, monemur, ne oneremus nos cibo & potu ultra quam satis est, ne prævaleat materia animæ, eamque in morbum conjiciat, & tandem prorsus perdat. Ut ergo quam essemus remotissimi ab hac re, monuit nos de ea, sub gravi pœna, quæ est mortis supplicium*. והוזהר האדם על זה
בתחלת תוקף חום בחרותו ובראשית בואו
בחיוב שמירת נפשו והם ג׳ חדשים ראשונים
משהתחיל להביא שתי שערות עד שיקיף
כלי הניד ומאותו הזמן יקח מוסר לכל ימיו כי
מהיות ענין המזון ענין תמידי באדם אי אפשר
לו לזולתו לא חייבתו התורה עליו בכל עת רק
שחרו מוסר בזמן אחד להועיל לכל הזמנים.
Atque sic, quæ & Talmudistarum sententia est, in Sanhed. cap. 8. rebellem & degenerem vocant, qui duos pilos produxerit, usque dum, ut loquuntur Talmudici יקיף זקן התחתון ולא העליון Quærunt porro Magistri, 1. *Quis proprie sit degener & rebellis?* R. *Levi* respondeat, nomine cæterorum : שאין בר סורר ומורה
חייב עד שיגנוב משל אביו ויקנה בשר ויין
בזול ויאכל אותם חוץ מרשות אביו בחבורה
שכולן ריקנים ופחותים ויאכל הבשר חי
ואינו חי בדרך שהגנבים אוכלים וישתה
היין מזוג ואינו מזוג כדרך שהגרגרנים
שותים והוא שיאכל משקל חמשים דינר
מבשר זה בלוגמא אחת וישתה חצי לוג
מיין זה בבת אחת. *Non fieri reum rebellem & degenerem, usque dum aliquid patri suo abstulerit, indeque carnem & vinum vili pretio emerit, eaque extra domum patris sui, in consortio abjectorum & contemtorum hominum, comederit: Comederit autem vivam, quæ non viva, ut solent fures comedere; & biberit vinum mixtum, quod non mixtum, more gulosorum, nempe cum ederit pondo* 50. *denariorum de carne, bolo* (prop. bucca) *uno; Et de illo vino biberit Logum dimidium, una vice*. Hæc tamen paulo aliter in *Sanhed.* cap. cit. מאימתי חייב משיאכל
טרטימר בשר וישתה חצי לוג יין האיטלקי
ר׳ יוסי אומר מנה בשר ולוג יין אכל בחבורת
מצוה אכל בעיבור החדש אכל מעשר שני
בירושלים אכל נבלות וטרפות שקצים ורמשים
אכל דבר שהוא מצוה ודבר שהוא עבירה
אכל כל מאכל ולא אכל בשר שתה כל
משקה ולא שתה יין אינו נעשה בן סורר
ומורה עד שיאכל בשר וישתה יין שנ׳ זולל
וסובא ואע״פ שאין ראיה לדבר זכר לדבר
שנ׳ אל תהי בסובאי יין זוללי בשר למו
Quando [filius rebellis] *reus esse incipit? Ex quo comederit carnis dimidiatam minam, vinique Italici sextarium dimidiatum biberit. R. Jose ait, integram carnis minam, & integrum Logum seu sextarium vini. Sed ubi comederit in convivio ex præcepto instituto, in intercalatione mensis; si Hierosolymis ederit de decimis secundis; si morticinia, discerpta, abominabilia, reptilia voraverit, remque omnem, quæ Lege jussa vel vetita sit, adeoque cibi omne genus comedat, potusque omne genus bibat, ni carnem voret & vinum bibat, filius contumax & rebellis non declaratur;* q. d. Epulo & potator; *Deut.* 21. 20. *Quamvis autem nulla huic rei expressa suppetat ratio, suppetit tamen μνημόσυνον, quo illa innuatur:* Ne sis in potoribus vini, & voracibus carnis; *Proverb.* 23. v. 20. 2. *An absque utriusque parentis consensu filius declarari possit rebellis?* Resp. R. *Levi*, אין נעשה דין סורר ומורה אלא כשהאב
והאם שניהם רוצים בכך שנ׳ ותפסו בו אביו

ואמו ואם היה אחר מהם גדם או אלם או חרש איני נעשה בן סורר ומורה שנ׳ ותפסו בו ולא גידמין והוציאו אותו ולא חיגרין ואמרו ולא אלמין בננו זה ולא סומין איננו שומע בקולנו ולא חרשים ומפני כל העניינים אלה הצריכים בו היו מן החכמים שאמרו כי מעולם לא נעשה דין סורר ומורה *Non exercetur judicium in immorigerum & rebellem, niſi uterque parens ſic velit fieri*, q. d. Et apprehendent eum, pater ejus & mater ejus; *Deut.* 21. v. 19. *Si alteruter eorum fuerit mancus, aut mutus, aut cæcus, aut ſurdus, non declaratur filius degener & rebellis*, q. d. Et apprehendent eum; *Ergo non erunt manci*. Et educent eum. *Ergo non erunt claudi*. Et dicent, *neque muti*. Hic filius noſter. *Ergo non cæci*: Non audit vocem noſtram. *Ergo nec ſurdi. Propter hæc omnia, quæ neceſſario requiruntur, erant ex Sapientibus, qui dicerent, quod nullum unquam judicium fuerit exercitum in degenerem & rebellem.* 3. *An ſupplicium mortis propter primum & unum* ἀσωτίας *& rebellionis actum infligatur?* Maimonides ſtatuit, כי הבן סורר יתחייב מיתה על רבוי האכילה ולא חלק כלל להמיתו בין אכילה ראשונה לשנייה ובפי׳ אמרו בגמ׳ בסנהדרין שאכילה ראשונה של בן סורר ומורה אין עושין מיתה כמו שאמרו מתרין בו בפני שנים ומלקין בו בפני שלשה חזר ונתקלקל נידון בעשרים ושלשה. *Filium degenerem reum eſſe mortis ſimpliciter ob* πολυφαγίαν, *abſque diſtinctione inter primam & ſecundam. Expreſſe autem tradunt in Gemara Sanhed. Primam comeſtionem filii degeneris & immorigeri non mereri ſupplicium mortis, his verbis: Admonent eum coram duobus, & flagellant coram tribus. Si ad ingenium redierit, & perverſe egerit, coram viginti tribus judicandus ſiſtitur.* Ex hoc tandem præcepto Judæi alia quædam colligunt poriſmata, nempe, *a.* שיש בו אזהרה לאוכל מבהמה קודם שתצא נפשה *Eſſe in eo admonitionem contra edentem de beſtia, antequam egrediatur anima ejus*, i. e. antequam mortua ſit. *b.* וכן לאוכל בשר קרשים קודם זריקת הדם *Item contra edentem carnem ſanctam, ante ſparſionem ſanguinis. c.* וכן למדו ממנו שאין מברין על הרוגי ב״ד וכן סנהדרין שהרגו את הנפש שאין טועמין כלום כל אותו היום *Hinc etiam diſcunt, quod homines in Synedrio damnatos non cibent: Neque Synedrii aſſeſſores eo die toto, quo ſupplicium de reo ſumunt, quicquam guſtent. d.* שלא יטעום אדם כלום עד שיתפלל *Ne quicquam homo guſtet, antequam conceperit preces.* ונוהגת בארץ ישראל בלבד שאין דנים דיני נפשות אלא שם ובבית דין של כג׳ לכל הפחות ואין דין זה נוהג אלא בזכרים אבל לא בנקבות שאין דרכן להמשך באכילה ושתייה כמו האנשים וזהוא שנ׳ בן סורר ולא בת ולא טומטום ואדרוגינס ואפילו טומטום שנקרע ונמצא זכר אינו נעשה בן סורר שנ׳ כי יהיה לאיש בן סורר ומורה עד שיהיה בן משעת הויה ועובר על זה ונעשה בן סו רר ומורה עלפי כל הדברים שכתבנו נסקל והרי הוא ככל הרוגי ב״ד שממונם ליורשיהם שאע״פ שאביו גרם לו סקילה הרי הוא יורש כל נכסיו. *Habet hoc interdictum tantum locum in terra Iſraelitica: Neque enim alibi ſupplicia capitalia exercent, idque ad minimum, in Synedrio* XXIII. *virorum* (nam trium-viri judicabant דיני ממונות) *Sed neque exercetur judicium hoc, niſi in maſculos; in fœmellas non item, quia non uſitate, more maſculorum, nimio cibo & potu ſe ſaburrant*; q. d. Filius degener, *non filia. Neque obturatus, aut* ἀνδρόγυνος; *quanquam, rupto clauſtro, reperiatur maſculus, pronuntiatur filius degener*, q. d. Cum fuerit viro filius degener & rebellis; *quod utique teſtimonio eſt, filium eſſe debere ab hora ſuæ exiſtentiæ*, i. e. a tempore ipſius nativitatis. *Tranſgreſſor, qui filius degener & rebellis eſt declaratus, juxta ea, quæ modo ſcripſimus, lapidibus obruitur, eademque, qua reliquorum Synedrii ſententia occiſorum, ratione bona ejus cedunt hæredibus. Et quamvis pater ipſe cauſa exſtiterit lapidationis ejus, idem tamen hæreditate omnes ejus facultates adit.* Reliqua petantur ex *Talm.* Maſſ. Sanhed. c. 8. *Maim.* Hil. Mamr. c. 7. סמג N. S. 20.

CCLIII. שלא לנחש *Non eſſe augurandum*; vel, שלא נלך אחר נחשים *Non eſſe conjectationum ductum ſequendum, ſive auguria captanda*, argumento loci, *Lev.* 19. v. 26. Non augurabimini: *Deut.* c. 18. v. 10. Non inveniatur in te augur. ואמרו בספרי מנחש כגון האומר נפלה פתי מפי נפל מקל מידי עבר נחש מימיני ושועל משמאלי וימנע מפני כן לעשות שום ובספרא אמרו לא תנחשו כגון אלו המנחשים בחולדא ובעופות ובכוכבים וכיוצא בהן ע״כ וכן כגון מה שיאמרו המוני העמים הסכלים כיון ששבתי מדרכי שהייתי הולך או צבי הפסיקו או עורב עובר על ראשו או כיון שראיתי דבר פלוני בתחלת היום לא ארויח היום או שום מקרה רע יבואהו כל המעשים וכיוצא בהן הרי בכלל לאו זה: Tradunt in Siphri: *Augur eſt, qui dicit: Excidit bolus meus ori meo: Baculus manui meæ. Prætergreſſus eſt dextram meam ſerpens, & ſiniſtram vulpes; propterеaque abſtinet ab omni operis executione. Et in Siphra:* Ne auguremini; *explicant, more illorum, qui faciunt conjecturam ex muſtela, ex avibus, ex ſtellis, & ſimilibus. Hæc ibi. Ejuſdem farinæ eſt, cum fex fatui vulgi, inquit: Quod, cum a via, qua profectus eram, reverterer, aut*

caprea

caprea in fine ejus occurrisset (prop. caprea abrupisset, aut finivisset illud) *aut corvus crocitans transvolasset caput ejus : Aut, quia initio hujus diei vidi hoc vel illud, non recreabo me; aut quod aliquid adversi ei contingeret. Hæc & id genus alia generaliter hoc negativo comprehenduntur*. Ratio præcepti est, לפי שהענייים אלה הם דברי שגעון וסכלות גמורה ולעם קרוש אמתי אשר בחר האל לא יאות להם שישעו בדברי שקר ועוד שהם סבה להדיח האדם מאמונת השי ומתורתו הקדושה ולבוא מתוכה לכפירה גמורה שיחשב כל טובתו ורעתו וכל אשר יקרהו שהוא דבר מקרי לא בהשגחה מאת בוראו ונמצא יוצא בכך מכל עקרי הדת כן כי חפץ השי בטובתנו צונו להסיר מלבנו מחשבה זו ולקבוע בלבבנו כי כל הרעות והטוב מפי עליון תצאנה לפי מעשה האדם אם טוב ואם רע והנחשים לא מעלין ולא מורידין וכמו שכת' כי לא נחש ביעקוב ולא קסם בישראל *Quia hæc omnia fatua sunt, & extremæ stultitiæ : Non autem convenit, ut populus vere sanctus, quem Deus elegit, delectetur rebus fallacibus. Sunt insuper causa, qua homo a fide Dei Benedicti, & a Lege sancta abducitur, unde progressus fit ad infidelitatem totalem, adeo ut existimet homo, omnia bona & mala, imo omnia sua accidentia, fortuito sibi contingere, citra providentiam Creatoris sui; quo quidem omnia violat Legis fundamenta. Proinde, quia Deus bono nostro consultum voluit, præcepit nobis, ut hanc e corde nostro evellamus cogitationem, mentibusque nostris, omnia bona & mala a Deo prodire, pro ratione operum humanorum, vel bonorum vel malorum, infigamus : & quod conjecturæ* (omina vel auguria) *nec attollant in altum, nec deprimant, quemadmodum scriptum est :* Non est augurium in Jacob, non divinatio in Israele; *Num.* 23. 32. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ועשה שום מעשה על פי הנחש בעדים והתראה לוקה ודוקא בבית דין של כג̃ וכן בכל מקום כמו שכתבנו במה שקדת ובמה שנכתיב לוקה הכוונה היא בארץ הקדושה שהיא מקום המשפט של כג̃ שאון דניך דיני נפשות בחוצה לארץ אלא במוסר לבד לפי שמיתתו הצלה ותחיה לאחרים טובים ממנו: *Obtinet interdictum ubique & semper in utroque sexu. Transgressor, qui quicquam, ductum augurii aut conjectationis secutus, fecerit, testibusque, prævia exhortatione, fuerit convictus, vapulat. Idque præcise sub Synedrio XXIII. Ita ubicunque locorum; sicut scripsimus; tum in antecedentibus, tum in sequentibus, mentionem facimus flagellationis, intentio nostra est, ut intelligatur de terra sancta, quæ locus est judicii XXIII. proprie. Neque enim judicia exercent capitalia extra terram, nisi in Traditorem tantum, quia mors ejus liberatio est & conservatio eorum, qui meliores sunt ipso*. Plura occurrunt in *Talm.* cap. 7. Schabb. & in Toseph. ejusdem tractat. *Maim.* Hil. Abhod. zar. cap. 10. סמג N. S. 51. 52. סמק S. 134. 135. Ad classem מנחשים etiam refertur, הלוחש על המכה וקורא פסוק מן התורה וכן הקורא על תינוק שלא יבעת והמניח ספר תורה או תפלין על הקטן בשביל שישן לא די להם שהם בכלל מנחמים וחברים אלא שהן בכלל הכופרים בתורה שהן עושין דברי תורה רפואת גוף ואינן אלא רפואת נפשות שנ' ויהיו חיים לנפשך אבל הבריא שקרא פסוקין ומזמור מתלים כדי שתגן עליו זכות קריאתן וינצל מצרות ומנזקים הרי זה מותר : *Qui vulneribus incantarit, e Lege versum legendo; quive super puero legerit, ne conturbetur, aut qui librum Legis, vel Phylacteria puerulo imposuerit, ut somnum capiat : hi ut generali conjectorum ac incantantium appellatione continentur; ita etiam comprehenduntur amplo eorum vocabulo, qui Legem negant. Siquidem verba Legis* (juxta eum) *medicinam faciunt corporis, cum solum animis medeantur*, q. d. Et erunt vita animæ tuæ; *Deut.* 14. v. 19. *At si quis sanus versiculum legat vel Psalmum, ut protectionem legendo promereatur, angustiasque & damna evitet : ejusmodi sane nihil illiciti facit.*

CCLIV. שלא לעונן *Non esse utendum præstigiis, juxta illud* : Ne utamini præstigiis; *Lev.* 19. v. 26. Alii tamen vertunt : *Neque certa observabitis tempora*. Vel : *Tempus certis rebus non assignabitis*. Quæ versio ad Judæorum mentem propius accedit, qui damnatam hoc præcepto volunt ὡροσκοπίαν. Ita enim Rab. *Levi* ; ופי' הענין כמו שאמרנו שהוא לשון עונה כלומר שלא נקבע עונות לומר שעה פלונית טובה לעשות בה מעשה פלוני ויצליח כל העושה אותו באותה שעה והעושה אותה בשעה פלונית לא יצליח כמו שיאמרו המהבילים בעלי הכישוף: *Explicatio autem hujus rei, sicut diximus, petenda est ex nomine* עונה tempus *significante, id est, ne certa figamus tempora, dicendo, hæc hora apta est huic operi, & qui hac illud fecerit, prosperum habebit successum; qui vero illud fecerit hora illa, non prosperabitur ; Id quod vani dicere solent Magi*. Reperitur hoc præceptum *Deuter.* 18. v. 10. Huc referunt Magistri אוחז עינים *Retinentem oculos*, magice scilicet, qui velocitate manuum suarum ita fascinat spectatorem, ut existimet, שיעשה המתחבל ענינים של פלא כלומר שהם חוץ מן הטבע כמו שיעשו תמיד המשתדלים בזה שיקחו הכל וישימו אותו בכנף בגדם לעיני האנשים ואחר כך יוציאוהו נחש וכן

ישליכו טבעת באויר ואחר כן יוציאוהו מפי אחד מהעומדים לפניהם וכיוצא בעניינים אלה רבים וכל אחד מהמעשים הרעים אלו הוא אסור והעושו נקרא אוחז העינים והוא בכלל לאו דמעונן ולוקין עליו שנ׳ מעונן אצל מכשף בכתוב אחד ׳אינו מין כישוף ממש שאלו היה האיסור בו משום לאו דמכשף ניתן לאזהרת מיתת בד׳ שנ׳ מכשפה לא תחיה וקימא לן דכל לאו שניתן לאזהרת בד׳ אין לוקין עליו : *Magna solertia eum efficere miracula, id est, res naturæ cursum superantes; ut cum, qui hanc crebro exercere solent artem, quidvis acceptum, fimbriæ vestis, inspectantibus hominibus, inserunt, & postquam illud extraxerint inde, serpentem ostendunt. Sic & annulum in aerem projiciunt, posteaque ex ore cujusdam astantis, in præsentia eorum, producunt; & id genus plura alia factitant. Horum vero operum malorum quodlibet probibitum est, & qui facit illud* Retentor oculorum *vocatur, qui sub præcepto præstigiatoris* (Mathematici, seu Temporarii, id est, tempus observantis) *continetur; eumque propter talia cædunt. Quamvis autem* מעונן *ὡροσκόπος cum* מכשף *Mago, uno Scripturæ loco exprimatur, non tamen Magiæ vera species est. Ista enim res si sic se haberet, interdictum de Mago seu venefico datum, monitorium esset supplicii mortis a Domo judicii infligendi,* q. d. Maleficam non sines vivere; *Exodi* 22. v. 18. *At ratum nobis est, propter nullum negativum, quod monitorium est Domui judicii, verbera infligi.* Ratio hujus præcepti eadem est quæ superioris. Habet tamen & illud incommodum, quod facile homines *αἰσθητήρια γεγυμνασμένα μὴ ἔχοντες*, præstigias ejusmodi cum veris confundant miraculis, adeoque ad ipsum Atheismum viam sternant. Præceptum autem hoc, temporis, loci, & personarum ratione, est universale. ועובר עליה ומגיד לבני אדם עונות שיעשו מעשיהם בהם כדי שיצליחו וגם הוא עושה מעשיו לפי העונות חייב מלקות והאיש השואל אל היודע אין עליו חייוב מלקות בשאלה לבד עד שיכון פעולתו אל העת הידועה ויעשה מלאכתו בה ואז ילקה בעבורו מכיון שעשה מעשה. *Transgressor illius, qui indicarit nominibus tempora, quibus, ut prosperentur, opera sua debeant peragere, & qui ipse, observato tempore, sua perficit, reus est fustigationis: Qui vero illum, qui peritus est hujus artis, tantum rogat, sola hac inquisitione in pœnam hanc non incurrit, nisi disposuerit actionem suam illo tempore destinato, eodemque opus suum perfecerit, tunc vapulat propter illud, ex quo opus fecit.* Plura in Siphra, Gem. & Mid. hinc inde.

CCLV. שלא להקיף פאתי ראש שנ׳ לא תקיפו פאת ראשיכם ופירשו זל׳ שהענין הוא שאסור לישראל לגלח ולהשוות שערות ראשו לאחורי אזניו ולפדחתו כמו שהיו עושים עובדי כוכבים ומזלות וזה שאמרו זל׳ במסכת מכות איזהו פאת ראש זה המשוה צדעיו לאחורי אזניו ולפדחתו. *Non esse extremam cæsariem tondendam, aut circumcidendam comam capitis*; seu, *non attondendam in orbem, vel circuitum, more Arabum, comam capitis*, q. d. Ne circumcidatis pilos ad latus capitis vestri; *Levit.* 19. v. 27. *Quo Rabbini interdici Israelitis volunt, ne tondeant æqualiter comam capitis retro aures, & a fronte, prout facere solent cultores stellarum & planetarum. Atque hoc est, quod Magistri dicunt in Massec. Maccoth: Quis est angulus capitis? Cujus æquata est coma circa tempora, retro aures & in fronte*, id est, *πρόσω καὶ ὀπίσω*. Ratio præcepti est, להרחיק ממנו ולהשביה מבין עיננו ומכל מעשינו כל ענין עא׳ וכל הנעשה בשבילה *ut retraheret nos*, (Deus) *& oculis nostris, actionibusque nostris subduceret omnem speciem Idololatriæ, omneque adeo quod propter eam peragitur.* Hanc ipsam ob causam Rabbini prohibitam etiam tradunt הקפת כל הראש *circumcisionem totius capitis*. Unde & in Jebham. הקפת כל הראש שמה הקפה *Totius capitis circumcisio*, הקפה circumcisio *ἐξόχως dicitur*. Legem hanc non modo tondens, sed &, si suam contulerit operam, tonsus violat, juxta decisionem R. in Maccoth: אחד המגלח ואחד המתגלח כל זמן שסיע שניהם חייבים אבל לא סייע אין חייב אלא המגלח והמגלח את הקטן חייב ובשיעור פאת הראש לא נתנו חכמים שיעור וכתב הרמ׳ במזל שמענו מזקנינו שאין מניחין פחות מארבעים שערות : *Si alter tondet, alter vero tondetur, quotiescunque mutuo se juvant, uterque reus est; si vero suam huc operam non confert, tondens tantum reatum contrahit. Sed & qui minorennem tondet, reus habetur. Mensuram autem anguli capitis Magistri nullam expresserunt: Scribit tamen Maimonides: Audivimus a majoribus nostris, non pauciores quam 40. relinquendos pilos.* De cæteris consulatur *Talm.* Cod. Macc. *Maim.* Hil. Abhod. zar. cap. 11. סמג N. S. 57. 58. 61. סמק S. 69. 70. 71. Usus præcepti omni loco & tempore masculos obligat, אבל לא נקבות בין נלחו או נתגלחו פטורות *non autem fœminas, quæ sive tondeant, sive tondeantur, liberæ pronuntiantur*: obthurati & androgyni dubii sunt. ועובר על זה וגלח פיאה אחת מן הראש חייב מלקות אחד ואם גלח שני צדעיו ואפ׳ בבת אחת והתראה אחת חייב ב׳ מלקיות : *Transgressor autem, qui totonderit unum tantum angulum capitis, unam meretur flagel-*

gellationem; si vero gemina tonderit tempora sua, etsi una vice, & una tantum prævia admonitione, duplicis reus est flagellationis.

CCLVI. שלא לגלח פיאת הזקן שנ׳ ולא תשחית את פאת זקנך. *Non tondendum angulum* (radendam extremitatem) *barbæ*, q. d. Non perdes (alii dissipabis) latus barbæ tuæ, *Lev.* 19. 27. וחמשה פיאות יש בזקן ובכל אחת יש בה חייוב מלקות אפילו נטלן כולן באחת ובהתראה אחת ואלו הן לחי העליון והתחתון מימין והעליון והתחתון משמאל הרי ד׳ ושבולת הזקן והוא מקום חיבור הלחיי׳ למטה הנקרא בלעז מו̈נטון הרי חמשה ולשון המשנה ועל הזקן חמשה שתים מכאן ושתים מכאן ואחת מלמטן. *Quinque sunt latera in barba, quorum unum quodvis suum habet reatum verberum, etsi quis simul omnia, una tantum accedente admonitione, auferat: Suntque maxilla superior & inferior dextra; superior eadem & inferior sinistra: Ecce sunt quatuor; Et cuspis barbæ, quæ locus est, ubi inferius maxillæ congregantur, vernacule* mentum *dictus. Ecce quinque. Ita Mischna: Barbæ tribuuntur quinque extremitates, duæ hinc, & duæ illinc, una vero infra.* Ratio hujus & superioris præcepti est eadem. De hac abrasione habent Magistri Canonem: שאין החייוב אלא בגילוח של תער שנ׳ לא תשחית גילוח שיש בו השחתה דוקא וזהו תער: *Non contrahi reatum nisi tonsione præcise, quæ fit per novaculam*, q. d. Non corrumpes rasione, in qua corruptio, quæ novaculæ proprie est. Unde, juxta *Maimon.* cap. ult. de Idol. qui se tondet במספרים *forfice*, liber censetur; etsi nec hoc facere moris sit, nec etiam liceat. Vide *Hil.* Abh. Zar. cap. 12. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן אבל הנקבות מותרות הן בהשחתת זקן אם יש להן שיער בהן גם אם השחיתה האשה זקן האיש פטורה. *Usus obtinet omni loco & tempore: Licet tamen mulieribus perdere barbam*, (radere) *si quos habent pilos; sed & ubi corruperit* (raserit) *mulier barbam viri, libera pronuntiatur.*

CCLVII. שלא נכתוב בבשרנו כתבת קעקע שנ׳ וכתבת קעקע לא תתנו בבשרכם והענין הוא כמו שעושין היום ישמעאלים שכותבין בבשרם כתוב מחוקה ותקוע שאינו נמחה לעולם ואין החיוב אלא בכתב חקוק ורשם בדיו או בכחל או בשלר צבעונין הרשומים וכן אמרו במכות קעקע ולא כתב כלומר שרשם בבשרו בצבע אבל לא עשה שריטה אינו חייב עד שיכתוב ויקעקע בדיו או בכחל ובכל דבר שהוא רושם. *Ne inscribamus carni nostræ scripturam stigmatis*, q. d. Inscriptionem stigmatis ne imponitote carni vestræ; *Levit.* 19. v. 28. *Eo scilicet modo, quo hodie solent Ismaelitæ, qui carni suæ inscribunt scriptionem insculptam & infixam, quæ nunquam amplius deleri potest. Non autem est reatus nisi in scriptura sculpta, aut colorata atramento, stibio, aut cæteris tincturis coloratis. Unde dicunt in Maccoth: Inciderit, & non scripserit, id est, si in carne sua aliquid colore tinxerit, sed non fecerit incisionem, non fit reus, donec & scripserit & inciderit atramento, aut stibio, aut alia quavis re colorante.* Arabibus solennem esse hanc stigmatizationem (quod نار vocant) certum est. *Gol.* Lex. Arab. pag. 2479. نار *Punctura acus, &, glasto insperso, cærulea cuti inscripta stigmata illata* τῆς نونة *viridia fecit, atque ita pinxit brachium ornatus ergo, ita ut Arabibus, præsertim Scenitis mos est.* Causa finalis est remotio omnis Idololatriæ; שרושמין עצמן לע״א שלהן כלומר שהוא עבד נמכר לה ומורשם לעבודתה. *Usu enim receptum est apud Idololatras, ut se suis Idolis signo quodam notent, significantes, se quasi servos eorum pretio redemtos & nota insignitos esse.* Subjectum recipiens hujus stigmatizationis est כל מקום שבגוף בין מגולה בין מכוסה בבגדים בכלל איסור זה *omnis in corpore locus, sive retectus sive vestibus tectus, hoc interdicto generaliter comprehenditur.* Obligat omni loco & tempore utrumque sexum; ועובר על זה וכתב אפילו אות אחד בכל מקום שבגופו בענין זה שאמרנו שיהיה הקוק רשום באחד ממיני הצבעים הרושמים לוקה ואם רשמו בו אחרים אינו לוקה אלא אם כן סייע מן הכלל הידוע לאו שאין בו מעשה אין לוקין עליו. *Transgressor, qui vel unicam scripserit literam in quocunque corporis loco, eo modo quo diximus, ut inscriptum coloratum sit specie aliqua colorum, quibus pingitur, vapulat. Quod si colore infecerint eum alii, neque tum vapulat, nisi adjuverit ipsum, idque ex universali illo axiomate; Propter negativum, ubi nulla est actio, neminem verberant.*

CCLVIII. שלא לעשות מעשה אוב ולא נפנה אחריו כלומר שלא נשאל בו שנ׳ אל תפנו אל האובות והענין הוא שמקטירין קטרת ידועה ועושין מעשים ידועים ובאותם העניינים ידמה לאדם שישמע דבר מתחת השחי שיענה לו במה שישאל זהו מין אחד ממיניו ולשון סיפרא אוב זה פיתום המדבר משחיו: *Ne faciamus opus Pythonicum, neque Genium illum respiciamus, id est, ne quid eum rogemus*, q. d. Neque convertite vos ad Pythones; *Levit.* 19. v. 31. *Modus ejus hic est. Adolent suffitum certum, adjunguntque actiones certas, quibus homo sibi videtur audire aliquid subter axilla, quod ad interrogatum ei respondeat. Atque hæc una species est. In Siphra habetur*

tur

tur : *Of est Pytho loquens subter axilla*. Hæc autem Pythones consulendi consuetudo, ut a vero Deo hominem abducit, omniumque rerum eventum cæco fortunæ ductui subjicit; ita & peculiarem Idololatriæ speciem constituit, ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות ועובר עליה ועשה מעשה האוב במזיד ועדים נסקל ואם אין עדים והתראה בכרת בשוגג מביא חטאת קבועה והנשאל בהן בלאו ואם כוון ועשיו ועשה כמאמרן לוקח. *Valet omni loco & tempore in masculis & fœmellis*. *Transgressor interdicti, qui actionem Pythonicam exercuerit elata manu, & testes hoc edicant, lapidatur; sed absque testibus & admonitione excidii reus est*. *Per ignorantiam peccans; affert sacrificium fixum* : *Qui vero eos* (Pythones) *consulit, negativi reus est; & qui ad præscriptum eorum suas actiones composuerit, vapulat*.

CCLIX. שלא נעשה מעשה דידעוני שנ׳ אל תפנו אל האובות ואל הידעונים ופירש הרמ במזל׳ וזה לשונו שהענין הוא שיקח עצם עוף ששמו ידוע וישימהו בפיו ויקטר לו במיני קטרת וישביע השבועות ויעשה פעולות עד שיתחבר לו ענין הנופל מחולי כמו החולי הנק׳ סובאת וידבר בעתידות וכן אמרו זל ידעוני מניח עצם ידוע בתוך פיו והוא מדבר מאליו ואל תחשוב שזה הוא לאו שבכללות שהוא כבר הפירשם כשזכר העונש אמר אוב או ידעוני וחייב על כל אחד משניהם סקילה וכרת למזיד והוא אומרו ואיש או אשה ונומר עונש שמענו אזהרה מנין תל אל אבות ואל הידעונים. *Ne faciamus opus harioli* : q. d. Ne vos convertatis ad Pythones & hariolos; *Levit*. 19. v. 30. *Modus hujus divinationis ex Maimonide ita habet* : *Os avis, cui nomen* Jaduah, (putant alii esse *motacillam*, quam ἴυγγα *Theocritus* in Pharmaceutria vocat : *Bodino* est fera, quæ κατωβλέπας dicitur) *ori suo inserit, posteaque certum ei suffitum parat, & adjurationibus adjurat, aliaque facit opera, donec associetur ei instar illius, qui morbo*; *quem* sobat (vox Arabica est سبات, quæ, inter alia ἔκστασιν significat) *nuncupant, concidit, & loquatur futura. Ita etiam Rabbini dicunt : Iddeoni inserit os τȣ̃ Jaduah ori suo, ipse vero sponte loquitur. Neque vero existimes, præceptum hoc generale esse*, i. e. utrumque de Pythonibus & hariolis generali interdicto unum tantum constituere. *Distincte enim illa proponit* (Moses) *cum meminit pœnæ, dicens* : Pytho aut hariolus : *Quorum utrumlibet lapidum supplicio & excidio expiatur, si temere quis peccat : Ita enim loquitur* : Vir autem sive mulier, quum erit in eis Pytho vel hariolus (*alii* haruspicum spiritus) moriendo morientur; *Levit*. 20. v. 27. *Siphra*. *Eo quod inquit* : Vir autem, sive mulier, &c. *pœnam audivimus*. *Admonitionem unde? Quia Lex dicit* : Ad Pythones & hariolos, &c.

CCLX. שלא להונות במדות הלח והיבש ולא במאזנים ובכלל מדות הוא גם כן מדירת הקרקעות וכל דבר הנמדד בין בני אדם כגון בגדין שנ׳ לא תעשו עול במשפט במדה במשקל ובמשורה. *Neminem opprimendum vel circumveniendum mensura liquidi & aridi, neque pondere. Generaliter autem sub mensuris comprehenditur mensio fundorum, omnisque rei, quæ mensuram seu dimensionem admittit in conversatione hominum, ut sunt vestes*, q. d. Non facietis iniquitatem in judicio, in mensura *magna*, in pondere & mensura *parva*; *Levit*. 19. vers. 35. משורה est, juxta Rabbinos, mensura aridi & liquidi, eaque, ut supra jam monuimus, minima, cujus Lex rationem habet. Unde illud : התורה תקפיד על המדות בכל שהן כלומר שאעפ שבשאר גזלות לא תקפיד התורה אלא בפרוטה בענין המדות הקפידה בכל שהוא. *Lex sollicita est de mensuris quantiscunque quasi diceret, quod, etsi Lex reliquas rapinæ species non curet, nisi ad Prutam accedant; de mensuris tamen, quantislibet etiam, sollicita sit*. Quanti faciat ipsa Scriptura hanc Legem, inde patet, quod משפט *judicium* vocet : unde & Judicis nomen obtinet המודד *qui metitur*, ואם שקר במדה הרי הוא כמקלקל את הדין וקרוי עול ומשוקץ חרם תועבה וגורם לחמשה דברים האמורים בדיין מטמא את הארץ ומחלל את הש״י ומסלק את השכינה ומפיל את ישראל בחרב ומגלה אותם מארצם ועוד הפליגו בחומר מצוה זו ואמרו כי גדול עונשה מעונש עריות שזה בין אדם למקום וזה בין אדם לחבירו. *Qui, si fraudem commiserit in mensura, corruptor est judicii, appellaturque* iniquus, abominabilis, anathema, abominatio; *Idem causa est quinque rerum, quæ de judice dicuntur, ut quod polluat terram, profanet nomen Dei Benedicti, removeat præsentiam Majestatis divinæ; prosternat Israelitam gladio; educat eos ex terra eorum in exilium. Hyperbolice insuper, præcepti momentum expressuri, dicunt : Majorem esse* [delinquentium hoc loco] *pœnam, quam eorum, qui illicito concubitu se polluant*. Illud *enim hominem & Deum*; hoc *hominem & proximum concernere*. Canones hujus Legis sunt, 1. המודד או השוקל בעול אע״פ שהוא גונב בלי ספק אינו משלם תשלומי כפל אלא משלם מה שחסר מן המדה או מהמשקל. *Qui metiendo aut ponderando inique agit, etsi, sine omni dubio, fur sit, non tamen restituit duplum; sed* ἥττημα *tantum mensuræ aut ponderis*. 2. סלע שנפגמה מן הצד לא יעשנה

יעשנה משקל שמא יפגם ממנה יותר ויהיה המשקל חסר. *Siclum a latere ruptum non faciunt pondus, ne forte, dilatata ruptura, pondus deficiat*. 3. עושה אדם מדותיו סאה וחצי סאה וכו׳ אבל לא יעשה קביים שלא תתחלף ברובע הסאה שהוא קב ומחצה וכן במדת הלח עושין הין וחצי הין וכול׳ כדאיתא בבריתא בבא בתרא. *Quiſque menſuras ſuas parat Seam & mediam Seam, &c. Sed non geminum* (i. e. integrum & medium) *Kabum; ne mutetur quarta parte Seæ, quæ Kabum conſtituit cum dimidio. Sic in menſura liquidi faciunt Hin, dimidium Hin, &c. ſicut eſt in Barajetha Baba batra*. Sex Kabi conſtituerunt *Seah* ſatum : Tria ſata unam *Epham* : Decem Ephæ conſtituerunt *Corum* in aridis, quæ menſura fuit maxima. 4. המודד את הקרקע בחבל לא ימוד לאחד בימות החמה ולאחד בימות הגשמים מפני שהחבל מתקצר בימות החמה. *Qui metitur fundum fune, non metietur alterum tempore æſtatis, alterum tempore hyemis : decurtatur enim* (contrahitur, conſtringitur) *tempore æſtatis*. 5. צריך כל אדם לדקדק הרבה במשיחת הקרקע לפי שיש חילוקין הרבה במשיחת הקרקע בין ההר והגיא ויש לעיין בו גם כן בין העיגולים והרבועים והאלכסונים. *Magna quiſque opus habet accuratione in menſione agrorum. Eſt enim diſcrimen inter montem & vallem. Attendendum etiam diſcrimen inter ſphærica, quadrata, & diametros*. Præceptum eſt καθολικὸν, loci, temporis, & perſonarum reſpectu. Tranſgreſſor violati negativi reatum contrahit, non tamen propterea vapulat, ſed ad reſtitutionem damnatur, etſi vel Gentilis res agatur, quem neque in Geometrica, nec Arithmetica proportione decipere licet. Vide *Talm.* Bab. Bat. סמג N. S. 151. סמק S. 245.

CCLXI. שלא לקלל אב ואם שנ׳ איש איש אשר יקלל את אביו ואת אמו וגו׳ והאמת שעיקר האזהרה בקללת אב ואם אינם מן המקרא הזה כי בכאן לא יזכיר אלא העונש במקלל וכן מה שכתוב בסדר משפטים ומקלל אביו ואמו מות יומת שם גם כן לא דבר אלא בעונש וזהו שאמרו במכילתא ומקלל אביו ואמו וגו׳ עונש שמענו אזהרה מנין ת״ל אלהים לא תקלל ואם נשיא הרי הוא בכלל ונשיא בעמך לא תאר ואם בור הוא הרי הוא בכלל לא תקלל חרש. *Non eſſe maledicendum parentibus*, q. d. Quicunque maledixerit patri ſuo aut matri ſuæ, moriendo morietur; *Levit.* 20. v. 9. *Verum eſt, fundamentum dehortationis a maledictione parentum non eſſe hunc Scripturæ locum; in quo nonniſi maledicentis pœnæ fit mentio : Eadem exſtat Paraſcha Miſchpatim* (Exodi 21. v. 17.) Qui maledixerit patri ſuo, vel matri ſuæ moriendo moriatur. *Ubi etiam de multa tantum ſermo eſt. Atque hoc ipſum eſt quod dicunt in Mecilta : Qui maledicit patri ſuo & matri ſuæ, &c. Pœnam audivimus, ſed ubi eſt admonitio? Ex eo, quod Lex dicit :* Diis non maledices. *Si Princeps fuerit, in genere ſub illo comprehenditur :* Principi in populo tuo non maledices. *Si Idiota* (*proprie* ſylveſtris, bardus, fatuus) *fuerit, continetur ſub illo :* Surdo ne maledicas. Canones Legis hujus tradunt Judæi ſequentes, 1. חייב קללת האב והאם הוא בין בחייהם או אפילו אחר מותם מה שאין כן בהכאה שאין החיוב בה כי אם בחייהם אבל אחר מיתה פטור על הכאתם. *Reatus maledictionis patris & matris contrahitur ſive fiat ſuperſtitibus illis, ſive poſt mortem illorum : quod non æque valet in flagellatione; ad quam maledicus damnatur, ſi ſuperſint parentes; liber tamen pronuntiatur a percuſſione poſt mortem illorum*. 2. אין חיוב מיתה לבן עד שיקללם בשם מן השמות המיוחדים אבל המקללן בכנוי פטור מסקילה ולוקה כדרך שלוקה על קללת אדם כשר. *Non incurrit reatum mortis, donec maledixerit illis nomine aliquo proprio; Sed qui Epitheto illi maledixerit, liber eſt a lapidum ſupplicio; & perinde flagris cæditur atque ille, qui maledicit homini probo*. 3. המקלל אבי אביו או אבי אמו דינו כמקלל אחד משאר הקהל. *Qui avo ſuo paterno aut materno maledixerit, perinde eſt ac ſi cui ex reliquo cœtu maledixiſſet*. 4. האב שנתחייב שבועה אין הבן משביעו בשבועת האלה אלא משביעו שבועה שאין בה אלה. *Patrem, qui juramentum præſtare tenetur, filius non adjurat juramenti formula execrationis, ſed formula, in qua nulla execratio*. 5. אסור לבזותו כלל שלא על הקללה הקפידה תורה אלא אף על הבזיון והמבזה הרי הוא כארור שנ׳ ארור מקלה אביו ויש לבד להכות העושה זה ולענוש כפי הראוי. *Omnino eos ſpernere non licet. Neque enim alia de cauſa tam eſt ſollicita Lex de maledictione, quam propter contemtum : Contemtor autem quaſi maledictus eſt*, q. d. Maledictus eſt, qui vilipendit patrem ſuum. *Domui autem Judicii incumbit flagris in eum animadvertere, eumque pro merito punire*. Cætera pete ex *Talmud.* Maſſ. Sanh. *Maimon.* Hil. Mam. cap. 5. סמג N. S. 218. 219. ונוהגת בכל מקום ובכל זמן בזכרים ונקבות וכן בטומטום ואדרוגינס ושתוקי חייב על אמו ואינו חייב על אביו אע״פ שנבדקה אמו ואמרה בן פלוני הוא ולפי הדומה שהממזר חייב בקללת אביו ואמו שהרי הוא ראוי לירש אותם מדין תורה ודין בן כשר יש לו גם כן לענין אבלות ולכל דבר אבל הבן מן השפחה ומן הנכרית אינו על קללתו וכן גר שהורתו שלא בקדושה אע״פ שנולד בקדושה

כנה

כגון שנתגיירה אמו כשהיתה מעוברת אינו חייב על קללת אביו וכשם שאינו חייב על קללת אביו כך אינו על קללת אמו אעפ שהיתה יהודירת וכשילדתו וכמו שדרשו זל ומקלל אביו ואמו את שהוא חייב על אביו חייב על אמו וגו׳ ואין להקשו׳ על דרשא זו משתוקי שחייב על אמו לבדה לפי שאין האב ידוע וניכר והגר אסור לקלל אביו הגוי מדרבנן כדי שלא יאמרו בה מקדושה חמורה לקלה אבל העבד אין ייחוס והרי אביו כמו שאינו אביו לכל דבר אף לאחר שנתחרר ועובר על זה וקללם בשם מן השמות נסקל והוא שיש שם עדים והתראה כמו שידוע בכל המצות ואם קללם באחר מן הכנוין לוקה. *Uſus interdicti obtinet ubique & ſemper in maſculis & fœmellis; obturatis & androgynis. Filius etiam certæ matris, ſed incerti patris;* [ita explicant שתוקי : ut אסופי eſt *expoſitius* ex patre & matre incertis] *tenetur propter matrem, ſed non propter patrem, etſi inveſtigata mater dicat; Filius hic eſt* τȣ̃ *N. Veriſimiliter etiam huic Legi de non maledicendis parentibus ſubjicitur nothus, quia, ex Lege, idoneus cenſetur, qui hæres eorum conſtituatur. Filii legitimi eadem eſt ratio tum in his, tum in ritibus ſepulchralibus* (propr. de luctu) *& omnibus aliis rebus. Sed filius natus ex ancilla, & alienigena non tenetur lege de maledictione parentum. Ita & proſelytus, quem mater concepit ante ſponſalia, etſi poſt illa genitus fuerit, nempe, ſi mater ejus* ἐπροσηλύτευσε, *poſtquam jam gravida fuit, non tenetur præcepto maledictionis patris ſui. Quemadmodum vero præcepto hoc, ne maledicat patri, non tenetur; ita nec tenetur interdicto, ne maledicat matri ſuæ, etſi Judæa illa ſit, poſtquam genuit eum. Atque ſic Rabbini noſtri, verba; Qui maledicit patri ſuo & matri ſuæ; explicant; quod qui teneatur hac lege propter patrem, etiam propter matrem teneatur, &c. Neque objicias hujus explicationi* τῷ *Schethuki, qui propter matrem tantum tenetur hac lege, quia pater ei ignotus & peregrinus eſt. Proſelyto etiam prohibitum eſt maledicere patri ſuo Gentili,* (*quod tamen Rabbinorum eſt decretum*) *adeo ut ne dicat ei : Veni a ſacris difficilioribus ad faciliora. Hic reſpectus ſervo non eſt, Eſt enim pater ejus, quaſi pater ejus non eſſet, etiam poſtquam in libertatem aſſertus eſt. Tranſgreſſor autem qui maledixerit iis* (parentibus ſuis) *nomine aliquo proprio Dei, lapidibus obruitur, accedentibus nempe teſtibus & admonitione, quemadmodum notum eſt in omnibus præceptis : Quod ſi vero maledixerit illi Epitheto aliquo, vapulat.*

CCLXII. שלא ללכת בחקורת האמורי וכן בחקות הגוים מה שנ׳ ולא תלכו בחקורת הגוי אשר אני משלח מפניכם והוא הדין לכל שאר הגוים וזה כי הענין מפני שהם סרים מאחרי השם ועובדים עא וענין המצוה הוא שאל נתנהג כהם במלבושינו וכמו שאמ׳ בספרי ובחקתיהם לא תלכו בנימוסות שלהם בדברים החקוקים להם כגון טיטראורת וקרקסאורת והאסטריאורת וכל אלו הם מיני שחוק שעושין בקיבוציהן כשמתקבצין לעשות שגעונות וזנות ועבודת האלילים ואמרו שם בחקורת הגוי ר׳ מאיר אומר אלו דרכי האמרי שמנו חכמים ר׳ יהודה בן בתירא אומר שלא תגדל ציצית הראש כהם ולא תספר קומי כלומר שלא יגלח מן הצדדין ויניח שיער באמצע וזהוא הנקר׳ בלורית ונכפל זה הלאו במקום אחר במלורת אחרות שנ׳ השמר לך פן תנקש אחריהם. *Non eſſe ambulandum in viis Emorhæorum; neque in viis reliquarum gentium* [i. e. reliquorum populorum] q. d. Neque ambuletis in ſtatutis gentis, quam ego ejecturus ſum a facie veſtra; *Lev.* 20. v. 23. *Eadem ratio eſt reliquarum gentium. Cauſa hujus rei patet, quia recedunt tales a Deo, & Idola colunt. Vult autem hoc præceptum, ne aſſueſcamus veſtibus aut negotiis eorum; ſequendo (quemadmodum dicunt in Siphri ad verba;* in ſtatutis eorum ne ambuletis) *leges eorum, quas ſtatutas illi habeant & fixas, cujuſmodi ſunt theatra & Circi, & Hiſtrionia, quæ ſpecies ſunt ludorum in congregationibus eorum uſitatorum; quo confluunt ad exercendas inſaniam, ſcortationes & Idololatriam. Ibidem tradunt : In viis Gentis. R. Meir dicit : Hæ ſunt viæ Emorhæorum, quas numerarunt ſapientes. Rabbi Jebuda fil. Bethira dicit : Ne alas cincinnos capitis ſicut illi; neque detondeas comam, i. e. ne quis, temporibus detonſis pilis (quos appellant cæſariem) relinquat in medio. Repetitur hoc præceptum alio loco & aliis verbis,* q. d. Cave tibi, ne illaquees te eundo poſt eas; *Deut.* 12. v. 30. Quod quidem præceptum Rabbini in *Siphri* de ornamentis Gentilium explicant, ut ne illis quidem Iſraelitæ ad Gentes ejectas & expulſas accedant, dicendo : Ecce purpurati hi in publicum prodeunt, idem liceat mihi. Ratio præcepti eſt omnis Idololatricæ ſpeciei amolitio & abolitio. Præceptum omni loco & tempore utrumque obſtringit ſexum. Tranſgreſſor, qui ulla ſe in re commemorata ſimilem præbuerit gentilibus; חייב מלקורת והמתרחק מכל הנהגותיהם ומכל נימוסיהם וישים כל לבו ומחשבותיו אל השם ובמצותיו היקרות נפשו בטוב תלין וזרעו יירש ארץ. *Flagris cæditur : Qui vero quam longiſſime recedit a conſuetudinibus eorum, & ab omnibus legibus eorum, & animum ſuum, cogitationeſque ſuas Deo & præceptis ejus pretioſis impenderit, anima ejus habitabit in bono, & ſemen ejus hæreditario jure poſſidebit terram.* Speciales hujus legis caſus peti poſſunt ex *Talm. Maſſ.* Schabb. cap. 7. in Toſeph. in eundem Codic. *Maim.* Hil. Abh. Zar. c. 10. סמג N. S. 3. סמק S. 80.

F I N I S.

INDEX CAPITUM,

Et Dissertationum, quæ in hoc tertio volumine continentur.

PETRI CUNÆI

De Republica Hebræorum.

CUM JO: NICOLAI NOTIS

LIBER PRIMUS.

PETRI CUNÆI

De Republica Hebræorum.

LIBER SECUNDUS.

PETRI CUNÆI

De Republica Hebræorum.

LIBER TERTIUS.

JOAN-

COR-

CORRIGENDA.

37. lin. 24. a fucatis? Hypocritis leg. fucatis Hypocritis. 42. lin. 5. מלבות leg. מלכות. 61. lin. 11. אכרהם leg. אברהם 62. lin. 10. לקהל leg. לקחל. 69. lin. 53. Matthæi. leg. Mattiæ. 83. not. 6. lin. 7. ומלמרי leg. ותלמדי. 93. in not. lin. 5. que leg. pro. Ibid. Hottingero. leg. Reizio. 95. lin. 24. rediti, leg. rediit. 107. not. 5. lin. 2. קראים leg. קראים. 117. not. 2. lin. 12. חנינה leg. חגיגה. 118. not. 8. lin. 10. ἀνίποις, leg. ἀνίπποις. 121. not. 17. lin. 19. בכור leg. בכור. 127. not. 2. lin. 10. בל leg. כל. Ibid. in not. lin. 1. adminiſtratoriis. leg. adminiſtratorii. 137. lin. 21. peritiſſimas, leg. peritiſſimus. 139. not. 3. lin. 10. ἀποτιμησόμενε, leg. ἀποτιμησόμενος 167. not. 11. lin. 14. ſcil., leg. ſicl. 169. lin. 14. appellabatus, leg. appellabatur. 223. lin. 55. boais, leg. bonis. 225. lin. 32. Νωϋσῆς, leg. Μωϋσῆς. 229. lin. 18. τὸυ, leg. τοὺς. 234. lin. 33. ἀναλκιθήσονται, leg. ἀνακλιθήσονται 239. not. 11. lin. 3. בום, leg. כוס. 243. lin. 26. nuncupat, leg. nuncupant. Ibid. lin. 27. præparatlo, leg. præparatio. 245. lin. 23. admoderentur, leg. admonerentur. Ibid. lin. 30. Azymnm iutingere, leg. Azymum intingere. 267. lin. 6. Nam in lectiſterniis, leg. Non. 277. not. 15. lin. 3. cuntraham, leg. contraham. 279. lin. 54. conſequdns, leg. conſequens. 291. lin. 11. annos illo, leg. anno. Ibid. lin. 12. in tre annos, leg. tres. Ibid. lin. 17. Mendatum, leg. Mandatum. Ibid. not. 3. lin. 17. putabit, leg. putabis. 295. lin. 11. citharum, leg. citharam. Ibid. not. 1. lin. 6. יוכל, leg. יובל. Ibid. not. 3. lin. 3. חיובל, leg. היובל. Ibid. not. 3. lin. 7. ובמבירה, leg. ובמכירה. 301. lin. 17. teddat, leg. reddat. 306. not. 9. lin. 26. Solum, leg. Solem. 311. lin. 9. portaſti, leg. portaſtis. 313. lin. 9. Suct. leg. Suet. 315. not. 6. lin. 16. ותשהטי, leg. ותשחטי. Ibid. lin. 18. truduecrent, leg. traducerent. 319. lin. 39. eſſei, leg. eſſet. Ibid. lin. 21. וילרה, leg. וילדה. 322. lin. 54. Cap. II. leg. cap. IV. 329. not. 3. lin. 3. קרן, leg. קרן. Ibid. not. 5. lin. 5. הובה, leg. הרבה. 399. lin. 11. populis, leg. pupillis. 407. not. 5. lin. 5. הפירוה, leg. הפירות. 413. lin. 48. דדיר, leg. רדיד. 907. lin. 39. תירה, leg. תורה. 964. lin. 30. ἔυνοιαρ, leg. ἔυνοιαν. 1140. lin. 7. Sect. XIV. leg. XVI.